NAZIONALE
12
17 P
16
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE

NAZIONALE
55
5 C
12
BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

1217 E 1

SANCTORII

SANCTORII

Opera Omnia

QVATVOR TOMIS DISTINCTA.

ELENCHVS OPERVM.

I. In Artem Medicinalem Galeni.
II. Methodi vitandorum errorum omnium qui in arte Medica contingunt.
III. In primam Fen. Primi Libri Canonis Auicennæ Commentaria.
IV. In primam Sectionem Aphoriſmorum Hippocratis, &c. Commentaria.
De Remediorum Inuentione, & De Statica Medicina.

SANCTORII SANCTORII IVSTINOPOLITANI.

OLIM

In Patauino Gymnaſio Medicinæ Theoricam Ordinariam primo loco proſitentis.

COMMENTARIA IN ARTEM MEDICINALEM GALENI.

Cum Indice Quæſtionum, & Rerum.

MVLTA IN HAC VLTIMA EDITIONE addita, & emendata.



VENETIIS, M. DC. LX.

Apud Franciſcum Brogiollum.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.

CLARISSIMO,

Et Excellentiſſimo D.D.

IOANNI STEPHANO

CERCHIERI.

Philoſopho, ac Medico Peritiſſimo.

Franciſcus Brogiollus, P. F.

IMMORTALITATI magis ſiſto Artem Medicinalem Galeni, Methodum vitandorum errorum, Hypocratiſque Aphoriſmos; Per inſignem, ac Celeberrimum Sanctorium Sanctorium elucubrata. Dum te iterato Caleographico Pede prædicta ſimul adire contendunt. Ita enim in Arte Medica contra mortem huc vſque egiſti, vt nouus Hypocrates è templo Eſculapij egreſſus, vel in Aſclepiadis Horto educatus dicaris. Herculem cum ipſa morte luctatum Alceſtidem illi per vim eripuiſſe faſus eſt Euripides; tu non tam fortiter cum Hercule, quàm ſuauiter

cum

cum Helenæ poculo ſalutem propinando de morte agis triumphum. Iam tui Stemmatis circulo, Galeni, Hypocratis, necnon Ariſtotelis complecteris omnia, vt non amplius vulgari, ſed Zodiaci immortalitatis laurea inſigniri videaris. Omitto animi tui Temperantiam Æquabilitatemque, quibus an tibi, vel alijs præclarius medicinam præſtare iure dubitetur. Alia innumera reticeo, quia meum non eſt tuis paria meritis hìc afferre præconia. Tantummodo Galeni, Hypocratiſque hæc aurea Monumenta pluries toti vniuerſo typis expoſita ſub tuo Nomine magis aucta immortalitati feliciori omine vlteriusconſigno. CERCHIERI ſplendore in ſui admirationem ſpectatores euocabunt, eorumdemque ſtudio, non tam ex ſomno (mortis veſtigio) quàm è morte ipſa innumeros ſuſcitabunt. Feliciter omnia ſi tuo circulo (æternitatis ſymbolo) & ipſa, & me ipſum complecteris. Vale.



Iac. Piccini ſculpsit Venetijs 1659.

INDEX QVÆSTIONVM.

QVæſt. 1. De Inſcriptione.
2 De intentione.
3 De proportione.
4 De ordine.
5 De ſubiecto.
6 De diuiſione medicinæ.
7 De diuiſione libri.
8 Quid per doctrinas intelligat Gal.
9 Quid intelligat Gal. per doctrinas ordini inhærentes.
10 Quid intelligant Expoſitores per finis notionem.
11 An ordo, ſeu doctrina definitiua ſit diuerſa à compoſitiua,& reſolutiua.
12 An præter tres doctrinas detur doctrina diuiſiua.
13 Cur diuiſio nihil doceat.
14 De ſectis Medicorum.
15 De definitionibus medicinæ.
16 Quid per ſalubre, inſalubre, & neutrum intelligat Galenus.
17 An dentur corpora neutra.
18 De numero capitum exorientium à definitione Medicinæ.
19 De partibus ſimilaribus.
20 De natura temperamenti.
21 An detur temperamentum æquale ad pondus.
22 De numero temperamentorum.
23 An ſalubre nũc ſit à generatione tale.
24 Quod corpus ex omnibus ſit peioris conditionis.
25 Quid intelligat Galen. per ſaluberrimum,& inſaluberrimum.
26 An neutra conualeſcentiæ, & decidentiæ ſint neutra nunc ſecundi ſignificati.
27 An omnes quatuor primæ qualitates ſint actiuæ, vel duæ actiuæ, vel duæ paſſiuæ, & quomodo.
28 De vtilitate tractatus de corporibus,
29 Oſtenditur rememoratiua, & prognoſtica ſigna deſumi ab effectu præſenti, & non à præterito, vel futuro.
30 An corpus ſaluberrimum magis reſiſtat cauſis morbificis, quàm corpora intemperata contraria.
31 De latitudinibus.
32 De pilorum natura.
33 De vnguibus.
34 An pertineat ad medicum conſiderare vbi ſit anima.
35 An quatuor ſint corporis animati principia, vt dicit Gal. vel vnum vt dicit Ariſt.
36 An facultas influat per ſpiritus, vel per radios.
37 An detur ſpiritus naturalis præter animalem,& vitalem.
38 An motus cerebri fiat ab arterijs, vel à ſubſtantia cerebri, vel ab alijs cauſis.
39 A qua parte cerebri ſenſus, & motus proueniant.
40 An facultates principes cerebri prodeant à ſubſtantia ſimilari, vel diſſimilari.
41 An neruus actiuus poſsit amittere ſenſum,& non motum.
42 Cur ſurdi à natiuitate ſunt muti.
43 An ſenſus percipiant ſuam ſenſationem.
44 De numero actionum cerebri habentium principatum.
45 Vbi ſit ſenſus communis.
46 An operationes principes in cerebro ſint loco diſtinctæ.
47 An operationes principes pendeant à cerebri conformatione.
48 De aurium ſordibus.
49 De generatione coloris.
50 De natura,& differentijs colorum.
51 De canitie.
52 De criſpitudine.
53 De caluitio.
54 Quid intelligat Gal. per habitationem habentem bonam temperiem.
55 Quid intelligat Gal. per humores proportione reſpondentes temperaturæ cerebri.
56 Quod clima ſit temperatius.
57 An odores calefaciant & grauent cerebrum.
58 An proceſſus mammillares ſint præcipua organi pars odoratus.
59 An oculi nigri, & albi indicent temperaturas.
60 De temperatura cordis facta collatione ad cutim.

61 A qua cauſa immediata fiat arteriarum pulſatio.
62 De cauſis pulſuum, & à quibus fiant pulſus tardi, rari, frequentes, celeres maximi, & minimi.
63 An reſpiratio ſit motus voluntarius, ideſt animalis, vel naturalis.
64 An latitudo venarũ, vel anguſtia per ſe indicent iecoris temperaturam.
65 De indicijs humorum quantitate, ſeu qualitate peccantium.
66 An vrina, & pulſus ſint propria inditia omniũ prædominantium humorũ.
67 De ſyndrome locorum indicantium dominium peccantium humorum.
68 De locorum ſyndrome indicante bilis abundantiam.
69 De locorum ſyndrome, ex qua colligimus pituitæ dominium.
70 De locorum ſyndrome indicante dominium melancholiæ.
71 De ſyndrome indicante Polyęmiam.
72 De muſculorum generatione.
73 An mulier ſit calidior mare.
74 A qua parte ſemen decidat.
75 An ſemen ſimul ſit efficiens, & materia primi conceptus.
76 De virtute formatrice.
77 De ſimilitudine filiorum.
78 De pinguedine.
79 Cur aqua calefacta citius congeletur.
80 An moderata temperatura ſemper edat operationem perfectiorem alijs temperaturis, & magis reſiſtat.
81 An temperamentũ ęquale ſit longioris vitæ, quàm aliæ temperaturæ.
82 De ſecundis humiditatibus.
83 An ſimilia ſimilib. conſeruentur.
84 De cauſa appetitus.
85 Per quas vias aciditas feratur à liene ad ſtomachum.
86 De Aceto.
87 Aciditas cui per ſe conueniat.
88 An ventriculus nutriatur chylo.
89 An chylus magis à ventriculo, quàm à viſceribus illum circunſtantibus fiat.
89 Meth. de ſignis temperaturarum viſcerum.
90 An pulmo ſit calidus, & humidus.
91 De motu pulmonis.
92 An dolor ſit operatio læſa.
93 De cauſa prima, & immediata doloris.
94 An dolor ſentiatur ab aliquo ſenſu.
95 Sexaginta ſympathiæ, & idiopathiæ humani corporis ex Galen. & anatomiæ arcanis deſumptæ.
96 De organo tactus.
97 An motus ſymptomatici ſint omninò inutiles.
98 Quomodo natura rei inſinuet inuentionem cauſarum ſalubrium.
99 Oſtenditur vnum indicare ſolùm vnum.
100 De Qualitatibus occultis, quæ agunt tota ſubſtantia.
101 De numero coctionum, & de illarum excrementis.
102 Breuis digreſſio de vrinis.
103 An cœna ſit prandio liberalior.
104 Dubitationes, an coitus conferat.
105 De tempore opportuno coeundi.
106 Ad quod morbi genus reducatur lapis in veſſica.
107 Digreſsio de putredine.
108 Quid ſit concoctio.
109 An auerſio diſtantiſſima per ſe ſit conditio, quæ conueniat per ſe reuulſioni.
110 Quid per rectitudinem ſeruandam in reuuſione intelligi debeat.
111 Quid intelligendum ſit, dum dicimus reuulſionem fieri per vaſa communia.
112 An auerſio humorum ad origĩnem ſit conditio, quæ conueniat per ſe reuulſioni.
113 In quibus conueniant, & quibus differant reuulſio, & deriuatio.
114 An reuulſio conueniat non ſolùm fluentibus, verùm etiam fluxis, & fluxuris humoribus.
115 A quo indicetur miſtio ſanguinis.
116 De ordine, & poteſtate indicantium
117 Diſputatio contra Fallopium, Trincauellium, & Argenterium de ſolutione continui.
118 De Hyporryſi, ſiue de ſubfluxione.
119 De generatione morbi.
120 Per quas vias pus empyricorum expurgetur per vrinã, aut per aluum.
121 Digreſſio de virtute attractrice per ſubſtantiæ ſimilitudinem.
122 Quid intelligat Galenus per anaſtomatica.

INDEX RERVM,

ET SENTENTIARVM

IN HOC OPERE CONTENTARVM.

ABſtergentium eſſe remouere humores, a loco, vbi ſunt inuiſcati, 683
Abſceſſum ab Apoſtemate differre, 705
Acachias, & nonnulli alij inſufficientiæ notatur, 1
Acetum licet frigidum, cur febricitante non iuuet, 705
Acetum cùm ſit ſiccum, cur ſedet ſitim, 738
Acetum à qua cauſa fiat, & cuius naturæ ſit, 390
Acetum fit dum aqua vitæ euolat, 393
Acetum quomodo ſingultum ſedet, 442
Accidens quomodo a Grecis dicatur, 84
Accidens inſeparabile differt à proprio, 259
Acidus ſapor per ſe pituitæ non conuenit, 393
Aciditas tribus modis per accidens alicui humori conuenire poteſt, 392
Actum eſſe euiſdem cuius eſt potentia, & vice verſa, 678
Actus affectionum in nullo modo dicendi per ſe prædicantur de ſuis ſubiectis, 42
Actiones quomodo differant à factionibus, 46
Actio duplex eſt, ibid.
Actiones omnes à partibus ſimilaribus dependent, 86. 188. 125. 122
Actio in qualitatibus duplex eſt, vniuoca, & æquiuoca, 99
Actiones imbecilles in magnis diſtantijs dupliciter conſiderantur, 125
Actiones animales conueniunt partibus ſimilaribus, ibidem.
Actiones omnes an lędi poſſint, 428
Aer natura imputreſcibilis, quomodo putreſcat, 514
Aerem ob eius continuam neceſſitatem magis alterare ceteris ſex rebus non naturalibus, 535
Aerem alterandi modus in quamcumque qualitatem, 536
Aerem temperatum dici, qui neq; horrorem, neq; ſudorem mouet, ibid.
Aerem temperatum non ſub vno Climate tantùm ſed vbiq; dici talem poſſe, cum relatione, 537. & ſeq.
Aeris temperaturam inſtrumento arte facto dimetiri poſſe, 538
Aeris gradus in caliditate, & frigiditate dimetiendi modus, 565
Aeris humiditas, quomodo percipi poſſit, ibid.
Ægritudinis futuræ indicia, 477
Ægritudinibus, partim factis, & partim fiendis ſiſtendum eſſe curantibus factam, & præſeruantibus futuram, 608
Ægritudinum cauſam fouentem, prius eſſe remouendam, 609
Ægritudinis factæ, & fientis (vt eſt Febris) duo eſſe remedia, euac. & alter. 603
Ægrotantium, an prędicetur de ægro, 41
Ægri poſt morbum, an ſint reducendi ad ſtatum primigenium, 103
Ægrorum fides erga medicum, maximè conducit ad ſanitatem recuperandam, 112
Æqualitas in temperamentis tripl. conſider. 65

Ætatum diſtinctio quænam ſit, 231
Ætates non ſemper definiunt annorum numerum, 232
Ætas conſiſtentiæ quænam ſit, ibid.
Affectus animi, cur ſtatuantur cauſæ cuiuſcumq. mali in corporibus, 555
Affectum factum, & fientem inuicem diſtinguit, ex eo quod factus, non pendet à cauſa, fiens vero pendet, & remouetur ea ablata, 592
Affectuum in fieri non eſſe morbum, ibid.
Affectuum vnius vnicum tantum eſſe contrarium ſpecificum, 603
Affectum indicantem venæ ſectionem eſſe illum, cui miſſio ſanguinis eſt contraria, 635
Affectibus complicatis, quomodo ſit procedendum, 638
Affectus præter naturam prædicatur in ſecundo modo dicendi per ſe, 18
Affectus omnes non poſſunt definiri, niſi per ſubiecta propria, ex Ariſt. 42
Affectus interni, & occulti, qua methodo dignoſcantur, 107
Agerafia, ideſt inſeneſcentia cur non detur, 509
Alimenti defectus per ſe exſiccare, per accidens humectare poſſe, 570
Alterantia eſſe illa, quæ humores ad benignum, & naturalem ſtatum reducere poſſunt, 609
Alterantia ſerapia, potius nocere, quam iuuare, non expurgatis primis vijs, 611
Alterationem humorum eſſe eorum coctionum columna, 614
Aloe ſenibus non conuenit, 296
Anatomes cur non comprehendatur in arte medicinali, 3
Anatomiæ cognitio medico omnino neceſſaria eſt, 465
Anaſtomatica ſignificare præparantia, 698
Animæ definitione præcognita, facilius cæteræ affectiones dignoſcuntur, 6
Animæ ſedis inquiſitio an ad medicum pertineat, 153
Anima rationalis non eſt virtus formatiua in ſemine exiſtens, 342
Animæ ſedes vbinam ſint, opiniones variæ, 155
Anima vegetatiua, nec anima mundi, nec cholcodea poteſt eſſe virtus formatrix, 343
Animalis ſpiritus an differat à vitali, 159
Animi paſſiones qua ratione calefaciendæ, 220
Animales ſpiritus in oculis & lucidi, 254
Animi mores inſiti, indicant temperaturam, ſed non acquiſiti, 285
Animi affectus longe maiorem commotionem in corpore parere, quam quævis ipſius corporis agitatio violenta, ex Platone, 525
Animi motus immoderatus duobus modis lædere per ſpirituum corruptelam, ex quo calorem, & per caloris concentrationem, ex ira, mœrore, 555
Animi affectus immoderati exſiccant omnes, 570
Anguſtiæ ſpecies quinque à Galeno enumerantur, nempè, Obſtructio, Compreſſio, Coaleſcentia, Subſidentia, & Occluſio: addit alibi Conſtipationem, 684
Anguſtiam inteſtinorum ex induratis fæcibus, vt colicum, curari prius emollientibus, mox vero acribus medicamentis, ibid.
Antiqui laudantur à Gal. in diſtinctione ſignorum, 111
Appetitus fit, vel à penuria alimenti, vel à copia humoris acidi, 386
Apollo cur dicatur medicinæ inuentor, 30
Apoſtema quomodo generetur, 708
Apoſtema curari euacuatione, ibid.
Apoſtema ſub ſe continere omne morbi genus, ibid.
Apoſtemati incipienti prius euacuationem corporis, ſecundo reuulſionem, tertio repercuſſionem, & quarto digeſtionem conuenire, 715
Apoſtematis characterem eſſe ſang. miſſi. & capillaribus venis, ad ſpatia, & poroſitates, 721
Aqua calefacta cur citius congelatur, 370
Aquæ duplex frigiditas interna, & externa, 99
Aquæ an proprium ſit frigiditas, vel humiditas, ibid.
Argenterij argumentum vaniſſ. contra Galenum, 83

Ars Parua quare ſic dicta: opinio Haly, Pluſquamcommentatoris, & Montani, 1
Ars Parua aſſimilatur homini, & Coſmographiæ, 2
Artis medicin. nomen cur non conueniat etiam lib. de conſtit. artis, ibid.
Ars medic. nullam habet proportionem, cum alijs libris, 4
Ars medic. non eſt verum compendium medicinæ, 4. & 5
Artis medic. omnia illa, quæ à Galeno tractantur in alijs libris, commodè reduci poſſunt, 5
Artes ſubiecta propria non habent, 6
Artis ſubiectum eſt ipſe finis, ibid.
Artis medic. ſubiectum quodnam ſit, opinio Montani, Auerrois, & eius refutatio, ibid.
Artis medic. lib. diuiſio, 9
Ars medicinalis cur a Galeno compoſita ſit, 10
Artes omnes ſunt tradendæ ordine reſolutiuo, 16
Artes operantes ſeruant ordinem compoſitiuum, 18
Artes omnes ſunt vel docentes, vel operantes, 21
Artis med. capita ex definitione deſumi, 51
Arti nihil additur inueniendo particularia, 55
Argumentum ex ſufficienti partium enumeratione ſine demonſtratione non concludit, 28
Aromatum ſuffitus eſt remedium intemperiei frigidæ, ſecundum Ariſtotelem, 220
Arteriarum pulſatio à qua cauſa immediata fiat, 262
Arteriarum ſiccitas fit tribus de cauſis, 272
Arteria an ſit pars ſimilaris, 60. item 85
Aſperitatem, & leuitatem fieri a duplici cauſa, interna, & externa, 704
Aſperitatem tolli abſterſiuis primo modo, ſecundo modo lenientibus: humidis: lentis, & morſu carentibus, ibid.
Attractrix nimia caliditatem indicat, 161
Attenuantia reſpicere humorem craſſum, & melancholicum, 683
Attractionem non fieri à vacuo, niſi per accidens, 713
Attrahentia vehementer quæ ſint, 748
Auicennas quo ordine tractet medic. 16
Auerr. quo ordine vſus ſit in lib. collig. ibi.
Auicennæ falſa conciliatio de principatu membrorum inter Ariſt. & Gal. 86
Auditus non pertinet ad partem capitis anter. 174
Aurium ſordes à quo fiant, 193
Aures cur in pudore rubeſcant, 194
Auſter nocet capitibus calidis, & humidis, 237
Audacia quomodo differat à fortitudine, 263
Audacia duplex eſt, ibid.

B

BAlneum ante cibum conualeſcentibus admitti poſſe, 759
Bezoartica vaniſſima in febribus apoſtematum, vt & boli cordiales, 84
Bilis atra licèt acida inappetentiam tamen excitat; ob mordacitatem, 387
Bilis ſpecies ſeptem, 289. 309
Bilium differentiæ, ex Gal. ibid.
Bilis ſola nec tumorem, nec pondus inducit, 315
Bilis atra triplex, 291
Bilem, & melancholiam, non eſſe capaces coctionis alimentalis, vt pituita; poſſe tamen concoqui coctione imperfecta; quatenus à natura vincuntur, 619
Bilis porracea eſt neutrum per participationem, 51
Bilis flaua etiam in corporibus ſanis adeſt, 290
Bilis flaua colligitur tantum in Veſicula, ibid.
Bilis flaua dominatur etiam in ætate conſiſtenti, ibid.
Bilis flaua cur plurima in temperatura calida, & ſicca hepatis, 299 300
Bilis atra non fit in corpore ſano, 299
Bilis abundantia quibus indicijs deprehendatur, 314
Bilis generans diſpoſitionem, quibus notis deprehendatur, ibid.
Blæſam figuram crurum eſſe, dum

crura ſunt adeò obliqua, vt genibus ferè ſe tangant, & pedes admodum inter ſe diſtent, 579

C

Cachoetici vlceris curatio, 675
Cæcus à generatione quomodo non ſit boni ingenij, 175
Calculus diureticis non minuitur, 686
Calculus paruus non frangitur aquis thermalibus, ſed dimoueri poteſt, 687
Calculi renum non ſemper ſiunt à caliditate, 296
Callus eſt naturæ mediæ inter os, & carnem, eſſeq; rem mortuam, 666
Callus recens diſtortus frangitur, & nouus fit, 680
Calida conſtitutio reſpectu corporum frigidorum non eſt cauſa morbifica, ſed ſalubris, 133
Calidæ intemperiei ſigna, indicationes, & remedia, 676
Calidi actio vniuoca, & æquiuoca, quæ ſit, 98
Calorem oriri à putredine, & à natura conatu, 576
Calor influxus eſt materia, & pabulum caloris innati, 253
Calor innatus eſt mixtus, 344
Calor febrilis in temperatura frigida eſt cauſa adiuuans ſalubris, 133
Calor obtunditur ab humiditate immoderata, 234
Calor non attrahitur, ſed dilatat, 212
Calor influens eſt materia, & pabulum innati, 257
Calor oritur à putredine, & à natura conatu, 604
Calor innatus eſt mixtus, 344
Caluities cur magis in ſyncipite fiat, 204
Canities quomodo fiat, 201
Caluities à qua cauſa fiat, 203
Canities etiam à vitiligine fit, 242
Canities cur prius in temporibus fiat, ibidem.
Caput excrementis repletur ob tres cauſas, 191
Caput quomodo repleatur ſucco vitioſo, 192
Caput ægritudinibus obnoxium qua via noſcatur, 235
Caput frigidum, & humidum quando ſit obnoxium repletioni, 244
Capitis cutis, & ceruicis conſenſus, 462
Capitis, & hepatis conſenſus quis, 463
Caro, & pinguedo non indicant temperaturam totius, 85
Caput magnum eſſe ſignum bonæ conſtitutionis, & cur, 165
Caput paruum cur ſit vitioſum, ibid.
Capitis figuræ quattuor præter naturam, 170
Caput ſuum cur habeat pauca excrementa, 215
Capitis foramina quot ſint, 230
Capita cur ſint leuiſſima in temperatura frigida, & ſicca, 241
Caries tollitur alumine, vel calcantho, 590
Catarrhi excretio quinque modis fit, 193
Catarrhi non fiunt, niſi ex cibis inconcoctis, 547
Catarrhus in pectore facit tuſſim ſi eſt in cauitate: ſi eſt affixus non facit tuſſim, 693
Cauitates dum corpora augentur, emendantur, 584
Cauitatum paruarum remedia eſſe ſpiritus cohibitionem, & exercitium partis, ibid.
Cauſarum alias eſſe conſeruantes, alias efficientes ſanitatem, 500
Cauſæ morbi quæ ſint, 509
Cauſas efficientes eſſe duum generum, 503
Cauſæ non naturales cur ſex, 511
Cauſa quomodo affectus contrarios pariat, & quomodo aer frigidus calefaciat, 515
Cauſas ad temperatum reducentes debere eſſe æqualiter contrarias, 573
Cauſas aliquas dici conſeruantes non contrarias in latitudine ſanitatis, licèt per contrarium agant, 574
Cauſæ non naturales ſine ſubiecti diſpoſitione non agunt, 313
Cauſas vocari conſeruantes, dum reſpiciunt affectus inſenſibiles: curatiuas verò dum ſenſibiles, 574
Cauſas conſeruantes temperamentum, conſeruare compoſitionem, 577
Cauſas morborum tolli euacuatione: intemperaturam verò alteratione, 645
Cauſa ablata, remoueri affectum in fieri,

non autem in facto eſſe, 734
Cauſas ſalubres, inſalubres, & neutras eſſe ipſa remedia, 499
Cauſa externa in definitione accidentium eſt loco vltimæ differentiæ ex Auerr. 40
Cauſa vel effectiua, vel conſeruatiua ſanitatis, 47
Cauſæ remotæ conſpirant in affectuum productionem, & cur, 107
Cauſa remota non dat concluſionem affirmatiuam, ibid.
ἀπεπτέω quid ſignificet, 89
Cauitatum magnarum remedia eſſe conſtrictionem, & quietem, 584
Cauitatem vlceris pertinere ad magnitudinem diminutam, & non ad malam conformationem, 671
Cauum vlcus prius implendum, mox moderatè aſtringendum abſq; mordacitate, 671
Cauitatem vlceris ſanari auferendo ſorditiem abſterſiuis, 677
Cauſæ neutræ per negationem extremorum quæ ſint, 51
Cerebri temperaturæ inditia, vnde deſumantur, 161
Cerebrum cur non cognoſcatur per ſubſtantialiter inhærentia, 162
Cerebri motus an fiat ab arterijs, vel à ſubſtantia cerebri, ibi.
Cerebri motus cur eodem tempore fiat cum cordis motu, 164
Cerebri facultates principes, an pendeant à ſubſtantia ſimilari, vel diſſimilari, 168
Cerebri diaphaneitas neceſſaria ad intelligentiam, & cur, 178
Cerebrum duo requirit, vt ſit aptum pro ingenio, 179
Cerebri actiones principatum obtinentes quot ſint, 183
Cerebri operationes principes, an ſint loco diſtinctæ, 185
Cerebri operationes principes, an pendeant ab ipſa conformatione, 187
Cerebri ſalubris indicia, 189
Cerebri calidioris indicia quæ, 211
Cerebri frigidioris indicia quæ, 222
Cerebri ſiccioris inditia quæ, 224
Cerebri humidioris inditia quæ, 222. 228
Cerebri calidi, & ſicci inditia, 230
Cerebri calidioris, & humidioris inditia, 233
Cerebrum calidum cur à calidis grauetur, 235
Cerebri frigidioris, & ſiccioris inditia, 239
Cerebri frigidioris, & humidioris inditia, 243
Cerebrum excrementis repletur ob quatuor cauſas, 245
Cerebri, & totius corporis conſenſus quis, 464
Cerebri, & ventriculi conſenſus, ibid. & 461
Cerebri patientis ſigna, 430
Ceruicis, & digitorum conſenſus qualis, 461
Ceruicis, & Vocis conſenſus quis ſit, ibid.
Chylus an magis in ventriculo, quam à vicinis partibus fiat, 397
Chylificatio læditur à tribus affectibus, 466
Chryſtallinus humor eſt pars viuens, 439
Ciborum corruptio in ventriculo ob tres cauſas fit, 444
Cibos humidos, & calidos conualeſcentibus, & ſenibus conuenire, 759
Cibus dupliciter calefacit per ſe, & per accidens, 314
Cicatricum deformitates quomodo tollendæ, 673
Ciliaris tunicæ ortus, atque vſus, 253
Climata quot ſint, 208
Clima quodnam ſit temperatius, ibidem.
Clyſteres putredini vtiles ratione uacui, 621
Clyſteres ad tenuia inteſtina non aſcendere ob valuulas quaſdam, ibi.
Clyſteres debere eſſe efficaces, & alternis diebus iuitandos, 623
Coctiones eſſe tres, & ſingulas habere duo excrementa, vnum tenue, & aliud craſſum, 542. 537
Coctionis primæ error, cur in ſecunda, & tertia ſæpè incorrigibilis, 542
Coctionem iuuari à quiete, à modicè calidis, à frictione, balneo, ſomno, atque aperientibus meatus, pag. 614
Coctionem tria habere: primò, victoriam

riam qualitatum actiuarum ſupra paſſiuas: ſecundo, ſeparationes mali humoris à bono: tertio, euacuationem, 616

Coctionem duplicem eſſe perfectam, ſcilicet quæ conuenit alimentis: 2. quæ conuenit excrementis, & puri, quæ vocatur maturatio, ibid.

Coctionem à natura fieri incraſſando, à medico attenuando, 617

Coctionis differentiæ quæ ſit optima, 618

Concoctio fit incraſſando, 327

Concoctio dupliciter, vel pro conuerſione in ſubſtantiam, vel pro diuerſione, 384

Cocta malè omnia ſunt aquoſa, & cur, 294

Cœlum agere in hæc inferiora motu, & lumine, non influxu, atque figura, 697

Cœli motus cur ſit æternus, 508

Coitus damnatur ab Epicuro, 557

Coitus quibus naturis conueniat; à quibus alimentis foueatur, quo tempore exercendus, & qua ætate, 556. vſque ad 560

coitus importunus quot mala pariat, 561

coitus conualeſcentibus, & ſenibus pernicioſiſſimus, 759

coitus moderatus bilem pallidam facit, immoderatus porraceam, & æruginoſam, 314

coitus abſtinentia reddit homines melancolicos, 318

coitus vſus frequens eſt ſignum calidæ, atq; humidæ temperaturæ teſtium, 323

coitus incitatur à rebus frigidis ex accidenti, ibid.

coitus nocet temperaturæ calidæ, & ſiccæ, 329

coitus abſtinentia ſex mala facit, 330

coitus immoderatus nimium calefacit, & aliquibus malignam febrem mouet, 220

colica ex flatu in carnoſo frigida perfuſione illico ſanari, 606

Colica ol. amig. vltra octo vncias tollitur, 684

coli veſicæ inciſio lethalis, 685

Colica oleo ſolo amigd. tollitur, 684

color optimus an ſit ſignum corporis ſaluberrimi, 124

color glaucus quomodo fiat, 250

coloris glauci gradus quatuor, 253

coloris nigri oculorum cauſæ quinque, 254

colores in tenebris quomodo videantur, 199

colorum differentiæ, & natura qualis, 198

color niger, & albus quomodo fiat, per experientiam declaratur, 197

Colores non prouenıunt à quatuor qualitatibus, 196

Colores quomodo fiant, 195

Coloris ſpecies quot, & quales ſint, 194

Colores indicantes internos humores ſunt decem, 310

Color liuidus in ægroto quid ſignificet, 364

Colores neutri per negationem extremorum qui, 51

Colores neutri per participationem extremorum qui ſint, ibid.

Cornea duplex, 244

Cornea triplex, 238

Conceptus primus medici quis, 45

Commenſuratio partium organicarum quodnam ſignum ſit, 124

Complicationes affectuum quomodo fiant, 588

Compoſitionis cuiuslibet tria obſeruari errata, 600

Compoſitionis malè ſanorum ſigna quænam ſint, 419

Compoſitio in arte medica non eſt doctrina compoſitiua, 33

Compoſitio prædicatur in primo modo dicendi per ſe de partibus organicis, 117

Conformatio an ſimilaribus partibus conueniat, 123

Conſtitutio optima quænam ſit, 142

Continui ſolutio duplex vel euidens, vel ratione contemplabilis, 450. 452

Conſeruatio ſimilium an fiat per ſimilia, 830

Conſeruatrices cauſæ, & præſeruatrices ſunt correctiuæ, licet inter ſe differant, 505

Conſeruatio fit per ſimilia, præſeruatio ſit per contraria, 496

Con-

Conſtitutio duplex, naturalis, & aduentitia, 116
Conſtitutio ab ortu naturæ an duret vſque ad mortem, 75
Conſuetudo non eſt natura, 80
Conſuetudo mala paulatim corrigenda ibidem conſequentia nulla à coniunctis ad diuiſa, 29
Conuulſio quomodo curetur per aquæ frigidæ vſum, 237
Conſuetudo non mutat naturam originalem, 76
Conſueta exercitia à conualeſcentibus paulatim, & per interualla reaſſumenda ſi profeciſſe cognouerint, 759
Conſeruationi ſimilia ſemper, contraria autem non ſemper conuenire, 573
Continui ſolutio partibus ſimilaribus competit, 590
Conuulſio ex pituita in carnoſo tollitur frigidæ perfuſione, 606
Conuulſionis quatuor ſunt cauſæ, ideſt repletio, inanitio, humor mordax, & frigus, 669
Concluſiones ſunt cauſæ cognitionis, 15
Contrarium in curatione debet eſſe tale ſecundum potentiam, & re ipſa ſiue per ſe, ſiue per accidens, non autem ſecundùm imaginationem, & apparentiam, 605
Contraria curantia debent eſſe talia per accidens, quando indicationes inuicem pugnant, 607
Conſenſum eſſe in toto corpore non ſolum per venas, 626
Conformationis morbus ſub ſe habet quinque ſpecies, ideſt meatum, cauitatem, ſuperficiem, orificia, & figuram, 679
Conualeſcentes paucos habent ſpiritus, habentq; ſolidas ſicciores vires imbecilliores, & totum corpus frigidius, 756
Conualeſcentium alimenta debent eſſe pauca pro vice, potus, & ſomnus moderatus, 758
Conualeſcentia neutra dicentur ob paucitatem probi ſanguinis, neutrum verò decidentiæ conſtituitur ſine bono ſanguine, 757
Conſeruatio, & curatio inter ſe differunt, quia conſeruatio paulatim ſit curatio confeſtim eſt facienda, 574
Contraria an in diuerſis generibus inueniantur, 79
Contraria omnia ſunt ſolùm in ſuo genere, 78
Conualeſcentia quid, 77
Conualeſcentia an ſint neutra nunc primi ſignificati, 92
Cor non eſt muſculus, & cur ab Hipp. tali ratione vocetur, 256
Cor tranſmittit facultates cæteris partibus, 257
Cor cuius ſit temperaturæ reſpectu, 262
Cor calidum, & humidum, 260
Cordis calidioris ſigna, 258
Cordis calidi in exceſſu ſigna quinque, 264
Cordis frigidioris ſigna ſeptem, 268
Cordis frigidioris pulſus eſſe minores, ibidem.
Cordis frigidi pulſus triplex differentia, ibid.
Cordis ſiccioris tria ſigna, 272
Cor non eſt principium generationis arteriarum, ibid.
Cordis humidioris ſigna tria, 273
Cordis calidioris, & ſiccioris ſigna triplicia, 274
Cordis calidioris, & humidioris ſigna, 277
Cordis frigidioris, & humidioris ſigna quinque, 279
Cordis frigidioris, & ſiccioris ſigna quinque, 283
Cor non eſt principium venarum, & arteriarum, nec ante hæc vaſa generatur, 343
Cordis patientis ſigna, 432
Cornea oculi tunica ad quid pungatur, 17
Corpora, quæ ægrotant, poſſunt eſſe ſua natura ſaluberrima, 41
Corpora neutra per participationem extremorum quibus remedijs ſanentur, 50
Corpora neutra per negationem extremorum quibus remedijs ſanentur, ibidem.
Corpora neutra an dentur, 51
Corpore ſalubri ſimpliciter præcognito, facilius corpora neutra, & inſalubria percipiuntur, 57
Corporis ſalubris ſimpliciter definitio quænam ſit, ibid.

Cor-

Corpus inſalubre ab ortu naturæ an fieri poſſit ſalubre, 59
Corporis ſalubris vt nunc definitio explicatur, 68
Corpus ſalubre ſimpliciter quomodo differat a corpore ſalubri vt nunc, 69
Corpus ſalubre vt nunc an diu poſſit in ſanitate conſiſtere, ibid.
Corpus ſalubre nunc an ſit a generatione tale, ibid.
Corpus ſalubre nunc eſt à generatione tale, 70
Corpus ſalubre ſimpliciter, diapandos quid ſit, 71
Corpus ſalubre ſimpliciter diapandos ſi vulneretur, an adhuc eſſe ſimpliciter ſemper, 72
Corpus ſalubre ſimpliciter ſemper an ſit in medio abſq. latitudine, 73
corpus ſalubre ſimpliciter vt multum quid ſit, ibid.
Corpus ſalubre ſimpliciter vt multum an diſtinguatur a ſalubre ſimpliciter ſemper, ibid.
Corporum ſalubrium differentiæ per ſenſum non cognoſcuntur, 64
Corpus inſalubre ſimpliciter quid ſit? 71
Corpus inſalubre diuiditur a Gal. in tres differentias, 76.80
corpora inſalubria an ſint in latitudine ſanitatis, 76
corpus inſalubre habet potentiam, & cur? 80
corpus inſalubre nunc quid ſit, 80
corpus quodnam ex omnibus ſit peioris conditionis, 82
corporis inſalubris nunc comparatio cum corpore inſalubri ſimpliciter. Quæſt. XXIV.
corpus inſalubre ſimpliciter ſemper quid ſit, 84
corpora cur ſint inſalubria ſimpliciter, 85
corpus inſalubre ſimpliciter punctuale an detur, ibid.
corpus inſalubre vt multum quid ſit? 87
corpora attingentia mediocritatem quænam ſint, 86
corpus inſalubre ſimpliciter an diuidi poſſit in ſemper, & vt multum, ibid.
Corpus inſalubre ſimpliciter ſemper an ſit aptum in qualibet conſtitutione anni ægrotare, 87
corporum neutrorum diuiſiones, & definitiones, ibid.
corpus neutrum primi ſignificati an ſit punctuale, 88
corpus neutrum primi ſignificati, ibid. & 89
corpus neutrum ſimpliciter tale definitur per potentiam, & aptitudinem, ibid.
corpus neutrum quomodo ſic exquiſitè medium quomodo ſub ſe habeat tot ſpecies. 90
corpus ſaluberrimum, & inſaluberrimum, quid ſignificet in definitione corporis neutri primi ſignificati, ibidem.
corpus neutrum ſecundi ſignificati quid? 92
corporis neutrius æqualitas, vel inæqualitas à quo proueniant, 94
corpus ſit neutrum ſecundi ſignificati vnica æquè ignobili parte læſa, ibidem.
corpus neutrum tertij ſignificati quid ſit? 100
Ibidem quæritur quid intelligat Gal. per aliquando eſſe inſalubre, & aliquando ſalubre.
corporum cognitio vtilis pro conſeruatione ſanitatis, & etiam pro ea acquirenda, 102
corpora inſalubria, & ſi habeant aſſuetudines malas non ſtatim eſſe amouendas, ibid.
corpora inſalubria an ſint in latitudine ſanitatis, 77
corpus ſaluberrimum an dignoſcatur per tactum, 123
corpus ſaluberrimum, cur alteretur, 500
corpus optimè conſtitutum nec magis, nec minus quàm oportet, dormit, 502
corpora lapſa eſſe duplicia, vel vna qualitate ſimplici ſecundum totum corpus vel pluribus ſecundum plures partes, vt ventriculus ſit frigidus, & caput calidum, 575
corpus habens intemperies inæquales in pluribus partibus eſt maximè obnoxium morbis, 576

cor-

Corpora recedunt ab optima compoſitione, vel per figuram, magnitudinem, numerum, uel ſitum, ibid.
corpora neutra medicamentis aliquando ſunt tractanda, ſalubria verò nunquam, 752
corporis habitus ſtat in muſculis ex Galeno, 347
corporis frigidioris habitus quibus ſignis noſcatur, 358
corporis calidioris habitus quibus ſignis noſcatur, 353
c[illegible]oris pars aliqua dupliciter frigeſce- [illegible]teſt, 369
[illegible]ſalubre ſemper à corpore ſalubre vt [illegible]tum parum differt, 132
[illegible]as ſalubre ſemper quomodo differat à corpore ſalubre vt multum, ibid.
corpora ſimpliciter ſalubria quænam ſint, ibid.
corpus ſaluberrimum an magis reſiſtat cauſis morbificis, quàm corpora intemperata contraria, 133. 134
corporis temperatioris operationes, an ſint perfectiores, 135
corporum ſalubrium in latitudine ſanitatis ordo qualis, ibid.
corpora neutra conualeſcentia, & decidentia, an ſint in latitudine ſanitatis, 136
corpora neutra quomodo medient inter ægritudinem, & optimam conſtitutionem, 140
corporum ægrotantium ſigna quænam ſint, 424
corpora quæ ſimilibus, & quæ contrarijs ſunt tractanda, 236
cryſtallinus humor eſt neutrum per negationem extremorum, 50
cryſtallinus quomodo ſit pars animata, ibidem.
correctiones lapſorum non ſemper contrarijs, ſed aliquando ſimilibus exequi, 573
correctiones per contraria conuenire ſolùm, quando negotijs vacant patientes, ibid.
correctiones omnibus ſanis, ægris, & pueris conuenire, dummodo periculum non ferant, ibid.
criſpitudo pilorum à quo veniat, 202
criſpitudinum cauſæ, quomodo inter ſe diſtinguantur, ibid.
Cucurbitulæ in principijs morborum in corpore non repleto iuuant, 740
cutis affectiones non tolluntur, niſi prius auferatur intemperies cordis, vel hepatis, 347

D

DEfinitio eſt principium cognitionis ex Platone, 5
Definitio eſſentialis, in quo differat à definitione tradita à Galeno, 25
Definitio duplex, ibid.
Definitio reſolui definitum in ſuas partes, 26
Definitio non eſt ordo, ibid.
Definitio medicinæ tradita ab Hippocrate, 38
Definitio medicinæ in arte parua eſt Herophili, ibid.
Definitio medicinæ quomodo dicatur ſubſtantialis, 34
Definitiones ex Ariſtot. ſunt trium generum, 33
In definitione poſita non omnia ſunt de eſſentia in primo modo dicendi per ſe, 118
Definitiones ad cognitionem cauſarum vtiles, 504
Dementiæ ſpecies tres, 430
Demonſtratiuus proceſſus non pertinet ad ordinem, ſed ad methodum, 122
Demonſtratio propter quid rarò inuenitur, 19
Dentes cur in pueris ſolummodo regenerari poſſint, 584
Dentes in oſſium numero habendos eſſe cum Gal. ibid.
Diaphragmatis, & muſculorum intercoſtalium conſenſus, 461
Diapandos quid ſignificet, 48. 49
Diaphanum quid ſit, 196
Differentia quævis decem prædicamentorum poteſt dici qualitas, 55
Digitorum, manus, & ceruicis conſenſus, 461
Diſcutientia in partibus profundioribus magis acria eſſe debere, 724
Diſcutientia in partibus ſuperficialibus debere eſſe moderatè calida, humiditatis non expertia, 722
Diſpoſitionem lædentem operationes vocari

ri cauſam efficientem non morbi, ſed actionis læſæ,600
Diſpoſitionis quæ ſint vires ad patiendos morbos, 747
Diuerſorum generum non ſubalternatione poſitorum diuerſæ ſunt ſpecies, & differentiæ,668
Diſpoſitione praua abſente, nullum generari morbum, ephimera excepto, vel alio ſymptomate trium dierum, 527
Diuiſio non reducitur tantùm ad reſolutiuam doctrinam, 26
Diuiſio eſt omnium doctrinarum ancilla, 28
Diuiſio ex ſe nihil docet,ibid.
Ex diuiſione conſequentia eſt praua, 29
Doctrina definitiua cur tradita ſit à Galeno, 3
Doctrinæ diuiſio falſa, 11
Doctrinæ nomen quid ſignificet. Opiniones multorum reijciuntur, ibid.
Doctrina reſolutiua non refertur ad demonſtrationem propter quid, 12
Doctrina compoſitiua non refertur ad demonſtrationem quia, ibid.
Doctrinæ nomen ex Authore quid ſignificet,ibid.
Doctrinæ definitio vſus eſt memoriæ gratia,13
Doctrina conuenit inductioni, enthimemati,& exemplis,ibid.
In Doctrinis duplex ordo,ibid.
Doctrina reſolutiua non reſoluitur in theoremata vt putabat paternus,14
Doctrina reſolutiua exorditur à fine, ibidem.
Doctrina reſolutiua dignior eſt,16
Doctrina qualibet plures in ſe continet demonſtrationes, 20
Doctrina reſolutiua, atque compoſitiua non dant quia, vel propter quid, ibid.
Doctrina reſolutiua in quo modo differat à compoſitiua, 21
Doctrina definitiua quibus nominibus appelletur,23
Doctrina,& ordo in quo differant,25
Doctrina definitiua quando inhæret ordini, 26
Doctrina reſolutiua non datur abſq; compoſitiua,30
Doctrina definitiua in quibus ſuperetur à reſolutiua,32
Doctrina compoſitiua diſtinguitur à compoſitione,34. 37
Dolor in vlceribus habet rationem vrgentis,ideo primò remouendus, 675
Dolor an ſit ſymptoma in actione læſa, 139
Dolor pro genere habet motum deprauatum, ibid.
Dolor eſt actio deprauata,ibid.
Dolor non attrahit, ſed diſponit ad ſuſcipiendum, 208
Dolores in carne non ſunt pungitiui, ſed alteratiui,427
Dolor an ſit operatio læſa, 428
Dolor dupliciter conſideratur vel vt actio, vel vt paſſio, 430
Dolorum varietates indicant varias partes eſſe læſas, 432
Dolor fit vel à ſolutione continui, vel à ſubita alteratione, 449
Dolor à ſola humiditate non fit, ibidem.
Dolor à ſiccitate ſola vix fit, 450
Dolor eſt in fieri, & non in facto eſſe, 451
Dolor an ab aliquo ſenſu ſentiatur, ibid.
Durities non ſolùm eſt in partibus ſimilaribus, ſed etiam in diſſimilaribus, 365
Durities cauſæ tres ſunt, ex Galeno, 296
Durities læſis partibus tutior redditur dolor, 726
Dyſepuloti vlceris ſigna quæ ſint indicationes, & curatio, 676

E

EQualitas intemperiei tripliciter conſideratur, 65
Elementa media ſunt neutra per negationem extremorum, pag. 50
Empiricus primus quis fuerit, 31
Empiricus vtitur doctrina compoſitiua ſeparata à reſolutiua, & cur,36
Epitopoly quid ſignificet,49
Empyema, tuto expurgari per terebrationem ſecunda,vel tertia coſtæ poſt applicatum cauſticum, 700

Em-

Empyematicos expurgandos eſſe apertione thoracis,& quomodo, 688
Æquiuocatio in definitione medicinæ, 10
Eructationis cauſæ quænam ſint, 443
Errata circa vniuerſale quæ ſint, 29. & 107
Eſſentiale vni eſt alteri accidentale, 14
Euacuationes quæ ſint particulares, quæ communes, 751
Euacuationes in vigore, & declinatione morbi vt plurimum ſunt ſigna ſalubria, 111
Euacuationes quando ſunt ſigna mala, ibidem.
Euacuantia lenientia vt neceſſaria, 695
Euacuationes particulares fieri ex meſeraicis per aluum, ex hepatis giba per vrinam, ex ambitu corporis per ſudorem, ex capite per palatum, & nares; ex pectore per tuſſim, 751
Euacuationes reſpiciunt partem affectam, reuulſiones partem diſtantem, deriuationes vicinam, 753
Euacuationes ex Hip. ſupponunt quid quale vbi quando præſciendum, 531
Euacuatio eſt præſeruatoria putredinis, 486
Euacuatio per ſe exſiccat, per accidens humectat, 570
Euacuatio per partem affectam in plenitudine mala, 712
Excrementa probæ coctionis nec dura, nec liquida, nec valde fœtida, & hora conſueta excreta, 544
Excreta quomodo indicent internas corporis affectiones, 459
Excrementorum ſeparationem iure dici coctionem, tum ob victoriam putridæ qualitatis, tum ob aliquam aſſimilationem, 616
Exercitium quomodo cerebrum calefaciat, 220
Exercitium moderatum facit tria beneficia, 522
Exercitij ſalutaris terminus duplex, ideſt ſenſus laſſitudinis, & floridus color, 538
Exercitij tria commoda, primum reddit muſculos robuſtos, ſecundum auget calorem, tertium excitat tranſpirationem, ſecundum Auicennam exercitium ſoluit ventrem, mouet vrinam, & ſudorem prouocat, 539
Exercitij tempus neq; ſtatim ante cibum, neq; poſt eligendum, ſed poſt primam, & ſecundam coctionem, quæ octo horis celebratur, 540
Exercitium non omnibus æqualiter conuenit: otium verò continuum omnibus nocere, 541
Exercitium quot modis vſurpari poſſit à conualeſcentibus, & quouſq;, 759
Exercentes multum, multo indigere ſomno, otioſi pauco contenti ſunt, 523
Exſiccantia vulneratas partes ſalubres conſeruare, 656
Extenuantia valida ſunt diuretica; 694

F

FAcultatem naturalem ſingulis corporis partibus eſſe connatam: vitalem verò, & animalem à corde, & à cerebro fluere, 655. 149
Facultas naturalis non demandatur à iecore ad cæteras partes, 149
Facultas influens an ſit temperamentum, 156
Facultas ac influat per ſpiritus, vel per radios, 157
Facultates principes cerebri an proueniant à ſimilari, vel à diſſimilari, 168
Facultates naturales vtuntur diuerſis qualitatibus pro inſtrumentis, 187
Fæces nec molles, nec duras in benè ſanis eſſe, in criſi verò liquidas, 553
Fæcum optimarum conditionum quæ ſint, ibid.
Febris iuuat vbi eſt pituita, & frigida intemperies, 223
Febris non mutat originale temperamentum, 75
Febris dum oritur in apoſtemate, eſt ſymptoma, 84
Febrilis calor non efficit frequentiam pulſus, ſed putredo humorum, 105
Febrilis calor indiget maiori refrigeratione, quàm calor innatus, 279
Febricitantibus non conuenit frequens ouorum vſus, 385
Felicitas eſt finis philoſophiæ, 14
Fibula eſt, quæ vnit partem cum acia cum

eum ſemicirculo, vulgò dicitur Aſola, 653
Fibræ ſunt partes ſimpliciſſimæ, 85
Fibræ ſolæ ſunt verè partes ſimilares, 61
Finis in agendis eſt, vt ſuppoſitio apud mathematicos, 16
Finis æquiuocè prædicatur, de compoſitiua, atque de reſolutiua doctrina, 20
Finis medicinæ duplex, 46
Fine ſuppoſito, de remedijs habetur conſultatio, 46
Flatus quomodo generentur, 443
Flatus non ſunt diſcutiendi, antequam humores craſſi non ſint euacuati, ibidem.
Fœminæ aliquando in mares fuerunt conuerſæ, 449
Fœminæ habentes temperaturam in genitalibus frigidam, numquam, vel rarò concipiunt, & cur, 418
Fœminæ, an ſolo membrorum genitalium ſitu differant ab hominibus, 331
Fœmina, an mare ſit calidior, 332
Formatrix virtus non eſt à ſemine ſeparata, 367
Formatrix virtus in ſemine quænam ſit, 341
Formatrix virtus non eſt aliqua intelligentia ſeparata, ſed eſt in agentibus particularibus, 301
Formatio an conueniat etiam partibus ſimilaribus, 123
Foueæ cur relinquantur in cicatricibus, 652
Fracturarum curatio qomodo inſtituenda ſit, 663
Fracturæ calus incipit fieri circa ſeptimam diem, ibid.
Fracturæ ferulæ ſecundum antiquos ante ſeptimam non conueniunt metu inflammationis: ſecundum modernos verò etiam in principio ſi à patientibus tollerentur, 664
Fracturarum oſſa pungentia, an ſint extrahenda, quomodo, & quando, ibidem.
Fractura oſſium, an dari poſſit ſimplex, hoc eſt citra vicinarum partium læſionem, 665
Frictiones conualeſcentibus ſi non exerceantur, conuenire, 759
Frigiditas ob conſtrictionem ventriculi excitat famem, 389
Frigiditatis cauſæ ex Galeno ſunt ſex, 316
Frigida per ſe diſtinguantur à frigidis per accidens, & cur, ibid.
Frigiditas an ſit qualitas poſitiua, 97
Frigidæ intemperiei ſigna indicationes, & remedia, 676
Frigus cur in vlceribus mordax, perindè ac calor, 723

G

Galenus in enumeratione ſex rerum non naturalium non fuiſſe diminutum, dum prætermittit animi affectus, quia ſub motu continentur, 534
Galenum non vidiſſe, niſi duo humana cadauera, eaque imperfecta, 588. 644
Galeni opinio de expurgatione thoracis per ſiniſtrum cordis ventriculum non improbanda, 691
Galeni librorum ordo quinam ſit, 762
Genera vt genera, an habeant proprias paſſiones, 579
Genus in definitione medicinæ quale ſit, 58
Genus ſuis ſpeciebus eſſentiale, 14
Glandularum excrementa difficilè ſuperantur: quia ſemper noua excrementa à glandulis ſuſcipiuntur, 725
Glandulas ſtrumis affectas ſuperari, ferro ignito approximato, ibid.
Glutina quomodo comparentur, 654
Gracilitas pendet vel à muſculorum, vel oſſium ſiccitate, 371

H

Habitatio habens bonam temperaturam quænam ſit apud Gal. 205
Habitatio temperata requiritur, vt ſigna deſumpta à cuti verificentur, 349
Harmonia quæ in organicis obſeruatur, 63
Hepar quomodo obſiſtat caliditati cordis, 265

Hepatis calidioris ſigna quæ, 288
Hepar principium radicationis venarum, 288. 308
Hepatis frigidioris ſigna quinque, 291
Hepatis ſiccioris ſigna quatuor, 296
Hepatis humidioris ſigna quatuor, 297
Hepatis calidioris ſigna ſex, ibid.
Hepatis ſitus qualis, 300
Hepatis calidioris, & humidioris ſigna quinque, 303
Hepatis caliditas cur reddat ventriculum frigidum, 307
Hepar paruum in aliquibus inueniri, 422
Hepatis patientis ſigna, 435
Hepar coſtis, membrana vinculo alligatur, 438
Hepatis concaui, & inteſtini ieiunij conſenſus quis, 463
Hepatis gibæ, & diaphragmatis, & pulmonis conſenſus quis, ibid.
Hepatis obſtructionem ex venarum anguſtia victu attenuante, & detergente tollitur, 589. 727
Hepatis apoſtema euacuari per foramen ex Gal. & quo modo, alioquin eſt lethale, 700
Hepatis caua per inteſtina, gibba verò per renes euacuatur, 726
Hepatis caua ſi malè eſt affecta, ex tenuium deiectione, gibba verò per vrinam, 727
Hepar eſſe principium venarum, non generationis, ſed diſtributionis, 731
Hepar laxantibus ſolis non tractandum, 730
Herophylus quid fecerit, 29
Hernia inteſtinalis vel à ruptura, vel à laxitate fit, 740
Hippocratis ſententia ſupra renes affectus euacuatur per venas ſuperiores, infra per inferiores: ſed in plenitudine non obſeruatur præceptum, 624
Hipopium quomodo ſanetur, 17
Hiſtoria iuuenis laborantis maligna febre, 74
Hiſtoria puellæ, deglutientis acum, 627
Homo pituitoſus, qui quotidie bilem euomebat, 437
Homo per accidens magis ægrotat, quàm iumenta, 134
Hominis cum arte parua ſimilitudo, 2
Homo quæ efficit cum intellectu ſunt accidentia, 6
Humiditas putredinis mater, 612
Humidæ intemperiei ſigna, indicationes, cura, 676
Humida vlceribus ſemper mala, 679
Humorum genera quatuor, 309
Humores omnes habent proprium ichorem, ibid.
Humorum ſpecies quibus ſignis cognoſcantur, ibid.
Humores confluxi, an ſint terminaturi per abſceſſum, vel per digerentia, Doctrina mirabilis, 710
Humores non ſunt cauſæ propriæ periodi, 311
Humores peccantes per ſyndromen cognoſcuntur, & quæ ſit, 308
Humor vitioſus quomodo generetur in capite, 192
Humores lenti, & craſſi à qua cauſa fiant, 744
Humorum frigidorum, & pituitoſorum ſigna, à quibus fontibus deſumantur, 23
Humores à qua cauſa ad putredinem diſponantur, 744
Humiditates ſecundæ quænam ſint in humano corpore, 376
Humores proportione reſpondentes cerebri temperaturæ qui ſint, 209
Hydropicis rhabarbarum venenum, 49
Hypallage figura quæ, 35
Hydropicorum partes ſolidæ ſunt ſiccæ, 67
Hydropicorum aqua quomodo per paracenteſim euacuatur, 700
Hypocondria habent magnum conſenſum cum corde, 276
Hypocondria cur hiſpida in calido, & ſicco, 298

IA-

I

IAſpis in ſanguinis fluxu remedium neutrum per negationem extremorum, 51

Ichor in vlcerib. eſt excrem. tenue tertiæ coctionis ſordes craſſum, 671

Iecur ſuppuratum ex Hipp. expurgatur ſectione, 688

Iecur corroborantia quæ ſint, 732

Iecur: vide Hepar.

Ignis elementum cur ouatæ figuræ, 521

Impulſio fit à vi medicamentorum, 711

Imaginatio non eſt cauſa ſimilitudinis filiorum, 344

Incidentium eſt attenuare, & in craſſa materia conueniunt, non in meatibus aperiendis, 683

Inciſio per fibrarum longitudinem ſemper facienda, 657

Incraſſantia non conueniunt pulmoni, vel pectori, ſed ſolū materiei quæ in larynge continetur, & expuitionem adiuuat, 694

Indicationes nunquam ex indiuiduis, ſed ex ſpecificis naturis ſemper deſumi, 603

Indicationes à quatuor deſumunt: primò ab vrgentibus: ſecundò à cauſis: tertiò ab impedimentis: vltimò à morbis, 609

Indicans eſt illud, quod curatur, 741

Indic. in morbis non dari plura tribus videlicet vrgens, cauſa principalis, & cauſa ſine qua non, 637. & 659

Indicatio vitalis primò inſpicienda, 637

Indicationes à partibus difficilior, & niſi eſſent, ſex diebus medicina addiſci poſſet ex Gal. 702

Indicatio à parte affecta conſeruantia indicat, & quomodo intelligatur, 703

Indicationes deſumuntur tantùm à præſentibus, 114

Indicans ſi per vnum inſtans præcederet, morbum nihil indicaret, ibid.

Indiuidua nec indicantia, nec indicata eſſe poſſe, 603

Indicantia prius cognoſcenda, quàm indicata, 567

Ingenium, & ſolertia idem, 178

Ingenium quid ſit, ibid.

Inhærentia neceſſariò duo ſunt gradus, 116

Inhærentia ſubſtantialiter, ſenſu immediate elucеſcunt, 120

Innatum calorem ab alimentis re pati colligitur præcipuè: quia in debilioribus ſubſtantifica cibaria ſuperari nequeunt, 526

Inſalubre datur, quod eſt adhuc in latitudine ſanitatis, 42

Inſalubre de quo prædicetur ex Galeno, ibid.

Inſalubria ſunt valdè apta ad ſuſcipiendam ægritudinem, ibid.

Inſalubre eſt, quod habet aptitudinem, atq; potentiam ad ægritudinem, ibidem.

Inſalubre quod ex Ar. 43

Inſalubre nunc indicat potentiam de nouo introductam, 81. 83

Inſalubre nunc duas habet potentias, 81

Inſalubre nunc non participat naturam inſalubritatis ſimpliciter, ibid.

Inſalubre nunc dupliciter conſiderari, 82

Inſalubre nunc non formaliter eſt actualis ægritudo, 83

Inſalubritas omnis habet latitudinem, 86

Inſalubre nunc à quo diſtinguatur ab inſalubre ſimpliciter, 130

Inſalubre nunc à quo diſtinguatur ab inſalubre ſimpliciter per ſenſibilem læſionem, 131

Inſalubris nomen æquiuocè dicitur, quia ſignificare poteſt & actu ſanum, ſed malè ſanum, & actu ægrum, 574

Inſecta mortua aliqua per coalimentationem eadem numero reuiuiſcunt, 509

Inſtrumentales partes de nouo generari poſſunt, 650

Inſtrumenti vitrei vſus ad dignoſcenda temperamenta qualis, 358

Intentio Gal. in hoc libro quæ ſit, 2

Intentio ſecunda in actionibus verſatur, 45

Intellectus tarditas ſolertiæ oppoſita, 178

Intemperies valdè frigidæ cur liuorem inducat, 358

Intemperiei calidæ ſigna, indicationes, & curatio, 676

Intemperatæ partes proprijs auxilijs reme

medio contrario curantur, 575
Intemperaturæ quot ſint, 76
Intemperaturarum latitudo, an ſit determinata, 86
Ira differt ab iracundia, 264
Iracundiæ duæ conditiones, 265
Iræ perſeuerantia pendet à ſiccitate, 273
Ira calefacit ob duas cauſas, 314
Iudaicus lapis nephriticis confert, 51

L

LAcrymę duplici de cauſa fiunt, 246
Læſiones ſenſibiles, quibus corpora ſana ab ęgris, & ſana inter ſe diſtinguntur quę ſint, 138
Lapidem in veſica eſſe morbum in numero, ratione tamen diuerſorum poteſt eſſe cauſa, ſymptoma, & vrgens, 587
Lapis in veſica quomodo minus poſſit, 583
Latitudines quot ſint, 144
Latitudo ſanitatis in habitu eſt norma cæterarum latitudinum, ibid.
Laryngis conſenſus cum ſterno, 462
Latitudo neutralitatis pertinet ad latitudinem ſanitatis in affectione, 144
Laurentij experimentum de ſpinali medulla, 173
Letargicorum remedium neutrum eſt lapis ophitis, 501
Leuitatem curari ſufficienter abſtergentibus, & paruis abſtringentibus, 495
Libidinoſi cur citius caneſcant, 204
Liber hic quomodo à Gal. vocetur, & vbi refert de ipſo, 1
Lienis tumores cur diureticis ſanentur, 320
Lienis cum ventriculo conſenſus quis, 463
Ligaturas eſſe trium generum, retentiuam, glutinatoriam, & expulſiuam, 653
Lithotomos incidere in extractione calculi fiſtulam vrinariam, & non collum veſicæ, 685
Liuidus color quid ſignificet, 364
Localia in corpore mediocriter pleno non eſſe damnanda, 715
Locus affectus habet partem ad indicandum non quatenus ſignum morbi, ſed vt eſſentiale morbi, 643
Luxationes tres eſſe, & quamlibet habere ſua ſigna, 680
Luxatio dupliciter conſideratur, 129
Luxatio curatur extenſione, oſſis repoſitione, & conſeruatione per quatuor dies immobiles cum aſtringentibus, vt cerotum barbarum, & oxycroceum, 680
Luxationis cauſæ ſunt duæ, impulſus, & tenſio violenta, 739
Luxati curantur per impulſionem membri in partem oppoſitam, & reddendo membrum firmum, ibid.
Luxatum membrum eſſe repoſitum ad ſuum locum, quæ ſint ſigna, 741

M

MAcrocephali arte facti gignunt alios ſimiles, 337
Magnitudo immediatè inſequitur formatricem, mediatè alteratricem, 289
Maſculorum generatio à quo fiat, 326
Mammillis non generantibus lac propter frigiditatem, conuenire exercitium partium ſuperiorum, 575
Materia prima quomodo eſt neutra per negationem, 50
Manuum longitudo vt indicat hepatis caliditatem, 194
Medicus vt rectè auxiliorum materijs vtatur; ſi præter virtutes, & potentias naturales, aſcititias noſcat, 569
Medicinę tractatus ad tres fontes reducitur, 511
Medicamenta attrahere, vel ratione caloris, vel ratione ſimilitudinis, 696
Medicamentum idem purgare diuerſos humores ob diuerſitatem ſubſtantię, qua eſt compoſitum, ibid.
Medicinæ definitio ab Hippocr. tradita, quæ? 38
ab Auicenna, ibid.
ab Auerroe, ibid.
à Galeno, ibid.
Definitio Herophyli non declarat naturam medicinæ & cur, ibid.
Medicina eſt ars, & non ſcientia, 39
Medicus de fine non conſultat, ſed ſupponit illum, 44
Medici primus conceptus quis, 45
Medicinæ finis duplex, 46
Medicina eſt ſcientia ſalubrium, non

c cm-

omnium, ſed qualium quid intelligat, 54
Medicus tractat de differentijs omnium prædicamentorum,& de alijs,55
Medicus non curat particularia vt talia ſunt, ibid.
Medicamenta acria damnantur in ſiccis, 290
Medicamentum vni ſaluberrimum, alteri venenum, 48
Medicinæ definitio tradita in hoc libro non eſt Gal. ſed Herophyli,38.
Medicinæ definitio cur dicatur ſubſtantialis,35
Medicorum ſectæ quæ fuerunt, 30
Medicus vtens ſeruat ordinem compoſitiuum,21
Medicus docens ſeruat ordinem reſolutiuum, 18
Medicina dupliciter conſideratur, ibid.
Medicinæ deffinitio compoſita ex vocibus æquiuocis, 15
Medicus rationalis in quo diſtinguitur ab empirico, 104
Medicinæ diuiſio in quinque partes, 9
Medicina eſt ſcientia communiter, ibid.
Medicinæ ſcopus eſt ſanitas, 8
Medicus omnes conſiderationes ad ſanitatem dirigit, ibid.
Medicinæ finis non eſt ſanitas, ſed ſanitatis comparatio, ibid.
Medicus Nautæ comparatur, 7
Memoria in quo differat à reminiſcentia, 181
Memoria ab humiditate, & frigiditate diminuitur, per accidens, & quomodo, 182
Melancholicus humor qua via à liene ad ſtomachum feratur, 388
Melancholia triplex,318
Melancholiæ copia quibus ſignis noſcatur, ibid.
Melancholia eſt acida,309
Membrum maius reddi minus quiete, & ligatura, 582
Membrum exercitio partis, & frictione moderata minus reddi,582
Menſium ſuppreſſio tollitur, primo ſecto cubito, deinde ſaphena, ſi corpus ſit plethoricum, 724
Methodici in generaliſſimis ſolùm perſiſtebant,602
Methodus obſeruata ab Ariſtotele in libris phyſicis quænam ſit, 15
Methodus ex vniuerſalibus cum illatione, 13
Methodicæ ſectæ auctores qui, ibid.
Methodus breuiſſima ſignorum de intemperaturis, 400
Morbi in fieri ſunt qui augentur,596
Morbi eſſentia eſt, vt ſit in facto eſſe, 597
Montani recta animaduerſio, 13
Morbi natura explicatur per ideam magnitudinem, motum, & morem,600
Morbus cum magnis ſymptomatibus poteſt eſſe benignus, & è contra,595
Morbi hæreditarij euelli non poſſunt,58
Morbi ex ablatione cauſæ aliqui ceſſant ſtatim, alij non, 593
Morbi facti aliqui habent adhuc cauſam, aliqui non vt Hectica, & Ephemera, 594
Morbi in intemperie quot ſint,84
Morbus non diuiditur in cauſas, ſed in differentias,68.76
Morbi in mala compoſitione quot ſint,79
Morbus non eſt niſi ſit aliqua operatio læſa, 93
Morborum genera quot ſint, 128
Morborum ſpecies an tot ſint, quot ſanitatis, 349
Morbus in ſitu, an conueniat partibus organicis,129
Morborum genus quartum an detur, ibid.
Morborum breuitas quibus indicijs cognoſcitur, 315
Morbus in fieri eſt triplicis generis, 597
Morbi per conſenſum quomodo ſint in facto eſſe, cùm auferantur ad ablationem cauſæ, 598
Morbi, licèt in indiuiduis reperiantur, non ſunt tamen indiuidui, ſed ſpecifici ſemper, 603
Morbi particulares non dantur, quia prædicantur de infinitis indiuiduis, ibid.
Morbo vt immoderato ſanitas eſt oppoſita priuatiuè, ibid.
Morbi duplicem habent magnitudinem, vnam ratione eſſentiæ, aliam ratione propriè eſſentiæ, 604
Morbi omnes curantur per ſua contraria per ſe, vel per accidens,605
Morbus, & labor impediunt coctionē, 514
Morbus dicitur magnus tribus modis vel ob afflictæ partis præſtantiam vel ob affectus magnitudinem vel cacoethiā,653

Mor-

Morbus magnus non eſt verum indicans venæ ſectionis. 633
Morbus omnis a cauſa pendens, cur à cau. ſa auſpicanda, niſi adſit vrgens, 635
Morbi genus eſt qualitas, & non relatio, niſi ſecundum dici, 681
Morborum tempora nihil indicant quia ſunt accidentia, 720
Morbus in magnitudine, & numero conueniunt, & differunt inter ſe, 738
Motus quomodo cerebrum calefaciat, 22
Motus particulares an dicantur materiæ motus vel differentiæ, 671
Motum paruum poſt cibum conuenire poſſe, 541
Motus voluntarij organum adæquatum, eſſe neruum non muſculum, 686
Muſculorum intercoſtalium, & diaphragmatis conſenſus quis, 461
Muſculorum temperatura quęnam ſit, 350
Mutationes repentinæ improbandæ niſi fiat vt maius euitetur periculum, 573
Mutationes per contraria paulatim obſeruari, & per interualla, ſiue ſenſim augendo vt natura aſſueſcat, & euitet ſubitaneam violentiam, 574

N

Aturam ſe enouari frequentius tranſpoſitione, quàm euacuatione excrementorum, 645
Natura eſt morborum medicatrix, 47
Natura ſanitatem efficit, modò ſenſibiliter modo inſenſibiliter, ibidem.
Naturalis ſpiritus an detur, 190
Naturales actiones an ſolum per excrementa dignoſcantur, 189
Naturales operationes tres numero ſunt, 418
Naſi ſiue alterius partis regeneratio quomodo inſtituenda ſit, 652
Nephritico dolori remedium ex lapide Iudaico, 51
Nerui an ſint partes ſimilares, 60
Neruorum paria à cerebro emanantia quot ſint, ibid.
Nerui, qui oriuntur à cerebro fere omnes ſunt deſtinati ad motum, 171
Nerui ſenſitiui an ſint molliores motiuis 171. 158
Nerui à ſpinali medulla orti vt pluri. mum ſunt motiui, 172
Neruus actiuus an poſſit admittere ſenſum, & non motum, 173
Neruorum punctiones, cur ſint admodum periculoſæ, 667
Nerui puncturam curari aperiendo, & exſiccando ſine calore, & ſine frigore, 667
Neruorum affectus plures à quibus cauſis pendeant, & generentur, 669
Neruorum puncturę conferre oleum rutæ, coſtinum, de caſtoreo, de ſcorpionibus, vulpinum, lumbricatum, ſuccum Cyrenaicum, & ſulphur viuum cum oleo communi, 668
Neruorum ſubſtantia ſimilis eſt ſubſtantiæ cerebri, 245
Nerui intercoſtales conſentiunt cum cubito, 365
Neutrum quotuplex, 50
Neutrum corpus eſt, quod habet aptitudinem, & potentiam ad neutram diſpoſitionem, 42
Neutrorum diſtinctio quęnam ſit vtilis, 51
Neutrum quomodo ab Ariſt. cócedatur, 53
Neutra cur inuenta, ibid.
Neutra primi ſignificati ſunt verè, & exquiſite neutra: ſecundi verò, & tertij ſignificati ſunt media non exquiſitè neutra, 88
Neutra an diſtinguantur inter ſe per temporis differentias, 89
Neutrum ſalubre, & inſalubre ſunt relatiua ſecundum eſſe, & non ſecundum dici, 89
Neutrum ſecundi ſignificati, cur in communi non definiatur, 93
Neutræ ſimpliciter definitioni cur omittit Gal. particulam illam ſimplici, 93
Neutrum nunc ſecundi ſignificati in quo differat à neutro nunc primi ſignificati, 94
Neutra conualeſcentiæ, & decidentiæ an ſint neutra nunc ſecundi ſignificati, 95
Neutra primi ſignificati cur non ſint, ibidem.
Neutra ſecundi ſignificati, quid, 96
Neutra omnia habent ſanitatem ſecundum affectionem, & non ſecundum habitum, 97
Neutrum tertij ſignificati, an ſit ab ortu naturæ, 100
Neutrum ſimpliciter reſpectu neutrius vt mul-

multum, non ſemper eſt perfectius, 101
Neutrum nunc tertij ſignificati an detur, ibid.
Neutra exquiſita quanam ſint, 132
Neutrorum decidentia, & conualeſcentiæ ſigna, 474
Neutras cauſas dici neutras non reſpectu neutrius, ſed reſpectu ſanitatis, & ægritudinis, 755
Nicolaus Parauicinus in centeſimo ætatis ſuæ anno genuit filium, 232
Nihil ſine methodo doceri poteſt, 14
Nomina in definitione medicinę poſita ſunt æquiuoca, 40
Nominum certamina reprehendi a Galeno. 754

O

Obſtructionis cura à cauſa incipienda, 706
Obſtructiones ex lentis humorib. abſtergentib. tolluntur, 683
Occipitiū habet 7. foramina, 215
Occultæ qualitates ſunt in prædicamento qualitatis, & vndè fiant, 517
Occipitis cōſtitutio varia quid indicet, 169
Oculorum temperaturæ indicia, 246
Oculorum fluxus diuturnus ad fauces reuellendis acribus, 647
Oculorum magnitudo quid indicet, 347
Oculorum calores non fiunt à tunicis, 168
Oculi indicant conſtitutionem totius corporis, 249
Oculorum glaucedo, & nigredo vnde fiant 252
Oculorum paruitas quid indicet, 249
Oculorum humores tres, 252
Oculi colores quid indicent, 249
Oculorum humor aqueus tres habet vſus, ibid.
Oculi in prima generat. ſunt virides, 250
Oculorum tunicæ tres, & vſus, 252
Oculi nigri, & albi an indicent temperaturas, 250
Oculorū ſpiritus animales sūt lucidi, 254
Oculorum coloris generationis cauſa quænam, 248
Oculorum temperatura quænam ſit, 255
Oculi medij coloris acutius vident, 256
Ordo, & methodus in quo differant, 13
Ordo non inuenitur in prima operatione intellectus, ibid.
Ordo prædicatur intrinſecè, & eſſentialiter, 14
Ordo duplex ex Ariſt. 16
Ordine reſolutiuo quinam ſint vſi, ibid.
Ordo librorum Galeni, 17
Ordo artis docentis eſt contrarius ordini artis operantis, 21
Ordo reſolutiuus cur non poſſit inueniri in naturali philoſophia, 22
Ordo definitiuus quibus nominibus appelletur, 23
Ordo, & doctrina in quo differant, 25
Ordo quid ex Ariſt. ibid.
Ordo incipiens à medio non datur, 26
Ordo triplex ex Ariſt. 46. 57
Odores an calefaciant, & grauent cerebrum, 216
Odores non ſunt ſpecies intentionales, ſed exhalitur, 217
Odoratus inſtrumentum ſunt proceſſus mamillares, & non externus naſus, 217
Odorata aliquando dolorem capitis excitare, 220
Opinio Haly de nomine artis Paruæ, 1
Opinio Pluſquamcomm. ibid.
Opinio Montani, & eius confutatio, 2
Opinio Auctoris, & eius confirmatio, ibid.
Opinio Manardi, & Argenterij de ordine reijcitur, 4
Opinio Argent. de intent. Gal. erronea, 3
Opinio Pluſquamcomm. inſufficiens, ibid.
Opinio Curtij probatur, ibid.
Opinio alia reiecta, ibid.
Opinio Argenterij confutata, 4
Opinio Haly confutatur, ibid.
Opinio Pluſquamcom. de ordine, 5
Opinio Manardi, de ordine, ibid.
Opinio Curtij, ibid.
Opinio Montani, & Argenterij, ibid.
Opinio Montani de ſubiecto medicinæ, 7
Opinio Curtij, de ſubiecto, ibid.
Opinio D. Thomæ, ibid.
Opinio Conciliatoris, ibid.
Opinio Pluſquamcom. ibid.
Opinio Manardi, ibid.
Opinio Manardi de nomine doctrinæ, 12
Opinio Haly reijcitur, ibid.
Opinio Pluſquamcom. reijcitur, 13
Opinio Curtij reprobatur, 14
Opinio Zabarellæ de doctrina ordini inhærente reijcitur, ibid.
Opinio Paterni, ibid.
Opacitas fit à copia ſuperficierum, 178

Ophy-

is lapis eſt remedium neutrum le-
rgicis, 51
tiones noſtri capitis quot, 74
tiones fiunt à calore inſito, & non
uente, vt Ariſt. 94
tiones, quæ conſequuntur eſſentiam
prædicata ſecundi modi dicendi
ſe, 117
tiones corporis ſani non poſſunt ſe-
ari, manente ſanitate illeſa, ibid.
tiones ſecundi fontis conſiderantur
aleno quòad potentiam, ibid.
tiones an diſtinguantur à ſignis pri-
fontis, 118
tionis perfectio an ſit ſignum optimę
ſtitutionis, 123
tiones diminutæ conueniunt etiam
poribus ſanis, 138
tiones imbecillæ in paruis diſtantijs
conueniant ſolùm corporibus neutris
d.
tiones principes quot, 130
tiones principes an ſint in cerebro
diſtinctæ, 185
tiones principes an pendeant à con-
natione cerebri, 137
tiones naturales quomodo tres, 411
tiones noſtri corporis ſimpliciter lę
tur, 458
a conſtitutio quid ſit apud Gal. 141
onum mobilitas prouenit à calido, 181
ita eſſe quatuor contraria, & hęc ha-
t medium, contradictoria priuatiua,
relatiua, quæ carent medio, 603
icas partes abſolutè ſeparatas neq;
ri, neq; regenerari poſſe, 737
icas partes aliquando regenerari
e, ibid.
puerorum quatuor annorum malè fi-
ata, ob eorum mollitiem emendari
e, 579
er callum quodammodo, non perfectè
lutinari, 662
fracti coaptationem cognoſci tribus,
figura ſano reſpondeat, ſi nullam
eat cauitatem aut inęqualitatem; &
olor ſit mitigatus, 663
inus, quàm carnes ſunt putredini
oxia, 385
nel ad minus conuenire ad drac. iiij.
. die, 724
nel inter cibaria attenuantia collo-
t, 129

P

Paralogiſmus à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis quis, 28
Paralyſis tres ſpecies, 173
Partium conformationem cum ſitu indicare maiora remedia, ſi fuerint denſioris texturę, & in parte remotiori; minora verò ſi habuerint meatus patentes, & in propinquo, 64
Pars affecta indicat vt ſignum, 725
Partis mollities indicat leuiora remedia digerentia, 725
Partes corporis omnes ſimul inchoant, ex Hipp. 731
Parauicinus, 728
Partium diuiſio, ex Hipp. 68
Pars ſimilaris quæ, 54
Particulæ totius corporis dupliciter conſiderantur, 61
Partes ſimilares principiorum quænam ſint, pro explanatione definitionis, inſalubris ſimpliciter ſemper, 85
Partes principatum obtinentes quænam ſint, Ariſt. opinio, & eius confutatio, 84
Partium extremarum denigratio eſt ſignum lætale cum robore verò virium eſt ſignum ſalubre, 109
Partium denigratio, & liuor quid ſignificat, ibid.
Partis principalis conditiones tres, 146
Partis definitiones variæ ad bonum ſenſum redactæ, 147
Partium corporis diuiſione à Galeno tradita pro varia corporis conſideratione, 147
Partes corpus regentes non indicant viſcerum conditionem, ibid.
Partis principalis definitio vera quænam ſit, 148
Partes principes noſtri corporis an quatuor, an tres, vel vnica, 154
Pars imbecillis quæ ſit, 214
Partes internæ coniectura dignoſcuntur, 422
Partium internarum figurę cognitio medico neceſſaria, 420
Particeps contrariorum quid ſignificat, 93
Paſſiones propriæ ſine diſtincta cognitione præcipuè ſubiecti non cognoſcuntur, & cur, 104

Periodi qua de cauſa fiant, 310
Periodi non ſolum in febribus, ſed in morbis, & ſaniſſimis hominibus fiunt, 310
Pericule violaceæ ſunt neutra per participationem, 51
Phrenceſis non habet ſenſum ablatum, ſed corruptum, 174
Pili, & vngues non ſunt partes viuentes, 146
Pili ſiccæ temperaturæ cur prius caneſcant, 202
Pili criſpi qua de cauſa fiant, 202
Pili cur defluant in Tabe, 204
Pili in temperatura humida citius, & magis robuſti naſcuntur, 229
Pili à qua materia generentur, 152
Pilorum temperatura quænam ſit, 152
Pili indicant calorem, & materiam ex qua fiant, 195
Pinguedo fit à frigiditate membranæ ex Gal. 355
Pinguedo non eſt animata, 357
Pinguedo per accidens concoctionem iuuat 357
Pinguedo quomodo diferat ab adipe, & ſeuo, & quomodo generetur, 354
Pituitoſos morbos, vt iuuat venus, 561
Pituitæ abundantia quibus indicijs cognoſcitur, 314
Pituita aquoſa in quo differat à crudo ſucco, 314
Pituitæ ſalſæ à capite in pectus ceratum ex thapſia, quomodo iuuet, 624
Pituitæ ſpecies quatuor, 294
Pituita duplex vna ventriculi, altera iecoris, 294
Pituitoſi cur ſint ſtupidi, 179
Pleura conſentit cum iugulo, 464
Porcelli caro quomodo ſalubris, 760
Pocula copioſa cur ventriculo ſicco noceant, 379
Præſeruatio reſpicit morbos futuros, 746
Prædicatum in ſecundo modo definitur ſolùm per aptitudinem ſubiecti, 412
Prædicatum vniuerſalius eſt ſubiecto, 28
Praxis duplex, 46
Prandium cur parcius cœna, 542. & 546
Præſeruatiua medicina reſpicit præcipuè humores, 744
Præſeruatiuæ medicinæ officium quale, 744
Principia, paſſio, & ſubiectum inter ſe diſtincta, 8
Principia ſunt cauſæ cognitionis, 16
Principium dupliciter conſideratur, 19
Principium morbi triplex ex Galeno, 101
Principium materiale accidentium eſt trina dimenſio materiæ primæ, 750
Principia medicinæ ſunt ſenſata, & cur, 59
Procatarcticæ ſunt occaſiones, & non cauſæ, 134. 135
Problemata quomodo rectè proponuntur, 104
Prologomena conferunt ad cognitionem tractandorum, 1
Prologomena quo ordine tractanda, 1
Proprietates occultæ non ſunt à cœlo, vt Meſues, & Argenterius tenent, 697
Proportio huius libri quænam ſit cum alijs libris, ibid.
Proportio fit accidentalis, ſi temporis momento cauſa præcedat effectum, 114
Puerorum oſſa fracta quomodo coaleſcant, 662
Pulmonis ſigna pro omnibus temperaturis, 406. vſq. ad 410
Pulmo eſt calidus, & humidus, 412
Pulmo mouetur vacui conſecutione, ibid.
Pulmo exiguum ſenſum habet, 447
Pulmonem frigidum cur cantus vehemens iuuet, 199
Pulſus frequentia non fit à febrili calore, ſed à putredine, 105
Pulſatilis facultas influit radicitùs per tunicas, non per cauitatem, & probatur, 157
Pulſus naturalis magnus poteſt eſſe quoque tardus, 259
Pulmonem euacuari per tuſſim, & per attenuantia, 692
Pulſus celer, & frequens differunt, 260
Pulſus inæqualitas quæ ſit, 260
Pulſus cauſæ tres, 263
Pulſus arteriarum fit à virtute pulſatili à corde influxi, ibid.
Pulſus cordis frigidioris cur ſint minores, 268
Pulſus frigidi triplex differentia, ex

leno , ibidem .
s tardus,& rarus quis ſit ,ibid .
s cauſa tres,299
um differentiarum cauſæ quænam ,270
s conſideratur vel ratione vſus , vel ratione inſtrumenti,271
s durus in corporibus ſanis leui de ſa fit,272
s durus fit nonſolum à calore,ſed ab s cauſis,272
s poteſt eſſe ſimul durus , & magnus,
magnus , & maximus differunt ,
magnitudini tria peculiaria ,
mollis dupliciter conſideratur vel ndùm naturam,vel præter naturam
, & vrina non ſunt propriè inditia tium prædominantium humorum ,
velocitas,& frequentia, 260
ntia conferunt putredini ,ſed cum na præmeditatione , 621
vlcere apparens eſt ſecuritatis ſi-n , ex Gal. 675
actum ſecundùm totam ſubſtan-quid,609
ini quatuor aduerſantur , ex Gal.
o quomodo arceri poſſit,610
nis cauſa eſt calefactio non natu-, & prohibita perſpiratio, quæ fit à pecie bus anguſtiæ,ibid.
nis definitio ex Ariſtotele,613
nis finis citis,ibid.
unt in corpore humores vel ſecun-partem, vel ſimpliciter, ibid.
s febribus danda ſunt attenuan-& numquam incraſſantia , 617
ni euacuatio confert , tum quia lit augmentum , tum quia quod pu-tum eſt,euacuat,620
nis finis per vrinam, & per ſudo-xpellitur, 622
quid ſit,305
reſpicit calorem mixti , non au-nimati,ibid.

Q

Qualitates introduci de nouo , quia mutatur ſubiectum, 572
Qualitas triplex ex Ariſtotele 54.102
Qualitates occultæ ad medi-cum pertinent,57
Qualitatum exceſſus tollitur à contrarijs conſtitutionibus, 87
Qualitates primæ an omnes ſint actiuæ, vel duæ tantum, 97
Qualitas omnis quomodo actione vniuoca agant in aliam,99
Qualitates paſſiuæ difficilius auferuntur, quam actiuæ,& cur , 100
Qualitates ſecundæ an indicent conſtitu-tionem, 125
Qualitates ſecundæ quomodo ſint ſigna partium organicarum, 125
Qualitates ſecundæ dupliciter conſide-rantur , 125
Qualitates occultæ habent contrarium ex Galeno,160
Qualitates paſſiuæ con eruatur ſimili-bus,actiuæ vero contrarijs. 229
Quantitatem remedij exactam eſſe im-perceptibilem, coniectura tamen conſe-qui poſſe,637.638

R

Ratio ſumitur aliquando pro de-finitione, 45
Ratio prima eſt prima medici intentio apud Gal. ibid.
Raritas non eſt de ratione diaphani , 194
Raritas an proueniat primò à caliditate, an caliditas à raritate , 521
Reactio patientis duplex,303
Rectitudinem in reuulſione eſſe intelligen-dam non ſolùm ſecundùm longitudinem vniuerſalem , ſed etiam ſecundùm lati-tudinem,625.626
Rectum eſt ſui,& obliqui index, 108
Receſſum à naturali ſtatu magnum, ma-gnum periculum, pa. um minus mi nari , 642
Receſſum à naturali ſtatu quomodo digno-ſcere poſſumus , 734
Remediorum materias eſſe ſex res non-naturales,569

Remediorum alia eſſe auferentia ægritudinem, alia præſeruantia ab ægritudine imminenti, & aliam eſſe reſumptiuam conualeſcentiæ, 591
Remedia tot dari, quot intemperies, quæ cùm dicantur aliæ facta, aliæ fientes, & aliæ futuræ, tot debent eſſe remedia, 591
Remedia generica applicata ſpecificis ſupponunt petitionem principij, 603
Remedij quantitas, & qualitas à quibus deſumantur, 623
Remedium debet eſſe contrarium æquale morbo, ſi vires illud permittant, ſi minus minoris virtutis, ſed ſæpius repetitum, 642
Remedia frigida, humida, & ſicca pro remotis partibus quid obſeruandum, ibid.
Remedia non debent eſſe æqualia morbo ad vincendum, ſed ad moderandum, 642
Remedia indicantur à conſtitutione, 17
Remedia ſunt prima, & vltima, & quomodo, 18
Remediorum inuentio eſt finis proximus, 46
Remediorum tractatio vltimo loco eſt habenda, 56
Renes conſentiunt cum ventriculo, 465
Renes conſentiunt cum cerebello, & colo, ibid.
Renes conſentiunt cum diaphragmate, ibid.
Renes vt conſentiunt cum liene, 185
Renes conſentiunt cum ſtomacho, & coxis, 464
Renum calculi non ſemper à calido fiunt, 298
Repellentia duplicia, ideſt refrigerantia, & aſtringentia, 676
Repercutientia quando damnanda, 716
Repercutientia frigida, & aſtringentia ſunt, 718
Res non naturales nec ſalubres, nec inſalubres, 553
Res non naturales non ſunt cauſæ, ſed occaſiones, 107
Reſpiratio an ſit motus naturalis, vel voluntarius. 260. 286
Reſpirationis magnitudo cur indicet caliditatem cordis, 261
Reſpirationis vſus tres, 276
Res non naturales affectus faciunt non effectiuè, ſed ſubiectiuè, 569
Reſpiratio vt fiat, tria concurrunt, 433
Res non naturales etiam cum moderatione neque ſalubres, neque inſalubres dici poſſe ex ſe, niſi habita relatione, 530
Reſtauratione indigere ſenes, & conualeſcentes, quia paucum habent ſanguinem probum, & ſpiritus vitales, & animales 756
Reuulſio eſt auerſio ſecundùm rectitudinem per vaſa communia, per accidens vero eſt à diſtantiſſima, & verſus originem, 623
Reuulſio conuenit euacuationi ad proxima per ſe, ad remota vero per accidens, & cur, 624. 625
Reuulſionem magis fluentibus: deriuationem magis fluxis conuenire, 628
Reuulſionem fluxis, & fluxuris conuenire poſſe, ibid.
Reuulſionis quæ ſint conditiones, 753
Reuulſionem non ſolum fluentem, ſed etiam fluxurum humorem reſpicere, ibid.
Rhabarbarum hydropicis venenum, & cur 49
Rigores in febribus, & alijs morbis quando naturales, 111
Rigorem, & horrorem inuicem differre quia in hoc cum pauco frigore ſola cutis horreſcit, & in illo cum vehementiori, ſubiecta quoque caro riget, & concutitur, 536
Rigor ſemper ab expultrice naturali fit, ibid.
Robur virium vitale in ſanguinis miſſione ſufficere, 629

S

SAlubre eſt ab vno, 39
Salubre, inſalubre, & neutrum, ſunt æquiuoca, 40
Salubre, inſalubre, & neutrum in nouem diſtinguuntur ſignificata, 41
Salubre, inſalubre, ſi ſeuerè conſiderentur non ſunt æquiuoca, ibid.
Salubre non ſolùm dicitur de corpore, ſed de cauſa, & ſigno, ex Ariſt. ibid.
Salubre corpus eſt quod habet potentiam & aptitudinem ad ſanitatem, 42

Sa-

alubre quid, ex Ariſtot. 43
alubre ſi ſignificaret actum ſanitatis ſalubre nunc eſſet ſuperfluum, ibid.
alubre eſt in ſecunda ſpecie qualitatis, ibid.
alubre tam actu, quàm potentia tale, eſt aptitudo, & potentia, ibid.
alubre corpus cur non indigeat cuſtode, 47
alubre corpus quomodo diuidatur, ibid.
*alubre ſimpliciter tale quid,*48
*alubre Epitopoly anis,*49
*alubre nunc non eſt contrarium ſalubri à generatione,*70
alubre ſemper, & ſalubre multum differunt ſecundùm maiorem, & minorem perfectionem, 71
alubre ſimpliciter ſemper an poſſit eſſe ſalubre vt nunc ibid.
alubritas ſimpliciter ſemper, an ſit idem quod optima conſtitutio, 74
alubre, & inſalubre an ſint contraria, 78
alubre, & inſalubre an ſint ſub vno genere, 79
Salubre nunc, an ſit in eadem latitudine ſanitatis cum inſalubre, & neutro ſimpliciter, 116
*Saluberrimum, & ſalubre vt nunc in quo differant,*126.127
Salubria ab inſalubribus quomodo diſtinguantur, 130
Salubris definitio tradita in hoc libro, an ſit vera, 131
Saluberrimum an maximè omnium reſiſtat cauſis morbificis, 132
Salubre vt nunc cur in latitudine ſanitatis non ponatur à Gal. 136
*Salubre vt nunc confunditur cũ inſalubre ſimpliciter, & neutro ſimpliciter,*144
Salubre recedẽs à temperatiſſimo per gradum numquam à temperatiſſima cauſſa redditur temperatũ, ſed à cõtrario, 572
*Salubre ſimpliciter an includat actualem ſanitatem,*116
*Salubritas vtinam eſſet in prædicamento quantitatis,*58
*Salubre, & inſalubre non reducuntur ad ſanum, & ægrum, & cur,*7
Sanguis purus an detur, 295
Sanguis craſſus cur ſit in hepate ſicco, 296
Sanguis calidior poteſt eſſe in corde temperato, 292
Sanguis tenuis concurrit ad intelligentiam, & cur, 179
Sanguinis detractio quando ſalubris, & quando inſalubris, 52
*Sanguis purus eſt neutrum corpus per negationem extremorum,*50
*Sanguinis fluxus remedium neutrum per negationem extremorum,*51
*Sanguis paucus cur ſit in temperatura ſicca hepatis,*297
*Sanguis craſſior, & ſiccior in temperatura calida, & ſicca iecoris,*299
Sanguis quomodo in ſemen vertatur, 341
Sanguinis fluxus tribus modis fit, 213
Sanguinis euacuatio licèt optimus ſit, cur putredini obnoxius, 611
*Sanguinis miſſio eſt contraria putredini, & obſtructioni non per ſe; ſed per accidens,*620
Sanguinis miſſio euacuat quod putridum eſt, vt in pleuritide, in quo obſeruatur coloris mutatio, ibid.
Sanguis extrauenatus euacuandus, ac ſi eſſet pus, 691
Sanguis ſpumoſus ſecundùm omnes partes à pulmone dependet, 693
Sanguis extrauenatus in venas retrocedere non poteſt, 712
*Sanguinei fluxus poſt totius euacuationem & reuulſionem niſi cedant, repercutientibus vtendum, vel ſcarificandum, vel defenſiuis vtendum, vel digerentibus medicinis,*721
*Sanguis in hepate perficitur à parenchymate, non à venis,*730
Sanguis craſſus in quo differat à fęce ſanguinis, 346
Sanguinis abundantia quibus ſignis noſcitur, 320
Sanguis diſtinctus à tribus humorib. an detur, ibid.
*Sanguis plurimus cur in hepate calido, & humido,*304
Sanitati confert ex Hipp. non ſatiari cibis, & impigrum eſſe ad laborem cur dicat Hippocrates, 522
Sana corpora in actiuis parum recedentia à temperato tutius eſt conſeruare contrariis, alioquin imminet periculum febris, in paſſiuis verè tutius eſt conſeruare ſimilibus, 568
Sanitatem diſtingui ab ægritudine per ſẽ-

ſibilem læſionem operationum non per qualitates immanifeſtas, ſecùs inciderem us in dogma perpetuæ paſſionis, 590
Sanum actu quomodo eſſe poſſit, cùm delinquat in temperatura, formatione, magnitudine, numero, & ſitu, 93
Sanitas non eſt finis medicinæ, ſed ſcopus, 8.46
Sanitas eſt bona conſtitutio, 17
Sanitas non ab actione, ſed à potentia deſumitur, 42.44
Sanitas eſt in prima ſpecie qualitatis, 43
Sanitas eſt finis remotus medicinæ, 18
Sanitas ſenum ad quod ſalubre pertineat, 50
Sanitas duplex ex Galeno, 53
Sanitas in ſimilaribus, & organicis conſiſtit, 58
Sanitas imperfecta recedit ab optima ob tres cauſas, 70
Sanitas non neceſſariò iungitur cum corpore ſalubri, 72
Sanorum mala commenſurationes exempla quatuor à Galeno ponuntur, 76
Sarcotica ſicca in primo gradu agglutinantia frigida, & ſicca in ſecundo, vt ſpongia, & ceratum barbarum: Epulotica, ideſt cicatrizantia ſicca in tertio, 658
Sarcotica magis, & minus exſiccantia, pro habitu mollior, vel duriori, 671
Scientiæ nomen non eſt genus in medicina, 38
Scythæ cur ſteriles reddantur, 337
Semen conſtat ex quatuor partibus, 327
Semen fœcundum quale ſit, ibid.
Semen à qua parte corporis decidat, 334
Semen an ſimul efficiens, & materia conceptus ſit, 335
Semen plantæ eſt ſimul efficiens, & materia, ex Ariſt. 338
Senes cur minus ægrotent, quàm iuuenes, 134
Senes minus reſiſtunt cauſis morbificis, ibid.
Senes facilius laborant calculo, 246
Senes cur ſenſoria habeant turbulentiora, 206
Senes cur moroſi, & non iracundi, 284
Senibus non eſt danda aloe, 296
Senſatio ad hoc vt fiat, duo requiri, 172
Senſus iudicium fit in parte, in qua fit receptio, 184
Senſus an percipiat ſuam ſenſationem, 171
Senſus cur hebetes reddantur, 241
Senſus in calidis, & ſiccis cerebris cur vigilant, 231
Senſus tactus eſt iudex rectus, 123
Senſus tactus quomodo ſit in medio, 66
Senſoria cur ex paucitate excrementorum reddantur clara, 229
Senſus communis vbi ſit, 19
Senſus communis non actio princeps cerebri, 185
Senſus, & motus à qua parte cerebri proueniat, 164
Senſuum diuerſorum diſtinctio, an pertineat ad ſenſum communem, vel ad imaginationem, 184
Senum humores humidiſſimi, ſolidæ partis ſicciſſimæ, 67
Sentientem partem non habere de neceſſitate neruos, 621
Senes an reducantur ad neutrum primi ſignificati, 92
Serum lactis ad quinq́, & ſex libras ex Hipp. dandum, 725
Siccæ intemperiei ſigna, indicationes, & remedia quæ, 676
Signa inſalubria an præſentem indicent ægritudinem, 112
Signa memoratiua an rectè vocentur prognoſtica, 113
Signa præteritorum, & futurorum, an dentur, ibid. & 114
Signa rememoratiua, & prognoſtica deſumuntur tantùm ab affectu præſenti, 113
Signa propoſita in Arte parua à Gal. an contineant ſub ſe reliqua omnia ſigna, 112
Signa oſtendentia diſpoſitiones corporum à tribus fontibus deſumuntur, 116
Signa neceſſaria conſequentia ſunt accidentia inſeparabilia, ibid.
Signa ſubſtantialiter inhærentia, an ſint veriſſima, 117
Signa ſecundi fontis prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe, 70
Signorum primus fons an idem cum primo, 61
Signa tertij fontis quænam ſint, 118
Signorum method. à Galeno propoſita, an ſufficiens, 119

Ei-

norum fontes, an ſolùm quatuor, 120
na ſubſtantialiter inherentia, quæ in-
dicant corpus ſaluberrimum, 122
na corporis ſaluberrimi à Gal. propoſi-
a, an ſufficiant, 119
na corporis ſalubris vt multum, 126
norum præteritorum cognitio, an non
ſolùm medico, ſed etiam ægro conferat,
11. 113
na prænunciatiua futuræ mortis quæ-
nam ſint, 110
na lethalia quid indice t, 8
na neutra quænam ſint, 51
norum diuiſio à Gal. 106
na quæ conſequuntur ſunt duum gene-
rum ex Ariſt. 107
na indicantia vniuerſa corpora, ad
quot capita reducantur, 108
na coctionis ſalubria, ibid.
na lethalia iuncta cum humorum co-
ctione, & virium robore ſunt ſalubria
nunc, ibid.
na neutra primi ſignificati, à quibus
fontibus deſumantur, 94
na corporis ſalubris ſimpliciter ſemper
quænam ſint, 108
na cruditatis ſunt duplicia, ibid.
na neutra ſecundi ſignificati à quibus
fontibus deſumantur, 110
na neutra tertij ſignificati ſunt illa, quę
ſunt aliquando bona, aliquando mala,
ibid.
na prænunciatiua certæ mortis quæ-
nam ſint, ibid.
norum omnium temperaturarum me-
thodus breuiſſima, 400
norum lethalium conditio, quando ad
medicum pertineat, 8
ilares partes, an habeant magnitudi-
nem, 129
ilium conſeruatio an fiat per ſimilia,
30
ilitudo filiorum à qua cauſa proueniat
44
pliciter quid ſignificet, 47
ilaris pars quænam ſit, 58
ilibus quæ ſunt ſecundum naturam,
conſeruantur, quæ præter naturam con-
trarijs auferuntur, 602
cipitis conſtitutio bona, vel mala à
quo indicetur, 174
gultus duplici de cauſa fit, ex repletio-
ne, vel inanitione, 441

Singultus, qui tollitur vomitu, vel ſternu-
tatione, eſt ex repletione, 442
Singultus ex repletione quibus de cauſis
fiat, ibid.
Singultus quomodo fiat vehementiori mo-
tu, quàm vomitus, ibid.
Singultus quomodo à nauſea differat, 443
Sitis an indicet ventriculi ſiccitatem,
284
Sitis an ſemper famem antecedat, ibid.
Solertia quid ſit, 278
Situs an conueniat etiam partibus ſimila-
ribus, 123
Solutio continui ſimilaribus, & organicis
conuenit, 645
Solutio continui in ſimilaribus vnitur per
medium homogeneum, in organicis per
cicatricem, 651
Solutionis continui cura quæ, 656
Solutæ continuitatis pro cura quatuor ob-
ſeruanda, ibid.
Sol ſalutis totius orbis cauſa eſt, ex Ma-
crobio, 30
Solutio continui, an conueniat ſolùm par-
tibus diſſimilaribus, 127. 128
Solutio continui quando ſit quintum genus
128
in Somno interna calidiora contra Peri-
pateticos, 221
Somnus quomodo fiat, ex Galeno, & Ari-
ſtotele, ibid.
Somnus non eſt paſſio imaginationis, 185
Somnus naturalis fit ab humiditate: non
naturalis a frigiditate, 222
Somnus quid ſit, ex Paulo Ægineta, ibi-
dem.
Somnus tollit ſitim, & cur, 223
Somnia cur fiant, 238
Somni tres differentiæ, 243
Somnus in pituitoſis tollit ſitim, in bilioſis
eam auget, 523
Somnus fit vel ab humiditaté, vel fri-
giditate, vel imbecillitate, ex Gal.
524
Somnus mediocris naturalis eſt octo hora-
rum, 549
Somnus diurnus damnatur, quia ſpiri-
tus animales vt lucidi violenter tra-
huntur ad extra à luce diei: noctu verò
retrahuntur etiam ab aere frigidiori,
ibid.
Somnus debet fieri poſt leues deambula-
tiones, & cur, 550

Som-

Somnus quomodo fiat, ibidem.
Somnus ad vitam neceſſarius ſecus ſpiritus corrumpuntur, 551
Somnus hyeme, & vere longiores æſtate verò, & autumno breuiores, & cur, ibidem.
Somnus longus tria mala facit, & quæ ſint, ibid.
Somnus in principijs acceſſionum lædit, quia retractus ad ima, auget febrem, & inflammationem, ibid.
Somnifera quando ſalubria, 49
Somnus an ſit omnimoda quies, 221
Sordities cur impediat vlceris ſanationem, 724
Sorites eſt argumentatio vitioſa, 77
Specifica natura non generica, vel indiuidualis indicat remedium, 505
Spermaticæ partes non regenerantur, niſi in pueris, 582
Species qualibet generi eſt accidentalis, & quomodo, 14
Spinalis medulla oritur ab occipite, 171. 172
Spinalis medulla cur non moueatur motu ſyſtoles, & diaſtoles, 164
Spiritus cohibitio dilatat ſingulas corporis partes, 581
Spiritus animalis vt differt à vitali, 154
Spiritus in ſemine quis ſit, 340
Spiritus animales in oculis ſunt lucidi, 254
Sputi diuerſitas indicat diuerſam originem, 692. 693
Subiecta propria qui diſtinctè non cognoſcit ſemper decipitur, 104
Subiecti conditiones quænam ſint, 6
Subiectum in arte eſt finis ipſe, 6
Subiectum non eſt in artibus vt in ſcientijs, & cur, 8
Subiectum, paſſio, & principia conſideranda, 8
Subiecti medicinæ quæſtio, 8
Subiectum duplex circa quod, & quod, 9
Subſtantialiter inhærentia an poſſint eſſe ſigna, 122
Subſtantialiter inhærentia per ſenſus immediatè cognoſcuntur, 124
Subſtantia eſt actio qua cætera dicuntur entia, 41
Sudores frigidi in acuta febre letales, 105
Suppurati dicuntur ex quacumque ſuppuratione in cauitate facta, 687
Suppuratorum, & hydropicorum pluribus vicibus fieri debet euacuatio, 689
Surdi à natiuitate cur ſint muti, 175
Suturæ capitis quot, & quales, & eorum vſus, 171
Suturarum aliquæ dicuntur glutinatoriæ, aliquæ ſuppreſſoriæ, & aliquæ retentiuæ 653
Sylogiſmus ex duabus affirmatiuis in ſecunda figura nihil concludit, 28
Sylogiſmus in prima figura cum maiori particulari nihil concludit, 47
Sylogiſmus diuiſiuus duplans cur non concludat, 29
Sympathia cordis, & cerebri quæ ſit, 263
Sympathiæ, & idiopathiæ ſexaginta humani corporis ex anatome collectæ quænam ſint, 460
Symptoma ſine morbo non efficit morbum cur, 84
Symptoma cur dicatur accidens, ibidem.
Symptomata neceſſario conſequentia quænam ſint, 114
Symptomata an diſtinguantur ab operatione, 119
Symptomata exeuntia ſemper ſupponunt actionem læſam, 431
Symptomata in tres ordines diuiſa ſunt, 426
Symptomata alia eſſe primi ordinis, alia ſecundi, & qualitates mutata, 587

T

TAbidis cur defluant pili, 204
Tactus ſenſus iudex rectus, 23
Tarditas ingenij à quo proueniat, 156
Tela vel glandes plumbeæ corpori infixæ in tribus caſibus extrahuntur: primo dũ ſunt venenoſa: ſecundò dum interſum pariunt dolorem: tertio quando tellum eſt acutum vt deſcendere poſſit, 660
Telum parti principi affixum ſi debet mori non eſſe extrahendum, 659
Temperaturæ optimæ quatuor ſigna, ideſt ciborum coctio, excrementa debita, appetitus æqualis coctioni, & non indigere cuſtode, 542

ſperata natura magis concoquit: cali-
i magis digerit, 543
ſperatis omnia temperata conueniunt
64
ſperata corpora ſimilibus conſeruan-
r: ſi vero parum recedant à tempera-
ſimilia parum recedentia conueniunt
6
ſperamentum primigenium ſi mute-
r, aut moritur æger, aut ſanus non con-
ruatur, 571
ſperamentum aduentitium & poteſt
tari, & in melius reduci, ibi-
m.
ſperamenti mutatio duplex, alia,
e pro fine habet mediocritatem,
fit à cauſa contraria eiuſdem
dus, per iteratas vices introdu-
do mediocritatem: alia, cuius finis
victoria, & fit à cauſa ſuperante,
2
peramenti Natura, quænam ſit,
eramenti definitio Auicennæ, 62
eramentum quomodo ſit vera quali-
63
eramenti duplex ſignificatio, 64
eramentum ſumptum pro vnione
ratorum eſt qualitas, & non ſub-
tia, ibid.
eramentum æquale ad pondus an
r, 62
eramentum æquale ad pondus, qua
one dari poſſit, 65
eramentum, & facultas idem con-
nultos, 148
eramentorum numerus quis ſit,
ramenta duo ſecundùm antiquos,
ramenta quatuor tantùm, eaque
oſita ex Auerroe, 67
ratura duplex originalis, & ad-
itia, 74
ramentum, quomodo mutetur,
ramentum non eſt qualitas, ſed
antia ex Gal. 82
ramentum prædicatur de partibus
laribus in primo modo dicendi per
22
raturæ conſideratio duplex, 123
raturæ cognoſcitur per ſignorum
ſyndromen, 212
Temperatura calida, & ſicca, an abundet excrementis, 230
Temperatura calida vſu frigidorum mutatur in frigidam, 289
Temperatura calida, & humida cur putredini obnoxia, 305
Temperaturæ malæ ſunt in duplici differentia, 395
Temperamentum æquale an ſit longioris vitæ, quàm aliæ temperaturæ, 375
Temperatura moderata an edat operationem perfectiorem alijs temperaturis, 373
Temperaturæ humidæ ſigna quænam ſint, ibid.
Temperaturæ calidæ, & ſiccæ ſigna, 360
Temperaturæ moderatæ ſigna quænam ſint, 350
Temperamentum ad iuſtitiam quod ſit, 190
Tempora morborum quatuor quomodo cognoſcantur, 593
Tempora morborum duo reſpiciunt, vel morbos, & ſic quatuor ſunt tempora, vel cauſas efficientes, & ſic non ſemper obſeruantur quatuor tempora, & cur? 594
Teſtium virtus toti corpori communicatur non ſolùm virtualiter, ſed etiam corporaliter, 292
Teſtes ſunt partes neceſſariæ noſtri corporis, 150
Teſticulorum temperaturæ calidæ ſigna, 323
Teſtium calidæ, & ſiccæ ſigna, 327
Teſtium calidæ, atq; humidæ ſigna, 329
Frigidæ, & humidæ ſigna, 330
Frigidæ, & ſiccæ ſigna, 332
Teſtium ſympathia cum alijs partibus, 337
Teſtes continent in ſe in potentia omnes alias corporis partes, ibid.
Teſtium, & vocis conſenſus qualis, 417
Teſtes quomodo influant in totum corpus, 152
Tetanus cur aqua frigida curetur, 237
Timiditas prouenit à frigiditate, 265
Timor duplex, naturalis, & præter naturam, 282

Theo-

Theorematis diſtinctio, ex Galeno, 15
Thorax expurgatur per vrinam, & aluum per ductus patentes, 690
Thoracis magnitudo duplici de cauſa, 259
Thoracis latitudo prouenit à calore ſeminis, 267
Thoracis patientis ſigna, 446
Tranſmiſſio in corpore fit à facultate naturali, 711
Tumores omnes habent in ſe omnia genera morborum, 449
Tunicæ oculorum vſus, 252
Tuſſis quomodo ſit actio mixta ex naturali, & voluntaria, 693
Tuſſiendo quæ contineantur tum in aſpera arteria, tum in tenuibus arterijs & ſubſtantia pulmonis, tum in ipſa cauitate, & pleura expurgari poſſunt, 692

V

Acuum non attrahit, ſed ſuſcipit, 226
Venæ ſectio quomodo à morbi magnitudine indicetur, 629
Venæ ſectio nec ante 14. annum, nec poſt 70. conuenire, ibid.
Venæ ſectio pueris, & ſenibus robuſtis ex Celſo conuenit, 630
Vena caua oritur ab hepate, & non à corde probatur, 266
Venarum latitudo, vel anguſtia, an indicent iecoris temperamentum, 307
Vena an ſit pars ſimilaris, 60. 85
Venæ, & arteriæ dupliciter conſiderantur, 85
Venæ in piſcibus non ingrediuntur cor, 308
Venæ ſectionis indicans quomodo innominatum, 634
Venæ ſectio vt conuenit abſente plenitudine, 632
Venulæ in pueris ex Gal. regenerantur, 583
Venenum alterantia, & ſuperantia eſſe theriacam, bolum armenum, terram lemniam, bezoar, balſamum cum lacte, ſanguinem anatis, diaſulphur, & oleum de corticibus citri, 748
Venena particularia quomodo, & quibus alexipharmacis ſint ſuperanda, ibidem.
Venenum penetratum euocandum eſt ſudore, baleno, & alijs, ibid.
Venenorum cognitio ad medicum quando pertineat, 8
Venenum quocunque loco ſit cubito euacuandum, validis attrahentibus, 748
Ventriculi frigiditati confert exercitium equitandi, 575
Ventriculum frigidum paruum, & rotundum verſus ſeptum, remedia ſunt alimenta boni ſucci ter, vel quater in die parata, 588
Ventriculum ſiccum reſtaurantia ſenibus & conualeſcentibus eſſe accommodata, 756
Ventriculus ſiccus, an parua indigeat potione, 379
Ventriculi humidi ſigna, 382
Ventriculi calidi, 383
Ventriculus calidus non melius concoquit quam temperatus, melius tamen concoquit, quam appetat, 384
Ventriculus frigidus magis appetit quam concoquat, 389
Ventriculus calidus cur magis concoquat 385
Ventriculi frigidi ſigna, 388
Ventriculus non chylo, ſed ſanguine nutritur, 297
Ventriculi, & cerebri conſenſus, 461
Ventriculus cum manibus non habet conſenſum, 464
Ventriculus non eſt pars ad vitam neceſſaria, 150
Ventriculus non nutritur chylo, ſed ſanguine, 292
Ventriculi ori corroborantia in qua parte ſint applicanda, 303
Ventriculus aliquibus paruus, & rotundus eſt, 415
Venti vnde diuerſam obtineant qualitatem, 237
Venti a montibus oriri, 238
Venti non ſunt in cacumine montium, ibidem.
Venti in Europa à quibus montibus fiant, 238
Venus confert, ſi agilior homo videatur, & facilius inſpiret, 556
Venus temperatis naturis conuenit, ſed corpore nec pleno, neque vacuo exiſten-

ente , 746
us prohibenda poſt nimium exercitium , poſt vigilias , poſt ſomnum matoſum, & in animi paſſionibus, 60
us nocet, ſi nudis pedibus exerceatur, 06
us caput replet, & fæces indurat, ſi ante ſomnum exerceatur, 572
ca colum non inciditur à lithotomo contra Columbum, 421
ca colum non eſſe carnoſum, 685. & 2
ra aliquibus parua, & rotunda, & prominens, 421
us craſſus in fracturis facit callum, 6
lia nimia ratione motus calefacit, & r, 220
lia digerit , ſomnus coquit , cur ? 0
um medicatum , pro Hydropicis , 0
m album refrigerat, 760
m pro conualeſcentibus quale ſit , d.
us robuſta deſpicienda , mediocris ruanda, 638
era communicant ſuas facultates rtibus ab ipſis emanantibus, & non ys, 149
era ſunt partes ſimilares , & cur,
us quodlibet eget proprio roborante 2
acuta fit duobus modis, 248
lis facultas prouenit a carne cordis n à ventriculis, 273
m protrahentia quæ ſint . . . . .
ab ortu naturæ non curantur ſed prædys tractatur ne patiens ægrotet , 8
eum inſtrumentum pro cognoſcenda mperatura, 358
s cum tumoribus quomodo ſanatur, 75
ra corredduntur ſanatu difficilia , id.
ris ſanationem quæ impediant, 674
ra ſufficienter abſterſa quomodo coſcuntur, ibid.
s ſanatur tollendo vrgens, cauſam, & pedimentum, ibid.
Vlcus inflammatum quomodo tollatur ; 675
Vlcus cum contuſione nerui vt tollitur ; ibid.
Viuere, & ſentire non vbique fieri per arterias, & neruos, ſed per irradiationem 672
Vmbelcus conſentit cum diaphragmate, 465
Ab vno tripliciter ſumitur, 39
Vnitas ſequitur bonam temperaturam, & bonam conformationem, 58
Vnitatis ſolutio non reperitur in latitudine ſanitatis, 78
Vni vnum eſt contrarium, 79
Vnguium vſus, 117
Vnguium vſus qualis ſit, 153
Vngues an nutriantur, ibid.
Vnguenta pro ſcabie, ſunt calida, & cur, 347
Vocis magnitudo , aut paruitas , à latitudine , aut anguſtia aſperæ arteriæ , atque ab efflatu maiori , vel minori, 412
Vox lenis, vel aſpera oritur à lenitate , vel aſperitate aſperæ Arteriæ , 415
Vox acuta , vel grauis ab anguſtia , vel à latitudine Arteriæ fit , ibidem.
Voces ſunt grauiores hyeme, quàm æſtate, 416
Vocis , & teſtium conſenſus magnus , 417
Voluntarius motus, ex ſententia Auerrois non prouenit à muſculis, 348
Vomitus cur vehementiori motu fiat, quàm ſingultus, 442
Vomitus quomodo conferat renibus, & inteſtinis, 445
Vomitus conuenit , materia exiſtente in ventre ſuperiori : in inferiori verò per aluum eſt euacuandum , 699
Vrinarum color ſubflauus , ſubruſus , atque niger indicat calorem : albus frigiditatem ; ſi vero pellucidus ſit, materiam craſſiorem , ad caput habere raptum ſignificat, 545
Vrina fit etiam cruda in declinatione morbi, 312
Vrina imperfectè indicat quæ intra venas ſunt, ibid.

Vrina, & pulſus an ſint inditia humorum prædominantium, ibid.

Vrina redditur aquoſa ab alijs cauſis, licèt hepar ſit calidiſſimum, 294

Vrina cruda in principio morbi eſt neutrum per negationem extremorum, 88 109

Vrinæ ſubſtantia tenuis indicat cruditatem: mediocriter craſſa ſanitatem: craſſiſſima, & turbida indicat, perniciem, 545

Vrina moderatè craſſa cum ſedimento albo, æquali, & leni cum ſlauitie moderata indicat ſecuritatem, 546

Vteri lenitas ex pituita tollitur lana abluta liquore aphronitri, 704

Vulnera intra labia nec pilus, nec aer ipſe admittendus, 655

Vulnera profunda curando in parte decliuiori relinquendum foramen pro expurgatione: ſuperficialia vero nullo egent foramine, 654

Vulnerati habentes pilas plumbeas in partibus internis poſſunt adhuc viuère ſine earum extractione, 659

Vulnus ſanari non poteſt, niſi partes circumſtantes ſanæ ſint, 660

Vultures ad 500. milliaria olfeciſſe, 216

F I N I S.

SAN-

SANCTORII
ANCTORII

Olim

I PATAVINO GYMNASIO MEDICINAM THEORICAM ORDINARIAM PRIMO LOCO PROFITENTIS

Commentaria

N ARTEM MEDICINALEM GALENI.

ARTEM medicinalem explicaturus prælectiones ſiue præludia, quæ à Græcis προλεγόμενα dicuntur, paucis in hoc limine libri prius per-
m : mirificè enim conferent ad
onem tractandorum. Acachias,
nulli alij Expoſitores huius libri
centes de prolegomenis non im-
imminuti ab alijs iudicantur:
nitis enim his à iunioribus cætera
a reddentur, ac euidentiora: Nec
eos laudo, qui hæc nimium fusè
t ; in ſolidis verò huius Artis ar-
ficiunt. Agam igitur ſummatim
iptione libri, de intentione, de
ione huius cum alijs Galeni li-
ordine, de ſubiecto, & demum de
e. Quæ verò ad ſolidam huius
telligentiam pertinebunt fuſius,
ius tractabuntur.

.QVÆST. I.

De Inſcriptione.

aleno inſcribitur τέχνη ἰατρική,
deſt ars medicinalis : ab Arabib. vt ab Haly, & Roboano vocatur μικροτέχνη, ideſt ars parua. A Galeno nunquam fuit vocata ars parua : citatur enim ab illo hic liber ſeptimo Methodi capite tertio quinto de tuenda ſanitate cap. 11. libro de libris proprijs capite tertio, & alibi: nec tamen alio nomine ab illo, quam ars medicinalis vocatus eſt.

Haly, & Pluſquam commentator aiunt, fuiſſe vocatam artem paruam ad differentiam totius Artis medicę in multis voluminibus tractatæ, vt tota ars medica dici debeat ars magna ; hæc verò, quæ traditur in hoc libello, vocetur ars parua.

Montanus cenſet eá de cauſa inſcribi hunc librum artem paruam : quia tota ars in pauco ſit per compendium tractata : dum enim dicitur microtechni, ait micro ſcribi cum ω mega, eſſeque in datiuo, ita vt per microtechni intelligi debeat ars in pauco, quaſi ἐν μικρῷ τέχνη, & non ars parua.

Hæc Montani expoſitio exiſtimatur ingenioſa : admitti tamen non poteſt; tum quia Galenus nunquam hunc librum vocauit artem paruam; tum quia nomina compoſita ex pluribus ſemper ſumuntur in eodem caſu : non poteſt ſumi ars in caſu recto, & micro in obliquo: hoc enim apud Latinos, & Græcos eſt

monſtruoſum. Accedit, quod nunquam à Græcis ſcribitur μικροτεχνη, vel μικρο-κόσμος per ω mega.

Ego puto vocari poſſe artem paruam ea ratione, qua animal vocatur ab Ariſtotele octauo phyſicorum tex. decimoſeptimo μικρὸς κόσμος, idest paruus Mundus: ſicuti enim in homine omnes gradus vniuerſi, elementa videlicet, omnes animantium gradus, & intellectus elucent; ſic in hoc libello tota medicina continetur.

Pari modo ſicuti Coſmographi totius terræ ambitum in Aſiam, Africam, Europam, & Americam diuiſum exigua tabella concludunt: ita & Galenus in parua medicinæ definitione, veluti in quodam breuiſſimo epilogo omnia medicinæ capita complexus eſt; ſub nomine enim ſalubris, inſalubris, & neutrius in hoc libro explicantur ſeptuaginta duo capita ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, ſignorum, & cauſarum, quibus & continetur tota ars, & miro artificio, vt infra oſtendetur, medicinæ arcana memoriæ commendantur. His nixi rationibus poſſumus & nos hunc librum vocare artem paruam, quamuis à Galeno nunquam artis paruæ, ſed artis medicinalis nomine fuerit inſignitus.

1. Dubitatio inde ſuboritur: quia ſi hic liber vocatur ars medicinalis, cur etiam liber de conſtitutione artis medicæ non merebitur artis medicinalis nomine inſigniri, vbi de tota arte tractat Galenus.

Manardus, & Argenterius reſpondent in libro de conſtitutione non doceri totam artem, vt hic, ſed modum, quo tota ars ex notione finis conſtituitur.

Verum hi multipliciter errare videntur: primò, quia liber ille appellatur de conſtitutione artis medicæ, non autem de modo conſtituendi artem. Secundò Galenus antea ſcripſit duos libros de modo conſtituendi artem ex notione finis, vt colligitur ex proœmio libri de cõſtitutione, qui nõ habentur. Tertiò, quod ibi tractet de artis conſtitutione, & non de modo, patet: quia modus conſtituendi, vel applicatur arti, vel non: ſi applicatur, conſtituit, ſi non applicatur, non conſtituit artem: Quòd verò applicetur, legenti cuius clariſſimè patebit: Quare ibi Galenus de conſtitutione artis medicæ, non de modo ſermonem habuit.

Reſpondemus igitur, librum hunc non eſſe artem medicinalem abſolutam, & vniuerſalem, ſed ordine tantum definitiuo memoriæ cauſa traditam, quæ appellatio non poteſt conuenire libro de conſtitutione artis medicæ, qui tractat de conſtituenda arte ordine reſolutio: quæ ſanè valde diuerſa ſunt. Præterea concedimus, librum de conſtitutione vocari poſſe artem medicinalem, additis his, à notione finis conſtitutam: ſed dicimus Galenum hanc inſcriptionem omiſiſſe, quia elegantius inſcribitur de conſtitutione artis medicæ, quam ars medicinalis.

QVÆST. II.

De Intentione.

ARgenterius ſentit in hoc lib. Galeni intentionem non eſſe artem medicam tractare ordine definitiuo; ſed modum, quo poſſit illo ordine tractari.

Reijcitur primò, quia inſcribitur de arte medicinali, & non de modo. Secundò Argenterius ſecum pugnat, primum dicit, hunc tractatum inſcribi artem medicinalem, & hanc inſcriptionem non poſſe accommodari libro de conſtitutione artis; hac ratione, quia hic agitur de arte medica, & in libro de conſtitutione de modo tractandi artem ex notione finis: mox loquens de intentione Galeni in hoc libro ait, intentionem eſſe non de arte, ſed de modo tractandi artem ordine definitiuo: Qui poterit Argenterium à manifeſtiſſima contradictione vendicare, accedat, illumque libentiſſimè audiemus.

Pluſquam commentator cenſet, hic agi de omnibus pertinentibus ad artem medicam, ſed confusè, non diſtinctè. Quæ opinio non videtur reſpondere iis, quæ tractantur: quia plurima hìc examinantur diſtinctè, ſicuti diſtinctiſſimè agitur de ſignis temperaturarum: de diui-

ſione

ſalubrium, inſalubrium, & neutro-
corporum, ſignorum, cauſarum, &
js. Verior opinio eſt, quam defendit
ius, qui ſtatuit perfectiſſimè hic agi
te medica ordine, ſeu methodo defi-
a.
Dubitatio inde ſuboritur, quia non
ur, quod Gal. agat de tota arte di-
tè, quinimmo, neque confuſè; Gal.
nec diſtinctè, nec confuſè agit de
ome, de ſimplici medicina, & de
s alijs.
ſpondent nonnulli, inter quos eſt
s Sclanus, non pertinere ad doctri-
lefinitiuam inuenire, vel conſtitue-
em, ſed ſolum inuentam, & conſti-
docere: ideò dicunt à Gal. meritò
plurima pertinentia ad inuentio-
& conſtitutionem artis: Sicuti tra-
de elementis, & de anatome, qui
ent ad conſtitutionem, & inuen-
m.
jciuntur, quia omnia, quæ ſunt in
ina, ſunt inuenta. Inſuper Gal. in-
multa in hoc libello, vt tempera-
viſcerum, & corporum diuiſio-
ideò dubitatio adhuc manet in ſuo
e. Demum nonne multa anatomi-
& innumeræ virtutes ſimplicium
inarum repertæ ſunt? quare ſi pro-
m Gal. eſt inuenta docere, debebat
tome, de ſimplici medicina, & de
us alijs hic agere.
imus nos propoſitum Gal. in hoc
eſſe vnicam definitionem medici-
dere, quæ eſt, medicinam eſſe ſciē-
lubrium, inſalubrium, & neutro-
atque hæc tria definitionis verba
a, inſalubria, & neutra diuidere in
ſignificata corporum, ſignorum,
edIorum, quæ ſunt duo ſupra ſe-
nta, eaque ſub conceptu communi
ere, vt quiſque illis cognitis to-
tem medicam intelligat, eamque
riæ facilè commendet.
ue erat Gal. propoſitum deſcen-
materias remediorum, & ad me-
nta ſimplicia, neque ad anato-
quia hæc ſunt particularia nullo
pertinentia ad doctrinam defini-
quæ à Gal. tradita eſt ad hunc fi-
t ſolum communiſſima capita to-
s memoriæ commendentur: Qui

igitur non intelliget hunc doctrinæ definitiuæ finem: neque percipiet Galeni propoſitum: Neque aliquem fructum ex huius libri lectione colligere poterit.

QVÆST. III.

De Proportione.

ARgenterius, & Saluus Sclanus arbitrantur, proportionem, quæ eſt inter concluſionem, & præmiſſas, eſſe inter artem medicinalem, & alios Gal. libros. Hæc opinio videtur Galeni, quia in fine primi capitis hæc verba leguntur, *nunc verò definitiuam aggrediemur, hoc vnum apponentes quod ſolum capita, & quædam veluti concluſiones eorum, quæ alibi latè, & fuſa oratione ſunt demonſtrata, nunc à nobis dicentur*, & in vltimo cap. huius libri habet hæc. *Nūc enim neque omnia particulatim recenſere eſt noſtri propoſiti inſtitutum: Sed ſolum capitum mentionem facere intendimus eorum, quæ in alijs voluminibus latius explicauimus.* Ecce dicunt hanc artem medicinalem ex Galeno eſſe, vt concluſionem ex alijs libris tanquam ex præmiſſis deſumpta.

Hæc tamen opinio non poteſt defendi, quia ſi eſſet hæc ars medica vt concluſio, & cætera Galeni volumina, vt præmiſſæ, ſine prælectione omnium Galeni librorum eſſet imperceptibilis: quod quam ſit falſum paulò infra patebit.

His ſic conſtitutis, ſequitur, hunc librum ad alios non habere proportionē, quam præmiſſæ ad concluſionem. Inſuper ſi hic liber continet concluſiones deductas ex præmiſſis, quomodo Tyrones, quando tradent ſe huic ſtudio theoricæ poterunt tam obſtruſas concluſiones percipere ſine aliqua præmiſſarum cognitione?

Poſtremò Galenus hic non ſolum tractat de illis concluſionibus, quæ ad præmiſſas referuntur: ſed de multis adeò profundè, vt in nullo ex ſuis voluminibus ita exactè, & difusè egerit; ſicuti eſt tractatus de corporibus, & de ſignis temperaturarum.

Cur verò dixerit Galenus hunc librum continere capita, & veluti concluſiones, paulò infrà explicabitur.

Haly putat hunc librum habere illam proportionem ad omnes alios libros, quam habent pueri infantes ad viros, proponit duas pulcherrimas comparationes.

Prima eſt ſicuti in pueris infantibus ſunt multi defectus pertinentes ad ſolidas corporis partes; ſic in hoc libro multa deficiunt pertinentia ad ſolida artis præcepta. Dicunt in pueris deficere 115. oſſa, ſcilicet duo oſſa bregmatis, quę adhuc ſunt cartilagines; os ithmoide; duo oſſa ſtiloides; quatuor oſſa coccigis, 32. dentes, 48. oſſa ſeſamoidea, 16. oſſa carporum, octo oſſa tarſorum, & duæ patellæ.

Secunda comparatio; dicunt, quòd ſicuti pueri infantes paucis omnia exprimunt, veluti dum omnes viros appellant patres, & omnes fęminas matres, & ſub nomine papæ, omnes cibos intelligunt. Ita hic liber ſub nomine ſalubris, inſalubris, & neutrius explicat omnia ad medicinam pertinentia.

Iſta ſunt pulcherrima, ſed non reſpondent huic libro.

Primò negamus, hunc librum eſſe imperfectum; quia in ipſo tota ars perfectiſſimè traditur doctrina definitiua.

Secundò negamus, quod in hoc libro tractentur ſolùm communia; multi enim ſunt tractatus particulares, vt de diuiſione corporum, & de ſignis intemperaturarum; quorum conſideratio ita particularis in nullo Galeni libro inuenitur.

Nos credimus hunc librum nullam proportionem habere ad alios; Huius opinionis fautorem Galenum eſſe putamus, quia tractans in vltimo capite de ordine, & proportione ſuorum librorum clariſſimè docuit artem medicinalem, & librum de conſtitutione artis non indigere lectione aliorum librorum; additque ſeorſum eſſe legendos, atque eſſe omninò ab ab alijs ſeparatos; hæc enim ſunt verba; *Liber de conſtitutione artis, & hic, cui nunc extremam manum adiecimus ſeorſum ſunt ab alijs libris, in quibus plenior doctrina explicatur:* deindè proponit ordinem, & proportionem aliorum librorum; Quare hæc diſputatio de proportione mihi videtur ridicula; quia Galenus hunc librum ab alijs ſeiunxit.

Ad auctoritatem propoſitam reſpondemus, Galenum non aſſerere hunc librum artis medicinalis continere concluſiones, ſed capita, & veluti concluſiones; omnes enim concluſiones, quę hìc proponuntur, deducuntur ex principijs in hoc eodem libro propoſitis; quare inter hunc, & alios Galeni libros nulla erit proportio.

1 Dubitatio inde ſuboritur, quia Auctor ait, hunc librum continere artem medicam per compendium, ergo ſaltem habebit proportionem compendij ad totam artem medicam fuſa oratione tractatam.

Reſpondemus cum Auctore, hunc libellum eſſe tamquam compendium, ſed non verum compendium; ait enim tamquam compendium, quia de ratione compendij eſt continere omnia præcepta, ſemotis ſolùm ſuperfluis; in hoc libro verò non continentur omnia præcepta tradita in omnibus Galeni voluminibus, & rectè factum eſt; quia non ſub ratione compendij, ſed ſub ratione doctrinæ definitiuæ tradidit artem.

QVÆST. IV.

De Ordine.

CVm hic liber ex Galeno contineat capita, & veluti concluſiones totius medicinæ, quæritur an poſt, vel ante alios legi debeat; verùm, quia ſuperiùs diximus, eum nullam ſeruare proportionem ad alios libros, atque ex Galeno in vltimo cap. eſſe ſeorſum legendum, quiſque poterit in medicinæ ſtudio hæſitare, quo ordine inter Galeni libros legendus ſit.

Pluſquam commentator cenſet eſſe præponendum omnibus libris medicinæ; quia continet communia, & vniuer-

lia artis pręcepta; putatque, eam
e proportionem ad totam medici-
, quam octo libri phyſicorũ ad vni-
m philoſophiam naturalem.
nardus impugnat hanc ſenten-
negatque, in hoc libro tractari ma-
tiuerſalia, eò quia tractat etiam de
cularibus; cenſet enim cum Curtio
librum non eſſe præponendum,
ſed poſtponendum; quia Galenus
mo cap. dixit, librum hunc eſſe edi-
d memoriam earum rerum, quæ
fusè ſunt in alijs libris enar-

ntanus, & Argenterius cenſent,
librum eſſe iſagogicum, ſeu intro-
rium, ideò eſſe præponendum om-
alijs non ſolùm in docenda, ſed
in addiſcenda medicina, ſed ut
obet, adeò errat Montanus, ut
t in manifeſtiſſimam principij pe-
em; ſupponit enim hoc ab illo ad-
robandum, hunc librum habere
m proportionem ad totam artem,
habet liber introductorius de
s ad omnes libros de pulſibus, cùm
ibrum introductorium de pulſibus
leno preponendum eſſe omnibus
e pulſibus, ſicuti hic liber toti me-
.
ipiuntur valdè, quia apertè nega-
hunc librum habere eamdem pro-
nem ad totam artem, ſicuti liber
uctorius de pulſibus ad omnes li-
pulſibus; patet, quia ex Gale-
liber non eſset ſeorſum ab alijs
lus. Inſuper libri introductorij
ciles, hic verò difficillimus. Pre-
ibri introductorij tractant ſolùm
roductione ad artem, & non de
d verò hic error Montani, &
terij ſit inexcuſabilis, facilè ex eo
quia cap. vltimo, quod eſt centeſi-
uius, Galenus dum comprehendit
omnes libros de pulſibus, &
, qui eſt introductorius, diſtinguit
introductorium de pulſibus à
ndio de pulſibus, & hæc ſunt Ga-
erba; *At verò in animo eſt alium
librum, veluti compendium om-
ſtorum, quem inſcribam artem de
, vel compendium:* Ecce quod

liber introductorius de pulſibus non eſt compendium; ecce ſimiliter quod hęc ars medicinalis non poteſt eſse ſimul iſagogica, & compendium, & quod liber introductorius de pulſibus nullam habeat proportionem ad artem medicinalem. Poſtremò Galenus in ſenectute ſua edidit in lucem compendium de pulſibus, quod citatur libro de libris proprijs cap. 5. ſecundùm Valgriſij impreſſionem.

Ego autem puto, hunc librum neque iſagogicum, neque verum compendium eſse; non iſagogicum, vt ſuperiùs probauimus. Non compendium, quia de ratione compendij eſt, vt omnia, quæ fuſa oratione explicata ſunt, paucioribus referantur; quod verò hic liber non ſit compendium, nemo ſanæ mentis negabit; quia in ipſo, neque de elementis, neque de anatome, neque de auxiliorum materijs, vel de ſimplici med. nec fusè, nec compendiosè agitur; Quo fit, vt meritò Galenus vocet hanc artem medicinalem non compendium, ſed veluti compendium; quod cùm ſeorſum ex Galeno legi debeat, diſputatio de ordine non habebit locum.

Pro ſolutione difficultatis dicimus, ſi aliquis ex tyronibus petierit, an primo loco, vel poſtremo eſset legendus. Ego quoque ab illo peterem, an ſolus, & proprio Marte, & ſine Pręceptoris auxilio uellet illum percurrere; uel Pręceptorem audiendo; tunc ſi ſine Præceptore, ei ſuaderem, ut poſt aliorum librorum Galeni examen, huic arti ſtuderet, ſeruando in tanta lectione ordinem, quem nos docet lib. de libris proprijs, & in calce huius, ubi re vera admonet, exordiendum ab iſagogicis, deindè procedendum ad libros primæ claſſis, mox ad ſecundæ uſque ad ſextæ; ſicuti à Montano ordinati ſunt; poſtremò ad Commentaria Hippocratis, quibus viſis, facilè penetrare poterunt huius, & aliorum librorum extra claſses arcana; Si verò vellet artem medicinalem audire ab aliquo eruditiſsimo Profeſsore, poterit primo loco incumbere in ſtudia huius artis medicinalis; nihil enim in tota medicina dictum eſt, quod in expoſitione

huius libelli non declaretur, & non reducatur ad ſalubre, inſalubre, & neutrum, & ſimul mirificè omnia medicinæ arcana memoriæ commendentur.

Immò licet dictum ſit, Galenum hic, neq; compendioſè egiſſe de elementis, de anatome, & de ſimplici medicina, nihilominus, dum de temperamentorum natura profeſſor ageret, neceſſariò quoq; explicaret tractatus de elementis, & de humoribus: dum verò corporis diuiſionem in cap. 9. huius libri coactus inſtituet ſermonem de anatome. Similiter dum in Tertia Parte huius libri explicauerit naturam remediorum, oportuna ſe obtulerit occaſio tractandi virtutes medicamentorum, & materias omnium remediorum pertinentium nō ſolum ad pharmaciam, ſed ad chirurgiam, & diætam; nihil ſanè tractat Galenus in omnibus ſuis operibus, quod non reducatur ad aliquod ex ſeptuaginta duobus capitibus in hac arte propoſitis; quemadmodum diſtinctè in huius libri explicatione oſtendemus.

QVÆST. V.

De Subiecto.

TRactaturus de ſubiecto artis medicę optimum fore exiſtimaui, nonnulla à præcipuis auctoribus deſumpta, huic cognitioni admodum neceſſaria præmittere; ex Ariſtotele enim primo de anima tex. 11. colligitur, præcognita definitione animæ cæteras affectiones facilius dignoſci. Ex Platone in Cratylo, definitionem eſſe principium cognitionis rei, de qua agitur. Ex Galen. 3. methodi capite decimo, ad fugiendam deceptionem vti oportere definita locutione, quæ præcipuè ſit præcognita rei, de qua agitur, definitione.

De ratione ſubiecti eſt, vt ſubijciatur paſſionibus, & paſſiones non definiantur, niſi per ſubiecta propria; de ſubiectis enim paſſiones propriæ ex Ariſtotele primo poſt. cap. 4. prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe. Præterea de ſubiecto præſupponitur quod ſit ſimplex, & quod ſit complexum; ideſt, quod exiſtat, & quod habeat paſſiones, & quod ſit ſemper permanens, æternum, & ſua natura ingenerabile, & incorruptibile. Hinc corpus naturale dicitur ſubiectum philoſophiæ naturalis; quia ſubijcitur paſſionibus naturalibus, eſt factum ab æterno, & non fit, definitque proprietates in ſecundo modo dicendi per ſe; ſimiliter quantitas dicitur ſubiectum mathematicarum; ens verò metaphyſicæ; quia non deficiunt propoſita requiſita.

Artes verò propria ſubiecta non habent; quia in arte nihil ſubijcitur, quod ſi artis; Ferrum, circa quod faber verſatur; lapides ſeu cæmenta circa quæ ædificator, ſunt corpora naturalia pertinentia ad prædicamentum ſubſtantiæ, & vt talia, non ſunt artis; extat enim hoc philoſophorum axioma; quæ fiunt ab humano intellectu eſſe accidentia; quare ſi ſubiecta fient ab artifice, non erunt permanentia, & de ipſis non præſupponetur quod ſit ſimplex, vel compoſitum, neque erunt æterna, & ingenerabilia: Quo fit vt non poſſint dici ſubiecta. Hinc Ariſtoteles ſecundo poſt. text. vltimo docet, artes verſari circa generationem: ſcientias verò circa ens ęternum quod exiſtit, & verè eſt, & quod ab intellectu humano fieri nequit, ibi enim habet hæc verba, *ſi circa generationem quidem artis, ſi verò circa ens ſcientiæ.*

Quo pacto ergo dicere poterimus, ferrum eſſe ſubiectum fabri, & lapides ædificatoris, ſi artifices hęc ſubiecta non generant? ſimiliter Moralis diſciplina verſatur circa virtutes animæ humanę, non tamen anima pertinet ad philoſophiam moralem: neque eſt eius ſubiectum: itaque dicamus oportet, artes non propriè, ſed per translationem habere ſubiecta: dicimuſque finem in artibus dici ſubiectum: quia ex fine omnia inueniuntur, & per finem vt docet Galen. lib. ad Traſyb. c. 28. artes conſtituuntur: eadem ratione dicimus, ſyllogiſmum eſſe ſubiectum in libris priorum, quia finis eſt ſyllogiſmum conſtituere, & in libris poſteriorum ſubiectum eſſe demonſtrationem, quia ibi illa conſtituitur: ſimiliter ædificatoris eſſe domum, & ſic de alijs.

His ſuppoſitis clariſſimè patebit altercatio-

ſionem illorum, qui non diſtinxerunt
ditiones ſubiectorum ſcientiarum à
ditionibus ſubiectorum artium eſſe
am, & veluti cæcorum pugnam: agè
amus quid dicant de ſubiecto medi-
celebres Auctores; deinde quæ de
ecto medicinæ vniuerſim ſumptæ
ntur, ſubiecto huius artis medicina-
aucis additis applicabimus.
Montanus cenſet, ſubiectum artis me-
eſſe corpus humanum ſanabile. Hęc
io videtur eſſe Auer. 2. phyſ. comm.
Hæc non probatur, quia ſi vera ſunt
diximus, quod ſcilicet artes non ha-
t ſubiecta, quæ præexiſtant, ſed loco
ecti recipiant finem: tunc corpus hu-
um ſanabile, quod videlicet prçexi-
non poterit eſſe ſubiectum medici-
Inſuper corpus humanum ſanabile
inet ad libros de anima, ſeu ad li-
n de ſanitate & morbo: ſicuti, & fer-
& lapides ad philoſophiam natura-
& non ad fabrum, & ad ædificato-
. Qua ratione verò Auer. dixerit
us hominis eſſe ſubiectum medici-
paulò infra declarabitur.
rtius putat ſubiectum artis medicæ
ſanum. Reijcitur, quia eadem ra-
dici poteſt ſubiectum librorum po-
rum eſſe demonſtrabile, & non de-
ſtrationem, quod eſt ridiculum:
um igitur eſt his fundamentis ſcili-
nem in artibus ſubrogari ſubiecto:
à fine ars conſtituitur: à fine omnia
i, & nihil agi in arte, quod non di-
ur ad finem.
Thomas in quæſtionibus ſuper li-
Boetij de Trinitate cap. 2. ait, ſubie-
medicinæ eſſe corpus humanum
ile arte. Neque hæc opinio admit-
quia corpus humanum non perti-
l artem, ſed ad philoſophiam: ea
ſola pertinent ad artem, quæ ſunt
Præterea dum dicit (arte ſanabile)
lit opera, quæ (medico obſeruante)
ra fiunt: quare opinio D. Thomæ
minuta.
nciliator pro ſubiecto ponit, eſſe
nedicinalem. Sed reijcitur: quia
æ rimus, quodnam ſit rerum me-
lium ſubiectum. Præterea paſſio-
principia medicinæ ſunt medici-
tamen non poſſunt dici ſubiecta.

Quare hæc opinio eſt vaniſſima.

Pluſquam commentator ait, ſubiectum eſſe quid commune ſano, & ęgro. Sed reijcitur, tum quia non datur quid commune poſitiuo, & priuatiuo, tum quia præter ſanum, & ægrum dantur plura alia quæ conſiderantur vt ſubiecta medicinæ: datur enim neutrum, quod non eſt ſanum, nec ægrum. Præterea ſalubre, & inſalubre non reducuntur ad ſanum, & ægrum: ſanum enim, & ęgrum dicunt actum: ſalubre verò, & inſalubre potentiam, quæ omninò diuerſa ſunt.

Manardus putat, ſubiectum artis medicæ eſſe ſanitatem. Præcipua illius ratio eſt, quia gratia ſanitatis acquirendæ, vel conſeruandæ in medicina omnia conſiderantur. Inſuper id probat auctoritate Galeni libro de partibus artis medicæ cap. 8. vbi dicit, corpus humanum per accidens conſiderari in medicina, ratione ſcilicet ſanitatis: quare non corpus humanum ſanabile, ſed ſanitas erit ſubiectum: quia quod conſideratur per accidens in vna facultate, non poteſt eſſe illius ſubiectum. Poſtremò idem confirmatur auctoritate D. Thom. in 2. 2. qu. 1. art. 1. vbi dicit, obiectum medicinæ eſſe ſanitatem.

Non amplectimur hanc D. Thom. opinionem: quia inſtantiam inſolubilem patitur: Medicus enim ex Hipp. lib. de veteri med. nautæ comparatur: quia ambo exoptant ſalutis portum: attamen aliquando hoc fine fruſtrantur: innumeri enim ſubmerguntur: ſimiliter quàm plurimi ægri, cum pereant, hoc fine priuantur. Præterea medicina ex Galen. eſt ſcientia quoq; inſalubrium vt nunc, medicus verò, dum tractat inſalubria vt nunc, quæ ad ſalubrem ſtatum ſunt irreducibilia, pro fine non habet ſanitatem, ſed infeſtum præſagium: quare ſanitas non erit finis, & per conſequens non erit loco ſubiecti.

Quo ad fundamentum Manardi deſumptum à D. Thoma, dicimus Diuum Thomam loco cit. non loqui de ſubiecto medicinæ, ſed de obiecto: dicebat enim obiectum medicinę eſſe ſanitatem: differt ſanè obiectum à fine, vt infrà oſtendemus.

Recentiores nonnulli putant, & re-

ctius, non ſanitatem eſſe finem, ſed comparationem ſanitatis: hoc colligunt ex Galeno libro de ſectis ad eos, qui introducuntur cap. 1. & lib. de optima ſecta ad Thraſyb. c. 5. confirmantq; auctoritate Ariſtotelis lib. de iuuentute, & ſenectute c. 2. vbi ait medicum ad ſanitatem comparandam omnia reuocare: ſimiliter 30. ſect. probl. 7. his verbis docet, Medicum non in corpus humanum, vel in ſanum, ſed in ſanitatem omnem conſiderationem dirigere.

1. Dubitatio ex dictis oritur: quia non videtur, quod ſanitatis comparatio ſit finis verus, & adęquatus totius artis medicæ: etenim non ſolum vocatur medicus, qui acquirit, vel conſeruat ſanitatem: verum etiam, qui verſatur in cognoſcendis præſagijs lethalibus, & venenis: quare comparatio ſanitatis non amplectitur totam medicinam, & per conſequens nõ erit finis, vel ſubiectum adæquatum.

Reſpondetur pertinere ad Medicum ſignorum lethalium cognitionem exactã ne in caſu deſperato audeat medicari; quia remedia, quæ multis alijs fuere ſaluti, poſt obitum infamarentur; indeq; ars medica vileſceret. Similiter dicimus, tractatum de venenis ad medicum pertinere ad fugam, eo modo, quo ad Philoſophum naturalem tractatus de vacuo, & infinito.

2. Augetur dubitatio; quia venena, & ſigna lethalia, cum ſint realia, non ſunt conferenda cum vacuo & infinito, quæ non ſunt; quare comparatio ſanitatis non videtur eſſe adęquatum Medicinę ſubiectum.

Reſpondemus in dubitatione propoſita ſupponi, omne quod in ſciẽtijs, & artibus conſideratur, eſſe ſubiectũ; quod eſt falſiſſimum, quia ex Ariſt. primo poſt. hęc tria ſunt inter ſe diſtincta; ſubiectũ, paſſio, & principia; quãplurima conſiderantur in philoſophia naturali, quę non ſunt corpora, ſicuti formę, animę, motus, intelligentię, & alia plura; habent tamen relationem ad corpus. ſic dicimus in gratiam acquirendę, vel conſeruandę ſanitatis, vtiliſſimã eſſe ſignorum lethalium, & venenorum cognitionem, non ad fugam tantùm, ſed ad vſum; ſigna lethalia extremum affectũ indicant, & hic extrema remedia; venena mirificè conferunt ad ſanitatem, vel vt cauſtica, vel vt narcotica, vel alia virtute prędita, quę in morbis profligandis prębent vſum.

Valeãt igitur Priſci expoſitores, qui inquirunt in hoc lib. ſubiectum, quod amplectitur omnia quę tractantur, quaſi quod paſſiones, & principia ſint ſubiectũ; illorũ .n. altercationes de ſubiecto medicinę à nobis vocatę ſunt cęcorũ pugnę, tum quia non diſtinguebant ſubiectum à paſſionibus, & principijs; tũ quia eo modo inquirebãt medicinę ſubiectũ, perinde ac medicina eſſet ſcientia, & non ars.

Quidã .n. illorum dicebant ſubiectum adęqu tũ eſſe ſalubre, inſalubre, & neutrum; nec videbant hęc dici de corporibus, ſignis, & cauſis; ecce quod nõ diſtinguebãt principia, & paſſiones à ſubiecto.

Alij dicebant ſubiectum medicinę eſſe ſanum, ęgrum, & in neutra diſpoſitione ponibile; &

Alij alio modo, quorum opiniones non recitauimus; quia nimium pręceptis analyticis reluctantur.

3. Dubitatio oboritur, quia Gal. lib. de partibus artis medicę c. 8. docet ſubiectũ medicinę primò, & per ſe eſſe ſanitatem, & non corpus humanum, additque corpus humanum in medicina eſſe ſubiectum ex accidenti, quia medicus vt artifex non fabricat corpus humanum, ſed introducit ſanitatem, vel eam conſeruat; ergo ſanitas, & non comparatio ſanitatis erit ſubiectum.

Reſpondetur ſanitatem non eſſe finẽ medicinę, ſed ſcopum, quem medicus ſẽper mente, & animo conceptũ obtinere debet, quod verò ſanitas ſit ſcopus, & nõ finis, & quod finis verus non ſit ſanitas, ſed ſanitatis poſſeſſio, ſeu acquiſitio, patet ex Galeno in primis verbis libri de ſectis, vbi leguntur hæc verba τῆς ἰατρικῆς σκοπὸς μὲν ὑγιεῖα; τέλος δὲ ἡ κτῆσις αὐτῆς, ideſt medicæ artis ſcopus quidem eſt ſanitas, finis verò huius ſcilicet ſanitatis poſſeſſio; ecce igitur quod ſanitas non poteſt eſſe finis, & per conſequens ſubiectum; ſuperiùs enim oſtendimus, in artibus finem artem conſtituere; finis igitur artis medicæ erit comparatio ſanitatis.

Ideo Auctor introductorij non ſemel,

&

erroes primo colliget cap. primo, quamuis medicus non ſemper cõ- ur ſanitatem, tamen eam vt ſco- emper mente conceptam obtinet. ſtoteles verò primo Rhetoricorũ eod. habet hæc verba, *non enim me- eſt ſanitatem inducere, ſed quo vſ- ſſibile ſit:* addit, *& qui nullo pacto ſanari, benè tamen debet Medicus* ; ecce quod comparatio ſanitatis, omparandi actus eſt finis medici- enim comparamus quoque ſanita- lum cõſeruamus, quia conſeruatio nouendo exiguos quoſdam receſ- docebit Gal. in hoc libro.

ubitatio oboritur; quia primo Rhe- ad Theod. Ariſtoteles docet ſingu- es circa id verſari, quod ſibi ſubie- eſt, vt medicina circa corpus, quod , & ægrotare poteſt; ſimiliter Gal. 2. criſib. c. 9. & lib. ad Thraſybulum locet, corpus eſſe ſubiectũ ſeu ma- n qua operatur medicus, & Auer- . phyſ. comment. 3. dicit ſubiectum inæ eſſe corpus hominis, ergo non um, quod comparatio ſanitatis ſit c loco ſubiecti in medicina.

pondetur, artes non habere ſubie- ſi id quod dicitur circa quod, quip- cõmune, & nõ proprium, nec for- r pertinet ad artificem; etenim ſi- rrũ eſt ſubiectũ circa quod verſa- er; & lapides, circa quos verſatur ator, tamen, & ferrum, & lapides us pertinere ad philoſophum natu- ; ſimiliter dicimus corpus huma- n medicina eſſe ſubiectum circa & non illud quod pertinet ad arti- vel quod fabricatur ab artifice. are aſſerimus, ſubiectum dupliciter erari, vel ſubiectum circa quod, & edirur, corpus humanũ eſſe ſubie- medicinę; ſimiliter conceditur, eſſe ſubiectum circa quod ædifi- verſatur.

ſumitur ſubiectum vocatum quod ubiectum artem cõſtituens, & for- quo ablato aufertur ars, & ablata fertur ſubiectũ, & tale non poteſt rpus humanũ, quia poteſt auferri relinqui corpus humanum. Dici- itur, ſubiectũ (*quod*) medicinæ eſſe ratione ſanitatis, & hoc ſubiectũ eſſe finem, à quo omnia colliguntur, & à quo conſtituitur medicina; Ariſtoteles e- nim Galenus, & Auerroes dum dixerũt, corpus eſſe ſubiectum, intellexerunt de ſubiecto circa quod, & non de illo quod immediatè conſtituit, & format ar- tem.

5 Dubitatio ex dictis oritur, quia ſupe- rius ſuppoſuimus, medicinam eſſe artem; tamen Gal. in 2. cap. huius libri definit medicinam, quod ſit ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; ergo non ars.

Reſpondetur, Galenum ſumpſiſſe ſciẽ- tiam lato modo, pro quadam cognitione communi ſcientiæ, & arti. Quod hęc re- ſpõſio ſit conſona doctrinæ Galeni, ex eo patet, quia ab ipſo medicina inſcribitur ars medicinalis, & non ſcientia medici- nalis. Inſuper libro de conſtitutione ar- tis cap. 1. docet, medicinam eſſe artem, & non ſcientiam.

Si autẽ quæras, quod tandem ſit ſubie- ctum in hoc libello, reſpondemus, ſicuti ſanitatis comparatio vel conſeruatio eſt finis, vel ſubiectũ in tota arte medica fu- ſiſſima oratione tractata, ſic in hoc libel- lo breuiſſimo, ſubiectũ eſſe ſanitatis cõ- parationem, vel conſeruationẽ methodo definitiua traditam. Sed qui vult, & di- ſtinctius, & magis ex vſu artis de ſubie- cto intelligere, legat eundẽ tractatum in com. noſtris in primam fen. Auicennæ.

QVÆST. VI.

De diuiſione Medicinæ.

Diuiditur medicina ab Auctore In- troductori cap. 7. & 8. in quinque partes, nempe in phyſiologicam, patholog:cam, ſimioticam, hyginim, & therapeuticam, quæ therapeutica diuidi- tur à Galen. lib. de partibus artis medic. cap. 1. in chirurgicam pharmaceuticam, & diæteticam.

Phyſiologica cõſiderat ſeptem res na- turales, nempè elementa, temperamẽta, humores, membra, facultates, ſpiritus, & operationes, de quibus Galen. agit in lib. primæ claſſis, & Auic. in prima primi.

Pathologica, ſiue ętiologica agit de dif- ferentijs morborum, & ſymptomatum; & de

& de hac Galenus agit in ſecunda claſſe.

Simiotica agit de ſignis vt de loc. affectis, de pulſibus, de criſibus, & de diebus decretorijs, de quibus Galen. agit in tertia claſſe.

Hygini agit de tuenda ſanitate,de qua Gal.in quarta claſſe:hæc diuiditur in tres partes in euectichen, ideſt in boni habitus cõſeruatricem, in profilacticem ideſt in præſeruatricem,quæ prohibet,ne corpora decidentia in ægritudinem cadant, & in Analepticen,ideſt in virium reſumptiuam, quæ pertinet ad corpora conualeſcentia.

Therapeutica continet curatricem: de hac Gal. in quinta, & ſexta claſſe agit.

Præter dictas claſſes librorum Gal. ſũt libri yſagogici, aphoriſmi, & omnia cõmentaria, libri ſpurij qui omnes reducuntur ad dictas claſſes, ideſt yſagogici ad primam: commentaria Hippocratis ad quinque prædictas,prout materiæ referuntur modò ad vnam,modò ad aliam. Similiter libri ſpurij vel reducuntur ad vnam, vel aliam claſſem prout materiæ continent phyſiologicam,vel pathologicam, vel ſimioticam, vel therapeuticam: itaut nullum opus artis medicæ inueniri poſſit, quod ad aliquam ex dictis claſſibus non ſit reducibile: hæc de diuiſione ſecundum mentem Galeni.

QVÆST. VII.

De diuiſione libri.

CVrienti Galeno de vniuerſa medicina tractare, opus erat, vt ageret de omnibus corporum differẽtijs, de omnibus ſignis indicantibus corpora, quocunque modo malè,vel benè affecta, & de omnibus remedijs iiſdem corporibus inſeruientibus: quod in hoc libello diuinitus executus eſt. Quo fit vt ab Expoſitoribus diuiſus ſit in tres libros ſiue in tres partes, in quarum Prima, quæ ſex primis capitibus abſoluitur, diſtinguit omnia corpora, circa quæ verſatur medicus, eaque diuidit in octodecim differentias, vt infra oſtendetur. In hac corporum diuiſione eſt ſolertiſſimus,& meritò, quia medicus rationalis dum vult ſanare, vel conſeruare, alia ratione non diſtinguitur ab inſano Empirico, niſi quia ille intelligit, an corpus ſit ſemper, vel vt nunc ſalubre,inſalubre,vel neutrũ neque audet medicinam admouere, niſi hoc præſciat. Quod arcanum quanti ſit in arte medica,in fine huius primę partis in propria quæſtione contra nonnullos, qui putant tractatum de corporibus eſſe medicinæ inutilem,explicabitur.

In Secunda parte explicat partẽ medicinæ dignoſcitiuam, quæ eſt de ſignis ſalubribus, inſalubribus,& neutris præſentibus, præteritis, & futuris conſtitutionũ corporum ſanorum, neutrorum, & ægrorum, vt mirandum ſit, quomodo humana mens potuerit tam paucis,& tam artificioſè vniuerſam partem medicinæ dignoſcitiuam explicare: atq; exorditur à cap. 7. vſque ad 84. Diuidique poteſt hæc pars in quinque particulas.

In prima,quæ eſt præcipua,quæq; peruenit vſque ad cap.70.prius agit de ſignis optimę temperaturę,quę eſt omnium tẽperaturarum ab illa decedentium μετριότης, & regula: rectum enim ex Ariſt.1.de anima tex.85.eſt ſui,& obliqui iudex;deinde de ſignis octo intemperaturarũ naturalium ſingularum partium principalium,& mox totius corporis habitus.

In ſecunda quæ extenditur vſque ad caput. 75. agit de ſignis malæ conformationis corporum ſanorum.

In tertia de locis communibus, quibus dignoſcimus, quando corpus, & ſingula principalia viſcera ægritudinem patiuntur, quæ perficitur ſeptem capit. ſequentibus.

In quarta de ſignis futuræ ægritudinis,quæ abſoluitur cap.82.

In quinta ſeu poſtrema parte, quæ explicatur cap. 83. cuncta referens ad medicinæ definitionem,concludit,omnia ęgrotãtium ſigna reduci ad ſalubria, inſalubria, & neutra,dicẽdo ſalubria deſumi à virtute operationem, & à coctione excrementorum: inſalubria verò à vitio operationum, & cruditate; neutra ab æquali virtutis naturalis pugna cum morbo,& ab iis quæ nec coctionem,nec cruditatem indicant,vt ſunt digiti denigrati, ſed tali artificio, vt nũquam mirari deſinam admirabile Galeni ingenium, quo

ad tam

m pauca vniuerſa ſigna reduxerit.
rtia pars,quæ eſt à cap.84. ad finem
, agit de remedijs omnibus medici-
rtibus inſeruientibus, diuiditque vt
è ſentit pluſquam commentator
atuor tractatus.
primo qui eſt ab hoc cap. vſq; ad ſe-
am particulam capitis 88. tractat de
ſeu remedijs conſeruantibus ſani-
,quę medicinæ pars à Galeno libro
raſyb. c.30. vocatur ὑγιεινη, ideſt
ruatrix boni habitus.
ſecundo qui producitur vſq; ad ca-
.affert remedia,quibus poſſint om-
orbi curari, quæ pars dicitur θερα-
ευ, ideſt curatiua.
ertio qui perficitur capit.99. docet
s remedijs ſint præſeruanda corpo-
in ęgritudinem cadant, quę medi-
ars vocatur à Galeno lib. ad Thra-
ap.30. προφυλακτικὸν. In quarto,
oluitur cap.100. docet, quomodo
ficienda corpora neutra conuale-
um, & ſenum, quæ medicinæ pars
oco citato vocatur ἀναληπτικη, ideſt
ptiua corporum conualeſcentium,
Galeno lib.ad Thraſyb.cap.7. ha-
anitatem non ſtabilem, & firmam
habitu, ſed lubricam, & in affe-
.

APITIS PRIMI
Particula prima.

PROOEMIVM.

es ſunt omnes doctrinæ ordini inhærentes.

HOC caput continet proœmium: illudque diuidemus facilioris doctrinæ gratia in ſeptem particulas: in hac prima à Galeno proponun-
s doctrinę: quarum prima eſt re-
a: ſecunda compoſitiua: tertia
iua: ex his tribus Galenus laudat
reſolutiuam; quinimmo profite-
te illum neminem tractaſſe artem
am doctrina reſolutiua: quomodo
rũ ſit, infra diſtinctè declarabitur,
ponit tamen in hoc libello tractã-
tota arte medica doctrina defini-
t enim hanc eſſe accommodatiſſi-mam ad memoriam, & ad explicandam totam artem, veluti per compendium.

Hic liber factus eſt à Galeno eo fine, quo Plato in calce Phædri, & Gal.7. methodi cap.1. & 3. de differentijs pulſuum cap.3.dicunt, libros,vel commentaria ferè omnia eſſe facienda ad obliuionem ſenij: in ſenectute enim memoria labitur. Hac ratione in hoc libello tota ars medica doctrina definitiua, quæ breuiſſima, eſt, & ad memoriam accomodatiſſima, explicatur: omnia enim artis medicę capita tum pertinentia ad cognitionem, & curationem, tum ad præſeruationem,& reſtaurationem in declaratione horum trium verborum ſalubris, inſalubris, & neutrius,declarantur, & memoriæ mirificè committuntur.

Quæ verò intelligat Galenus per tres doctrinas ordini inhærentes,videtur difficilè: Expoſitores enim omnes ferè de hac re digladiantur: attamen Gal. clariſſimè ſe explicat, dum ait, quamlibet doctrinam ordinatè expoſitam eſſe vel reſolutiuo, vel compoſitiuo, vel definitiuo ordine traditam: alij enim apud Galenũ non videntur,quod poſſint dari ordines, quibus doctrinæ explicentur: ſed videamus quid intelligat per doctrinas.

QVÆST. VIII.

Quid per doctrinas intelligat Galenus.

CÆterum, quia apud Expoſitores multipliciter ſumitur hoc nomen doctrinę,æquum eſt,vt videamus, quid intelligat per doctrinam: neque par eſt,vt cum alijs expoſitoribus tempus cõteramus in nimiũ fuſa explicatione nominis doctrinæ quia dum dicunt nomen doctrinæ ſumi quatuor modis, videlicet pro habitu, ſicuti dũ dicimus, Hippocratem medica doctrina fuiſſe inſignitum; vel pro actu doctoris in diſcipulum, vel pro modo ſeu methodo docendi, vel denique pro modo ſcribendi, ſicuti eſt doctrina Aphoriſtica, Aſiatica,vel Laconica, nimium tempus conterunt, & falſa dicunt; tempus conterunt præcipuè, qui in hac tedioſa explicatione totam logicã, & totam philoſophiam inuertunt, vt explicent

plicent huius nominis doctrinæ æquiuocationem; ediderunt enim commentum ſupra Pluſquam commentum; immò nõ deſunt, vt audio, qui efficierunt commẽtum ſupra commentum Pluſquam commenti Pluſquam commentatoris, quod Lectores ob tædium à ſtudijs auocat, & mouet riſum; falſa dicunt, quia nomen doctrinæ nõ ſolum quatuor modis enarratis dicitur, ſed pluribus alijs ſicuti doctrina Euangelica, vel erronea, & pluribus alijs modis, alienis tamen ab hac conſideratione. Videamus igitur quid dicant expoſitores.

Manardus putat in hoc loco ſumi doctrinam pro modo ſcribendi, qui triplex fit, vel incipiendo à notione finis, & progrediẽdo ad principia, vel à principijs ad finem, vel per diſſolutionẽ definitionis.

Hæc Manardi expoſitio ſatis eſt accommodata intentioni Galeni, qui vult tradi poſſe doctrinas ordine reſolutiuo, vel compoſitiuo, vel ex diſſolutione definitionis.

Sed videtur à Galeni mente diſcedere, dum putat per doctrinam ſolum ſcribendi modum intelligendum eſſe; cur non poteſt intelligi etiam actus docendi? nonne hæ tres doctrinæ in actu docendi locum habent?

Haly arbitratur Galenum intelligere doctrinam pro actu Doctoris, ita vt dum docet, cogatur vno ex tribus modis procedere reſoluendo nimirum, vel componendo, vel definitionem diſſoluendo.

Hæc interpretatio reijcitur à Pluſquã commentatore, qui aſſerit non ſufficere actum, ſeu prolationem Doctoris ad hoc vt doceat, ſed eſſe operæ pretium, vt hæc prolatio fit per notiora; aliter diſcipulus non addiſcet; incognita enim non addiſcuntur, niſi ex præexiſtenti cognitione.

Hæc impugnatio nulla eſt, quia ſi Doctor fecerit prolationem, non deficient quæ optimo Doctori conueniunt; quare ſupponendum eſt, doctoris prolationem eſſe à notioribus ad ignotiora, ex veris, prioribus, &c. Quo fit, vt malè impugnetur à pluſquam commentatore.

Arbitror tamen Haly. per doctrinam nõ rectè interpretari actum doctoris in docendo, quia hæ tres doctrinæ non ſolum in Doctoris actu, ſed etiam in modo ſcribendi neceſſariò obſeruandæ ſunt.

Pluſquam commentator cenſet in hoc loco ſumi doctrinam pro modo docendi, ait modos docendi eſſe tres, ideoque eſſe tres doctrinas; putat enim, Galenum per doctrinam reſolutiuam intelligere demonſtrationem propter quid; per compoſitiuam demonſtrationem quia, & per doctrinam definitiuam definitionem.

Hæc expoſitio eſt omnibus alijs deterior, quia Galenus ſe declarat, ait enim ſe egiſſe de arte medica doctrina à notione finis, quæ non eſt demonſtratio; ſimiliter Auerroes in libris collig. tractat totã medicinã doctrina à notione finis, quæ ſanè appellanda non eſt demonſtratio; eodem modo Ariſtoteles totam philoſophiam docet doctrina compoſitiua, incipiendo à principijs; quis dicet Ariſtotelem loqui de modo docendi? itidem Ariſtoteles nos docet totam moralem philoſophiam à notione finis, qui eſt felicitas, & ab ipſa præcognita colligit omnia media ordinata ad hunc finem conſequendum; quis dixerit Ariſtotelem in moralibus agere de demonſtratione, vt eſt modus docendi?

Inſuper eſto, quod per tres doctrinas intelligeret demonſtrationem propter quid, quia, & definitionem; negamus tamen doctrinam reſolutiuã referri ad demonſtrationẽ propter quid, & compoſitiuã ad demonſtrationẽ quia; mihi enim ſemper viſa fuit probabilior Conciliatoris opinio, qui differentia octaua probat totũ oppoſitum; doctrinam ſcilicet reſolutiuam referri ad demonſtrationẽ quia; compoſitiuam verò ad propter quid.

Quamuis, neque hæc Conciliatoris opinio explicet quid Galen. ſibi velit per tres doctrinas, vt infra quoque patebit.

Interim tamen colligemus expoſitionem Pluſquam comentatoris eſſe alijs omnibus ineptiorem.

Præterea ſi per tertiam doctrinã, quæ fit per definitionis diſſolutionẽ, Galenus intelligeret definitionem logicam; ſequeretur quod hoc loco ageret de Logica, ergo de definitione vt dat quid, vel propter quid, & non de diſſolutione definitionis, vt proponit Galenus. Amplius Logicus docet componere definitionẽ;

Gale-

ius verò hic docet eam diſſoluere: nes ſunt omninò contrarij: quare modi expoſitio erit omninò à veri- aliena.

ra expoſitio eſſet illa Manardi, ſi per rinam non intelligeret ſolũ ſcriben- odum, quoniam tres doctrinæ non m ſunt in ſcribendo: verum etiam in endo, & in habitu doctrinarum: po- enim doceri diſcipulus exordiendo à e, & procedendo ad principia; & à ncipijs ad finem: & poteſt etiam doce- doctrina definitiua, quę eſt breuiſſima, æ fit diſſoluendo definitionem in om- verborum ſignificata: cuius generis finitio ad memoriam eſt valde accom- odata.

Hæc expoſitio cohęret verbis Galeni, conſueto ſcribendi modo: ſic Ariſtote- es vtitur doctrina reſolutiua in tota mo- ali philoſophia: & Auerroes in ſuo col- iget: & Ariſtoteles vtitur doctrina com- oſitiua in philoſophia naturali exor- diendo à principijs, à materia, ſcilicet forma, & priuatione, à cauſis, & deindè tranſeundo ad omnia corpora naturalia ſemper componendo.

Galenus ſolus vſus eſt doctrina defini- tiua memorię gratia: quod non cognouit Leonicenus, qui dixit etiam Ariſtotelem in omnibus ſuis libris vſum fuiſſe doctri- na definitiua: ſed quænam differentia ſit inter hanc doctrinam definitiuam, & contemplationes Ariſtotelis inceptas à definitione clariſſimè inferiùs patebit.

QVÆST. VIII.

Quid intelligat Galenus per doctrinas ordini inhærentes.

Pluſquam cõmentator duobus mo- dis exponit: primò ait per doctrinas ordini inhærentes intelligi demon- ſtrationem quia, propter quid, & defini- tionem: ſecundò, Galenum dixiſſe ordi- ni inhærentes ad differentiam doctrina- rum ſine ordine, quales ſunt ſyllogiſmus topicus, inductio, & exemplum.

Prima expoſitio reijcitur: quia proceſ- ſus demonſtratiuus non pertinet ad or- dinem, ſed ad methodum: differentia enim inter methodum, & ordinem eſt, quia methodus eſt ex vniuerſalibus cum illatione; ordo verò non ſemper procedit ex vniuerſalibus, neque in ſe vllam con- tinet illationem.

Quod verò methodus propriè ſumpta ſit ex vniuerſalibus, & cũ illatione, patet ex Ariſtot. 2. prior. c. de induct. ubi docet methodum habere formam ſyllogiſticã, & primo prior. loquens de diuiſione, ait, diuiſionem eſſe paruam methodi parti- culam; ibiq; Alex. Aphrod. admonet, per methodum Ariſt. intelligere perfectum ſyllogiſmũ, qui toto Cęlo differt ab ordi- ne, quia ordo omninò excludit illationẽ.

Hinc dicimus, Ariſtot. 1. phyſicor. miro ordine egiſſe de principijs generationis: In 2. de natura, in 3. de motu, & in ho- rum ordine nullam ab illo ſeruatam fuiſ- ſe illationem: ſimiliter in logica primò egiſſe de prædicamentis, deindè de inter- pretatione, demum verò ſine ulla illatio- ne tranſit ad ſyllogiſmum.

Itidem Galenus miro ordine totam artem medicam tradidit ſine illatione, quia ordo, ut ordo, non habet vim illati- uam, & per conſequens de ordine non prædicatur ſyllogiſtica forma: quare va- niſſima eſt expoſitio, quod per ordini in- hærentes intelligat demonſtrationem.

Quòd verò per ordini inhęrentes non poſſit intelligi definitio, ſatis erit hæc po- tiſſima ratio: Definitio vel erit, quæ per- tinet ad primam operationem intelle- ctus, & hæc eſt ſimplicium apprehenſio, quæ ſine vllo ordine vnico verbo expri- mitur, quæq; tota eſt in primo modo di- cendi per ſe: in hac nemo dicet, ordinem eſſe neceſſarium; uel erit quæ ſolo ſitu differt à demonſtratione, quę eſt ipſamet demonſtratio, illationemq; continet, & nullo modo dici poteſt ordini inhærens, ſed potius methodus.

Leonicenus in quęſtione de tribus do- ctrinis non immeritò reijcit ſecundam expoſitionem Pluſquamcommentatoris, quia probat doctrinam conuenire indu- ctioni, enthymematibus, & exemplis: quia Ariſtoteles primo poſteriorum tex. ptimo, probans, omnem doctrinam fieri ex præexiſtenti cognitione, ſub nomine doctrinæ complectitur etiam inductio- nem, exempla, & enthymemata: infert ergo, doctrinas ordini inhęrentes nõ eſſe ſolum

ſolum duas demonſtrationes, & definitionem.

Montanus videns ordinem eſſe de ratione doctrinę, vt nos dicimus, rectè animaduertit in tex. gręco hęc verba τάξεως ἐχόμεναι: verbum græcum ἔχω, ideſt habeo exigere, poſt ſe accuſatiuum, & in hoc loco conſtrui cum genitiuo, quod ſignificat habere aliquid admodum intrinſecè, ita vt ordo intrinſecè, & eſſentialiter prædicetur, vt nos oſtendemus, de vera, & propriè ſumpta doctrina: dũ verò conſtruitur cum accuſatiuo, componitur propoſitio accidentalis, & non eſſentialis, & per ſe: quia non dicimus hominem habere animal rationale, vel riſibilitatem, ſed dicimus rationale, & riſibile eſſe hominis, vel inhærere homini.

Curtius ait tres eſſe doctrinas ordini inhęrentes, ideſt quę in ſe talem habeant ordinem, vt vna ſit prima, alia ſecunda, & alia tertia.

Quæ expoſitio reijcitur: quia ſi doctrinæ inuicem haberent talem ordinẽ, Gal. dixiſſet: πρὸς ἀλλήλας quare non poſſunt dici inter ſe illo modo ordinatæ.

Iacobus Zabarella primo lib. de methodis, c. 2. cenſet, Galenum per tres doctrinas ordini inhærentes intelligere tres modos ordinatè docendi ſcientias, & artes: additq; Galenum non conſideraſſe, quod ordines dicantur doctrinæ. Præterea reijcit omnes qui putant, doctrinam eſſe genus ordinis, methodi, & omnium ſcientiarũ, & artium: quia ſi aliquis fuerit inſignitus artis ædificatoriæ habitu, illumq; alios doceat, ait hanc doctrinam ſumptam pro actu docendi eſſe quid accidentale, & non genus eſſentiale: poteſt enim illam docere, & non docere. Addit præterea, ſi doctrina hoc modo ſumpta eſſet genus omnium artium, artes nõ eſſent artes, niſi quando docerẽtur, quod eſt abſurdum, & à veritate alienum. Similiter aliquis poteſt eſſe præditus ſcientijs, ordinibus, diſciplinis, eas tamen alios non docere: quare doctrina non ſolùm erit genus ordinum, methodorum, artium, & ſcientiarum, verùm neque erit accidens inſeparabile.

Reijci poteſt Zabarella ſuppoſita doctrinæ diſtinctione: quia non ſolum ſumitur doctrina pro actu docendi, verùm etiam pro actu ſcribendi, & pro habitu, vt ſuperius diximus: ſic ſumpta doctrina eſt quid communius, quod prædicatur de omnibus artibus, ſcientijs, & ordinibus: ſi verò ſumatur doctrina ſtricto modo pro actu, ſcilicet docendi, cenſeo, non quod doctrina prædicetur de ordine, & methodo, ſed verſa vice, quod ſcilicet ordo, & methodus prædicentur de doctrina: eſt enim omninò impoſſibile, vt aliquis doceat ſine ordine compoſitiuo, vel reſolutiuo, & ſine methodo aliquã illationem habente, vnde fit, vt ordo, & methodus ſint proprietates conſequentes doctrinam ſumptam pro actu docendi.

1 Dubitatio ſuboritur, quia ſuperius dictum eſt, doctrinam latè acceptam eſſe quid accidentale ordinibus: deinde tamen diximus, ordinem, & methodum eſſentialiter prædicari de doctrina.

Reſpondetur, nullum eſſe inconueniens, quod aliquid vni ſit eſſentiale, & alteri accidentale: non ne omne genus eſt ſuis ſpeciebus eſſentiale, prædicaturq; in primo modo docendi per ſe? non ne quælibet ſpecies ſeorſum ab alijs ſpeciebus cõſiderata eſt ſuo generi accidentalis? hoc philoſophorum nemo negabit: Animal enim de homine prædicatur eſſentialiter, homo verò de animali accidentaliter: accidit enim animali, vt homo ſub ipſo contineatur: poteſt enim animal commodè ſtare ſine homine: ſimiliter dicimus doctrinam eſſe accidentalem artibus, & ſcientijs ordine traditis, dicimus tamen ordinem, & methodum de doctrina ſumpta pro actu docendi eſſentialiter prædicari: eſt enim impoſſibile, vt aliquis doceat, & non obſeruet in actu docendi ordinem reſolutiuum, vel compoſitiuum, vel aliquam methodum habentem illationem.

Bernardinus Paternus Præceptor meus nouam afferebat expoſitionem: dicens in doctrinis duplicem eſſe ordinem, alium rerum, de quibus doctrinæ traduntur: alium theorematum: poſita hac diſtinctione, eaque veriſſima, dicebat, Galenum in hoc tex. non loqui de ordine ratione rerum, ſed ratione theorematum: colligebat hanc diſtinctionem ex Gal. libro de conſtitutione artis medicæ cap. 11. vbi docet theorematum ali-

qua

ſſe artium materias, aliqua tanquã
tas: dicebatque materias artium eſ-
mmunia, & vniuerſalia theorema-
ormas verò eſſe particularia artium;
icabat hanc diſtinctionem hoc mo-
: dum reſoluitur medicinæ definitio
uas partes, putabat Galenum di-
e doctrinam definitiuam ordini in-
ere, quatenus doctrina reſpicit ordi-
n theorematum, & non rerum. Simi-
r dicebat doctrinam reſolutiuam, quæ
lini inhærer, non reſoluere in cauſas,
in theoremata; dabatque hoc exem-
m; vulnus ſimplex non habet cauſam
alem à vulnere diſtinctam; ideò do-
rina vulneri accommodata non inhæ-
t ordini rerum; eſt tamen apprimè ac-
ommodata doctrina reſolutiua, vt in-
ereat ordini theorematum; quia in per-
uirendis remedijs ſimplicis vulneris
rdo theorematum, & non rerum miri-
icè confert: dum enim reſoluimus vul-
us ſimplex carens cauſa in theoremata
primo dicimus, hoc vulnus, vt tale indi-
care vnionem; deinde dicimus non poſ-
ſe vniri, niſi labia adducantur, & con-
ſeruentur vnita, hocque non poſſe effici,
niſi per futuras, vel faſcias; ſed quia ge-
neratur ichor impediens vnionem, ideo
ex præcedente theorematum ſerie col-
ligimus eſſe exſiccandum; ecce (dicebat
Paternus) quod datur ordo reſolutiuus,
qui non reſoluit in cauſas, ſed in theore-
mata; ordinem verò rerum dicebat non
reſoluere in theoremata, ſed exordiri, vt
docet Ariſtoteles 5. meta. tex. 1. vnde
quis facilius diſcat; ſi verò vna res non
dependet ab alia, ordinem eſſe ad libi-
tum; ſicuti dum Galenus in methodo
medendi agit prius de vlceribus, quam
de intemperie; ſimiliter libro de inæquali
intemperie tractans de fluxionibus, quæ
ſunt duum generum, alia quæ à natura
vincuntur, & aliæ quæ vincunt naturam,
dicebat, Galenum ibi agere prius ſine ne-
ceſſitate de ijs, quas natura vincit. Infe-
rebat Paternus, Galenum, dum dicit tres
eſſe doctrinas ordini inhærentes, intelli-
gere ordinem Theorematum, & non re-
rum, tam in doctrina definitiua, quàm
compoſitiua, & reſolutiua; dicebat enim
illum ordinem eſſe quid intrinſecum
valde diuerſum à rerum ordine; Quam
diſtinctionem, cùm expoſitores non ani-
maduerterint, dicebat in explicatione il-
lorum verborum omnes in quam pluri-
ma incidiſſe errata.

Hæc Paterni expoſitio, neque explicat Galeni ſenſum, neque affert aliquid no-
ui, quia, vt infra oſtendetur ex Ariſtotele & Galeno doctrina reſolutiua exorditur à fine ad ea quæ conſequuntur finem, tã in rebus, quàm in Theorematibus, quia Theoremata diuiduntur in principia, & concluſiones; & quamuis non ſint cauſæ rerum, ſunt tamen cauſæ cognitionis; quare quãdo oſtendebat in vulnere ſimplici nos per Theoremata particularia aſcendere ad Theoremata vniuerſalia, dicimus iſtum proceſſum eſſe ab effectu ad cauſam, neque vocari ordinem, ſed methodum; differt enim, vt diximus ex Ariſtotele ordo à methodo; eo quod methodus fiat cum illatione, ordo verò ſine illatione.

Eadem methodus obſeruatur ab Ariſtotele in primo phyſicorum, dum eleuat nos ad cognitionem materiæ primæ per tranſmutationem ſubſtantialem; dum probat prima contraria, formam ſcilicet, & priuationem eſſe prima principia, quia non fiunt ex alijs, nec ex alterutris, ſed ex his omnia. Similiter in alijs libris ſemper per theoremata, quæ pertinent ad methodum, procedit.

Eodem modo Euclides in lib. elementorũ ſeruat viam compoſitiuam, tũ ratione rerum, tum ratione Theorematum.

Ad eundem modum Galenus in arte medicinali proponit definitionem medicinæ compoſitam ex vocibus æquiuocis, deinde declarando illa nomina per varia Theoremata conſtruxit artem medicinalem, ſed dicimus eum, dum tranſit à particularibus Theorematibus ad vniuerſalia, vel verſa vice, vti methodo, & non ordine; quare expoſitio Paterni non erat ſufficiens pro explicatione illorum verborum ordini inhærentes.

Vera opinio eſt, quod per ordini inhærentes intelligi debeant doctrinæ ordinatæ; dicimuſque ordinem ex Ariſtotele primo de moribus cap. 4. & alibi, duplicem tantùm eſſe, ſiue in rebus conſideretur, ſiue in Theorematibus, alterum

rum à primis, qui eſt compoſitiuus, alterum verò ad prima, qui eſt reſolutiuus: ſtatuamus ergo per ordini inhęrentes intelligere doctrinas, quæ altero ex his ordinibus vtantur: ſed quia hæc expoſitio uidetur excludere doctrinam definitiuã, paulò infra oſtendemus, definitiuam quoq; reduci tamquam ad proprium genus ad ordinem vocatum ab Ariſtotele ad prima, reſolutiuum ſcilicet & diſtinctiſſimè Galeni mentem explicabimus.

CAPITIS PRIMI Particula II.

Tex.2. *Prima quidem ex notione finis, quæ per reſolutionem fit.*

INcipit à doctrina digniori, quę eſt reſolutiua: hæc procedit ex notione, ſeu ex definitione finis; in hac doctrina à fine præcognito colliguntur omnia, quæ nos ducunt ad prima, & ſimplicia elementa, quæ licèt ſint vltima in cognitione; prima tamen ſunt in operatione.

Ariſtoteles in logicis, & in morali philoſophia, Galenus verò in lib. de conſtitutione artis, & Auerroes in Colliget vſi ſunt hoc ordine reſolutiuo, qui eſt à notione finis: Ariſtot. 7. metaph. tex. 23. ait, omnes artes eſſe tradendas ordine reſolutiuo, qui eſt à definitione finis; dicit .n. à definitione domus colligi quæ debeant eſſe eius fundamenta, qui parietes, quod tectum, & ab ijs qui lapides, quæ cæmenta, & ligna, quæ ſunt ultima in cognitione, prima tamen in executione.

Similiter 6. de moribus cap. 5. & 7. eodem cap. 8. inquit, finem in agendis eſse vt ſuppoſitiones apud mathematicos. Prætereà Ariſt. in libris de moribus ſeruat hunc ordinem reſolutiuum; primò definit fęlicitatem, & ab hac præcognita colligit media, & omnia, quæ neceſſariò requiruntur ad illam conſequendam.

Similiter in libris analyticis volens ſyllogiſmos conſtruere, primò definit ſyllogiſmum, & primo poſt ſcire, & demonſtrationem; deindè colligit omnia, quæ requiruntur ad conſtruendum ſyllogiſmum, & demonſtrationem.

Galenus lib. de conſtitutione artis medicæ dicit in primo, penultimo, & vltimo cap. artem medicam conſtrui à notione finis, ibiq; definit ſanitatem, & ab illa notione totam artem conſtituit.

Auerroes in ſeptem libris ſui Colliget, reſolutiuo ordine totam medicinam declarat; incipit enim à fine, finis autem eſt ſanitatem conſeruare, vel recuperare; ſed quoniam ſanitas eſt paſſio corporis humani, agit in primo libro de anatome, in ſecundo de ſanitate, in tertio de ægritudine, quia ægritudo eſt ſanitas amiſſa, in 4. de ſignis ægritudinis, in 5. de cibis, & auxilijs medicis, & de auxiliorum materijs, in 6. de ſanitate conſeruanda, in 7. quomodo amiſſa recuperetur.

Auicenna ſimiliter totam medicinam tractat ordine reſolutiuo; quia procedit à finis definitione, & tranſit ad media omnia cognoſcenda pro introducenda, uel conſeruanda ſanitate. Quòd procedat à finis definitione, patet, quia in principio primi libri definit medicinam eſſe ſcientiam, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur, ex parte, qua ſanantur, uel ab ea remouentur, ut habita ſanitas conſeruetur, & amiſſa recuperetur; finis igitur in medicina eſt conſeruatio, & recuperatio ſanitatis humani corporis; ideo eſt prorſus impoſſibile, ut noſcamus media ad hunc finem conſequendum, niſi perfectè cognoſcatur ſanitas; quare, cùm ſanitas ſit corporis humani bona conſtitutio, quæ prædicatur de temperatura, compoſitione, & vnitate, non poterat Auicennas volens ſeruare ordinem reſolutiuum tractare de medicina, niſi prius doceret, quomodo conſtitutum ſit corpus, quod vt faciat æquum erat, ut deindè de elementis, de complexionibus, de humoribus, de anatome, & de omnibus facultatibus naturalibus viuentis ageret. Hæc cognitio eſt illa, quæ pertinet ad finis notionem, ſeu definitionem; cognita enim ſanitate ex ſuis principijs, deindè media ad illam conſequendam, uel conſeruandam facilè penetrantur.

Tractatus Auicennæ non eſt multum diſſimilis ab Auerrois; tractat enim in duobus partibus primi libri illud, quod Auerroes in 4. libris ſui colliget; quod verò in tribus libris vltimis tractatur

ab Auerroe exponitur ab Auicenna in duobus poſtremis ſui primi libri. In alijs uerò libris Auicennas iterum magis particulari, & magis exquiſita declaratione de remedijs conſequentibus ſanitatem verba facit; finis enim, quia duplex eſt, vniuerſalis, & particularis, meritò à finis vniuerſalis notione in primis libris procedit, & totam artem medicam in genere ordine reſolutiuo declarat; in tertio, & quarto à finium particularium notione accuratiſſimè de qualibet ęgritudine ſermonem habet; Auicennas itaque non poterat meliori, & artificioſiori ordine reſolutiuo agere de arte medica.

Communis itaque opinio Medicorum non poteſt mihi probari, quod ſcilicet Auicennas ſeruet in tractanda medicina ordinem compoſitiuum, & non reſolutiuum; ratio illorum eſt, quia Auicennas incipit ab elementis, & deinde de humoribus, & de anatome totius corporis; dicunt hæc eſſe principia; quare, cùm ordo compoſitiuus ſit à principijs, putant Auicennam ſeruaſſe ordinem compoſitiuum, & non reſolutiuum.

Nos verò dicimus, non ſolùm Auicennam egiſſe de arte medica ordine compoſitiuo, ſed neque potuiſſe ut dogmaticum, & rationalem agere de medicina ordine compoſitiuo. Præterea erat impoſſibile, vt Auicennas procederet à notione finis, & finem relinqueret, vt ignotum; finis eſt ſanitas corporis humani; media ad finem conſequendum ſunt auxilia; ſed de auxilijs non poteſt agi, niſi conſtitutiones corporis prænoſcantur ratio eſt, quia auxilia indicantur à conſtitutione. Præterea conſtitutio prædicatur de temperatura, compoſitione, & vnitate; temperatura autem fit à ſymmetria primarum qualitatum; quare niſi tractetur antè omnia de elementis, de humoribus, de complexionibus, & de anatome eſt impoſſibile, & conſtitutionem corporis bonam, vel malam dignoſcere, & auxilia pro ea conſeruanda, vel curanda admouere; ecce quomodo ordine reſolutiuo Auicennas vſus eſt.

Quod autem ordo, quo tractatur ars medica, debeat eſſe reſolutiuus, colligi poteſt ex Ariſtotele multis modis: primò 7. metaphy. tex. 23. vbi uult, omnes artes eſse tractandas ordine reſolutiuo, qui eſt à notione finis: quis reluctabitur Ariſtoteli? Præterea non ne Ariſtoteles 2. phyſicorum tex. 26. inquit, Medicum conſiderare neruum, & fabrum æs alicuius gratia unumquodque? quare niſi medicus prius conſideret neruum, nunquam colliget auxilia pro auferẽda mala nerui diſpoſitione, quare eſt neceſsarium, ut prius de temperatura agatur, quam de auxilijs, ſi ordo reſolutiuus ſeruandus ſit. Amplius, primo de moribus cap. ultimo protulit hanc ſententiam; medicus curaturus oculum cognoſcat oportet oculum; ergo de ægritudinibus oculorum non poteſt agi, niſi priùs de eorum temperatura, de compoſitione, & de anatome, deque alijs pertinentibus ad cognitionem tractetur.

Hipopium in oculo certè non ſanaretur, niſi ſaltem præcognoſceretur conformatio. Hinc Galenus 14. methodi cap. ultimo dicitur Hipopium non ſanari, niſi pungatur cornea paulò ſupra iridẽ vbi committuntur oculorum tunicæ.

Similiter dilatatio pupillæ, vel conſtrictio, niſi præcognoſcatur ciliaris, & eius vſus nunquam intelligemus remedium, & ſic de omnibus alijs paſſionibus dicendum eſt, præcognoſcendas eſse temperaturas, & partium conformationes.

Galenus demum in tota arte medica fuſiſſima oratione explicata vtitur ordine reſolutiuo; vnde ego miror doctiſſimum Curtium, & alios, qui ſuſtinent, Galenum medicinam declaraſse ordine compoſitiuo, quod eſt falſiſſimum: quia Galenus ſemper quidquid dixit de medicina, id collegit ex finis notione, finis enim eſt ſanitas introducenda, uel conſeruanda.

Sed ſanitas declarari non poteſt, niſi conſtitutio partium declaretur; quia ſicuti morbus eſt mala, ita ſanitas eſt bona conſtitutio: Cæterum quia cõſtitutio eluceſcit ex cognitione conſtitutionis ſimilarium, & diſſimilarium partium; ideò de temperatura, de elementis, de anatome prius iure meritò egit Galenus.

Ideoque in ſecunda claſse collocati ſunt libri de morbis, de cauſis, de ſymptomati-

matibus: niſi enim præceſſiſſet cognitio partium ſimilarium, & diſſimilarium non potuiſſet Galenus de morbis, & ſymptomatibus uerba facere.

In tertia, ſuppoſita cognitione affectuũ præternaturam, & partium ſimilarium, & diſſimilarium, egit de locis affectis, de pulſibus, &c. ſine anatome, & libris de morbis, & cauſis eſſet prorſus impoſſibile, vt tractaſſet artẽ dignoſcendi affectus.

His optimè declaratis in quarta claſſe de alimentis, & de tuenda ſanitate.

In quinta de remedijs, ideſt de ſimplici medicina, & de compoſitione medicamentorum.

In ſexta de methodo medendi, de arte curatiua ad Glauconem, & de alijs pertinentibus ad curationem. In ordine reſolutiuo, qui fit à notione finis, ſeruatur hæc Ariſtotelis lex, quod primum in executione ſit vltimum in cognitione: primum in executione ſunt remedia, uel methodus medendi, ideò Galenus vltimo loco tradidit libros methodi, & primo loco egit de elementis, de temperamentis, quia ſine harum rerum cognitione bona, vel mala conſtitutio cognoſci non poteſt.

Hinc Gal. lib. de conſtitutione artis c. 11. habet, hęc uerba, *quomodo vitia, & morbos humani corporis, et partium eius rectè curabit medicus, niſi partes ipſas cognoſcat?* patet igitur, à Galeno artem medicam fuſa oratione explicatam ordine reſolutiuo eſse traditam, uerum quia, qui libros Galeni in claſses ordinarunt, vt Montanus, & alij in aliquibus ſunt diſcordes, nos de claſſificãtium diſputationibus nil dicimus: quia de hac re diſſerere non eſt huius loci, neque temporis.

Nos quoque ex altioribus Ariſtotelis principijs ſic colligimus, omnes artes tradendas ordine reſolutiuo: nonne affectus præter naturam reſpectu propriorum ſubiectorum, vel partium læſarum prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe? qui hoc negaret eſſet omninò indignus nomine medici, & philoſophi: Ariſtoteles enim primo poſterio rum voluit, affectus, ſeu paſſiones proprias dignoſci, ac definiri per ſubiecta propria, ita vt omnis cognitio paſſionum dependeat à ſubiectis, & ſubiecta ingrediantur earum eſſentiam, quare numquam innoteſcet ſanitas, vel morbus, niſi ſubiecta prius declarentur: ſubiecta declarantur, dum de eorum elementis, temperamentis, & anatome agitur: hicque proceſſus eſt à notione finis.

Poſtremò eandem doctrinam Galen. libello de plenitudine paſſim declarat: dicit enim, partem plenitudine laborantem inueniri non poſſe: niſi ſcientia exquiſita diſſectionis, & naturæ cuiuſque partis, quæ ſit in animali habeatur, patet igitur ex dictis Galenum, & Auicennam in tota medicina vſos fuiſſe ordine reſolutiuo, & non compoſitiuo.

1 Dubitatio inde oritur, quia videtur, quod Galenus admittat medicinam tradi poſſe ordine compoſitiuo. Præterea quid prohibet, quod non tractetur ordine compoſitiuo?

Reſpondetur, medicinam conſiderare dupliciter, vel vt eſt operans, vel vt aliquo ordine docetur: dicimus, ſi conſideretur vt operans, non ſolùm medicinam ſed omnes artes operantes ſeruare ordinem compoſitiuum, ordo enim artis docentis ex Ariſtotele 7. meta. tex. 23. eſt contrarius ordini artis operantis; hinc ædificatoria ars operans non incipit à tecto, ſed à lapidibus, cæmentis, & ab his ſimpliciſſimis principijs, adhoc vt conſtituat fundamenta, ſimiliter medicina operans, vt introducat ſanitatem, ſtatim ſubducentia aluum proponit, deinde ſanguinis miſſionem; mox alterantia, & præparantia, & poſtremò euacuantia, quæ ſunt illa, quæ ſanitatem introducunt. Hic ordo eſt compoſitiuus, quia exorditur à primis. Cæterum ſi conſideretur ars, vt docens, dicimus alio modo non poſſe doceri, quàm ordine reſolutiuo, vt dictum eſt.

2 Dubitatio inde exurgit, quia Galenus inquit, Antiquos tractaſſe artem medicã ordine cõpoſitiuo; ergo falſum, eſt quod diximus, medicinam videlicet, & alias artes non poſſe tradi ordine compoſitiuo.

Reſpondetur, qui aliquid tractant ordine compoſitiuo, exordiri ab eo, quod eſt primum in executione, hocque eſſe remedium. Sed peto, quomodo remedium omiſſa cognitione affectus, & loci affecti inueniri poterit? conantur ergo di-

dicere, quod tractatus de medicina factus ordine compoſitiuo incipiat à remedijs ſine vlla præcognitione cauſarum,& ſine aliqua ſignorum ſyndrome, quia etiam qui à ſignorum ſyndrome exordiũtur debent quoque ex neceſſitate procedere à notione finis, coguntur itaque fateri, quod proceſſus ordine compoſitiuo factus habet exordium à remedijs, ſpreta etiam præcognitione empirica, quod cõueniret ſolum infimis circulatoribus, & mente captis, qui ſolent proponere vnicum ſecretum procurãdis omnibus morbis ſine vlla morborum præcognitione.

Hinc fit, quod agentes de tota medicina, & de vnico tantùm morbo non poſſint alio ordine procedere, quàm reſolutiuo, idest à notione finis, qui ex neceſſitate ſupponit principiorum cognitionẽ. Dum verò Antiqui tractarunt medicinam ordine compoſitiuo, vel dicimus illos fuiſſe inſanos empiricos, vel vſos fuiſſe ordine compoſitiuo cum aliqua finis prænotione, quia merum compoſitiuum dari negamus, ſed paulò infra in propria quæſtione funditus tolletur dubitatio.

3 Dubitatio oritur ex dictis Ariſtotelis, qui primo libro de moribus cap. 4. cum Platone cenſet, dari duos ordines, compoſitiuum videlicet, quem vocat à primis, & reſolutiuum, quem vocat ad prima, qui eſt à notione finis, attamen Ariſtoteles 6. de moribus cap. 5. & libro 7. cap. 8. docet finem in actionibus eſſe principium, ſicuti in mathematicis ſuppoſitiones, videtur contradictio in Ariſtotele; quia ſi finis eſt principium, ordo reſolutiuus debet vocari à primis, ſeu à principijs, & non ad prima, ſeu ad principia.

Reſpondetur principium conſiderari dupliciter, vel vt eſt principium cognitionis, vel rei: dico, ordinem reſolutiuum ſemper exordiri à principijs cognitionis, & non operationis; dum dixit Ariſtoteles ordinem reſolutiuum eſſe ad principia, non intellexit ad principia cognitionis, ſed ad principia rei, quæ tamen ſunt principia operationis.

QVÆST. X.

Quid intelligant Expoſitores per finis notionem.

HActenus probatum eſt, Galenum per finis notionẽ intelligere definitionem eſſentialem finis, illudque probauimus progreſſu, & auctoritate Ariſtot. Auerr. & Auicenn. demumque ex arcanis analyticis idem colligimus. Videamus modo quid intelligant expoſitores per finis notionem.

Pluſquamcommentator putat, Galenum per doctrinam à notione finis intelligere demonſtrationẽ propter quid, per compoſitiuam demonſtrationẽ quia.

Quæ opinio repugnat veritati, Ariſtoteli, & Gal. veritati, quia doctrina à notione finis ſupponit integram doctrinam conflatam multis demonſtrationibus tã à priori, quàm à poſteriori. Inſuper ſi per doctrinam reſolutiuam Galenus intelligeret demonſtrationem propter quid tãtum, doctrina reſolutiua contineret ſolũ demonſtrationem propter quid, & nunquam quia quod eſt vaniſſimum. Amplius in multis facultatibus vix inueniri poteſt aliqua perfecta demonſtratio propter quid; ergo nunquã, vel rarò inuetur tur hęc doctrina reſolutiua. Repugnat, quoque Galeno, qui libro de conſtitutione artis procedens ex notione finis vtitur frequentius demonſtratione quia, quam propter quid. Similiter Ariſtoteles in moralibus procedens ex notione finis, vtitur tam demonſtratione à priori, quàm à poſteriori; ergo vana videtur hęc opinio.

Conciliator differentia octaua habet contrariam ſententiam, dicitque doctrinam reſolutiuam eſſe demonſtrationem quia, doctrinam uerò compoſitiuam eſſe demonſtrationem propter quid.

Nos dicimus, ſi Conciliator intelligat, doctrinam reſolutiuam magis aſſimilari demõſtrationi quia, quam propter quid, non poſſe improbari; ſi verò intelligat, quod ipſamet doctrina reſolutiua ſit demonſtratio quia, cenſemus, eaſdem inſtantias, quæ ſunt propoſitæ contra Pluſquam commentatorem, habere locum

contra Conciliatorem; quia quælibet doctrina continet in ſe non vnicã, ſed plures demõſtrationes à priori,&à poſteriori.

Inſuper doctrina reſolutiua, & compoſitiua non dant quia,vel propter quid; hoc enim conuenit demonſtrationibus. Amonius, Philoponus, & alij Græci putarunt,quatuor eſſe methodos,diuiſiuam ſcilicet reſolutiuam, definitiuam, & demonſtratiuam, nemo vnquam dixit doctrinam reſolutiuam eſſe demonſtratiuam, dixerunt tamen illas quatuor methodos multum conferre ad conſtruendas definitiones, & demonſtrationes.

Poſtremò patet, quòd nec via reſolutiua, nec compoſitiua poſſit eſſe demonſtratio quia,vel propter quid: etenim reſolutio, & compoſitio conſtant ex duobus terminis tantùm; demonſtratio verò ex tribus, videlicet ex maiori extremo, minori, & medio.

Quod verò uia reſolutiua, uel compoſitiua cõſtent ex duobus terminis colligi poteſt ex Amonio in comm. Porphirij,& Euſtratio in principio 2. poſt. qui dicunt reſolutiuam viam eſſe, vel dum diuidimus corpus in brachia, pedes &c. & brachia in oſſa, & oſſa in quatuor elementa, & quatuor elementa in formam, & materiam, vel dum reſoluimus indiuidua in ſpeciem ſpecialiſſimam,& hanc in genus vſque ad generaliſſimum.

Dicimus nos in vtraque via reſolutiua duos tantùm terminos contineri, ideſt maius extremum, & minus extremum, & non medium terminum: ex uia enim illa reſolutiua colligimus, carnem conſtare ex quatuor elementis, uel ex materia,& forma,ſed cur talia ſint,inde non colligimus; quia requiritur medius terminus, qui nos ducat ad cognoſcendum illud,quod eſt ex ſe ignotum. Quare, & Conciliatoris,& Pluſquamcommentatoris opiniones ſunt vaniſſimæ.

Saluus Sclanus declarans,quid ſit finis notio,ait,eſſe præoptationem, & deſiderium ipſum tamquam bonum quoddam aſſequendi: comprobat auctoritate Gal. lib.de ſalub.c.29. ad Traſyb. & exemplis, quod niſi quis optauiſſet bonum ſanitatis non conſtituiſſet medicinã: infertq;finis notionem eſſe præoptationẽ, uel deſiderium conſequendi facultatem medicinę.

Quæ opinio eſt admodum diminuta,& non explicat arcanum contentum in illa particula ex notione finis, quia ſi ſufficeret deſideriũ aſſequendi bonũ, poſſemus etiam ſuſtinere philoſophiam naturalem procedere à notione finis: omnes enim ſtudioſi philoſophiæ in primis deſiderant rerum naturaliũ cauſas penetrare, hocq; deſiderio perciti diu,noctuq;in contẽplatione verſantur:quis tamẽ dicet naturalẽ philoſophiã procedere ex notione finis?

Dicimus itaque per finis notionem eſſe intelligendam definitionem eſſentialẽ finis, ex illa enim profũdè percepta omnia media ad finem conſequendum colliguntur: ſed quia ſuperius fuſiſſima oratione oſtendimus, quomodo Galen. Auer.& Auicenn. per finis notionem intelligant definitionem eſſentialem, & quomodo à notione definitionis medicinæ totam artem medicam tractent; non eſt, vt de hac re amplius loquamur.

PRIMI CAPITIS

Particula III.

Secunda ex compoſitione conſtat eorum, quæ ex reſolutione fuerunt inuenta.

HÆc ſecunda doctrina,quę dicitur compoſitiua eſt diuerſa à reſolutiua;diuerſa, quia reſolutiua incipit à notione finis, & à fine colligit omnia media ad illum conſequendum;compoſitiua uerò componit quę ſunt inuenta per doctrinam reſolutiuam.

Eſt diuerſa,quia reſolutiua tẽdit ad cognoſcenda principia rei; cõpoſitiua verò incipit à principijs rei,& tendit ad finem.

Eſt diuerſa, quia reſolutiua conuenit ſolùm artibus,prudentiæ,& logicis diſciplinis; compoſitiua ſolùm ſapientiæ, & ſcientiæ, ſicuti eſt philoſophia naturalis, mathematica, & metaphyſica.

Eſt diuerſa;quia finis in doctrina reſolutiua eſt ita notus, ut ſunt ſuppoſitiones apud mathematicos,ut dicit Ariſtot. 6. de morib.c.5.& alibi; finis uerus in doctrina cõpoſitiua eſt ignotiſſimus;antequam .n. cognoſcatur, oportet prius principia, & quæ ſequuntur ex principijs penetrare.

Eſt

Eſt diuerſa, quia in doctrina reſolutiua finis eſt veluti medius terminus, in compoſitiua eſt veluti maius extremum. Demum finis æquiuocè prædicatur de fine doctrinæ reſolutiuæ, & de fine doctrinæ compoſitiuæ, quia finis in doctrina reſolutiua eſt finis reſpectu noſtri, & non reſpectu rei, dum enim ædificator concipit domum idealem, & ex eius notione inuenit media; idealis domus non eſt illa, quæ verè eſt finis rei, tranſit ſolum ædificator, vt dicit Ariſtot. 7. meta. tex. 23. à notione domus idealis, ſiue mentalis ad inuenienda media gratia conſtruendi domum materialem, ſiue realem; ecce, quod iſti duo fines nomine, & non definitione conueniunt, æquiuocè ergo in doctrina reſolutiua ſumitur finis.

Vtinam medicus, dum concipit ſanitatem tanquam finem, & ab illius notione inueſtigat media, finis eius eſſet illa ſanitas, quam vult introducere. Nos à medico tamquam à Numine, & ſani, & æterni redderemur.

Cognito diſcrimine inter doctrinã reſolutiuam, & compoſitiua, par eſt, ut uideamus, quomodo doctrina compoſitiua fiat ex ijs, quæ fuerunt inuenta per reſolutionem, & quia Ariſtot. auctoritate, & exemplis hoc facilè dignoſci poſſit, ad Ariſtotelem confugiamus; Ariſtot. enim 7. meta. tex. 23. habet, ordinem artis docentis eſſe contrarium ordini artis operãtis, in docente ſeruatur ordo reſolutiuus; in operante compoſitiuus; immò tota ars operans eſt compoſita, ut optimè dicit Galen. ex ijs, quę per reſolutionem fuerunt inuenta in arte docente, ars ędificatoria docens ex notione finis, ſcilicet ex notione magnitudinis domus colligit quod tectum, qui trabes, quę fundamenta, & demum qui lapides, & cęmenta conueniant. Ars uerò operans colligit omnia, quæ fuerunt inuenta per doctrinam reſolutiuam, incipit tamen à primis, & ſimpliciſſimis ordine compoſitiuo, à lapidibus, uidelicet, & cæmentis.

Quod diximus de arte ædificatoria, dicere poſſumus de omni arte, quia omnis ars, uel eſt docens, uel operans, ſimiliter Medicus docens medicinam non poteſt vti alio ordine, quam reſolutiuo, medicus operans ſolo compoſitiuo, incipit tamen à ſimpliciſſimis principijs pro introducenda ſanitate, quare non ſolum ſcientiæ ſpeculatiuę, ſed omnes artes operantes incipiunt componendo, ſeu vtuntur ordine compoſitiuo.

1 Dubitatio hic ſuboritur, an ſcientijs conueniat ordo reſolutiuus à notione finis, ſed quia ſuperius diximus nullo modo doctrinam reſolutiuam conuenire Philoſophiæ naturali, Metaphyſicæ, & Mathematicis diſciplinis, par eſt, ut uideamus quid alij dicant in hac re.

Plurimi ſunt medici, & philoſophi qui putant, omnes doctrinas cõuenire poſſe omnibus ſcientijs ſpeculatiuis, ergo, & ſolutiua, ſed quia reſolutiua procedit ex notione finis, conantur oſtendere, quis nam ſit iſte finis, à cuius notione tradi poſſit aliqua philoſophia ſpeculatiua, ſunt igitur, qui dicunt in contemplatiuis ſemper ſeruari ab omnibus auctoribus ordinem reſolutiuum ab hac finis notione, uidelicet à deſiderio ſciendi deſumptum, dicunt, ſtudioſos philoſophiæ primò deſiderare fieri philoſophos, & hoc optimo fine ductos mox ad ulteriora procedere, donec ad apicem philoſophiæ perueniant.

Decipiuntur omninò, quia in ratione doctrinæ reſolutiuæ eſt, ut à definitione finis colligãt media pro cõſequenda perfectiſſima cognitione, quid colligẽt quæſo ex definitione deſiderij ſciendi philoſophiam? nihil ſanè, quare hæc doctrina reſolutiua, quæ pro fine habet deſideriũ, erit omninò uana. Præterea finis in doctrina reſolutiua eſt principium conſtituens doctrinam, & eſt tamquam ſuppoſitio apud mathematicos, ut dicebat Ariſtoteles libro 7. de moribus cap. 8. à cuius ſuppoſitione formantur definitiones, & demonſtrationes certiſſimè.

Hoc patet apud Ariſtotelem, dum uult colligere in primo poſt. media pro conſtitutione demonſtrationis, prius probat dari demõſtrationis finem, ideſt dari ſcire de nouo, & deinde ex notione iſtius inuenit media pro formanda demõſtratione: definit igitur ſcire, quod ſit per cauſam cognoſcere, & ex hac definitione tradita colligit non ſolum definitionem demonſtrationis, ſed omnia quæ tradita ſunt in primo, & ſecundo lib. poſt. nihil enim

BIBLIOTECA ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

enim,ut aliàs oſtendimus,dicitur ab Ariſtotele in illis 2. libris, quod non colligatur ex definitione ſcire;hæc igitur eſt doctrina reſolutiua procedens ex finis notione. Iſte eſt finis, à quo tota ars docens conſtituitur, & non deſiderium acquirendi ſcientias,uel artes,ut Sclanus commentus eſt.

Alij ſunt, qui dicunt in philoſophia naturali ſeruari ordinem reſolutiuum, quando omnia,quæ ſunt inuenta,& tractata, ordine contrario tractarentur; exempli cauſa Ariſt. in 8. libris phy. agit de corpore naturali, de eius principijs,& paſſionibus in communi;deindè in libris de Cœlo de corporibus ſimplicibus; in libris de generatione de mixto, & in vniuerſis alijs libris de omnibus ſpeciebus corporum mixtorum; dicunt, qui uellet ſeruare ordinem reſolutiuum, deberet prius tractare de ultimis ſpeciebus corporis mixti, deindè de corporibus mixtis in communi, mox de corporibus ſimplicibus, & tandem de corpore naturali in communi; hunc ordinem in philoſophia uocari poſſe reſolutiuum,putant.

Iacobus Zabarella lib.2. de methodis, iſtorum imaginationem explodit, dicitq; propoſitum ordinem reſolutiuum eſſe uaniſſimum; rationes,quæ illum monēt, ſunt, quia de natura ordinis reſolutiui eſt,ut procedat à fine ad principia, additque ultimas ſpecies non eſſe finem, ſed eſſe quid ultimum; de ratione finis ex Ariſt.2.phyſ. duo ſunt,bonum,cuius gratia,& vltimum;addit prętereà non ſolùm agi de ultimis ſpeciebus corporum naturalium in libris de animalibus, uerùm etiam in 8. libris phyſ. quia quid aliud tractatur in libris phyſ. quàm de principijs generationis hominis, aſini, equi, & cæterorum omnium mixtorum, & corporis animati?

Nos quoque ſic poſſumus ordinem reſolutiuum propoſitum reijcere; illæ ultimæ ſpecies declaratę in poſtrema philoſophiæ naturalis parte,uel ſciuntur antequam agatur de corpore naturali in communi,uel non;ſi dicant pręſciri,reluctantur Ariſtoteli 1. phyſ.tex.1. vbi dicit res naturales ſolùm cognoſci pręcognitis principiis,cauſis,& elemētis; ſi dicant non pręſciri; ergo ex illis procedendo ad vniuerſalia magis, non dabitur ordo reſolutiuus, quia ordo reſolutiuus eſt à notione finis;niſi enim finis perfectè agnoſcatur, non poſſumus indè ad vlteriora procedere.

Demum in ordine reſolutiuo finis non eſt principium rei, ſed eſt finis noſter, eſtque conceptus mentalis, ſeu idealis, à quo colliguntur media ad conſequendū finem realem; colligimus itaque nullo modo ordinem reſolutiuum concedi poſſe in philoſophia contemplatiua.

2 Dubitatio oritur ex verbis Galeni;dicit enim,doctrinam compoſitiuam conſtare ex ijs, quæ ſunt inuenta per doctrinam reſolutiuam, quod videtur omninò falſum, quia Ariſtoteles in philoſophia naturali, & in metaphyſica vtitur ordine, ſeu doctrina compoſitiua, quæ certè non eſt inuenta per doctrinam reſolutiuam.

Similiter Euclides in libris elementorum tractat Geometriam ordine compoſitiuo, & tamen nihil colligit à doctrina reſolutiua; ergo Galenus perperam definit doctrinam compoſitiuam, quod conſtet ex ijs, quæ per reſolutionem inuenta ſunt.

Reſponderi poteſt, Galenum loqui in hoc loco de illa doctrina compoſitiua, quæ pertinet ad medicinam, & ad alias artes,& non de compoſitiua inſeruiente ſcientijs ſpeculatiuis; quia in his ordo reſolutiuus, ut oſtendimus, nullum habet locum; medicina enim, & alię artes ex Ariſtotele dupliciter conſiderantur, uel ut docentes, uel vt operantes; dicimus, artifices vti compoſitiua in artibus operantibus,& non docentibus; dicimuſque in artibus operantibus ordinem compoſitiuum conſtare ex ijs, quæ per reſolutionem inuenta ſunt.

3 Dubitatio indè alia oritur, quia ſi datur, ut nos cenſemus, duplex ordo compoſitiuus,alter, qui indiget doctrina reſolutiua; alter verò, qui conſtat ex inuentis per doctrinam reſolutiuam; ſequetur hoc inconueniens, quod malè fecerit Galenus, dicens, tres eſſe doctrinas,& non quaternas quia vnus eſt compoſitiuus conſtans ex inuentis per reſolutionem; alter compoſitiuus, qui eſt à primis, quique non indiget ordine reſolu-

lu-

lutiuo. Tertius ordo reſolutiuus, qui eſt à notione finis;& quartus definitiuus.

Reſponderi poteſt, Galenum tractare de doctrinis inſeruientibus medicinæ,& non alijs facultatibus; quòd hoc verum ſit, clariſſimè colligitur ex hoc primo capite,ubi habentur hæc uerba, ***Neminem ante nos ſcripſiſſe doctrinam reſolutiuam comperimus***:intelligat oportet de doctrina reſolutiua inſeruiente arti medicæ, & non de reſolutiua inſeruiente alijs facultatibus, quia Ariſtoteles, qui fuit ante Galenum vſus eſt doctrina reſolutiua in libris moralium, & præcipuè in libris poſt. & adeò clarè, & artificioſè, ut nihil clariùs, & artificioſiùs tradi poſſit, Galenus ſanè fuiſſet nimium ignarus, ſi doctrinam reſolutiuam, qua vtitur Ariſtoteles in reſolutorijs libris logicis, & moralibus,non uidiſſet. Quòd uerò Galenus uiderit totum Ariſtotelem, patet, quia multis in locis eius libros commendat,& præcipuè logicam. Melius igitur eſt, ut dicamus Galenum locutum fuiſſe de doctrinis arti medicæ inſeruientibus,quam quod omnis doctrina compoſitiua, qua vtitur Ariſtoteles, & Euclides in libris elementorum, ſit inuenta per ordinem reſolutiuum.

Salui Sclani reſponſio ad propoſitam dubitationem non eſt omninò reprobanda,dicit enim,Platonem,& Ariſtotelem tractaſſe philoſophiam contemplatiuam ordine compoſitiuo. Sed addit, illum ordinem compoſitiuum habuiſſe ortum à doctrina reſolutiua in mente facta, ita ut omnis ordo compoſitiuus conſtet prius ex inuentis per doctrinam reſolutiuam.

Hæc reſponſio non poteſt omninò impugnari,quia nullum dubium eſt,quod Auctor, qui uoluerit tractare philoſophiam contemplatiuam, non tractabit exactè de eius principijs,niſi totam ſciat; immò concedimus, tum de ſimpliciſſimis,tum vniuerſaliſsimis prius agere, & deindè de alijs, ſed negamus, hunc progreſſum nuncupandum eſſe ordinem reſolutiuum,qui fit à notione finis,& qui à finis definitione cętera omnia colligit, ſed quia ſuperiùs diſputauimus de hac re, non eſt,ut iterum acta agamus.

PRIMI CAPITIS
Particula IV.

Tex.3. *Tertia ex definitionis diſſolutione, cui antiq. nunc incumbimus; * licet autem huiuſmodi doctrinam appellare non ſolùm definitionis diſſolutionem, ſed & explicationem, vt nonnulli vocarunt, vel reſolutionem, vel diuiſionem, vel vt nonnulli alij, explanationem, vel expoſitionem, vt alij.*

PRoponit hic Galenus tertiam doctrinam,quę eſt definitiua, aitque ſe velle in hoc libro ſecundùm hanc doctrinam totam medicinam explicare, refertque hanc doctrinam ſex modis diuerſis appellari, Galenus ipſe illam appellat diſſolutionem definitionis,alii eam uocant explicationem definitionis, alij reſolutionem, uel diuiſionem,alij explanationem, & alij expoſitionem, laudat tamen Galenus quamlibet ex iſtis ſex propoſitis appellationibus.

QVÆST. XI.

An Ordo, ſeu Doctrina definitiua ſit diuerſa à compoſitiua, & reſolutiua.

OMnes ferè Peripatetici in hac re videntur reluctari Galeno,dicunt enim doctrinam definitiuam nullo modo diſtingui à reſolutiua,neque dari alios ordines,ſeu doctrinas ordini inhęrentes, quam ordinem reſolutiuum,& compoſitiuum. Videamus igitur eorum fundamenta, ea enim pro defenſione Galeni reijciemus, & Galeni doctrinam definitiuam confirmabimus.

Primum eorum fundamentum contra Galenum eſt in omni ordine, & in omni doctrina exordiẽdum eſſe à definitione, quia ab eius diſſolutione mirificè tota doctrina eluceſcit. Quod in omni conſideratione à definitione ſit incipiendum, colligunt ab Ariſtotele primo de anima, tex.11. vbi dicit, animæ definitione cognita, cęteras affectiones facillimè dignoſci. Similiter 3. phyſ. cognito quid de loco cognoſci conſequentia quid: primo de moribus capite 7. dicit in omni re

eſſe incipiendum à definitione: 2. phyſic. tex. 68. ait, quæ oſtenduntur à mathematicis reſolui in definitiones tamquam finem totius cognitionis: 2. poſt concludit, omnem quæſtionem eſſe medij quæſtionem, mediumque eſſe definitionem, ſeu rationem primi extremi, ita vt nulla affectio poſſit cognoſci, niſi à præcognita definitione.

Præterea Plato in Cratylo docet, definitionem eſſe principiũ cognitionis proprietatum, & affectionũ, quas quærimus.

Galenus 3. methodi dicit, ad effugiendam deceptionem eſſe vtendum definita locutione, definita enim locutio non habetur, niſi per definitionem.

Similiter Galenus 2. de placitis cap. 3. præcipit, vbi quæſtio eſt de aliqua re à definitione eſſe exordiendum.

Cicero in libris de officijs in principio ait, non eſſe diſputandum de aliqua re, niſi prius intelligatur quid ſit illud de quo diſputetur; quare colligunt non dari ordinem definitiuum diuerſum ab alijs, qui alij duo ordines non tractantur, niſi incipiendo à rei definitione.

Secundum fundamentum deſumitur ab obſeruatione Ariſtotelis, & Medicorũ; Ariſtoteles in lib. de interpretatione exorditur à definitione nominis, uerbi, & orationis, & à definitione colligit cætera omnia, quæ tractantur.

Similiter in primo priorum proponit definitioné ſyllogiſmi. Itidem in primo poſt. dat definitionem ſcire, & ex illa colligit definitionem demõſtrationis, quod ſcilicet conſtet ex veris, primis, &c. &, deinde in toto 1. & 2. lib. ſolùm proponit pertinentia ad illam definitionem.

Itidem Ariſtoteles in 2. phy. exorditur à definitione naturæ, & ex verbis illius definitionis, quæ tractantur in 2. lib. omnia colligit, dicit enim naturã eſſe principium motus, & quietis per ſe, & nõ ſecundùm accidens; explicat ſtatim illud verbum *principium*: quod prędicetur de forma, & deinde de materia: deinde explicãdo aliam particulam, *& cauſa:* tractat de cauſis per ſe, & qui a dixit per *ſe, et non ſecundum accidens*, tractat de cauſis per accidens, ideſt de caſu, & fortuna.

Similiter in 3. definit motum, in lib. de ortu, & interitu definit generationem, & in lib. de anima animam, & ex illis definitionibus, deinde deſumit omnia attributa: immò ſemper diſſoluendo definitionem eo vſq; perſeuerat, quo vſq; peruenit ad exactiſſimam cognitionem.

Præterea idem facit Auicennas, & Auerroes in omnibus ſuis libris: Cæterum quia hoc fundamentum eſt notiſſimum, quod ſcilicet in omni doctrina definitio ſit principium, non eſt, vt in re notiſſima tempus conteramus.

Tertium fundamentum Peripateticorum contra Galenum eſt, quia in 1. lib. moral. c. 4. Ariſt. docet cum Platone duos dumtaxat dari ordines, à primis, ſcilicet qui vocatur cõpoſitiuus, & ad prima, qui vocatur reſolutiuus, de ordine definitiuo ſeu definitiua doctrina ab his duobus diſtincta nihil vnquam ab Ariſt. & Plat. vel ab alijs antiquis philoſophis dictum fuit.

Quartum fundamentum deſumptum à ratione quadam efficaciſſima tale eſt, ordo definitiuus non exorditur à principijs, quia hoc eſt munus compoſitiui, neque à fine, quia hoc pertinet ad reſolutiuum, neque à medio, vt cenſent nonnulli Medici, quia procederet ex ignotis, & cum principij petitione.

Ars medica, quæ verſatur circa agenda, addiſcitur à fine, vt docet Ariſt. 7. met. tex. 23. quia finis eſt nobis notior, quàm media nos ducentia ad principia rei, ordo igitur definitiuus erit omninò uanus, & chimericus.

His iactis fundamentis ſuſtinent, ordinem definitiuum reducendum eſſe ad vnum ex duobus propoſitis, vel ſi non reducatur ſit ab ordinum numero omninò explodendus.

Secundã opinio non valdè diuerſa ab enarrata eſt nonnullorũ aſſerẽtium, ordinem definitiuum dari, ſed eſſe ſpeciem quãdam reſolutiui, negant eſſe tres ordines, dicunt enim eſſe duos tantũ: Probãt, quod ordo definitiuus ſit reſolutiuus: quia in ordine definitiuo reſoluitur tota definitio, medicina enim eſt ſciẽtia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorũ, in primis Gal. reſoluit ſalubre in corpora, cauſas, & ſigna: idem dicunt de inſalubri, & neutro. Præterea nihil aliud eſt definitio quã reſolutio definiti in ſuas partes: putãt ergo ordinem definitiuũ eſſe reſolutiuũ.

Tertia

Tertia opinio eſt Medicorum dicentium ordinem definitiuum nõ eſſe à primis,vt eſt ordo compoſitiuus? neque eſſe ad prima, vt eſt reſolutiuus, ſed eſſe ordinem tertium omnino diuerſum ab alijs; dicuntque exordiri à medio, eo modo, quo à centro oriũtur lineæ, & ducuntur ad circumferentiam, dicunt enim ſicuti cẽtrum eſt in medio circuli, eſtque indiuiſibile, & ab illo omnes lineæ ducuntur ad circumferentiam:ſic definitionem eſſe quid indiuiſibile: exprimit enim quidditates, quæ ſua natura,vt dicit Ariſtoteles, ſunt ſicuti numeri: dicuntque, ſicuti ab vnico centro omnes lineæ ducuntur ad circumferentiam, ſic ab vnica definitione, quæ eſt indiuiſibilis, & tamquam centrum, colligi omnia tractanda, & nihil tractari, quod non deducatur à definitione, & quod demum non habeat ad ipſam relationem.

Prima opinio recedit à veritate: quia confundit ordinem cum doctrina: nos aſſerimus cum Galeno,& Ariſtotele,tres eſſe doctrinas:ſed negamus,quod Galen. crediderit tres eſſe ordines: ordo ſanè differt à doctrina: ordo enim ex Ariſtot. 8.phyſ. tex.15. & ex Gal.2. de differentijs pul. cap.9. eſt proportio prioris ad poſterius,& verſa uice: de ratione verò doctrinæ tria ſunt,primum eſt ſubiectę materiei cognitio, ſecundum eſt ordo quo agitur de ſubiecta materia, qui ex ſentẽtia Ariſtotelis,Galeni, & omnium philophantium non poteſt eſſe niſi à primis, vel ad prima, tertium eſt methodus habens vim inferendi: tales enim ſunt demonſtrationes à priori, vel à poſteriori. Diſcipulus numquam docebitur,niſi primò aliquid intelligat de ſubiecta materia: ſecundò niſi cum aliquo ordine procedat: tertiò niſi vtatur aliqua oſtenſione à priori, vel à poſteriori quæ oſtenſio methodus dici debet.

Nos concedimus,omnem doctrinam exordiri à definitione: negamus tamen, propterea non poſſe dari doctrinam definitiuã diuerſam à compoſitiua, & reſolutiua.

Error verò Peripateticorum, & Zabarellæ dicentium omnem doctrinam eſſe à definitione, & hanc non eſſe diſtinctã ab alijs doctrinis,inde oritur:quia putant hanc doctrinam definitiuam, quam hic tradidit Galenus memoriæ, & compendij gratia eſſe traditam per definitionem eſſentialem: quemadmodum in logica, philoſophia,& in cæteris facultatibus fieri ſolet: definitio enim in hac doctrina definitiua eſt omninò diuerſa, ne dicam contraria veræ, & eſſentiali definitioni: hæcque fuit cauſa, & origo errorum multorum medicorum, & Peripateticorum, definitio enim eſſentialis exprimit eſſentiam rei: hęc qua vtimur in doctrina definitiua declarat definitum verbis, & nominibus minimè ſignificantibus eius quidditatem; illa conſtat ex genere, & differentia; hæc nequaquam; illa ex nominibus vniuocis, hæc ex æquiuocis, illa naturam definiti, hęc memoriam, & cònpendium reſpicit, illa explicat genus, & differentiam, & cauſam externam, hæc vero nec genus, nec differentiam, nec cauſam externam explicat.

Hinc dicendum eſt, definitiones eſſe duum generum, aliquas pro fine habere, vt exprimant naturam rei: aliquas verò cõſtare ex verbis æquiuocis, ſed in ęquiuocorum nominum declaratione omnia arcana ad artem pertinentia miro ordine memorię commendari.

Quod hoc verum ſit, expendamus definitionem medicinæ, quæ eſt, medicina eſt ſcientia: ecce quod Galenus non intendit naturam medicinæ explicare: ille enim optimè nouit, medicinam non eſſe ſcientiam, quia ab ipſo inſcribitur hic liber τέχνη ἰατρικὴ, ideſt ars medicinalis,& non ſcientia, & in libro de conſtitutione artis vocat medicinam artem, & non ſcientiam. Dicit deinde (ſalubrium) hoc nomen eſt æquiuocum,quia natura inſalubris æquiuocè prædicatur de corporibus,ſignis, & cauſis; corpora enim, & ſigna, vel cauſæ differunt genere, vaniſſima igitur eſt Peripateticorum inſtantia dicentiũ,doctrinam definitiuam non eſſe diuerſam ab alijs,quia quęlibet doctrina ex neceſſitate exorditur à definitione: nimis enim diuerſa eſt hæc definitio pertinens ad doctrinã definitiuã ab illa, cuius munus eſt exprimere rerum genera,differentias vniuocas,& cauſas externas. Iſti qui reiecerunt hanc definitiuam Ga-

Galeni doctrinam, ſi diligentiſſimè perlegiſſent, & perpendiſſent totum huius libelli artificium, percepiſſent non ſolum hanc doctrinam non eſſe diuerſam à cõpoſitiua, & reſolutiua; ſed etiam qua arte Galenus paucis verbis omnia medicinæ capita ante oculos lectoris collocet, & eius memoriæ commendet: ſed qui non legunt non percipiunt, & turpiſſimè in erroneas opiniones incidunt, & cæcorum more Scopulis ac vadis illidunt.

Pluſquam commentator hoc loco tãgit hanc veritatem, dum dicit, doctrinam definitiuam traditam hic non eſſe definitionem aliquid docentem, ſicuti ſunt aliæ definitiones, quę exprimunt naturã, & eſſentiam; ſed eſſe expoſitiuam artis; quia ex eius diſſolutione omnia artis capita exponuntur: addit, Ariſtotelem nunquam vſum fuiſſe hac doctrina definitiua; quia ad memoriam hæc facit, & non ad exprimendam quidditatiuam definitionem.

Secunda opinio propoſita aliquid falſitatis continet; non poteſt tamen omninò explodi, quia definitio ex Ariſtotele 1. phy. tex. 5. diuidit in ſingula, ideſt reſoluit definitum in ſuas partes. Pręterea tractatus de definitione pertinet ad libros analyticos.

Eſt tamen falſa hæc opinio, quia quãuis definitio ſit reſolutio, tamen non eſt ordo à notione finis, neque vllo pacto dici debet ordo; quinimo ſi loquantur de definitione exprimente naturam rei ſine cauſa externa, dicimus non eſſe doctrinã ſed principium doctrinæ, ſi verò loquentur de illa definitione, quæ ſolo ſitu differt à demonſtratione, dicimus, illam eſſe methodum; ſiue demonſtrationem, vel proprietatem præcipuam demonſtrationis, & non doctrinam.

Magna igitur eſt differentia inter ordinem, doctrinam, & methodum: ſi vero loquantur de definitione, qua vtitur Galenus in doctrina definitiua, dicimus alium ordinem nõ poſſe ſeruari, quam reſolutiuum, agit enim de corporibus ſalubribus, de ſignis, & cauſis propter hunc finem tacitum, & ſuppoſitum, qui eſt gratia acquirendæ ſanitatis.

Tertia opinio non poteſt mihi probari; quia neque Ariſtoteles, neque Plato, neque ipſe Galenus ſomniauit vnquam dari ordinem incipientem à medio, quia eſſet cum manifeſtiſſima petitione principij: ſi enim vtemur illo in artibus, omiſſa finis notione, ne verbum quidem mouere poterimus pro artis inuentione, ſi in ſcientijs, omiſſa cognitione principiorũ, cæcorum more incedemus, & reluctabimur Ariſtot. 1. phyſic. in principio.

Relinquitur ergo, vt dicamus tres eſſe doctrinas diuerſas; ſed non tres ordines, doctrinamque definitiuam traditam in medicina compendij, & memoriæ gratia eſſe etiam traditam ordine reſolutiuo; ideſt à notione finis gratia ſanitatis introducendæ, huncque finẽ nos non conſequi, niſi prænoſcamus quę corpora, quę cauſæ, quę ſigna ſalubria ſint, deinde verò, quæ ſint communiſſimæ intentiones pro ſanitate introducenda: doctrinam verò definitiuam in philoſophia memoriæ gratia tradi poſſe ordine compoſitiuo, ideſt à primis principijs; huncque eſſe ordinem compoſitiuum, ita, vt doctrina definitiua aliquando inhærere poſſit ordini reſolutiuo, aliquando compoſitiuo, vt nullum ſit inconueniens, eſſe duos tantùm ordines, & tres doctrinas ordini inhærentes.

QVÆST. XII.

An præter tres doctrinas detur doctrina diuiſiua.

PRopoſuit Galenus tres doctrinas; de diuiſiua, ne verbum quidem fecit; nihilominus Plato, & Galenus videntur magis laudare doctrinam diuiſiuam, quàm tres propoſitas; Plato in philębo, ait eſſe ſimilem Deo, qui rectè diuidit. Gal. primo ad Glauconem in principio extollit ad ſydera Mneſitheũ Athenienſem Medicum: quia in diuiſionum peritia erat verſatiſſimus; addit præterea hęc verba, qui in diuidendo eſt exactus, quantũ permittitur virib. medendo non errabit; ſimiliter 1. methodi cap. 5. habet hęc verba: *fieri nequit, vt differẽtias generis vllius morbi, aut ſpecies inuenias, poſt quod diuiditur non planè explorato:* videtur igitur quod diuiſio non ſolum ſit neceſſaria verum etiam præſtantiſſima doctrina.

Pluſ-

Pluſquam commentator dicit diuiſionem non eſſe collocandam in numero doctrinarum,quia diuiſio non poteſt notificare quod eſt ſua natura occultum; deinde ait diuiſionem inſeruire doctrinę definitiuæ; ideò ancillam doctrinæ, & non doctrinam vocat.

Videtur Pluſquam commentator aliquantulum recedere à Galeni mente, eo quia putabat Gal.per doctrinam compoſitiuam intelligere demonſtrationē,quia per reſolutiuam demonſtrationem propter quid; ideò videns, quod diuiſio non notificet aliquid ſua natura occultum, eá à Doctrinarū numero ſecreuit, quaſi quod etiam definitio ſit inſtrumentū diſtinctum à demonſtratione, quod alibi nos reiecimus: neque enim definitio notificat quod eſt ſua natura occultū; ſi definitio conſideretur,vt contra diſtincta à demonſtratione,tamen eſt doctrina.

Nec obijciant quod hìc conſideretur definitio, vt ſolo ſitu differt à demonſtratione; quia duæ tantum eſſent doctrinæ, & non tres,videlicet demonſtratio quia, & propter quid; Cæterum, quia alibi oſtendimus, Galenum per doctrinam intelligere facultatem,de ratione cuius hęc tria ſint; primum vt verſetur circa aliquā cognitionem ſui ſubiecti, ſecundum vt doctrina ſit ordinata, tertium vt methodo habente illationem tradita ſit; ideò rationes pluſquam commentatoris probantes diuiſionem non eſſe doctrinam, non erant Galeni intentioni accommodatæ, quamuis veriſſimum ſit, dum dixit diuiſionem non notificare aliquid ſua natura occultum, quod nos quoque paulò infra confirmabimus.

Leonicenus in quæſt. de tribus doctrinis habet, de diuiſiuo ordine nihil dictū eſſe à Galeno, quia ad ordinem reſolutiuum reducitur;confirmat ſuam opinionem; quia Galenus lib. de partibus artis medicæ diuiſionem appellauit reſolutionem. Quinimmò Leonicenus ait, ſicuti in lib. de cōſtitutione artis Galenus procedit ordine reſolutiuo, ſic in lib.de partibus artis medicæ ordine diuiſiuo, differentiamq; eſſe perexiguam inter ordinē reſolutiuum,& diuiſiuum:quia in ordine reſolutiuo ait,artem reſolui,& doceri; in ordine verò diuiſiuo ſolum reſolui.

Non omninò probatur Leoniceni opinio:quia ſi diuiſio inſeruit doctrinę reſolutiuæ; multo magis definitiuæ,ut docet Ariſtoteles ſecūdo poſter. Præterea omnis doctrina cōſtat ex ordine, & ex multis demonſtrationibus, & diuiſionibus; quare falſum eſt,diuiſionem ſolùm reduci ad doctrinam reſolutiuam; quia omnis doctrina indiget diuiſione.

Manardus cenſet diuiſionem nullo modo eſſe doctrinam ordini inhærentē, quia ſi exordiatur ſermo à rei principio, ait locum eſſe occupatum à doctrina cōpoſitiua; ſi à fine à reſolutiua; ſi à medio à definitiua; infert ex his diuiſionem ex ſe carere ordine,& doctrinam ordini inhærentem minimè dici poſſe. Eandemque ſententiam inſequimur; immò ſuperiùs probauimus neminem exordiri poſſe à medio ſine manifeſtiſſima principij petitione.

Mōtanus probat nō eſſe plures doctrinas tribus auctoritate Ariſtotelis 12. metaphyſ. vbi habetur,duplicem dari rerum ordinem,primum,qui eſt habitudo prioris ad poſterius, alium eſſe ordinem omnium rerum ad vnum principium optimum,& ſupremum;exemplum proponitur de exercitu,in quo milites inter ſe ordinem habent,quia omnes ſimul ordinātur ad Ducem,qui eſt ſupra ordinem;applicat id huic propoſito,dicitque, ſi res in medicina ordinarentur primo modo, ideſt ſecundum habitudinem prioris ad poſterius oriri doctrinam compoſitiuam, ſi à poſterioribus ad priora, reſolutiuam, ſi verò ordinarentur tertio modo, ideſt ad principium ſupremum, ad quod priora, & poſteriora ſunt ordinanda, dixit oriri definitiuam, quæ amplectitur priora, & poſteriora, vnde infert dari tres doctrinas ordinatas, & non plures.

Reijcitur Mōtanus,quia ſupponit duo quę falſa ſunt,primum,quod ordo,& doctrina idem ſint. Supra probatum eſt de ratione doctrinę tria eſſe,ſcilicet methodum habentem illationem, ordinem, & cognitionem ſubiectæ materiæ.Secundū ſupponit doctrinam definitiuam hìc traditam à Galeno continere veram definitionem exprimentem rei quidditatem, quæ re vera eſt tamquam optimum deſiderabile, quod continet priora, & poſteriora,

riora, & in gratiam illius omnes methodi, & demonſtrationes diriguntur.

Nos verò oſtendimus hic Galenũ non loqui de hac definitione, ſed de illa, quæ ex nominibus æquiuocis conflatur, eo fine, vt illis declaratis omnia medicinæ arcana poſſint memoriæ commendari.

Argenterius ait, doctrinam diuiſiuam non eſſe neceſſariã; quia ſi loquamur de inuentione artium, & ſcientiarum, eam conſequemur doctrina reſolutiua, ſi verò quærimus artium, & ſcientiarum tractatum diffuſum, illum habebimus à doctrina compoſitiua; ſi verò compendium, id habebitur à doctrina definitiua.

Reijcitur Argenterius, quia non ſolũ diuiſiua doctrina eſt neceſſaria, ſed dicẽdum eſt, non eſſe doctrinam ordini inhærentem; caret ordine, quia ordo à primis non competit diuiſioni; quoniam eſt occupatus à via compoſitiua; neque competit ordo ad prima, quia eſt occupatus a reſolutiua. Præterea diuiſio non docet, ſed diſponit, & ante oculos collocat, quæ alia via, & doctrina addiſcuntur, quare diuiſio nullo modo dici poteſt doctrina.

Nos putamus diuiſionem non eſſe vocandam doctrinam ordini inhærentem, quia eſt omnium doctrinarũ ancilla, Galenus in lib. de conſtitutione artis medicæ diuidit, reſoluit, & docet totam artem medicam virtute doctrinæ reſolutiuæ. In arte medicinali eandem explicat per doctrinam definitiuam, in lib. de partibus artis medicæ eam diuidit, & non docet; ratio eſt, quia diuiſio rerum non poteſt ex Galeno docere, & per conſequens non poteſt vocari doctrina.

Præterea diuiſio ex ſe nihil docet, quia ſemper procedit cum manifeſta principij petitione, quod non accidit tribus doctrinis, quæ reuera hoc vitio carent.

Si loquamur de reſolutiua via, hęc clariſſimè docet ſine vlla petitione principij, Ariſtoteles in primo poſt. vbi procedit per doctrinam reſolutiuam, docet ex quibus propoſitionibus conſtet demonſtratio, ſic procedit, in 2. cap. *ſi ſcire eſt rem per cauſam cognoſcere propter quam res eſt, & quod illius ſit cauſa, & non contingat hoc aliter ſe habere*, igitur *demonſtratio faciens ſcire erit ex veris, primis, immediatis, &c.* hic progreſſus conuenit doctrinæ reſolutiuæ, docetque ſine vlla petitione, meritò igitur doctrina reſolutiua dicetur doctrina.

Similiter doctrina compoſitiua incipit à principijs, quibus cognitis cætera cognoſcantur oportet; dicit enim Ariſtot. 1. phyſ. tex. 1. *Tunc putamus vnumquodq; cognoſcere, cum cauſas primas cognouerimus principiaq; prima, et vſq; ad elementa.*

Ad eundem modum definitio nos docet ſine principij petitione, dicit Ariſtot. cognito quid anima ſit, ſtatim noſcimus eius proprietates; idem dicit de omni definitione exprimente quidditatem, colligimus ergo, omnem doctrinam propoſitam præter diuiſiuam aliquid docere ſine principij petitione.

QVÆST. XIII.

Cur diuiſio nihil doceat.

Dvm inferimus ex membris diuiſis conſequentiam, committimus errorem in forma, & in materia, in forma, quia fit ille paralogiſmus, qui dicitur à poſitione conſequẽtis ad poſitionẽ antecedentis, fit enim illatio à genere ad ſpecies. Non licet ſic inferre, eſt febris continua, ergo maligna; quia genus, ideſt febris continua in diuiſione eſt medius terminus, qui ſi ſubijcietur in maiori, maior erit præter naturam, & falſa; verbi gratia, ſi dicerem febris continua eſt maligna, hoc dici non poteſt, quia de ratione prædicati eſt, vt ſit vniuerſalius ſubiecto, maligna tamen eſt quid minus vniuerſale quam febris continua. Si verò prædicabitur in maiori, ſtatim fiet, ſecũda figura ex duabus affirmatiuis, quę nihil cõcludit, veluti ſi dicerem, febris maligna eſt continua, hæc eſt continua, ergo; Si verò aliquis conuerteret maiorem, & diceret, aliqua febris continua eſt maligna, propoſitio eſt vera, ſed eſſet in prima figura cum maiori particulari, quę nihil concludit, maior enim debet eſſe vniuerſalis, quia debet continere minorem; quando enim non continetur minor ſub maiori, argumẽtum nõ ſequitur.

Ecce quod per diuiſionẽ generis procedendo ad ſubalternas, & ab his ad ſpecificas ideas, ſemper in occultis, & ignotis

ſis differentijs exoritur vitium petitionis principij.

Hinc fit, quòd ſemper argumentum ex ſufficienti partium enumeratione, dũ quis ipſo vtitur ſine aliqua demonſtratione, turpiter petit principium.

Hinc Ariſtotel. primo prior. & in fine ſecundæ ſectionis concludit, ex diuiſione conſequentias eſſe prauas, ſi verò conſequens aliquando contingit eſſe verũ, dicimus illud non colligi ex præmiſſis, quia vt dictum eſt à genere ad differentias, uel ad ſpecies nullam eſse illationem.

Ad hęc non ſolùm ex diuiſione generaliſſimi ad ſpecifica nulla inferri poteſt conſequentia, verũ hoc varijs Ariſt. præceptis aduerſatur, veluti dum ſecundo perihermenias docet à coniunctis ad diuiſa nõ inferri neceſsariã conſequentiã.

Similiter 2. poſt. dum docet, in ſyllogiſmi diuiſiuo duplanre nihil ſequi, exempli gratia, omnis febris continua vel eſt benigna, uel maligna, hæc eſt cõtinua, ergo benigna uel maligna, eſt ſyllogiſmus duplans, at nil concludit, niſi quod eſt in maiori propoſitione; ſunt tamẽ qui inferunt ſine alia probatione, nõ maligna, ergo benigna, qui proceſsus eſt à coniũctis ad diuiſa, & nõ valet, quia eſt in diuerſo ſenſu in cõiuncto, quã ſit in diuiſo; veluti febris cõtinua eſt benigna, uel maligna, hæc eſt veriſſima, dũ uerò dicitur ſine vlla probatione, nõ eſt benigna, ergo maligna, eſt aliter ſẽſus, quia continet ſolũ vnũ membrũ diuiſionis, & non ſequitur.

Demum dum per diuiſionem quis uult occulta inuenire, dicimus, quòd ille peccat in materia, quatenus incidit in aliquod erratum circa vniuerſale; quod peccatum eſt admonitum ab Ariſt. 1. poſt. cap. de trib. erroribus circa vniuerſale, & eſt, dum attribuitur inferiori, quod ſuperiori eſſet attribuendum, ueluti ut inſiſtamus in eodem exemplo, dum dicimus, febris continua uel eſt benigna uel maligna, hoc attributũ eſse benignã uel malignam tamquam proprio ſubiecto cõuenit febri continuæ: quia continua eſt uel maligna uel benigna, at dum dicimus febris eſt continua, & inde ſine demõſtratione inferimus non eſse benignam ſed malignam, fit attributum ſpecificum, & non inferendum ſine aliqua probatione; febris enim continua eſt tamquã genus; ſub hac cõtinetur maligna, ardens, & uariæ ſpecies, & vni ſoli ſpeciei ex omnibus illud attributum, quod ſit maligna debet conuenire; quare dum attribuitur inferiori, quod ſuperiori eſt attribuendum, committitur error circa vniuerſale. Concludimus ergo diuiſionem ſine demonſtratione nos fallere, & propterea in numero doctrinarum, uiam diuiſiuam non fuiſse à Galeno, uel ab Ariſt. collocatam.

CAPITIS PRIMI
Particula V.

Tex. 5. *Conati ſunt, & Herophiliorum quidam antiq. talem facere doctrinam, quemadmodum He raclides Erythræus. Conati, & eam ſunt, quæ per compoſitionem, & ipſi Herophilij, & quidam Eraſiſtrati Sectatores, & Athenæus Attaleus. Nullus autem eorum, qui ante nos fuere ſcripſit eam, quæ oritur à notione finis, ex qua omnes artes via quadam, atque ordine conſtituuntur, ſed illam quidem alio pertractauimus loco.*

Propoſitis à Galeno tribus doctrinis: In hoc tex. tria facit: primò refert, quod quidam ſectatores Herophili, inter quos erat Heraclides Erythræus omnium Sectatorum doctiſſimus, conati ſint totam artem medicam tractare doctrina definitiua: admonet tamen Galenus, quod nihil profecerunt.

Herophilus fuit Medicus præcipuus, & ex numero Dogmaticorum, & in anatome percelebris: ſecabat enim corpora humana, & bruta uiua, ſcripſit de anatomia uiuorũ; Galenus multa ab eius ſcriptis in proprias diuitias congeſſit; quinimmò hanc definitionem medicinæ in hoc loco propoſitam ab illo deſumpſit.

Secundò dicit Galenus Herophili, & Eraſiſtrati Sectatores, & Athenæũ Attalum, qui erat Princeps ſectæ Pneumaticorum, conatos eſse totam artem medicã tractare doctrina definitiua, & compoſitiua, attamen deſideratum finem non eſſe conſecutos; Hi omnes medici ſtatim à morte Herophili floruerunt, ut dicit Galenus 4. de diff. pul. cap. 1.

Tertiò ait in hoc tex. neminem ante nos

nos ſcripſiſſe medicinam doctrina; quæ oritur à notione finis, ex qua omnes artes conſtituuntur.

1 Dubitatio hic exoritur, quia Galenus inquit, neminem ante illum tractaſſe doctrinam reſolutiuam, quæ ſcilicet fit ex notione finis: tamen hoc videtur veritati reluctari, quia ante Galenum annis circiter quingentis fuit Ariſtoteles, qui mirificè tractauit doctrina ex notione finis moralia, & logicam facultatem, ergo Galenus non fuit primus.

Reſpondet Pluſquam commentator Galenum intellexiſſe de medicis, & non philoſophis, putabat enim, Galenum intelligere per doctrinam reſolutiuam ex ſe perfectam eſſe ſine compoſitiua.

Ego verò puto, eſſe impoſſibile, dari doctrinam reſolutiuam ſine compoſitiua & quemadmodum Curtius dixit, doctrinam reſolutiuam ſine compoſitiua docere ſolum modum conſtituendi artem, & non artem, ſic ego ſtatuo modum conſtituendi artem non poſſe doceri ſine doctrina compoſitiua, nullamque eſſe doctrinam reſolutiuam, niſi habeat annexam aliquam compoſitionem.

Ad inſtantias reſpondemus; dum dicunt, ſi doctrina reſolutiua indigeret cōpoſitiua, reſolutiua ex ſe non eſſet perfecta, conſequentiam nullam eſſe, quia etiā demonſtratio indiget definitionibus, quamuis demonſtratio ex ſe ſit perfectiſſima: dum dicunt, ſi ſemper reſolutiua eſſet coniuncta cum compoſitiua, duę tantum eſſent doctrinæ. Reſpondemus hanc propoſitionem non eſſe conuertibilem, omnis reſolutiua eſt coniuncta cum cōpoſitiua, datur enim compoſitiua quæ non iungitur cum reſolutiua, ideò nō ſequitur, duas tantùm eſſe doctrinas: quare tres erunt doctrinæ, quarum prima eſt definitiua, ſecunda compoſitiua, qua philoſophia traditur, & tertia reſolutiua, quę ſemper habet annexam compoſitiuam.

Subdit Galenus, *ſed illam quidem alio pertractauimus loco*: omnes ferè exiſtimāt eſſe intelligendum librum de cōſtitutione, confirmant: quia Galenus in fine huius libri ait ſe feciſſe mentionem de libello de conſtitutione artis, ſed veritas eſt, quod duo libri, in quibus egit de doctrina à notione finis, perierunt.

QVÆST. XIV.

De ſectis medicorum.

CVm Galenus in text. ſuperiori de ſectis mentionē fecerit: nonnulla dicenda ſunt de antiquis Medicis: tres enim præcipuæ fuerunt medicorum Sectæ, Dogmatica, Empirica, & Methodica, omnes ferè crediderunt, Hippocratē fuiſſe ſuæ ſectæ Auctorem; de Hippocrate Soranus Epheſius in procemio ſuæ præf. protulit hæc verba, medicinam inueniſſe Apollinem: Eſculapium illā amplificaſſe, & Hippocratem perfeciſſe.

Iſidorus Etymolog. Auctor lib. 4. cap. 3. ſimiliter dicit medicinæ artis inuentorē apud Græcos fuiſſe Apollinem; deinde Eſculapium eius filium eā amplificaſſe, ſed poſtquā perijt fulminis ictu, perijſſe quoque artē medicam per annos quingentos, videlicet vſque ad tempus Artaxerſis Regis Perſarū, quo tempore Hippocrates, qui fuit ex familia Eſculapij vigeſimus eam reſtaurauit, tradendo litteris principia, & mirificas concluſiones, vt refert Auctor introductorij capite 4.

Eſculapius, vt refert idem Auctor, Plinius lib. 29. cap. 1. & Celſus in principio ſui libri fuit primus inuentor medicinæ: nihil tamen ſcripſit, ſed eam communicauit Machaoni, & Podalyrio filijs ſuis, illique deinde eam viua voce poſteris tradiderunt.

Finxerunt tamen Græci, quod primi inuentores fuerint Dij, dixeruntque medicinæ inuentorem fuiſſe Apollinem, per Apollinem tamen intelligebant ſolem, quia (vt ait Machrobius libro primo Saturna.) eſt cauſa ſalutis in Orbe reſoluēdo halitus putridos, & conſeruando calorem naturalem, prębendoque vires herbis, & omnibus medicinis, vnde Ouidius primo metamor. de Apolline dixit inuentum medicina meum eſt opifexq; per orbem dicor, & herbarum ſubiecta potentia nobis.

Eſculapius, qui fuit Excellentiſ. Medicus, fingitur à Poetis filius Apollinis; quia vires ſolis percepit, & medicinam inuenit.

Quomodo Apollo vocetur inuentor medi-

medicinæ, declaratur in explicatione fabulæ ab Homero relatæ 1.Iliad.de Chryſ. in qua refertur, Apollinem peſtē Græcis immiſiſſe ob raptum Chryſeidis filię Chryſis Sacerdotis Apollinis: Peſtis enim non ceſſauit, niſi poſtquam Chryſeis eſt à Græcis patri ſuo reſtituta: hæc fabula habet hanc intelligentiam, Chryſis ſignificat aurum, & per aurum intelligimus ſanguinem, qui eſt omnium humorum preciosiſſimus; Chryſeis ſtuprata ſignificat ſanguinem corruptum ob maximos Grecorum labores, quos ſub dio, ſub Sole in bello admodum longo paſſi ſunt, & ob fœtorem cadauerum magna peſtis facta eſt, quæ non ceſſauit, niſi reſtituta Chryſeide, ideſt reſtituto bono ſanguine, meritò boni regiminis, & optimorum pharmacorum ab Eſculapio inuentorum, hac de cauſa Eſculapius vocatus fuit filius Apollinis, à cuius ſtipite, deindè poſt annos quingentos ortus eſt Hippocrates, qui fuit rationalis ſectę primus inter ſcriptores medicinæ: illum ſtatim ſecuti ſunt varij, & inter cæteros Diocles Cariſtius, ut dicit Celſus, & demum Galenus, Auicennas, & innumerabiles ſectatores vſque ad hæc tempora.

Poſt Hippocratē ſecuti ſunt Empirici, & Methodici: Empirici tamē incedebant analogiſmo fallaci, & deceptorio: Dogmatici verò demonſtrationib. cum experientia iunctis philoſophabantur: Methodici in communiſſimis perſiſtebant.

Dogmatici non ſolùm generaliſſimas indicationes expendebant, ſed ut dicit Gal.2.meth.7.1.meth.1.& alibi à generaliſſimis ad ſubalternas, & à ſubalternis ad ſpecificas differentias procedebant: exordiebantur à fine ordine reſolutiuo, & nūquam deſiſtebant, donec ad vltimas differentias peruenirent, docetq; Gal.1.metho.c.7. quod artium, quæ methodo traduntur principium eſt finis notio; ſimiliter Ariſt.7.metaph.tex.23.& 3.de morib. c.3. dicit artis ordinem eſſe finem.

In Empirica Secta floruit Acro, qui ut dicit Galenus lib.de ſubfigurat.Empir. c.1. fuit primus, qui de hac ſecta ſcripſit; ſecundus Philinus, deindè Serapio, Raſis, & alij plures, ut refert Galenus 2.metho. cap.vlt. quales ſunt Menodotus, Theodas Glaucias, Apollonius, Calicles, Diodorus, Heraclides, & Lycus; iſti non quærebant cauſas, quia putabant eſſe imperceptibiles, ſed ſolùm ex ſymptomatum ſyndrome eligebant remedium ab alijs inuentum. Dum laborabant pro inueniendis remedijs, ad hæc tria confugiebant ad αὐτοψίαν, ſcilicet inſpectionem propriam ad hiſtoriam, & ad analogiſmum; vtebantur analogiſmo, quod eſt argumentū à ſimili in his tribus, in materijs auxiliorum, in affectibus, & locis affectis.

In methodica, Themiſon, & Soranus fuerunt præcipui, temporeque Neronis floruit quoq; Theſſalus, qui, teſte Plinio, tam grandem pecuniam, & exiſtimationem ſibi comparauit, ut in via Appia in illius monumento de ipſo legeretur, quod fuerit ἰατρονίκης, ideſt victor Medicorum, auſus eſt in epiſtola, quam miſit ad Neronem (referente Galen. 1.metho. c.2.) de ſeipſo hæc dicere, *Cum nouam ſectam condiderim, & quæ ſola vera ſit, quia qui ante me medici fuerunt, omnes nihil vtile prodiderunt, vel ad ſanitatem tuendam, vel morbos propulſandos*, ſubdit deindè *Hippocrates noxia præcepta tradidit:* ſed dum cōtradicit Hippocrati, dicit Galenus Theſſalū id efficere in ſurdo theatro: duos libros pręcipuè compoſuit, alter erat de communitatibus, alter de ſyncriticis; 1.meth. à Galen. plenè conuincitur, reputaturq; ab ipſo id gloriæ, memoriæq; inter doctos, dum in Hippocratem erat contumelioſus, acquiſiuiſſe, qualem acquiſiuit celeber, & clarus Zoilus, qui Homeri ſtatuam flagellauit, & Salmoneus, qui Iouem eſt imitatus.

Putabant iſti theſalici ſex menſium curriculo totam artem medicam poſſe addiſci; miror, quòd non dixerint ſpatio unius horæ; etenim omnes morbos ſolùm referebant ad communiſſima, ſcilicet ad laxum, denſum, & ex ijs mixtum, & ad tria remedia, in hiſq; quieſcebant, neque ad ſpecificas differentias morborum deſcendebant, quod quàm abſurdum ſit, nos oſtendimus lib.11.meth. noſtræ vitand. err.

Edidit de hac ſecta Proſperus Alpinus librum eruditiſſimum, ibique huius ſectę principia pleniſſimè declarantur.

CA-

CAPITIS PRIMI
Particula VI.

Tex. 5. *Hic verò faciemus definitiuam doctrinam, quæ quantum ab ea, quæ ex reſolutione conſiſtit, & dignitate, & ipſo docendi ordine linquitur, tantum & ad totius compendium, & ad ſingulorum memoriam præſtare inuenietur. Sufficienter enim, ac facillimè memoriæ commendantur ex definitionis diſſolutione vniuerſa: quoniam totius artis capita in ſe optima definitio complectitur, quam quidem ſubſtantialem vocant, ex aduerſo diſtinguentes ab alijs, quæ notionales vocantur, illæ ſi quidem ab his, quæ accidunt rebus definitis, hæ verò ab ipſa eſſentia conſtituuntur.*

IN hoc text. duo facit; primò proponit agendum de doctrina definitiua, ſecundò facit comparationem inter doctrinam reſolutiuam, & definitiuam; dicit igitur doctrinam reſolutiuam ſuperari à reſolutiua quò ad dignitatem, & quò ad docendi ordinem; attamen non quò ad compendium, & memoriam; citiùs enim addiſcemus medicinam tractatā doctrina definitiua, quàm reſolutiua; & faciliùs omnia memoriæ commendabimus, quia quędam capita, ſiue verba communia in definitione ponuntur, in quæ cùm tota definitio artis reſoluatur, mirificè memoriæ omnia mandantur, & quę cū ſint pauca, & ad quæ tota ars reducatur, à iuuenibus facillimè memoria tenebuntur.

Montan. in hoc loco negat, doctrinam reſolutiuam eſſe digniorē definitiua; ratio, quę illū mouet, eſt, quia definitio eſt dignior fine, à cuius notione oritur doctrina reſolutiua; definitio enim continet totam rei eſſentiam. Vt tamen à cōtradictione vendicaret Galenum dicentē reſolutiuam eſſe digniorem, ait, per dignitatem intelligere exiſtimationem, quia doctrina reſolutiua apud Platonē, & antiquos erat in magna exiſtimatione; ſed non quod revera ſit dignior definitione.

Reijcitur hæc Montani opinio, quia eſt ab intentione Galeni aliena: primò, quia Galenus clariſſimis verbis ſe declarat, dicens, doctrinam reſolutiuam eſſe digniorem, quàm ſit definitiua: ſecundò Montanus ſupponit falſum fundamentum; putat enim, quòd hæc doctrina definitiua ſit illa perfectiſſima definitio, quā docet Ariſt. 2. poſt. quæ ſcilicet conſtat ex genere, & differentia, & cauſa externa, & quæ ſine dubio eſt dignior, & excellētior quacumq; doctrina; hæc .n. cùm ſolo ſitu differat à demonſtratione, dat quid, & propter quid, & omnia, quæ de nouo cognoſcuntur, pendent ab hac, & de hac definitione, vel doctrina definitiua Auctor non intelligit: neq; de illa, quæ dat tantum quid, quia illa non conſtat ex verbis æquiuocis, ut hæc, de qua agitur.

Definitiua doctrina itaque differt à perfectiſſima definitione, quia exprimit nomina quædam æquiuoca memoriæ accommodata, circa quæ verſatur medicina: dicit enim medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum: ecce quod dicit eſſe ſcientiam, quia non vult proponere definitionem declarantem quid; deindè illa tria nomina, ſcilicet ſalubria, inſalubria, & neutra ſunt æquiuoca, vt fusè oſtendetur ex Galeno, & Ariſtotele.

Quare Montanus, dum putat hanc doctrinam definitiuam eſſe digniorem, quàm reſolutiuam, errat toto cœlo.

Non tamen errat, dum negat, quòd in docendi ordine doctrina reſolutiua præcedat definitiuæ, quia revera per doctrinam definitiuam tota medicina mirificè memorię commendatur, diſſoluendo omnia ſignificata illorum trium verborum, videlicet ſalubrium, &c. Sed quia Galenus in tex. dicit reſolutiuam eſſe digniorem, & in ordine docendi eſſe præſtantiorem; ideo videtur Montanus Galeno reluctari, dum dicit, doctrinam definitiuam in ordine docendi præcedere reſolutiuæ.

Reſpondet Montanus huic inſtantiæ, quod in cod. Gręco non habetur in docendi ordine, ſed in docendi methodo: & rectè quidem: differt autē methodus ab ordine, vt ſuperiùs oſtendimus; quia methodus eſt ordo cum illatione; ordo verò ex ſe eſt ſine vlla illatione; ſic & nos dicimus doctrinam reſolutiuam in docendi methodo pręcedere definitiuæ; quia à finis notione omnia colligit, quæ non colliguntur à definitione medicinę propoſi-

ta, dicimuſque doctrinam definitiuam præcedere reſolutiuam in docendi ordine: quia perceptis ſignificatis illorum trium verborum miro ordine omnia medicinæ capita memoriæ commendantur.

Manardus rectè quoque ſentit, reſolutiuam eſſe digniorem definitiua, tũ quia incipit à finali cauſa, quæ eſt omnium digniſſima, tùm quia non ſolum docet artem, ſed eam inquirit, & conſtituit.

Sunt qui Manardum reijciunt dicendo definitionẽ adhuc eſſe digniorẽ fine.

Sed falluntur, quia ſupponunt hoc falſiſſimum, in doctrina definitiua proponi definitionem illam præſtantiſſimam quæ dat quid, & propter quid, quod ſuperius reiecimus.

Nos dicimus, Gal. proponere hanc doctrinam definitiuã hoc fine, vt tota medicina memoriæ commẽdetur: dicimuſque in hac doctrina non poſſe inueniri definitionem memoriæ accommodatam quæ non conſtet ex nominibus æquiuocis: immò quantò plura ſignificata ſub vno nomine æquiuoco continentur, tãto definitio erat præſtantior, aptiorque ad memoriam: Aptiſſima enim ſunt illa tria nomina poſita in definitione medicinæ, ſcilicet ſalubria, inſalubria, & neutra, quia diuiduntur in ſeptuaginta duo capita, quæ omnia ſunt ſalubria, vel inſalubria, vel neutra, vt infra declarabimus.

Dicimus tamen doctrinam reſolutiuã eſſe definitiua digniorem in docẽdi methodò, quia melius docet, inſeruit inuentioni, procedit per demonſtrationem, & numquam petit principium: doctrinam verò definitiuam non inſeruire inuentioni: non procedere per demonſtrationem, & perpetuò petere principium: ſupponit enim, quæ ſunt inuenta per doctrinam reſolutiuam, & quæ ſunt alibi probata.

1 Dubitatio hic proponitur, cur Galenus in hoc loco nil dicat de doctrina cõpoſitiua: ſed ſolum mentionem faciat de reſolutiua, & definitiua?

Bernardin. Paternus meus Præceptor reſpondebat, Gal. nihil dixiſſe de compoſitiua, quia aliquo modo vna eſt cum reſolutiua: dum enim reſoluimus, ſtatim deinde componimus.

Hæc reſponſio non videtur bona, quia tres ſunt doctrinæ propoſitæ, ergo alia eſt reſponſio afferenda.

Dicimus igitur Galenum hic nihil dixiſſe de doctrina compoſitiua, quia ad Medicum non pertinet: probauimus .n. ſuperius, quod neque infimum affectum poteſt medicus tractare doctrina compoſitiua, niſi intelligat de illa compoſitiua, qua artifex vtitur, dum à notione finis exorditur, quæ pertinet ad reſolutiuam: artifex enim, qui verſatur circa productionem ſui finis, niſi reſoluat, nihil inuenit: omiſit igitur Galen. doctrinam compoſitiuam, quia pertinet ad philoſophum naturalem, ad mathematicum, & ad metaphyſicum, & quamuis, qui reſoluit etiã componit, dicimus illam compoſitionem non eſſe dicendam doctrinam compoſitiuam, ſed reſolutiuam: quia de ratione reſolutiuæ eſt compoſitio, & non doctrina compoſitiua.

Oſtendimus ſuperius, quod in ratione doctrinæ tria requirantur, primum cognitio materiæ de qua agitur, ſecundum methodus, ſiue demõſtrationes, & argumenta, quibus in doctrina vtimur, tertiũ ordo, qui ex Ariſtot. 1. de moribus cap. 4. duplex eſt, alter à primis, alter verò ad prima.

Compoſitio igitur, qua vtimur in arte medica, non debet dici doctrina compoſitiua: quia materia de qua agitur tractatur illo ordine, qui dicitur ad prima, doctrina vero compoſitiua ſoli philoſophiæ ſpeculatiuæ conuenit, & non artibus; atque hæc eſt cauſa, quod Gal. non dicat ſe tractaſſe medicinam doctrina compoſitiua; dum medicus enim vtitur compoſitione in medicina, neque docet, neq; infert aliquid noui; ſed ſolum componit, quæ fuerunt inuenta per doctrinam reſolutiuam.

Hinc Leonicenus videtur aberrare, dũ putat doctrinam compoſitiuam eſſe omnium digniſſimam; quia reſolutiua ordinatur ad compoſitiuam, tãquam ad ſuum finem: dicit enim quod artifex reſoluat hoc fine, vt componat.

Manardus reijcit Leonicenum, & negat reſolutiuam ordinari ad compoſitiuam: quia dicit reſolutiuam propriè, & vnico fine gaudere, & finem eius eſſe ad prima principia reſoluere, & non inuen-

ta componere, ut putat Leonicenus.

Dicimus igitur nos in Artibus, & medicina, doctrinam reſolutiuam eſſe digniorem definitiua, in philoſophia doctrinam compoſitiuam, quia quamuis reſolutio habeat locum in philoſophia ſpeculatiua: attamen doctrina reſolutiua nullum habet locum.

Cauſa erroris omnium expoſitorum eſt, quia non diſtinxerunt doctrinam cōpoſitiuam à compoſitione, nec doctrinā reſolutiuam à reſolutione, oſtendimus.n. ſuperius, quòd de ratione doctrinæ, hæc tria ſint, materiæ de qua agitur prenotio, ordo, & methodus; quæ non conueniunt compoſitioni: & reſolutioni, quocirca defendimus ſuperius errare eos qui faciunt comparationem in arte medica, an doctrina compoſitiua ſit preſtantior reſolutiua, quia doctrina compoſitiua neq; in medicina, neque in alijs artibus habet locum: poteſt tamen fieri comparatio inter reſolutiuam, & definitiuam: definitiua enim habet locum non ſolum in artibus, uerùm etiam in ſcientijs ſpeculatiuis, quamuis vſque ad hæc tempora nemo, (quod ſciam) de philoſophicis egerit doctrina definitiua, quę ſcilicet paucis uerbis ęquiuocis totam philoſophiam memoriæ commendauerit.

2 Dubitatio oritur ex dictis Galen. quia in text. dicit, in doctrina definitiua eſſe proponendam definitionem optimam & ſubſtantialē, quomodo poteſt eſſe optima, & ſubſtantialis definitio medicinę propoſita à Galeno, cum careat externa cauſa? dicit enim Ariſtotel. ſecundo poſt. quod definitio accidentis, quamuis ſit conuertibilis, ſi careat externa cauſa, uana ſit, medicina enim eſt accidens, quia fit ab intellectu; omne enim, ut Auerr. docet, quod fit ab humano intellectu, accidens eſt.

Similiter quomodo erit optima, & ſubſtantialis ſi nomina in definitione medicinæ propoſita ſunt ęquiuoca; ſi genus propoſitum eſt alienum? medicina.n. non eſt ſcientia, ſed ars: ſalubre uerò, inſalubre, & neutrum ęquiuocè dicuntur de corpore, ſignis, & cauſis: ergo definitio non erit optima, & ſubſtantialis.

Expoſitores non uiderunt, quod ſciam, hoc dubium, omnes enim concorditer uidentur in illa eſſe ſententia, quod definitio medicinę in doctrina definitiua ſit optima, & ſubſtantialis: ſi igitur eſt optima, oportet ut ſit aliqua ex illis tribus propoſitis ab Ariſt. 1. poſt. tex. 20. vbi dicit definitiones eſſe trium generum, aliam quæ ſolo ſitu differat à demonſtratione, aliam, quæ eſt principium demonſtrationis, & aliam, quę eſt ut concluſio, hęc definitio medicinę non eſt illa quæ ſolo ſitu differt à demonſtratione, quia in definitione nō eſt poſita externa cauſa, neque illa quę eſt principium demonſtrationis: quia hęc conſtat ex genere, & differentia, uel ex aliqua cauſa quę eſt medius terminus in demonſtratione, & non conſtat ex uerbis, uel nominibus ęquiuocis, ut hęc medicinæ definitio, neque eſt illa quæ eſt, ut concluſio; hæc enim non continet cauſas, ſed ſolùm ſubiecti proprietatem, & hæc non eſt ſimilis huic: quænam igitur erit definitio? quomodo erit optima, & ſubſtantialis, ſi nulla ex illis tribus fuerit?

Dicimus igitur nos, illam medicinæ definitionem eſſe optimam in doctrina definitiua, eſſeque ſubſtantialem, quæ continet paucis verbis omnia medicinæ capita eo fine, vt omnia memoriæ mandentur: nō dicitur ſubſtantialis, quia declaret eſſentiam, & ſubſtantiam medicinæ, ſed quia explicet ſuum munus, quod eſt ſub nominibus æquiuocis offerre memoriæ omnia, quæ in tota arte tractātur: hæc enim definitio in doctrina definitiua pro hoc munere obeūdo eſt adeo perfecta, vt alia melior, vel quæ magis naturā doctrinæ definitiuæ exprimat, nemo vnquam inuenire potuit, ſumitur enim nomen ſubſtantialis lato modo, ſicuti etiam in definitione medicinæ lato modo ſumptum eſt nomen ſcientię: quare hæc definitio Gal. nulla eſt ex illis tribus, ſed eſt ab illis omninò diuerſa, quæcum non pertineat ad explicandam rerum quidditatem, ſed ſolum ad memoriam, Ariſtoteles in numero definitionum illam non collocauit.

3 Dubitatio alia tollitur, & eſt: quia Manardus, & Argenterius dixerunt, in lib. de conſtitutione artis med. & in hoc lib. Galen. agere de modo conſtituendi artem, & non de conſtituenda arte, quia dif-

diffuſius egiſſet, ſimiliter dicunt, Gal. in hoc lib. egiſſe de modo tractandi arte per doctrinã definitiuã, & nõ de arte medica.

Error Manardi, & Argenterij tollitur tum ex lib. inſcriptione, quia de artis cõſtitutione inſcribitur; hic autem lib. de arte medicinali, & non de modo; tùm ex lectione huius tex. vbi dicit Galenus: *hic verò definiuam faciemus doctrinam*: quare ſi faciet doctrinam definitiuam, non tractabit de modo, ſed de ipſamet doctrina definitiua.

PRIMI CAPITIS

Particula VII.

Tex. 6. *Elaborata eſt autem à nobis particulatim, & pluribus conſcripta tractatibus totius medicinæ contemplatio: quibus vti quis poſſit ad triplicem doctrinam. Nunc verò definitiuam aggrediemur, hoc vnum apponentes, quod ſolum capita, & quædam veluti concluſiones eorum, quæ alibi latius ſunt demonſtrata, nunc à nobis dicentur.*

antiq.

TRactaturus Galenus Artem medicam doctrina definitiua, ideſt per capita, & veluti concluſiones eorum, quæ in cæteris voluminibus fusè ſunt tractata, quiſpiam legendo hunc libellum poſſet illum iudicare diminutum, quia hic omnia particularia non proponuntur, ideò dicit in tex. ſe fuſiſſimè tractaſſe medicinam in alijs libris, in hoc verò ſolùm de omnibus, quæ colligi poſſunt à definitione medicinæ; aliqua tamen per capita, & aliqua, quæ pertinent ad ſigna fuſiſſimè, ſicuti de temperaturis viſcerum, de quibus exactiſſimè egit, quia hæc doctrina definitiua cognitionem temperaturarum viſcerum exactam requirit.

Manardus alio modo iungit hũc textum cum ſuperiori, dicit enim, Galenum hic ſoluere quandam tacitam obiectionem: quia quis potuiſſet dicere, tractaſti Galen. in hoc libello artem medicam per compendium, & per capita, ergo non habebitur hic exacta medicinæ cognitio, dicit igitur, Gal. occurrere huic obiectioni, quod quamuis hic per capita tantum egerit de medica arte, tamen in alijs lib. pleniſſimè de qualibet medica contemplatione verba feciſſe.

Hæc Manardi continuatio non mihi probatur, quia ſupponit duo, quæ falſa ſunt: primũ, hunc lib. de arte medicinali eſſe imperfectum; quaſi quod aliquid in hac doctrina deficiat, quod non eſt dicẽdũ, quia nullus humanus intellectus potuiſſet doctrinam definitiuam exactius tractare: ſecũdum, ſupponit, quod lector iſtius lib. neſciat, Gal. de arte medica in alijs tractatibus pleniſſimè egiſſe.

Quibus vti quis poſſit ad triplicem doctrinam.

Pluſquamcommentator expoſitionem falſam, & ridiculam proponit, cauſa erroris fuit, quia putabat per doctrinam reſolutiuam Galenum intelligere demõſtrationem propter quid, per compoſitiuam demonſtrationem quia, & per doctrinam definitiuam definitionem, quod ſuperius reiecimus, videns tamen Galen. vſum fuiſſe in quolibet tractatu vtraque ſpecie demonſtrationis, & definitione, ne confundat has tres doctrinas, ſic exponit, Gal. in hoc text. vſum eſſe figura hypallage, quæ eſt quando oratio inuerſa, & contraria vice profertur, dum Gal. dicit, quibus ſcilicet tractatibus vti quis poſſit ad triplicem doctrinam, Pluſquamcommentator interpretatur ſic, in quib. licet vti tribus doctrinis: hæc expoſitio eſt & aliena à Gal. mente, & ridicula, quia vix Poetis in magno figmentorum impetu conceditur vſus figuræ hypallages.

Leonicenus ſic interpretatur, ſi aliquid deficeret in hoc libello, vel in lib. de conſtitutione artis, vbi de doctrina reſolutiua agitur, dicit ex cæteris Gal. voluminibus, tamquam ex fonte id deſumendum pro complemento huius libri, & libri de conſtitutione artis.

Reijcitur, quia ſupponit, in hac doctrina definitiua, & in doctrina reſolutiua aliquid deficere, quod eſt falſum, quia Gal. egit in hoc libro de arte medica per doctrinam definitiuam, ſed adeò exactè, & fœliciter, vt in hoc genere docendi nihil deficiat.

Propterea Leonicenus maximè errauit, quia putabat, Gal. in ſuis voluminibus artem medicam tractaſſe doctrina

compoſitiua : dicebatque reſolutiuam in tota medicina fuiſſe propoſitam in gratiam compoſitiuæ:errauit primò, quia in hoc tex. Galenus dicit quæ tractata ſunt in alijs libris, quemque poſſe illis vti ad triplicem doctrinam : ergo non in gratiam ſolius compoſitiuæ.

Sed quod libri Galeni revera traditi ſint doctrina reſolutiua,nos probauimus in expoſitione ſecundæ particulæ huius capitis,vbi pleniſſimè conſenſu Ariſtotelis, Galeni, Auicennæ, & Auerrois probatum quoque eſt, nullam artem tradi poſſe doctrina compoſitiua, ſed ſolùm reſolutiua,quæ eſt à notione finis:oſtendimuſque compoſitinam, ſeu compoſitionem in artibus docentibus ſemper eſſe ancillam, & non præcipuam : quia compoſitio neque inuenit,neque docet.

2 Quò ad illud, quod dicit Galenus, quemlibet poſſe vti libris ſuis ad triplicē doctrinam,non proptereà intelligit ſuos libros fuiſſe tractatos doctrina compoſitiua, ſed nos vti poſſe eius doctrina inuenta,& tractata doctrina reſolutiua,ad triplicem doctrinam : quia multa colligi poſſunt pro intelligentia doctrinæ definitiuæ,reſolutiuæ, & compoſitiuæ.

Compoſitiua tamen ſeparata à reſolutiua pertinet ad Empiricos,qui non quęrunt artem docentem, ſed operantem : diximuſque ſuperiùs artem operantem ſemper incedere componendo, & numquam reſoluendo.

Manai di expoſitio nō eſt omninò improbanda : exponit .n. ſic: cum tota medicina in multis tractatibus plenè fuerit à Galeno edita,quiſque(dicit Galen.)poterit ex illis libris diffusè tractatis multa colligere, eaq; ordinare ad triplicem doctrinam,ideſt ſecundùm tres doctrinas.

Nos tamen dicimus,multa in alijs voluminibus colligi poſſe, non vt addatur huic doctrinæ definitiuæ, vel doctrinæ reſolutiuæ traditæ in lib.de conſtitut. artis medicæ, quia ſi illis aliquid addi poſſet, eſſent diminutæ,ſed dicimus multa colligi non pro additione, ſed pro faciliori intelligentia doctrinarum.

2 Dubitatio oritur ex verbis Galeni : quia inquir hic ſe velle per capita tractare, quæ latiùs alibi ſunt tractata : in cod. Græco dicit alibi per diexodon, ideſt per orationem : diffuſam : διεξοδικῶς enim intelligitur latus, & diffuſus tractatus : nihilominus Galenus in hoc loco latiùs agit de temperaturis cordis, cerebri, iecoris,& teſtium de diuiſione corporum, quam in alijs libris: ergo falſum dicit, in hoc lib. tantùm per capita de re medica ſermonem haberi.

Reſpondetur, agi in hac doctrina ſolū de illis rebus,quæ neceſſariò colliguntur à definitione medicinæ, & de his tam diffusè dicimus Galen.egiſſe in hoc libello,vt nihil diffuſiùs agi poſſit, intelligendo de ijs,quę à medicinę definitione colliguntur; audita enim definitione medicinę nos ſtatim excitamur ad memoriam omnium capitum, & intentionum artis medicę,itavt doctrina definitiuæ ſit tanquam memoria localis omnium, quæ in medicina tractantur,& quia omnis affectus pręter naturam eſt receſſus à corpore ſaluberrimo, opus erat,vt Galenus de corporibus, & ſignis temperaturarum corporum ageret oratione diffuſa : reliqua verò, quæ pertinent ad intentiones communes cùm facilè poſt recitatā definitionem medicinæ memoriæ ſubeant, non erat opus, vt de illis Galenus per διέξοδον,ideſt digreſſionem,verba faceret.

2 Dubitatio ex dictis exoritur, quia nō videtur,quòd Galen. ſeruet aliquem ordinem in ſuis voluminibus : habet enim in tex. quemlibet poſſe vti eius libris ad triplicem doctrinā, quare tres doctrinæ ab illo in alijs libris non obſeruantur : quia ſi ipſemet Galenus vſus eſſet triplici doctrina,non fuiſſet opus,vt alij laborarent pro vſu harum trium doctrinarum.

Leonicenus reſpondet,Galenum in alijs libris ſemper vſum eſſe doctrina cōpoſitiua : quam opinionem paulò ante reiecimus; quia in ſecunda particula huius capitis oſtendimus,neq; infimum affectum poſſe à medico doctrina compoſitiua tractari;quia artes operantes,& nō docentes ordine cōpoſitiuo procedunt.

Manard. reſpondet,libros Galeni nullum habere ordinem eſſentialem, & neceſſarium inter ſe; quæ opinio à multis reijcitur, & meritò : quia mirabilis ordo reſolutiuus obſeruatur à Galeno in ordine ſuorum librorum, quemadmodum nos declarauimus in expoſitione ſecūdæ par-

particulæ huius capitis, & fuſiùs declararunt Montanus, & alij claſſificantes.

Ego autem puto errorem omnium expoſitorum indè pendere, quia nullum diſcrimen poſuerunt inter ordinem, & doctrinam: de ratione enim doctrinæ tria ſunt, primum, vt aliquo ordine reſolutiuo, uel compoſitiuo agatur: ex Ariſtotele enim 1. de morib. c. 4. oſtendimus non dari alios ordines preter reſolutiuum, & compoſitiuum: ſecundum, vt aliqua methodo tradatur; tertium vt natura, de qua in ipſis agitur ad aliquem finem ſit ordinata, ſicuti memoriæ gratia, uel compendij cauſa.

Ad dubitationem dicimus, quemlibet librum Gal. ſeiunctim ſumptum, & coniunctim ſeruare ordinem reſolutiuum, qui dicitur ad prima: & quia ſuperiùs ratione, & auctoritate, quę duo ſunt rerum omnium κριτήρια oſtendimus, omnes artes hoc modo procedere, non eſt; vt quæ dicta ſunt repetantur; dicimus igitur quemlibet poſſe ex libris Galeni colligere materias pro efficiendis tribus doctrinis, definitiuam ſcilicet memoriæ gratia; reſolutiuam compendij cauſa, & compoſitiuam, quæ ſit medicina operans, quæ tractat de ordine, & vſu materiarum remediorum.

3 Dubitatio dicit Galenus in medicina ſeruari poſſe triplicem doctrinam: tamen ſuperiùs probatum eſt, doctrinam compoſitiuam non conuenire artibus, nec medicinæ, ſed ſolùm philoſophiæ contemplatiuæ.

Reſpondetur, ordinem compoſitiuum differre à doctrina compoſitiua; diximuſque Galenum in medicina vti ordine compoſitiuo, non autem doctrina compoſitiua: nullus enim liber inuenitur, in quo agat de doctrina compoſitiua, ſed ſolùm poſtquam vſus eſt doctrina reſolutiua, utitur compoſitione, de ratione enim doctrinæ eſt docere, & non ordinare, in medicina enim compoſitio nunquam docet, quia ſolùm colligit quę ſunt inuenta per reſolutionem: ideò dum Galenus ait nos vti poſſe ſuis libris ad triplicem doctrinam, duobus modis poſſumus reſpondere, primò quòd per doctrinam compoſitiuam intelligat compoſitionem: ſecundò quòd nomine medicinæ intelligat artem operantem, quæ ſemper componendo procedit.

SECVNDI CAPITIS Particula I.

Tex. 7. *Medicina eſt ſcientia ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorum.*

PRopoſito procemio in primo capite, modò ſe confert ad tractatum; dum enim tractatur de aliqua re, ſemper exordiendum eſt à definitione, ut optimè dicit Cicero in 1. de offic. in princ. & Plato in Cratylo: immò Ariſtot. 2. phyſ. tex. 68. loquens de mathematicis, dicit, illos, quæ oſtendunt reſoluere in definitiones, tanquam finem totius cognitionis; eodem modo Galenus incipit à definitione medicinæ, & ab ipſa, omnia, quæ ab illo dicta ſunt in toto hoc libello colliguntur, & omnia in ipſam reſoluuntur.

Zabarellæ opinio 2. de method. c. 4. eſt quod primum caput huius libri debeat vocari proęmium logicum, & commune; hoc verò ſecundum caput proęmium proprium, & particulare.

Quæ opinio non videtur vera, tùm quia definitio eſt principium tractatus; tùm quia omnes expoſitores pręter Pluſquamcommentatorem in hoc conueniunt, hoc ſecundum caput eſſe principium tractatus, & non procemium.

Pluſquamcommentator non improbat à primo capite vſque ad particulam quartam tertij capitis eſſe quaſi procemium, & titulum dicendorum: quod re vera improbamus; quia quod continet definitiones, & diuiſiones dicendorum non debet dici procemium.

Notandum hanc definitionem medicinæ hic traditam nō eſſe Galeni, ſed Herophili, ut ipſemet Galenus refert lib. de ſubfiguratione Empirica c. 4. & lib. 6. de tuenda valetudine, c. 2. quinimmò ab ipſo Galeno locis cit. hęc definitio non valdè probatur; accipitur tamen ab ipſo in hoc loco, tum quia erat in vſu apud Antiquos, tùm quia eſt aptiſſima ad faciendam doctrinam definitiuam; cōſtat enim tribus nominibus ęquiuocis, quę non naturam medicinæ declarant, ſed ſolùm in

illorum declaratione tota medicina ita declaratur, vt illa recitata illicò omnium, quæ ſunt tradita in hoc libro quiſque reminiſci, & memoriæ conſignare valeat; quod eſt illud, quod doctrina definitiua nobis pollicetur.

QVÆST. XV.

De Definitionibus Medicinæ.

DEfinitiones medicinæ variæ proponuntur ab Auctoribus: ab Hippocrate lib. de flatib. habetur hęc: Medicina eſt ablatio eorum, quę excedunt, & additio eorum, quę deficiunt; talis .n. eſt animi altitudo Hippocratis, vt noluerit vmquam docere vel ſuperflua, vel omnibus nota; non dixit medicinam eſſe artem, quia erat omnibus notum; non dixit, quòd eſſet curatrix morborum, vel conſeruatrix ſanorũ, quia hoc ſimiliter erat conſpicuum; dixit; quòd ſit ablatio, & additio, quia medicinæ ſcopus, & vltimus finis, tum in Therapeutica, tum in profilactica, & in alijs partibus eſt auferre ſuperfluum, & addere quod deficit.

Ab Auicenna prima primi in principio ſic definitur, Medicina eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanatur, vel ab ea remouetur, ut habita ſanitas conſeruetur, & amiſſa recuperetur: quę definitio conſtat ex omnibus quattuor cauſis. Reijcitur tamen ab Auerroe in primo Colliget, quia medicina nullo modo poteſt eſſe ſcientia, vt infra probabitur.

Ab Auerroe dantur duæ definitiones, altera eſt in primo Colliget, quæ eſt, Medicina eſt ars operatiua exiens à principijs veris, in qua quæritur conſeruatio ſanitatis corporis humani, & remotio ægritudinis ſecundùm quod poſſibile fuerit. Altera eſt lib. 6. c. 1. videlicet Medicina eſt ars operatiua, quæ eſt inuenta experientia, & ratione, conſeruans ſanitatem, & remouens ęgritudinem.

A Galeno, libro, qui inſcribitur Thraſybulus, ſic definitur, Medicina eſt ars curatrix, ęgrorum, & ſanorũ conſeruatrix.

Omnes propoſitæ definitiones declarant naturam medicinæ pręter hanc in hoc libello propoſitam, quia ſolùm nomina æquiuoca continet; immò quanto æquiuocatio illorũ eſt maior, tanto plura ſub illis continentur ſignificata, & tanto aptior redditur non pro declaratione naturæ medicinę, ſed pro memoria illorum quæ declarantur in hoc libro.

Diuiditur hic liber in tres partes; in prima tractat de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris; in ſecunda de ſignis, in tertia de cauſis; per cauſas autem Gal. intelligit remedia.

Pluſquamcommentator diuiſit hunc librum in tres libros, neq; eſt reprehendendus, quia licèt diuidatur in tres partes, vel in tres libros, intelligentia libri non mutatur.

In hoc textu proponit definitionem medicinæ; in ſequenti verò declarat, quid intelligat per nomen inſalubrium, & per nomen ſcientiæ.

1 Dubitatio ſtatim oritur, cur Galenus appellet medicinam ſcientiam, cum libro de conſtitutione artis c. 2. lib. qui inſcribitur Thraſybulus c. 5. & lib. de optima ſecta cap. 5. medicina ab illo vocetur ars, & non ſcientia. Prętereà hic liber inſcribitur τέχνη ἰατρικὴ, ideſt ars medicinalis, & non ſcientia; idem habetur 7. meth. c. 3. lib. de libris proprijs c. 3. & 5. de tuenda ſanitate, c. 11. quare vel Galenus hic fallitur, uel alibi.

Pluſquamcommentator reſpondet, ſcientiam in hoc loco capi à Galeno communiter; ſed deindè interpretatur quid intelligat Galenus per communiter, dicit; communiter ſumi loco generis.

Hæc reſponſio non probatur, quia ſi ſumeretur nomen ſcientiæ loco generis, propriè, & non communiter ſumeretur: genus enim ſemper propriè, & non communiter prędicatur de ſpeciebus. Prętereà ex Galeno genus medicinę eſt ars, & non ſcientia.

Reſpondetur cum Manardo, & alijs recentiorib. ſcientiam ſumi hic à Galeno communiter, ideſt lato modo, & non loco generis.

Vel dicimus medicinam dictam fuiſſe impropria locatione ſcientiam ab Herophilo, & non à Galeno.

Prętereà poteſt quoque defendi in hac re Herophilus auctoritate Ariſt. qui lib. 3. de Cœlo tex. 61. omnes artes factiuas vocat

cat

ctat ſcientias, hæc sũt verba, *finis autẽ effe-ctiuæ ſciẽtiæ eſt opus, naturalis verò id quod ſẽper propriè ſecundũ ſenſum apparet*: ecce ꝙ Ariſt. artes appellat ſciẽtias effectiuas.

Quod re uera medicina ſit ars, & non ſcienta, patet: quia finis ſcientiæ eſt ſcire, finis medicinæ eſt operari. Præterea Ariſtoteles 6. Ethic. 4. dicit principia ſcientię eſſe ſolùm in re, principia verò artis in Artifice: principia medicinæ ſunt etiam in Artifice, ergò per Ariſtotelem medicina non erit ſcientia. Demum 2. poſt. cap. vltimo docet, facultatem, quæ uerſatur circa generationem ſui finis, uel ſui ſubiecti, eſſe artem, ſed medicina uerſatur circa generationem, & introductionem ſanitatis, ergo erit ars, & non ſcientia.

Inſuper oſtendimus ſuperius, medicinam à Gal. ſemper fuiſſe vocatam artem. Similiter Auerroes 1. Colliget in principio, & in phyſ. diſput. 1. cõtra Algazelem probat, medicinã nõ eſſe ſcientiã, vocatq; eam artem factiuam, quæ modo eſt aſſiſtens, modò operãs, aſſiſtenſq; dicitur Architecton. operans verò dicitur miniſtra.

Augenius tenet medicinam eſſe ſciẽtiam communem, ſicuti eſt metaphyſica, quæ habet ſubiectum commune, & ab vno quod eſt ens, ut ens. Sic medicina declarata in hoc libro habet ſubiectum ab vno, & eſt ſcientia communis.

Nos concedimus quod ſalubre ſit ab vno, ſed nõ eſt ab vno, quod efficiat ſciẽtiã, ab vno enim triplex eſt: Primum eſt quod eſt cauſa ſecundi, & quod ut tale, ſit Deus, qui eſt caput omnium entium, qui eſt cauſa, quod planta ſit planta, & homo ſit homo: Salubre non eſt hoc modo ab vno. Secundum ab vno eſt cauſa ſecũdi, ſed non quod ſecũdum tale ſit, ſicuti cęlum eſt cauſa rerum naturalium, ſed non quod res naturales tales ſint. Tertium ab vno eſt, quod ſit primũ quidem, ſed nullo modo non eſt cauſa ſecundi, ut demõſtratio potiſſima quę eſt cauſa demoſtrationis propter quid quãuis demonſtratio per prius dicatur de potiſſima, per poſterius de propter quid; ſalubre verò neque cauſa ſecundi, per quam inſalubria, uel neutra talia ſint, nec vllo alio modo, ergo ſalubre non pertinebit ad ſcientiam cõmunem, ut metaphyſica, ſed ſalubre eſt ab vno æquiuocum. Demum non dicit Gal. hanc medicinam, eſſe ſcientiam cõmunem: ſed dicit medicinam eſſe ſcientiam communiter, imò dicit κοινῶς, quod eſt aduerbium.

2 Dubitatio deſumitur ex Auerroe, qui primo colliget c. 1. dicit poſita hac definitione medicinæ nullam eſſe differentiam inter medicinam, & philoſophiam, quia etiam philoſophia eſt ſcientia, quæ conſiderat ſalubre, inſalubre, & neutrũ, quare Auerroes ait, medicinam eſſe dicendam artem ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, & non ſcientiam.

Tollitur hæc dubitatio, quia philoſophia eſt ſcientia proprio modo ſumpta: medicina uerò communiter ſumpta, uel dicendum, hanc definitionem non eſſe Galeni, ſed Herophili: neque eſſe propoſitam à Galeno, ut declararet naturam medicinæ; ſed ut nobis inſeruiret pro memoria; quia in declaratione triũ nominũ exponuntur oĩa medicinæ capita.

3 Dubitatio vnius rei vnica eſt definitio, ergo ſi uera eſt hæc propoſita, cæteræ erunt falſæ.

Reſpondetur quod vnius rei vnica eſt definitio, conſiderando vnum reſpectu vnius, & eiuſdem, ad idem, & ſecundum idem: quo poſito dicimus, definitionem hic traditam non conuenire medicinę vt medicina eſt, ſed ut cõmodè tradi poſſit per doctrinã definitiuã. Pręterea reſpõdemus, uarias definitiones vnius rei non differre re, ſed nominibꝰ, quia omnes diuerſis nominibus explicãt eſſentiam rei.

4 Dubitatio ſuboritur, quia dum dicit Galenus medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, uidetur aduerſari Ariſtoteli, qui in poſt prædicamentis capite de oppoſitis ait, inter ſanitatem, & morbum non dari mediũ: quia ſanitas, & morbus ſunt contraria immediata, medicina uerò ex Ariſt. non eſt ſcientia neutrorum, ſed ſolum ſalubrium, & inſalubrium, ergo, &c.

Reſpondetur, inter Gal. & Ariſt. nullam eſſe diſcordiam: quia Ariſt. conſiderabat ſanitatem lato modo, prout conuenit etiam neutri diſpoſitioni: Gal. uerò loquens ex profeſſo de ſanitate, & moruo ſtrictius, & preſſius de ipſa eſt locutus ſeparauitque mediam, ſeu neutram diſpoſitionem à ſalubri, & inſalubri.

5 Dubitatio exoritur, quia nõ uidetur, quod hæc definitio medicinæ ſit bona: quia omnes bonæ definitiones, ut docet Ariſtoteles 2. poſt. & Galenus 4. de differentijs pul. cap. 2. dãtur per cauſas externas: qui diceret, eclypſim eſſe priuationem luminis in luna, & nõ adderet cauſam, quæ eſt interpoſitio terræ, definitionem uanam afferret, quamuis eſſet conuertibilis, docet enim Auerroes, cauſam externam in definitione accidentium eſſe loco vltimæ differentiæ.

Reſpondent nonnulli, definitionem medicinę eſſe datam per cauſam, quia eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, ſignorum, & cauſarum: ecce dicunt traditam eſſe per cauſam. Reſponſio eſt vaniſſima, quia dum in definitione quæritur cauſa, debet tradi cauſa definiti, & non aliarum rerum, dum Galen. agit de cauſis ſalubribus, inſalubribus, & neutris per cauſas non intelligit cauſas medicinæ, quę definitur, & cuius definiti cauſa in definitione quęritur; ſed per cauſas intelligit remedia.

Vera reſponſio eſt, hanc definitionem medicinæ nõ eſſe eſſentialẽ, & declaratiuam naturæ medicinę; ſed eſſe accõmodatam doctrinæ definitiuæ, perinde ac ſi eſſet localis quædam memoria illarum rerum, quę tractantur in hac arte. Nam ſtatim audita definitione recordamur omnium capitũ huius artis, dantur enim corpora ſalubria, inſalubria, & neutra, dantur cauſæ, & ſigna: quę ſimiliter diuiduntur in ſalubria ſimpliciter ut multum & ut nunc, ita vt in multiplici declaratione illorum trium nominum declaretur tota ars, ita vt nobis mirificè inſeruiat illorum nominum æquiuocatio pro recordatione, & nõ pro declaratione naturæ, & eſſentię medicinę, ut medicina eſt, ſed pro declaratione medicinę quatenus tradita eſt doctrina definitiua.

Quod uerò illa tria nomina ſint æquiuoca, patet ex Galeno lib. ad Thraſyb. c. 8. & ex Ariſtotile 4. metaph. tex. 2. vbi dicit ſalubre, & inſalubre non habere vniuocam ſignificationem, ſed multiplicem, dicique de corpore, ſignis, & cauſis.

6 Dubitatio alia proponitur cõtra hanc definitionẽ medicinę, quia uidetur, quod dicta definitio cõuenire poſſit mulomedicæ, quę eſt brutorum medicina, & plãtis, quę ab Agricola cognoſcuntur, quando ſunt ſalubres, inſalubres, uel neutrius diſpoſitionis: in recta enim definitione erat declarandum cui ſubiecto cõueniat, an ſcilicet homini, uel brutis.

Dubitatio eſt admodum friuola: quia certum eſt, Galenum agere de medicina accõmodata hominibus, non autem Brutis, & Plantis. Pręterea dato etiam, quòd poſſet extendi ad inſalubritatem aliorũ uiuentium, quid tum? mittamus igitur hæc puerilia, & interim dicamus, definitionem traditam non eſſe declaratiuam eſſentię medicinę, ſed eſſentię medicinæ traditę doctrina definitiua ordinata ad memoriam, eſſeque pro hoc fine dignã, ut ad ſydera extollatur; quare immeritò reprehenditur ab Auerroe, & Manardo, quia fuerit Herophili, ſi enim non fuiſſet accommodatiſſima pro explicanda hac doctrina definitiua, Galenus eam ab illo non accepiſſet, ſed nouam effeciſſet.

Quod uerò iſta tria nomina ſalubria, inſalubria, & neutra ſint ęquiuoca patet ex Galeno lib. ad Thraſyb. c. 8. patet quoque ex ijs, quę inferiùs dicentur ex Galeno, quorum trium nominum ſignificata ad ſeptuagintaduo numerantur: patet ex Ariſtotele 4. metaph. tex. 2. vbi docet ſalubre, & inſalubre dici de corpore, ſignis, & cauſis, quæ differunt inter ſe natura, & definitione.

Similiter logici exemplificant in c. de ęquiuoco, ſanum prędicari de homine ſano, & vrina ſana, quę ſignificata ſunt diuerſa natura, & definitione, ſanitas enim habet diuerſam rationem in vrina, & in homine.

Non tamen definitio tradita per nomina ęquiuoca, eſt incommoda huic doctrinę; immò ſi conſtaret ex nominibus vniuocis eſſet omninò inepta huic doctrinę, quia de eius ratione eſt, ut ęquiuoca ingrediantur definitionem medicinę. Immò quanto maior eſſet ęquiuocatio, tanto pauciora eſſent verba, & plura ſignificata, quę deinde mirificè memorię inſeruirent; irridendi igitur ſunt, qui diſputant, an hęc definitio medicinę ſit illa eſſentialis, quę ſolo ſitu differat à demonſtratione.

Tex. 8.

Tex.8. *Nihil verò differt, & ſi quis loco inſalubrium ægrorum dixerit. Nomen verò ſcientia communiter, & non propriè ſumere oportet.*

Declarata definitione medicinę reliquum erat, vt explicaremus ſequentia uerba, quibus Galen. dicit *nihil differt, &c.*

Leonicenus interpretatur *ægrorum*, ſed in Codice Græco, 1. habetur νοσερῶν ægrotatiuorum, & non ægrorum; ægrotatiuũ enim non neceſſariò prædicatur de ęgro: quia ſunt aliqua corpora ſana, quę dicuntur νοσερὰ, ideſt inſalubria, & quamuis Gal. lib. de ſectis ad eos qui introducuntur cap. 1. videtur aſſerere, quòd corpora ægrotatiua prædicentur de ijs quæ præſentem habent ægritudinem, & de ijs quæ ſana ſunt, propenſa tamen ad ægritudinem, nihilominus dico prædicationem illam, neque eſſe per ſe, neque de omni, quia non valet, eſt corpus inſalubre, ergo eſt ægrum: nec vice uerſa (vt oſtendemus paulò infra) multa enim corpora ſunt ſaluberrima, quæ licèt aliquando ægrotent ob exiguum vulnus, ſunt tamen adhuc ſaluberrima.

Leonicenus tamen non poteſt excuſari, dum per corpora inſalubria, interpretatur ægra; debemus igitur interpretari ſic; nihil verò differt ſi loco inſalubrium dixerit ægrotatiuorum, ideſt, habentium propenſionem ad ægritudinem.

SECVNDI CAPITIS Particula II.

Text.9. *Salubre autem, inſalubre, & neutrum, vnumquodque tripliciter dicitur: Hoc quidem vt corpus, hoc autem vt cauſa, hoc verò vt ſignum. Etenim corpus, quod ſanitatem natura ſuſcipere aptum eſt, & cauſam, qua eandem efficere, vel conſeruare, & ſignum, quod poteſt indicare: hæc omnia Græci ſalubria appellare conſueuerunt. Eadem ratione, & ſuſceptiua morborum corpora, & eoſdem efficientes, conſeruanteſq; cauſas, & ſigna indicantia, inſalubria vocant. Nec aliter corpora neutra, cauſas ſignave dixerunt.*

Propoſita in ſuperiori tex. definitione medicinæ: in hoc tex. illam declarat. Diuiditur tex. in duas partes: in prima diuidit illa tria nomina in 9. ſignificata, dicẽs, quod vnũquodq; dicitur vt corpus, vt cauſa, & vt ſignũ: itavt detur corpus ſalubre, inſalubre, & neutrũ, ſimiliter cauſa ſalubris, inſalubris, & neutra, & ſignũ ſalubre, inſalubre, & neutrũ: quę ſignificata Gal. deſũpſit ab Ariſt. 4. meta. text. 2. vbi dicit ſalubre, uel inſalubre dici de corpore, de cauſa, & de ſigno.

In 2. p. oſtẽdit quomodo ſalubre, inſalubre, & neutrũ prędicetur de corpore, cauſa, & ſigno, ſi ſeuerè velimus cõſiderare ſignificata ſalubris, & inſalubris, nõ uidentur quòd ſint æquiuoca, vt dicit Gal. libr. ad Traſyb. c. 8. ſed potius dicantur ab vno quia omnia referuntur ad ſanum: Ariſt. lib. 4. meta. 2. habet hæc, *conſideratio entis eſt conſideratio ſubſtantiæ: quia ſubſtantia eſt prima, & eſt ratio, qua cætera dicuntur entia*, ſimiliter docet corpus ſanum eſſe rationem, qua ſignum, & cauſa dicitur ſalubris: ecce quod ex Ariſtot. ſicuti ens eſt ab vno, quia dicitur per prius de ſubſtantia, & per poſterius de accidente, ſic ſalubre dicetur ab vno, quia per prius dicitur de corpore, & per poſterius de cauſis, & ſignis.

Etenim corpus, in hac ſecunda parte oſtendit, quomodo illa tria nomina cõueniant corpori, cauſæ, & ſignis; dicit ſalubre conuenire illi corpori, quod eſt ſua natura aptum ſuſcipere ſanitatẽ; in Græco Codice habetur, ἐπιδεκτικὸν σῶμα, id eſt corpus ſuſceptiuum τῆς ὑγείας, ideſt ſanitatis: dicit igitur per inſalubre intelligi corpora habentia aptitudinem ad ſanitatem ſuſcipiendam: idem dicit de cauſa ſalubri, & de ſigno, de inſalubri, & de neutro, ſemper explicando ſalubre per aptitudinem ſuſcipiendi ſanitatem.

1 Dubitatio inde oritur, quia Ariſt. in prædicamento qualitatis docet, ſalubre, & inſalubre eſſe quod habet potentiam ad ſanitatem ſuſcipiendam, vel morbum: quare ad ſola corpora ex Ariſt. referendum eſt ſalubre, & inſalubre, & non ad cauſas, & ſigna vt Gal. vult, ergo.

Reſpondemus Ariſt. in prædicamentis craſſa Minerua, & ruditer de his egiſſe; quod autem ita reuera ſit, legamus Ariſt. 4. meta. tex. 2. ibi clariſſimè docet, ſalubre non ſolùm dici de corpore, verùm etiam de cauſa, & ſigno, quemadmodum in hoc text. admonet Galen.

QVÆST.

QVÆST. XVI.

Quid per ſalubre, inſalubre, & neutrum intelligat Galenus.

VAriæ ſunt opiniones; breuius illas examinabimus, & quid ſentiendum ſit declarabimus.

Acachias, & Argenterius per ſalubre dicũt Gal. intelligere quod eſt actu vnũ; per inſalubre actu ægrũ, & per neutrum quod eſt actu neutrius diſpoſitionis.

Reijcitur horum opinio, quia Gal. c.8. clariſſimè docet, dari inſalubre, quod ſit etiam in latitudine ſanitatis, quod ſanè non eſt actu ægrum; ſumitenim inſalubre pro corpore imperfectè ſano: quia inſalubre apud Galen. prædicatur non ſolùm de illo quod actu ægrotat; ſed de illo, quod eſt malè ſanum, habetque aptitudinem ad ſuſcipiendas ægritudines.

Deinde idem colligitur ex verbis Gal. qui ſe declarat: dicit enim ſalubria eſſe corpora apta nata ad ſuſcipiendam ſanitatem; inſalubria apta ad ſuſcipiendam ægritudinem, σῶμα ἐπιδεκτικόν, ideſt corpus ſuſceptiuũ interpretantur, τῆς ὑγιείας ideſt ſanitatis: hæc verba aptitudinem, & non actum indicant.

Manardus, & Plurimi Recẽtiores cenſent per ſalubre Gal. intelligere quod habet aptitudinem, & potentiam ad ſanitatem; inſalubre, quod habet aptitudinem ad ægritudinem, & neutrum quod habet potentiam ad neutram diſpoſitionem acquirendam: dicuntque quod per ſalubre non poſſit explicari actu ſanum, per inſalubre actu ægrum, quia Galen. ex communi loquendi modo colligit ſalubre, & inſalubre indicare potentiã, & non actũ.

Quæ opinio mihi magis probatur, tũ quia ex verbis Gal. colligitur, tum quia non pertinet ad ſcientificum, vel artificem, qui docet artem, conſiderare actu ſanum vel actu ægrum: quoniam per potentiam, & aptitudinem omnia, quæ accidere poſſunt corporibus, debent declarari: quod quidem altiſſimis philoſophię principijs facilè oſtendetur.

Ariſtoteles enim voluit affectus omnes, ſeu ſint intra, vel extra latitudinem ſanitatis non poſſe definiri, niſi per ſubiecta propria: omnes enim affectus prædicantur de ſuis ſubiectis in ſecundo modo dicendi per ſe, vbi prædicatum ſolum definitur per ſubiecti aptitudinem, & non per actum; actus enim affectionum, ſeu paſſionum in nullo modo dicendi per ſe prædicantur de ſubiectis, ſed ſolùm aptitudines; indignum artis medicæ fuiſſet, ſi per ſalubre voluiſſet explicare actu ſanum, & inſalubre actu ægrum.

Præterea Galen. 1. de differentijs morborum capite primo in principio probat ſanitatem, vel ſanum eſſe non ab actione læſa deſumendum, ſed à potentia, habetque, hæc verba, *dum quis, vel dormit accidit, vt nulla ipſius corporis pars moueatur, ſanus tamen eſt:* vnde patet ſanitatem non ab actione, ſed potentiam potius eſſe definiendam; ſic etiam nos per ſalubre non actu ſanum, & per inſalubre actu ægrum, ſed potentiam, & aptitudinem ad ſanitatem; vel ęgritudinem vel ad neutram diſpoſitionem intelligimus; ſimiliter Galen. conſiderat cauſam ſalubrem; quatenus apta nata eſt conſeruare ſanitatem: cauſam verò inſalubrem quatenus habet impotentiam ad conſeruandam ſanitatem.

Saluus Sclanus mediam viam tuetur, profiteturque magno verborum apparatu ſe veram, & germanam expoſitionem inueniſſe, dicitque Galenum per ſalubre intelligere non ſolùm quod habet potentiam naturalem ad ſanitatem, ſed etiam quod actu ſit ſanum.

Primò enim corroborat ſuam opinionem auctoritatibus Galeni, Ariſtotelis, & rationibus; deinde reijcit opinionem Manardi, quæ eſt communis, & eſt illa quam defendimus.

Confirmat, quod ſalubre ſignificet nõ ſolam potentiam, ſed potius actum ſanitatis auctoritate Galeni lib. 31. ad Traſybul. c.8. vbi eandem definitionem medicinę declarat, dicens; medicina eſt ſcientia ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; ſubiungit Galenus, ſi quis voluerit remouere æquiuocationem, poterit dicere ſalubrium corporum ſanitate ruentium, ſalubrium cauſarum facientium ſanitatem, & ſalubrium ſignorum indicantium ſanitatem, & tandem Galen. vocat corpus ſalubre, quod eſt præditum ſanitate: col-

colligit inde per ſalubre intelligi à Galeno corpus quod actu eſt ſanum: quod verò colligit de ſalubre, idem refert de inſalubri, & neutro.

Reijcit opinionē Manardi, hac potiſſima ratione, ſi per ſalubre, inſalubre, & neutrum eſſet intelligendā ſola potentia ad ſanitatem ad morbum, & neutralitatem, & non actualitas, ſequeretur, quod nullum iſtorum ſub ſe comprehenderet corpora, quæ ſunt actu talia, quia ſub ſalubri actu ſana non poſſent comprehēdi, nec ſub inſalubri actu ægra, (addit) ſed ſic eſt quod vnumquodq; eorum diuiditur in id, quod eſt potentia tale, & quod eſt actu tale; ergo eſt impoſſibile, ut ſalubre, & inſalubre intelligantur pro ijs, quæ tātum potentia ſunt, & non actu, probat minorem: quia omnes fatentur dari ſalubre ſimpliciter, quod eſt habens potentiam ad ſanitatem, & dari ſalubre ut nūc, quod ſecundum ipſos eſt actu ſanum, ſimiliter datur inſalubre ſimpliciter, quod eſt illud, quod habet inclinationem ad morbum, & inſalubre ut nunc, quod eſt illud quod actu ægrotat.

Infert ergo, errare Manardū dicentē per ſalubre intelligi ſolum aptitudinē ad ſanitatem, & non actualem ſanitatem.

Inſuper idem confirmat auctoritate Ariſtotelis ex prædicamento qualitatis, vbi definitur quid ſit ſalubre, & quid inſalubre; hæc ſunt philoſophi verba, *ſalubres dicuntur eo quod habeant potentiā naturalem, vt nihil à quibuslibet accidentibus facilè patiantur; inſalubres verò, quod habeant impotentiam naturalem, nihil facilè à quibuſcunque accidentibus patiendi*: colligit ex his uerbis duas conditiones ſalubris; altera quod ſalubre, actu habeat ſanitatem, quia Ariſt. addit tales dici, non quia taliter diſpoſiti ſint, ideſt ſanitatem habeant, ſed quia habeant potentiam, altera conditio, vt ſalubre habeat potentiā ad reſiſtendum cauſis morbificis, contrarium de inſalubri. Si quis neſciret logicam certè neſciret Sclano reſpondere.

Hæc Salui Sclani opinio nō mihi probatur, quia eius fundamēta non videntur uera, & primò, dum dicit ex Gal. lib. ad Thraſyb. c. 8. illud eſſe ſalubre, quod ſanitate fruitur, nemo negat; ſuum erat probare, quod fruitio ſanitatis nihil omninò differret à ſalubri; maxima ſanè eſt differentia; quia ſalubre eſt potentia, & fruitio eſt actus; potentia eſt prædicatum per ſe ſecundi modi; actus eſt accidens, idque ſeparabile, quemadmodum riſibile, & riſus; nonne fatui uocarentur, qui dicerent idem eſſe riſibile, & riſum? cùm riſus ſit accidens ſeparabile ipſius riſibilis? idem eſſe latrabile, & latrare? omnes enim iſtæ ſunt potentiæ, ſeu proprietates ſecūdæ ſpeciei qualitatis; prædicanturque in ſecundo modo dicendi per ſe, & differunt à ſuis actibus toto cælo.

Inſuper ſi ſalubre ſignificaret etiam actū ſanitatis, ut dicit Sclanus, ſequeretur quod ſalubre nūc eſſet ſuperfluum; quia ſalubre nunc ſignificat corpus, quod actu eſt ſanum, ſed tale cū ſit ſalubre ſemper, ut quid de ſalubri nūc, ut de re ſeparata, & diſtincta ſermonē habere uoluit Gal.?

Deinde ſalubre eſt in ſecunda ſpecie qualitatis, actualis ſanitas, & ægritudo in prima ſpecie, ideſt in habitu, & diſpoſitione, ſed ſic eſt, quod ſpecies ſunt impermiſcibiles.

Demum Gal. lib. de ſectis dicit quod ægrotatiua, ideſt inſalubria prædicantur de ægris, & de malè ſanis, ergo inſalubria non poſſunt indicare vtrumque, ideſt actualem ſanitatem, & actualem ægritudinem.

Accedit quod ex Galeno lib. de Sectis cap. 8. inſalubre ponitur in latitudine ſanitatis.

Ergo inſalubre dicet ſolam potentiā, & non actualem ęgritudinem, uel ſanitatē.

Quantum ad rationem propoſitā contra Manardum nihil concludit, quia non ſolùm ſalubre, quod eſt potentia tale, eſt aptitudo; uerum etiam ſalubre, quod eſt actu tale, eſt potentia, & aptitudo; ſalubre enim nunquam mutat ſuam naturam, quamuis ſuſcipiat magis, & minus; error tamen iſtius Auctoris, & aliorum fuit, quia ſupponunt, actu ſanum non eſſe corpus ſuſceptiuum ſanitatis.

Neq; auctoritas Ariſtotelis eſt pro illis, quia dum ait ſalubre ſignificare potētiam ad reſiſtendum fauet ſententiæ noſtræ: dum uerò dicunt Ariſtotelē ſupponere omne ſalubre frui ſanitate conceditur, ſed errant valdè, dum inde colligunt, ergo per ſalubre intelligi quoque fruitionem

nem ſanitatis: non valet hæc conſequentia, equus eſt hinnibilis, ergo hinnit: hinnibilitas eſt proprietas equi, hinnire uerò eſt accidens ſeparabile: ſimiliter non ualet, riſibilis eſt qui ridet, ergo per riſibile intelligimus etiam riſum, ſimiliter non valet, ſalubre eſt quod fruitur ſanitate, ergo ſalubre eſt fruitio ſanitatis.

Ego autem puto Gal. per ſalubre intelligere aptitudinẽ, & potentiã ad reſiſtendũ; per inſalubre impotentiã, quã opinionẽ ſuſtinet Manard. & multi Recẽtiores, inter quos erat Bernard. Paternus, quare & nos dicimus ſalubre ſignificare potentiã, ſeu habeat, ſeu non habeat ſanitatẽ actu; ſicuti riſibile rideat, uel ploret, dicit aptitudinẽ ad ridendũ, ſimiliter inſalubre ſimpliciter, & ſalubre vt plurimi dicunt potentiã, & aptitudinem ad reſiſtendum.

Quando verò Gal. c. 75. ſe declarans dicit ſe intelligere per inſalubre nunc corpus actu ęgrum, dicimus corpus actu ægrum indicare impotentiam, & ineptitudinẽ ad reſiſtendũ, ſanitas .n. uel ęgritudo non deſumitur, (vt habetur prima de differentijs morb. c. 1.) ab actu, ſed à potẽtia: quia, vt dicit Gal. dum homo dormit, nulla pars actu mouetur; tamen dicitur ſanus, quia habet potentiã ad reſiſtendũ, inſalubre igitur nunc, quod eſt actu ægrũ eſt quædã ſpecies inſalubris potentiæ parũ, vel nihil reſiſtẽtis, uocabitur tñ magis uel minus inſalubre pro ut magis, uel minus eſt impotẽs, & ineptũ ad reſiſtendũ.

SECVNDI CAPITIS

Particula III.

Text. 10. *Et ſecundum primam quidem rationem, atq; præcipuam medicinæ eſt ſcientia ſalubrium cauſarum, propter eas autem, & aliarum, ſecundo quidem loco inſalubrium, & tertio neutrarum. Et poſt has eodem modo corporum, primò quidem, & hic ſalubrium ſecundò loco inſalubrium, tertiò neutrorum. Itidem de ſignis dicendum. In actionibus autem, prima quidem eſt corporum cognitio, quæ habetur ex ſignis, poſt hac autẽ, quæ in ipſis inuentio cauſarum.*

IN ſuperiori text. Galenus diuiſit ſalubre, inſalubre, & neutrum in corpus, cauſam, & ſignum, dixitque apertis uerbis, quod hæc nouem capita, uidelicet ſalubre corpus, ſalubris cauſa, ſalubre ſignum, inſalubre corpus, inſalubris cauſa, & inſalubre ſignum, neutrum corpus, neutra cauſa, & neutrum ſignum debeant intelligi de aptitudine ad ſuſcipiendum; ad efficiendum, vel conſeruandum, & ad indicandum.

In hoc verò tex. præcipit quodnam ex nouem capitibus primo ſit addiſcendum, quodnam ſecundò, quodnam tertiò, &c. ſed quia qui vacat medicinæ, debet intentiones ordinare ad conſequendum finem, de quo medicus, ut optimè docet Ariſtot. 3. ęthicorum cap. 6. numquam conſultat, ſed id ſupponit, & inde ſe diſponit ad inuenienda remedia, quibus id efficere poſſit, ideò Galen. ait quod ſecundũ m primam rationem exordiendum ſit a cauſis ſalubribus, deinde ab inſalubribus, & neutris: poſt has de corporibus, & ſignis.

Videndum eſt quid Galenus intelligat per primam rationem, & quid per actiones: quia Expoſitores inter ſe ſunt diſcordes.

Haly, & Pluſquamcommentator dicunt, Galenum reſpondere in hoc texto cuidam tacitæ obiectoni: quia quis potuiſſet dicere; cùm ſalubre, inſalubre, & neutrum dicantur de corpore, cauſa, & ſigno, quæſo à quo iſtorum erit incipiendum? dicunt Galenum in hoc tex. reſpõdere, quod ſecundùm primam intentionem rationem debeant præcedere cauſæ, deinde ſequi corpora, & poſtremò ſigna. In actionibus uerò, ideſt in executionibus, ſigna indicantia diſpoſitiones corporum præire, & ultimas eſſe cauſas, quibus conſeruantur, uel curantur affectus, dicunt igitur, Galenum inſinuare duplicem ordinem, primum uerſari circa medici intentionem: ſecundum circa executionem.

Quod reſpondeat tacitæ obiectioni eſt rationi cõſonum: ſed quid per cauſas intelligat Gale. debebant clarius explicare. Prętere a Expoſitores mirantur Pluſquãcommẽtatorem, qui credens per doctrinam reſolutiuam Galen. intelligere demonſtrationem propter quid, & per cõpoſitiuam demonſtrationem quia, non explicauerit per primam rationem, quæ

pro-

procedit à cauſis intelligendam eſſe doctrinam reſolutiuam , & per ſecundum ordinem,qui eſt à ſignis, compoſitiuam.

Quidam,vt refert Pluſquamcommentator, putabat Galenum in hoc tex. tradere duos ordines,per quos oſtendat duplicem partem medicinæ,Theoricā ſcilicet,& practicam: dicebat ſecundum primam intentionem ideſt in parte theorica eſſe incipiendum à cauſis: in actionibus verò quo ad ſecundam intentionem, quod eſt in parte practica eſſe incipiendum à corporibus, & ſignis, & demum procedendum ad cauſas.

Hæc opinio reijcitur , tùm quia Gal. nunquam diuiſit medicinam in Theoricam, & practicam, tùm quia hic non eſt locus diuidendi medicinam.

Montanus,quia putat medicinam eſſe ſcientiam,& artem: ſcientiam quatenus eſt in ſciente, artem verò vt in operatione conſiſtit: dicit, in hoc loco Galenum conſiderare medicinam , quomodo ſit ſcientia,& quomodo ſit ars dicens ſecūdum primam rationem,vel intentionem quæ conſiſtit in ſciente, eſſe exordiendū à cauſis , quia hoc modo medicina eſt ſcientia: in actionibus verò eſſe artem, & ad artificem ſpectare conſiderationē ſignorum, & corporum, & ex illis colligere cauſas conſeruantes, ſeu curantes, quæ ſunt ipſa remedia.

Hæc opinio ab omnibus reijcitur;tum quia medicina nullo modo poteſt eſſe ſcientia,quia verſatur circa generationē ſui ſubiecti, vt ſupra probauimus, tùm quia in hoc tex.tractat de ordine,quo eſt procedendum , & non an medicina ſit ars,vel ſcientia.

Manardus dicit,hic poni duos ordines; per primum qui dicitur ſecundum primam rationem, vult Galenum intelligere ordinem naturæ, cui primo cauſæ cognitæ ſunt, deinde ſequi corpora, & ſigna : ſed hoc ordine, vt cauſæ ſalubres ſint à natura primo intentæ , & deinde inſalubres, & tandem neutræ vt participantes extrema: per ſecundum ordinem ait,intelligere actū conciliariuū medicorum,qui fit ante operationē;dicit .n.dum medicus de agēdis conſulit, prius corpora, & diſpoſitiones per ſigna inquirere, & deinde cauſas ſeu remedia proponere.

Nō probatur opinio Manardi quia, vt optime notat Argenterius, Gal. dū dicit ſecundum primam rationem, & præcipuam, medicinam eſſe ſciētiam ſalubriū cauſarum, non intelligere per cauſas ſalubres cauſas primo à natura intentas, quę conſtituunt corpora,vt ſunt elemēta 4. humores , & alia id genus : ſed per ſalubres cauſas intelligere (vt ipſe ſupra ſe explicauit)cauſas,quæ poſſunt efficere, vel cōſeruare ſanitatem,quę ſūt auxilia.

Præterea quo ad ſecundum ordinem, Manardus non ſatisfacit:quia,quod Galenus hic doceat modum collegiandi, non conſonat propoſito ſuo.

Demum in græco codice leguntur ſic ilia verba κατά φρῶ τον μενλὸγον, ideſt ſecundum primam rationem , quare dum per rationem interpretantur naturam, eſt explicatio omninò impropria.

Nos autem non damnamus Leoniceni interpretationem , qui in ſuo antiſophiſta ſic explicat, ſecundum primam rationem,ideſt ſecūdum primam antiquorum definitionem,quæ eſt,quod medicina ſit primo ſcientia cauſarum ſalubriū, deinde corporum,& ſignorum.

Quod verò per rationē intelligi debeat definitio,eſt mos Antiquorum,& Ariſtotelis,qui in definitione æquiuocorum, & vniuocorum,& alibi ſæpiſſimè per rationem intelligit definitionem.

Addimus nos per primam rationem non ſolum eſſe intelligendam definitionem medicinæ traditam , ſed etiam primam intentionem,& conceptum, quem debent habere medici.

Prima enim intentio,& primus medici conceptus eſt inuenire cauſas,ideſt remedia pro fine conſequendo.

Poſt primam intentionem ſequitur ſecunda, quæ verſatur in actionibus, & in hac non oportet exordiri à Cauſis, ſed à corporibus, & ſignis, & deinde cognitis corporibus vel per anatomiam , vel cognitis affectibus per ſua ſigna ſtatim procedimus ad inueniendas cauſas , ſeu remedia particularia,nūquam enim agnoſcemus remedia, niſi præcedat cognitio locorum affectorum, & affectuum.

Quod verò per primam rationem Galenus intelligat primā medici intentionē, & conceptum eſſe de cauſis, i. de reme-

d'js

dijs patet quoque ex Arabica tranſlatione, in qua ſic legitur, *& prima intentio medici non eſt, niſi ad ſciendum cauſas ſanitatis*: ecce quod non ſolùm per rationem intelligit definitionem: ſed etiam primam medici intentionem eſſe de cauſis, ideſt de remedijs: quæ verò debeant eſſe hæc remedia, non percipiemus, niſi incipiamus à corporibus, & ſignis, & deinde procedamus ad cauſas, & remedia ſpecifica; itavt prima intentio ſtatim ſit circa remedia; ſecunda circa cognitionem corporum, & ſignorum, à quibus demum colliguntur remedia illa ſpecifica, quæ ſanitatem introducunt.

1 Dubitatio oritur, quia ex Ariſt. 3. de anima tex. 49. habetur, quod eſt primum in intentione eſſe vltimum in executione, quare ſi in tex. per primam rationem intelligimus primam intentionem cauſarum, ſeu remediorum, remedia erunt vltima in executione, quod eſt falſiſſimum; quia in executione, & in actu practico remedia ſunt prima, & vltima.

Reſpondemus dari hos tres ordines, primum eſſe ordinem primę intentionis veluti ex Ariſtotele 3. æthic. c. 6. habetur, ſuppoſito ſcilicet fine ſtatim non de fine, ſed de remedijs haberi conſultationem: ſecundum eſſe ordinem inuentionis, in quo deberet tractari de cognitione corporum, & ſignorum ægritudinum; ſi velimus inuenire remedia pro fine conſequendo: ad hunc ordinem Galenus omnes libros methodi, & alios direxit, ibi .n. ab indicantibus deſumit indicata, quæ ſunt remedia, vel cauſæ ſanitatem efficientes: tertium eſſe ordinem executionis, quando dicit Gal. in tex. ſecundum primam rationem, id. ſt intentionem eſſe exordiendum à cauſis, & in actionibus à corporibus, & ſignis; dicimus per actiones non intelligere executiones: actiones enim differunt à factionibus, & executionibus; ex Ariſtotele enim poſt actionem non remanet opus, vt poſt factionẽ, & executionẽ: quare primum in intentione, eſt etiam primum in inuentione, eſtq; antequam illud exequamur; ideò legitur in Græco codice ἐν ταῖς πραξεσι, ideſt in actionibus, & non in factionibus, vel in executionibus.

2 Dubitatio videtur, quòd per actiones intelligat actualem executionem, & non conſultationem, quia in executione exordimur à remedijs, & non in conſultatione.

Reſpondemus actionem, ſiue praxim duplicem eſſe: aliam realem, & aliam mentalem, ſiue idealem, quæ eſt illa, quã addiſcimus in ſcholis. Realis verò eſt illa, quæ in actu exercito habet locum, & pertinet ad realem executionem. Poſita hac diſtinctione dicimus, in reali actione ſemper eſſe exordiendum à remedijs. In mentali verò, de qua loquitur Galen. ſemper eſſe exordiendum à corporibus, & ſignis: agit enim hic de medicina docente, non de operante.

3 Dubitatio: non videtur, quòd per primam rationem intelligat primam intentionem, quia ex Ariſt. 3. de anima, 49. quod eſt primum in intentione, eſt vltimum im executione: ſed ſic eſt quod in arte medica, ipſa ſanitas eſt prima in intentione, & vltima in executione, & non ipſa remedia: ergo per primam rationem eſſet exordiendum à fine, id. ſt à ſanitate, & non ab ipſis remedijs.

Reſpondemus, finem medicinæ duplicem eſſe, nempè proximum, circa quem verſatur medicus, & remotum: proximum dicimus eſſe inuentionem remediorum, remotum verò, & vltimum eſſe ipſam ſanitatem, quæ vocatur ſcopus, & non finis. Hac poſita diſtinctione patet ſolutio, quia axioma Ariſtot. citatum debet intelligi de fine vltimo, & remoto, ad quem dirigitur proximus, qui conſiſtit in remediorum inuentione, vel conſultatione, de quo fine intelligit Galen., quia finis remotus non docetur, ſed ſupponitur: quia eſt ita notus, ſicuti ſuppoſitio apud mathematicos, vt admonet Ariſt. 7. æthic. c. 8.

4 Dubitatio oritur, quia docet Galenus in tex. medicinam prius eſſe ſcientiam ſalubrium, quam inſalubrium: nihilominus in arte medica nobis occurrunt prius corrigenda inſalubria. Præterea ex Galeno cap. 85. huius libri, & 2. de tuenda ſanitate cap. 7. habetur, corpus ſalubre non indigere cuſtode, ſed ſibimet eſſe regulam, tantumque appetere, quantum concoquere poſſe.

1 Reſpondetur ex Galeno lib. de inæ-

quali

quali intemperie c. 4. à nobilioribus eſſe inchoandum, & 1. de tuenda ſanitate in principio habet hanc ſententiam, ſanitas ægritudini, & natura temperata intemperatæ cognitionis ordine præcellit.

Quo ad inſtãtiam, quod videlicet corpus ſalubre nõ indigeat cuſtode, dicimus Galenum intelligere de corpore ſalubri ſimpliciter, quod eſt ſaluberrimum, & punctuale ſine latitudine, quod dicitur à Galeno lib. de optima corporis conſtitutione capite 3. ἄτμητον, ideſt inſectile, quod nunquam inuenitur, vel ſi datur, ictu oculi durat, de illoq; dicit Galenus lib. 1. de tuenda ſanitate cap. 5. quod in prædicta definitione medicinæ non contineatur, quia omnia; quæ continentur, habent aliquam latitudinem, & ſubijciuntur ſcientię humanæ, & artifici; qui ſenſata perquirit, aufugitque dogmata inſenſibilitatis.

TERTII CAPITIS
Particula I.

Tex. 11. *Sed quoniam, & effectiuum, & indicatiuũ & ſuſceptiuum dupliciter vnumquodq; dicitur, hoc quidem ſimpliciter, hoc verò vt nunc, noſſe oportet amborum eſſe medicina ſcientiam. Ipſum verò ſimpliciter duobus dicitur modis, & quod ſemper, & quod vt plurimum: de quorum vtroque medicina pertractat.*

CVM dixiſſet ſuperius ſalubre inſalubre, & neutrum dici de corpore, cauſa, & ſigno, ita vt nouem formarentur capita, & quod ſecundum primam rationem, ideſt definitionem, & intentionem medicina ſit ſcientia primò cauſarum ſalubrium deinde corporum, & ſignorum, & quod ſecundum aliam intẽtionem, ideſt in actionibus ipſis prius à corporibus, tũ à ſignis ad cauſam ſit procedendum.

In hac parte dicit, quodlibet ex illis nouem capitibus diuidi in ſimpliciter, & ut nunc, ex quibus indè cõſurgunt octodecim capita, & hæc ſunt; corpus ſalubre ſimpliciter corpus, ſalubre vt nunc, corpus inſalubre ſimpliciter, corpus inſalubre vt nunc, corpus neutrum ſimpliciter, corpus neutrum vt nunc; ſimiliter ſex fiunt capita de cauſa, & ſex de ſigno.

In ſecunda parte textus Galenus diuidit ſimpliciter, in ſimpliciter ſemper, & ſimpliciter vt plurimum, ita ut ſimiliter octodecim capita fiant, quæ omnia hactenus perueniunt ad 36. quæ ex breuiſſima medicinæ definitione collecta ſunt.

1 Dubitatio oritur ex tex. quia cum ex omnium conſenſu Galenus per effectiuũ intelligat cauſam, per indicatiuũ ſignũ, et per ſuſceptiuum corpus, uidetur diminutus, quia in ſecunda par. ſecundi capitis dixit, cauſam eſſe duum generum, uel quæ poteſt efficere ſanitatem, uel quæ ipſam conſeruare, quo pacto igitur ſub effectiuo continebitur cauſa conſeruatiua? Præterea ex Ariſtot. 4. meta. tex. 2. diuiditur ſalubre in conſeruatiuum, effectiuũ, indicatiuum, & ſuſceptium; quinimò Galenus hanc ſalubris partitionem deſumpſit ab Ariſtot. ad verbum loco cit.

Reſpondetur ex Galeno lib. ad Thraſyb. cap. 19. quod cauſæ conſeruantes ſanitatem ſemper eam efficiant ſaltem inſenſibiliter, quare conſeruatiuus poteſt ſtare ſub effectiuo, & præſertim in doctrina definitiua, quæ eſt breuiſſima, quia tota ars medica ex diſſolutione vnius breuiſſimæ definitionis declaratur.

Quo pacto verò cauſa cõſeruatiua ſanitatis ſanitatem quoque efficiat, Galenus lib. ad Thraſyb. c. 19. dat hoc exemplum, ſi in veſte filum rumpatur, & illicò Artifex emendet, tũc nemo animaduertet vitiũ: idẽ euenit in perfectè ſano: natura .n. in illo quotidie vitia perexigua tollit: ecce igitur quomodo cauſa cõſeruatiua ſanitatis, ſanitatẽ quoque efficiat.

Præterea capite 20. Galenus dat aliud præclarum exemplum de vini dolio, dicit, ſi à parte inferiori per foramina exigua fieret aliqua liquoris effuſio: aliquis tamen per partem ſuperiorem viciſſim imponeret quantum effluxit; certum eſt quod dolium ſemper plenum conſeruaretur, & conſeruatio illa eſſet effectio, ſed minus ſenſibilis: ad eundem modũ natura ſemper corrigit, & ſanitatẽ efficit; ſed modò ſenſibiliter, & modò inſenſibiliter, dicit enim Galenus 6. epidem. com. 5. tex. 1. naturam eſſe medicatricem morborum, multo tamen facilius poſſe emendare vitia pertinentia ad ſalubritatem,

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimũ: altera eſt ſanitas in affectione, vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum; uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiã, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionẽ ſit extrà ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrũ ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nõ bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione, quæ pertinet ad conualeſcentes, & ſenes pertineat ad ſtatũ neutrum, colligitur ab ipſo Gal. lib. ad Traſyb. ca. 3. vbi dicit, analepticã, & profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt, quod analeptica ideſt reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergò ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum, & non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nunc ſit omninò indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò, & cauſa, & corpus, & ſignũ, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat; aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex. ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſẽper, & magna ex parte nõ ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex. facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatũ Textuſque diuiditur in duas partes: in prima dicit, neutra vt cauſa, vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum, primum dari neutrum, quod non participat extrema, & eſt neutrum, per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari, quod aliquando eſt particeps vnius quam aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, dicitque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius, quam alterius extremorum.

Sed par eſt ut exemplis neutra illuſtremus; & præcipuè neutra, per negationẽ extremorum, quæ nonnulli negarũt. Incipiamus igitur ab exẽplis philoſophicis.

Materia prima, quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemẽta media ſunt neutra per negationem extremorũ, probat Auerroes 4. Cœli cõm. 26. vbi dicit, ſi grauitas, uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis purus eſt corpus neutrum per negationem extremorum uidelicet pituitæ, bilis, & melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum, criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum, neutrum inter aqueum, & vitreum: criſtallinus non participat naturã aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata: humor aqueus, & vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna, & cauſę neutrę per negationem extremorũ. Primũ exẽplum eſt albedo Germanorum, & color

ſuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Immo colores medij, vt cæruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & cærulei. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: parimodo bilis porracea eſt neutra per participationem flauæ, & ceruleæ, ſpeciculæ violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi: pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtente in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. apprentius tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quamplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationẽ extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguũt hæc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia, quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamẽtis conuenient quoq. tendinibus qui cõſtant ex neruea, & alimentoſa ſubſtantia. Sic oleũ camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conuenient ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participãt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant. Præt. dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcẽtes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationẽ plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneũ, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an detur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbũ eſſe cõtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cõſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorũ extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquamcõmentator alio modo ſentit, & imprimis reijcit ipſi Haly; dicit .n.

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimũ: altera eſt ſanitas in affectione, vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum; uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiã, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionẽ ſit extra ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrũ ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nõ bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione, quæ pertinet ad conualeſcentes, & ſenes pertineat ad ſtatũ neutrum, colligitur ab ipſo Gal. lib. ad Traſyb. ca. 3. vbi dicit, analepticã, & profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt, quod analeptica idest reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergo ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum, & non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nuuc ſit omninò indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò, & cauſa, & corpus, & ſignũ, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex. ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſẽper, & magna ex parte nõ ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex. facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatũ Textuſque diuiditur in duas partes in prima dicit, neutra vt cauſa, vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum, primum dari neutrum, quod non participat extrema, & eſt neutrum, per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari, quod aliquando eſt particeps vnius, aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, dicitque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius, quam alterius extremorum.

Sed par eſt, ut exemplis neutra illuſtremus, & præcipuè neutra, per negationẽ extremorum, quæ nonnulli negarũt. Incipiamus igitur ab exẽplis philoſophicis.

Materia prima, quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemẽta media ſunt neutra per negationem extremorũ, probat Auerroes 4. Cœli cõm. 26. vbi dicit, ſi grauitas, uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis purus eſt corpus neutrum per negationem extremorum uidelicet pituitæ, bilis, & melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum, criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum, neutrum inter aqueum, & vitreum: criſtallinus non participat naturã aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata: humor aqueus, & vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna, & cauſę neutrę per negationem extremorũ. Primũ exẽplum eſt albedo Germanorum, & color

fuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Immo colores medij, vt cæruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & cerulei. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: parimodo bilis porracea eſt neutra per participationem flaue, & ceruleæ, pecilulæ violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi, pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtentē in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. approntus tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quāplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationē extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguūt hæc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia, quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamētis conuenient quoq. tendinib. qui cōſtant ex neruea, & alimentoia ſubſtantia. Sic oleū camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conueniunt ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participāt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant. Præt. dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcētes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationē plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneū, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an dētur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbū eſſe cōtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cōſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorū extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquamcōmentator alio modo ſentit, & imprimis reijcit ipſi Haly; dicit .n.

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimũ: altera eſt ſanitas in affectione, vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum; uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiã, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionẽ ſit extra ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrũ ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nõ bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione, quæ pertinet ad conualeſcentes, & ſenes pertineat ad ſtatũ neutrum, colligitur ab ipſo Gal. lib. ad Traſyb. ca. 3. vbi dicit, analepticã, & profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt, quod analeptica ideſt reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergo ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum, & non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nunc ſit omninò indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò, & cauſa, & corpus, & ſignũ, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat; aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex. ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſẽper, & magna ex parte nõ ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex. facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatũ Textuſque diuiditur in duas partes: in prima dicit, neutra vt cauſa, vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum, primum dari neutrum, quod non participat extrema, & eſt neutrum, per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari, quod aliquando eſt particeps vnius ꝗ aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, dicitque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius, quam alterius extremorum.

Sed par eſt vt exemplis neutra illuſtremus; & præcipuè neutra, per negationẽ extremorum, quæ nonnulli negarũt. Incipiamus igitur ab exẽplis philoſophicis.

Materia prima; quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemẽta media ſunt neutra per negationem extremorũ, probat Auerroes 4. Cœli cõm. 26. vbi dicit, ſi grauitas, uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis purus eſt corpus neutrum per negationem extremorum uidelicet pituitæ, bilis, & melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum, criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum, neutrum inter aqueum, & vitreum: criſtallinus non participat naturã aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata, humor aqueus, & vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna, & cauſę neutrę per negationem extremorũ. Primũ exẽplum eſt albedo Germanorum, & color

fuſcus

ſuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Imo colores medij, vt cæruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & ceruleí. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: pariuodo bilis porracea eſt neutra per participationem flaue, & ceruleæ, æruginoſa violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi: pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtente in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. apprentus tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quāplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationē extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguūt hęc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia, quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamētis conuenient quoq. tendinib. qui cōſtant ex neruea, & alimentoſa ſubſtantia. Sic oleū camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conuenient ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participāt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant. Præt. dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcētes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationē plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneū, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an détur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbū eſſe cōtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cōſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorū extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquamcōmentator alio modo ſentit, & imprimis reijcit ipſū Haly; dicit. n.

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimū: altera eſt ſanitas in affectione,vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum,uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiā, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionē ſit extra ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrū ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nō bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione,quæ pertinet ad conualeſcentes,& ſenes pertineat ad ſtatū neutrum, colligitur ab ipſo Gal.lib.ad Traſyb. ca.3. vbi dicit,analepticā,& profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt,quod analeptica,ideſt reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergo ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum,& non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nunc ſit omninò indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò,& cauſa,& corpus,& ſignū, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat, aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex.ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſęper, & magna ex parte nō ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex.facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatū Textuſque diuiditur in duas partes: in prima dicit,neutra vt cauſa,vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum,primum dari neutrum, quod non participat extrema,& eſt neutrum,per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari,quod aliquando eſt particeps vnius, aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, dicitque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius,quam alterius extremorum.

Sed par eſt ut exemplis neutra illuſtremus, & præcipuè neutra, per negationē extremorum,quæ nonnulli negarūt. Incipiamus igitur ab exēplis philoſophicis.

Materia prima, quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemēta media, ſunt neutra per negationem extremorū, probat Auerroes 4. Cœli cōm.26. vbi dicit, ſi grauitas,uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis purus eſt corpus neutrum per negationem extremorum uidelicet pituitæ, bilis,& melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs,quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs,quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum,criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum,neutrum inter aqueum,& vitreum: criſtallinus non participat naturā aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata,humor aqueus,& vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna,& cauſę neutrę per negationem extremorū. Primū exēplum eſt albedo Germanorum, & color

fuſcus

ſuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Immo colores medij, vt cæruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & cerulei. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: parimodo bilis porracea eſt neutra per participationem flauæ, & ceruleæ, pericula violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi: pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtente in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. apprentius tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quamplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationẽ extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguũt hęc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia; quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamẽtis conueniunt quoq. tendinib. qui cõſtant ex neruea, & alimentoſa ſubſtantia. Sic oleũ camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conueniunt ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participãt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant. Præterea dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcẽtes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationẽ plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneũ, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an detur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbũ eſſe cõtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cõſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorũ extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquamcõmentator alio modo ſentit, & imprimis reijcit ipſũ Haly; dicit .n.

dijs patet quoque ex Arabica tranſlatione, in qua ſic legitur, *& prima intentio medici non eſt, niſi ad ſciendum cauſas ſanitatis*: ecce quod non ſolùm per rationem intelligit definitionem: ſed etiam primam medici intentionem eſſe de cauſis, ideſt de remedijs: quæ verò debeant eſſe hæc remedia, non percipiemus, niſi incipiamus à corporibus, & ſignis, & deinde procedamus ad cauſas, & remedia ſpecifica; itavt prima intentio ſtatim ſit circa remedia; ſecunda circa cognitionem corporum, & ſignorum, à quibus demum colliguntur remedia illa ſpecifica, quæ ſanitatem introducunt.

1 Dubitatio oritur, quia ex Ariſt. 3. de anima tex. 49. habetur, quod eſt primum in intentione eſſe vltimum in executione, quare ſi in tex. per primam rationem intelligimus primam intentionem cauſarum, ſeu remediorum, remedia erunt vltima in executione, quod eſt falſiſſimum; quia in executione, & in actu practico remedia ſunt prima, & vltima.

Reſpondemus dari hos tres ordines, primum eſſe ordinem primę intentionis veluti ex Ariſtotele 3. æthic. c. 6. habetur, ſuppoſito ſcilicet fine ſtatim non de fine, ſed de remedijs haberi conſultationem: ſecundum eſſe ordinem inuentionis, in quo deberet tractari de cognitione corporum, & ſignorum ægritudinum; ſi velimus inuenire remedia pro fine conſeqnendo: ad hunc ordinem Galenus omnes libros methodi, & alios direxit, ibi .n. ab indicantibus deſumit indicata, quæ ſunt remedia, vel cauſæ ſanitatem efficientes: tertium eſſe ordinem executionis, quando dicit Gal. in tex. ſecundum primam rationem, id. ſt intentionem eſſe exordiendum à cauſis, & in actionibus à corporibus, & ſignis; dicimus per actiones non intelligere executiones: actiones enim differunt à factionibus, & executionibus; ex Ariſtotele enim poſt actionem non remanet opus, vt poſt factionē, & executionē: quare primum in intentione, eſt etiam primum in inuentione, eſtq; antequam illud exequamur; ideò legitur in Græco codice ἐν ταῖς πράξεσι, ideſt in actionibus, & non in factionibus, vel in executionibus.

2 Dubitatio videtur, quòd per actiones intelligat actualem executionem, & non conſultationem, quia in executione exordimur à remedijs, & non in conſultatione.

Reſpondemus actionem, ſiue praxim duplicem eſſe: aliam realem, & aliam mentalem, ſiue idealem, quæ eſt illa, quā addiſcimus in ſcholis. Realis verò eſt illa, quæ in actu exercito habet locum, & pertinet ad realem executionem. Poſita hac diſtinctione dicimus, in reali actione ſemper eſſe exordiendum à remedijs, In mentali verò, de qua loquitur Galen. ſemper eſſe exordiendum à corporibus, & ſignis: agit enim hic de medicina docente, non de operante.

3 Dubitatio: non videtur, quòd per primam rationem intelligat primam intentionem, quia ex Ariſt. 3. de anima, 49. quod eſt primum in intentione, eſt vltimum im executione: ſed ſic eſt quod in arte medica, ipſa ſanitas eſt prima in intentione, & vltima in executione, & non ipſa remedia: ergo per primam rationem eſſet exordiendum à fine, id. ſt à ſanitate, & non ab ipſis remedijs.

Reſpondemus, finem medicinæ duplicem eſſe, nempè proximum, circa quem verſatur medicus, & remotum: proximum dicimus eſſe inuentionem remediorum, remotum verò, & vltimum eſſe ipſam ſanitatem, quæ vocatur ſcopus, & non finis. Hac poſita diſtinctione patet ſolutio, quia axioma Ariſt. citatum debet intelligi de fine vltimo, & remoto, ad quem dirigitur proximus, qui conſiſtit in remediorum inuentione, vel conſultatione, de quo fine intelligit Galen., quia finis remotus non docetur, ſed ſupponitur: quia eſt ita notus, ſicuti ſuppoſitio apud mathematicos, vt admonet Ariſt. 7. æthic. c. 8.

4 Dubitatio oritur, quia docet Galenus in tex. medicinam prius eſſe ſcientiam ſalubrium, quam inſalubrium: nihilominus in arte medica nobis occurrunt prius corrigenda inſalubria. Præterea ex Galeno cap. 85. huius libri, & 2. de tuenda ſanitate cap. 7. habetur, corpus ſalubre non indigere cuſtode, ſed ſibimet eſſe regulam, tantumque appetere, quantum concoquere poſſe.

1 Reſpondetur ex Galeno lib. de inæ-

quali

quali intemperie c. 4. à nobilioribus eſſe inchoandum, & 1. de tuenda ſanitate in principio habet hanc ſententiam, ſanitas ægritudini, & natura temperata intemperatæ cognitionis ordine præcellit.

Quo ad inſtãtiam, quod videlicet corpus ſalubre nõ indigeat cuſtode, dicimus Galenum intelligere de corpore ſalubri ſimpliciter, quod eſt ſaluberrimum, & punctuale ſine latitudine, quod dicitur à Galeno lib. de optima corporis conſtitutione capite 3. ἄτμητον, ideſt inſectile, quod nunquam inuenitur, vel ſi datur, ictu oculi durat, de illoq; dicit Galenus lib. 1. de tuenda ſanitate cap. 5. quod in prædicta definitione medicinæ non contineatur, quia omnia, quæ continentur, habent aliquam latitudinem, & ſubijciuntur ſcientię humanæ, & artifici; qui ſenſata perquitit, aufugitque dogmata inſenſibilitatis.

TERTII CAPITIS
Particula I.

Tex. 11. *Sed quoniam, & effectiuum, & indicatiuũ & ſuſceptiuum dupliciter vnumquodq; dicitur, hoc quidem ſimpliciter, hoc verò vt nunc, noſſe oportet amborum eſſe medicinæ ſcientiam. Ipſum verò ſimpliciter duobus dicitur modis, & quod ſemper, & quod vt plurimum: de quorum vtroque medicina pertractat.*

CVM dixiſſet ſuperius ſalubre inſalubre, & neutrum dici de corpore, cauſa, & ſigno, ita vt nouem formarentur capita, & quod ſecundum primam rationem, ideſt definitionem, & intentionem medicina ſit ſcientia primò cauſarum ſalubrium deinde corporum, & ſignorum, & quod ſecundum aliam intẽtionem, ideſt in actionibus ipſis prius à corporibus, tũ à ſignis ad cauſam ſit procedendum.

In hac parte dicit, quodlibet ex illis nouem capitibus diuidi in ſimpliciter, & ut nunc, ex quibus indè cõſurgunt octodecim capita, & hæc ſunt; corpus ſalubre ſimpliciter corpus, ſalubre vt nunc, corpus inſalubre ſimpliciter, corpus inſalubre vt nunc, corpus neutrum ſimpliciter, corpus neutrum vt nunc; ſimiliter ſex fiunt capita de cauſa, & ſex de ſigno.

In ſecunda parte textus Galenus diuidit ſimpliciter, in ſimpliciter ſemper, & ſimpliciter vt plurimum, ita ut ſimiliter octodecim capita fiant, quæ omnia hactenus perueniunt ad 36. quæ ex breuiſſima medicinæ definitione collecta ſunt.

1 Dubitatio oritur ex tex. quia cum ex omnium conſenſu Galenus per effectiuũ intelligat cauſam, per indicatiuũ ſignũ, et per ſuſceptiuum corpus, uidetur diminutus, quia in ſecunda par. ſecundi capitis dixit, cauſam eſſe duum generum, uel quæ poteſt efficere ſanitatem, uel quæ ipſam conſeruare, quo pacto igitur ſub effectiuo continebitur cauſa conſeruatiua? Præterea ex Ariſtot. 4. meta. tex. 2. diuiditur ſalubre in conſeruatiuum, effectiuũ, indicatiuum, & ſuſceptium; quinimò Galenus hanc ſalubris partitionem deſumpſit ab Ariſtot. ad verbum loco cit.

Reſpondetur ex Galeno lib. ad Thraſyb. cap. 19. quod cauſæ conſeruantes ſanitatem ſemper eam efficiant ſaltem inſenſibiliter, quare conſeruatiuus poteſt ſtare ſub effectiuo, & præſertim in doctrina definitiua, quæ eſt breuiſſima, quia tota ars medica ex diſſolutione vnius breuiſſimæ definitionis declaratur.

Quo pacto verò cauſa cõſeruatiua ſanitatis ſanitatem quoque efficiat, Galenus lib. ad Thraſyb. c. 19. dat hoc exemplum, ſi in veſte filum rumpatur, & illicò Artifex emendet, tũc nemo animaduertet vitiũ: idẽ euenit in perfectè ſano: natura n. in illo quotidie vitia perexigua tollit: ecce igitur quomodo cauſa cõſeruatiua ſanitatis, ſanitatẽ quoque efficiat.

Præterea capite 20. Galenus dat aliud præclarum exemplum de vini dolio, dicit, ſi à parte inferiori per foramina exigua fieret aliqua liquoris effuſio: aliquis tamen per partem ſuperiorem viciſſim imponeret quantum effluxit; certum eſt quod dolium ſemper plenum conſeruaretur, & conſeruatio illa eſſet effectio, ſed minus ſenſibilis: ad eundem modũ natura ſemper corrigit, & ſanitatẽ efficit; ſed modò ſenſibiliter, & modò inſenſibiliter, dicit enim Galenus 6. epidem. com. 5. tex. 1. naturam eſſe medicatricem morborum, multo tamen facilius poſſe emendare vitia pertinentia ad ſalubritatem,

tem, quam ad inſalubritatem.

Vt intelligatur quid ſit ſalubre, vel inſalubre ſimpliciter,& vt nunc: par eſt, vt videamus quid ſignificet verbum ſimpliciter, Ariſt. ſecundo Topic. in fine dicit, *ſimpliciter dico quod nullo addito dico:* ſimiliter primo elenchorum cap.4. loquens de paralogiſmo ſimpliciter, & ſecundum quid dicit quod ſim pliciter eſt quod abſolutè, & ſine additione eſt tale: Galenus primo de temperamentis cap.6 dicit ſimpliciter tale eſſe abſolutè tale.

Particula vt nunc non habet conditiones propoſitas: ſicuti enim ſalubre ſimpliciter eſt ſine additione,& exactè tale: ſic ſalubre vt nunc non eſt exactè tale, nec perſeuerat tale: retinet enim in ſe maximam (vt ita dicam) lubricitatem, ſalubre ſimpliciter diu permanet in ſua ſalubritate, quia reſiſtit valdè, & valdè recedit à morbo, inſalubre ſimpliciter diu durat tale; quia caret potentia reſiſtendi, & à firma ſanitate valdè diſtat, ſalubre tamen vt nunc habet ſtatum inconſtantem, & lubricum, & ſimul parum durat in illo ſtatu.

Montanus non rectè exponit, dum ait ſalubre ſimpliciter eſſe quod ad mortem vſque eſt ſanum, hęc enim expoſitio non poteſt accommodari medicamentis, cauſis, & ſignis, quia ſigna non dicuntur ſana vſque ad mortem. Præterea ſalubre, & ſanum valdè differũt inter ſe, vt infra quoque patebit: quare per ſalubre, vel inſalubre ſimpliciter nõ intelligimus, quod nõ poſſit corrumpi, ſed quod vt talia, ſint ſua natura inter ſe in eadem latitudine ſanitatis quam maximè diſtantia.

Manardi quoque ſententia nõ probatur, dũ dicit ſimpliciter ſalubre eſt quod ab ortu naturæ eſt benè temperatum, & cõſtitutum, quia medicamenta quæ ſunt ſimpliciter ſalubria non dicentur ſalubria ab ortu naturæ, medicamẽtum enim quod eſt alicui ſaluberrimum poteſt eſſe alteri venenoſũ: ſimiliter ſigna ſalubria non debent dici ab ortu naturæ talia.

Dicimus igitur per ſimpliciter tale intelligi quod eſt exactè, & abſolutè tale, & quod non participet neutram diſpoſitionem, non quod ex ſe ſit incorruptibile, & duraturum vſque ad mortem, quia ſimpliciter ſalubre poteſt quoque bis in die à cauſa præter naturam poteſti reddi inſalubre, quare per ſimpliciter ſalubre, intelligimus quod non ſolum quam maximè diſtat ab inſalubri: verum etiam à neutro habetque quam maximam potentiam reſiſtendi, ne fiat inſalubre.

Similiter inſalubre ſimpliciter maximè diſtabit non ſolum à ſalubri, ſed etiã à neutra diſpoſitione, minimamque habebit potentiam reſiſtẽdi, quia facillimè in ægritudinem incidit, quare Montani, & Manardi expoſitio, quod per ſimpliciter intelligatur vel vſq; ad mortem, vel ꝙ ſit tale ab ortu naturæ, non probatur.

In 2. parte tex. Gal. ſubdiuidit, & docet ſimpliciter dici duobus modis, vno modo διαπαντὸς, i. ſemper vel omnino, alio modo ἐπὶ τὸ πολὺ, ideſt plerunque, vel magna ex parte.

Pluſquamcommentator, & Manardus per ſimpliciter ſemper interpretantur quod toto vitæ curſu poſſit eſſe tale, quæ expoſitio non videtur bona, quia nullum eſt adeo ſalubre, & diſtãs à morbo, quod non poſſit à potentiſſima inſalubri cauſa breui temporis ſpatio ad inſalubritatem diſponi, quare per diapandos non debemus intelligere temporis perpetuitatem.

Argenterius dicit Galenum eſſe variũ quia per diapandos in hoc loco intelligit naturam exactam ſalubris, vel inſalubris: per ἐπὶ τὸ πολὺ verò intelligit naturam minus exactam: dicit tamen in definitionibus neutrorum, Galenum per diapandos, & epitopoly non intelligere exactam naturam, vel non exactam, ſed temporis differentias.

Aberrat valdè, quia eo modo, quo intelligitur diapandos, & epitopoly in ſalubri, & inſalubri, eodem modo debet intelligi dum tractatur de neutris, quod facilè probatur: quia neutra à Galeno definiuntur per extrema, quæ ſunt ſalubre, & inſalubre, ergo neutra quæ dicuntur diapandos, i. ſemper vel omninò, & neutra, quæ dicuntur epitopoly, i. magna ex parte non erunt talia quo ad tẽporis differentias, ſed potius quo ad exactam, vel minus exactam naturam neutrorum, res nimiũ eſt ridicula, vt tractetur de neutro ſtatu perpetuo, vel temporaneo: quia nullum neutrum ab illis imaginatum poteſt eſſe tale, quod facillimè horæ ſpatio

tio non poſſit mutare ſtatum.

Saluus Sclanus per ſalubre ſimpliciter intelligit ſalubre optimæ temperaturæ: per ſimpliciter magna ex parte intelligit quod ab optimo, & temperatiſſimo parum recedit.

Hęc opinio non explicat vim verborũ diapandos, & epitopoly. Nos enim dicimus diapados ſignificare ſummum gradum, vel perfectionis, vel imperfectionis, vel neutralitatis. Epitopoly vero ſignificat illud, quod parum ſenſibiliter tantum deflectit à ſummo gradu. Nos ex voce græca omnia colligimus: quia diapandos ſignificat ſecundum omnes partes, ita vt illud ſit ſalubre ſemper quod eſt tale ſecundum omnes partes: quando enim vnica ex omnibus corporis partib. non eſſet ſalubris eſſet ſalubre epitopoly. Hinc poteſt contingere, quod in corpore robuſto aliqua mẽbranula infimæ conditionis, vel ob aliquod incommodum in prima generatione, vel ob affectũ hæreditarium acquiſiuerit talem impotentiã reſiſtendi, vt in media iuuentute degeneraret in gangrenam. Hinc ſępè iuuenes robuſtiſſimi ſępè incidunt in febrem, quã medici putant eſſe malignam, & moriũtur: aperto vero cadauere inueniatur aliqua gangræna, quam nos non ſemel inuenimus.

Quare concludimus ſalubre ſemper eſſe ſecundum omnes partes ſalubre: quod eſt vt multum ſecundum plurimas partes. Idem dicimus de neutris, & de inſalubribus.

2 Sed oritur dubitatio, quia ex noſtra interpretatione non videtur quod diapãdos, & epitopoly poſſint cõuenire ſignis & remedijs. Hinc rhabarbarum erit medicamẽtum ſaluberrimum: ſed non ſemper, quia in hydrope eſt veluti uenenum; euacuat enim bilem quæ in hydrope deſideratur, vt docet Auicennas. Idem dicimus de alijs medicinis ſalubribus. Sic ſomnifera, vbi bilis prædominatur, non ſunt inſalubria: vbi vero pituita, ſunt inſaluberrima ex Galeno 12. meth.

Sic venæ ſectio in febrib. calidiſſimis, in uehementiſſimis doloribus, & in omnibus inflammationibus ex Gal. 1. in aph. 23. eſt ſalubris diapandos. In cardialgia, in alui fluxu, in hydrope, & in febribus hecticis eſt inſalubris ſimpliciter.

Reſpondetur, remedia, & ſigna eſſe ſalubria, & inſalubria reſpectu corporis humani, vt admonet Auicennas in prima primi: ideo rhabarbarum dicitur ſalubre ſemper in euacuanda bile concocta: Inſalubre in hydrope. Similiter ſigna ſalubria, vel inſalubria reſpectu noſtri corporis cum illis conditionibus vt dictum eſt.

Quod verò hæc expoſitio ſit bona, patet etiam, quia tollit omnia dubia, & pręcipuè illud à Pluſquamcommẽtatore relictum inſolutum: Dubitatio erat contra Galenum, qui diuidit ſimpliciter in ſemper, & vt plurimum: videtur contradictio manifeſta, quia de ratione ſimpliciter eſt, vt ſit ſemper: quomodo ergo ſimpliciter diuidetur in vt plurimum.

Tollitur hæc dubitatio, quæ nimirum eſt, quod per epitopoly non intelliget ſalubre vt plurimum, ſed quòd retineat illam naturam ſalubris parum à ſaluberrimo recedẽte ſemper, quia non eſt tale ſecundum omnes partes: ſed ſecundũ plurimas, hancque eſſe illius naturam: ſalubre verò ſimpliciter nõn recedere à ſaluberrimo, ſed eſſe abſolutè, & exactè tale ſecundum omnes partes, & ſine receſſu ab illo quod optime eſt conſtitutum, quæ uerba non notant temporis differentias: ſed naturas quaſdam determinatas: ſimiliter inſalubre diapandos eſt oppoſitum ſalubri ſimpliciter ſemper, deſcribiturque per ſimpliciter ſemper natura quędã inſalubris exactè talis, ſecundum omnes partes, & eſt illa, quæ in latitudine ſanitatis, quam maximè ab optimè conſtituto corpore recedit: inſalubre uerò epitopoly eſt, quod ſemper recedit ab inſalubri ſimpliciter, eo modo, quo ſalubre epitopoly recedit à ſalubri diapandos.

2 Dubitatio proponitur hic, cur Galenus non diuiſerit ipſum nunc: Montanus liberè dicit, quod in hac re malè fecerit Galenus: quia putat NVNC maiorem pati diuiſionem, quam ipſum ſimpliciter; dicit enim ex Galeno lib. ad Thraſyb. c. 7. inter bonum habitum, & morbum interuenire duas ſanitates, unam, quæ dicitur in habitu, ſed non in bono, de quibus forſitan Galenus intelligit primo de tuenda ſanitate c. 12. ubi ait, quod, ſi horum ſanitati Eſculapius præeſſet, eo-

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimū: altera eſt ſanitas in affectione, vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum, uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiā, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionē ſit extra ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrū ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nō bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione, quæ pertinet ad conualeſcentes, & ſenes pertineat ad ſtatū neutrum, colligitur ab ipſo Gal. lib. ad Traſyb. ca. 3. vbi dicit, analepticā, & profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt, quod analeptica idest reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergo ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum, & non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nunc ſit omnino indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò, & cauſa, & corpus, & ſignū, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat; aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex. ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſēper, & magna ex parte nō ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex. facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatū Textuſque diuiditur in duas partes: in prima dicit, neutra vt cauſa, vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum, primum dari neutrum, quod non participat extrema, & eſt neutrum, per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari, quod aliquando eſt particeps vnius ꝗ aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, dicitque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius, quam alterius extremorum.

Sed par eſt ut exēplis neutra illuſtremus, & præcipuè neutra, per negationē extremorum, quæ nonnulli negarūt. Incipiamus igitur ab exēplis philoſophicis.

Materia prima, quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemēta media ſunt neutra per negationem extremorū, probat Auerroes 4. Cœli cōm. 26. vbi dicit, ſi grauitas, uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis purus eſt corpus neutrum per negationem extremorum videlicet pituitæ, bilis, & melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum, criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum, neutrum inter aqueum, & vitreum: criſtallinus non participat naturā aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata, humor aqueus, & vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna, & cauſę neutrę per negationem extremorū. Primū exēplum eſt albedo Germanorum, & color

ſuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Immo colores medij, vt cæruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & ceruleí. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: parimodo bilis porracea eſt neutra per participationem flaue, & cerulee, pericula violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi: pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtente in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. apprentius tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quāplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationē extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguūt hęc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia, quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamētis conuenient quoq; tendinib. qui cōſtant ex neruea, & alimentoſa ſubſtantia. Sic oleū camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conuenient ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participāt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant. Præt. dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcētes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationē plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneū, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an detur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbū eſſe cōtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cōſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorū extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquamcōmentator alio modo ſenſit, & imprimis reijcit ipſi Haly; dicit .n.

quæ ab illo dicuntur reluctari Ariſtoteli, & Galeno. Ariſtoteli, quia ſi dum dixit, non dari medium inter ſanum, & ægrũ, intellexiſſet de medio per negationem extremorum, & non de medio per participationem, ſequeretur, quod omnia cõtraria eſſent immediata; exempli cauſa, inter nigrum, et album, eſt color cæruleus, rubeus, et alij: ſi negaretur ab Ariſtotele medium per negationem: omnes colores medij, quatenus participant non eſſent abſolutè medij, quod eſt contra ipſum Ariſtotelem, qui admittit medium per negationem: Galeno pariter reluctatur, quia in hoc tex. admonet dari neutrum per negationem extremorum.

Opinio verò Pluſquamcommentatoris, eſt quod Ariſt. conſiderauerit ſanitatem vt eſt conſonantia, et ſymetria: ægritudinem verò vt eſt dyſonantia, et ametria, quæ carent medio, et opponũtur inter ſe contradictoriè: Gal. verò conſiderauerit ſanitatem, ut edit actiones perfectas, et minus perfectas in eadem latitudine, in qua non ſolum eſt perfecta, verũ etiam media, et neutra diſpoſitio.

Manardus cõciliat Galenum cum Ariſtotele duobus modis, primò, dicit Galenum propoſuiſſe ſtatum neutrum non ex propria ſententia, ſed ex ſententia Herophili: definitio enim medicinæ hic tradita eſt Herophili, non autem Galeni: immò Galenus 1. ſimp. cap.7. et lib. de partibus artis medicæ dubitatiuè mētionem facit de neutra diſpoſitione, ita vt ſecundum Galenum, et Ariſtotelem duæ tantum videantur eſſe diſpoſitiones, ſanitas, uidelicet, et morbus: uidens Manardus hunc primum modum conciliãdi Gal. cum Ariſtot. hanc pati difficultatem, quod Galenus ex vna Parte falſa ſupponat principia, et ex alia quod lib. ad Thraſyb. c.30. eos laudet, qui partem reſumptiuam, et præſeruatiuam neutras appellarunt; ideò ſecundum excogitauit modum, quo poſſent concordari Galen. et Ariſtot. et eſt quod Ariſtot. negauerit medium inter ſanum, et ægrum, et non inter ſalubre, et inſalubre: ſalubre ex Manardo eſt tale in potentia: ſanum uerò eſt tale in actu.

Reijcitur Manardus, tùm ex hoc libro tùm ex lib. ad Thraſyb. c.30. vbi ex propria ſententia laudat ſtatum neutrum. Præterea ſic conuincitur: qui concedit neutrum inter ſalubre, et inſalubre, concedet inter ſanum, et ęgrum. Inſuper nõne neutrum, vt nunc eſt mediũ inter ſalubre vt nũc, et inſalubre vt nunc? ſed ſic eſt, quod ſalubre nunc, et inſalubre nunc ſecundum Galenum, et ſecundum ipſum Manardum idem eſt quod actu ſanum, et actu ægrum; ergo qui ponet neutrum inter ſalubre, et inſalubre, vt ponit Galenus in hoc loco, ponet etiam mediũ inter ſanum, et ægrum. Sic nos dicimus, ſalubre ſimpliciter ſemper indicare optimam ſanitatē, inſalubre ſemper indicare peſſimam ſanitatem? ergo neutra ſanitas erit inter ſanitatem, et ſanitatem, et non inter ſanitatem, et morbum, et ſic cõuenit Galenus cum Ariſtotele, quod inter ſanitatem, & morbum non dentur neutra: ſed dicimus nos dari etiam medium inter ſanitatem, & morbum per medium intelligendo ſanitatem in fieri, ſeu in habitudine: & ſecundum hunc ſenſum Galenus admittit neutra.

Montanus conciliat Galenum cum Ariſtotele hoc modo: dic't, Ariſtot. conſiderare ægritudinem, & ſanitatem vt ſũt formæ diſtinctæ indiuiſibiles, & ſicuti numeri: eaſque vult, non ſuſcipere magis, & minus, & non dari corpus medium, vel neutrum inter illas.

Reijcitur, quia ſanitas, & ægritudo ſunt in prædicamento qualitatis, & qualitas ſuſcipit magis, & minus; quod verò ægritudo, & ſanitas ſint qualitates, patet, quia reducuntur ad habitum, & diſpoſitiones, quare neque poſſunt eſſe vt formæ indiuiſibiles, neque ſicuti numeri.

Pro reſolutione difficultatis ſciendũ, neutrum duplex eſſe, alterum neutrum vt nunc, & eſt illud, quod mediat inter ſanitatem, & morbum: alterum eſt neutrum ſimpliciter, quod non mediat inter ſanum, & ægrum, ſed inter ſimpliciter ſalubre, & ſimpliciter inſalubre, ideſt inter perfectiſſimè ſanum, & diminu[illegible] num, dicit Galenus, quod in[illegible] nũc actu ægrotat, inſalubre [illegible] citer non eſt illud, quod [illegible]

Dicimus nos non [illegible] detur neutrum ſi[illegible] pud Ariſtotele[illegible]

3.

& minus, ſanitas uel ſalubre non conſiſtunt in puncto, ſed habent mediũ, quod à Galeno vocatur neutrum, & ab Ariſt. conceditur, negatur tamen ab eodẽ neutrum ut nunc, quod eſt illud, quod mediat inter ſanum, & ægrum, quia uult philoſophus omnia corpora uocari ſana uel ægra, ſumens ſanitatem lato modo, & non ſtricto, ut Gal. quare dicimus cõtrouerſiam eſſe ſolum de nominibus.

Galenus enim corpora imbecillia, & ea corpora conualeſcentia, & quæ ſunt propenſa ad ægritudinẽ, & corpora ſenũ uocat corpora neutra: Ariſtot. uero ſana uel ægra, Gal. lib. ad Thraſyb. cap. 5. & 7. docet, ſanitatem duplicẽ eſſe, firmam, & lubricam: lubricam habent (vt docet 5. de tuenda ſanitate cap. 30.) corpora ſenũ, & (vt docet lib. ad Thraſyb. cap. 4.) corpora decidentia in morbos, & hæc non ſalubria, ſed neutra à Galeno uocantur.

Poſſumus igitur cum Galeno admittere ſtatum neutrum conſiderando ſanitatem ſtricto modo, poſſumus etiam cum Ariſtotele demittere neutralitatem, & omnia corpora ægra, uel ſana vocare, ſumenda ſanitatem lato modo.

Verum, ſi Ariſtot. egiſſet de arte medica ſine dubio ſanitatem diuiſiſſet in ſanitatem firmam, & lubricam, ſi voluiſſet ſcientificè, & ex arte medicinam docere, quia in medicina datur pars conſeruatiua pro ſenibus, quorum corpora ſunt neutra, inſtaurativa pro ijs, qui à morbo conualeſcunt, quorum corpora ſunt etiã neutra, datur etiam pars præſeruatiua pro corporibus, quæ decidunt in morbũ.

Præterea inuenta ſunt neutra ad fugiendam ἀειπαθίαν, i. perpetuam paſſionem, quia neutra corpora aliquid ſemper patiuntur, & voc[...]tur ægra, quare ne incidamus in [...]etuæ ægri[...] nis ſunt pro[...]tra.

Ecce igi[...] Ariſto[...] ctus fuiſſe[...] medic[...] diſtingu[...] ſalub[...] & inſa[...]dmodũ[...]

T. X[...]

[...]m exoris

Medic[...]

[...]olent[...]nia

ex [...]in

a[...]

colligi poſſunt: Montanus colligit 45. capita hoc modo: dicit ſalubre, inſalubre, & neutrum dici de corpore, cauſa, & ſigno, deinde ait quod corpus ſalubre triplex ſit, videlicet ſalubre omninò, ſalubre magna ex parte, & ſalubre ut nunc, addit quod etiam corpus inſalubre eodem modo ſit triplex, vnde fiunt ſex capita: De neutro verò corpore loquens dicit, habere tria ſignificata, & in quolibet ſignificato eſſe illa tria capita, videlicet neutrũ omninò, neutrũ magna ex parte, & neutrum nunc: colligit ergo nouem capita conuenire corpori neutri, ita vt præter nouem ſint ſex quæ conueniunt corporibus, ſalubribus, & inſalubrib. vndè reſultant capita 15. addit alia 15. capita ſpectantia ad cauſam, vt eſt ſalubris, inſalubris, & neutra, & alia 15. ſpectantia ad ſigna, unde reſultant capita 45.

Manardus cenſet capita, quæ poſſunt deſumi à definitione medicinæ eſſe 54. cõſiderat enim quatuor ſignificata neutrius: & benè, quia Gal. in tex. ſubdiuidit neutrum ſecundi ſignificati, in eo quod ex æquo participet, vel non ex æquo, ita vt ex hoc neutro reſultent nouem capita, duæ nõn ſunt enumerata à Montano, videlicet neutrum omninò, magna ex parte, & vt nunc, quod neutrum cum dicatur de corpore, de cauſa, & de ſigno efficiet nouẽ capita, & numerabuntur 54.

Pluſquamcommentator efficit horum capitum maiorem numerũ, quia, & ipſe quoque ſubdiuidit cauſam, & ſumma cũ ratione, quia cauſa alia eſt efficiens ſanitatem, & alia eſt conſeruans, vt dicit Galenus in particula ſecunda ſecundi capitis, & Ariſtoteles in 4. metaphyſ. tex. 2. vbi clarè docet, ſalubre non ſolum eſſe capax ſanitatis, ſed etiam cõſeruatiuum, effectiuum, & indicatiuum, ecce quod ſalubre dicitur etiam de cauſa conſeruan[...], quare reſultabunt 18. capita, videlicet cauſa con[...]ns ſalubris omninò, magna ex[...]t nunc, alia tria reſultabun[...] verum, quia quatuor ſun[...]eutrius, et cuilibet ſig[...]ent omninò, magna ex [...], reſultabunt 12. ex neu[...]bri, et inſalubri, fi[...] [...]tuaginta duo, co[...] [...]apita, vel [...]

num,vel Manardum,vel Pluſquamcommentatorem, quia quælibet enumeratio poterit accommodari menti Galeni.

Sed quia tres ſunt latitudines,quarum. Prima continet, vt dictum eſt capita 72. Secunda etiam datur latitudo, quæ conſiderat actualem ſanitatem ex qua ſimiliter reſultant cap. 72. Tertia latitudo continet in latitudine ægritudinis actualis alia 72. capita: itavt reſultent 216.

Sed quia dantur ſigna tritemporea,ideſt commemoratiua præteritorum, & futurorum prænunciatiua: de indicatiuis præſentium dictum eſt in tribus latitudinib. Reliquuntur ergo commemoratiua,& prænunciatiua in triplici latitudine, nempè in latitudine ſignorum ſalubrium: in latitudine actualis ſanitatis, & ægritudinis, quæ ſigna in ſingulis his duabus latitudinibus efficient cap.54. ita vt reſultent c. ita ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, & ſignorum omnium, & cauſarum 324. quæ capita amplectuntur omnia quæ poſſunt cõſiderari in arte medica, quæ omnia continentur ſub tribus verbis poſitis in definitione medicinæ: quæ ſunt ſalubre, inſalubre, & neutrum.

TERTII CAPITIS Particula III.

Tex.13. *Eſt verò, & in tota definitione, ſi verba animaduertimus, ambiguitas quadã: quam, & ipſam diſſoluere oportet. Cum enim dicitur medicinam eſſe ſcientiam, & ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorũ, ſignificatur, & quod omnium particularium, & quod quorundam, & quod qualium. Sed omnium quidẽ infinitum quoddam eſt,atq; impoſſibile,quorundam diminutum, atq; artificio carens: qualiũ verò artificioſũ pariter, atq; ſufficiens ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in medicina definitione comprehendi.*

CVM hactenus Galenus colle-giſſet ex definitione medicinæ,ideſt ex illis tribus verbis ſcilicet ſalubri, inſalubri, & neutro, capita ſeptuaginta duo, incipit ſe præparare ad horum omnium capitum declarationem: cæterum, quia in definitione medicinæ viget quædam ambiguitas, illam in hoc tex. vult de medio tollere.

Hic tex. diuiditur in duas particulas; in prima proponit ambiguitatem, quæ eſt,cum medicina ſit ſcientia ſalub. inſalub. & neutrorum, vel erit ſcientia omnium particularium ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; vel erit quorundam tantum particularium,vel erit Qualium. In ſecunda particula tollit ambiguitatem, dicendo nõ eſſe omnium particularium: quia omnia particularia ſunt infinita, & imperceptibilia, dicit quoque non eſſe quorundam, quia ars,vel ſcientia eſt habitus rectus, & artificioſus, & continet vniuerſalia:colligit ergo Galen. quod ſcientia medicinæ ſit qualium.

1 Dubitatio magni momenti proponitur in hoc tex. quid ſcilicet Galenus intelligat per illam dictionem Qualium.

Pluſquamcommentator per qualia intelligit vniuerſalia ad differentiam particularium; quia ars, vel ſcientia de vniuerſalibus, & non de particularibus tractat: putat quoque difficultatẽ hanc cõuenire rudibus atq; idiotis: quia omnes viri docti ſciunt artem,vel ſcientiam eſſe vniuerſalium, & non particularium.

Argenterius confirmat opinionẽ Pluſquamcommentatoris, quod ſcilicet per qualia intelligat vniuerſalia: quia Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ docet primã ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid,ſecũdã vero quale aliquid; quare ſi ſecunda ſubſtantia, vt eſt vniuerſalis,dicitur qualis; per quale poteſt intelligi vniuerſale.

Curtius parum diſcrepat à ſupradictis: putat enim per qualia Galenum intelligere regulas vniuerſales, artes enim,uel ſcientiæ ſolum de regulis quibuſdam vniuerſalibus tractant.

Acachias cenſet medicinam eſſe ſciẽtiam qualium, ideſt eſſe ſcientiam, quæ verſatur circa has qualitates, quæ ſunt morbi, & ſanitates.

Manardus intellexit per qualia definitiones; quæ opinio poteſt quoque defendi,ſed quia ſigna,& cauſæ,quę ſunt auxilia non declarantur per definitiones; ideò mihi non omninò probatur.

Ego autem puto,in interpretatione hujus dictionis (qualium) eſſe deſumendam ab Ariſt.5.met.c. de quali,vbi habetur,quod qualitas triplex ſit, primò ſumitur qualitas

tas pro qualibet forma ſubſtantiali, quia quęlibet forma in quale quid prędicatur: ſecundò datur qualitas de prędicamento qualitatis: tertiò quævis differentia decē prædicamentorum dici poteſt qualitas, quia ſecundum quamlibet prædicamentorū differentiam quales dici poſſumus.

Solutio erit ingenioſa, ſi per qualia intelligamus differentias omnium prædicamentorum: nullum enim eſt prædicamentum, quod non ſit particeps ſalubris, inſalubris, & neutrius ſtatus: Immo nihil poteſt reperiri in vniuerſo, quod non cadat ſub 72. ſignificatis ſalubrium, inſalubrium, vel neutrorum corporum, ſignorum, vel cauſarum: immò & Deus, qui eſt extra prædicamenta eſt cauſa cauſarum omnium ſalubrium.

Quòd verò medicus non ſolùm tractet de differentijs pertinentibus ad prædicamentum qualitatis; ſed de ijs, quæ pertinent ad omnia alia, patet: quia ſi de ſubſtantia loquamur, medicus agit de ijs, quæ à tota ſubſtantia operantur: ſi de quantitate, agit de locis, temporibus, magnitudinibus auctis, & diminutis, & de numero aucto, vel diminuto: ſimiliter de relatione, de actione, paſſione, & pręſertim de ſitu, vt de luxatione: quare per qualia intelligere debemus omnium prædicamentorum differentias: quia omnes ad medicum pertinere poſſunt.

Hinc Galen. l. de optima ſecta ad Thraſyb. c. 45. inquit, ſi generi addatur differentia, dicitur qualitas: quæ ſententia eſt deſumpta ab Ariſt. 5. met. loco cit. Hinc non ſolùm ſubſtantialibus differentijs conueniet prædicatio in quale quid: verum etiam differentijs proprijſſimis omnium prædicamentorum; differentia enim ab Ariſtotele, & Porphyrio definitur, quid prædicetur in quale quid.

Hinc reijciuntur cæteræ expoſitiones, & præcipuè prima, & ſecunda; quia non ſunt declaratiuæ illius dictionis Qualiū.

Similiter Curtij opinio deficit, quia, exponendo per qualia regulas vniuerſales, non declarat proprietatem dictionis Qualium.

Itidem Acachias malè interpretatur per qualia qualitates de prædicamento qualitatis, in quo collocantur ſanitas, & morbus, quia virtus illius dictionis qualium, ſe extendit ad differentias ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, quæ in quolibet prędicamento reperiuntur.

Haly, quia videt Galenum aſſerentem, medicinam non eſſe ſcientiam particularium, arbitratur in arte medica declarari ſolùm methodos; quibus cognitis, indè particularia dignoſcantur; quo fit, vt omnes illos reprehendat, qui dum inueniunt aliquod particulare in medicina, putant ſe arti aliquid addidiſſe: per aliquod particulare intelligit nimirum caſſiam, rhabarbarum, manam, & ſimilia, quæ tempore Galeni non erant in vſu: dicit igitur Haly, & rectè, nihil per hæc particularia inuenta aliquid arti additum eſſe: quia quæ artem conſtituunt, ſunt canones, ſeu intentiones ſub methodis comprehenſæ; & ſub ipſis omnia, quæ humano ingenio explorari poſſunt, continentur: ars ſanè eſſet imperfecta, & nomen artis non mereretur, niſi vniuerſa comprehenderet.

Meritò igitur dicendum eſt, quæ de nouo inueniuntur, non pertinere ad artem: quia non ſunt inuentiones, neque auxilia, ſiue remedia, ſed materiæ remediorum, ſiue auxiliorum: quodcumq; .n. inuenitur, habeat virtutem ſoluendi, vel alterandi, eadem virtus in alijs pluribus inuenietur: exempli cauſa, omne alterans quod de nouo inuenitur, vel erit temperatiſſimum, vel in gradu primo caloris vel ſecundo, vel tertio, & ſic de alijs: at infinitæ inuenientur materiæ eiuſdem temperamenti.

Hinc meritò dicunt medici, lactucam, vt eſt lactuca, nō pertinere ad medicum, ſed vt eſt tale refrigerans, quod quidē eſt ſpecificum, & per conſequens prædicatur de infinitis indiuiduis ſimilibus, vt nos oſtendimus lib. 11. de principijs methodi medendi exhauriēdis à fonte analytico: laudanda igitur eſt Haly opinio.

2 Dubitatio oritur, cur Galen. dixerit, medicinam non eſſe particularium; quia videtur, quod medicus verſetur circa particularia; ex Ariſt. enim 1. Ethic. c. 7. & 6. eiuſd. c. 8. & alibi habemus experientiā, & omnes actus, ſiue factiones artificis circa ſingularia, & nō circa vniuerſalia verſari.

Reſpondetur, medicum nullo modo tractare, vel curare particularia, vel ſin-

gularia vt talia ſunt; ex Galeno enim lib. de optima ſecta, & 1. ad Glauconem habetur, morborum expulſiones à ſpecifico affectu indicari; ergo quod curatur eſt ſpecificum; & non ſingulare.

Præterea ſi medicus ſingularia vt ſunt ſingularia curaret, vana eſſet ars, vel methodus medendi; quia ars, & omnes habitus intellectuales ſunt vniuerſalium, & non particularium, vt docet Ariſtoteles in proœm. 1. metaph. 2. lib. Rhetoric. c. 2. & 2. poſt. tex. 27. & meritò, quia in particularibus nihil continetur, quod ſit particulare, niſi hic, & nunc; cætera omnia, quæ ſunt in ipſis, ſunt ſpecifica, & infinitis alijs communicabilia. Hinc Galenus in methodo probauit à loco, & tempore non ſumi indicationes.

Inſuper, ſi particularia curarentur, illorum indicationes nobis non oſtenderent remedia, quia non datur progreſſus à particulari ad particulare; eſſet igitur ars medica omninò vana, & ridicula.

Præterea ſi inductio, quæ procedit à multis particularibus, non concludit, niſi in 3. figura cum concluſione vniuerſali, qui modus concludendi ab Ariſtotele iudicatur vaniſſimus, quanto magis, ſi curarentur particularia ipſa, vt talia, in quibus neq; à multis, neq; ab vno fit proceſſus? eſſent igitur indicationes vaniſſimæ & nihil concludentes. Hinc Galenus 9. meth. c. 6. dicit, in vniuerſalibus eſſe methodum medendi, in particularibus verò ſolum methodi exercitium.

Colligimus ergo medicinam verſari circa vniuerſalia, & non particularia, medicumq; quando curat aliquod indiuiduum, curare ſpecificos affectus, qui de infinitis prędicari poſſunt, quia non dantur affectus adeò ſingulares, qui vni homini ſoli huius mundi conueniant, & alijs non poſſint conuenire.

TERTII CAPITIS Particula IV.

Tex. 14. *Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualianam ſint ſalubria, & inſalubria, & neutra: Poſt hac de ſignis, & cauſis differemus.*

Pluſquamcommentator putat Galenum hic exordiri tractatum; & hactenus finem poſuiſſe proęmio, quia, quę ſunt dicta ſuperiùs, videntur dicendorum proœmium. Quæ opinio non poteſt admitti; quia poſt primum caput, quod re vera eſt proęmium, Galenus definit, & diuidit, quæ omnia ad tractatum pertinent, non autem ad proœmium.

In hoc tex. poſtquam facta eſt reſolutio definitionis medicinæ in capita, proponit eſſe incipiendum à corporibus; deindè à ſignis, & vltimò de cauſis; per cauſas intelligens remedia, quę licèt ſint prima in intentione, ſunt tamen vltima in tractatione; eſt enim Ariſtotelis præceptum 3. de anima tex. 40. quod primum in intentione, vltimum ſit in executione.

Prætereà, quod vltimo loco de remedijs tractandum ſit, nos docet medendi methodus, in qua proponitur, indicantia ſemper prius eſſe agnoſcenda, quàm indicata, ideſt auxilia. Hinc Gal. 1. methodi cap. 5. habet hæc verba; *Quoniam omnis morbi curationem inuenire propoſitum eſt, neceſſarium eſt prius morbi naturam, & numerum ſcire.* Similiter 1. de articulis com. 32. dicit (ante curationem duo eſſe dignoſcenda, affectum ſcilicet, & locum affectum) quare non poteſt tractari de auxilijs, niſi præcognoſcantur corporum affectiones per ſigna.

Quod verò principijs analyticis coacti debeamus aſſerere, quod de auxilijs vltimo loco ſit agendum, formatur hæc ratio; niſi indicantia, ideſt affectus corporis in facto eſſe, notiora fuerint indicatis, ideſt auxilijs, ergo erunt vel ęquè ignota, vel ignotiora; alter non datur modus, ſi ignotiora, aliud non poterit inferri, niſi quod Ariſtot. 1. poſt. cap. 3. contra Sophiſtas intulit, videlicet ſi eſt hoc, eſt hoc; putabant enim Sophiſtę, quod omnia ſciri poſſent per demonſtrationem inferendo ex principijs concluſionem, & viceuerſa; quorum procedendi modus erat cum manifeſtiſſima petitione principij; Similiter Ariſtot. 2. poſt. tex. 3. videtur reprehendere Xenocratem probantē animam eſſe principiū vitę, quia eſt numerus ſe ipſum mouens; eodem modo procederet Galenus, ſi 1. de auxilijs ageret, quam de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris, & de ſignis; conſonum igitur erat rationi, vt prius ageretur de

cor-

corporibus,& de ſignis, quia inde remediorum cognitio facile hauriri poterat.

Dicit Gal. ſe velle agere de corporibus qualia ſint, diximus ſuperius qualitatem prædicari de triplici differentia, vt nos docet Ariſt.5.meta.c.de qual.primam eſſe differentiam ſubſtantialem, quæ dicitur quale aliquid, & ſecundũ illa quales dicimur,ſecundã eſſe qualitatem de prædicamento qualitatis,tertiã eſſe differentias cæterorum omnium prædicamentorum; inde collegimus differentias, ſeu qualitates ſalubrium, inſalubriũ, & neutrorum non eſſe in vno prædicamento, ſed id omnib. propterea diximus ad medicum pertinere qualitates occultas,quæ (vt aiunt) pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ, ſimiliter differentias morborum in magnitudine, & in numero, ad quãtitatẽ, differẽtias temperaturarum ad qualitatem,luxationum ad ſitum,itavt in omni prædicamento ſint differentiæ, & qualitates ſalubrium, inſalubriũ, & neutrorum: proponit igitur Gal. in hoc tex. conſiderãdum, qualia ſint corpora intelligendo per qualia quæcumq; poſſunt eſſe communia omnibus prædicamentis.

1 Dubitatio dicit Galenus in par.3. ſecundi capitis, medicinam ſecundum primam intentionem eſſe ſcientiam cauſarum ſalubrium, & deinde corporum: attamen peruertit ordinem, quia in hoc text. prius proponit agendum de coporibus, deinde cauſis.

Reſpondetur dari hos tres ordines,primum eſſe ordinem intentionis, ſecundum inuentionis, tertium executionis: quo ſuppoſito reſpondemus,rectè Galen. dixiſſe ſecundum primam rationem,medicinam eſſe ſcientiam cauſarum: quia medicus ſecundum primam intẽtionem cogitat remedia, quæ apta ſint ſanitatem introducere, ſed quia remedia non poſſunt inueniri ſine præcedente cognitione corporum, & ægritudinum, ideò tractando de ordine inuentionis debebat cognitio corporum, & ſignorum præcedere,tractatus enim exacti, & diligentes inſeruiunt inuentioni, & non intentioni,quia remedia applicanda in executione pendent omninò à præcognitione morborum, & locorum affectorum.

QVARTI CAPITIS
Particula I.

Tex.15. *Salubre ſimpliciter corpus eſt, quod ab ipſo naturæ ortu bonam habet temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis, atque in his, quæ ex illis componuntur inſtrumentis, eſt commenſuratum.*

IN hoc tex. exequitur,quod hactenus propoſuerat; tractat enim de corpore ſalubri. In hoc c. tria facit, primo definit ſalubre ſimpliciter, quod facit in hoc tex., in 2.p. definit corpus ſalubre vt nũc in 3. diuidit ſalubre ſimpliciter, in ſẽper, & in magna ex parte, & deinde illud definit.

Explicabimus in hac prima parte nonnullas difficultates, mox declarabimus diſtinctius quid ſit ſalubre ſemper, ſalubre multum, & ſalubre nunc.

Quæritur cur à corpore ſalubri ſimpliciter incipiat. Sunt qui dicunt, quia corpus ſalubre ſimpliciter eſt nobilius, & à nobiliori eſſe exordiendum. Alij melius dicunt, quod ſcilicet præcognito corpore ſalubri ſimpliciter, facilius corpora neutra,& inſalubria percipiuntur,dicit enim Ariſtot.1. de anima tex.85. quod rectum ſit iudex ſui, & obliqui, hac enim de cauſa corpora ſunt inſalubria,quia recedunt à ſalubri ſimpliciter.

Definitio corporis ſalubris ſimpliciter tradita hic à Galeno eſt,quod ab ortu naturæ bonam habeat temperaturam in ſimilaribus particulis,atque in illis, quæ ex iis cõponuntur, ſit benè commenſuratũ.

Gal.2.de ſanitate tuenda cap.7. definit corpus ſalubre ſimpliciter, quod nempè ſit ſibimet regula, & tantum appetat quantum concoquat, nec indigeat medico præſide.

In hoc tex. continetur ſolum definitio ſalubris ſimpliciter,ideò circa ipſam definitionem aliquantulum immorabimur.

Pluſquamcommentator quærit quodnam ſit genus, vel quidnam ſit loco generis in hac definitione corporis ſalubris: dicitque loco generis eſſe temperatum,& commenſuratum.

Reijcitur à Manardo dicente,eſſe temperatum in ſimplicibus,& commenſuratum

tum in organicis non poſſe eſſe loco generis, quia ſunt differentiæ, quibus differt corpus ſalubre ſimpliciter ab inſalubri ſimpliciter,& à neutro ſimpliciter:cętera enim verba definitionis poſſunt cõuenire etiam inſalubri, & neutri,quia illis conuenit eſſe ab ortu naturæ, ergo eſſe temperatum,& commenſuratum non poterunt ſtare loco generis.

Manardus aſſerit loco generis in hac definitione eſſe corpus ſub intellectum per relatiuum (quod) quaſi diceret ſalubre ſimpliciter corpus eſt, quod ſcilicet corpus ab ipſo naturæ ortu tale eſt.

Quæ opinio non poteſt defendi; quia corpus eſt definitũ,neq;conuenit, vt nomen definiti ſit genus, vel loco generis.

Præterea corpus vt corpus non debet poni pro genere corporis ſalubris, inſalubris, & neutrius, quia eſt nimis remotum: non rectè definiret hominem, qui diceret homo eſt corpus rationale.

Inſuper ſalubria,inſalubria, & neutra non ſunt potentiæ corporum, vt corpora ſunt; ſed ſunt potentiæ viuentis, ſanitas enim communiter conſiderata eſt affectio non ſolum animalis, verum etiã plantarum.

Vtinam ſalubritas eſſet in prædicaméto quantitatis, vbi non eſt alteratio, quia non ægrotaremus:immò eſſemus ęterni: quia ægrotatio fit per alterationem.

Nos dicimus, quod ſi ſumantur ſalubria, inſalubria, & neutra vt ſunt potentiæ viuentis, genus in hac definitione ſit viuens: quaſi diceret Galen. ſalubre ſimpliciter corpus eſt illud viuens, quod ab ipſo ortu naturæ &c. Hinc Ariſtot.lib.de ſenſu, & ſenſili cap.1. dicit ſanitatem, & morbum non conuenire vitæ carentibus.

Similiter D. Thomas lib. de ſenſu,& ſenſato lectione 1.ait ſanitatis,& ægritudinis proprium ſubiectum eſſe corpus viuum. Si verò ſumatur ſalubre,inſalubre, & neutrum vt ſunt potentiæ animalis, erit animal loco generis: quare errauit Pluſquamcommentator ponens differentiam loco generis.

Similiter errauit Manardus ponens loco generis ſubiectum remotiſſimum cum eiuſdem vocis vana repetitione.

Ab ortu naturæ.

1 Dubitant nonnulli,an per artem medicam inſalubre corpus poſſit fieri ſalubre. Ex vna parte videtur, quod poſſit: quia interdum intemperatum per artem medicam reducitur ad temperatum: ergo non eſt neceſſaria hæc particula ab ortu naturæ.

Nos tamen dicimus eſſe impoſſibile quod corpus inſalubre vel intemperatũ ab artu naturæ per artem poſſit fieri ſalubre, quod probatur hoc argumento, ſi facultas generatrix,quę eſt validiſſima in prima generatione quando de nouo mébra facit non potuit corrigere ſemina parentum: ergo nec facultas eos naturalis, vt attractrix, expultrix, retentrix, & attractrix quæ ſunt miniſtræ generatricis,poterunt: ergo tanto minus medicus qui eſt miniſter facultatis naturalis id efficiet.

Hinc eſt quod morbi hæreditarij, vt podagra, affectus hypocondriacus, nephriticus per artem medicam, ſi hæreditarij ſint radicitus euelli non poſſunt. Hinc factum eſt quod iuremerito,qui hęreditarios morbos non patiuntur agere Deo gratias debent.

2 Dubitatio magni momenti oritur, quia Gal.in definitione propoſita vult ſanitatem non ſolum conſiſtere in temperatura ſimilarium; verum etiam in commenſuratione organicarum partium: Ariſt.tamen 7.phyſ. tex.17. dicit,ſanitatem eſſe ſymetriam ſeu commenſurationem quatuor qualitatum. Præterea Gal. 1. de tuenda ſanitate c.5. & lib.de optima corporis conſtitutione docet, poſſe eſſe corpus benè temperatum, & tamen ægrotare in formatione, numero,vel ſitu,quare vel Ariſt. vel Gal. malè intellexit ſanitatis conditiones.

Reſpondent nonnulli, Gal.& Ariſtot. eſſe diſcordes: ſed decipiuntur,quia Ariſtotel. loco cit. non exactè definiuit ſanitatem: Ariſt. enim non negat ad ſanitatem conſpirare conformationem: immò in problematibus ſæpè de ægritudinibus organicarum, partium eſt locutus; tot enim (vt rectè dicit Auer.5.phyſ.tex. 57.) ſunt ſanitatis ſpecies, quot ægritudinis, ſed non habent nomen: quæ ſententia eſt veriſſima: dantur igitur ſanitates organicarum partium, ſi eorum ægritudines dabũtur;Hinc quoque Auerroes 5.

metaph.

meta. tex. 10. definiens ſanitatem includit ſimilaria, & organica, hoc modo; Sanitas eſt diſpoſitio facta ex compoſitione membrorum, & humorum.

3 Dubitatio ex Galeno corpus animatum conſtat ex partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, partes verò ſimilares in hoc loco vocantur à Galeno ſimplices, quomodo erunt ſimplices, & primæ particulæ, ſi conſtant ex quatuor elementis? ſicuti ipſemet Galenus lib. de differentijs morborum cap. 4. atteſtatur?

Reſpondetur, Medicum eſſe artificem ſenſatum, ideò eius principia quoq; ſimpliciſſima eſſe ſenſata, Artifices enim eſſent ridiculi, ſi inſenſata tractarent. Præterea à Gal. & ab Ariſt. deſcribitur pars, ſimilaris vt ſenſata, quia Gal. primo de elementis c. 8. lib. 8. de plantis, & alibi, & Ariſt. de Hiſtoria animalium c. 1. cenſent ſimpliciſſimam partem ſimilarem humani corporis illam eſſe, quæ idem non habet tota, & eius particula, vt membrana dicitur ſimilaris, quia quælibet eius pars minima dicitur membrana, quod non euenit in diſſimilaribus, ſeu organicis partibus: pars enim oculi non dicetur oculus.

4 Dubitatio inde exoritur, ex Galen. enim optima ſalubritas conſiſtit in optima temperatura, compoſitione, & vnitate: attamen in hac definitione Gal. loquens de corpore ſaluberrimo mentionem facit ſolùm de optima temperatura, & cõpoſitione: de vnitate verò ne verbum quidem, ergo hæc definitio corporis ſalubris ſimpliciter eſt imperfecta.

Reſpondet Pluſquamcommentator Gal. non feciſſe mentionem de vnitate, quia vnitas ab ortu naturæ non poteſt vitiari. Quæ ſolutio non probatur, quia aliquando infantes naſcuntur cum manuum, & labiorum fiſſuris; quod vitium pertinet ad vnitatem.

Manardus reſpondet, quod vbi eſt bona temperatura, & compoſitura, ibi neceſſariò ſit quoque perfecta vnitas, dicit enim eſſe impoſſibile, vt infantes oriantur cum vnitate ſoluta ſine aliqua intéperatura, vel mala compoſitura. Quæ reſponſio non improbatur à Pluſquamcommentatore, & à nobis recipitur.

QVÆST. XIX.

De partibus ſimilaribus.

QVoniam Gal. in definitione corporis ſalubris ſimpliciter docet, requiri bonam temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis; ideò videndum eſt, quid intelligant Expoſitores per primas, & ſimilares partes, quæ ex omnium conſenſu ſunt primæ particulæ componentes organicas.

Ariſtoteles primo de hiſtoria animalium, & 2. de part. anim. c. 1. ſic definit partem ſimilarem, pars ſimilaris eſt, cuius partes ſeparatæ ſimiles ſunt, Gal. 1. de elementis cap. 8. & 8. de placitis cap. 4. definit ſic: ſimilaris pars eſt, quæ ſibi, & toti eſt ſimilis, & vniformis, & 1. methodi c. 6. ſimilaris pars eſt, quæ vndique in ſimiles diuiditur particulas: ſed iſtæ definitiones non ſolùm conueniunt partibus ſimilaribus animantium, verum etiam alijs corporibus inanimatis. Hinc Ariſtotel. 4. meteororum ſum. 4. c. 1. loquens de ſimilaribus inanimatorum dicit, ſimilaria ſunt vt metallica, æs, aurum, argentum, ſtannum, ferrum, & alia id genus: ſic dicemus aurum eſſe cuius partes ſeparatæ idem ſeruant nomen cum toto, & quamlibet partem auri dici aurum, quia ſibi, & toti eſt ſimile.

Hinc Ariſtoteles quarto meteororum loco citato de ſimilaribus in animalibus habet, eſſe carnes, oſſa, neruos, pellem, viſcus, pilos, venas ex quibus diſſimilaria conſtant in plantis dicit Ariſt. ſimilaria eſſe lignum, corticem, folium, radicem, & ſimilia, definitiones igitur partis ſimilaris traditæ ab Ariſt. & Gal. conueniunt omnibus ſimilaribus tùm animatis, tùm inanimatis.

1 Dubitatio oritur, cur dicat Ariſtot. viſcus eſſe partem ſimilarem: nonnè viſcus conſtat ex venis, arterijs, neruis, & propria carne?

Solutio facilis eſt, quia omnes concedunt, viſcera habere ſuam carnem, quæ ſibi, ſi diuiditur, & toti eſt ſimilis; ideò eſſe ſimilarem; quod etiam confirmatur à Gal. primo de natura humana in proœmio, & 1. de fac. naturalibus vbi ait, carnem

rum vita non protraheretur ad annum ſexageſimũ: altera eſt ſanitas in affectione, vt eſt ſanitas ſenum, & conualeſcentium; dicit Montanus ſanitatem ſenum, & conualeſcentium non eſſe ſalubrem ſimpliciter, nec inſalubrem ſimpliciter, ſed ſalubrem vt nunc; quare ſalubre vt nunc, uel erit ſecundum habitum non bonum; uel ſecundum affectionem.

Reſpondetur tamen conualeſcentiã, & ſanitatem ſenum pertinere ad ſtatum neutrum, & non ad ſtatum ſalubrem vt nunc: ita vt ſanitas ſecundum affectionẽ ſit extrà ſanitatis latitudinem, & pertineat ad neutrũ ſtatum, illa verò quæ ſunt ſana ſecundum habitum nõ bonum eſſe ſalubria vt nunc. Quod verò ſanitas in affectione, quæ pertinet ad conualeſcentes, & ſenes pertineat ad ſtatũ neutrum, colligitur ab ipſo Gal. lib. ad Traſyb. ca. 3. vbi dicit, analepticã, & profilacticam eſſe partes neutras: ſed ſic eſt, quod analeptica idest reſtauratiua pertinet ad conualeſcentes, pars verò profilactica ideſt præſeruatiua pertinet ad ſenes, & ad corpora decidentia: ergò ſanitas in affectione pertinebit ad ſtatum neutrum, & non ad ſalubre nunc, quare reſtat, vt ſalubre nunc ſit omninò indiuiſibile.

TERTII CAPITIS
Particula II.

Tex. 12. *Neutra verò, & cauſa, & corpus, & ſignũ, & quod ſimpliciter dicitur, & quod vt nunc tripliciter vnumquodq; appellatur: hoc quidem, quia neutrius contrariorum eſt particeps, hoc verò quia vtriuſque, hoc verò quia aliquando huius, aliquando illius. Horum autem ipſorum ſecundum, rurſus duobus dicitur modis, aut quia vtrunque contrariorum ex æquo participat; aut quia aliquando plus alterum.*

VIdens Galenus, quod diuiſiones poſitę in tex. ſuperiori in ſimpliciter, & vt nunc, & in ſimpliciter ſẽper, & magna ex parte nõ ſufficerent pro plena declaratione neutrius ſtatus. In hoc tex. facit diuiſiones pertinentes ad neutrum ſtatũ. Textuſque diuiditur in duas partes: in prima dicit, neutrã vt cauſa, vt corpus, & vt ſignum, quæ ſimpliciter dicuntur, & vt nunc eſſe trium generum, primum dari neutrum, quod non participat extrema, & eſt neutrum, per negationem. Secundum dari neutrum, quod participat vtraque extrema, & dicitur per participationem. Tertium dari, quod aliquando eſt particeps vnius quã aliquando alterius.

In ſecunda parte textus ſubdiuidit neutrum, quod eſt extremorum particeps, diciteque vel ex æquo participare extrema, vel aliquando plus vnius, quam alterius extremorum.

Sed par eſt ut exemplis neutra illuſtremus; & præcipuè neutra, per negationẽ extremorum, quæ nonnulli negarũt. Incipiamus igitur ab exẽplis philoſophicis.

Materia prima, quæ eſt media inter formam, & priuationem eſt neutra per negationem formæ, & priuationis: quia materia non participat naturam formæ, vel priuationis.

Secundum exemplum elemẽta media ſunt neutra per negationem extremorũ, probat Auerroes 4. Cœli cõm. 26. vbi dicit, ſi grauitas, uel leuitas mediorum elementorum non eſſet neutra per negationem extremorum, ſequeretur quod duo eſſent elementa, & non quatuor.

Tertium exemplum ſanguis putus eſt corpus neutrum per negationem extremorum uidelicet pituitæ, bilis, & melancholiæ: ſi eſſet neutrum per participationem, vt putabat Pluſquamcommentator tres eſſent humores, & non quatuor. Multum refert hoc ſcire: quia corpora neutra per participationem ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: neutra verò per negationem non ſanantur remedijs, quibus ſanantur extrema: remedium pro ſanguinis euacuatione non conuenit humoribus peccantibus, qui per pharmaca tolluntur.

Quartum, criſtallinus humor eſt corpus neutrum per negationem extremorum, neutrum inter aqueum, & vitreum: criſtallinus non participat naturã aquei uel vitrei, quia criſtallinus eſt pars animata, humor aqueus, & vitreus ſunt partes inanimatæ.

Similiter dantur ſigna, & cauſę neutrę per negationem extremorũ. Primũ exẽplum eſt albedo Germanorum, & color

fuſcus

ſuſcus Hiſpanorum, qui colores, nec calidam, nec frigidam temperaturam indicant, ut docet Gal. in ſecunda parte huius libri. Immo colores medij, vt ceruleus, flauus, & puniceus ſunt neutri inter album, & nigrum per negationem extremorum: non ſic violaceus, qui reuera eſt neuter per participationem punicei, & cerulei. Sic viridis per participationem flaui, & punicei: parimodo bilis porracea eſt neutra per participationem flaue, & ceruleæ, & veticulæ violaceæ per participationem bilis ceruleæ, & ſanguinis corrupti: hæc omnia ſciunt pictores, qui colores componunt.

Præterea vrinæ cruditas in principio morbi: pulſus contractus in principio paroxyſmi, tuſſis in pleuritide ſunt ſigna neutra per negationem extremorum, quia nec ſalutem, nec mortem prænunciant.

Cauſæ ſeu remedia neutra per negationem extremorum ſunt illa, quæ nec nocent, nec iuuant: ſicuti ſunt breuiculi collo affixi pro quartana.

Iaſpis pro ſanguineo fluxu, & pro partu accelerando feruori appenſus, nec iuuat, nec nocet.

Lapis iudaicus geſtatus pro nephriticis, licet iuuet per os aſſumptus ad 3. s. cum therebentina pro lapillo exiſtente in renibus, vel vreteribus, & eſt Gal. apprenſus tamen eſt auxilium neutrum per negationem extremorum.

Lapis ophitis collo appenſus pro letargo, hæc, & quamplurima alia relata à Dioſcor. l. 5. ſunt neutra per negationẽ extremorum, quia nec iuuant, nec nocent.

Quare dantur neutra corpora, neutra ſigna, & neutra remedia per negationem extremorum.

Medici qui non diſtinguũt hęc neutra nunquam poterunt colligere indicationes, & remedia; quia remedia quæ conueniunt neruis, & ligamẽtis conuenient quoq; tendinib. qui cõſtant ex neruea, & alimentoſa ſubſtantia. Sic oleũ camomelinum, vel roſatum lumbricatum quod conuenit neruis conueniet quoque tendinibus: hæc non poſſunt dici de neutris per negationem: ſicuti de humoribus; remedia enim quæ conueniunt melancholiæ, vel pituitæ non conueniunt ſanguini.

Neutra uero quæ ſunt per participationem, quæ aliquando participãt vnum, & aliquando alterum extremum: exempla ſunt venti medij inter Auſtrum, & Aquilonem, qui aliquando naturam Aquilonis, aliquando Auſtri participant Præt. dat exemplum de ſenibus, & pueris quorum corpora ſunt neutra, ſed aliquando participant vnum, & aliquando alterum extremum; ſicuti ſenes melius ſe habent in æſtate, quam hyeme: è contra pueri. Similiter infantes malè ſe habent, creſcentes verò melius.

Secundum neutrum eſt per participationem ex æquo, vt ſenes, & conualeſcẽtes, quæ poſſunt ex æquo participare extrema. Similiter tendines participare videntur ex æquo naturam neruorum, & ligamentorum.

Tertium neutrum per participationẽ plus vnius, quam alterius ſunt lenientia, vt caſſia, quæ ſunt media inter alimentum, & venenum: plus tamen participant de alimento, quam de ueneno, medicamenta uero generoſa, ut ſcamoneũ, & elaterium, quæ ſunt media inter alimenta, & uenena, tamen magis participant naturam ueneni, quam alimenti.

QVÆST. XVII.

An dentur corpora neutra.

IN hoc loco diſputatur, an dẽtur corpora neutra, quia Ariſtoteles in poſt prædicamentis docuit ſanitatem, & morbũ eſſe cõtraria immediata, & quod omnia corpora ex neceſſitate ſint ſalubria, vel inſalubria, ſana uel ægra, & nullo modo neutra: Galen. verò docet dari corpora neutra, ſigna, & cauſas neutras.

Haly agens de hac difficultate, ait neutram ſeu mediam diſpoſitionem inter ſanitatem, & ægritudinem cõſiderari dupliciter, vel ut eſt neutra, & nullorũ extremorum particeps: uel ut eſt neutra, quæ ſit particeps vtrorumque, ait neutrum primo modo ſumptum Ariſtotel. negaſſe illudque neque à Gal. admitti: quia Galenus ſolum neutrum, quod participat extrema, inſpexit.

Pluſquam cõmentator alio modo ſentit, & imprimis reijcit ipſi Haly; dicit .n.

quæ ab illo dicuntur reluctari Ariſtoteli, & Galeno. Ariſtoteli,quia ſi dum dixit, non dari medium inter ſanum,& ægrũ, intellexiſſet de medio per negationem extremorum,& non de medio per participationem,ſequeretur,quod omnia cõtraria eſſent immediata: exempli cauſa, inter nigrum, et album, eſt color cæruleus, rubeus, et alij: ſi negaretur ab Ariſtotele medium per negationem: omnes colores medij, quatenus participant non eſſent abſolutè medij,quod eſt contra ipſum Ariſtotelem, qui admittit medium per negationem:Galeno pariter reluctatur, quia in hoc tex. admonet dari neutrum per negationem extremorum.

Opinio verò Pluſquamcommentatoris,eſt quod Ariſt. conſiderauerit ſanitatem vt eſt conſonantia,et ſymetria:ægritudinem verò vt eſt dyſonantia, et ametria,quæ carent medio, et opponũtur inter ſe contradictoriè: Gal. verò conſiderauerit ſanitatem,ut edit actiones perfectas,et minus perfectas in eadem latitudine,in qua non ſolum eſt perfecta,verũ etiam media, et neutra diſpoſitio.

Manardus cõciliat Galenum cum Ariſtotele duobus modis, primò, dicit Galenum propoſuiſſe ſtatum neutrum non ex propria ſententia, ſed ex ſententia Herophili: definitio enim medicinæ hic tradita eſt Herophili,non autem Galeni: immò Galenus 1. ſimp. cap.7. et lib. de partibus artis medicæ dubitatiuè mẽtionem facit de neutra diſpoſitione, ita vt ſecundum Galenum,et Ariſtotelem duæ tantum videantur eſſe diſpoſitiones, ſanitas, uidelicet,et morbus: uidens Manardus hunc primum modum conciliãdi Gal. cum Ariſtot. hanc pati difficultatem, quod Galenus ex vna Parte falſa ſupponat principia,et ex alia quod lib.ad Thraſyb. c.30. eos laudet,qui partem reſumptiuam, et præſeruatiuam neutras appellarunt; ideò ſecundum excogitauit modum, quo poſſent concordari Galen. et Ariſtot. et eſt quod Ariſtot. negauerit medium inter ſanum, et ægrum,et non inter ſalubre, et inſalubre: ſalubre ex Manardo eſt tale in potentia: ſanum uerò eſt tale in actu.

Reijcitur Manardus, tùm ex hoc libro tùm ex lib. ad Thraſyb. c.30. vbi ex propria ſententia laudat ſtatum neutrum. Præterea ſic conuincitur: qui concedit neutrum inter ſalubre, et inſalubre, concedet inter ſanum,et ęgrum.Inſuper nõne neutrum, vt nunc eſt mediũ inter ſalubre vt nũc,et inſalubre vt nunc? ſed ſic eſt,quod ſalubre nunc, et inſalubre nunc ſecundum Galenum,et ſecundum ipſum Manardum idem eſt quod actu ſanum, et actu ægrum; ergo qui ponet neutrum inter ſalubre, et inſalubre,vt ponit Galenus in hoc loco, ponet etiam mediũ inter ſanum, et ægrum. Sic nos dicimus, ſalubre ſimpliciter ſemper indicare optimam ſanitatẽ,inſalubre ſemper indicare peſſimam ſanitatem? ergo neutra ſanitas erit inter ſanitatem,et ſanitatem,et non inter ſanitatem, et morbum, et ſic cõuenit Galenus cum Ariſtotele, quod inter ſanitatem, & morbum non dentur neutra: ſed dicimus nos dari etiam medium inter ſanitatem,& morbum per medium intelligendo ſanitatem in fieri,ſeu in habitudine: & ſecundum hunc ſenſum Galenus admittit neutra.

Montanus conciliat Galenum cum Ariſtotele hoc modo: dicit,Ariſtot. conſiderare ægritudinem, & ſanitatem vt ſũt formæ diſtinctæ indiuiſibiles, & ſicuti numeri: eaſque vult, non ſuſcipere magis, & minus, & non dari corpus medium, vel neutrum inter illas.

Reijcitur, quia ſanitas, & ægritudo ſunt in prædicamento qualitatis,& qualitas ſuſcipit magis, & minus; quod verò ægritudo,& ſanitas ſint qualitates,patet, quia reducuntur ad habitum, & diſpoſitiones, quare neque poſſunt eſſe vt formæ indiuiſibiles,neque ſicuti numeri.

Pro reſolutione difficultatis ſciendũ, neutrum duplex eſſe, alterum neutrum vt nunc, & eſt illud, quod mediat inter ſanitatem, & morbum: alterum eſt neutrum ſimpliciter,quod non mediat inter ſanum, & ægrum, ſed inter ſimpliciter ſalubre,& ſimpliciter inſalubre, ideſt inter perfectiſſimè ſanum, & diminutè ſanum, dicit Galenus, quod inſalubre ut nũc actu ægrotat, inſalubre vero ſimpliciter non eſt illud,quod actu ægrotat.

Dicimus nos non eſſe difficultatem,an detur neutrum ſimpliciter, quia cum apud Ariſtotelem ſanitas ſuſcipiat magis

& mi-

& minus, ſanitas uel ſalubre non conſiſtunt in puncto, ſed habent mediũ, quod à Galeno vocatur neutrum, & ab Ariſt. conceditur, negatur tamen ab eodẽ neutrum ut nunc, quod eſt illud, quod mediat inter ſanum, & ægrum, quia uult philoſophus omnia corpora uocari ſana uel ægra, ſumens ſanitatem lato modo, & non ſtricto, ut Gal. quare dicimus cõtrouerſiam eſſe ſolum de nominibus.

Galenus enim corpora imbecillia, & ea corpora conualeſcentia, & quæ ſunt propenſa ad ægritudinẽ, & corpora ſenũ uocat corpora neutra: Ariſtot. uero ſana uel ægra, Gal. lib. ad Thraſyb. cap. 5. & 7. docet, ſanitatem duplicẽ eſſe, firmam, & lubricam: lubricam habent (vt docet 5. de tuenda ſanitate cap. 30.) corpora ſenũ, & (vt docet lib. ad Thraſyb. cap. 4.) corpora decidentia in morbos, & hæc non ſalubria, ſed neutra à Galeno uocantur.

Poſſumus igitur cum Galeno admittere ſtatum neutrum conſiderando ſanitatem ſtricto modo, poſſumus etiam cum Ariſtotele demittere neutralitatem, & omnia corpora ægra, uel ſana vocare, ſumenda ſanitatem lato modo.

Verum, ſi Ariſtot. egiſſet de arte medica ſine dubio ſanitatem diuiſiſſet in ſanitatem firmam, & lubricam, ſi voluiſſet ſcientificẽ, & ex arte medicinam docere, quia in medicina datur pars conſeruatiua pro ſenibus, quorum corpora ſunt neutra, inſtauratiua pro ijs, qui à morbo conualeſcunt, quorum corpora ſunt etiã neutra, detur etiam pars præſeruatiua pro corporibus, quæ decidunt in morbũ.

Præterea inuenta ſunt neutra ad ſugiendam ἀειπαθίαν, i. perpetuam paſſionem, quia neutra corpora aliquid ſemper patiuntur, & vocarentur ægra, quare ne incidamus in dogma perpetuæ ægritudinis ſunt propoſita ipſa neutra.

Ecce igitur quomodò Ariſtoteles coactus fuiſſet, & ipſe, ſi de medicina egiſſe, diſtinguere corpora in ſalubria, neutra, & inſalubria, quemadmodũ fecit Galen.

Q V Æ S T. XVIII.

De numero capitum exorientium à definitione Medicinæ.

IN hoc loco ſolent enumerari omnia capita, quæ ex definitione medicinæ colligi poſſunt: Montanus colligit 45. capita hoc modo: dicit ſalubre, inſalubre, & neutrum dici de corpore, cauſa, & ſigno, deinde ait quod corpus ſalubre triplex ſit, videlicet ſalubre omninò, ſalubre magna ex parte, & ſalubre ut nunc, addit quod etiam corpus inſalubre eodem modo ſit triplex, vnde fiunt ſex capita: De neutro verò corpore loquens dicit, habere tria ſignificata, & in quolibet ſignificato eſſe illa tria capita, videlicet neutrũ omninò, neutrũ magna ex parte, & neutrum nunc: colligit ergo nouem capita conuenire corpori neutri, ita vt præter nouem ſint ſex quæ conueniunt corporibus, ſalubribus, & inſalubrib. vndè reſultant capita 15. addit alia 15. capita ſpectantia ad cauſam, vt eſt ſalubris, inſalubris, & neutra, & alia 15. ſpectantia ad ſigna, unde reſultant capita 45.

Manardus cenſet capita, quæ poſſunt deſumi à definitione medicinæ eſſe 54. cõſiderat enim quatuor ſignificata neutrius: & benè, quia Gal. in tex. ſubdiuidit neutrum ſecundi ſignificati, in eo quod ex æquo participet, vel non ex æquo, ita vt ex hoc neutro reſultent nouem capita, duæ nõn ſunt enumerata à Montano, videlicet neutrum omninò, magna ex parte, & vt nunc, quod neutrum cum dicatur de corpore, de cauſa, & de ſigno efficiet nouẽ capita, & numerabuntur 54.

Pluſquamcommentator efficit horum capitum maiorem numerũ, quia, & ipſe quoque ſubdiuidit cauſam, & ſumma cũ ratione, quia cauſa alia eſt efficiens ſanitatem, & alia eſt conſeruans, vt dicit Galenus in particula ſecunda ſecundi capitis, & Ariſtoteles in 4. metaphyſ. tex. 2. vbi clarè docet, ſalubre non ſolum eſſe capax ſanitatis, ſed etiam cõſeruatiuum, effectiuum, & indicatiuum, ecce quod ſalubre dicitur etiam de cauſa conſeruante, quare reſultabunt 18. capita, videlicet cauſa conſeruans ſalubris omninò, magna ex parte, & vt nunc, alia tria reſultabunt ex inſalubri, verum, quia quatuor ſunt ſignificata neutrius, et cuilibet ſignificato cõuenient omninò, magna ex parte, et vt nunc, reſultabunt 12. ex neutro, et ex ſalubri, et inſalubri, fient igitur capita ſeptuaginta duo, coll[illegible]mus igitur hæc capita, vel ſec[illegible]

num,vel Manardum,vel Pluſquamcommentatorem, quia quælibet enumeratio poterit accommodari menti Galeni.

Sed quia tres ſunt latitudines,quarum. Prima continet, vt dictum eſt capita 72. Secunda etiam datur latitudo, quæ conſiderat actualem ſanitatem ex qua ſimiliter reſultant cap. 72. Tertia latitudo continet in latitudine ægritudinis actualis alia 72. capita: itavt reſultent 216.

Sed quia dantur ſigna tritemporea, ideſt commemoratiua præteritorum, & futurorum prænunciatiua: de indicatiuis præſentium dictum eſt in tribus latitudinib. Reliquuntur ergo commemoratiua,& prænunciatiua in triplici latitudine, nempè in latitudine ſignorum ſalubrium: in latitudine actualis ſanitatis, & ægritudinis, quæ ſigna in ſingulis his duabus latitudinibus efficient cap.54. ita vt reſultent c. ita ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, & ſignorum omnium, & cauſarum 324. quæ capita amplectuntur omnia quæ poſſunt cōſiderari in arte medica, quæ omnia continentur ſub tribus verbis poſitis in definitione medicinæ: quæ ſunt ſalubre, inſalubre, & neutrum.

TERTII CAPITIS
Particula III.

Tex.13. *Eſt verò, & in tota definitione, ſi verba animaduertimus, ambiguitas quadā: quam, & ipſam diſſoluere oportet. Cum enim dicitur medicinam eſſe ſcientiam, & ſalubrium, & inſalubrium, & neutrorū, ſignificatur, & quod omnium particularium, & quod quorundam, & quod qualium. Sed omnium quidē infinitum quoddam eſt, atq; impoſſibile, quorundam diminutum, atq; artificio carens: qualiū verò artificioſū pariter, atq; ſufficiens ad omnia artis particularia, quod etiam dicimus in medicina definitione comprehendi.*

CVM hactenus Galenus collegiſſet ex definitione medicinæ, ideſt ex illis tribus verbis ſcilicet ſalubri, inſalubri, & neutro, capita ſeptuaginta duo, incipit ſe præparare ad horum omnium capitum declarationem: cæterum, quia in definitione medicinæ viget quædam ambiguitas, illam in hoc tex. vult de medio tollere.

Hic tex. diuiditur in duas particulas; in prima proponit ambiguitatem, quæ eſt,cum medicina ſit ſcientia ſalub. inſalub. & neutrorum, vel erit ſcientia omnium particularium ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum; vel erit quorundam tantum particularium,vel erit Qualium. In ſecunda particula tollit ambiguitatem, dicendo nō eſſe omnium particularium: quia omnia particularia ſunt infinita, & imperceptibilia, dicit quoque non eſſe quorundam, quia ars,vel ſcientia eſt habitus rectus, & artificioſus, & continet vniuerſalia:colligit ergo Galen. quod ſcientia medicinæ ſit qualium.

1 Dubitatio magni momenti proponitur in hoc tex. quid ſcilicet Galenus intelligat per illam dictionem Qualium.

Pluſquamcommentator per qualia intelligit vniuerſalia ad differentiam particularium; quia ars, vel ſcientia de vniuerſalibus, & non de particularibus tractat: putat quoque difficultatē hanc cōuenire rudibus atq; idiotis: quia omnes viri docti ſciunt artem,vel ſcientiam eſſe vniuerſalium, & non particularium.

Argenterius confirmat opinionē Pluſquamcommentatoris, quod ſcilicet per qualia intelligat vniuerſalia: quia Ariſt. in prædicamento ſubſtantiæ docet primā ſubſtantiam ſignificare hoc aliquid,ſecūdā vero quale aliquid: quare ſi ſecunda ſubſtantia, vt eſt vniuerſalis,dicitur qualis; per quale poteſt intelligi vniuerſale.

Curtius parum diſcrepat à ſupradictis: putat enim per qualia Galenum intelligere regulas vniuerſales, artes enim,uel ſcientiæ ſolum de regulis quibuſdam vniuerſalibus tractant.

Acachias cenſet medicinam eſſe ſciētiam qualium, ideſt eſſe ſcientiam, quæ verſatur circa has qualitates, quæ ſunt morbi, & ſanitates.

Manardus intellexit per qualia definitiones; quæ opinio poteſt quoque defendi,ſed quia ſigna,& cauſæ,quę ſunt auxilia non declarantur per definitiones; ideò mihi non omninò probatur.

Ego autem puto,interpretationē hujus dictionis (qualium) eſſe deſumendam ab Ariſt.5.met.c. de quali,vbi habetur,quod qualitas triplex ſit, primò ſumitur qualitas

tas

tas pro qualibet forma ſubſtantiali, quia quęlibet forma in quale quid prędicatur: ſecundò datur qualitas de prędicamento qualitatis: tertiò quævis differentia decẽ prædicamentorum dici poteſt qualitas, quia ſecundum quamlibet prædicamentorũ differentiam quales dici poſſumus.

Solutio erit ingenioſa, ſi per qualia intelligamus differentias omnium prædicamentorum: nullum enim eſt prædicamentum, quod non ſit particeps ſalubris, inſalubris, & neutrius ſtatus: Immo nihil poteſt reperiri in vniuerſo, quod non cadat ſub 72. ſignificatis ſalubrium, inſalubrium, vel neutrorum corporum, ſignorum, vel cauſarum: immò & Deus, qui eſt extra prædicamenta eſt cauſa cauſatum omnium ſalubrium.

Quòd verò medicus non ſolùm tractet de differentijs pertinentibus ad prædicamentum qualitatis; ſed de ijs, quæ pertinent ad omnia alia, patet: quia ſi de ſubſtantia loquamur, medicus agit de ijs, quæ à tota ſubſtantia operantur: ſi de quantitate, agit de locis, temporibus, magnitudinibus auctis, & diminutis, & de numero aucto, vel diminuto: ſimiliter de relatione, de actione, paſſione, & pręſertim de ſitu, vt de luxatione: quare per qualia intelligere debemus omnium prædicamentorum differentias: quia omnes ad medicum pertinere poſſunt.

Hinc Galen. l. de optima ſecta ad Thraſyb. c. 45. inquit, ſi generi addatur differentia, dicitur qualitas: quæ ſententia eſt deſumpta ab Ariſt. 5. met. loco cit. Hinc non ſolùm ſubſtantialibus differentijs conueniet prædicatio in quale quid: verum etiam differentijs propriiſſimis omnium prædicamentorum; differentia enim ab Ariſtotele, & Porphyrio definitur, quid prædicetur in quale quid.

Hinc reijciuntur cæteræ expoſitiones, & præcipuè prima, & ſecunda; quia non ſunt declaratiuæ illius dictionis Qualiũ.

Similiter Curtij opinio deficit, quia, exponendo per qualia regulas vniuerſales, non declarat proprietatem dictionis Qualium.

Itidem Acachias malè interpretatur per qualia qualitates de prædicamento qualitatis, in quo collocantur ſanitas, & morbus, quia virtus illius dictionis qualium, ſe extendit ad differentias ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, quæ in quolibet prędicamento reperiuntur.

Haly, quia videt Galenum aſſerentem, medicinam non eſſe ſcientiam particularium, arbitratur in arte medica declarari ſolùm methodos; quibus cognitis, indè particularia dignoſcantur; quo fit, vt omnes illos reprehendat, qui dum inueniunt aliquod particulare in medicina, putant ſe arti aliquid addidiſſe: per aliquod particulare intelligit nimirum caſſiam, rhabarbarum, manam, & ſimilia, quæ tempore Galeni non erant in vſu: dicit igitur Haly, & rectè, nihil per hæc particularia inuenta aliquid arti additum eſſe: quia quæ artem conſtituunt, ſunt canones, ſeu intentiones ſub methodis comprehenſæ; & ſub ipſis omnia, quæ humano ingenio explorari poſſunt, continentur: ars ſanè eſſet imperfecta, & nomen artis non mereretur, niſi vniuerſa comprehenderet.

Meritò igitur dicendum eſt, quæ de nouo inueniuntur, non pertinere ad artem: quia non ſunt inuentiones, neque auxilia, ſiue remedia, ſed materiæ remediorum, ſiue auxiliorum: quodcumq; .n. inuenitur, habeat virtutem ſoluendi, vel alterandi; eadem virtus in alijs pluribus inuenietur: exempli cauſa, omne alterans quod de nouo inuenitur, vel erit temperatiſſimum, vel in gradu primo caloris vel ſecundo, vel tertio, & ſic de alijs: at infinitæ inuenientur materiæ eiuſdem temperamenti.

Hinc meritò dicunt medici, lactucam, vt eſt lactuca, nõ pertinere ad medicum, ſed vt eſt tale refrigerans, quod quidẽ eſt ſpecificum, & per conſequens prædicatur de infinitis indiuiduis ſimilibus, vt nos oſtendimus lib. 11. de principijs methodi medendi exhauriẽdis à fonte analytico: laudanda igitur eſt Haly opinio.

2 Dubitatio oritur, cur Galen. dixerit, medicinam non eſſe particularium; quia videtur, quod medicus verſetur circa particularia; ex Ariſt. enim 1. Ethic. c. 7. & 6. eiuſd. c. 8. & alibi habemus experientiã, & omnes actus, ſiue factiones artificis circa ſingularia, & nõ circa vniuerſalia verſari.

Reſpondetur, medicum nullo modo tractare, vel curare particularia, vel ſin-

gularia vt talia ſunt; ex Galeno enim lib. de optima ſecta, & 1. ad Glauconem habetur, morborum expulſiones à ſpecifico affectu indicari; ergo quod curatur eſt ſpecificum; & non ſingulare.

Præterea ſi medicus ſingularia vt ſunt ſingularia curaret, vana eſſet ars, vel methodus medendi; quia ars, & omnes habitus intellectuales ſunt vniuerſalium, & non particularium, vt docet Ariſtoteles in proœm. 1. metaph. 2. lib. Rhetoric. c. 2. & 2. poſt. tex. 27. & meritò, quia in particularibus nihil continetur, quod ſit particulare, niſi hic, & nunc; cætera omnia, quæ ſunt in ipſis, ſunt ſpecifica, & infinitis alijs communicabilia. Hinc Galenus in methodo probauit à loco, & tempore non ſumi indicationes.

Inſuper, ſi particularia curarentur, illorum indicationes nobis non oſtenderent remedia, quia non datur progreſſus à particulari ad particulare; eſſet igitur ars medica omninò vana, & ridicula.

Præterea ſi inductio, quæ procedit à multis particularibus, non concludit, niſi in 3. figura cum concluſione vniuerſali, qui modus concludendi ab Ariſtotele iudicatur vaniſſimus, quanto magis, ſi curarentur particularia ipſa, vt talia, in quibus neq; à multis, neq; ab vno ſit proceſſus? eſſent igitur indicationes vaniſſimæ & nihil concludentes. Hinc Galenus 9. meth. c. 6. dicit, in vniuerſalibus eſſe methodum medendi, in particularibus verò ſolum methodi exercitium.

Colligimus ergo medicinam verſari circa vniuerſalia, & non particularia, medicumq; quando curat aliquod indiniduum, curare ſpecificos affectus, qui de infinitis prędicari poſſunt, quia non dantur affectus adeò ſingulares, qui vni homini ſoli huius mundi conueniant, & alijs non poſſint conuenire.

TERTII CAPITIS
Particula IV.

Tex. 14. *Primum igitur de corporibus dicere aggrediemur, qualianam ſint ſalubria, & inſalubria, & neutra: Poſt hæc de ſignis, & cauſis differemus.*

Pluſquamcommentator putat Galenum hic exordiri tractatum; & hactenus finem poſuiſſe proęmio, quia, quę ſunt dicta ſuperiùs, videntur dicendorum proœmium. Quæ opinio non poteſt admitti; quia poſt primum caput, quod re vera eſt proęmium, Galenus definit, & diuidit, quæ omnia ad tractatum pertinent, non autem ad proœmium.

In hoc tex. poſtquam facta eſt reſolutio definitionis medicinæ in capita, proponit eſſe incipiendum à corporibus; deindè à ſignis, & vltimò de cauſis; per cauſas intelligens remedia, quę licèt ſint prima in intentione, ſunt tamen vltima in tractatione; eſt enim Ariſtotelis præceptum 3. de anima tex. 40. quod primum in intentione, vltimum ſit in executione.

Præterea, quod vltimo loco de remedijs tractandum ſit, nos docet medendi methodus, in qua proponitur, indicantia ſemper prius eſſe agnoſcenda, quàm indicata, ideſt auxilia. Hinc Gal. 1. methodi cap. 5. habet hæc verba; *Quoniam omnis morbi curationem inuenire propoſitum eſt, neceſſarium eſt prius morbi naturam, & numerum ſcire.* Similiter 1. de articulis com. 32. dicit (ante curationem duo eſſe dignoſcenda, affectum ſcilicet, & locum affectum) quare non poteſt tractari de auxilijs, niſi præcognoſcantur corporum affectiones per ſigna.

Quod verò principijs analyticis coacti debeamus aſſerere, quod de auxilijs vltimo loco ſit agendum, formatur hæc ratio; niſi indicantia, ideſt affectus corporis in facto eſſe, notiora fuerint indicatis, ideſt auxilijs, ergo erunt vel ęquè ignota, vel ignotiora; alter non datur modus, ſi ignotiora, aliud non poterit inferri, niſi quod Ariſtot. 1. poſt. cap. 3. contra Sophiſtas intulit, videlicet ſi eſt hoc, eſt hoc; putabant enim Sophiſtę, quod omnia ſciri poſſent per demonſtrationem inferendo ex principijs concluſionem, & viceuerſa; quorum procedendi modus erat cum manifeſtiſſima petitione principij; Similiter Ariſtot. 2. poſt. tex. 3. videtur reprehendere Xenocratem probantē animam eſſe principiū vitę, quia eſt numerus ſe ipſum mouens; eodem modo procederet Galenus, ſi 1. de auxilijs ageret, quam de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris, & de ſignis; conſonum igitur erat rationi, vt prius ageretur de

cor-

corporibus,& de ſignis, quia inde remediorum cognitio facile hauriri poterat.

Dicit Gal. ſe velle agere de corporibus qualia ſint, diximus ſuperius qualitatem prædicari de triplici differentia, vt nos docet Ariſt.5.meta.c.de qual.primam eſſe differentiam ſubſtantialem, quæ dicitur quale aliquid, & ſecundũ illa quales dicimur,ſecundã eſſe qualitatem de prædicamento qualitatis,tertiã eſſe differentias cæterorum omnium prædicamentorum; inde collegimus differentias, ſeu qualitates ſalubrium, inſalubriũ, & neutrorum non eſſe in vno prædicamento, ſed id omnib. propterea diximus ad medicum pertinere qualitates occultas,quæ (vt aiunt) pertinent ad prædicamentum ſubſtantiæ, ſimiliter differentias morborum in magnitudine, & in numero, ad quãtitatẽ, differẽtias temperaturarum ad qualitatem,luxationum ad ſitum,itavt in omni prædicamento ſint differentiæ, & qualitates ſalubrium, inſalubriũ, & neutrorum: proponit igitur Gal. in hoc tex. conſiderãdum, qualia ſint corpora intelligendo per qualia quæcumq; poſſuntesſe communia omnibus prædicamentis.

1 Dubitatio dicit Galenus in par.3. ſecundi capitis, medicinam ſecundum primam intentionem eſſe ſcientiam cauſarum ſalubrium, & deinde corporum: attamen peruertit ordinem, quia in hoc text. prius proponit agendum de coporibus, deinde cauſis.

Reſpondetur dari hos tres ordines,primum eſſe ordinem intentionis, ſecundum inuentionis, tertium executionis: quo ſuppoſito reſpondemus,rectè Galen. dixiſſe ſecundum primam rationem,medicinam eſſe ſcientiam cauſarum: quia medicus ſecundum primam intẽtionem cogitat remedia, quæ apta ſint ſanitatem introducere, ſed quia remedia non poſſunt inueniri ſine præcedente cognitione corporum, & ægritudinum, ideò tractando de ordine inuentionis debebat cognitio corporum, & ſignorum præcedere,tractatus enim exacti, & diligentes inſeruiunt inuentioni, & non intentioni,quia remedia applicanda in executione pendent omninò à præcognitione morborum, & locorum affectorum.

QVARTI CAPITIS Particula I.

Tex.15. *Salubre ſimpliciter corpus eſt, quod ab ipſo natura ortu bonam habet temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis, atque in his, quæ ex illis componuntur inſtrumentis, eſt commenſuratum.*

IN hoc tex. exequitur,quod hactenus propoſuerat; tractat enim de corpore ſalubri. In hoc c. tria facit, primo definit ſalubre ſimpliciter, quod facit in hoc tex., in 2.p. definit corpus ſalubre vt nũc in 3. diuidit ſalubre ſimpliciter, in ſẽper,& in magna ex parte, & deinde illud definit.

Explicabimus in hac prima parte nonnullas difficultates, mox declarabimus diſtinctius quid ſit ſalubre ſemper, ſalubre multum, & ſalubre nunc.

Quæritur cur à corpore ſalubri ſimpliciter incipiat. Sunt qui dicunt, quia corpus ſalubre ſimpliciter eſt nobilius, & à nobiliori eſſe exordiendum. Alij melius dicunt, quod ſcilicet præcognito corpore ſalubri ſimpliciter, facilius corpora neutra,& inſalubria percipiuntur,dicit enim Ariſtot.1. de anima tex.85. quod rectum ſit iudex ſui,& obliqui,hac enim de cauſa corpora ſunt inſalubria,quia recedunt à ſalubri ſimpliciter.

Definitio corporis ſalubris ſimpliciter tradita hic à Galeno eſt,quod ab ortu naturæ bonam habeat temperaturam in ſimilaribus particulis,atque in illis,quæ ex ijs cõponuntur, ſit benè commenſuratũ.

Gal.2.de ſanitate tuenda cap.7. definit corpus ſalubre ſimpliciter, quod nempè ſit ſibimet regula, & tantum appetat quantum concoquat, nec indigeat medico præſide.

In hoc tex. continetur ſolum definitio ſalubris ſimpliciter,ideò circa ipſam definitionem aliquantulum immorabimur.

Pluſquamcommentator quærit quodnam ſit genus, vel quidnam ſit loco generis in hac definitione corporis ſalubris: dicitque loco generis eſſe temperatum,& commenſuratum.

Reijcitur à Manardo dicente,eſſe temperatum in ſimplicibus,& commenſura-

tum in organicis non poſſe eſſe loco generis, quia ſunt differentiæ, quibus differt corpus ſalubre ſimpliciter ab inſalubri ſimpliciter,& à neutro ſimpliciter:cętera enim verba definitionis poſſunt cõuenire etiam inſalubri, & neutri,quia illis conuenit eſſe ab ortu naturæ, ergo eſſe temperatum,& commenſuratum non poterunt ſtare loco generis.

Manardus aſſerit loco generis in hac definitione eſſe corpus ſub intellectum per relatiuum (quod) quaſi diceret ſalubre ſimpliciter corpus eſt, quod ſcilicet corpus ab ipſo naturæ ortu tale eſt.

3 Quæ opinio non poteſt defendi; quia corpus eſt definitũ,neq;conuenit, vt nomen definiti ſit genus, vel loco generis.

4 Præterea corpus vt corpus non debet poni pro genere corporis ſalubris, inſalubris, & neutrius, quia eſt nimis remotum: non rectè definiret hominem, qui diceret homo eſt corpus rationale.

Inſuper ſalubria,inſalubria, & neutra non ſunt potentiæ corporum, vt corpora ſunt; ſed ſunt potentiæ viuentis, ſanitas enim communiter conſiderata eſt affectio non ſolum animalis, verum etiã plantarum.

Vtinam ſalubritas eſſet in prædicamẽto quantitatis, vbi non eſt alteratio, quia non ægrotaremus:immò eſſemus ęterni: quia ægrotatio fit per alterationem.

Nos dicimus, quod ſi ſumantur ſalubria, inſalubria, & neutra vt ſunt potentiæ viuentis, genus in hac definitione ſit viuens: quaſi diceret Galen. ſalubre ſimpliciter corpus eſt illud viuens, quod ab ipſo ortu naturæ &c. Hinc Ariſtot.lib.de ſenſu, & ſenſili cap.1. dicit ſanitatem, & morbum non conuenire vitæ carentibus.

5 Similiter D. Thomas lib. de ſenſu,& ſenſato lectione 1.ait ſanitatis,& ægritudinis proprium ſubiectum eſſe corpus viuum. Si verò ſumatur ſalubre,inſalubre, & neutrum vt ſunt potentiæ animalis, erit animal loco generis: quare errauit Pluſquamcommentator ponens differentiam loco generis.

6 Similiter errauit Manardus ponens loco generis ſubiectum remotiſſimum cum eiuſdem vocis vana repetitione.

Ab ortu naturæ.

1 Dubitant nonnulli,an per artem medicam inſalubre corpus poſſit fieri ſalubre. Ex vna parte videtur, quod poſſit: quia interdum intemperatum per artem medicam reducitur ad temperatum: ergo non eſt neceſſaria hæc particula ab ortu naturæ.

Nos tamen dicimus eſſe impoſſibile quod corpus inſalubre vel intemperatũ ab artu naturæ per artem poſſit fieri ſalubre, quod probatur hoc argumento, ſi facultas generatrix,quę eſt validiſſima in prima generatione quando de nouo mẽbra facit non potuit corrigere ſemina parentum: ergo nec facultas eos naturalis, vt attractrix, expultrix, retentrix, & attractrix quæ ſunt miniſtræ generatricis,poterunt: ergo tanto minus medicus qui eſt miniſter facultatis naturalis id efficiet.

Hinc eſt quod morbi hæreditarij, vt podagra, affectus hypocondriacus, nephriticus per artem medicam, ſi hæreditarij ſint radicitus euelli non poſſunt. Hinc factum eſt quod iuremerito,qui hęreditarios morbos non patiuntur agere Deo gratias debent.

2 Dubitatio magni momenti oritur, quia Gal.in definitione propoſita vult ſanitatem non ſolum conſiſtere in temperatura ſimilarium; verum etiam in commenſuratione organicarum partium: Ariſt.tamen 7.phyſ. tex.17. dicit,ſanitatem eſſe ſymetriam ſeu commenſurationem quatuor qualitatum. Præterea Gal. 1. de tuenda ſanitate c.5. & lib.de optima corporis conſtitutione docet, poſſe eſſe corpus benè temperatum, & tamen ægrotare in formatione, numero,vel ſitu,quare vel Ariſt. vel Gal. male intellexit ſanitatis conditiones.

Reſpondent nonnulli, Gal.& Ariſtot. eſſe diſcordes: ſed decipiuntur,quia Ariſtotel. loco cit. non exactè definiuit ſanitatem: Ariſt. enim non negat ad ſanitatem conſpirare conformationem: immò in problematibus ſæpè de ægritudinibus organicarum partium eſt locutus; tot enim (vt rectè dicit Auer.5.phyſ.tex. 57.) ſunt ſanitatis ſpecies, quot ægritudinis, ſed non habent nomen: quæ ſententia eſt veriſſima: dantur igitur ſanitates organicarum partium, ſi eorum ægritudines dabũtur;Hinc quoque Auerroes 5.

metaph.

meta. tex. 10. definiens ſanitatem includit ſimilaria, & organica, hoc modo; Sanitas eſt diſpoſitio facta ex compoſitione membrorum, & humorum.

3 Dubitatio ex Galeno corpus animatum conſtat ex partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus, partes verò ſimilares in hoc loco vocantur à Galeno ſimplices, quomodo erunt ſimplices, & primæ particulæ, ſi conſtant ex quatuor elementis? ſicuti ipſemet Galenus lib. de differentijs morborum cap. 4. atteſtatur?

Reſpondetur, Medicum eſſe artificem ſenſatum, ideò eius principia quoq; ſimpliciſſima eſſe ſenſata, Artifices enim eſſent ridiculi, ſi inſenſata tractarent. Præterea à Gal. & ab Ariſt. deſcribitur pars, ſimilaris vt ſenſata, quia Gal. primo de elementis c. 8. lib. 8. de plantis, & alibi, & Ariſt. de Hiſtoria animalium c. 1. cenſent ſimpliciſſimam partem ſimilarem humani corporis illam eſſe, quæ idem non habet tota, & eius particula, vt membrana dicitur ſimilaris, quia quælibet eius pars minima dicitur membrana, quod non euenit in diſſimilaribus, ſeu organicis partibus: pars enim oculi non dicetur oculus.

4 Dubitatio inde exoritur, ex Galen. enim optima ſalubritas conſiſtit in optima temperatura, compoſitione, & vnitate: attamen in hac definitione Gal. loquens de corpore ſaluberrimo mentionem facit ſolùm de optima temperatura, & cōpoſitione: de vnitate verò ne verbum quidem, ergo hæc definitio corporis ſalubris ſimpliciter eſt imperfecta.

Reſpondet Pluſquamcommentator Gal. non feciſſe mentionem de vnitate, quia vnitas ab ortu naturæ non poteſt vitiari. Quæ ſolutio non probatur, quia aliquando infantes naſcuntur cum manuum, & labiorum fiſſuris; quod vitium pertinet ad vnitatem.

Manardus reſpondet, quod vbi eſt bona temperatura, & compoſitura, ibi neceſſariò fit quoque perfecta vnitas, dicit enim eſſe impoſſibile, vt infantes oriantur cum vnitate ſoluta ſine aliqua intēperatura, vel mala compoſitura. Quæ reſponſio non improbatur à Pluſquamcommentatore, & à nobis recipitur.

QVÆST. XIX.

De partibus ſimilaribus.

QVoniam Gal. in definitione corporis ſalubris ſimpliciter docet, requiri bonam temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis; ideò videndum eſt, quid intelligant Expoſitores per primas, & ſimilares partes, quæ ex omnium conſenſu ſunt primæ particulæ componentes organicas.

Ariſtoteles primo de hiſtoria animalium, & 2. de part. anim. c. 1. ſic definit partem ſimilarem, pars ſimilaris eſt, cuius partes ſeparatæ ſimiles ſunt, Gal. 1. de elementis cap. 8. & 8. de placitis cap. 4. definit ſic: ſimilaris pars eſt, quæ ſibi, & toti eſt ſimilis, & vniformis, & 1. methodi c. 6. ſimilaris pars eſt, quæ vndique in ſimiles diuiditur particulas: ſed iſtæ definitiones non ſolùm conueniunt partibus ſimilaribus animantium, verum etiam alijs corporibus inanimatis. Hinc Ariſtotel. 4. meteororum ſum. 4. c. 1. loquens de ſimilaribus inanimatorum dicit, ſimilaria ſunt vt metallica, æs, aurum, argentum, ſtannum, ferrum, & alia id genus: ſic dicemus aurum eſſe cuius partes ſeparatæ idem ſeruant nomen cum toto, & quamlibet partem auri dici aurum, quia ſibi, & toti eſt ſimile.

Hinc Ariſtoteles quarto meteororum loco citato de ſimilaribus in animalibus habet, eſſe carnes, oſſa, neruos, pellem, viſcus, pilos, venas ex quibus diſſimilaria conſtant in plantis dicit Ariſt. ſimilaria eſſe lignum, corticem, folium, radicem, & ſimilia, definitiones igitur partis ſimilaris traditæ ab Ariſt. & Gal. conueniunt omnibus ſimilaribus tùm animatis, tùm inanimatis.

1 Dubitatio oritur, cur dicat Ariſtot. viſcus eſſe partem ſimilarem: nonnè viſcus conſtat ex venis, arterijs, neruis, & propria carne?

Solutio facilis eſt, quia omnes concedunt, viſcera habere ſuam carnem, quæ ſibi, ſi diuiditur, & toti eſt ſimilis; ideò eſſe ſimilarem; quod etiam confirmatur à Gal. primo de natura humana in procemio, & 1. de fac. naturalibus vbi ait, carnem

nem iecoris, ſplenis, cordis, cerebri, & aliorum viſcerum eſſe ſimilarem. Hinc 3. de loc. aff. 7. diſtinguit partem ſimilarem cerebri à parte inſtrumentali, ſi verò pars ſimilaris conſideratur ratione totius viſceris, id eſt vt dicit Ariſt. 2. de partib. animal. c. 2. ratione figuræ parenchymatis, tunc dicimus nullam partem retinere idē nomen cum toto, & nullam partem hoc modo conſideratam eſſe ſimilarem.

2 Dubitatio ex dictis ſuboritur, quia Ariſtoteles 4. meteororum loco citato docet, pilos eſſe partes animalis, ſimiliter Galenus 1. de natura humana in proœmio dicit pilum, & vnguem eſſe partem ſimilarem, idem dicit libr. de differentijs morborum cap. 2. tamen primo de locis affectis cap. vltimo, & in hoc libro docet partes corporis, ideo eſſe partes, quia prę ditæ ſunt facultatibus attrahendi, expellendi, retinendi, & concoquendi, & ob hanc rationem docet nec vnguens, nec pilos eſſe partes.

Reſpondent Plurimi expoſitores, partes ſimilares vel conſiderari cum relatione ad viuens, & ſic dicunt pilos, & vngues non eſſe partes; vel conſiderari cum relatione ad corpus vt corpus eſt, & hoc modo pilos, & vngues eſſe partes ſimilares corporis. Hinc Ariſtoteles 2. de part. animal. c. 2. libr. 3. de Hiſtoria animalium cap. 2. inter ſimilares numerat ſanguinē, ſeuum, excrementa, ſtercus, pituitam, & vtramque bilem. Hinc quoq; Hippocrates 6. epidem. 8. text. 7. diuidit partes communiter ſumptas in ἴσχοντα ἰσχόμενα καὶ ὁρμῶντα, id eſt continentia, contenta, & impetum facientia; ecce quod ab Hippocrate ἰσχόμενα quę ſunt contenta, vel humores, & ὁρμῶντα, id eſt ſpiritus, qui dicuntur impetum facientes, collocantur in numero partium noſtri corporis. vt corpus eſt.

3 Dubitatio exurgit magni momenti, Galenus enim 1. de facultatibus naturalibus, cap. 6. 7. & 8. & libro de differentijs morborum ca. 3. vocat venam, arteriam, & neruum, partes ſimilares, lib. verò de natura humana enumerat ſeptem partes ſimilares videlicet oſſa, cartilagines, ligamenta, membranas, adipem, & carnem, lib. verò de inæquali intęperie c. 2. negat venas, & arterias eſſe partes ſimilares.

Valeriola videns hanc difficultatem in Galeno ſoluit dicendo partes ſimilares conſiderari dupliciter, vel quo ad ſenſū, vel quo ad naturam rei: qua poſita diſtinctione ait venas, & arterias vocari à Galeno ſimilares quo ad ſenſum; quia pars venæ ſeparata dicitur vena, & eſt ſimilis toti venæ; non tamen quo ad rei naturam; eſt enim clariſſimum, venas, & arterias quo ad ſuam naturam eſſe compoſitas ex fibris, & membranis.

Hæc ſolutio patitur inſtantiam, quia venæ, & arteriæ ſunt etiam quo ad ſenſum diſſimilares, Gale. enim lib. de inæquali intemperie ca. 2. fatetur per ſenſum tales dignoſci.

Præterea eſt notiſſimum Anatomicis, venas, & arterias eſſe compoſitas ex fibris, & membranis. Quod demum inter ſimilares debeant collocari; patet ex partium figura, nonnē habent cauitates per quas diffunduntur humores pro vitæ cōſeruatione?

Chriſtophorus Vegha alio modo tollit hanc apparentem contradictionem, dicit enim partem ſimilarem dupliciter poſſe definiri affirmatiuè, & negatiuè; affirmatiuè, veluti quando dicimus, partem ſimilarem eſſe, quæ in partes ſibi ſimiles diuidi poteſt, & ſic cum pars venę dicatur vena, vena erit ſimilaris pars; ſic de arteria: negatiuè definitur pars ſimilaris hoc modo; pars ſimilaris eſt illa, quæ non poteſt diuidi in partes alterius naturæ; hocque modo ait venam vel arteriam non poſſe dici ſimilarem partem; venæ enim, & arteriæ poſſunt diuidi in fibras, & mēbranas, quæ ab ipſis natura differunt: Concludit Vegha, Galenum facta conſideratione partis ſimilaris affirmatiuè appellare venas, & arterias ſimilares; negatiuè verò diſſimilares.

Quæ opinio non probatur, quia nullo modo venæ, & arteriæ poſſunt dici ſimilares: quia ex Galeno 10. methodi cap. 11. & alibi tres tantum in corpore ſunt partes ſimilares, fibroſa videlicet, membranoſa, & carnoſa, quæ partes immediatè, vt docet Galenus primo de elementis, fiunt ab humoribus.

Quare cum venę ſint compoſitæ ex fibris, & membranis, & ſint inſtrumenta caua, nullo modo poterunt dici ſimilares,

Si-

Similiter neque nerui dicentur partes ſimilares, lib. enim 7. de placitis c. 3. docet, neruos conſtare ex triplici ſubſtantia ſcilicet ex media, quæ dicitur medullaris, & eſt ſimillima medullæ arborum, ex tenui membrana orta à pia matre, & ex duriori orta à membrana dura cerebri.

Saluus Sclanus ſoluit nodum hoc modo: dum Galenus ait venas, & arterias eſſe partes ſimilares, dicit eſſe locutum ex ſententia Antiquorum, qui non erãt valdè verſati in anatomia. Quæ ſolutio non poteſt probari: Antiqui enim non erant adeo rudes, vt neſcirent, venas eſſe compoſitas ex fibris, & membranis. Prætereà Galenus locis citatis approbat, venas, & arterias eſſe ſimilares: quod niſi approbaſſet ſine dubio Antiquos reieciſſet.

Dicimus nos corporis noſtri particulas vniuerſas dupliciter conſiderari poſſe, vel cum relatione ad compoſitionem alterius partis, vel per ſe, & ſine relatione: poſita hac diſtinctione dicimus, venas, & arterias vocari poſſe partes ſimilares, & diſſimilares: ſimilares quatenus conſiderantur cum relatione ad partes, quas componunt: quod hoc Galeni intentioni congruat, patet ex libro de inæquali intemperie capite 2. vbi habet hæc verba, *digitorum verò particulæ ſunt oſſa, cartilagines, ligamenta, arteria, vena, membrana, caro, tendo, vnguis, cutis, et adeps*: venæ igitur, & arteriæ ex Galeno ſunt particulæ, non dicerentur ſanè particulæ, niſi quatenus componunt: ſi verò conſiderarentur venæ, & arteriæ non vt particulæ alterius partis: ſed per ſe, ſic nõ eſſent particulæ, ſed eſſent partes diſſimilares: Galenus etiam in hoc texto partes ſimpliciſſimas, & ſimilares vocauit particulas.

Cœterum ſi ſeuerè loqui velimus, aſſerimus ex Galen. nec cartilagines, nec ligamenta, nec membranas, nec carnes vocandas eſſe partes ſimilares: ſi quidem Galenus 6. de placitis cap. 1. clarè docet quod eſt compoſitum non dici ſimilare; mẽbrana eſt ex fibris compoſita, ſimiliter quælibet caro.

Hinc pro confirmatione noſtræ ſententiæ dicimus cum Gal. 3. de naturalib. facultatib. c. 15. ſolum fibras vocari poſſe ſimilares partes: dicit enim fibras eſſe ſimilares particulas, & verè ſenſibiles: cæteta verò, quę cõponunt fibras, primo eſſe elementa, deinde quatuor humores, quãuis quatuor humores, non immediatè ab elementis fiant: ſed vt dicit Gal. 8. de placitis c. 4. poſt multas medias mutationes.

Interim tamen ſuſtinemus partes ſimilares pro ſimilaribus corporis viuentis cum Galeno eſſe fibras, ex quibus, & membranæ, & oſſa, & ligamenta fiunt.

Immo addimus proportione quadam omnia miſta ſolida ſublunaria habere pro primis principijs ſenſibilibus fibras: deinde in viuentibus dicimus ſequi membranas, & propriam carnem viſcerum; demum reſpectu compoſitarum partium diſſimilarium venas, neruos, & arterias.

Ecce igitur ſimilarem, & diſſimilarem eſſe relatiua ſicuti dextrum reſpectu diuerſorũ poteſt eſſe ſiniſtrum; venæ enim reſpectu partium illas componentium ſunt organicæ, & diſſimilares partes: reſpectu uerò compoſitionis illarum partium, in cuius compoſitionem conſpirant, dicentur ſimilares particulæ.

QVÆST. XX.

De natura temperamenti.

Acturus de natura temperamenti prius recitabo nonnullorum opiniones, & deinde meam ſummatim perſtringam. Occaſio tractandi hanc materiam ſumitur à texto ſuperiori, vbi dicit Gal. de ratione ſalubris ſimpliciter eſſe, vt ſimilaribus partibus ſit bona temperatura: videndum igitur eſt, omiſſis philoſophorum altercationibus, quid dicant medici de natura temperamenti.

Valeriola, & Chriſtophorus Vegha definiunt temperamentum eſſe congruam mixtionem calidi, frigidi, humidi, & ſicci.

Reijcitur hæc definitio: quia nulla eſſet differentia inter temperamentum, & mixtionem: neque declarat, an temperamentum ſit vna, uel plures qualitates.

Fernelius libr. 3. de temper. c. 1. & Fitchſius lib. 1. inſtitut. aiunt, temperamentum non eſſe mixtionem, ſed mixtionis rationem, uel harmoniam, ſeu concentũ conſurgentem ex quatuor qualitatibus,

quæ

quæ in mixto ſynceræ ſeruantur.

Hæc opinio eſt deinde accepta à Valeſio, fuitq; Stoicorum, & Empedoclis, mihiq; probaretur, ſi applicaretur partibus diſſimilaribus; caput enim, cor, vel aliæ partes inſtrumentales, quæ ſunt compoſitæ ex neruis, venis, arterijs, & alijs particulis non ſunt mixtę, & per conſequens non habent vnam quintam qualitatem, vt dicit Auic. de ſimilaribus, poteſt tamẽ ex multis particulis vnitis conſurgere concentus, & harmonia, quæ non poteſt conuenire ſimilaribus in quibus vnita conſurgit qualitas prædominans, & non multarum harmonia ſiue concentus.

Conciliator differentia 16. loquens de temperamento quatuor primarum qualitatum ait, duas conſurgere formas medias, vnam ex calido, & frigido inuicem temiſſis, aliam ex humido, & ſicco: rationem affert: quia ſunt duo contraria; quæ ſimul ſtare non poſſunt, niſi formæ mediæ conſurgant: ideo dicit temperamentum cuiuslibet partis mixti ex quatuor elementis efficere duas formas medias.

Reijcitur, quia ex actiuis, & paſſiuis vnum tantum debet conſurgere; ratio eſt quia ex Ariſtotele in metaph. ex actu, & potentia ſolum vnum fit: potentiæ erunt duæ paſſiuę qualitates, actus verò duæ actiuæ. Poſtremo Ariſtoteles, primo, & ſecundo de generatione aſſerit, per mixtionem fieri vnum medium commune; quare ſi temperamentum conſtaret ex duabus formis, duo eſſent media communia, & non vnum.

Muſarius Inquent quęſt. 22. dicit temperamentum conſeruare qualitates eaſdem numero, quo præfuerunt in elemẽtis, ſed remiſſas, qui paulò inferius reijcietur.

Diuus Thomas, qui cenſet in interitu ſemper fieri reſolutionem vſque ad materiam primam ait in quolibet temperamento ſeruari quatuor elementorum qualitates actu, & numero diſtinctas.

Reijciuntur ambo, quia in mixto non poſſunt ſeruari eædem qualitates; quia mixtio eſt vnio, & non diſcordia. Demum ſequeretur, quod mixtum ſimilare habens actu quatuor qualitates ageret in ſe, quod non eſt dicendum.

Auicennas fen prima, primi doc. tertia. Putat temperamentum eſſe vnam qualitatem quintam, quæ oritur ex mutua actione, & paſſione quatuor primarum qualitatum cum illa minimi paruitate, qua plurimum vnius tangat plurimum alterius, & hoc modo fieri vnionem, probat ſuam opinionem dicens, ſicuti ex formis elemẽtorum conſurgit vnicus actus, & vnica forma mixti, ſic ex quatuor qualitatibus conſurget vna qualitas, vel vna forma accidentalis, quod idem eſt.

Hęc opinio Auicennæ videtur vera loquendo de temperamento partium ſimilarium, ſed non de temperamento diſſimilarium, vt dicemus.

1 Dubitatio magna oritur, quomodo temperamentum ortum ex quatuor primis qualitatibus dici poſſit vna forma, ſeu vna qualitas, & non plures? quia animal aliam temperamenti formam obtinet in cerebro, aliam in corde, & aliam in cæteris partibus, ergo in vno mixto temperatura non erit vna qualitas, vel vnus actus, vt dictum eſt cum Auicenna.

Ego reſponderem concedendo, temperamentum eſſe vnam qualitatem, ſeu formam ſimplicem, & non plures, conſideratum verò in partibus ſimilaribus, vt in carne, membrana, &c. quæ verè miſcentur: dico tamen quod ſi conſideretur temperamentum in diſſimilaribus partibus, quæ re vera non poſſunt ſimul miſceri, qualitatem non eſſe vnam, vt dicit Auicen. ſed tot, quot ſunt particulæ. Hinc caput fit ex venis, arterijs, neruis, oſſibus, quæ quamuis ſe tangant, attamen non ſunt mixta in capite; ſed quælibet habet proprium temperamentum, vnde actiones variæ pro varietate temperamentorum naſcuntur.

2 Dubitatio ex dictis oritur, ſi temperamentum eſſet vna qualitas in parte ſimilari, et non in diſſimilari, ſequeretur quod uola manus adeo ex Galeno temperata nullo modo eſſet dicenda temperata, quia de ratione temperamenti, ut diximus, eſt vna qualitas, et non plures, in uola manus plures, ut organica, ſunt qualitates, et non una.

Reſpondeo in diſſimilari parte, ubi tot ſunt particulæ, non eſſe unum temperamentum, & unã qualitatem, eſſe tamen quandam harmoniam conſurgentem ex

tot

tot temperament's ſimilarium partium.

Neque hæc reſponſio (vt dicunt nonnulli) omnia confundit: immo per hanc omnia cohærent principijs medicinæ, quæ ſunt, vt temperaturæ pertineant ad ſimilares partes: conformationes, & harmoniæ ad diſſimilares: dicuntur .n. harmoniæ, quia omnes particulæ nituntur corde, hepate & cerebro, quorũ auxilio omnes qualitates ſimilarium cõſpirant in vnum concentum, qui non ex vna, ſed ex multis qualitatibus fit: quod vero ſint multę qualitates, & non vna, patet ex diuerſitate actionum: ab vna enim qualitate vnica actio prouenit, & non plures: Hinc actio vitalis prouenit ab vna qualitate, à qua neque animalis, neque naturalis prouenire poteſt: ſed cum hæc ſint certiſſima apud Galenum, vt fuſius quoque paulò infra declarabo, non eſt vt in longum protraham ſermonem.

3 Dubitatio exurgit ex dictis Galeni, qui ait temperamentum ſimilarium eſſe totum eſſe rei, eſſe formã, & vniuerſam ſubſtantiam: quo poſito ſequitur temperamentum non eſſe qualitatum harmoniam vel concentum vt dictum eſt: Galenus enim 1. de vſu partium c. 9. docet eſſe carnis, & eſſe oſſis eſſe eorum temperamenta: 1. verò meth. c. 6. quãlibet partem differre ab alia per temperamentum, 3. de temperamentis cap. 4. aſſerit temperamentum eſſe vniuerſam ſubſtantiam: 1. aphoriſmorum com. 15. dicit idem eſſe naturam, & calidum innatũ, & lib. quod animi mores ſequantur temperaturam corporis, tueri videtur, quod idem ſit temperamentum & animæ eſſentia.

Reſponderi ſolet huic dubitationi, Galenum per temperamentum duo intelligere, vel qualitatem prędominantem, & ſic temperamentum eſſe qualitatem, vel totam mixti ſubſtantiam, & ſic temperamentum eſſe formam, & non qualitatẽ: quæ diſtinctio videtur conuenire iis quę tradita ſunt ab Ariſtotele: quod ſcilicet mixtio vel cõſideretur vt eſt vnio miſcibilium, & ſic efficiatur temperamentum quoddam, idque primigenium, quod eſt ſubſtantia; vel conſideretur vt eſt alteratorum vnio, & ſic ſit temperamentũ: per hanc diſtinctionem omnia loca Galeni in contrarium adducta, facillimè conciliantur, & ſoluuntur omnia dubia.

Quod verò Galenus re vera putet, tẽperamentum ſumptum pro vnione alteratorum eſſe qualitatem, & non ſubſtantiam, legamus Fragmentum de ſubſtãt a facultatum naturalium ibi videbimus, Galenum aſſerentem temperamenta ex qualitatibus confici: ſimiliter 2. de temperamentis in principio ait temperamẽtum eſſe in cauſa, vt homines multùm inter ſe differant; dicit multum, vt oſtendat temperamentum non eſſe differentiam ſpecificam, quæ ſecundum totum faciat differre aliud ab alio. Inſuper Hippocrates 1. de decretis dicit, animam hominis temperamentum ignis, & aquæ habere; quare ſi anima habet temperamentum, non erit temperamentum.

QVÆST. XXI.

An detur temperamentum æquale ad pondus.

QVia Galenus in hoc loco dixit, ſalubre ſimpliciter eſſe quod habet ab ortu naturæ bonã temperaturam in ſimplicibus, par eſt, vt declaretur quæ nam ſit hæc optima temperatura: hæc enim in homine debet eſſe norma, & omnium aliorum temperamentorum *μετριότης*.

Quæritur, an hæc temperatura ſit exactè ęqualis, ſitque in medio, vt in puncto reſpectu elementorum, & ſit ad pondus æqualis; vel potius hæc ad pondus æqualis non detur: ſed ſolum ſit illa, quæ dicitur æqualis ad iuſtitiam, quæ ſit æqualis, & in medio non reſpectu omniũ elemẽtorum; ſed ſolum reſpectu ſpeciei humanæ, quo eſt omnium ſpecierum animantium temperatiſſima.

Atqui proponenda prius ſunt argumenta, quæ videntur oſtendere tẽperamentum æquale ad pondus dari poſſe, & deinde ea ſoluenda, reijciendaque: quia re vera eſt omnino impoſſibile, vt detur hoc temperamentum æquale ad pondus, ſecundum qualitates alteratiuas reſpectu omnium elementorum; dicimus ſecundum qualitates alteratiuas; quia non negamus cum Marſilio lib. 2. de gen. & corrup. q. 15. & cum Alberto, æquale ad pon-

pondus ſecundum motiuas dari, ſicuti dum oleum, & ligna ſupernatant aquæ, hæc enim videntur habere æqualitatem grauitatis, & leuitatis, ſed de hoc mixto non loquimur.

Primum argumentum probans, dari mixtum æquale ad pondus tale eſt: dum temperamentum calidum ſit minus calidum, quam ſit temperatiſſimum, eſt neceſſarium, vt tranſeat per medium, ſed ſic eſt, quod, dum tranſit per medium, recipit quoque illam mediam temperaturam, quæ eſt æqualis ad pondus; ergo dabitur æquale pondus.

Idem dicunt de humido temperamento, quod ſcilicet dum contingit, vt fiat ſiccum tranſeat per medium, quod eſt reſpectu extremorum æquale ad pōdus: dicuntque non eſſe impoſſibile, ut detur calidum, & humidum, quod æquè velociter tranſeant ad frigidum, & ſiccum, et ſe ſimul inueniant in medio reſpectu omnium elementorum.

Secundum argumentum, in ęternis non differt eſſe à poſſe, ut dicit Ariſtotel. 3.phy.text.32. ergo cum nihil repūgnet dari temperamentum non ſolum æquale reſpectu cuiuſque ſpeciei animalis, uerū etiam reſpectu quatuor elementorum, dabitur hoc temperamenti genus, quod dicitur exactè ęquale, quodque conſiſtit in puncto medio, & eſt tamquam Polycleti ſtatua reſpectu aliorum omnium temperamentorum.

Tertium, temperamentum æquale ad pondus eſt menſura cæterorum temperamentorum, ergo ſi datur menſurans, dabitur menſuratum.

Quartum, Ariſt.2.de anima cap. de tactu, docet inſtrumentum tactus eſſe poſitum in medio, ut eius uirtus ſenſitiua poſſit iudicare extrema: ergo dabitur tēperamentum exactè ęquale.

Quintum: poſito vno contrariorum debet poni, et alterum 1.cæli 44.et 2. eiuſdem 18. quare ſi datur inæqualitas in pondere, ergo dabitur ęqualitas in eodem, ideſt ſi datur mixtum ad pondus inęquale, dabitur mixtum ad pondus ęquale.

Sextum, Gale.1. de temperamentis, et 2.tradit ſigna, quibus dignoſci poſſit hoc temperamentum quod eſt omninò ęquale, ſimili modo in hoc loco.

Preterea libr. de ſanitate tuenda docet modum conſeruandi hoc temperatiſſimum corpus, et 2.de ſanitate tuenda cap. 7. concedit dari multa temperamenta exactè ęqualia, eaque reperiri poſſe in regione temperata, et pręcipuè in Hippocratis patria.

Demum 2. de temperamentis capit. 1. dicit, nouem eſſe differentias tēperamētorum, vnicamque uocat abſolutè temperatam, et de hac habet hęc uerba: *cum temperatum aliud abſolutè dictum inueniatur in vniuerſa rerum natura, aliud in ſingulis generibus, principio viſum eſt de eo conſiderandum eſſe, quod communiter in vniuerſa natura æſtimatur:* ecce quod Galenus concedit dari duplicem temperaturam; alteram reſpectu vniuerſę naturę, et hanc eſſe ęqualem ad pondus; alteram in ſingulis generibus, quę dicitur ęqualis ad iuſtitiam, et ne quis poſſet ſuſpicari quod hęc temperatura non ſit illa æqualis ad pondus, quæ eſt in medio, Gal. vt ſe optime declaret, addit hæc uerba *huius norma, iudiciumque erat elementorum portionis æqualitas:* ecce quod Galenus uult tractare de temperameto æquali ad pondus, quod ſcilicet habeat æqualitatē portionis elementorum; quare rationibus, et Ariſtot. et Galeni auctoritate, quæ ſunt difficultatum certa Κριτήρια patere uidetur temperamentum æquale ad pondus concedi poſſe.

Ex altera parte eſt Auerroes 2. collig. 22. 1.cæli 7.et al bi, et Auicennas libro 1. doct.3. c.1. qui ſuſtinent nullo modo hāc æqualitatem ad pondus concedi poſſe, dicuntq; ſolum dari temperamentū æquale ad iuſtitiam, quod eſt illud medium, quod in qualibet ſpecie eſt ita temperatum, ut aliud in illa ſpecie non poſſit eſſe temperatius: immò Auicen. ſen 1.doct.3. uidēs Gal. admittere in ſpecie humana temperamentum exactè æquale, interpretatur, Gal. intelligere per exactè æquale illud, quod dicitur ad iuſtitiam, et non ad pondus: Afferantur igitur argumenta Auer. et Auicennæ.

Primum Argumentum deſumitur ab Auerroe, qui primo de Cœlo com.7. dicit, ſi daretur mixtum, ſeu temperamentum æquale ad pondus, quod ſcilicet æquales

quales portiones formarum elementorum poſſideret, vbicunq; quieſceret, nullum haberet motum naturalem; ſed hoc in rerum natura non datur; terreum enim mixtum deſcendit, igneum aſcendit, quod eſt terreum, ſi eſt in aere, ſtatim ad terram mouetur; ſimiliter quod quieſcit in aere, niſi mutet naturam, nunquam deſcendet ad terram.

In ſumma Auerroes dicit omnia, quæ ex elementis conſtant, aliquem motum habere; ideò concludit mixtum æquale ad pondus eſſe omninò chimericum.

Præterea obſeruatione digna eſt ratio Algazelis dicentis, vt refert in hoc loco Pluſquamcommentator, ſi daretur hoc mixtum æquale ad pondus, non ſolum haberet aliquem motum naturalem, (ſed addit) quod neq; quieſceret; quia in illo nulla eſſet ratio cur magis in aere, quam in terra, vel alio loco quieſceret, quæ Algazelis ratio eſt efficaciſſima.

Secundum Argumentum efficaciſſimum, & eſt Ariſtotelis in principio quarti meteororum, vbi dicit, tunc fieri mixta, quando qualitates efficientes ſuperant patientes; vnde Auerroes 4. meteororum comm. 10. & 2. colliget c. vlt. dixit, nullam actionem poſſe fieri ab æqualibus, ſed ſolum à prædominantibus qualitatibus, quare cum temperamentum exactè æquale non poſſit fieri ab agente in æquali, & omne agens ſit inæquale, mixtum exactè æquale non erit factibile.

Tertium; Auerroes primo lib. phyſic. com. 56. & quinto phyſ. comm. 6. 19. 45. & 52. & 10. metaphyſ. comm. 23. habet hæc verba, impoſſibile eſt, vt in compoſito ſint duę partes ęquales, ſed oportet vnam eſſe dominantem, cui attribuitur forma; ratio verò cur debeat eſſe in omni mixto prædominans, eſt, quia virtute prædominantis continentur alia elementa in mixto. Præterea prædominans imperat operationibus, quæ fiunt; quod verò prædominans in mixto fungatur officio formæ, & contineat alia, patet ex Ariſtotele 2. de anima tex. 39. vbi pro hac re diſputat aduerſus Empedoclem.

Quartum; deſumitur ab Ariſt. 1. de Cęlo tex. 7. vbi dicit, omnia quæ mouentur à prædominante moueri; cum igitur in ſublunaribus omnia moueantur, vel ſint apta moueri, omnia includent in ſe prædominans, & per conſequens æqualitas ad pondus in temperamento non dabitur.

Nos autem credimus illo modo dari temperamentum ęquale ad pondus, quo dicit Galenus 1. de ſanitate tuenda, quod ſolum ictu oculi ſit aptum perdurare, & non in omnibus particulis ſimul, neq; ſecundum omnes qualitates primas, & ſecundas; quia ſingulo temporis momento alteratur corpus viuens ab aere, à cibo, à ſomno, ab excrementis trium coctionum, & ab alijs cauſis.

Præterea temperamentum exquiſitè æquale vel conſideratur ſine aliqua latitudine, ita vt ſit medium tanquam punctum indiuiſibile, quod a Galeno libro de optima corporis conſtitutione c. 3. vocatur ἄτμητον, ideſt inſectile; vel conſideratur cum aliqua latitudine; quo poſito dicimus, illud medium inſectile, & indiuiſibile, quod perdurat ſolum per ictum oculi non dari, vt dicebat Galenus; illud vero medium quod eſt diuiſibile, habetq; latitudinem, dicimus concedi poſſe; negamus tamen illud eſſe æquale ad pondus; immò in illo ſemper adeſt aliqua qualitas prædominans, per quam recedit à puncto illo indiuiſibili.

Inſuper Galenus aduerſus Lycum capite 6. diſputans de calore innato puerorum ait in fine capitis, in temperamento tribus modis poſſe conſiderari æqualitatem, vel quo ad molem, vel quo ad qualitates, vel quo ad vires; Inde dicimus, ſi conſideretur corpus exquiſitè medium quo ad molem, vt ſcilicet in tanta mole ſit terra, in quanta eſt ignis, aer, & aqua, quod mixtum illud eſſet intemperatiſſimum: quia ignis, qui eſt primum actiuorum ſuperaret, & deſtrueret omnia alia elementa; piperis enim granum flatuum magnam molem debellare poteſt; ſi verò conſideretur medium temperamentum reſpectu qualitatis vt verbi gratia igneæ qualitatis adſint quatuor portiones cum alijs quatuor partibus aqueę qualitatis; dicimus tunc aquam pręualere, quia multa aqua ratione ponderis vinceret; vel conſideratur quo ad vires, ita vt vniuerſæ qualitates ſint æquales, & virtute pares, tum quo ad qualita-

tes actiuas, tum paſſiuas primas, & ſecundas:Dicimus ſecundum hanc æqualitatem nullo modo dari poſſe mixtum, quod perduret:niſi cum Galeno dicamus per ictum oculi inueniri poſſe.

His ſuppoſitis tollitur primum argumentum concedendo, quod per inſtans poſſet aliqua particula perſiſtere in illo puncto medio inſectili:corpora enim viuentia ſẽper verſantur in perpetua alteratione:dicit enim Galenus 2. de temperamẽtis c.1. vnam eſſe temperaturã bonam,eamq; eſſe in medio;octo alias verò recedentes ab illa eſſe intemperaturas.

Ad ſecundum reſpondemus dari poſſe medium temperamentum per ictum oculi:cæterum argumentum non concludere in phyſicis; quia negamus, omnia dari poſſe,quę non repugnant,vt dentur: hæc enim eſt potentia logica, quæ non reducitur ad actum: nihil enim repugnat, vt dentur plures ſoles, & lunæ; tamen non dabuntur.

Præterea ſuppoſita perpetua alteratione ſublunarium,non poteſt dari exquiſitè medium ſine latitudine:quinimo neq; medium aliquod intemperatum datur, cum omnia ſint in perpetuo fluxu,de ratione enim fluxus repugnat, vt aliquid permaneat.

Ad tertium: datur menſura, ergo, & menſuratum;Reſpondemus duobus modis huic argumento; primo concedendo per ictum oculi (vt dixit Galenus) dari poſſe mixtum æquale ad pondus. Secundo negando quod detur menſura phyſicè loquendo; datur enim centrum in mundo, quod eſt menſura, tamen centrum eſt punctum indiuiſibile, quod in phyſica non datur; ſic poteſt ictu oculi, vel imaginatione dari mixtum ęquale ad pondus, ſed quod aliquis homo habeat hoc temperamentum, vel poſſit habere, eſt omninò impoſſibile, quia diuiſibile non poteſt ſtare in indiuiſibili.

Ad quartum argumentum deſumptum à ſenſu tactus,qui eſt iudex extremorum; non concludit; quia dum dicunt, inſtrumentum tactus eſſe in medio,tanquam in puncto indiuiſibili,vt iudicet extrema, argumentum eſt vanum;quia non ſolum tactus hominis iudicat extrema, verum etiam ſenſus tactus ſcarabeorum,& cantharidum, quæ animalia ſunt ſicca in exceſſu, & omninò diuerſa ab hominum natura, & quæ quam maximè abſunt ab illo medio, quod eſt inter extrema reſpectu omnium elementorum; ſatis enim eſt,quod inſtrumentum tactus ſit in medio reſpectu illarum rerum, quæ ab eodem ſenſu poſſunt iudicari.Preterea dicimus, illud medium habere quam maximam latitudinem,& in eius medio deinde eſſe punctum indiuiſibile,in quo mixta in nullo temporis breuiſſimo ſpatio poſſunt perſeuerare;ratio eſt, quia mixta omnia ſunt in perpetua alteratione.

Ad quintum reſpondetur valere conſequentiam in contrarijs poſitiuis;idq;colligitur ex Zimara Theoremate 35. ſi datur calidum, datur & frigidum; non valet tamen de priuatiuis,ſcilicet datur finitum,ergo,& infinitum;plenum ergo vacuum, ſic dicimus æquale opponi inæquali priuatiuè. Vel poſſumus reſpondere dari æquale ad pondus imaginatione, ſiue ictu oculi, vt docet Galenus primo de ſanitate tuenda cap.1. & alibi.

Ad ſextum reſpondemus, Galenum per exactè æquale non intelligere punctum indiuiſibile, ſed quod valdè proximum eſt medio illi indiuiſibili.

Medicus enim qui eſt ſenſatus artifex debet ſolum ſenſata,& diuiſibilia,habentiaq; latitudinem conſiderare; immo, & Philoſophus naturalis, qui penitius perſcrutatur rerum naturas nihil conſiderat niſi quod eſt diuiſibile.

Hinc Philoſophus naturalis ſi tractat de puncto,tractat de illo quod apud Geometram eſt diuiſibile ad infinitum; ſimiliter Medicus conſideret prout vult medium quod ſit exactè æquale, ſemper illud erit diuiſibile vſq;ad infinitum,habebitq; latitudinem; & ſuſcipiet magis, & minus, habebitque qualitatem aliquam prędominantem,& tale fortaſſe inueniri poterit in Hippocratis Patria, & de hoc dicimus intelligere Galenum.

QVÆST. XXII.

De numero temperamentorum.

QVidam Antiquorum (vt refert Galenus) primo de temperamentis cap.

cap.2. putabant in animalibus ſolum dari duo temperamenta,& non plura: alterũ calidum,& ſiccum, alterum frigidum,& humidum: negabantque,temperamentũ calidum, & humidum; quia dicebant de ratione caloris eſſe ſiccitatem: caloremq; inſequi ſiccum, vt vmbra corpus: negabant quoq;temperamentum frigidum,& ſiccum; quia quando animal eſt frigidum dicebant illico generari cruditates, quæ ex neceſſitate reddunt temperamentum humidum.

Hæc opinio reijcitur à Gale. 1. de temperamentis c.2. dicente, Antiquos valde errare: quia in pueritia temperamentũ eſt calidum, & humidum: in iuuentute calidum,& ſiccum: quod verò cum calore ſit ſemper iuncta aliqua ſiccitas, non eſt improbandum; ſed non tollitur, quominus humiditas poſſit adeſſe; immo humiditas poteſt eſſe pluſquam mediocris, quamuis temperamenta calida ſint.

Cauſa erroris Antiquorum fuit, quia non cognoſcebant temperamentum mediocre, neque intelligebant,cur mixtum ex quatuor elementis vocetur calidum, frigidum, ſiccum, vel humidum, dicitur enim frigidum, & humidum, ſi frigiditas, & humiditas excedant mediocritatem: non tollitur tamen quominus mixtum frigidiſſimum habeat ſuas portiones calidas,& ſiccas,omne enim mixtum frigidum habet quoq; qualitates calidas, & ſiccas, ſed minoris virtutis, quàm habeat temperamentum mediocre; ſimili modo dicimus dari ſenectutem, quæ eſt ſicca, in qua cruda, & humida redundant.

Accedit quod aliud eſt conſiderare humiditatem ſolidarum partium, & aliud humiditatem humorum; in ſenibus enim humores eſſe humidos in exceſſu;ſolida verò ſicca in exceſſu, nemo philoſophantium eſt qui neſciat.

Idem confirmat Gal.2. de tẽperamentis ſecundo his ferè verbis: ſenes quo ad ſolida ſunt ſicci: quoad humores sũt humidi. Sic ipſi hydropici quoad ſolida sũt ſicciſſimi; quo ad humores humidiſſimi.

Auer.2.collig.c.1.dicebat quatuor tantum dari temperamenta compoſita,ſicuti nõnulli Antiquor. ante Gal. quoq;putabant,nimirum calidum,& ſiccum,calidum, & humidum, frigidum, & humidum, & frigidum, & ſiccum;negabantq; temperamentum mediocre, ſicuti illud videtur Auerroem negaſſe.

Hæc opinio reijcitur à Gale. c.3. eiuſdem libri dicente, quod nec quatuor tẽperamenta propoſita poſſent concedi, niſi mediocre admitteretur: quia mediocre temperamentum eſt regula, vnde ſumitur cœterorum denominatio: dicimus enim temperamentum in hominibus vocari frigidum, quia eſt minus calidum, quam mediocre: vocari calidum,quia eſt magis calidum,quam mediocre;ſimiliter vocari ſiccum,& humidum, quia eſt magis ſiccum, & magis humidum, quam mediocre.

Similiter butirum eſt calidum, & humidum; eſt quoq; ſiccum; ſed dicitur humidum, & non ſiccum, quia humiditas ſuperat mediocre, & non ſiccitas.

Quare,qui deſtruent temperamentum mediocre, quod eſt in medio, deſtruent cætera omnia; qui omnia temperamenta dum calida, vel frigida dicuntur non abſolutè, ſed reſpectu medij, ſeu mediocris talia dicuntur; ecce quam turpiter errauerint Antiqui.

Credimus tamen Auerroem non abſolutè negaſſe temperamentum mediocre;ſed negaſſe temperamentum mediocre punctuale, & indiuiſibile, quod nos quoque reijcimus.

Auerroes 2. colliget cap.1. negat,quatuor ſimplicia temperamenta, ideſt calidum ſolum; ſiccum ſolum, frigidum ſolum, & humidum ſolum. Reijcitur hæc opinio, quæ fuit etiam Antiquorum, à Galeno 1.de temperamentis c.8.hoc modo; nonnè poteſt ſtare ex Antiquorum ſententia calidũ cum humido,& calidum cum ſicco? ergo calidum poterit ſtare ſine humido, & ſicco; patet conſequentia, quia ſi calidum poteſt ſtare cum multa humiditate,poterit quoq; ſtare cum mediocri; addimus nos,ſed ſic eſt,quod mediocris humiditas eſt æqualis, & ab æqualitate non denominatur temperamentum, ergo poterit dari humiditas ſola,caliditas ſola, frigiditas, & ſiccitas ſola; colligas ergo ex Galeno 4. dari temperamenta compoſita,& quatuor ſimplicia, & vnum mediocre quod abſolutè temperatum dicitur.

Dubitatio non videtur, quod intemperamenta ſint ſolum octo, quia præter temperamenta quatuor ſimplicia, & quatuor compoſita, dantur temperamenta, cum materia ſiue affluxu, ergo non octo ſolum erunt intemperamenta.

Reſpondetur ex Gal. 9. methodi, ca. 14. quod morbus non debet diuidi in cauſas; ſed in differentias, materia enim ſiue humorum affluxus ſunt cauſæ efficientes intemperaturarum, vel ſunt effectus intemperaturarum, & non intemperaturę; ſed quia fusè hoc erratum reiecimus 11. methodi noſtræ c. 3. ideo ad illum locum lectorem remittimus.

QVARTI CAPITIS

Particula II.

Salubre verò nunc eſt corpus, quod in præſenti eſt ſanum. Eſt verò, & hoc eo tempore, quo ſanum exiſtit, bonam habens temperaturam, & commenſurationem, non tamen optimam, at ſibi propriam.

IN tex. ſuperiori tradidit diffinitionem corporis ſalubris ſimpliciter; in hoc verò tex. dat definitionem corporis ſalubris, vt nunc, & meritò, quia ſalubre ſimpliciter opponitur ſalubri vt nunc; oppoſita enim iuxta ſepoſita magis eluceſcunt.

Manardus conſiderans hanc definitionem ſalubris vt nunc inquit, totam definitionem conſiſtere in his verbis, videlicet quod in præſenti tempore eſt ſanum, dicitque reliqua verba ſequentia declarare, quomodo dicatur ſalubre, quia corpus ſalubre vt nunc non habet veram ſalubritatem, quæ eſt ab ortu naturæ, quæque ſupponit eucraton temperamentũ, & optimam commenſurationem: duæ.n. conditiones conueniunt ſalubri ſimpliciter, quæ non conueniunt ſalubri nunc, prima quod habeat optimam conſtitutionem; ſecunda quod ſit ab ortu naturæ, & non pro illo tempore, quo eſt ſanũ.

Manardi opinio reijcitur, quia quod in præſenti eſt ſanum nõ exprimit quidditatem corporis ſalubris vt nunc, temperatura enim, & commenſuratio propria eſt illa, quæ exprimit naturam huius ſalubris.

Aliqui putant Gale. in hoc tex. tradere duas definitiones corporis ſalubris vt nunc, primamq; conſiſtere in illis verbis, quod in præſenti tempore eſt ſanum, ſecundam in his ſequentibus; *eſt verò, & hoc eo tempore, quo ſanum exiſtit, bonam habens temperaturam, & commenſurationem, non tamen optimam, ſed ſibi propriam:* dicuntq; per illas duas definitiones declarari duo ſignificata corporis ſalubris vt nunc, quorum primum eſt dum Galenus inquit, *quod in præſenti eſt ſanum,* quod non ſolũ conuenit ſalubri vt nunc, ſed etiam corpori ſalubri ſimpliciter; Secundum ſignificatum quod conuenit ſolùm corpori ſalubri, vt nunc continetur in illis verbis, *bonam habens temperaturã, & commenſurationem, non tamen optimam, ſed ſibi propriam.*

Hæc opinio reijcitur, quia eundem tenorem ſeruat Galen. dum definit inſalubre vt nunc, dicens, *inſalubre vt nunc eſt corpus, quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat, neque obſcurum eſt, quod & hoc ipſum, eo quo dicitur tempore ægrotans, vel malam habet temperaturam in ſimilibus, vel in organicis incommenſurationem, vel vtrumq;* neq; ipſimet dicunt, in hac definitione eſſe duo ſignificata inſalubris; ergo neque in hac definitione corporis ſalubris nunc dicemus eſſe hæc duo ſignificata, vel eſſe duas definitiones ſalubris vt nunc: quare ſupradicta interpretatio erit omninò falſa.

Pluſquamcommentator inquit, dum Galenus definit ſalubre vt nunc, per illa verba, quod in præſenti eſt ſanum, non definire ſalubre, ſed definire particulam vt nunc: ſalubre verò definiri per bonam temperaturam, & commenſurationem.

Quæ opinio eſt approbanda, quia ſicuti ſalubre ſimpliciter eſt aptum ad durandum, & reſiſtendum; ſic ſalubre vt nunc parum eſt aptum ad reſiſtendum, & perſeuerandum; quia eius ſtatus eſt valde lubricus, & hoc corpus nunc eſt ſanũ, nunc eſt ęgrum; facile enim amittit bonam temperaturam, & commenſurationem.

Præterea ſicuti ſalubre ſimpliciter eſt benè tẽperatum, & commenſuratum ab ortu naturæ; ſic ſalubre vt nunc ab ortu naturæ non habet bonã temperaturam, & cõmenſurationem, ſed lubricã, & ineptam

ptam reſiſtentiæ cauſarum procatarcticarum.

Similiter ſicuti temperatura ſalubris ſimpliciter æquè diſtat ab extremis; ſic temperatura ſalubris vt nunc valdè inclinat ad alterum extremorum.

Hinc Galen. lib. de bona corporis habitudine,& lib.de conſtitut.artis,c.10.explicans differentiam inter ſalubre ſimpliciter,& ſalubre vt nunc inquit,ſana corpora vel habere bonum habitum ſimpliciter, qui re vera prædicetur de optima conſtitutione, & optimam conſtitutionē de optima temperatura ſimilarium,& de optima commenſuratione diſſimilariū; vel habere bonum habitum ſanitatis ſecundùm quid; qui habitus non æquè diſtat ab extremis, ſed eſt valdè inclinans, immò proximus extremis vitioſis.

1 Dubitatio ex verbis Galeni ſuboritur: quia Galen. lib. de bona corporis habitudine,& alibi, diuidebat ſalubre in ſimpliciter,& ſecundùm quid;In hoc loco verò diuidit ſalubre in ſimpliciter,& vt nunc; ergo Galenus videtur varius.

Reſponderi ſolet huic inſtantiæ hoc modo,quod illa duo verba ſimpliciter, & vt nunc in hoc loco ſint accommodatiora, quàm ſi dixiſſet ſimpliciter, & ſecundùm quid;quia à Galeno illa particula vt nunc accommodatur non ſolùm ſalubri, ſed inſalubri,& neutri,de quibus omnib. membris ſolùm agit in hoc loco;vbi verò diuiſit ſalubre in ſimpliciter, & ſecundū quid,non egit de omnibus membris.

Quòd verò melius accommodetur particula nunc,quam ſecundùm quid,patet; quia corpus inſalubre ſimpliciter,& neutrum ſimpliciter ſunt in latitudine ſanitatis;inſalubria verò vt nunc,quæ ſcilicet actu ægrotant, ſunt in latitudine ægritudinis, & neutra vt nunc ſunt in latitudine neutralitatis; primò enim eſt latitudo ſanitatis, deinde ſequitur latitudo neutralitatis, quæ mediat inter latitudinem ſanitatis, & ægritudinis, quia poſt latitudinem neutralitatis ſtatim ſequitur latitudo ægritudinis. Colligas igitur particulam vt nunc melius explicare, & accommodari omnibus latitudinibus, quā particula ſecundùm quid, quæ re vera non ita facilè poteſt applicari latitudini neutrius, vt particula nunc.

2 Dubitatio hic oritur, an ſalubre vt nunc poſſit diu eſſe ſanum, quod non videtur; quia particula (nunc) eſt temporis præſentis, & non futuri.

Pluſquamcommentator cenſet, ſanitatem corporis ſalubris vt nunc nec ſemper,nec multum eſſe duraturam.

Manard.cenſet contra Pluſquamcommentatorem,quòd ſalubre vt nunc poſſit perſeuerare diu,& vſq; ad mortem,& rectè ſentit;quia ſicut per ſalubre ſimpliciter,ſemper intelligitur ſalubre in ſumma perfectione, quia diapandos ſignificat omninò,& exactè,ſeu perfectè tale,ideſt ſecundū omnes corporis partes: ſalubre nunc ſignificat contrarium, ideſt ſalubre mendoſum cum exigua reſiſtendi potentia. Hæc tamen corpora, quæ ſunt ſalubria vt nunc,quæ inter ſalubria ſunt infimi gradus,poſſunt toto vitæ tempore ope medicinæ ſana conſeruari;& tale corpus videtur Galen.habuiſſe, vt ipſemet de ſeipſo 5.de tuenda valetud.c.1. fatetur.

QVÆST. III.

An ſalubre Nunc, ſit à generatione tale.

IN hoc loco tractatur illa famoſa quæſtio an ſalubre nūc ſit tale ab ortu natura,ideſt an habitus nō bonus habeat originem ab vtero, ideſt à ſemine parentum,vel ab erratis externis, quia ſi eſt ab vtero medemur vno modo; ſi ab erratis externis alio longè diuerſo; qui hæc non diſtinguunt mederi minimè valent.

Moderni,vt Manardus,& Saluus Sclanus dicunt,ſalubre nunc non eſſe à generatione tale.

Prima ratio talis eſt; quæ ſunt omninò contraria,non poſſunt in idem coincidere; ſed ſalubre nunc, & ſalubre à generatione ſunt omninò contraria; ergo ſalubre nunc non erit à generatione tale.

Secunda ratio; Galenus in definitione ſalubris nunc non appoſuit dictionem ab ortu naturæ;ergo neque nos debemus illam apponere.

Tertia ratio;dantur aliqua corpora ſaluberrima, quæ non ſunt talia à generatione;ergo tanto minus ſalubre nunc erit à generatione. Probatur antecedens; quia nonnulli infantes ſaluberrimi interdum naſcuntur ano, & meatu vrinario

rio imperuio; qui ſtatim ex neceſſitate interiret, niſi prudens chirurgus efficeret foramina: quibus factis, inde conſeruantur diutiſſimè in ſaluberrimo ſtatu. Neque, vt obiter animaduertamus, permittendi ſunt iſti infantes obſtetricibus, quæ dum vident anum imperuium, ſtatim cum falſo foramen faciunt: ſi bona fortuna inueniant cauitatem inteſtini, ſanant, ſi minus, interimunt: cura eſt incidere ſolum cutim, & cum ſtillo inuenire naturalem meatum.

Ex alia parte Pluſquamcommentator, & inter antiquos Hieremias, inter modernos Altimarus, & nos putamus, quod ſalubre nunc ſit à generatione tale, ſicuti eſt ſalubre ſimpliciter.

Prima ratio noſtra talis eſt, quod habet ſanitatem ſibi propriam eſt à generatione tale: ſed ſalubre nunc eſt huiuſmodi ex Galeni tex. ergo.

Secunda ratio: quod eſt alicui proprium eſt per ſe: quod eſt per ſe tale eſt de omni, quod eſt de omni eſt in omnibus, & ſemper, & quod eſt ſemper eſt à generatione: ergo ſalubre nunc erit à generatione tale.

Tertia ratio, quæ proponitur ab Altimaro hæc eſt: ex Galen. 5. de tuend. ſanit. cap. 2. habetur, quòd omnis ſanitas imperfecta recedat ab optima ob tres cauſas; nempè vel quia corpus in prima generatione ſibi comparauerit habitum non bonum: vel quia ob ætatis mutationem inciderit in ſtatum vitioſum, vel ob cauſam aſcititiam.

Addit Altimarus, ſed ſic eſt, quod ſalubre nunc non eſt tale ob mutationem ætatis, quia malum, quod fit ob mutationem ætatis eſt commune omnibus corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris; neq; eſt tale ob aſcititiam cauſam, quia corpora recedentia ab optimo ſtatu ob cauſam accidentalem, & externam, vel ſunt ægra, vel neutra vt nunc primi, vel ſecundi ſignificati: primi ſunt corpora caſura, quæ ex omnium conſenſu ſunt neutra nunc: Secundi verò ſignificati ſunt conualeſcentes; ergo ſanitas imperfecta, quæ eſt in ſalubri nunc, erit acquiſita in vtero, & erit à generatione.

Ad primum argumentum aduerſariorum negamus ſalubre nunc eſſe contrarium ſalubri à generatione. Sed dicimus ſalubre à generatione eſſe contrarium inſalubri à generatione.

Primò patet, quia huic propoſitioni, poſſibile eſt eſſe non aduerſatur hæc: poſſibile eſt non eſſe: Sed hæc eſt illa, quę aduerſatur: impoſſibile eſt non eſſe: ſic poteſt eſſe ſanum ſemper ſiue à generatione, non aduerſatur hæc: poteſt eſſe ſanum non ſemper, ſed iſta aduerſatur: non poteſt eſſe ſanum: ſic ſalubre à generatione non erit contrarium ſalubri nunc, ſed ſalubre à generatione erit contrarium inſalubri à generatione. Preterea ſi ſalubre nunc eſſet contrarium ſalubri à generatione: ergo ſalubri à generatione duo erunt contraria, nempè ſalubre nunc, & inſalubre à generatione: Ecce quod per eius argumentum deſtrueretur hoc principium, quod vnũ vni ſit contrarium, quo Galenus ipſam methodum, & Ariſtoteles quintam eſſentiam adinuenit.

Ad ſecundam rationem dum dicebant Galenum non appoſuiſſe ſalubri nunc illam dictionem à generatione.

Primò reſpondemus, quia ſalubre nunc poteſt confundi non neutro ſimpliciter, & inſalubri ſimpliciter, quia Galen. lib. de diff. morb. tertiò habet hæc verba: corpora, quæ non ſunt boni habitus, ſunt inſalubria ſimpliciter, vel neutra ſimpliciter, ſed ſic eſt, quòd ambo ſunt talia à generatione. Addimus, quod ſalubre nunc non eſt boni habitus. Deindè Galenus non eſt ſolitus addere, quæ ſubintelliguntur: ſic dum definit neutrum ſimpliciter tertij ſignificati non dicit eſſe à generatione: tamen nemo negat eſſe à generatione.

Ad tertium reſpondemus; ſi poſt factum foramen in ano perſeuerat corpus in vitæ curſu bene ſanum: dicimus illud quoque eſſe ſalubre à generatione, non vt ſemper, ſed vt multum: quia inſalubri ſemper nulli defectus contingunt.

Addimus illam potentiam, qua corpus perſeuerat ſanum toto vitæ curſu non pendere ab ani foramine ab obſtetrice facto, vel ab alio, ſed à ſaluberrima temperatura in prima generatione acquiſita.

QVAR-

QVARTI CAPITIS Particula III.

Ipſius verò ſalubris ſimpliciter corporis, tale quidem eſt ſemper, id quod eſt optima temperantia præditum, ac maximè eſt commenſuratum.

QVia ſuperiùs diuidebatur à Galeno ſalubre ſimpliciter in omninò, & vt multum: in hoc tex. vult declarare, quid ſit ſalubre ſimpliciter omninò.

In ſequenti verò declarabit quid ſit ſalubre magna ex parte, quod dicitur epitopoly.

Salubre, quod dicitur omninò, vel ſemper in græco codice legitur διαπαντὸς, quod ſignificat omninò; ſalubre igitur diapandos ſignificat ſalubre omninò tale, vel exquiſitè tale, ideſt ſecundùm omnes partes, quod indicat optimum ſalubritatis genus: ſalubre verò epitopoly, id eſt vt multum, ſignificat ſalubre, quod aliquantulum recedit à ſalubri diapandos; itavt ſalubre vt multum, vel magna ex parte, per vnicum circiter gradum diſtet à ſalubri perfectiſſimo, quod dicitur ſalubre omninò vel ſemper.

Quòd verò ſecundùm maiorem, & minorem perfectionem differant ſalubre ſemper, & ſalubre vt multum, patet primò ex verbis Galeni, qui definiens ſalubre ſemper definit per verba ſuperlatiua, ideſt per τὸ εὐκρατώτατον, quod verbum ſignificat temperatiſſimum; & per συμμετρότατον, quod ſignificat commenſuratiſſimum, quamvis Leonicenus non malè ſit interpretatus optimè temperatum, & optimè commenſuratum: dicit Galen. τὸ εὐκρατώτατον cum articulo τὸ, quod ſignificat vltimum terminum ſalubritatis, quem aſcendi non poteſt: ſic Ariſtot. 1. cæli tex. 100. vocant Deum τὸ πρῶτον, & τὸ ἀκρότατον, ideſt ita primum, ſupra quem non detur alius primus: ſine articulo verò vltimum terminum non explicamus.

Similiter Galenus definiens ſalubre vt multum, vt infra patebit, dicit, ſalubre vt multum ab optima conſtitutione non valdè deficere.

Præterea Galen. lib. ad Thraſyb. c. 5. diuidens ſanitatem, quæ eſt in bono habitu ait, ſanitatem in bono habitu aliam eſſe in ſummè bono habitu, & aliam non in ſummè bono habitu: quare ſalubre vt ſemper vel eſt in ſummè bono habitu, vel eſt potentia perfectiſſima ſalubritatis: ſalubre verò vt multum non erit in ſummè bono habitu, neque erit illa perfectiſſima ſalubritas, ab optima tamen non valdè deficiens: colligere itaque poſſumus, Galenum per epitopoly, & diapandos non intelligere temporis differentias, ſed gradus perfectionis.

Diuiditur ſalubre ſimpliciter in ſalubre ſemper, & vt multum, quæ diuiſio non eſt vniuoca; quia ſalubre ſemper, & vt multum differunt ſpecie, & natura inter ſe, & de his non æqua eſt prædicatio; diuiſio igitur eſt ab vno; quia ſalubre ſimpliciter per prius dicitur de ſalubri ſimpliciter ſemper, vt de perfectiori; deindè de ſalubri vt multum, quod eſt imperfectius: aſſimilatur hæc diuiſio demonſtrationi ſimpliciter, quæ in potiſſimam, & propter quid diuiditur: demonſtratio .n. ſimpliciter per prius dicitur de potiſſima, & per poſterius de propter quid tantùm.

1 Dubitatio in hoc loco proponitur, an ſalubre ſimpliciter ſemper poſſit eſſe ſalubre vt nunc: Nonnulli, vt refert Pluſquamcommentator, dicunt, quod ſalubre ſemper ſit etiam ſalubre nunc, hac ratione moti: quià quod ſe extendit ad omne tempus, ſe extendet etiam ad hoc tempus: inferunt, ergo ſalubre ſimpliciter ſemper eſſe etiam ſalubre vt nunc.

Pluſquamcommentator reijcit Argumentum iſtorum, & inquit, quod ſalubre ſemper non poteſt eſſe ſalubre vt nunc, quia illud ſalubre nunc debet intelligi cum conditione excluſiua: itavt ſic reflectat argumentum: ſi ſalubre ſemper ſe extendet ad omne tempus, ergo non ſe extendet ad nunc tantùm: quare ſalubre ſimpliciter ſemper non poterit eſſe ſalubre vt nunc, addendo illud tantùm, quod re vera excludit perpetuitatem.

Manardus reijcit Pluſquamcommentatorem, & parui facit argumentum propoſitum; quia per ſalubre ſimpliciter ſemper, ſeu per diapandos, vt diximus ſuperiùs, debet intelligi ſalubre temperatiſſimum, & commenſuratiſſimum, & ne-

quaquam differentia temporis: ſimiliter per ſalubre vt nunc intelligi debet, vt dicit Manard. ſalubritas diminuta, & imperfecta, ſed non quod modò ſit ſanum, modò ægrum: immo poteſt eſſe, quod inueniatur corpus ſalubre vt nunc, quod tali cuſtodia à morbis præſeruetur, vt ſine ægritudine vſque ad finem vitæ peruenire poſſit, quamuis eius vita non poſſit eſſe admodum longæua, de his tamen corporibus Galenus lib. de tuenda valetudine protulit hanc ſententiam. Si Eſculap. illis præeſſet non peruenirent tamen ad annum 60.

2 Dubitatio hic proponitur, an corpus ſalubre ſemper quod dicitur diapandos ſi vulneraretur poſſet adhuc dici ſalubre ſimpliciter ſemper.

Manardus reſpondet corpus ſalubre diapandos non ſolùm poſſe ægrotare; verum etiam toto vitæ ſuæ curriculo poſſe aliqua mala ægritudine angi, cauſata tamen ab externa aliqua cauſa violenta, quia putat hoc verbum ſalubre non indicare actum ſanitatis, ſed ſolam aptitudinem, & potentiam naturalem, ideò dicit quamuis ſemper ægrotaret non propterea ſuam naturam à prima generatione comparatam amittere, putat enim quòd ſanitas actualis non neceſſariò requiratur in definitione corporis ſalubris ſimpliciter ſemper.

Quæ opinio re vera nõ eſt omnino improbanda, quia de ratione ſalubris eſt aptitudo, & potentia, & non actus: ſicuti de ratione riſibilis eſt aptitudo, & potentia hominis ad ridendum, & non actus ridendi, actus enim eſt ſeparabile accidens aptitudinis.

Non probatur omninò Manardi opinio, dum inquit, quamuis ſaluberrimum ob violentam aliquam cauſam externam toto vitæ ſuæ tempore ægrotaret, non propterea naturam ab ortu, & prima generatione ſibi comparatam mutare: quia eſſet cõſtituere ſalubritatem impaſſibilẽ, quod quidẽ repugnat Philoſophiæ naturali; quæ nos docet corpora mixta ſemper eſſe obnoxia alterationibus, & corruptionibus, quare nos dicimus ſaluberrimum corpus, quamuis ab ortu naturæ tale ſit, poſſe tamẽ contrarijs externis reddi ſalubre vt multũ, quod eſt inferioris gradus.

Saluus Sclanus cenſet, quòd corpus ſalubre ſimpliciter ſemper ſit non ſolũ potentia ſanum; verum etiam ſit actu perfectiſſimè ſanum: itavt quando corpus ægrotat non amplius debeat vocari ſalubre ſimpliciter ſemper: confirmat ex Galeno li. ad Thraſyb. c. 8. vbi Galen. exponit ſalubre per actum ſanitatis, quamuis in hoc loco non per actum ſanitatis, ſed per potentiam declarauerit ſalubre.

Quæ opinio non accipitur: quia re vera ſanitas non neceſſariò, & ſemper iungitur cum ſalubri corpore; quod quidem probatur iiſdem principijs, quibus vtitur Sclanus, qui cenſet cum Boetio, & rectè in prædicamento qualitatis, ſalubre indicare potentiam reſiſtendi cauſis præter naturam.

Age nonnè corpus ſaluberrimũ ſi parum vulneretur poteſt admodum reſiſtere vulneri? nonnè ſuo vigore breuiſſimè poteſt de medio tollere ſolutã vnitatem? ergo ſalubre corpus ſimpliciter ſemper, quando etiã vulnerabitur dicetur: ex ipſo Sclano ſalubre ſimpliciter ſemper; quando verò inquit eum Gal. lib. ad Thraſyb. ſalubre indicare etiã actum ſanitatis, nos hoc non negamus, ſed dicimus hoc ſalubre dupliciter conſiderari, vel vt habet reſpectum ad fruendam ſanitatem; vel vt eſt aptitudo; vel dicimus conſiderari ſalubre, vel quo ad actum primum, vel ſecundum; quo ſuppoſito dicimus Galen. lib. ad Thraſyb. c. 7. quando expoſuit ſalubre per actum ſanitatis, & non per potentiã, conſideraſſe ſalubre quo ad actum primum, qui ſolus eſſentiam ſalubris declarat.

Quod verò poſſit exponi ſalubre per potentiam, ipſe Sclanus fatetur; quare ſi Galenus expoſuit per actum tantum, per Sclanum coacti dicemus vel Galenum fuiſſe diminutum, vel non conſideraſſe in illo loco ſalubre quo ad actum primum; eadem diſtinctione tolluntur aliæ inſtantiæ, quibus probat ex Galeno ſalubre dicere actum.

Demum quod ſalubre diapandos actu ægrotet, & adhuc ſit ſalubre, patet exẽplo potentiarum naturalium omnium, ſic .n. dicimus riſibile hominem eſſe non ſolùm quando ridet; verùm etiam quando plorat; idem dicimus de ſalubri quando ægrotat, niſi amiſſa ſit reſiſtendi potentia.

Nos

Nos verò in hac re amplectimur Manardi opinionem, quod ſalubre ſimpliciter ſemper dicat potentiam,&non actum non tamen illi concedimus,corpus,quod toto vitæ curſu occaſione externæ noxæ ægrotat, dici poſſe ſalubre ſimpliciter; quia credimus in tantum ſalubre ſuam naturam conſeruare, in quãtum conſeruat potentiam, quæ reſiſtit cauſis morboſis: quando verò ægrotat ægritudine ita inſigni,vt amittat potentiam reſiſtendi; tunc dicimus eſſe amiſſam naturam ſaluberrimi corporis, eſſeque acquiſitam naturam imperfectiorem,qualis cõuenire poteſt ſalubri ſimpliciter ut multum, vel alijs corporibus peioris conditionis.

Eſt enim aſſertio ridicula,quod ſalubre ſimpliciter ſemper vocetur ſaluberrimũ poſt maxima vulnera ei inflicta, & poſt innumeras ægritudines cauſatas à violentia extrinſeca; poſt luem gallicã, quæ potuerint omnia viſcera ita debellare, vt ille miſer careat virtute digerendi cibum tenuem,vel ſi ſemel in hebdomada exerceat coitum, vix poſſit reſarciri.

Hinc Gal. ſecundo de ſanitate tuenda ſeptimo, inquit, malos mores naturam peroptimam corrumpere: quomodo igitur ſalubre diapandos erit tale vſque ad mortem, vt dicit Manardus?

Inſuper cap.5. 6.libri citati ait Gal. aliquos aſſiduè ægrotare non ob proprium corporis ſtatum, ſed ob peſſimam victus rationem; Ariſtot. verò in prædicamento qualitatis docet, ſalubre dicere potentiã non faciliter patiendi à cauſis externis: ponamus igitur,quod hoc ſalubre vulneretur, vel diutiſſimè locum cænoſum inhabitet, ſine dubio amittet exactam ſalubritatem,& potentiam reſiſtendi,& tandem cedet externis cauſis: quia hæc potentia reſiſtendi non eſt infinita, ſed poteſt diminui, & tandem deſtrui, ſed antequã deſtruatur tranſit per gradus, quia dum incipit potentia iſtius corporis diminui,corpus prius fit ſalubre epitopoly, & ab hoc gradu tranſit ad ſalubre vt nunc, niſi tamen aliqua cauſa extrinſeca valida derepentè opprimat,& ſumma cum violentia deſtruat eius vires:quia tunc natura ordinatè non procedit.

3 Dubitatio oritur ex hoc tex.an corpus ſalubre ſimpliciter ſemper ſit illud,quod eſt in medio punctuali ſine latitudine; quo dicitur temperamentum æquale ad pondus vel potius per ſalubre ſimpliciter ſemper intelligatur medium illud temperatiſſimum, quod habet latitudinem, & quod ad ſenſum apparet.

Argenterius putat, hoc ſalubre ſimpliciter ſemper eſſe illud punctuale ſine latitudine, quod dicitur æquale ad pondus.

Decipitur Argenterius, quia ſatis eſt, ut corpus ſimpliciter ſalubre ſemper ſit tale quo ad ſenſum, & iudicium Artificis, & quamuis à puncto medio recedat, dummodo nec ſenſus, nec ratio illud animaduertit,dicimus adhuc vocandum eſſe ſalubre ſimpliciter ſemper: qui autem hoc negat, debet ex neceſſitate admittere dogma perpetuæ paſſionis, quod eſt incognoſcibile,& quod ad medicum,qui eſt ſenſatus artifex,non pertinet.

Præterea Gal.1. de ſanitate tuenda ca. 5.ait,ſi quæremus corporis exquiſitiſſimi temperamenti conſeruationem,irrita eſſet noſtra tractatio: quia vel non reperitur,vel eſt tale, vt ictu oculi tantum perduret.

Poſtremo Gal.in hoc lib.tract.de ſignis corporis ſimpliciter ſalubris ſemper,& de cauſis illud conſeruantibus: ergo per exquiſitè ſalubre non intelligit punctuale, ſed medium temperamentum habens latitudinem cognoſcibilem, quare Argenterius excuſari non poteſt.

QVARTI CAPITIS

Particula IV.

Vt multum autem quod à conſtitutione optima non valdè admodum deficit.

IN particula ſuperiori tradidit definitionẽ ſalubris ſimpliciter ſemper:in hac par.definit ſalubre ſimpliciter vt multum.

Primus gradus peroptimæ ſalubritatis eſt corpus ſimpliciter ſalubre ſemper, & hęc corporis ſalubritas non eſt in puncto vt probauimus contra Argent. ſed habet latitudinẽ.Secundus gradus optimæ ſalubritatis cõuenit corpori ſalubri vt multũ.

1 Dubitatio ſtatim oritur, quia non vi-

videtur quod ſalubre ſimpliciter vt multum diſtinguatur à ſalubri ſẽper, quia ſalubre vt multum non cognoſcitur per sẽſum, an recedat à ſalubri ſemper: quod verò iſte receſſus ſalubris multum à ſalubri ſemper non dignoſcatur per ſenſum, nos docet Gal. cap. 8. par. 5. vbi habet hæc verba: *ſenſu non coprehenditur, quæ ab optima conſtitutione breue aliquid deficiũt:* medicus qui eſt ſenſatus Artifex non debet admittere differentias, quæ per inſenſibilia inter ſe differunt, niſi vellet etiã dogma perpetuæ paſſionis admittere.

Reſpondet Galenus dubitationi, quod per rationem deſumptam à ſenſu ipſo dignoſcimus differentiam inter ſemper, & ſalubre vt multũ, habet enim cap. 8. par. 5. hæc ferè verba: ſalubre ſemper, & ut multum diſtinguuntur per maiorem, & minorem reſiſtẽtiam factam illis cauſis, quæ pariunt ægritudines: ſalubre igitur ſemper quã maximè reſiſtit, ſalubre verò ut multum aliquantulum minus reſiſtit.

2 Dubitatio quoque oritur, quia Galenus inquit loco citato per ſenſum non diſtingui ſalubre ſemper à ſalubri vt multum, quod videtur reluctari experientię; quia per ſenſum dignoſcimus dum fit maior, vel minor reſiſtentia, ergo male Galenus.

Reſpondemus per ſenſum nos nõ poſſe dignoſcere, an vnum corpus magis, quam alterum reſiſtat; ſed per rationẽ, & diſcurſum, exempli cauſa corpus ſalubre vt multum poſt coitus vſum labitur in febrem, corpus verò ſalubre vt nunc poſt vſum coitus non tamen febricitat: non valet, ergo magis reſiſtit ſalubre ut nũc, quàm ſalubre ut multum, poteſt enim contingere, quod in ſalubri ut multum præceſſerint errata in omnibus rebus nõ naturalibus, adeo ſæua, vt hoc corporis genus peiorem ſubierit conditionem, quam ſalubre nunc, quare non per ſenſũ comprehendemus corporum ſalubrium differentias; ſed per rationem, & diſcurſum, ſeu examen quod faciemus in hoc lib. de internis viſcerum diſpoſitionibus inditis à cauſis non naturalibus.

Addimus ex Gal. cap. 8. huius libri corpus ſalubre ſemper diſtingui à ſalubre ut multum per operationes, per operationes intelligit reſiſtentiam omnium actionum animalium, vitalium, & naturalium omnium partium.

Operationes noſtræ ſunt 22. uidelicet generatrix, nutrix, auctrix, quatuor naturales, concupiſcibilis, iraſcibilis; Quinque ſenſus, motus, ſenſus cõmunis, imaginatio, memoria, intellectus agẽs, intellectus poſſibilis, voluntas, & electio: igitur omnes iſtæ operationes ſi ſint validæ corpus eſt ſaluberrimum, dicemus omnes operationes comprehendendo naturales particulares ſingularum partium; quia interdum iuuenes, qui videntur robuſtiſſimi ob aliquod erratum incident in malignas febres, & moriuntur: Cauſa eſt, quia aliqua particula robore deſtituta in gangrænam faceſſit, ſicut euenit iuueni cuidam, qui uidebatur robuſtiſſimus, qui de repente in malignam, & lethalem febrem incidit; cadauere cuius aperto inuenta eſt gangræna in ueſica fellea. Ante obitum nemo poterat præuidere, licèt multo ante quoddam icteritiæ ueſtigium in eius facie appareret.

3 Dubitatio ex uerbis Galeni oritur; quia dum dicit, ſalubre ut multum non ualdè admodum deficere ab optima cõſtitutione uidetur ſentire, quod idem ſit optima conſtitutio, & ſalubritas ſimpliciter ſemper, hoc patet, quia loquẽs in hoc libro de ſignis corporis ſalubris ſimpliciter ſemper tradit ſigna optimæ conſtitutionis; ſimiliter loquens in tertia parte huius libri de cauſis docet, quomodo corpus ſalubre, quod dicitur ſemper, conſeruetur, quod eſt corpus optimè conſtitutum, ergo corpus ſalubre ſemper, & corpus bene conſtitutum; vnum, & idem ſunt. Ex altera parte ſuperius concluſum eſt, aliquod corpus ægrotare poſſe, & ſimul eſſe ſalubre ſemper, uel bene conſtitutum, quomodo igitur optima conſtitutio erit de ratione ſanitatis, & mala conſtitutio de ratione morbi?

Reſponderi poteſt huic difficultati, quod temperamentum ſeu cõſtitutio duplex ſit, altera originalis, quę à prima generatione eſt implantata, quæ a Galeno, & Hipp. dicitur totum eſſe rei; altera verò conſtitutio eſt aduentitia ſeu acquiſibilis ab vſu ſex. rerum non naturalium.

De originali, & implantata tẽperatura loquens Gal. 1. de V. P. c. 9. ait eſſe partis

tis ſubſtantiam, dicitque quod nihil aliud ſit carnis eſſe,quam temperamẽtum carnis; eſſe oſſis,quam eius temperamentũ: 1. method. cap.6. inquit vnam partem in tantum differre ab alia,in quantum temperamentum vnius differt à temperamento alterius, & 3. de temperamentis cap.4. ait temperamentum eſſe idem cũ tota ſubſtantia, & natura, naturamq; ex Galen.1. aphoriſmorum com. 15. idem eſſe cum calido innato.

Temperamentũ verò, ſeu conſtitutionem aduentitiam eſſe qualitatem prędominantem,quæ alteratur ab extrinſecis.

Similiter ait commenſurationem partium, quatenus eſt conſtitutio,duplicem eſſe,originalem ſcilicet,& aduentitiam: originalem longè difficilius mutari, quam aduentitiam.

Hinc rectè Fernelius inquit, mutari temperamentum ab extrinſecis cauſis quo ad partes ſanguineas,& carnoſas, in quas aduentitium temperamentum facilè introducitur, non tamen quo ad ſeminales,& ſpermaticas,in quibus fundatur ſubſtantia calidi innati, & originalis conſtitutio.

Poſita hac diſtinctione concedimus; corpus ſalubre ſimpliciter ſemper idem eſſe cum optima conſtitutione;dum verò dictum eſt, quod corpus poſſit eſſe ſalubre ſemper uel optime conſtitutum, & ſimul morbo conflictari.

Reſpondemus eſſe intelligendum de conſtitutione primigenia, quæ ex ſemine,& menſtruo facta ſit,quæque difficillimè mutari poſſit, quæ demum poteſt eſſe bona, & ſimul affici illo morborum genere, quod introducitur in partes carnoſas, & ſanguineas ab aliquo errore commiſſo in ſex rebus non naturalibus.

4 Dubitatio ex dictis oritur, quia ſi dabitur originale temperamentum, uel conſtitutio originalis perdurans ad mortem vſque, dabitur quoque corpus ſalubre ſimpliciter cum perpetua ægritudine, quod poterit uocari ſalubre ſemper: erit igitur uera opinio Manardi à nobis reiecta,quod ſalubre ſimpliciter ſemper, quamuis ad mortem vſque perſeueret in ægritudine,dici poſſit ſalubre ſemper.

Reſpondemus,conſtitutionem corporis ſalubris duplicem eſſe, aliam originalem, quæ dicitur à Galeno ſubſtantia, & totum eſſe rei,forma,& natura ipſa, quæ prædicatur de corpore ſalubri in primo modo dicendi per ſe, in quo collocantur prædicata,quæ ſunt actus ipſi ſubſtantiales,& non aptitudines,ſiue potentiæ.

Aliam eſſe cõſtitutionem corporis ſalubris ſemper,quæ nõ eſt actus,& forma ſed potentia, quæ de corpore prædicatur in ſecundo modo dicendi per ſe, quæque eſt qualitas,& ſuſcipit magis,& minus.

Hac poſita diſtinctione, fatemur originalem conſtitutionẽ perſeuerare poſſe cum ægritudine ad mortem vſque, quia eſt ipſa rei forma,ſalubritatem uerò,quæ dicit potentiam reſiſtendi,ut ex Ariſtotele, & Galeno probauimus, in tantum dicimus, perſeuerare poſſe cũ ægritudine, in quantum eius reſiſtendi potentia conſeruatur,quæ dum amittitur,dicimus,ſalubritatem amitti: conſtitutionem uerò illam primigeniam, quæ dicit actum, & formam, & non potentiam, quæque eſt in prædicamento ſubſtantiæ,& non qualitatis,dicimus nunquam amitti,niſi animalia decedant è uiuis.

Hinc dicimus,erraſſe Manardum, qui ſtatuit ſimpliciter ſalubre, quod eſt tale à prima generatione, ſumptum pro potentia perſeuerare poſſe cum ægritudine uſque ad interitum: hoc enim eſt omninò falſum,quia non potentiæ,ſed formæ,& ſubſtantiæ calidi innati in partibus ſpermaticis à primo ortu complantati conuenit,vt non ſuſcipiat magis,& minus,poſſitque æquè eſſe talis cum ægritudine, ac ſanitate.

5 Dubitatio alia conſurgit, quia ſi partes ſpermaticæ, quo ad calidi natiui ſubſtantiam non redderentur intemperatæ, ſequeretur, quod febris non eſſet intemperies omnium ſolidarum partium.

Reſpõdetur febrem addere aſcititiam alterationem partibus ſolidioribus, non mutare tamen naturam,& conſtitutionẽ primigeniã:ſignum quod originale temperamẽtum non mutetur eſt, quia febre abolita, tunc idem temperamentum originale iterum ad priſtinũ ſtatũ reuertitur, ſicuti reuertitur aqua calida à ſuo interno principio ad priſtinã frigiditatem. Hinc vſus ſex rerũ non naturalium, qui non deſtruit uiuẽs,poteſt mutare naturã.

Hinc

Hinc conſuetudo, quãuis vetuſta, & antiqua non habet tantam uim, ut naturæ conuerſionem efficiat: Hinc Galenus lib. de aſſuetudine cap. 2. dicit, quæ longa cõſuetudine comparantur, vim ferè proprietatis naturalis contrahere, dicit ferè; contrahere, & non abſolutè.

Similiter Ariſt. lib. de memoria, & remin. cap. 3. inquit, conſuetudinem eſſe tamquam naturam: ecce quod non dicit, eſſe naturam; ſimiliter 2. ethicorum in principio dicit, affectus eſſe duum generum, aliquos naturales, qui educuntur κατ' ἀνάγκην, ideſt ſecũdum neceſſitatem, veluti dũ lapis deſcendit deorſum; ibi enim dicit Ariſtoteles, ſi millies proijceres lapidem ſurſum, non aſſueſcerét huic motioni; alios verò eſſe affectus per conſuetudinem, qui remouentur; ecce quod naturales ad mortem vſque perſeuerant: lapis enim donec eſt lapis ſemper deorſum tendet: ſic dicimus de originali temperamento, ſeu originali conſtitutione ſumpta pro actu primo perſeuerare talem vſque ad mortem.

QVARTI CAPITIS
Particula I.

Tex. 16. *Inſalubre verò ſimpliciter eſt corpus quod ab ipſo natura ortu, vel in conſimilibus partibus malam habet temperaturam, vel in organicis incommenſurationem, vel vtrunque vitium.*

TRadidit Galenus ſuperius definitiones corporum ſalubriũ vt ſemper, vt nunc, & vt multum in hoc capite dat definitiones corporum inſalubrium, quæ corpora tria quoque ſunt, ſcilicet corpus inſalubre ſimpliciter ſemper, inſalubre vt nunc, & inſalubre ſimpliciter vt multũ: ſunt tria, quia oppoſitorum oppoſitæ tot ſunt differétię; verum quia inſalubre ſimpliciter eſt vt genus inſalubris ſemper, & vt multum dat quatuor definitiones.

Diuidit corpus inſalubre in triplicem differentiam: aliud dicit eſſe quod ab ipſo ortu naturæ malam habet ſimilarium partium temperaturam, aliud non malam temperaturam, ſed organicarum partium malam commenſurationem; aliud verò inſalubre, quod eſt omnium inſalubrium peſſimum, dicit, eſſe illud quod, & malam temperaturam in ſimilaribus, & malam conformationem in organicis acquiſiuit.

Gal. cenſet inſalubritatem conſiſtere in ſimilaribus intẽperatis, & in diſſimilaribus incommẽſuratis, vel in vtriſque vitiatis, reprehenditque lib. de tremore, & palpitatione cap. 6. Aſclepiadẽ, qui putabat, intemperantias in meatuum magnitudinibus conſiſtere, neque admittebat, febres eſſe intemperantias, dicebat enim eſſe incommenſurationes.

Statuamus igitur cum Gal. octo eſse intemperantias, quatuor ſimplices, ſcilicet calidam, frigidam, humidam ſiccam, & quatuor compoſitas, calidam ſiccam, calidam humidam, frigidam humidam, & frigidam ſiccam: & vnicam eſse temperaturam exactè æqualem, quæ tamen eſt cum aliqua latitudine; quia illa quæ conſiſtit in puncto non datur, & quando ictu oculi daretur, non pertineret ad medicum, qui ſenſibilia, & non inſenſibilia contemplatur, Nouem igitur erunt complexiones, octo erunt intemperatæ, & vnica temperata, quæ reſpectu extremorum eſt in medio.

Hinc errant nonnulli, dũ præter octo intẽperaturas diuidũt adhuc in alias vt in intemperiem bilioſam, pituitoſam, & melancholicã, quod eſt vitium à Gal. exploſum nono methodi capite 14. vbi dicit morbos non eſse diuidendos in cauſas: cauſæ enim à morbis genere differũt, nec tranſitus de genere in genus conceditur: humores verò genere differũt ab effectibus ſimilarium, vel diſſimilariũ: hæc ſunt verba Galeni loco citato, *affectus verò haudquaquam deduci eſt aptus in cauſas, ſed in differentias*: nam aut in ſimilaribus conſiſtit partibus, aut in organicis.

Præterea Gal. primo de locis affectis tranſitum hunc à cauſa ad affectum reprehendens, vocat foritem, qui modus procedendi eſt vitioſus; eius vitium notatur ab Ariſtotele ſecundo poſt. tex. 19. vbi docet, quod quid eſt non poſſe inueniri, niſi facta diuiſione in codẽ genere: quare vaniſſimẽ procedunt, qui diuidunt intemperaturas in bilioſam, melancholicã, & pituitoſam; Dicẽdum igitur cum Galeno

leno octo eſſe intemperaturas, & quamlibet illarum recedere à temperato per primum gradum, vel ſecundum, vel tertium, vel quartum: ſic enim placuit medicis ſenſatis diuidere, & deindè quemlibet gradum in tres manſiones, ita ut omnes manſiones octo intemperaturarum ſecundùm quatuor gradus conſideratæ perueniant ad ſex ſupra nonaginta.

Hinc errat Auerroes, qui 2. Colliget, cap. 1. poſuit quatuor ſolùm temperamenta compoſita: negauitq; ſimplicia, & temperamentum mediocre: Hæc opinio, quæ fuit nonnullorum antiquorum ab ipſomet Galeno reijcitur primo de temperamentis cap. 3. & in eodem libro reijcit quoque opinionem quorumdam credentium duo ſolùm dari temperamenta compoſita, ſcilicet calidum, & ſiccum, & frigidum, & humidum: negabantque calidum, & humidum, & frigidum ſiccum: quas opiniones nos ſuperiùs reiecimus.

1 Dubitatio oritur, quia Galenus ait inſalubria ſimpliciter ab ortu naturæ habere malas temperaturas, & incommenſurationes; eſſe tamen in latitudine ſanitatis; quod quidem non videtur verum, quia corpora, quæ habent malas temperaturas, & incommenſurationes, neceſſariò dicuntur ægrotantia.

Reſpondetur malam temperaturam, & incommenſurationem ſumi dupliciter, vel ut lædens operationes, vel non lędens: dicimus, quòd mala temperatura, & incommenſuratio ſint ægritudines ſolùm quando lædunt operationes, ſi verò non lædant, quantumuis malæ ſint temperaturæ, & incommenſurationes, dicimus non eſſe ægritudines.

Ex Galeno lib. 1. de temperamentis dictum eſt, unam eſſe bonam temperaturam, quæ eſt in medio, alias verò octo eſſe malas: quis eſt ille, qui habet bonam temperaturam, quæ eſt in medio, vel bonam commenſurationem, quæ eſt mediocris, & eſt regula cæterarum? Hinc Galen. 2. de temperamentis c. 4. & 7. meth. cap. 11. dicit, aliam eſſe intemperiem corporum ſanorum, aliam ægrorum.

Hinc quoque Galenus putat, incommenſurationes varias dari, quæ ſanis corporibus conueniunt. Quatuor exempla habentur in hoc libro de mala commenſuratione ſanorum.

Primũ exemplũ eſt de magno capite.

Aliud quorumdam, quorum potus felleus non ad ieiunium, ſed ad ventriculum perueniebat, undè ſæpiſſimè vomitu billioſo tentabantur.

Aliud quoq; proponit exemplum illorum, quorum venæ hepatis erant adeò anguſtæ, ut leui errore commiſſo in obſtructionem incidebant.

Tandem à Galeno affertur adhuc aliud quorumdam hominum adhuc perſeuerantium in latitudine ſanitatis, qui habebant ventriculum paruum rotundum, & ſepto tranſuerſo incumbentem.

Ecce quod dantur malæ commenſurationes, quæ tamen cùm ſenſibiliter operationes non lędant, non efficiunt corpora inſalubria nunc, ſed conſeruantur in latitudine ſanitatis.

2 Dubitatio occurrit in verbis Galeni, quia cùm hæc tria ſint morborum genera: intemperies, mala compoſitio, & ſoluta unitas, videtur Galenus diminutus, dum in declaratione inſalubris ſimpliciter ſolùm faciat mentionem de mala temperatura, de incommenſuratione, & de ſoluta unitate ne verbum quidem.

Reſpondent aliqui, Galenum, dum inquit, *vel habet utrumq; vitium*, intelligere ſolutam unitatem, quia intemperies eſt vitium ſimilarium, incommenſuratio diſſimilarium, ſoluta unitas eſt utrorumque. Quæ reſponſio eſt vaniſſima, quia per utrumque vitium intelligit malam temperaturam, & incommenſurationem, ſicut ex verbis clariſſimè colligitur, & non ſolutam unitatem.

Reſponſio vera eſt, quòd ſoluta unitas non poſſit reperiri in latitudine ſanitatis, ſicuti reperitur intemperies, & incommenſuratio. Præterea inſalubre ab ortu naturæ poteſt conſtitui cum tali incommenſuratione, & mala temperatura, quæ ſit in latitudine ſanitatis, ſed non poteſt corpus conſtitui cum ſoluta unitate, quod ſit in latitudine ſanitatis: immò eſto quod corpus aliquam ſolutam unitatem pateretur à prima generatione, (quod vix conceditur) dicimus, quòd tunc eſſet in latitudine ægritudinis, & nequaquàm in latitudine ſanitatis.

3 Du-

3 Dubitatio ex dictis conſurgit, quia dictum eſt, ſolutam vnitatem eſſe extra latitudinem ſanitatis, & hac de cauſa Galenum declarando inſalubre propoſuiſſe malam temperaturam, & incommenſurationem, nihilque dixiſſe de ſoluta vnitate: attamen contrarium dicere videtur capite 88. particula 6. vbi reprehendit nonnullos, qui putabant ſolutionem continuitatis non poſſe reperiri in ſanitatis latitudine, ideo Galenus ait ad faciendam ægritudinem requiri ſenſibilem læſionem operationis, quæ ſanitatem ſeparat ab ægritudine; Medicus enim eſt artifex, cuius principia, & paſſiones ſunt ſenſata: ideo ſenſibili læſione ſeparat ſanum ab ægro.

Reſpondet Sclanus ſolutionem continui in prima generatione, ſeu in prima conſtitutione non eſſe effatu dignam: addit, hanc ſolutionem continui prodire ab intemperie, vel à mala compoſitione, ideò Galenum cõtinui ſolutionem omiſiſſe; Sed hæc reſponſio non tollit dubium; quinimo aliud nouum parit; quia ſi Galenus omiſiſſet ſolutionem continui, quoniam hæc ſolet prodire ab intemperie, vel à mala compoſitione; ergo poterat omittere in definitione inſalubris ſimpliciter incommenſurationem, quia hæc ſimiliter poteſt prodire à ſimilarium intemperie.

Dicimus nos Galenum nobis non reſtagari, quia cap.88. loquitur de ſoluta vnitate, tamquam de morbo extrinſecus illato; in hoc loco verò de inſalubri ſimpliciter ab ortu naturæ ſic conſtituto, in quo ſtatu nulla ſequitur ſoluta vnitas, quando verò ob humores feruidos atque igniros in prima generatione vnitas ſolueretur, dicimus quod vel fætus periret, vel ſi ad hanc vitam perueniret, non poſſet dici inſalubre ſimpliciter ab ortu naturæ, ſed inſalubre vt nunc, quod ex Galeno dicit actualem ægritudinem.

Quæritur in hoc loco à Pluſquamcommentatore, quodnam ſit genus in hac definitione corporis inſalubris ſimpliciter; dicitque loco generis eſſe aggregatũ ex intemperato, & incommenſurato.

Sclanus cenſet loco generis eſſe corpus: cætera autem verba eſſe loco differentiæ,

Vterque videtur errare; Pluſquamcommentator, quia conſtituit genus definitionis eſſe aggregatum, quod eſt tota definitio: verba enim aggregata non debent eſſe genera, ſed potius differentiæ, quia cum ſæpè ſint ignotæ plurimis verbis deſcribuntur.

Sclanus, quia non corpus eſt genus ſanitatis, vel ægritudinis, ſed qualitas: Hinc ſalubre dicit potentiam; inſalubre verò impotentiam, quæ pertinent ad prædicamentum qualitatis; quando Galenus dicit, *inſalubre ſimpliciter corpus:* dicimus quod loquatur de potentia, quæ ex Ariſtotele parum reſiſtit, quæ eſt genus omnium inſalubrium: potentiam verò quæ multum reſiſtit conuenire corpori ſalubri; hæ potentiæ ſuſcipiunt magis & minus; & habent contrarium corpus verò vel ſit de prædicamento ſubſtantiæ, vel quantitatis: non habet contrarium poſitiuum, nec ſuſcipit magis, & minus; vtinam corpus eſſet genus ſalubris; nos nunquam ægrotaremus, & ob hanc rationem eſſemus ęterni; quia quantitas non eſt capax alterationis; quare genus ſalubris, & inſalubris non eſt corpus, vt ait Sclanus, ſed qualitas: genus vero proximus eſt potentia, quæ ſi multum reſiſtat, eius corpus eſt ſalubre, ſi mediocriter eſt neutrum, ſi parum eſt inſalubre.

Hinc Ariſtoteles in prædicamento qualitatis definit ſalubre, & inſalubre, quod habet potentiam naturalem non facilè patiendi: inſalubre quod habet impotentiam nihil patiendi.

In hoc loco Pluſquamcommentator quærit, quomodo ſalubre, & inſalubre ſint cõtraria, ſi ſint in diuerſis generibus: omnia enim contraria ſub vnico genere collocantur: Reſpondet quod ſalubre, & inſalubre opponuntur inter ſe, vt liberalitas, & auaritia, quæ ſunt ſub diuerſis generibus; auaritia enim ſub vitio, & liberalitas ſub virtute; ſupponitque non eſſe inconueniens, quod quæ ſunt in diuerſis generibus poſſint ſibi aduerſari.

Pluſquamcõmentator errat, quia non dantur oppoſita, vel contraria, quæ non collocentur ſub vno genere; quia in quolibet genere duo ſunt contraria, vt dicit Ariſt. 1. phyſ. & 1. de generatione tex. 51. ſimiliter Gal. primo methodi c. 7. docet,

in

in vnico genere eſſe duo contraria.

Id probatur quoque experientia; quia in ſaporum genere dulce aduerſatur amaro, & in generatione primarum qualitatum actiuarum frigidum aduerſatur calido; neque inuenietur aliud contrarium, quod per ſe reluctetur calido, niſi frigidum; immo Gal. hoc principio motus probat 9. methodi capite 12. & ſecundo methodi capite 13. vnum indicare vnum, & non plura; quia vni contrario vnicum ſolum aduerſatur, & non plura; neque ſub ſuo genere, neque ſub alio inuenietur aliud, quod illi aduerſetur.

Inſuper ex altiori philoſophia idem colligimus; Ariſtoteles enim 10. metaphy. tex. 13. declarans naturam contrarietatis ait, contrarietatem eſſe maximam differentiam eorum, quæ ſunt ſub eodem genere.

Temiſtius exprimens eundem Ariſtotelis conceptum primo phyſicor. 47. dicit contraria ſunt, quæ eiuſdem generis extremas margines obtinent.

Diuus Thomas in meteorologicis clarius de hac re loquens inquit, contraria eſſe duas formas maximè diſtantes in eodem genere, vt calidum, & frigidum in genere primarum qualitatum; quare, cum in vnico genere ſint tantum duo extrema, in quolibet genere erunt duo oppoſita contraria, & non plura.

Præterea Ariſt. 8. phy. tex. 64. docet, cōtraria ſe mutuò corrumpere, & impedire, vt motus qui eſt ſurſum deſtruit motum, qui eſt deorſum; motus tamen in latus non impedit motum, qui eſt ſurſū.

Colligimus ergo, quod omnia quæ ſūt in alijs generibus ſint in latus, & non in longum; propterea contraria vnius generis non aduerſari contrarijs alterius.

Demum Ariſtotel. 10. metaphy. tex. 14. probat, quod vni vnum tantum ſit contrarium. Decipitur igitur Pluſquamcommentator, dum inquit, contrarium vnius generis refragari poſſe cōtrario alterius.

4 Dubitatio exurgit, quia non videtur, quod omninò erret Pluſquamcommentator: quia Ariſt. in poſt prædicamentis cap. de oppoſitis docet, dari nonnulla cōtraria, quæ ſibi aduerſantur, & quæ ſunt in diuerſo genere; datque exemplum de virtute, & vitio dicens, vitium eſſe vnum genus, virtutem aliud: tamen vitium aduerſatur virtuti.

Similiter liberalitas eſt ſub genere virtutis, auaritia ſub genere vitij; tamen liberalitas aduerſatur auaritiæ; ecce inquit, quod contraria diuerſorum generum ſibi aduerſantur.

Reſpondemus huic dubio, auaritiam, & liberalitatem, & omnes virtutes, & omnia vitia eſſe in vno genere ſubalterno, idest in habitu, & diſpoſitione; quare aliud eſt conſiderare morum genera, & aliud eſt conſiderare genera proxima, de quibus loquimur, quæque collocantur in prædicamentis.

Hinc Ariſtoteles in moralibus dixit hominem ſapientem ab ignaro differre genere; nihilominus homo ignarus, & homo ſapiens realiter nec genere, nec ſpecie inter ſe differunt.

Similiter philoſophus videns, extrema non differre genere à medio, dixit lib. 10. metaphy. tex. 22. media, & extrema eſſe eiuſdem generis: quare dicendum eſt, auaritiam, & prodigalitatem, quæ ſunt extrema vitioſa non differre genere à virtute, quæ eſt in medio.

Similiter ſalubre, & inſalubre non differre genere, ſed eſſe duas extremas differentias contrarias collocandas ſub vno genere proximo, quale eſt potentia, quæ eſt qualitatis ſpecies.

5 Dubitatio exurgit, quia non videtur, quod ſalubre, & inſalubre ſint ſub vno genere: quia ſalubre eſt in genere potentiæ; inſalubre verò in genere impotētiæ: & ſic ſalubre, & inſalubre non erunt duo contraria, quia quæ ſunt in diuerſo genere non poſſunt eſſe contraria. Præterea Ariſtoteles in antepræd icamentis dicit, diuerſorum generum non ſunt eædem ſpecies, & differentiæ; ſi igitur differentiæ vnius non ſunt eædem cum differentijs alterius generis; ergo ſalubre, & inſalubre non erunt contraria.

Reſpondetur, quod inſalubre non eſt in genere impotentiæ, ſed in genere potentiæ; dicitur enim inſalubre, quia habet potentiam, ſed diminutam reſiſtendi; quod hoc verum ſit patet, quia ſi inſalubre non haberet potentiam aliquam, nō eſſet in latitudine ſanitatis, ſicuti probatum eſt ſuperius; quod verò habeat poten-

tentiam aliquam patet,quia corpus inſalubre digerit,excernit excrementa,vt faciunt omnes ſani, editq; omnia officia, quamuis diminutè.

Notandum tamen,quod colligitur hic ex Gal.inſalubre corpus eſſe trium generum;primum eſſe inſalubre ob intemperiem ſimilarium, & ob incommenſurationem diſſimilarium,& hoc ſalubre dici inſalubre ſimpliciter ſemper.

Secundum inſalubre eſt quod habet vitium in ſimilaribus tantùm, & non in diſſimilaribus;hocq; poteſt dici inſalubre vt multum:tertium eſt inſalubre in organicis,& non in ſimilaribus, hocq; ſimiliter poteſt dici inſalubre vt multum.

Simili modo partitur ſalubre ſimpliciter vel per bonas temperaturas,vel commenſurationes: contrariorum enim eadem eſt diſciplina.

Haly in hoc loco decipitur,dicens,corpus inſalubre in hoc cap. à Galeno definitũ non eſſe idem cum illo propoſito in definitione medicinæ,ait .n. in definitione medicinę per inſalubre Galen. intelligere corpus actu ægrum;in hoc tex.verò per inſalubre intelligere potentiam,ideſt corpus,quod ob imbecillitatem acquiſitã ab ortu naturæ facilè poſſit ægrotare: Et quod eſt riſu dignum,addit,Galenũ,dum definitionem medicinæ tradidit,non cognouiſſe tale corpus inſalubre, quod dicit potentiam ad ægritudinem ſine actuali ægritudine: ſed ſcribendo de hac re in eius cognitionem perueniſſe.

Quæ opinio eſt falſa,& indigna expoſitore:eſt falſa, quia de hoc corpore inſalubri,quod non actu ægrotet Gal.non ſemel ſuperiùs in l.ad Thraſyb. & alibi habuit ſermonem:eſt indigna,quia Gal.qui in omnibus eſt exactiſſimus, ſi in ſcribẽdo de hac re ſolũ in hoc loco animaduertiſſet in definitione medicinæ tradita nõ eſſet comprehẽſum hoc corpus inſalubre actu ſanum,potuiſſet hęc pauca,quę ſcripta ſunt vſque ad hunc textum delere, & iterũ melius ea deſcribere: concludamus igitur oportet, Galen. per inſalubre ſimpliciter ab ortu naturæ non intellexiſſe corpora,quæ actu ægrotant,ſed quę ſunt ſana ſanitate imperfectiſſima,& quæ diu non poſſunt perſeuerare: quia potentia reſiſtendi externis cauſis eſt perexigua.

QVINTI CAPITIS Particula II.

Inſalubre verò nunc eſt corpus,quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat, neq; obſcurum eſt,quod & hoc ipſum, eo quo dicitur tempore ægrotans, vel in conſimilibus malam habet temperaturam, vel in inſtrumentarijs incommenſurationem, vel vtrumque.

Definito in par. ſuper. corpore inſalubri ſimpliciter: in hac definit inſalubre vt nunc, & meritò,quia inſalubre ſimpliciter,& vt nunc ſunt ferè oppoſita,& oppoſita inuicem debent dignoſci: verùm quia variæ ſunt ſententiæ in declaratione iſtius inſalubris vt nunc, aliquas proponemus, antequam ſententiam noſtram in medium afferamus.

Gentilis, & Pluſquamcommentator, qui ob deprauatam tex. conuerſionem non potuerunt Galeni arcana penetrare,putabant,per inſalubre corpus Galen. intelligere corpus ęgrũ,ideò dixerunt,illas ægritudines, quæ nõ ſunt ab ortu naturæ, nõ eſſe vocandas ægritudines ſimpliciter;ſed ſolũ ſecundũ quid,& vt nũc, illaſq; vocandas eſſe inclinationes ad ægritudines,cenſebantq; hecticam febrẽ, & omnes grauiſſimas ægritudines, quæ quotidie de nouo fiunt,non poſſe vocari ægritudines ſimpliciter, quia dicebant, à Galeno ægrum corpus ſimpliciter illud vocari,quod eſt tale ab ortu naturæ.

Inſuper ex vno errore in alios maiores illapſi ſunt;putarunt enim claudos,& cęcos à natiuitate non eſſe actu ęgros,quia non ſunt vt nunc,ſed ab ortu naturæ.

Horum errorum radix fuit, quia in textibus antiquis loco inſalubris legebatur ægrum.

Quòd verò apud Galen. dentur ægritudines actu tales,quę ſint quoq; ab ortu naturæ, legamus librum de differentijs morborum cap.7.& 9.vbi à Galeno malę conſtitutiones ab ortu naturæ lædentes ſenſibiliter aliquam operationem vocantur actuales ægritudines: cùm igitur iſti Auctores toto cælo à principijs Galeni recedant, eos omittemus.

Manardus putat, ſalubre, & inſalubre non dicere actum,ſed potentiam naturalem,

lem, quæ perſeuerat vſq; ad mortem: cenſetq; omnia corpora ſalubria, inſalubria,& neutra,quando ægrotant,eſſe inſalubria nunc: additq; particulam nunc additam inſalubri ſimpliciter augere malitiam, additam uerò ſalubri diminuere perfectionem: additam deniq; corpori neutri, quod eſt exactè mediū, illud pellere extra latitudinē ſanitatis: Putat igitur nunc minuere potentiam reſiſtendi.

Opinio Manardi non videtur omninò uera,quia non poteſt admitti,quod nunc additum inſalubri augeat malitiam, uel additum ſalubri diminuat perfectionem: quia dum inſalubre ſimpliciter ægrotat dicitur inſalubre vt nunc: habet .n. præter inſalubritatem acquiſitam ab ortu naturę aliam nouam inſalubritatem,quę differt ab inſalubritate ſimpliciter toto genere; quia ſalubritas, uel inſalubritas ab ortu naturæ eſt totum eſse rei; eſtque determinata calidi innati conditio, quæ eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & à Galeno 3. de temperam. quarto uocatur natura, & uniuerſa ſubſtantia: ſalubritas, uel inſalubritas vt nunc eſt accidens de prædicamento qualitatis, quod denominatiuè,& nō vniuocè prædicatur de ſalubritate, uel inſalubritate, quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ.

Hinc iuuenes ſaluberrimi ab ortu naturæ, ſi vulnerentur, fiunt inſalubres ut nunc:dum ſanantur,iterum fortes,& ſaluberrimi fiunt, non quod ſalubritas ab ortu naturæ mutata ſit, quia illa cū ſit in ſeminalibus in prima generatione acquiſita diutiſſimè perſeuerare poteſt;minuiq; ſolet lōgo temporis ſpatio eo modo,quo oleum in lucerna:dum uerò vulnus tollitur,iterum reddit ſalubritas,non tamen de nouo facta eſt,ſed erat ſolum à vulnere impedita,ne ſua ederet officia.

Ecce quod particula nunc non minuit potentiam ſalubris corporis ſimpliciter, ſed ſolùm impedit; quod uerò impediat eſt clariſſimum, quia ablato inſalubri nunc, ſtatim eadem officia à corpore ſalubri ſimpliciter diapandos eduntur.

Nos igitur credimus,nihil aliud ſignificare inſalubre, uel ſalubre, quam potentiam, ut dicit Manardus; Ariſtoteles .n. in prædicamento qualitatis habet hęc uerba; *ſalubres dicuntur, eo quòd habeant potentiam naturalem,vt nihil à quibuſdam accidentibus facilè patiantur: inſalubres quod impotentiā habeant naturalem facilè patiendi à quibuſdam accidentibus:* ecce quod ſalubre eſt potentia reſiſtens, ibiq; idē docet Boet.ſimiliter inſalubre eſt potentia nō reſiſtens,uel parū reſiſtens; dū uerò ſalubre ægrotat,fit inſalubre nunc.

Similiter dum inſalubre ęgrotat fit inſalubre nunc; idem dicimus de neutro; quibus poſitis, dicimus inſalubre nunc indicare potentiam non illam,quæ eſt ab ortu naturæ, ſed de nouo introductam, illamq; conſideraſse Galenum in hoc loco;& non actualem ęgritudinem,ut plurimi malè interpretantur.

Quamuis uerò Galenus in hoc libro, & 1.de loc.aff. doceat inſalubria ut nunc eſse dignoſcenda ex tumore,actione læſa, excrementis, & dolore,aſserimus id feciſse,ut traderet nobis uiam agnoſcēdi inſalubritatem ut nunc, quatenus eſt potentia inepta ad patiendū,& ad reſiſtendū; hanc tamen potentiā dicimus maximā habere latitudinē;quoniam,ſi ſalubre ab ortu naturæ ægrotat,habet potentiam naturalē reſiſtendi maximam; illa uerò, quæ à morbo introducitur,eſt minima.

Si uerò inſalubre ab ortu naturę ęgrotat,& fit inſalubre nunc, potentia ad reſiſtendum eſt ferè nulla, & hæ potentiæ inter ſe toto cęlo differunt; quare in inſalubri nunc duo ſunt potentiæ, ſeu impotentiæ;altera ab ortu naturæ,quæ diutiſſimè perſeuerat iuxtà illam ſortem, quam in prima generatione acquiſiuit, quæq; illo modo, quo lucerna ob olei conſumptionem minuitur; altera eſt de nouo introducta, & hæc non eſt ægritudo,ſed occaſione ægritudinis orta.

Dum quis febricitat redditur exiguæ potentiæ,& virtutis; exigua verò illa potentia eſt inſalubritas nunc, quæ differt à morbo,quamuis à morbo cauſetur;eam tamen à morbo ſeparare poſſumus: abſtrahentium enim nullum eſt mendacium ex Ariſtot.2.phyſ. tex.18.

Hæc tria igitur ſunt diuerſa: primum eſt ſalubritas,ſeu inſalubritas,uel neutralitas ab ortu naturæ: ſecundūm eſt inſalubritas ut nunc: tertium eſt ægritudo actualis: ſuntq; hæc tria ſua natura omninò diſtincta.

quaquam differentia temporis: ſimiliter per ſalubre vt nunc intelligi debet, vt dicit Manard. ſalubritas diminuta, & imperfecta, ſed non quod modò ſit ſanum, modò ægrum: immo poteſt eſſe, quod inueniatur corpus ſalubre vt nunc, quod tali cuſtodia à morbis præſeruetur, vt ſine ægritudine vſque ad finem vitæ peruenire poſſit, quamuis eius vita non poſſit eſſe admodum longæua, de his tamen corporibus Galenus lib. de tuenda valetudine protulit hanc ſententiam. Si Eſculap. illis præeſſet non peruenirent tamen ad annum 60.

2 Dubitatio hic proponitur, an corpus ſalubre ſemper quod dicitur diapandos ſi vulneraretur poſſet adhuc dici ſalubre ſimpliciter ſemper.

Manardus reſpondet corpus ſalubre diapandos non ſolùm poſſe ægrotare; verum etiam toto vitæ ſuæ curriculo poſſe aliqua mala ægritudine angi, cauſata tamen ab externa aliqua cauſa violenta, quia putat hoc verbum ſalubre non iudicare actum ſanitatis, ſed ſolam aptitudinem, & potentiam naturalem, ideò dicit quamuis ſemper ægrotaret non propterea ſuam naturam à prima generatione comparatam amittere, putat enim quòd ſanitas actualis non neceſſariò requiratur in definitione corporis ſalubris ſimpliciter ſemper.

Quæ opinio re vera nõ eſt omnino improbanda, quia de ratione ſalubris eſt aptitudo, & potentia, & non actus: ſicuti de ratione riſibilis eſt aptitudo, & potentia hominis ad ridendum, & non actus ridendi, actus enim eſt ſeparabile accidens aptitudinis.

Non probatur omninò Manardi opinio, dum inquit, quamuis ſaluberrimum ob violentam aliquam cauſam externam toto vitæ ſuæ tempore ægrotaret, non propterea naturam ab ortu, & prima generatione ſibi comparatam mutare: quia eſſet cõſtituere ſalubritatem impaſſibilẽ, quod quidẽ repugnat Philoſophiæ naturali; quæ nos docet corpora mixta ſemper eſſe obnoxia alterationibus, & corruptionibus, quare nos dicimus ſaluberrimum corpus, quamuis ab ortu naturæ tale ſit, poſſe tamẽ contrarijs externis reddi ſalubre vt multũ, quod eſt inferioris gradus.

Saluus Sclanus cenſet, quòd corpus ſalubre ſimpliciter ſemper ſit non ſolũ potentia ſanum; verum etiam ſit actu perfectiſſimè ſanum: ita vt quando corpus ægrotat non amplius debeat vocari ſalubre ſimpliciter ſemper: confirmat ex Galeno li. ad Thraſyb. c. 8. vbi Galen. exponit ſalubre per actum ſanitatis, quamuis in hoc loco non per actum ſanitatis, ſed per potentiam declarauerit ſalubre.

Quæ opinio non accipitur: quia re vera ſanitas non neceſſariò, & ſemper iungitur cum ſalubri corpore; quod quidem probatur iiſdem principijs, quibus vtitur Sclanus, qui cenſet cum Boetio, & rectè in prædicamento qualitatis, ſalubre indicare potentiam reſiſtendi cauſis præter naturam.

Age nonnè corpus ſaluberrimũ ſi parum vulneretur poteſt admodum reſiſtere vulneri? nonnè ſuo vigore breuiſſimè poteſt de medio tollere ſolutã vnitatem? ergo ſalubre corpus ſimpliciter ſemper, quando etiã vulnerabitur dicetur: ex ipſo Sclano ſalubre ſimpliciter ſemper; quando verò inquit cum Gal. lib. ad Thraſyb. ſalubre indicare etiã actum ſanitatis, nos hoc non negamus, ſed dicimus hoc ſalubre dupliciter conſiderari, vel vt habet reſpectum ad fruendam ſanitatem; vel vt eſt aptitudo; vel dicimus conſiderari ſalubre, vel quo ad actum primum, vel ſecundum; quo ſuppoſito dicimus Galen. lib. ad Thraſyb. c. 7. quando expoſuit ſalubre per actum ſanitatis, & non per potentiã, conſideraſſe ſalubre quo ad actum primum, qui ſolus eſſentiam ſalubris declarat.

Quod verò poſſit exponi ſalubre per potentiam, ipſe Sclanus fatetur; quare ſi Galenus expoſuit per actum tantum, per Sclanum coacti dicemus vel Galenum fuiſſe diminutum, vel non conſideraſſe in illo loco ſalubre quo ad actum primum; eadem diſtinctione tolluntur aliæ inſtantiæ, quibus probat ex Galeno ſalubre dicere actum.

Demum quod ſalubre diapandos actu ægrotet, & adhuc ſit ſalubre, patet exẽplo potentiarum naturalium omnium, ſic .n. dicimus riſibile hominem eſſe non ſolùm quando ridet; verùm etiam quando plorat; idem dicimus de ſalubri quando ægrotat, niſi amiſſa ſit reſiſtendi potentia.

Nos

Nos verò in hac re amplectimur Manardi opinionem, quod ſalubre ſimpliciter ſemper dicat potentiam,&non actum non tamen illi concedimus,corpus,quod toto vitæ curſu occaſione externæ noxæ ægrotat, dici poſſe ſalubre ſimpliciter; quia credimus in tantum ſalubre ſuam naturam conſeruare, in quãtum conſeruat potentiam, quæ reſiſtit cauſis morboſis: quando verò ægrotat ægritudine ita inſigni,vt amittat potentiam reſiſtendi; tunc dicimus eſſe amiſſam naturam ſaluberrimi corporis, eſſeque acquiſitam naturam imperfectiorem,qualis cõuenire poteſt ſalubri ſimpliciter ut multum, vel alijs corporibus peioris conditionis.

Eſt enim aſſertio ridicula,quod ſalubre ſimpliciter ſemper vocetur ſaluberrimũ poſt maxima vulnera ei inflicta, & poſt innumeras ægritudines cauſatas à violentia extrinſeca; poſt luem gallicã, quæ potuerint omnia viſcera ita debellare, vt ille miſer careat virtute digerendi cibum tenuem,vel ſi ſemel in hebdomada exerceat coitum, vix poſſit reſarciri.

Hinc Gal. ſecundo de ſanitate tuenda ſeptimo, inquit, malos mores naturam peroptimam corrumpere: quomodo igitur ſalubre diapandos erit tale vſque ad mortem, vt dicit Manardus?

Inſuper cap.5. 6.libri citati ait Gal. aliquos aſſiduè ægrotare non ob proprium corporis ſtatum, ſed ob peſſimam victus rationem;Ariſtot. verò in prædicamento qualitatis docet, ſalubre dicere potentiã non faciliter patiendi à cauſis externis: ponamus igitur,quod hoc ſalubre vulneretur, vel diutiſſimè locum cænoſum inhabitet, ſine dubio amittet exactam ſalubritatem,& potentiam reſiſtendi,& tandem cedet externis cauſis: quia hæc potentia reſiſtendi non eſt infinita, ſed poteſt diminui, & tandem deſtrui, ſed antequã deſtruatur tranſit per gradus, quia dum incipit potentia iſtius corporis diminui,corpus prius fit ſalubre epitopoly, & ab hoc gradu tranſit ad ſalubre vt nunc, niſi tamen aliqua cauſa extrinſeca valida derepentè opprimat,& ſumma cum violentia deſtruat eius vires:quia tunc natura ordinatè non procedit.

3 Dubitatio oritur ex hoc tex.an corpus ſalubre ſimpliciter ſemper ſit illud,quod eſt in medio punctuali ſine latitudine; quo dicitur temperamentum æquale ad pondus vel potius per ſalubre ſimpliciter ſemper intelligatur medium illud temperatiſſimum, quod habet latitudinem, & quod ad ſenſum apparet.

Argenterius putat, hoc ſalubre ſimpliciter ſemper eſſe illud punctuale ſine latitudine, quod dicitur æquale ad pondus.

Decipitur Argenterius, quia ſatis eſt, ut corpus ſimpliciter ſalubre ſemper ſit tale quo ad ſenſum, & iudicium Artificis, & quamuis à puncto medio recedat, dummodo nec ſenſus, nec ratio illud animaduertit,dicimus adhuc vocandum eſſe ſalubre ſimpliciter ſemper: qui autem hoc negat, debet ex neceſſitate admittere dogma perpetuæ paſſionis, quod eſt incognoſcibile, & quod ad medicum,qui eſt ſenſatus artifex,non pertinet.

Præterea Gal.1. de ſanitate tuenda ca. 5.ait,ſi quæremus corporis exquiſitiſſimi temperamenti conſeruationem,irrita eſſet noſtra tractatio: quia vel non reperitur,vel eſt tale, vt ictu oculi tantum perduret.

Poſtremo Gal.in hoc lib.tract.de ſignis corporis ſimpliciter ſalubris ſemper,& de cauſis illud conſeruantibus: ergo per exquiſitè ſalubre non intelligit punctuale, ſed medium temperamentum habens latitudinem cognoſcibilem, quare Argenterius excuſari non poteſt.

QVARTI CAPITIS

Particula IV.

Vt multum autem quod à conſtitutione optima non valdè admodum deficit.

IN particula ſuperiori tradidit definitionẽ ſalubris ſimpliciter ſemper:in hac par.definit ſalubre ſimpliciter vt multum.

Primus gradus peroptimæ ſalubritatis eſt corpus ſimpliciter ſalubre ſemper, & hęc corporis ſalubritas non eſt in puncto vt probauimus contra Argent. ſed habet latitudinẽ.Secundus gradus optimæ ſalubritatis cõuenit corpori ſalubri vt multũ.

1 Dubitatio ſtatim oritur, quia non vi-

videtur quod ſalubre ſimpliciter vt multum diſtinguatur à ſalubri ſẽper,quia ſalubre vt multum non cognoſcitur per sẽſum, an recedat à ſalubri ſemper: quod verò iſte receſſus ſalubris multum à ſalubri ſemper non dignoſcatur per ſenſum, nos docet Gal.cap.8. par.5. vbi habet hæc verba: *ſenſu non coprehẽdẽtur,quæ ab optima conſtitutione breue aliquid deficiũt:* medicus qui eſt ſenſatus Artifex non debet admittere differentias,quæ per inſenſibilia inter ſe differunt, niſi vellet etiã dogma perpetuæ paſſionis admittere.

Reſpondet Galenus dubitationi,quod per rationem deſumptam à ſenſu ipſo dignoſcimus differentiam inter ſemper, & ſalubre vt multũ, habet enim cap.8. par. 5. hæc ferè verba: ſalubre ſemper, & ut multum diſtinguuntur per maiorem, & minorem reſiſtẽtiam factam illis cauſis, quæ pariunt ægritudines: ſalubre igitur ſemper quã maximè reſiſtit,ſalubre verò ut multum aliquantulum minus reſiſtit.

2 Dubitatio quoque oritur, quia Galenus inquit loco citato per ſenſum non diſtingui ſalubre ſemper à ſalubri vt multum,quod videtur reluctari experientię; quia per ſenſum dignoſcimus dum ſit maior, vel minor reſiſtentia, ergo male Galenus.

Reſpondemus per ſenſum nos nõ poſſe dignoſcere, an vnum corpus magis, quam alterum reſiſtat;ſed per rationẽ,& diſcurſum, exempli cauſa corpus ſalubre vt multum poſt coitus vſum labitur in febrem, corpus verò ſalubre vt nunc poſt vſum coitus non tamen febricitat: non valet, ergo magis reſiſtit ſalubre ut nũc, quàm ſalubre ut multum, poteſt enim contingere, quod in ſalubri ut multum præceſſerint errata in omnibus rebus nõ naturalibus, adeo ſæua, vt hoc corporis genus peiorem ſubierit conditionem, quam ſalubre nunc,quare non per ſenſũ comprehendemus corporum ſalubrium differentias; ſed per rationem,& diſcurſum, ſeu examen quod faciemus in hoc lib. de internis viſcerum diſpoſitionibus inditis à cauſis non naturalibus.

Addimus ex Gal.cap.8.huius libri corpus ſalubre ſemper diſtingui à ſalubre ut multum per operationes, per operationes intelligit reſiſtentiam omnium actionum animalium, vitalium, & naturalium omnium partium.

Operationes noſtræ ſunt 22. uidelicet generatrix, nutrix, auctrix, quatuor naturales,concupiſcibilis,iraſcibilis; Quinque ſenſus,motus, ſenſus cõmunis, imaginatio,memoria,intellectus agẽs,intellectus poſſibilis,voluntas,& electio: igitur omnes iſtæ operationes ſi ſint validæ corpus eſt ſaluberrimum, dicemus omnes operationes comprehendendo naturales particulares ſingularum partium; quia interdum iuuenes,qui videntur robuſtiſſimi ob aliquod erratum incident in malignas febres,& moriuntur: Cauſa eſt, quia aliqua particula robore deſtituta in gangrænam faceſſit,ſicut euenit iuueni cuidam, qui uidebatur robuſtiſſimus, qui de repente in malignam, & lethalem febrem incidit; cadauere cuius aperto inuenta eſt gangræna in ueſica felea. Ante obitum nemo poterat præuidere, licèt multo ante quoddam icteritiæ ueſtigium in eius facie appareret.

3 Dubitatio ex uerbis Galeni oritur; quia dum dicit, ſalubre ut multum non ualdè admodum deficere ab optima cõſtitutione uidetur ſentire, quod idem ſit optima conſtitutio,& ſalubritas ſimpliciter ſemper, hoc patet,quia loquẽs in hoc libro de ſignis corporis ſalubris ſimpliciter ſemper tradit ſigna optimæ conſtitutionis; ſimiliter loquens in tertia parte huius libri de cauſis docet,quomodo corpus ſalubre,quod dicitur ſemper,conſeruetur, quod eſt corpus optimè conſtitutum, ergo corpus ſalubre ſemper,& corpus bene conſtitutum; vnum, & idem ſunt. Ex altera parte ſuperius concluſum eſt, aliquod corpus ægrotare poſſe, & ſimul eſſe ſalubre ſemper, uel bene conſtitutum, quomodo igitur optima conſtitutio erit de ratione ſanitatis, & mala conſtitutio de ratione morbi?

Reſponderi poteſt huic difficultati, quod temperamentum ſeu cõſtitutio duplex ſit,altera originalis,quę à prima generatione eſt implantata,quæ a Galeno, & Hipp. dicitur totum eſſe rei;altera verò conſtitutio eſt aduentitia ſeu acquiſibilis ab vſu ſex. rerum non naturalium.

De originali, & implantata tẽperatura loquens Gal. 1. de V.P.c.9. ait eſſe partis

tis ſubſtantiam, dicitque quod nihil aliud ſit carnis eſſe,quam temperamẽtum carnis; eſſe oſſis,quam eius temperamentũ: 1. method. cap.6. inquit vnam partem in tantum differre ab alia,in quantum temperamentum vnius differt à temperamento alterius, & 3. de temperamentis cap.4. ait temperamentum eſſe idem cũ tota ſubſtantia, & natura, naturamq; ex Galen. 1. aphoriſmorum com. 15. idem eſſe cum calido innato.

Temperamentũ verò, ſeu conſtitutionem aduentitiam eſſe qualitatem prędominantem,quæ alteratur ab extrinſecis.

Similiter ait commenſurationem partium, quatenus eſt conſtitutio,duplicem eſſe,originalem ſcilicet,& aduentitiam: originalem longè difficilius mutari, quam aduentitiam.

Hinc rectè Fernelius inquit, mutari temperamentum ab extrinſecis cauſis quo ad partes ſanguineas,& carnoſas, in quas aduentitium temperamentum facilè introducitur, non tamen quo ad ſeminales,& ſpermaticas,in quibus fundatur ſubſtantia calidi innati, & originalis conſtitutio.

Poſita hac diſtinctione concedimus; corpus ſalubre ſimpliciter ſemper idem eſſe cum optima conſtitutione;dum verò dictum eſt, quod corpus poſſit eſſe ſalubre ſemper nel optimè conſtitutum, & ſimul morbo conflictari.

Reſpondemus eſſe intelligendum de conſtitutione primigenia, quæ ex ſemine,& menſtruo facta ſit,quæque difficillimè mutari poſſit, quæ demum poteſt eſſe bona, & ſimul affici illo morborum genere, quod introducitur in partes carnoſas, & ſanguineas ab aliquo errore commiſſo in ſex rebus non naturalibus.

4 Dubitatio ex dictis oritur, quia ſi dabitur originale temperamentum, uel conſtitutio originalis perdurans ad mortem vſque, dabitur quoque corpus ſalubre ſimpliciter cum perpetua ægritudine, quod poterit uocari ſalubre ſemper: erit igitur uera opinio Manardi à nobis reiecta,quod ſalubre ſimpliciter ſemper, quamuis ad mortem vſque perſeueret in ægritudine,dici poſſit ſalubre ſemper.

Reſpondemus,conſtitutionem corporis ſalubris duplicem eſſe, aliam originalem, quæ dicitur à Galeno ſubſtantia, & totum eſſe rei,forma,& natura ipſa, quæ prædicatur de corpore ſalubri in primo modo dicendi per ſe, in quo collocantur prædicata,quæ ſunt actus ipſi ſubſtantiales,& non aptitudines,ſiue potentiæ.

Aliam eſſe cõſtitutionem corporis ſalubris ſemper,quæ nõ eſt actus,& forma ſed potentia, quæ de corpore prædicatur in ſecundo modo dicendi per ſe, quæque eſt qualitas,& ſuſcipit magis,& minus.

Hac poſita diſtinctione, fatemur originalem conſtitutionẽ perſeuerare poſſe cum ægritudine ad mortem vſque, quia eſt ipſa rei forma,ſalubritatem uerò,quæ dicit potentiam reſiſtendi,ut ex Ariſtotele, & Galeno probauimus, in tantum dicimus, perſeuerare poſſe cũ ægritudine, in quantum eius reſiſtendi potentia conſeruatur,quæ dum amittitur,dicimus,ſalubritatem amitti: conſtitutionem uerò illam primigeniam, quæ dicit actum, & formam, & non potentiam, quæque eſt in prædicamento ſubſtantiæ,& non qualitatis,dicimus nunquam amitti,niſi animalia decedant è uiuis.

Hinc dicimus,erraſſe Manardum, qui ſtatuit ſimpliciter ſalubre, quod eſt tale à prima generatione, ſumptum pro potentia perſeuerare poſſe cum ægritudine uſque ad interitum: hoc enim eſt omninò falſum,quia non potentiæ,ſed formæ,& ſubſtantiæ calidi innati in partibus ſpermaticis à primo ortu complantati conuenit,vt non ſuſcipiat magis,& minus,poſſitque æquè eſſe talis cum ægritudine, ac ſanitate.

5 Dubitatio alia conſurgit, quia ſi partes ſpermaticæ, quo ad calidi natiui ſubſtantiam non redderentur intemperatæ, ſequeretur, quod febris non eſſet intemperies omnium ſolidarum partium.

Reſpõdetur febrem addere aſcititiam alterationem partibus ſolidioribus, non mutare tamen naturam,& conſtitutionẽ primigeniã:ſignum quod originale temperamẽtum non mutetur eſt, quia febre abolita, tunc idem temperamentum originale iterum ad priſtinũ ſtatũ reuertitur, ſicuti reuertitur aqua calida à ſuo interno principio ad priſtinã frigiditatem. Hinc vſus ſex rerũ non naturalium, qui non deſtruit uiuẽs,poteſt mutare naturã.

Hinc

Hinc conſuetudo,quãuis vetuſta,& antiqua non habet tantam uim., ut naturæ conuerſionem efficiat:Hinc Galenus lib. de aſſuetudine cap.2. dicit,quæ longa cõſuetudine comparantur , vim ferè proprietatis naturalis contrahere,dicit ferè; contrahere , & non abſolutè.

Similiter Ariſt. lib. de memoria,& remin. cap.3. inquit, conſuetudinem eſſe tamquam naturam: ecce quod non dicit, eſſe naturam ; ſimiliter 2. ethicorum in principio dicit, affectus eſſe duum generum,aliquos naturales, qui educuntur κατ' ἀνάγκην, ideſt ſecũdum neceſſitatem,veluti dũ lapis deſcendit deorſum;ibi enim dicit Ariſtoteles,ſi millies proijceres lapidem ſurſum,non aſſueſceret huic motioni; alios verò eſſe affectus per conſuetudinem, qui remouentur ; ecce quod naturales ad mortem vſque perſeuerant: lapis enim donec eſt lapis ſemper deorſum tendet: ſic dicimus de originali temperamento , ſeu originali conſtitutione ſumpta pro actu primo perſeuerare talem vſque ad mortem.

QVARTI CAPITIS Particula I.

Tex. 16. *Inſalubre verò ſimpliciter eſt corpus quod ab ipſo natura ortu , vel in conſimilibus partibus malam habet temperaturam, vel in organicis incommenſurationem , vel vtrunque vitium.*

TRadidit Galenus ſuperius definitiones corporum ſalubriũ vt ſemper,vt nunc,& vt multum in hoc capite dat definitiones corporum inſalubrium , quæ corpora tria quoque ſunt, ſcilicet corpus inſalubre ſimpliciter ſemper,inſalubre vt nunc , & inſalubre ſimpliciter vt multũ : ſunt tria, quia oppoſitorum oppoſitæ tot ſunt differẽtię;verum quia inſalubre ſimpliciter eſt vt genus inſalubris ſemper,& vt multum dat quatuor definitiones.

Diuidit corpus inſalubre in triplicem differentiam : aliud dicit eſſe quod ab ipſo ortu naturæ malam habet ſimilarium partium temperaturam, aliud non malam temperaturam , ſed organicarum partium malam commenſurationem , aliud verò inſalubre , quod eſt omnium inſalubrium peſſimum , dicit, eſſe illud quod,& malam temperaturam in ſimilaribus, & malam conformationem in organicis acquiſiuit.

Gal. cenſet inſalubritatem conſiſtere in ſimilaribus intẽperatis,& in diſſimilaribus incommẽſuratis,vel in vtriſque vitiatis, reprehenditque lib. de tremore,& palpitatione cap.6. Aſclepiadẽ, qui putabat,intemperantias in meatuum magnitudinibus conſiſtere, neque admittebat , febres eſſe intemperantias, dicebat enim eſſe incommenſurationes.

Statuamus igitur cum Gal. octo eſse intemperantias, quatuor ſimplices, ſcilicet calidam,frigidam,humidam ſiccam , & quatuor compoſitas, calidam ſiccam , calidam humidam , frigidam humidam , & frigidam ſiccam : & vnicam eſse temperaturam exactè æqualem, quæ tamen eſt cum aliqua latitudine ; quia illa quæ conſiſtit in puncto non datur,& quando ictu oculi daretur,non pertineret ad medicum, qui ſenſibilia , & non inſenſibilia contemplatur,Nouem igitur erunt complexiones , octo erunt intemperatæ, & vnica temperata,quæ reſpectu extremorum eſt in medio.

Hinc errant nonnulli, dũ præter octo intẽperaturas diuidũt adhuc in alias vt in intemperiem bilioſam,pituitoſam,& melancholicã, quod eſt vitium à Gal.exploſum nono methodi capite 14. vbi dicit morbos non eſse diuidendos in cauſas : cauſæ enim à morbis genere differũt,nec tranſitus de genere in genus conceditur: humores verò genere differũt ab effectibus ſimilarium,vel diſſimilariũ: hæc ſunt verba Galeni loco citato , *affectus verò haudquaquam deduci eſt aptus in cauſas , ſed in differentias*:nam aut in ſimilaribus conſiſtit partibus,aut in organicis.

Præterea Gal. primo de locis affectis tranſitum hunc à cauſa ad affectum reprehendens, vocat ſoritem , qui modus procedendi eſt vitioſus;eius vitium notatur ab Ariſtotele ſecundo poſt.tex.19.vbi docet, quod quid eſt non poſſe inueniri , niſi facta diuiſione in eodẽ genere: quare vaniſſimè procedunt, qui diuidunt intemperaturas in bilioſam,melancholicã , & pituitoſam ; Diſcedum igitur cum Ga-

leno

leno octo eſſe intemperaturas, & quamlibet illarum recedere à temperato per primum gradum, vel ſecundum, vel tertium, vel quartum: ſic enim placuit medicis ſenſatis diuidere, & deindè quemlibet gradum in tres manſiones, it aut omnes manſiones octo intemperaturarum ſecundùm quatuor gradus conſideratæ perueniant ad ſex ſupra nonaginta.

Hinc errat Auerroes, qui 2. Colliget, cap. 1. poſuit quatuor ſolùm temperamenta compoſita: negauitq; ſimplicia, & temperamentum mediocre: Hæc opinio, quæ fuit nonnullorum antiquorum ab ipſomet Galeno reijcitur primo de temperamentis cap. 3. & in eodem libro reijcit quoque opinionem quorumdam credentium duo ſolùm dari temperamenta compoſita, ſcilicet calidum, & ſiccum, & frigidum, & humidum: negabantque calidum, & humidum, & frigidum ſiccum: quas opiniones nos ſuperiùs reiecimus.

1 Dubitatio oritur, quia Galenus ait inſalubria ſimpliciter ab ortu naturæ habere malas temperaturas, & incommenſurationes; eſſe tamen in latitudine ſanitatis; quod quidem non videtur verum, quia corpora, quæ habent malas temperaturas, & incommenſurationes, neceſſariò dicuntur ægrotantia.

Reſpondetur malam temperaturam, & incommenſurationem ſumi dupliciter, vel vt lædens operationes, vel non lędens: dicimus, quòd mala temperatura, & incommenſuratio ſint ægritudines ſolùm quando lædunt operationes, ſi verò non lædant, quantumuis malæ ſint temperaturæ, & incommenſurationes, dicimus non eſſe ægritudines.

Ex Galeno lib. 1. de temperamentis dictum eſt, vnam eſſe bonam temperaturam, quæ eſt in medio, alias verò octo eſſe malas: quis eſt ille, qui habet bonam temperaturam, quæ eſt in medio, vel bonam commenſurationem, quæ eſt mediocris, & eſt regula cæterarum? Hinc Galen. 2. de temperamentis c. 4. & 7. meth. cap. 11. dicit, aliam eſſe intemperiem corporum ſanorum, aliam ægrorum.

Hinc quoque Galenus putat, incommenſurationes varias dari, quæ ſanis corporibus conueniunt. Quatuor exempla habentur in hoc libro de mala commenſuratione ſanorum.

Primũ exemplũ eſt de magno capite.

Aliud quorumdam, quorum potus felleus non ad ieiunium, ſed ad ventriculum perueniebat, vndè ſæpiſſimè vomitu billioſo tentabantur.

Aliud quoq; proponit exemplum illorum, quorum venæ hepatis erant adeò anguſtæ, vt leui errore commiſſo in obſtructionem incidebant.

Tandem à Galeno affertur adhuc aliud quorumdam hominum adhuc perſeuerantium in latitudine ſanitatis, qui habebant ventriculum paruum rotundum, & ſepto tranſuerſo incumbentem.

Ecce quod dantur malæ commenſurationes, quæ tamen cùm ſenſibiliter operationes non lędant, non efficiunt corpora inſalubria nunc, ſed conſeruantur in latitudine ſanitatis.

2 Dubitatio occurrit in verbis Galeni, quia cùm hæc tria ſint morborum genera: intemperies, mala compoſitio, & ſoluta vnitas, videtur Galenus diminutus, dum in declaratione inſalubris ſimpliciter ſolùm faciat mentionem de mala temperatura, de incommenſuratione, & de ſoluta vnitate ne verbum quidem.

Reſpondent aliqui, Galenum, dum inquit, *vel habet vtrumq; vitium*, intelligere ſolutam vnitatem, quia intemperies eſt vitium ſimilarium, incommenſuratio diſſimilarium, ſoluta vnitas eſt vtrorumque. Quæ reſponſio eſt vaniſſima, quia per vtrumque vitium intelligit malam temperaturam, & incommenſurationem, ſicut ex verbis clariſſimè colligitur, & non ſolutam vnitatem.

Reſponſio vera eſt, quòd ſoluta vnitas non poſſit reperiri in latitudine ſanitatis, ſicuti reperitur intemperies, & incommenſuratio. Prætereà inſalubre ab ortu naturæ poteſt conſtitui cum tali incommenſuratione, & mala temperatura, quæ ſit in latitudine ſanitatis, ſed non poteſt corpus conſtitui cum ſoluta vnitate, quod ſit in latitudine ſanitatis: immò eſto quod corpus aliquam ſolutam vnitatem pateretur à prima generatione, (quod vix conceditur) dicimus, quòd tunc eſſet in latitudine ægritudinis, & nequaquam in latitudine ſanitatis.

3 Du-

3 Dubitatio ex dictis conſurgit, quia dictum eſt, ſolutam vnitatem eſſe extra latitudinem ſanitatis, & hac de cauſa Galenum declarando inſalubre propoſuiſſe malam temperaturam, & incommenſurationem, nihilque dixiſſe de ſoluta vnitate: attamen contrarium dicere videtur capite 88. particula 6. vbi reprehendit nonnullos, qui putabant ſolutionem continuitatis non poſſe reperiri in ſanitatis latitudine, ideo Galenus ait ad faciendam ægritudinem requiri ſenſibilem læſionem operationis, quæ ſanitatem ſeparat ab ægritudine; Medicus enim eſt artifex, cuius principia, & paſſiones ſunt ſenſata: ideo ſenſibili læſione ſeparat ſanum ab ægro.

Reſpondet Sclanus ſolutionem continui in prima generatione, ſeu in prima conſtitutione non eſſe effatu dignam: addit, hanc ſolutionem continui prodire ab intemperie, vel à mala compoſitione, ideò Galenum cõtinui ſolutionem omiſiſſe; Sed hæc reſponſio non tollit dubium; quinimo aliud nouum parit; quia ſi Galenus omiſiſſet ſolutionem continui, quoniam hæc ſolet prodire ab intemperie, vel à mala compoſitione; ergo poterat omittere in definitione inſalubris ſimpliciter in commenſurationem, quia hæc ſimiliter poteſt prodire à ſimilarium intemperie.

Dicimus nos Galenum nobis non refragari, quia cap.88. loquitur de ſoluta vnitate, tamquam de morbo extrinſecus illato; in hoc loco verò de inſalubri ſimpliciter ab ortu naturæ ſic conſtituto, in quo ſtatu nulla ſequitur ſoluta vnitas, quando verò ob humores feruidos atque ignitos in prima generatione vnitas ſolueretur, dicimus quod vel fætus periret, vel ſi ad hanc vitam perueniret, non poſſet dici inſalubre ſimpliciter ab ortu naturæ, ſed inſalubre vt nunc, quod ex Galeno dicit actualem ægritudinem.

Quæritur in hoc loco à Pluſquamcommentatore, quodnam ſit genus in hac definitione corporis inſalubris ſimpliciter; dicitque loco generis eſſe aggregatũ ex intemperato, & incommenſurato.

Sclanus cenſet loco generis eſſe corpus: cætera autem verba eſſe loco differentiæ,

Vterque videtur errare; Pluſquamcommentator, quia conſtituit genus definitionis eſſe aggregatum, quod eſt tota definitio: verba enim aggregata non debent eſſe genera, ſed potius differentiæ, quia cum ſæpè ſint ignotæ plurimis verbis deſcribuntur.

Sclanus, quia non corpus eſt genus ſanitatis, vel ægritudinis, ſed qualitas: Hinc ſalubre dicit potentiam; inſalubre verò impotentiam, quæ pertinent ad prædicamentum qualitatis; quando Galenus dicit, *inſalubre ſimpliciter corpus:* dicimus quod loquatur de potentia, quæ ex Ariſtotele parum reſiſtit, quæ eſt genus omnium inſalubrium: potentiam verò quæ multum reſiſtit conuenire corpori ſalubri; hæ potentiæ ſuſcipiunt magis & minus; & habent contrarium corpus verò vel ſit de prædicamento ſubſtantiæ, vel quantitatis: non habet contrarium poſitiuum, nec ſuſcipit magis, & minus; vtinam corpus eſſet genus ſalubris; nos nunquam ægrotaremus, & ob hanc rationem eſſemus ęterni; quia quantitas non eſt capax alterationis; quare genus ſalubris, & inſalubris non eſt corpus, vt ait Sclanus, ſed qualitas: genus vero proximus eſt potentia, quæ ſi multum reſiſtat, eius corpus eſt ſalubre, ſi mediocriter eſt neutrum, ſi parum eſt inſalubre.

Hinc Ariſtoteles in prædicamento qualitatis definit ſalubre, & inſalubre, quod habet potentiam naturalem non facilè patiendi: inſalubre quod habet impotentiam nihil patiendi.

In hoc loco Pluſquamcommentator quærit, quomodo ſalubre, & inſalubre ſint cõtraria, ſi ſint in diuerſis generibus: omnia enim contraria ſub vnico genere collocantur: Reſpondet quod ſalubre, & inſalubre opponuntur inter ſe, vt liberalitas, & auaritia, quæ ſunt ſub diuerſis generibus; auaritia enim ſub vitio, & liberalitas ſub virtute; ſupponitque non eſſe inconueniens, quod quæ ſunt in diuerſis generibus poſſint ſibi aduerſari.

Pluſquamcõmentator errat, quia non dantur oppoſita, vel contraria, quæ non collocentur ſub vno genere; quia in quolibet genere duo ſunt contraria, vt dicit Ariſt.1.phyſ.& 1. de generatione tex.51. ſimiliter Gal. primo methodi c. 7. docet, in

in vnico genere eſſe duo contraria.

Id probatur quoque experientia; quia in ſaporum genere dulce aduerſatur amaro, & in generatione primarum qualitatum actiuarum frigidum aduerſatur calido; neque inuenietur aliud contrarium, quod per ſe reluctetur calido, niſi frigidum; immo Gal. hoc principio motus probat 9. methodi capite 12. & ſecundo methodi capite 13. vnum indicare vnum, & non plura; quia vni contrario vnicum ſolum aduerſatur, & non plura; neque ſub ſuo genere, neque ſub alio inuenietur aliud, quod illi aduerſetur.

Inſuper ex altiori philoſophia idem colligimus; Ariſtoteles enim 10. metaphy. tex. 13. declarans naturam contrarietatis ait, contrarietatem eſſe maximam differentiam eorum, quæ ſunt ſub eodem genere.

Temiſtius exprimens eundem Ariſtotelis conceptum primo phyſicor. 47. dicit contraria ſunt, quæ eiuſdem generis extremas margines obtinent.

Diuus Thomas in meteorologicis clarius de hac re loquens inquit, contraria eſſe duas formas maximè diſtantes in eodem genere, vt calidum, & frigidum in genere primarum qualitatum; quare, cum in vnico genere ſint tantum duo extrema, in quolibet genere erunt duo oppoſita contraria, & non plura.

Præterea Ariſt. 8. phy. tex. 64. docet, cõtraria ſe mutuò corrumpere, & impedire, vt motus qui eſt ſurſum deſtruit motum, qui eſt deorſum; motus tamen in latus non impedit motum, qui eſt ſurſũ.

Colligimus ergo, quod omnia quæ sũt in alijs generibus ſint in latus, & non in longum; propterea contraria vnius generis non aduerſari contrarijs alterius.

Demum Ariſtotel. 10. metaphy. tex. 14. probat, quod vni vnum tantum ſit contrarium. Decipitur igitur Pluſquamcommentator, dum inquit, contrarium vnius generis refragari poſſe cõtrario alterius.

4 Dubitatio exurgit, quia non videtur, quod omninò err. t Pluſquamcommentator: quia Ariſt. in poſt prædicamentis cap. de oppoſitis docet, dari nonnulla cõtraria, quæ ſibi aduerſantur, & quæ ſunt in diuerſo genere; datque exemplum de virtute, & vitio dicens, vitium eſſe vnum genus, virtutem aliud: tamen vitium aduerſatur virtuti.

Similiter liberalitas eſt ſub genere virtutis, auaritia ſub genere vitij; tamen liberalitas aduerſatur auaritiæ; ecce inquit, quod contraria diuerſorum generum ſibi aduerſantur.

Reſpondemus huic dubio, auaritiam, & liberalitatem, & omnes virtutes, & omnia vitia eſſe in vno genere ſubalterno, ideſt in habitu, & diſpoſitione; quare aliud eſt conſiderare morum genera, & aliud eſt conſiderare genera proxima, de quibus loquimur, quæque collocantur in prædicamentis.

Hinc Ariſtoteles in moralibus dixit hominem ſapientem ab ignaro differre genere; nihilominus homo ignarus, & homo ſapiens realiter nec genere, nec ſpecie inter ſe differunt.

Similiter philoſophus videns, extrema non differre genere à medio, dixit lib. 10. metaphy. tex. 22. media, & extrema eſſe eiuſdem generis: quare dicendum eſt, auaritiam, & prodigalitatem, quæ ſunt extrema vitioſa non differre genere à virtute, quæ eſt in medio.

Similiter ſalubre, & inſalubre non differre genere, ſed eſſe duas extremas differentias contrarias collocandas ſub vno genere proximo, quale eſt potentia, quæ eſt qualitatis ſpecies.

5 Dubitatio exurgit, quia non videtur, quod ſalubre, & inſalubre ſint ſub vno genere: quia ſalubre eſt in genere potentiæ; inſalubre verò in genere impotẽtiæ: & ſic ſalubre, & inſalubre non erunt duo contraria, quia quæ ſunt in diuerſo genere non poſſunt eſſe contraria. Præterea Ariſtoteles in antepredicamentis dicit, diuerſorum generum non ſunt eædem ſpecies, & differentiæ; ſi igitur differentiæ vnius non ſunt eædem cum differentijs alterius generis; ergo ſalubre, & inſalubre non erunt contraria.

Reſpondetur, quod inſalubre non eſt in genere impotentiæ, ſed in genere potentiæ; dicitur enim inſalubre, quia habet potentiam, ſed diminutam reſiſtendi; quod hoc verum ſit patet, quia ſi inſalubre non haberet potentiam aliquam, nõ eſſet in latitudine ſanitatis; ſicuti probatum eſt ſuperius; quod verò habeat poten-

tentiam aliquam patet,quia corpus inſalubre digerit,excernit excrementa,vt faciunt omnes ſani, editq; omnia officia, quamuis diminutè.

Notandum tamen,quod colligitur hic ex Gal.inſalubre corpus eſſe trium generum;primum eſſe inſalubre ob intemperiem ſimilarium, & ob incommenſurationem diſſimilarium,& hoc ſalubre dici inſalubre ſimpliciter ſemper.

Secundum inſalubre eſt quod habet vitium in ſimilaribus tantùm, & non in diſſimilaribus;hocq; poteſt dici inſalubre vt multum:tertium eſt inſalubre in organicis,& non in ſimilaribus, hocq; ſimiliter poteſt dici inſalubre vt multum.

Simili modo partitur ſalubre ſimpliciter vel per bonas temperaturas,vel commenſurationes: contrariorum enim eadem eſt diſciplina.

Haly in hoc loco decipitur,dicens,corpus inſalubre in hoc cap. à Galeno definitū non eſſe idem cum illo propoſito in definitione medicinæ,ait .n. in definitione medicinę per inſalubre Galen. intelligere corpus actu ægrum;in hoc tex.verò per inſalubre intelligere potentiam,ideſt corpus,quod ob imbecillitatem acquiſitā ab ortu naturæ facilè poſſit ægrotare: Et quod eſt riſu dignum,addit,Galenū,dum definitionem medicinæ tradidit,non cognouiſſe tale corpus inſalubre, quod dicit potentiam ad ægritudinem ſine actuali ægritudine: ſed ſcribendo de hac re in eius cognitionem perueniſſe.

Quæ opinio eſt falſa,& indigna expoſitore:eſt falſa, quia de hoc corpore inſalubri,quod non actu ægrotet Gal.non ſemel ſuperiùs in l.ad Thraſyb. & alibi habuit ſermonem:eſt indigna,quia Gal.qui in omnibus eſt exactiſſimus, ſi in ſcribēdo de hac re ſolū in hoc loco animaduertiſſet in definitione medicinæ tradita nō eſſet comprehēſum hoc corpus inſalubre actu ſanum,potuiſſet hęc pauca,quę ſcripta ſunt vſque ad hunc textum delere, & iterū melius ea deſcribere: concludamus igitur oportet, Galen. per inſalubre ſimpliciter ab ortu naturæ non intellexiſſe corpora,quæ actu ægrotant,ſed quę ſunt ſana ſanitate imperfectiſſima,& quæ diu non poſſint perſeuerare: quia potentia reſiſtendi externis cauſis eſt perexigua.

QVINTI CAPITIS
Particula II.

Inſalubre verò nunc eſt corpus,quod eo tempore, quo tale dicitur, ægrotat, neq; obſcurum eſt,quod & hoc ipſum, eo quo dicitur tempore ægrotans, vel in conſimilibus malam habet temperaturam, vel in inſtrumentarijs incommenſurationem, vel vtrumque.

DEfinito in par. ſuper. corpore inſalubri ſimpliciter: in hac definit inſalubre vt nunc, & meritò,quia inſalubre ſimpliciter,& vt nunc ſunt ferè oppoſita,& oppoſita inuicem debent dignoſci: verùm quia variæ ſunt ſententiæ in declaratione iſtius inſalubris vt nunc, aliquas proponemus, antequam ſententiam noſtram in medium afferamus.

Gentilis, & Pluſquamcommentator, qui ob deprauatam tex. conuerſionem non potuerunt Galeni arcana penettare,putabant,per inſalubre corpus Galen. intelligere corpus ęgrū,ideò dixerunt,illas ægritudines, quæ nō ſunt ab ortu naturæ, nō eſſe vocandas ægritudines ſimpliciter;ſed ſolū ſecundū quid,& vt nūc, illaſq; vocandas eſſe inclinationes ad ægritudines,cenſebantq; hecticam febrē, & omnes grauiſſimas ægritudines, quæ quotidie de nouo fiunt,non poſſe vocari ægritudines ſimpliciter, quia dicebant, à Galeno ægrum corpus ſimpliciter illud vocari,quod eſt tale ab ortu naturæ.

Inſuper ex vno errore in alios maiores illapſi ſunt;putarunt enim claudos,& cęcos à natiuitate non eſſe actu ęgros,quia non ſunt vt nunc,ſed ab ortu naturæ.

Horum errorum radix fuit, quia in textibus antiquis loco inſalubris legebatur ægrum.

Quòd verò apud Galen. dentur ægritudines actu tales,quę ſint quoq; ab ortu naturæ, legamus librum de differentijs morborum cap.7.& 9.vbi à Galeno malę conſtitutiones ab ortu naturæ lædentes ſenſibiliter aliquam operationem vocantur actuales ægritudines: cùm igitur iſti Auctores toto cælo à principijs Galeni recedant, eos omittemus.

Manardus putat, ſalubre, & inſalubre non dicere actum,ſed potentiam naturalem,

lem, quæ perſeuerat vſq; ad mortem: cenſetq; omnia corpora ſalubria, inſalubria,& neutra, quando ægrotant, eſſe inſalubria nunc: additq; particulam nunc additam inſalubri ſimpliciter augere malitiam, additam uerò ſalubri diminuere perfectionem: additam deniq; corpori neutri, quod eſt exactè mediũ, illud pellere extra latitudinẽ ſanitatis: Putat igitur nunc minuere potentiam reſiſtendi.

Opinio Manardi non videtur omninò uera, quia non poteſt admitti, quod nunc additum inſalubri augeat malitiam, uel additum ſalubri diminuat perfectionem: quia dum inſalubre ſimpliciter ægrotat dicitur inſalubre vt nunc: habet .n. præter inſalubritatem acquiſitam ab ortu naturę aliam nouam inſalubritatem, quę differt ab inſalubritate ſimpliciter toto genere; quia ſalubritas, uel inſalubritas ab ortu naturæ eſt totum eſſe rei; eſtque determinata calidi innati conditio, quæ eſt in prædicamento ſubſtantiæ, & à Galeno 3. de temperam. quarto uocatur natura, & uniuerſa ſubſtantia: ſalubritas, uel inſalubritas vt nunc eſt accidens de prædicamento qualitatis, quod denominatiuè, & nõ vniuocè prædicatur de ſalubritate, uel inſalubritate, quæ ſunt in prædicamento ſubſtantiæ.

Hinc iuuenes ſaluberrimi ab ortu naturæ, ſi vulnerentur, fiunt inſalubres ut nunc: dum ſanantur, iterum fortes, & ſaluberrimi fiunt, non quod ſalubritas ab ortu naturæ mutata ſit, quia illa cũ ſit in ſeminalibus in prima generatione acquiſita diutiſſimè perſeuerare poteſt; minuiq; ſolet lõgo temporis ſpatio eo modo, quo oleum in lucerna: dum uerò vulnus tollitur, iterum reddit ſalubritas, non tamen de nouo facta eſt, ſed erat ſolum à vulnere impedita, ne ſua ederet officia.

Ecce quod particula nunc non minuit potentiam ſalubris corporis ſimpliciter, ſed ſolùm impedit; quod uerò impediat eſt clariſſimum, quia ablato inſalubri nunc, ſtatim eadem officia à corpore ſalubri ſimpliciter diapandos eduntur.

Nos igitur credimus, nihil aliud ſignificare inſalubre, uel ſalubre, quam potentiam, ut dicit Manardus; Ariſtoteles .n. in prædicamento qualitatis habet hęc uerba; *ſalubres dicuntur, eo quòd habeant potentiam naturalem, vt nihil à quibuſdam accidentibus facilè patiantur: inſalubres quod impotentiã habeant naturalem facilè patiendi à quibuſdam accidentibus:* ecce quod ſalubre eſt potentia reſiſtens, ibiq; idẽ docet Boet. ſimiliter inſalubre eſt potentia nõ reſiſtens, uel parũ reſiſtens; dũ uerò ſalubre ægrotat, fit inſalubre nunc.

Similiter dum inſalubre ęgrotat fit inſalubre nunc; idem dicimus de neutro; quibus poſitis, dicimus inſalubre nunc indicare potentiam non illam, quæ eſt ab ortu naturæ, ſed de nouo introductam, illamq; conſideraſſe Galenum in hoc loco; & non actualem ęgritudinem, ut plurimi malè interpretantur.

Quamuis uerò Galenus in hoc libro, & 1. de loc. aff. doceat inſalubria ut nunc eſſe dignoſcenda ex tumore, actione læſa, excrementis, & dolore, aſſerimus id feciſſe, ut traderet nobis uiam agnoſcẽdi inſalubritatem ut nunc, quatenus eſt potentia inepta ad patiendũ, & ad reſiſtendũ; hanc tamen potentiã dicimus maximã habere latitudinẽ; quoniam, ſi ſalubre ab ortu naturæ ægrotat, habet potentiam naturalẽ reſiſtendi maximam; illa uerò, quæ à morbo introducitur, eſt minima.

Si uerò inſalubre ab ortu naturę ęgrotat, & fit inſalubre nunc, potentia ad reſiſtendum eſt ferè nulla, & hæ potentiæ inter ſe toto cęlo differunt; quare in inſalubri nunc duo ſunt potentiæ, ſeu impotentiæ; altera ab ortu naturæ, quæ diutiſſimè perſeuerat iuxtà illam ſortem, quam in prima generatione acquiſiuit, quæq; illo modo, quo lucerna ob olei conſumptionem minuitur; altera eſt de nouo introducta, & hæc non eſt ægritudo, ſed occaſione ægritudinis orta.

Dum quis febricitat redditur exiguæ potentiæ, & virtutis; exigua verò illa potentia eſt inſalubritas nunc, quæ differt à morbo, quamuis à morbo cauſetur; eam tamen à morbo ſeparare poſſumus: abſtrahentium enim nullum eſt mendacium ex Ariſtot. 2. phyſ. tex. 18.

Hæc tria igitur ſunt diuerſa: primum eſt ſalubritas, ſeu inſalubritas, uel neutralitas ab ortu naturæ: ſecundũm eſt inſalubritas ut nunc: tertium eſt ægritudo actualis: ſuntq; hæc tria ſua natura omninò diſtincta.

Hinc qui dicunt in hoc tex. corpus inſalubre nunc participare naturam,& definitionem inſalubris ſimpliciter valde errant.

Oſtendimus enim ex Galeno, ſalubritatem,vel inſalubritatem ſimpliciter eſſe primam conſtitutionem: eſſeque totum eſſe rei: quia in ſemine eſt illa potentia acquiſita: eſſeq; tale determinatum calidum innatum,quod diutiſſimè durat tale cum aliqua tamen perenni diminutione, quæ tamen maior vel minor eſt, prout externi errores ſunt magis vel minus violenti:de hac primigenia conſtitutione dicit Galen.3. de temperamentis c.4. eſſe naturam & vniuerſam ſubſtantiam, quæ licet vocetur potentia, dicimus tamen hanc non differre à fundamento,eſſeque in prædicamento ſubſtantiæ:inſalubritatem verò vt nunc eſſe in prædicamento qualitatis.

Nec valere illorum inſtantiam,qui dicunt, potentias omnes eſſe in prædicamento qualitatis, quia Ariſt.7. phyſ.& 5. metaphyſ. non poſuit in prædicamento qualitatis potentias: vel poſſumus etiam dicere ſupponendo potentias eſſe in qualitate; conſtitutionem vero vel ſalubritatem vel inſalubritatem ab ortu,quatenus coincidunt cum calido innato & vniuerſa natura, eſſe in prædicamento ſubſtantiæ: ſicuti ipſemet Gal.1. de vſu part. c.9. teſtatur, dum dicit, nihil aliud eſt carnis eſſe,quam temperamentum carnis,intelligens per temperamentum non qualitatē,ſed vniuerſam ſubſtantiam,ſecundum quam intelligentiam 1.meth.cap.6.habet vnam partem differre ab alia inquantum temperamentum vnius differt a temperamento alterius.

Patet præterea quod Galenus per temperamentum non intelligat qualitatem, ſed ſubſtantiam, quia tertio de temper. cap.4. dicit idem eſſe temperamentum, vniuerſam ſubſtantiam,& naturam,& 1. aphor. comment. 15. dicit temperamentum idem eſſe quod calidum innatum,& libro quod animi mores ſequantur temperaturam corporis calidum innatum, & temperamentum idem eſſe,quod animæ eſſentia:ſic Gal.3.de cauſis pul.9.dicit calidum innatum eſt cauſa actionis,ideſt eſt ille qui concoquit. Secundo verò de fac.nam lib.9.temperamentum eſt cauſa actionis ergo idem eſt temperamentum & calidum innatum, & ambo ſubſtantiæ ſunt. Demum Gal. 2. ad Glauconem 2. concludit calidum innatum eſse ſubſtantiam virtutum, ergo per temperamentum & per calidum innatum non intelligimus qualitatem, ſed ſubſtantiam ipſam:ecce quod temperamentum ab ortu naturæ ſit ſalubre vel inſalubre differt a temperamento, quod introducitur de nouo, & ab illo quod eſt qualitas prædominans; temperamentum verò ab ortu naturæ vel ſalubre, vel inſalubre eſt forma quædam ſubſtantialis cenſurgens a mixtura quatuor elementorum, quæ quatenus actum & formam dicit perſeuerat talis vſq; ad obitum,quatenus verò dicit potentiam reſiſtendi ſemper minuitur eo modo,quo oleum in lucerna,quod non animaduertit Manardus.

QVÆST. XXIV.

Quod corpus ex omnibus ſit peioris conditionis.

QVæritur hic quod nam ex omnibus corporibus ſalubribus,inſalubribus, & neutris ſit peius; Sclanus cenſet, inſalubre vt nunc eſſe peius omnibus alijs corporibus; dicitq; ſi ſalubre ſimpliciter incidat in aliquem morbum eſse peioris conditionis, quam corpus inſalubre ab ortu naturæ.

Quę opinio eſt adeò à veritate aliena, vt ſit meo iudicio indigna redargutione; quoniam aderit per hypotheſim corpus omninò inſalubre ob vitium omniū partium ſimilarium, & diſſimilarium; quomodo hoc poterit eſſe in meliori conditione,quam corpus ſaluberrimum ab ortu naturæ, quòd ſit factum inſalubre nūc ob vulnus ſimplex,vel ephimeram febrē? ego certè eligerem ſtatim hunc ſalubrem ſimpliciter cum leuiſſimo morbo potius, quam ſtatum inſalubrem ab ortu naturæ cum peſſima ſanitate coniunctū.

Manardus putat ſemper eſſe verum, quod inſalubre nunc reſpectu ſui corporis,antequam ſægrotet,ſit imperfectius; exempli gratia ſalubre ſimpliciter incidit in morbum; tunc dicit, eſse imperfectius

dum

dum morbo laborat,quam ſi eſſet inſalubre ſine morbo præſente:ſimiliter ſi neutrum ſimpliciter incidat in morbum, fit inſalubre nunc,ait acquirere deteriorem conditionem:Hæc Manardi ſententia eſt veriſſima, & lippis nota, ſed non ſoluit nodum.

Ego tamen dicerem,inſalubre vt nunc dupliciter conſiderari poſſe, vel ratione ægritudinis præſentis, vel ratione potentiæ & aptitudinis corporis inſalubris vt nunc: Qui hoc modo non diſtinguit, neceſſario multas relinquit difficultates inſolutas. Dico ergo ſi ægritudo eſt periculoſa & longa,quæ eſt conſideratio primo modo accepta, tunc inſalubre nunc eſſe alijs corporib. imperfectius: ſi verò conſideretur inſalubre nunc ſecũdo modo,i. ratione aptitudinis, dico ſi aptitudo, vel potentia eſt de genere ſalubriori, quod quo ſalubrior eo ſit perfectior, quo inſalubrior eo imperfectior:Inſalubre vt nũc, quod cadit à ſalubri ſimpliciter, eſt potẽtia longè perfectior, quam inſalubre vt nunc,quod cadit ab inſalubri ſimpliciter.

Notandum eſt, inſalubre vt nunc non eſſe formaliter illam actualem ægritudinem, qua corpus efficitur inſalubre nũc: quia in hac parte artis medicinalis non agitur de ægritudinibus, ſed de corporibus:quare dicimus quod inſalubre vt nũc ſit illa talis potentia corporis de nouo acquiſita apta ad reſiſtendum magis,& minus pro maiori vel minori affectuum præter naturam vi illata in illud corpus: poteſt enim eſſe magnus morbus, & potentia ad reſiſtendum vehemens, & talis qualis non erit,non dicã in inſalubri ſimpliciter,ſed in inſalubri vt multum:immo quia ſalubre ſimpliciter habet latitudinẽ credimus,ſi ſalubre ſimpliciter perfectiſſimũ ſecundum omnia viſcera parũ vulneraretur, & fieret inſalubre vt nunc, quod hoc corpus eſſet magis ſimpliciter ſalubre,quam aliquod ſalubre ſimpliciter non ęgrotans,quod ſit minus perfectum: omnia .n. corpora vt ſanitatis vel morbi capacia, vt ait Galen. lib.de differentijs morborũ c.2.ſuſcipiunt magis & minus.

Argenterius carpit Galenum, dicitq; diuiſionem corporum ſalubrium in ſimpliciter & vt nunc, non explicare naturã corporum inſalubrium non ægrotãtium & ægrotantium: & argumentatur ſic: ſi quod eſt ſimpliciter tale perfectius participat illius naturam,quam ſecũdum quid tale, ergo ſimpliciter ſalubre erit perfectius, quam ſecundum quid ſalubre: quo poſito,ſic iterum argumentatur;ſi inſalubre ſimpliciter,quod re vera magis participat naturam inſalubritatis,eſt in ſanitatis latitudine, ergo erit quoq; in ſanitatis latitudine inſalubre vt nunc, immò inſalubre vt nunc erit in loco perfectiori; quod quidem eſt falſiſſimum,quoniã inſalubre ab ortu naturę poteſt eſſe ſanum, dum verò ęgrotat fit inſalubre vt nunc, quod poteſt eſſe in ſtatu omniũ peſſimo.

Ratio Argenterij non concludit, quia per ſimpliciter tale non intelligimus exquiſitè perfectum; ſed per ſimpliciter intelligimus quod eſt tale à natura,& a prima genetatione,& per ſe, quæ ſunt conditiones explicantes eſſentiam illius;dum dicit,ſi inſalubre ſimpliciter eſt in ſanitatis latitndine, ergo erit quoq; in ſanitatis latitudine inſalubre vt nunc.

Argumentum Argenterij eſt vaniſſimum peccanſq; in forma,& in materia; in forma, quia minus extremum non continetur ſub medio; minus extremum in argumento eſt inſalubre vt nunc, medius eſt ſimpliciter tale, quod magis participat naturam, quam ſecundum quid; dicimus nos, quod inſalubre vt nunc ſit quædam natura omninò diuerſa & diſtincta ab inſalubri ſimpliciter,ita vt neq; hæc de illa prædicari poſſit,neq;attributa potentiæ ab ortu naturæ de iſta quæ vt nunc, quæquè morborum occaſione introducitur prædicantur.

Pręterea argumentum Argenterij videtur elenchus quartus in re,& eſt quando arguens intelligit vno modo, audiens verò alio modo; Argenterius per ſimpliciter tale intelligit perfectius tale; & hoc modo intelligendo, eius argumentum haberet maximam vim; nos autem per ſimpliciter tale intelligimus conditionem talem primigeniam,& propriam;& ſic argumentum eius eſt nullum.

Non valet ſimpliciter inſalubre habens hanc conditionem primigeniam,quę ſua & proprijſſima eſt; eſtque in ſanitatis latitudine,ergo erit etiã inſalubre vt nunc, quia hoc inſalubre vt nunc non habet ex

neceſſitate illam naturam, quia antequam ęgrotet, poterat eſſe ſalubre, vel inſalubre vel neutrum; & qui hæc non intelligunt nunquam penetrabunt artificium huius tractatus.

1 Dubitatio ex verbis Galeni oritur; quia loquendo in tex. de inſalubri, vtitur particula diſiunctiua dicens inſalubre vt nunc vel in conſimilibus habere malam temperaturam, vel in organicis incommenſurationem, vel vtrumq; nihilominus, dum ſuperius loquebatur de ſalubri, vtebatur particula copulatiua dicens, ſalubre vt nunc habere bonam temperaturam, & commenſurationem; ſi igitur contrariorum eadem eſt diſciplina, debebat cum particulis coniunctiuis, & non diſiunctiuis procedere.

Reſpõdent Expoſitores, & rectè quod ad bonum omnia requirãtur, ad malum ſatis ſit vnum malum; ſic Galenus dicit, inſalubre vt nunc fiet vel ob aliquam ex intemperaturis, vel ob morbum in mala compoſitione, vel ob vtrumq; vitium.

Morbi in intemperie ſunt nonaginta ſex, ſi octo ſunt intemperantiæ, vt dicit Galen. lib. de temperamentis, & quilibet recedere poteſt à mediocri temperamento per quatuor gradus, & quilibet gradus diuiſus eſt in tres manſiones.

Morbi in mala compoſitione ſunt in numero diminuto, vel ſuperfluo; in magnitudine aucta vel diminuta; in conformatione, vt in figura, aſperitate, leuitate, cauitate, quæ de anguſtia, & apertione prædicatur, & deinde anguſtia de coaleſcentia, ſubſidentia, obſtructione, compreſſione, & conſtipatione; in ſitu ſępiſſimè accidunt ægritudines; ab his ęgritudinibus fiunt ſymptomata omnium generum, & ab his redduntur corpora inſalubria vt nunc.

Corpora verò inſalubria vt nunc vel habent temperpturam & conformationem peiorem, quam inſalubria ſimpliciter, vel non; habent peiorem, ſi inſalubria vt nunc talia ſint ob lethales morbos; non peiorem, ſi habeant curabiles morbos.

Hinc vaniſſima eſt hęc quęſtio, an mala temperatura, & mala compoſitio corporis inſalubris nunc ſit peior, quam illa, quæ eſt in inſalubri ſimpliciter; quia niſi diſtinguatur, & declaretur à quo morbo corpus factum ſit inſalubre nunc, quæſtio decidi non poteſt.

Præterea abuſiua eſt comparatio inter intemperaturã corporis inſalubris nunc, & intemperaturam inſalubris ſimpliciter; quia hæc eſt eſſentialis, & dicitur à Galeno totum eſſe rei; illa verò quæ facit inſalubre nunc eſt accidentalis, & de altera ſolum denominatiuè prædicatur; quæ enim inter ſe comparantur debent ſaltem genere conuenire.

Symptoma ſine morbo non efficit corpus ſalubre vt nunc, quia ſymptoma ex Galeno 1. methodi, c. 9. & alibi eſt morbi accidens; ſymptoma dicitur accidens, quia ſimul venit cum morbo; ideò accidens græcè dicitur συμβεβηκὸς ideſt ſimul veniens; in hac re Galen. 1. de locis affectis 5. laudat veteres medicos: illos tamen reprehendit, quia dicebant, conuulſionem ortam ab apoſtemate eſſe apoſtematis epigenemę, ideſt aduentitium germen, & ſymptoma; quia ablato apoſtemate, illicò ceſſat conuulſio.

Additur loco citato, quod febris ſit ſymptoma, quando ſenſibilem affectum partis ſequitur, eſt ſymptoma, quia eſt ſicuti vmbra inſequens corpus, & eſt perpetuo dependens, & ablato apoſtemate partis, ſtatim febrile ſymptoma euaneſcit; ecce quod omnes febres, quę ſequuntur apoſtemata dici debent ſymptomata.

Hinc noſtratum plurimi, dum tractant febrem malignam pendentem ab apoſtemate hepatis, vel alterius viſceris, vel dum tractant pleuriticum, errant valdè, dum confugiunt ad bezoartica, & ad bolos cordiales; quia febres omnes quotquot ſunt, quæ inſequuntur apoſtemata nihil indicant, quia ſunt ſemper in fieri, & tolluntur per ablationem apoſtematis; ideò dicimus, morbos facientes corpora inſalubria nunc eſſe tales, vt primo & immediatè lædant operationes, quæ ſenſibiles ſint; neq; corpora reddi inſalubria nunc, niſi prius diſpoſita ſint ad ſuſcipiendas ægritudines; Hinc Galen. lib. de cauſis morborum c. 2. docet, niſi prius diſpoſita ſint corpora, nec gladius abſcindere, nec ignis comburere valeret.

QVINTI CAPITIS Particula III.

Eſt verò & ſemper inſalubre, quod ex ipſo natura ortu, vel peſſimam habet temperaturam in ſimplicibus, & primis particulis omnibus, vel aliquibus, vel his, qua obtinent principatum, vel inſtrumentarijs incommenſuratum exiſtit. Similiter autem in his, vel omnibus, vel aliquibus, vel illis qua obtinent principatum.

TRadita definitione inſalubris ſimpliciter, & ut nunc:in hac par. dat definitionem inſalubris ſemper:dicit igitur inſalubre ſemper eſt, quod ab ortu naturæ habet vel peſſimam temperatuam in ſimilaribus omnibus,uel aliquibus,uel his, quæ obtinent principatum ; uel in organicis incommenſuratum exiſtit, in omnibus, uel aliquibus, uel illis, quæ obtinent principatum.

Tria præcipuè ſunt quærenda:primum quid intelligant Expoſitores per partes ſimilares principatum obtinentes:Secundum quæ ſint viſcera ſecundum opinionem philoſophorum, & Medicorum principatum obtinentia. Tertium an detur inſalubre ſimpliciter punctuale.

Quòad primum Pluſquamcommentator per partes ſimilares principatum obtinentes intelligit carnem, oſſa, & pinguedinem in communi ſumptam: ſed ab omnibus reijcitur: quia ex ipſomet Galeno patebit, dum de ſignis temperamẽti totius aget: quia ibi apertè docebit, iſtas partes ſimilares, ueluti eſt caro totius corporis, pinguedo, & oſſa ſi alterentur non ſolùm mutare poſſe temperamentũ totius, immò nec poſſe indicare ſtatum conſtitutionis totius corporis: quomodo igitur obtinebunt principatum? Hinc in arte medicinali Pluſquamcommentator tex. 76. Secundæ partis huius libri coactus veritate, & Galeni auctoritate cenſet temperamentum harum partium ſimilarium, ideſt carnis, pinguedinis, & oſſis non indicare totius temperamentũ.

Communis opinio eſt, quòd Galenus per partes ſimilares principatum obtinentes, intelligat partes ſimilares viſcerum principalium, ſicuti eſt caro cordis, iecinoris, & medullaris ſubſtantiæ cerebri,quæ dicitur caro cerebri,& membrana iſtorum viſcerum.

Cæterùm ſi de ſimilaribus primis, & ſimpliciſſimis loqui velimus, dicimus eſſe fibras omnium partium: fibræ .n. ſunt particulæ ſimpliciſſimæ,quæ in alias non diuiduntur.Præterea Galenus 3.de natural.facult. c.15. docet, ſolùm fibras eſſe ueras, primas, & ſimpliciſſimas particulas ſimilares componentes omnes partes diſſimilares.

Nos ſuperiùs diſputauimus in explicatione cap.5. particulæ 1. de ſimilaribus particulis, oſtendimuſq; cur à Galen. lib. de inæquali temperie cap.2. aliquando oſſa, ligamenta, adeps, venæ, & arteriæ uocentur ſimilares.

Diximus enim venas,arterias, & reliquas partes dupliciter conſiderari poſſe uel cum relatione ad partem aliquam organicam ex illis compoſitam, & hoc modo illas partes componentes aliquam organicam,quamuis ex ſe eſſent diſſimilares,dici ſimplices, & ſimilares particulas;uel conſiderari ſine relatione ad alias partes,& ſic non eſſe ſimplices,& ſimilares,ſed organicas, quia clariſſimè Galen. 6.de placitis Hipp. & Plat. cap.2. docet, ſimilare illud non dici,quod eſt compoſitum ex ſenſatis particulis: Hinc cùm membranæ,quæ ſunt ſimpliciores, quam ſint venæ, arteriæ, oſſa, ligamenta, & adeps ſint ex fibris compoſitæ, dicimus cum Galeno, fibras ſolùm eſſe partes ſimilares primas,& ſimpliciſſimas.

Arbitramur igitur,Galenum per ſimilares partes principatum obtinentes primò intelligere fibras carnis non totius, ſed hepatis, cordis, & ſubſtantiæ medullaris cerebri, & deindè viſcerum membranas, & eorum propriam carnem videlicet hepatis,cordis,& cerebri.

Poſtremò poſtquam placuit Galeno lib.de inæquali intemperie,cap.2.connumerare inter ſimplices particulas arterias, uenas, cartilagines, ligamenta,tendines,carnes,pinguedines,cutim, & ungues, has omnes vocabimus ſimplices, quam appellationem ſolum defendemus facta relatione ad partem organicam ex illis compoſitam.

Ratio potiſſima,cur corpora ſint ſim-

pliciter inſalubria ob peſſimam temperaturam ſimilarium obtinentium principatum eſt,quia ex Gal.2.meth.c.6.omnes actiones primariæ partium organicarum fiunt à ſimilari aliqua præcipua illius organi,& Gal.1.de vſu partium c.10. lib.de differentijs morbor. cap.6. & alibi docet, omnem actionem primariam ad determinatam aliquam ſimilarem partem inſtrumenti eſſe referendam.

Hinc præcipua operatio iecoris, quæ eſt ſanguificatio prouenit à carne hepatis: ſimiliter generatio ſpirituum vitaliū prouenit à carne cordis: animalium à cerebri medulla:quare ſtatuendum eſt in doctrina Gal. à ſimilaribus primis omnes actiones dependere.

Pergit Galen. dicens inſalubre ſimpliciter ſemper nō ſolum eſſe tale ob peſſimam temperaturam ſimilarium: ſed etiā tale eſſe poſſe ob incommenſurationem, vel malam compoſitionem partium inſtrumentalium omnium, vel aliquarum, vel illarum,quæ principatum obtinent.

Viſcera, quæ principatum obtinent ex Ariſtotele 2. de partibus animalium ca.7. 3.de partibus animalium cap.4. & libello de vita,& morte,ſunt ſolum cor: putatq; à corde non ſolum arterias, ſed venas,& neruos oriri.

Fundamentum Ariſtotelis deſumitur ab hac experientia, ſi ligentur carotides ſtatim fit catos, & ſtatim amittitur vis ſentiendi,quo fit,vt Peripatetici credant ſenſus oriri à corde.

Quod fundamentum reijcitur,quia dicimus per carotidas transferri ſpiritum ſeu pabulum pro generatione ſpirituum animalium, quo deficiente facilè ſenſus pereunt.

Hinc,& nos dicimus, ſi ligaretur ſurculus nerueus ſextę cōiugationis,qui cor inueſtit, inſequi ſtatim amiſſionem motus cordis: eſto, quod ſyſtole,& diaſtole cordis à ſurculo nerueo non adiuuetur.

Aliæ proponuntur rationes à Peripateticis leuiores: inter præcipuas hæc eſt: debet dari vnum principium,& vnus gubernator qui ſit in medio, & tale principium eſt cor, quod in medio eſt. Ratio leuis, quidem, quaſi, quod nauis timon qui nauim gubernat ſit in medio nauis, & non in pupi.

Deinde Peripatetici afferunt plurima argumenta deſumpta ab auctoritate Ariſtot.quæ in hac diſputatione non habēt locum:quia Galenus negat auctoritatem Ariſt.aſſimilantur iſti Peripatetici ijs, qui volunt probare animæ immortalitatem auctoritate D.Auguſtini. Sed in comm. noſtris in Auicennam fuſius egimus de hac quæſtione.

Auicennas vt conciliet Galenum cum Ariſtotele, ait, in corde eſſe radicem, in cerebro verò manifeſtationem facultatis animalis. Quæ opinio non conciliat Ariſtotelem cum Galeno:immo eſt prorſus eadem cum illa Ariſtotelis ſuperius citata.

Galenus putat non vnum viſcus habere principatum, ſed tria videlicet cor, cerebrum, & iecur. Quam opinionem paulò infra defendemus.

Argenterius negat, quod tria hæc viſcera habentia principatum ſufficiant; dixit enim ad vitam concurrere alia viſcera,veluti ſunt liem, & ventriculus;quam opinionem ſuo loco reijciemus.

Nos in hoc loco accipiemus Galen.doctrinam, quod ſcilicet inſtrumenta obtinentia principatum ſint hæc tria: cor,cerebrum,& iecur, & propter malam compoſitionem, vel intemperiem iſtorum corpus fieri inſalubre ſimpliciter.

1 Dubitatio oritur; quæritur enim hic, an detur inſalubre ſimpliciter, quod videlicet eſſet ita malè conſtitutum,vt non poſſet,dum eſt actu peſſimè ſanum ad deteriorem ſtatum peruenire: quod inſalubre ſi daretur, vocaretur punctuale tale.

Reſpondetur eſſe impoſſibile, vt inueniatur inſalubre ſemper, quod in puncto illo peſſimo indiuiſibili vel breui temporis ſpatio perſeueret: ratio eſt,quia ſi non datur corpus ſalubre ſimpliciter pūctuale, quod ob ſalubritatem poteſt generosè reſiſtere cauſis extrinſecis; tanto minus dabitur inſalubre punctuale, quod tam innumeris alterationibus eſt obnoxium, & quod vix vllam vim reſiſtendi habeat externis incurſionibus.

His poſitis ſequitur,quod etiam omnis inſalubritas habeat latitudinem, non ſolum reſpectu intemperaturarum,quæ reſident in ſimilaribus;verum etiam reſpectu compoſitionum præter naturam,quę

ſunt

ſunt in diſſimilaribus.

2 Dubitatio eſt, quia non videtur, quod latitudo intemperaturarum apud Galen. ſit certa, & determinata: quia Galen. eſt varius; 3. enim methodi capite 7. incipiendo à ſaluberrimis vſque ad ea quæ peſſima intemperie ſunt correpta, poſuit 15. manſiones ſecundum vnam qualitatem: nihilominus lib. de ſimplici medicina poſuit duodecim tantum manſiones.

Solutio facillima eſt, quia 3. method. 7. numerat manſiones etiam temperatiſſimi corporis, quę ſunt tres: quia poſuimus etiam temperatiſſimum, ſeu ſaluberrimum habere latitudinem, eamque diuidi in tres manſiones temperatiſſimi corporis enumerat omnes alias, quæ recedunt ab ipſo, quæ ſunt duodecim, & ſic omnes erunt quindecim: in lib. verò de ſimplici medicina recenſet ſolum illas manſiones, quæ habent receſſum à temperatiſſimo, omittendo illas tres, quæ temperatiſſimo conueniunt.

QVINTI CAPITIS Particula IV.

Vt multum verò inſalubre eſt corpus, quod ab huius quidem vitio recedit, nondum tamen mediocritatem attingit.

TRadita definitione inſalubris ſimpliciter ſēper, modo definit inſalubre ἐπὶ τὸ πολύ, ideſt vt multum; duo dicit de hoc corpore inſalubri: alterum, quod hoc corpus inſalubre vt multum recedat à vitio corporis inſalubris ſemper, ideſt non eſt tam malè conſtitutum, vt eſt corpus inſalubre ſemper: alterum, quamuis inſalubre vt multum non ſit ita malè conſtitutū, tamē non eſt tale, vt mediocritatem attingat.

Notandum per corpora, quæ attingūt mediocritatem, Galen. intelligere neutra ſimpliciter, quæ ſūt media inter corpora ſalubria ſimpliciter, & corpora inſalubria ſimpliciter, & quæ carent inſalubriū imperfectione, & ſalubrium perfectione.

1 Dubitatio proponitur à Pluſquamcommentatore contra Gal. probat enim, quod inſalubre ſimpliciter nullo modo poſſit diuidi in inſalubre ſemper, & vt multum: argumentum eius eſt tale: inſalubre vt multum eſt ſimpliciter inſalubre ſed ſimpliciter tale eſt ſemper tale, ergo ſi eſt ſemper tale, non poteſt dici vt multum, ergò malè fecit Gal. dū diuidit inſalubre ſimpliciter in ſemper, & vt multū.

Reſpondit Pluſquamcomm. dum dicimus, inſalubre ſemper, particulam ſemper dupliciter poſſe conſiderari, vel ut cadit ſupra aptum eſſe ad ægrotandum, vel ſupra ægrum: dixit quod primo modo omne ſimpliciter tale ſit ſemper tale, & ſic tam inſalubre ſimpliciter ſemper, quā inſalubre vt multum ſit ſemper tale, vt videlicet ſemper ſit aptum ad ſuſcipiendam ægritudinem; ſi verò particula ſemper cadet ſupra ægrum, dicit, quod inſalubre optimè diuiditur in ſemper, & vt multum, quia inſalubre ſemper eſt aptum ægrotare ſemper, inſalubre verò vt multum eſt aptum ægrotare vt multum.

Manardus contra Pluſquamcommentatorem duo habet, & rectè; primò confirmat errorem illius, quod ſcilicet ſimpliciter non poſſit diuidi in ſemper, & vt multum: ſecundò reijcit dictum errorem: confirmat ſic, omne ſimpliciter eſt ſemper tale; valet enim conſequentia, eſt ſimpliciter, ergo eſt ſemper. Præterea inquit ſalubritatem ſeu inſalubritatem eſſe potentias naturales, ſicuti eſt potentia rei grauis deorſum tendentis, quæ naturales potentiæ ab Ariſtotele 2. ethicorum in principio vocantur, κατάνάγκην, quæ numquam poſſunt aliter aſſueſcere; quare quod ſemel illis conuenit ſemper conuenit: ideò ſalubritas ſimpliciter non poteſt eſſe vt multum, ſed ſolum ſemper.

Reijcit deinde errorem Pluſquamcōmentatoris dicens, quædam inſalubria ſimpliciter eſſe in ſummo, & hæc uocari ſemper talia; quædam non in ſummo, & hæc uocari ut multum: quæ ſunt in ſummo eſſe ſemper parata ad ægrotandum, quę non ſunt in ſummo eſſe ſemper quoque parata, ſed non æquè, ut ſunt illa, quę ſunt in ſummo ad ægrotandum.

Dicimus nos, quod cauſa erroris Pluſquamcommentatoris fuit, quia putabat per ſemper, & ut multum Galen. intelligere temporis differentias, & non uarios gradus aptitudinis ſeu potentiæ: oſtendimus enim ſuperius particulas diapandos, & epitopoly non ſignificare temporis dif-

differentias, ſed gradus maioris, uel minoris imperfectionis, vel perfectionis.

2 Quæritur, an hoc inſalubre ſimpliciter ſemper ſit aptum æquè ægrotare in qualibet anni conſtitutione.

Pluſpuamcommentator putat, in omni conſtitutione anni, & omni tempore, corpus inſalubre ſimpliciter ſemper eſſe æquè aptum ad ægrotandum.

A Modernis meritò reijcitur: quia ſi hoc inſalubre ſimpliciter erit exempli gratia intemperie calida affectum, cui dubium, quod tempore hyemis reducetur ad meliorem ſanitatem? habemus ex Gal. 1. epidemiorum com. 7. quod qualitatum exceſſus poſſint tolli à contrarijs conſtitutionibus.

Concludimus itaque, & nos, quod inſalubre ſimpliciter non æquè omni tempore, & in omni conſtitutione habeat potentiam ad ægrotandum.

Addimuſque quod ſimpliciter inſalubre poſſit diu conſeruari ſanum, non ſolum ob vſum ſex rerum non naturalium, verum etiam beneficio artis medicæ.

Similiter, &nos pro conſeruatione corporis inſalubris pollicemur breui in lucem edituros librum de ſtatica medicina, qui per aphoriſmos certiſſimos, experientiaq; diutina confirmatos docebunt, quomodo corpora quoque inſalubria diutiſſimè conſeruari poſſint. Liber ante multos annos editus eſt.

SEXTI CAPITIS
Particula I.

Tex. 17. *Qoniam verò, & neutrum corpus tripliciter dicebatur, vnum quidem quod neutrius erat extremæ diſpoſitionis particeps, aliud autem quoniam vtriuſq; aliud quoniam aliquando huius aliquando verò illius iuxta primum ſignificatum neutrum erit corpus, quod exquiſitè medium eſt, & ſaluberrimi, & inſaluberrimi corporis: Et huius hoc quidem ſimpliciter tale; quod ab ipſo ortu natura ita eſt conſtitutum, hoc verò vt nunc, quod in præſenti tempore medium exquiſitè exiſtit ſaluberrimi atq; inſaluberrimi corporis. Ipſius autem ſimpliciter, ſemper quidem latè eſt id, quod in omnibus ætatibus tale perdurat. Vt multum autem quod nonnullas ſuſcipit mutationes.*

IN hoc cap. volens definire corpora neutra, ea iterum diuidit, & deinde definit: Ariſt. n. 1. cęli tex. 110. & Gal. 2. de diff. pul. c. 3. iubent, omne multiplex eſſe prius diuidendum, quam definiendum: in hoc tex. duo facit in prima parte affert duplicem diuiſionem neutrorum: in ſecunda parte definit neutrum primi ſignificati, quod eſt per negationem extremorum: definitio hæc eſt: corpus neutrũ primi ſignificati eſt illud, quod nõ eſt particeps extremorum: illudque deinde partitur in ſemper, vt nunc, & vt multum, vt fecit Galenus tractando ſe ſalubri, & inſalubri corpore.

In prima parte docet tria eſſe neutra: primum, quod non eſt particeps extremorũ; de quo loquens Pluſquãcommentator dicit eſſe verum, & propriiſſimè neutrum, quod de alijs neutris dici non poteſt: cætera enim neutra non ſunt in medio latitudinis ſanitatis. Secundum neutrum eſt quod vtriuſque eſt particeps ſed aliquando vnius, aliquando alterius extremi.

In ſecunda par. definit neutrum, quod non eſt particeps extremorum, dicitque eſſe corpus exquiſitè medium inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum.

1 Dubitatio Gal. ſuperius ca. 3. eandem diuiſionem neutrorum propoſuit: ergo eſt ſuperfluus in hoc loco.

Reſpondetur in hoc texto applicaſſe eandem diuiſionem definitionibus neutrorum.

2 Dubitatio oritur ex verbis Gal. dum inquit, hoc neutrum eſſe exquiſitè medium, an ſcilicet ſit punctuale, vel cum aliqua latitudine nihil dicit.

Argenterius, & Altimarus cenſent, hoc neutrum primi ſignificati, quod videlicet eſt per negationem extremorum eſſe punctuale.

Quæ opinio ſuperius eſt à nobis reiecta: nam neque ad medicum, immo neque ad philoſophum naturalem pertinet conſideratio eorum, quæ imaginamur eſſe in puncto indiuiſibili; quia nihil eſt in rerum natura tam punctuale, quod non habeat latitudinem diuiſibilem in ſemper diuiſibilia.

Hinc puncta quę ſunt minima naturalia,

lia, quæque pertinent ad phyſicum ſunt apud mathematicos diuiſibilia ad infinitum: nulla mihi videtur difficultas magis puerilis, quam hæc, an detur temperamētū quod ſit in medio exquiſitè, & ſit punctum ſine latitudine, quia in his quæ cōſtant ex elementis hæc dari non poſſunt: Quod verò neutrum, quod vocatur exquiſitè medium, habeat latitudinem, & non ſit punctuale, patet ex Galeno cap. 8. huius libri, vbi expreſsè docet, omnia corpora ſalubria, inſalubria, & neutra habere latitudinem non paruam; hæc ſunt Galeni verba: *Quo fit vt tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarum ſingulæ latitudinem habent non paruam, diuidatur: erit autem prima quidem ſalubrium corporum: ſecunda neutrorum, tertia inſalubrium.* Quid clarius dici poteſt pro confirmatione noſtræ opinionis.

Sed per ipſa experimenta idem confirmari poteſt: nonnè vrina cruda in principio morbi eſt ſignum neutrum per negationem extremorum? quia patet nec ſalutem, nec mortem prænunciat, tamen datur magis, & minus cruda. Similiter pulſus ſeratilis in pleuritide eſt magis, & minus ſeratilis, tamen eſt neutrū per negationē extremorū: ergo neutra per negationem nō ſunt punctualia. Idem dicimus de omnibus neutris per negationem extremorū, quod videlicet ſint diuiſibilia.

Notandum ſola hæc neutra primi ſignificati tam ſimpliciter, quam vt nunc eſſe verè, & exquiſitè neutra, vt dicit Pluſquamcommentator: ratio eſt, quia hæc ſola non ſunt participantia extremorum. Cetera verò neutra ſecundi, & tertij ſignificati ſunt media, ſed nō exquiſitè. Ratio eſt, quia non habent formam, ſeu naturam propriam, quæ ſit media exquiſitè, quia ſemper participāt extrema.

Tria dubia magni momenti ex verbis Galeni oriuntur, dum dicit, quod neutrum primi ſignificati ſit exquiſitè medium ſaluberrimi, & inſaluberrimi corporis; diuiſitque hoc neutrum in ſimpliciter, & vt nunc.

3 Dubitatio oritur dum definit neutrū ſimpliciter ſemper: dicitque tale perdurare in omnibus ætatibus; deinde inquit neutrum vt multum ſuſcipere nonnullas mutationes: neutrum verò vt nunc definit quod in præſenti eſt tale, quæ omnes definitiones diſtinguuntur per temporis differentias, quod eſt contra illud probatum ſuperius; diximus enim Galen. per diapandos, & per epitopoly non intelligere temporis differentias, ſed ſolum gradus maioris, vel minoris perfectionis.

Reſpondent nonnulli Expoſitores, & inter modernos Sclanus, quod Gal. ſuperius ſumpſit diapandos, & epitopoly pro gradibus perfectionis corporis ſalubris, vel inſalubris: in hoc loco vero, in quo agit de neutris corporibus dicunt, ſumi has particulas pro temporis differentia.

Reijciendus eſt Sclanus: quia ſi ſemper, & vt multum haberent duo ſignificata, & illa Galen. non diſtingueret non poſſet defendi: quia profitetur hanc artem definitiuam ex diſſolutione definitionis, & diſtinctione terminorum in omnia ſignificata declarare.

Præterea definiuntur corpora neutra per relationem ad ſalubre, & inſalubre; immo neutrum, ideſt medium, & extrema, ſalubre ſcilicet, & inſalubre ſunt relatiua ſecundum eſſe, & non ſolum ſecūdum dici: quare eo modo, quo intelligitur ſalubre, & inſalubre ſemper, & vt multum, debet quoque intelligi neutrum ſemper, & vt multum.

Poſtremo Galenus in definitione neutrorum ſimpliciter vſus eſt verbo κατεσκευασμένον, ideſt conſtitutum, quod verbum ſignificat naturalem quādam conſtitutionem, ſeu naturalē potentiam ſeu aptitudinem ab ortu naturæ acquiſitam; quare nullo modo per ſimpliciter, & vt multum Gal. intelliget temporis differentias.

Dicimus nos per corpus neutrum vt ſemper, & vt multum intelligere eo modo, quo de ſalubri, & inſalubri dictum eſt, ideſt per eſſe aptum, & per potentiam à prima conſtitutione acquiſitam aptam tali modo reſiſtere, vt perduret in omnibus ætatibus.

Quod vero hæc perduratio per omnes ætates ſolùm deſcribat potentiam neutram patet experientia; quia corpus exquiſitè neutrum habeat quantamuis potentiam perdurandi per omnes ætates, poteſt facilè accidere, quod aliqua cauſa inſalubris externa, ſicuti ſunt vulnera, efficiat, vt non amplius perduret

per omnes ætates: non impediet tamen potentiam acquiſitam ab ortu naturæ, quin diu talis perſeueret, quamuis ſemper ea potentia eo modo minuetur, quo oleum in lucerna, & magis & minus prout externi errores ſunt maiores, vel minores.

Quare melius eſt, vt dicamus Galenum per ſemper perdurare in omnibus ætatibus intelligere potentiam durandi, & non actum: actus enim iſti neutri ab infinitis cauſis externis tolluntur, & inde introducuntur peiores diſpoſitiones, quæ demum efficiunt, vt corpora neutra conuertantur in corpora inſalubria nunc.

Quod hoc fieri poſſit: patet hoc argumento efficaciſſimo; ſi ſalubre ſemper, quod eſt ab ortu naturæ, poteſt reddi inſalubre vt nunc; quomodo ergo dabitur neutrum ab ortu naturę, quod conſeruetur per omnes ætates? maius certè felicitatis munus conueniret corpori neutri ſimpliciter, quam corpori ſalubri ſimpliciter, ſi eſſet verum, quod corpus neutrũ ſimpliciter tale in omnib. ętatibus perduraret, & ſalubre ſimpliciter non perduraret: quare peſſimè interpretantur, dum dicunt in hoc loco, quod perdurare per omnes ætates intelligi debeant temporis differentiæ, ſeu actus, & non potentiæ.

Dubitatio hic proponitur, quomodo hoc corpus neutrum poſſit eſſe exquiſitè medium, cum habeat tot ſpecies ſub ſe: datur corpus neutrum vt ſemper, vt multum, & vt nunc: eſt neceſſarium ergo, vt aliquod ex dictis ſpeciebus neutrius corporis non ſit exquiſitè medium, quoniam ſi corpus neutrum ſimpliciter ſemper eſt exquiſitè medium, certè corpus neutrum, vt multum, vel vt nunc non poterit eſſe exquiſitè medium neutrius primi ſignificati.

Manardus dat duas reſponſiones; primo ait, Galenum per corpus exquiſitè medium intelligere medium cum latitudine, & non medium punctuale & indiuiſibile, dicitque dari hoc medium exquiſitum facta relatione ad corpora ſalubria, & inſalubria vt multum; quę corpora, quamuis tendant ad medium, tamen non ſunt media, ſicuti ſunt iſta corpora exquiſitè neutra.

Secundò reſpondet, quod per eſſe exquiſitè medium non intelligat de quolibet neutro, ſed de tota latitudine neutralitatis ſimul ſumpta.

Opinio Manardi non poteſt defendi, quia ſequeretur, quod hæc definitio neutrius primi ſignificati, de qua modo loquitur Galenus conueniret etiam neutris ſecundi, & tertij ſignificati.

Verior reſponſio eſt, quod hoc medium exquiſitè habeat latitudinem, quam non negat Manardus; Sed dicimus exquiſitè media vocari reſpectu corporis neutrius ſecundi, vel tertij ſignificati, quæ re vera non poſſunt eſſe exquiſitè media: quia participant extrema: illud enim verbum exquiſitè continet latitudinem, in qua ſunt neutra vt ſemper, vt multum, & vt nunc: & omnia iſta ſunt neutra primi ſignificati, quod eſt per abnegationem extremorum.

5 Dubitatio: Galenus definit neutrum primi ſignificati, quod ſit exquiſitè medium inter corpus ſaluberrimum, & inſaluberrimum, quæ quidem definitio conuenire videtur etiam neutris ſecundi, & tertij ſignificati, quia de ratione neutrius eſt, vt ſit medium.

Reſpondetur neutra ſecundi, & tertij ſignificati, quæ ſunt neutra per participationem non eſſe verè media: quia conſtãt extremis, ideo potius debent dici mixta, quam media; ideo Galenus in definitione huius neutrius dicit eſſe exquiſitè medium inter ſaluberrimum & inſaluberrimum, quod non dicitur de alijs neutris.

QVÆST. XXV.

Quid intelligat Galenus per ſaluberrimum, & inſaluberrimum.

PLuſquam commentator cenſet, Galenum, dum dicit, neutrum primi ſignificati eſſe corpus exquiſitè mediũ inter ſaluberrimum & inſaluberrimum, intelligere per ſaluberrimum corpus ſalubre ſimpliciter ſemper, & per inſaluberrimum inſalubre ſimpliciter ſemper, quæ omnia tamẽ ſunt in latitudine ſanitatis: dũ verò à Galeno definitur neutrũ vt nunc, eſt per ſaluberrimum intelligere actu ſanum: per inſaluberrimum verò actu ægrum: Probat, quia dum à ſanitate tran-

tranſit in morbum, tranſitus fit per hoc medium, quod dicitur neutrum vt nunc. Hæc opinio non poteſt defendi, quia Galenus intelligens per ſaluberrimum in vna definitione actu ſanum, & in alia aptitudinem, nulla prius facta horum diuerſorum ſignificatorum declaratione, imperfectam redderet hanc doctrinam definitiuam, de cuius ratione eſt ſignificata multiplicia declarare.

Manardus per ſaluberrimum ait, Galenum intelligere corpus ſimpliciter ſalubre vt ſemper, quod eſt corpus in latitudine ſanitatis omnium perfectiſſimũ, per inſaluberrimum, corpus inſalubre ſemper, quod ſimiliter eſt in latitudine ſanitatis; ſed omnium imperfectiſſimum: additque inter hæc corpora mediare omnia neutra in hoc cap. propoſita, & definita: ita vt non tantum corpora ſalubria, ſed inſalubria, & neutra omnia ſint in latitudine ſanitatis.

Præterea negat, quod neutrum vt nunc primi ſignificati poſſit eſſe neutrum conualeſcentiæ, per quod corpora tranſeunt, quando à morbo omninò liberantur: quia hæc neutra ſunt extra latitudinem ſanitatis.

Similiter negat, hoc neutrum vt nunc quod pertinet ad primum ſignificatum, poſſe eſſe neutrum decidentiæ, per quod tanquam per medium tranſeunt corpora, antequam in morbos cadant; ratio, quæ illum mouet, eſt, quia neutra vt nũc primi ſignificati ſunt in latitudine ſanitatis: quod patet, quia etiam inſaluberrima, quæ ſunt ex Gal. lib. de optima corporis conſtitutione cap. 2. & 6. de tuenda valetudine cap. 2. corpora inſalubria vt ſemper participant aliquam ſanitatem, quamuis diminutam.

Cæterum, quia par erat, vt Manardus declararet, quale eſſet hoc neutrum vt nũc, quod eſt inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum, & oſtenderet in quo differat à neutro ſimpliciter, quod eſt ab ortu naturæ: ideo pro illo eius Sectatores dicunt, neutrum vt nunc eſſe aliquod corpus inſalubre in ſanitatis latitudine, quod artis medicæ beneficio fuerit redactũ ad ſtatum neutrũ, in quo eſt melior ſanitas, quã in ſtatu inſalubri ſimpliciter ſẽper.

Quæ opinio eſt valde proxima veritati, quia cogimur cum Gal. vt infra patebit, aſſerere primum ſignificatum neutrius eſſe in latitudine ſanitatis, ideò nõ ſolum neutrum ſimpliciter, verum etiam neutrum vt nunc dicimus pertinere ad eandem latitudinem ſanitatis: quod ſic probatur, quia ſi inſalubria ſimpliciter ſemper ex Gal. 2. de locis affectis 7. ſunt in latitudine ſanitatis, quanto magis neutra primi ſignificati erunt collocanda in latitudine ſanitatis? mediant enim inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum.

Altimarus contradicit Manardo; ait enim, Galenum per ſaluberrimum intelligere optimam conſtitutionem, & per inſaluberrimum ægritudinem, inter quæ ponuntur neutra, & hoc colligit ex Gal. c. 8. par. 7. vbi collocat corpora neutra inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem.

Reijcitur Altimarus, quia Gal. lib. de optima corporis conſtitutione c. 2. per ſaluberrimum intelligit corpus optimè cõſtitutum ab ortu naturæ, quod eſt ſalubre ſimpliciter ſemper, & per inſaluberrimum 6. de tuenda valetudine c. 2. & 2. de locis affectis c. 7. intelligit corpus inſalubre ſimpliciter ſemper, quod cum ſit in latitudine ſanitatis; erunt quoque in eadem latitudine corpora neutra primi ſignificati, quæ mediant inter hæc.

Præterea Galeni auctoritas allata ab Altimaro non facit ad rem: quia Gal. loco citato ne verbum quidem facit de ſaluberrimo, & inſaluberrimo, de quibus verbis eſt controuerſum: ibi enim ſolum dicit, optimam conſtitutionem corporis opponi nuper factæ ægritudini, quod nos non negamus; ſed ſolum dicimus, corpus inſaluberrimũ non pertinere ad ægritudinem, nec viceuerſa, quia iam probatum eſt, corpora inſaluberrima eſſe corpora inſalubria ſimpliciter ſemper, & hæc contineri quoque in latitudine ſanitatis, quamuis in infimo gradu.

Quare mirandũ eſt, quomodo vir præſtantiſſimus leuiſſimis fundamentis ſuffultus in falſiſſimam ſententiam inciderit, ſed quod peius eſt ex hoc errore, deinde in multos alios lapſus eſt, quia dixit, neutra conualeſcentiæ, quæ à Gal. dicũtur ſana ſecũdum affectionem pertinere ad neutrum vt nunc huius primi ſignificati,

cati,

cati,quod eſt falſiſſimum; quia conualeſcentia,& decidētia, ſenes, & pueri quatenus participant extrema, pertinent ad neutrum vt nunc ſecundi ſignificati, & non ad primi,vt paulò infra probabimus.

Saluus Sclanus per inſaluberrimū dicit,Gal. intelligere quoddam commune ad ſimpliciter inſalubre, & ad inſalubre vt nunc: per ſaluberrimū quoddā cōmune ad ſimpliciter ſalubre,& ad ſalubre vt nunc, quo poſito dicit, quando definitur neutrū ſimpliciter per eſſe mediū inter ſaluberrimū,& inſaluberrimū, quod tūc per ſaluberrimū intelligi debeat ſalubre ſēper,quod eſt ab ortu naturę, & per inſaluberrimū intelligi inſalubre ſimpliciter ab ortu naturæ, quæ omnia ſūt in ſanitatis latitudine: Addit,quādo definitur neutrū vt nūc huius primi ſignificati per ſaluberrimū intelligēdū eſſe corpus perfectiſſimè ſanum,& per inſaluberrimum corpus peſſimo,& lethali morbo affectū.

Hęc opinio nō eſt accipienda,quia doctrina Gal. eſſet nimis ænigmatica: Gal. enim profitetur per diſſolutionem definitionis omnia pertinentia ad artem declarare, diſtinguendo omnia ſignificata ſalubris,inſalubris,& neutrius: ſi igitur Gal. voluiſſet ſub hoc nomine ſaluberrimi, & inſaluberrimi continere naturas omninò diuerſas,& contrarias,ideſt eas, quæ ſunt in latitudine ſanitatis, & quæ ſunt extra latitudinem, prius diſtinxiſſet ſaluberrimū, & inſaluberrimū,ſicuti diſtinxit omnes alios terminos: quare ne dicamus doctrinam Gal. eſſe deceptoriam, dicendum eſt per inſaluberrima Gal. intelligere corpora ſana, quamuis malè ſana. Præterea afferat Sclanus vnū Gal. locum, in quo ſumat inſalubre ſimpliciter ſemper, vel inſaluberrimum pro corpore exiſtente in latitudine ægritudinis, quo facto ſtatim cauſæ cedemus.

Dicimus igitur nos cum Manardo, neutrum ſimpliciter eſſe inter ſaluberrimum,& inſaluberrimum,quę omnia ſūt in latitudine ſanitatis: ſuperius enim oſtendimus lib.2.de locis aff.cap.7.& 6. de tuenda val.c.2.Galenum per inſaluberrimum intelligere corpus inſalubre ſimpliciter ſemper, quod eſt corpus ſanum, ſed malè ſanum,& lib. de optima conſtitutione capite 2.per ſaluberrimum intelligere corpus ſalubre ſimpliciter ſemper.

Quo ad neutrum nūc primi ſignificati dicimus eſſe in latitudine ſanitatis, & ad illud neque conualeſcentes, neque ſenes reduci;quia Galen.5.de tuenda val.cap.4 clariſſimè docet, conualeſcētes, & ſenes participare partim ſanitatem, & partim ægritudinem, & tale neutrum non poſſe eſſe neutrum nunc primi ſignificati,quia hæc neutra ſunt per abnegationem extremorum, ideo defendemus ſenes, & conualeſcentes reduci ad neutrum nunc ſecundi ſignificati, de ratione cuius eſt, vt ſit particeps extremorum.

1 Dubitatio videtur, quod conualeſcētes, & ſenes reducantur ad neutrum nunc primi ſignificati: quia Gal. lib. de partib. artis medicæ c.5.dicit ſenectutem nec omninò malam eſſe, nec integram omninò ſanitatem habere, ergo eſt neutrum per abnegationem extremorum.

Reſpondetur,omnia neutra poſſe dici neque omninò ſana, neq; omninò morboſa; quare locus propoſitus non facit ad rem; poteſt enim aliquod corpus participare ſanitatem infirmam, & fallacem, quæ dicitur à Gal.5. de tuenda ſanit. c.4. κατὰ σχέσιν, ideſt ſecundum affectionē, & poteſt participare morbi alicuius veſtigia,& hoc eſſe neutrum ſecundi ſignificati, quamuis nec omninò ſanum, nec omninò morboſum illud corpus dici poſſit.

SEXTI CAPITIS
Particula II.

Tex. 18. *Iuxta verò ſecundum ſignificatum neutrū erit corpus quod ab ipſo ortu natura contrariarum ſimul eſt particeps diſpoſitionū, aut ſcilicet in vna parte, aut in duabus differentibus: In vna quidem ſi ſecundum alteram oppoſitionem effectiuarum qualitatum bonam habuerit temperaturam,vel etiam ſecundum vtramq; ſed in formatione,vel magnitudine,vel numero partium, vel ſitu delinquat,aut contra in his quidē rectè ſe habeat, vel omnibus, vel quibuſdam,peccet autem in temperatura: In differentibus verò partibus, & iuxta omnes oppoſitiones poteſt quidpiā ſimul particeps eſſe contrariorum. Et ſemper quidam tale, quod per omnes ætates in eodem habitu perſeuerat. Vt multum verò quod aliqua ex par-*

ex parte euariat. Ita verò vt nunc neutrum erit corpus iuxtà ſecundum ſignificatum, quia vel parte in vna hac quidem ſibi ſalubria exiſtunt. Illa verò inſalubria, vel in differentibus ita afficitur partibus.

IN textu ſuperiori tradidit definitiones neutrorum primi ſignificati, quæ dicuntur per negationem extremorum: in hoc tex. verò definit neutra ſecundi ſignificati, quæ dicuntur per participationem extremorum, incipitq; à definitione neutrius ſimpliciter;hoc modo;*neutrum eſt corpus, quod ab ortu naturæ eſt particeps contrariarum diſpoſitionum*.

1 Dubitatio in hoc loco hęc proponitur ab Argenterio contra Galenum, inquit, Galenum eſſe diminutum, quia tractans de hoc neutro ſecundi ſignificati non dat definitionem communem omnibus neutris ſecundi ſignificati, ſicuti dedit, dum egit de neutris primi ſignificati.

Reſpondet Argenterius,Galenum hoc prętermiſiſſe inconſideratè;quæ reſponſio eſt inconſideratiſſima, ne dicam temeraria; quia quod à Galeno ſummo artificio factum eſt,non debet dici inconſideratum:Galenus enim omiſit definitionem communem, quia definitio communis erat notiſſima; conſiſtit enim in his verbis,quòd ſcilicet omnia neutra ſecundi ſignificati fiant per participationem extremorum; quare audita neutrorum diſtinctione in tria ſignificata, ſtatim quilibet poterat intelligere communem illam naturam amplectentem omnia neutra, quod non euenit, dum de neutris primi ſignificati loquebatur.

2 Dubitatio videtur, quòd Galenus ſit diminutus, quia definiens hæc neutra ſimpliciter ſecundi ſignificati omiſit particulam ſimpliciter.

Reſpondent expoſitores, Galen. loco ſimpliciter poſuiſſe ab ortu naturæ; idem enim eſt neutrum ſimpliciter, & neutrum ab ortu naturæ;& quia in omnibus corporibus ſimpliciter ſuperiùs oſtendit, quòd ſint etiam ab ortu naturæ; ideò in hoc loco, ut notiſſimum, id omiſit; non enim par eſt, ut ea, quæ ſunt ſæpiſſimè declarata, ſemper repetantur, & præcipuè in doctrina definitiua.

Quæritur in hac definitione neutrius ſimpliciter quid intelligat Gal. per illud quod eſt particeps contrariarum diſpoſitionum.

Nonnulli putant per contrarias diſpoſitiones Galen. intelligere ſanitatem, & morbum.

Quorum opinio quam longiſſimè à veritate abeſſe videtur, quia Galen. definit neutrum,quod eſt ab ortu naturæ; ea enim,quæ conſiderantur ab ortu naturæ ſint inſalubria,uel neutra,conſiderantur ut ſtant in ſanitatis latitudine.

Dicimus igitur,per contrarias diſpoſitiones intelligere diſpoſitiones contrarias corporis ſalubris ſimpliciter, & inſalubris, inter quæ corpora mediat neutrum ſimpliciter. Hinc Gal. ait,hoc corpus neutrum in vna, uel in aliquibus partibus eſſe benè temperatum, in aliquibus malè;vel benè compoſitū,uel malè in aliquibus: dū dicit in vna parte, uel in pluribus partibus ſecundum alterā oppoſitionem qualitatum effectiuarum bonam habuerit temperaturam, uel ſecundùm vtramq;, intelligit per alteram oppoſitionem, ueluti ſi in vna parte corporis, ut iecore, & corde eſſet bona temperatura,quòad actiuas qualitates, eſſet tamen exceſſus quòad paſſiuas, uel dicit, ſi nō eſſet defectus in qualitatibus effectiuis,& quælibet pars haberet bonam temperaturam,poſſet contingere,ut hoc corpus neutrū haberet defectū in formatione, magnitudine, numero, & ſitu, quæ pertinent ad malam compoſitionem.

Ait in differentibus,quaſi dicat poteſt eſſe,quòd vna pars ſit benè temperata,& benè compoſita in omnibus, alia tamen ſit malè temperata,& malè compoſita.

3 Dubitatio dictum eſt neutrum ſimpliciter,quod eſt ab ortu naturæ eſſe actu ſanum:quomodo igitur erit actu ſanum, ſi Galenus dicat,quòd hoc neutrum poſſit delinqnere in temperatura ſecundùm aliquas partes corporis in formatione, magnitudine, numero, & ſitu? iſti ſunt defectus pertinentes ad morbos, immo ſunt morborum genera, ergo corpus neutrum ſimpliciter erit actu ægrum, & non actu ſanum.

Reſponſio facilis eſt,quia,vt fiat morbus,non ſat eſt, vt in corporis noſtri partibus

tibus ſint defectus, intemperaturæ .ſ. in paſſiuis, vel actiuis qualitatibus, vel malæ compoſitiones in magnitudine, figura, formatione, vel ſitu: ſed opus eſt vt aliqua operatio vitalis, animalis, vel naturalis ſenſibiliter lædatur: nullum .n. corpus viuens eſt exquiſitè, & ad pondus æquale, ſed omnia ſũt intemperata, quatenus recedunt à temperatiſſimo punctuali, quod imaginatione, & non realiter cõceditur.

4 Dubitatio exoritur, quia nulla videtur differentia inter neutra nunc primi ſignificati; & ſecundi, quia vtraque videntur eſſe in latitudine ſanitatis.

Reſpondetur, neutrum nunc primi ſignificati eſſe medium inter ſaluberrimũ, & inſaluberrimum; oſtendimuſq; ſuperius quod inſaluberrimum quoque ſit in latitudine ſanitatis, quãuis ſit in infimo gradu; neutrum vero nunc ſecundi ſignificati eſſe medium inter ſanitatẽ, & ęgritudinẽ: quare antequam corpora neutra nunc primi ſignificati ægrotẽt prius fiũt inſalubria vt multum, deinde inſalubria ſemper, & adhuc ſunt ſana, ſed peſſimè ſana: ſi verò vlterius adhuc per vnum gradum in peius labãtur fiunt egra; neutra vero vt nũc ſecundi ſignificati nõ ſic procedunt, quia ſunt media inter ſanitatem, & ęgritudinem, ideo quamprimum in peius labuntur, ſtatim fiũt ęgra, & nõ inſalubria vt multum, vel inſalubria ſimpliciter, quæ ſunt infimi gradus ſanitatis.

5 Dubitatio eſt, quia dicit Gal. neutrũ ſimpliciter ſemper eſſe, quod per omnes ætates ſimile ſit, & quod æqualiter eſt contrariorum particeps; nihilominus in omni neutro ſimpliciter ſemper longè plures ex Gal. ſunt in corpore partes ſalubres, eæq; principaliores, quam inſalubres, immo aliquando in vnico ſolo mẽbro poteſt eſſe aliqua diſpoſitio, (omnib. alijs membris ſanis exiſtentibus) quæ nõ ſolum reddat corpus neutrum inæquale vergens videlicet ad vnum extremum, verum etiam illud efficiat ægrum.

Reſpondetur ęqualitatem, vel inęqualitatem neutrius corporis non prouenire à numero membrorũ, uel à gradu bonarum, uel malarum diſpoſitionum: quia aliquando vnum membrum læſum, cæteris omnibus illæſis, fit corpus inſalubre nunc, ſed à vi diſpoſitionum corpus alterantium, ita ut diſpoſitiones, quæ efficiũt neutrum æquale, uel inęquale conſiderentur effectiuè, & non formaliter: ſi igitur neque ſanitatis, uel ægritudinis diſpoſitio in corpore præualuerit, erit corpus neutrum ęquale, ſi pręualuerit ueſtigium ęgritudinis, erit neutrum decidentiæ; ſi ſanitatis, erit neutrum conualeſcentiæ, ſicuti enim decidens in ægritudinem magis uergit ad morbum, ſic conualeſcens magis ad ſanitatem.

Quod vero vnica pars corporis, eaque ignobilis læſa, omnibus alijs partibus ſanis exiſtentibus, poſſit, & neutralitatẽ, & ęgritudinem parere, eſt clarum, quia ſi in calcaneo eſſent perniones, aliquãdo optima ſalubritas omniũ uiſcerum nõ poterit infimæ diſpoſitioni prævalere, quia actiones aliorum uiſcerum omnium nõ ſunt deſtinatæ ad pellendum illum affectũ; ſuis enim muneribus quęlibet uacat.

Exemplis iſta declarantur: Fac ut meatus feleus ſit in uentriculi fundo inſertus & omnes aliæ corporis partes ſint tẽperatiſſimæ, corpus ſtatim ſit neutrum. Si paulò ſupra fundum inſeratur fit inſalubre, & ęgrum: ſi adhuc paulò ſupra, fit ob cardialgiam moribundum, licet omnes partes corporis ſaniſſimæ ſint. Sic Claudi à natiuitate licet ſint temperatiſſimi ex Gal. lib. de diff. morb. 7. & 9. ſunt ęgri. Pari modo ſi pars infimę conditionis à corde remotiſſima, ſi caret potentia reſiſtendi, licet omnes aliæ partes fruantur inculpata ſanitate, facile in gangrænam faceſſit; & moritur homo; Tunc nec cor nec alię partes robuſtiſſimę poſſunt ſuccurrere: quia operationes fiunt à calido innato tamquam à forma partium, & nõ ab influente, ut tenet Ariſtoteles. Vtinã eſſet uera Ariſtotelis ſententia: quia quãdo eſſet aliqua impotentia reſiſtendi, curpoſſit impedire. Hinc dum infima pars amittit ſuum calidum innatum, moritur, & cum ipſa moritur cor, licet robuſtiſſimum ſit. Quare neutrum non à numero ęquali ſalubrium, & inſalubrium dependet ſed à potentia reſiſtendi habita relatione ad omnęs partes nulla ex infimis excepta; quia vnica infima poteſt omnes robuſtiſſimas perturbare.

Proponitur pro hac re hoc pulchrum exẽplum; ſũt in ciuitate viginti improbi ho-

homines, qui noctu innumera facinora perpetrant ſummo cum omnium ciuium incommodo: Cæteri tamẽ ciues, & ſi mille, & vltra: qui diu noctuq; cogitent quomodo iſti improbi debellentur, & extinguantur: ponunt in ſingulis vicis, & angiportis viginti, qui licet numero, & viribus ſint pares improbis illos tamen nõ ſuperant, neq; ſuperantur: ex hoc exemplo colligimus, quod poteſt eſſe vna particula læſa, cæteris omnibus illæſis, quæ cum ſint inter ſe, & à læſa particula ſeparatæ morbum vincere non poſſunt: vnde fit, vt corpus efficiatur neutrum ſimpliciter ſemper æquale: dum igitur Gal. inquit neutrum ſemper per omnes ætates eſſe ſibi ſimile, & ſine inclinatione magis ad vnum, quam ad alterum extremorũ, id non oriri à dimidio numero membrorum malè diſpoſitorum, neque à forma malarum diſpoſitionum: ſed à vi effectiua quæ introducitur à diſpoſitione vnius vel plurium membrorum.

Neutrum verò vt multum eſt quod magna ex parte eſt tale, id eſt habet neutram diſpoſitionem, ſed magis inclinantem ad alterum extremorum.

Neutrum vero vt nunc definit, quod vel in vna parte, vel in pluribus diuerſas participat diſpoſitiones, ideſt neutrum vt nunc huius ſecundi ſignificati in tempore præſenti habet diſpoſitiones inſalubres in vna parte vel ſecundum actiuas qualitates, vel paſſiuas, vel in vno viſcere adeſt ſalubritas in alio inſalubritas quo ad primas qualitates: vel in diuerſis partibus vna erit ſana, quo ad temperaturam, uel compoſitionem, alia erit inſalubris quo ad temperaturam, uel compoſitionẽ, hac tamen conditione, ut hoc neutrum, ut nunc ſit mediũ inter ſanitatẽ, & morbũ.

Illa, quæ ſunt digna conſideratione in hoc capite tria ſunt, primum, an neutra conualeſcentię, & decidentię ſint neutra nunc ſecundi ſignificati: Secundum, cum Galenus dicat primas qualitates omnes eſſe effectiuas, quomodo poſſint eſſe duæ actiuæ, & duæ paſſiuæ: tertium an vna qualitas ſola poſſit agere in aliam, vel duæ ſimul.

QVÆST. XXVI.

An neutra conualeſcentiæ, & decidentiæ ſint neutra nunc ſecundi ſignificati.

Avicenna ſecunda primi doctrina prima cap. 2. & Pluſquamcõmentator cenſent, neutra cõualeſcentiæ, ſenũ, & puerorum eſſe neutra nunc primi ſignificati, & non ſecundi. Addit Pluſquamcommentator neutrum quoque decidentiæ pertinere ad neutrũ primi ſignificati. Putat n. quod corpora, antequam in ęgritudinem incidant, pertranſeant per hoc neutrum nunc primi ſignificati quod eſt per negationem extremorum: ſimiliter dicit, corpora ęgrorum, dum conualeſcunt, antequam ad ſanitatem perueniant, pertranſire per hoc neutrum nunc primi ſignificati.

Rationes, quæ mouent Pluſquamcõmentatorem, deſumuntur à Galen. c. 82. Par. 1. vbi ait, ſigna imminentis ægritudinis ideſt corporum neutrorum ex decidẽtia mediam formam habere inter ea quæ ſanis, & ægrotis accidunt: ſed ſic eſt, quod corpora neutra vt nunc primi ſignificati ſunt illa, quæ habent mediam formam inter ea quæ ſanis, & ægrotis conueniunt: ergo neutra decidentiæ erunt vt nunc primi ſignificati. Ob eandem rationem concludit, neutrum conualeſcentiæ, & ſenes ipſos, quorum corpora ſunt neutra vt nunc, pertinere ad neutra nunc primi ſignificati: probat deinde minorem, quod ſcilicet neutra quæ habẽt mediam formam ſint primi ſignificati hac ratione, quia neutra ſecundi ſignificati, quæ ſunt per participationem extremorum non habent mediam formam, vt habent neutra primi ſignificati.

Reijcitur Pluſquamcommentator, quia eius ratio nulla eſt: cum neutra omnium trium ſignificatorum habeant mediam formam.

Neutra enim primi ſignificati ſunt media inter optimè ſana, & male ſana.

Neutra vero ſecundi, & tertij ſimiliter ſunt media inter ſana, & ægra, & omnia differunt per mediam formam: ſiquidem omnia quæ ab aliquo differunt per formam differunt, intelligendo de illis differen-

rentijs, quæ faciunt aliud.

Præterea neutra conualeſcentiæ, & decidentiæ inclinant in aliquod extremorum, ergo non ſunt neutra primi ſignificati. Hinc Galen.lib. de conſtit.art. c.19. dicit, in corpore neutro decidentiæ eſſe aliquid cauſæ morbificæ, ergo participat ægritudinem, ergo non eſt primi ſignificati, quod eſt per negationem extremorum.

Preterea ſicuti in neutro decidentiæ eſt aliquid cauſæ morbificæ incipientis: ſimiliter in neutro conualeſcentiæ erit aliquid cauſæ morbificæ deſinentis.

Inſuper conualeſcentia eſt medium inter ſanitatem, & morbum, & non inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum: ſed ſic eſt, quòd extrema neutrius ſecundi ſignificati ſunt huiuſmodi, uidelicet ſanitas, & morbus: ergo conualeſcentia erit neutrum, ſeu mediũ ſecundi ſignificati.

Quòd verò ſaluberrimum, & inſaluberrimum non ſignificet ſanitatem, & morbum: ſupra auctoritate Galeni oſtenſum eſt.

Poſtremò ſi neutrum decidentiæ eſſet neutrum nunc primi ſignificati, quod re uera eſt in latitudine ſanitatis, ſequeretur, quòd corpus inſalubre, antequam in ægritudinem caderet, reduceretur ad aliquam perfectionẽ, ideſt ad neutrũ, & deindè ægrotaret, quia corpus inſalubre ſimpliciter eſt longè imperfectius, quam neutrum nunc primi ſignificati: quare ſi corpus decidens in ægritudinẽ eſſet neutrum, numquam caderet in morbum, niſi prius fieret neutrum decidentiæ, & ſic corpus inſalubre ſimpliciter, quod eſt corpus peſſimè ſanũ, ut diximus, nunquã poſſet ægrotare, niſi prius fieret corpus melioris conditionis; quod cũ ſit maximè ridiculum, dicendũ eſt, neutrum decidẽtiæ, & conualeſcentiæ, & ſenes ipſos ut participantes extrema pertinere ad neutra nunc ſecundi ſignificati, & nõ primi.

Altimarus loquens de ſanitatis latitudine putat neutrum conualeſcentiæ pertinere ad neutrum vt nunc primi ſignificati; neutrum verò decidentiæ ad neutrum vt nunc ſecundi ſignificati.

Primò probat, neutrum decidentiæ pertinere ad ſecundum ſignificatum, quia Gal.c.82. in princ. ait, ſigna eorum, qui ſunt ægrotaturi partim indicare ſanitatem partim morbum, eſſeq; participantes extrema. Quare dicit, & rectè quidem, non eſſe amplius dubitandum de neutro decidentiæ, an pertineat ad ſecundum ſignificatum; cùm in Galeno res ſit clariſſima.

Probat deindè neutrum conualeſcentiæ pertinere ad neutrum primi ſignificati, quia Gale. in eodẽ loco fatetur, quod neutra conualeſcentię ſint ſub alio ſignificato; ergo vel ſub primo, uel tertio; non ſub tertio, quia hoc habet maximam latitudinem, & eſt etiam vix reperibile; ergo erit neutrum primi ſignificati.

Quę opinio nõ videtur vera: quia neutrum conualeſcentiæ eſt medium inter ſanum, & ægrum, & non inter ſalubre ſemper, & inſalubre ſemper, ſicuti ſuperiùs Galeni auctoritate probauimus: fuit igitur opinio Altimari, quòd ſcilicet ad neutrum primi ſignificati pertineat conualeſcentia. Præterea in eo ſignificato ponuntur conualeſcentes, in quo ſenes, ut docet Galen.c.82. huius libri; ſed ſic eſt, quòd ſenes videntur potius participare de extremis, quàm quòd ſint neutra per negationem extremorum, ergo erit clarum antecedens ex Gal.5. de tuenda ſan. cap.4. & lib. de ſalubrib. ad Thraſyb. c.7. ubi dicit in ſene abſolutè non eſſe ſanitatem, ſed dici ſenis ſanitatem, quæ, ut ait Galen.6. de tuenda valetud. cap.2. numquam vacat quærimonijs.

Inſuper corpora ſenum ſunt neutra decidentiæ, ergo in illo ſignificato, in quo erit neutrum decidentiæ, erit quoq; neutrum conualeſcentiæ, & ſenes: ſed ſic eſt, quòd neutrum decidentiæ eſt in ſecundo ſignificato; ergo & conualeſcentia, & ſenectus.

Quòad Galeni auctoritatem, ubi dicit conualeſcentiam eſſe ſecundum alterum ſignificatum; ergo vel in primo, uel in tertio; non in tertio, ut optimè concludit: ergo in primo.

Duæ dari poſſunt reſponſiones, prima, quòd illa verba ſecundum alterum ſignificatum non debeant referri, ut optimè cenſet Pluſquamcommentator, ad id, quod dixit de ægrotaturis, ſed ad ſigna; de quibus Galenus ibi ſermonem habet. Hæc ſigna quatenus demonſtrant præſen-

ſentem morbum appellantur inſalubria, quatenus verò indicant coctionem, ſalubria, quatenus autem poſſunt vtrumque oſtendere appellantur neutra.

Secunda reſponſio eſt, quod in quolibet neutro vt nūc poſſit eſſe plura ſignificata; numquid non corpora Senū ſunt neutra nunc in eodem ſignificato, vt cōualeſcentium, ſicuti dicit Altimarus: ergo vnum ſignificatum ſub ſe poteſt habere alia ſignificata: hinc dicimus, conualeſcentes eſſe neutra corpora nunc, quatenus participant de ſanitate, & morbo: ſimiliter Senes quatenus, & ipſi participāt, ſed non eodem modo: quia Senes vergunt ad morbum, & ad mortem; conualeſcentes ad ſanitatem, & ad vitam.

Dicimus igitur nos (Saluo meliori iudicio) neutrum conualeſcentiæ, decidentiæ, & Senes eſſe in neutro nunc ſecundi ſignificati, fundamentum huius inter cętera vnicum eſt: quia hæc tria participant extrema: quod verò neutra decidentię, & conualeſcentiæ, & Senes participent de ſanitate, & morbo, colligitur ex Galeno cap. 82. huius artis, & alibi, vt patebit.

Quod verò conualeſcentes, & Senes ſint neutra corpora in eodem ſignificato, legamus Galenum 5. de tuenda ſanit. c. 4. vbi habet hæc verba, *hanc artis partem, quę ſcilicet conualeſcentium ſanitati tuendæ incumbit appellant medici analepticem: illam verò quæ Senum ſanitati proſpicit, Gerocomicem:* videntur hi ambo affectus non pertinere ad exactam ſanitatem, ſed eſſe quoſdam effectus medios inter ſanitatem, & morbum, vt omnino nō ſint eius ſanitatis, quæ firma conſtanſque ſit, quā καθ᾽ἕξιν appellant, ſed eius potius, quæ ſit fallax, & incerta, quam κατασχέσιν nominant: ergo ſiue morbum, ſiue morboſum quendam affectum, ſiue medium inter ſanitatem, & morbum, ſiue κατασχέσιν ſenium appelles; huiuſmodi quęſtiones pro nihilo habendæ ſunt.

Ecce quod in his verbis Gal. cenſet conualeſcentes, & Senes eſſe corpora neutra eiuſdem ſignificati, quia dicit ambos affectus eſſe medios, non inter ſalubre, & inſalubre, vt ſunt neutra primi ſignificati, ſed vt ſunt neutra quæ ſunt media inter ſanitatem, & morbum, quæ ſunt neutra ſecundi ſignificati.

Notandum tamen hic, omnia neutra habere ſanitatem ſecundum affectionem ideſt κατασχέσιν, & non καθ᾽ἕξιν, ideſt ſecundum habitum, vt dicit Galenus loco proximè citato: ideò errant valdè nonnulli, qui putant Athletarum corpora eſſe neutra ſecundi ſignificati, quia ſanitas athletica numquam à Gal. vocatur κατασχέσιν, ideſt ſecundum affectionem, ſed vocatur ſecundum habitum: quare Hippocrates appellat in primo aphoriſmorum habitum athletarum: ideo ſunt in ſanitatis latitudine: quamuis eorum corpora non ſint dicenda ſalubria ſimpliciter, neque inſalubria vt ſemper, quia viribus validiſſimis prædíti ſunt: dicentur ergo corpora ſalubria vt nunc, ideſt pro præſenti tēpore, quamuis nonnulla pro maiori, vel minori periculo decidentiæ dici poſſint inſalubria vt multum: neutra enim non poſſunt eſſe primi, vel ſecundi, ſignificati, vt dictum eſt.

1 Dubitatio: diximus conualeſcentiam pertinere ad neutrum nunc ſecundi ſignificati: nihilominus ex lib. ad Thraſyb. c. 7. Galen. ait corpora conualeſcentia ita media re inter actu ægra, & ſana ſecundū habitum, vt non indigeant medela: ex hoc loco Sclanus colligit corpora conualeſcentia pertinere ad neutrum nunc primi ſignificati: quia non indigent medela quod quidem eſt falſiſſimum: non enim valet conſequentia, non indiget medela, ergo non participat morbum: ſed eſt neutrum per abnegationem extremorum; nonne ſunt multi morbi, qui ſine medela à natura ipſa curantur? ſic dicimus naturam conualeſcentis ex ſe ipſa ſuperare quod eſt pręter naturam, & reddere ad ſtatum naturalem eo modo, quo aqua feruefacta poteſt ex ſe redire ad ſolitam frigiditatem.

QVÆST. XXVII.

An omnes quatuor primæ qualitates ſint actiuæ, vel duæ ſint actiuæ, & duæ paſſiuæ, & quomodo.

QVæſtio eſt magni momenti; quia Gal. in tex. declarato inquit, qualitates primas cauſare tēperaturā, & om-

omnes quatuor eſſe actiuas: Similiter ex ſententia Hippocratis 3. ſimplic. med. & 3. methodi ait, quatuor qualitates, idest caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem eſſe effectiuas.

Ariſtot. tamen 2. de gener. & corrupt. & lib. 4. meteor. docet, calorem, & frigiditatem eſſe qualitates actiuas: humiditatem verò, & ſiccitatem paſſiuas: quomodo autem ex Galeni ſententia, & aliorum ſit intelligendus Ariſtot. paulò infra declarabitur.

Hieronymus Cardanus putat, quòd duæ tantùm ſint qualitates poſitiuæ, caliditas ſcilicet, & humiditas: ait caliditatẽ eſſe actiuam, humiditatẽ verò paſſiuam; putat enim, quòd frigiditas, & ſiccitas ſint qualitates priuatiuæ, & nõ poſitiuæ.

Hæc opinio erit nonnullorum Antiquor. & reiecta eſt à Galeno lib. de cauſis morbor. c. 3. & reijcitur à Cæſare Scalig. exercit. 18. Galenus loco cit. probat experientia euidentiſſima, frigus eſſe qualitatem poſitiuam, eo quia conſtat apud Iſtrum ſubdio frigidiſſimo nullo tamen flante vento, lucernam accenſam à frigiditate illa intenſiſſima extingui, quod non eueniret, ſi frigiditas eſſet qualitas priuatiua: actiones .n. ex omniũ conſenſu fiũt à cauſis poſitiuis, & nõ priuatiuis.

Galenus cum Ariſtot. Platone, & Hippocrate putat, quatuor qualitates eſſe poſitiuas, & efficientes: miratur tamen, cur Ariſtoteles dixerit, duas eſſe actiuas, & duas paſſiuas; ideò 1. de natural. facult. c. 3 inuehitur in Ariſtotelem, aitq; illum pugnantia dicere; quia in meteorologicis docet, duas eſſe actiuas: tamen in 2. de generat. probat, quodlibet elementum agere, & pati ratione ſuarum qualitatũ: ergo caliditas, frigiditas, humiditas, & ſiccitas poſſunt eſſe paſſiuæ, & actiuæ: Galenus tamen interpretando Ariſtotelis ſententiam, ait in eodem libro c. 3. in viuentibus duas qualitates eſſe actiuas, & duas paſſiuas, quatenus ſcilicet calidum, & frigidum magis agunt, humidum verò & ſiccum minus.

Reijcitur Galenus à Peripateticis, qui negant ſolùm reſpectu animantium, & ſtirpium caliditatem, & frigiditatem magis agere: humiditatem verò, & ſiccitatẽ minus; quia etiam reſpectu omniũ mixtorum inanimatorum aiunt, humiditatem, & ſiccitatem ſe habere per modum materiæ, caliditatem verò, & frigiditatem per modum agentis. Sed re vera non eſt reijciendus Galenus; quia loco cit. aſſerit in viuentibus duas eſſe actiuas, & duas paſſiuas qualitates: non negaſſet ſanè, quod reſpectu etiam omnium inanimatorum, & elementorum inter ſe mixtorum duæ qualitates eſſent magis actiuæ, & duæ magis paſſiuæ.

Marſilius in 2. de gener. & corrupt. cenſet, ſententiam philoſophi, quod ſcilicet calor maximè agat, frigus minus, humidum adhuc minus, & minimè omnium ſiccitas, non ſolùm eſſe veram in animalibus, & ſtirpibus, vt ait Galen. vel in mixtis vt mixta ſunt, ſed etiam inter ſe; ita vt duæ primæ magis agant, aliæ duę magis patiantur; omnes tamen eſſe actiuas, & paſſiuas per comparationem.

Reijcitur Marſilius, & meritò, quia Ariſtoteles non eſt locutus comparatiuè, ſed abſolutè; dixit calorem, & frigiditatem eſſe actiuas, alias verò paſſiuas. Inſuper, dum definiuntur, calor, & frigus; per actionem ſolùm definiuntur; dum humidum, & ſiccum, per paſſionem.

Auerroes 3. Colliget, cap. 31. aſſerit, omnes qualitates agere, & pati, ſed quæ dicuntur patientes, magis pati, quàm agere; quæ uerò dicuntur agentes, magis agere, quàm pati.

Reijcitur Auerroes, quia Ariſtoteles, dum dicit duas qualitates primas, idest caliditatem, & frigiditatem, agere, & alias duas pati abſolutè locutus eſt; neq; dixit duas magis, & duas minus agere. Inſuper numquam Ariſtoteles conſiderauit actionem vnius contrarij in aliud, ſed vnius contrarietatis in alteram, idest non conſiderauit actionem calidi in frigidum, ſed totius contrarietatis, idest calidi, & frigidi in totam contrarietatem, humidi ſcilicet, & ſicci; quare calidum, et frigidum ſunt ſolum actiua, humidum verò, & ſiccum ſolum paſſiua.

Philoponus 2. de ortu, & interitu; & Pomponatius 4. meteor. dicunt, quatuor primas qualitates eſſe omnes actiuas, & paſſiuas, dum conſiderantur in mutua permutatione elementorum; ſed ſi cõſiderẽtur reſpectu mixti, duas eſſe actiuas, & duas

& duas paſſiuas: ideò dicunt, dum Ariſt. vocat duas paſſiuas, & duas actiuas, illas conſideraſſe quatenus elementa congrediuntur ad mixti generationem; dum dixit omnes quatuor eſſe actiuas, & omnes paſſiuas, conſideraſſe prout inuicem mutantur in ſimplicib. & ſine vlla relatione ad mixtum; ſic terra agit in aquam exſiccando, aqua verò in terrã humectando.

Patitur hæc Philoponi, & Pomponatij ſolutio inſtantias inſolubiles, videlicet, quia in mixto, & mixti generatione omnes qualitates agunt, & patiuntur; quia partes humidæ adhęrentes humectant, & agunt in ſiccas, & vice verſa, & ſic de alijs, omnes igitur agunt, & patiuntur in mixto.

Verior ſolutio eſt, quod dupla ſit actio in qualitatibus, altera vniuoca, & ſic omnes ſunt actiuæ, & omnes paſſiuæ, tam in ſimplicibus quam in mixtis, altera æquiuoca, & ſic duæ ſunt actiuæ, & duæ paſſiuę; declaro, actio vniuoca calidi eſt calefacere, & gignere ſibi ſimile corrumpendo contraria, & ſic calidum agit in frigidum, & humidum in ſiccum, & vice verſa. Actio verò æquiuoca calidi eſt ſecundas qualitates efficere, & mixtum producere vt quid diuerſum ab elementis, neque amplius eſt actio contrariæ qualitatis in contrariam, ſed vt aiunt Artificis in materiam elaborandam; quare cum in hac conſideratione ſiccitas, & humiditas nullam habeant vim actionis æquiuocæ, qua poſſent aliquid diuerſum à ſe producere, erunt qualitates ſolùm paſſiuæ, caliditas verò, & frigiditas actiuæ.

1 Dubitatio ex dictis oritur, quia diximus cum Ariſt. omnem qualitates, ſecundum actionem vniuocam agerent aliam, & pati ab illa, quare cum quodlibet elementum habeat duas qualitates, vnam actiuam, & aliam paſſiuam, quodlibet aget in ſeipſum, ſic aqua vt frigida aget in ſe ipſam, quatenus ęſt humida, & ſic de alijs.

Soluitur, quod nunquam Ariſt. dixerit dari actionem vnius contrarij in aliud, ſed vnius contrarietatis in aliam, & meritò, quia vt ſequatur actio, oportet vt calor, & frigus agant in humidum, & ſiccum, itavt ſint duæ coniunctæ actiuæ, & duę paſſiuæ, neque nobis faceſſunt negotium illa verba Ariſtotelis 4. meteor. in principio, dum dicit, *humidum, et ſiccum pati à duabus actiuis, tum vtrumque ſimul iunctum, tum etiam alterum ſeparatim acceptum ſine altero*: quia accipiatur loco humidi aqua, & loco ſicci terra, videmus, hæc nõ eſſe pura, ſed mixta. Hinc ſi aqua non eſſe cum aliqua portione terrę mixta, à nullo frigido poſſet congelari. Quo fit vt 4. meteor. dicat Ariſt. elementa omnia poſſe putreſcere igne excepto, ſed his nos addimus, quod putredo ſit proprietas corporis mixti, & non ſimplicis; ergo non dabitur hoc humidum, neque hoc ſiccum ſolum: ſed appellabitur humidum per exceſſum, & ſiccum per exceſſum.

2 Dubitatio ex Galeno, & Ariſt. aquæ proprium eſt frigiditas, & non humiditas; attamen videtur, quod humiditas ſit magis intrinſeca aquæ, quam frigiditas, quia ab aqua citius aufertur frigiditas quam humiditas; aqua calida fit amittendo frigidum; eius humidum verò numquam poteſt amitti, ergo humiditas erit magis intrinſeca aquæ, quam frigiditas.

Iacobus Zabarella Pręceptor meus, & vir doctiſſ. lib. 2. cap. 3. de qualitatibus elementaribus reſponder, qualitates actiuas eſſe formales, & ab agente externo produci: paſſiuas verò eſſe materiales, & magis à materia prouenire; ideò difficilius auferri, aitque formas poſſe mutari, ſed materiam deſtrui; ideſt de nouo produci eſſe omninò impoſſibile. Quæ reſponſio non mihi probatur, quia humiditas in aqua prouenit potius à forma, quã à materia: nihil enim eſt in materia, quia eſt omnium formam ſubſtantialium, & accidentalium expers, & nuda, & ἄποιον ideſt ſine qualitate dicta.

Reſpondemus igitur nos poſtquam diù fuimus ſolutionem meditati, quod in aqua duplex ſit frigiditas, alia externa, & actualis, & alia quæ eſt eius interna potentia refrigerandi: poſita hac diſtinctione dicimus, quando aqua calefit, externam frigiditatem auferri, quæ non prædicatur per ſe de ipſa aqua, non tamen potentiam internam frigefaciendi, quę, licet aqua reddatur calidiſſima, remanet, vt patet, dum ad frigiditatem priſtinam ex ſe, poſt diſcuſſum externum calorem, reddit: Argumentum Zabarellæ valet de

humiditate,& frigiditate externa,non de potentia refrigerandi. Admittimus, & nos,omnes qualitates paſſiuas præter naturam difficilius à viſceribus auferri, vt eſt humiditas, & ſiccitas hepatis vel cordis ob rationem allatam,quod ſcilicet externa agentia promptius producant actiuas, quam paſſiuas, & difficilius auferantur intemperies paſſiuæ præter naturam, quam actiuæ. Ad dubium reſpondemus humiditatem eſſe aquæ magis intrinſecam,quam ſit frigiditas,intelligendo de frigiditate externa, negamus tamen de interna aquæ frigiditate, quæ eſt eius virtus, & potentia, quæ numquam tollitur, niſi funditus aqua ſit abſumpta.

SEXTI CAPITIS

Particula II.

Tex.19. *Iuxta verò tertium ſignificatum neutrum erit corpus, quod aliquando quidem ſalubre: aliquando verò inſalubre exiſtit, vt nonnullis accidit,qui in pueritia ſalubritate corporis vigent,cum verò ad iuuentutē peruenerint, inſalubres euadunt, aut contra. In vno autem tempore, quod ita eſt neutrum, conſiſtere nequit; latius verò, ſi accipiatur, contingit, nouimus autem quod nunc dupliciter dicitur.*

EXplicatis neutris primi,& ſecundi ſignificati; in hoc tex. explicat neutrum tertij ſignificati,quod ſecundum diuerſa tempora participat de extremis: dat exemplum Gal. dicens, ſi quis in pueritia eſſet ſalubris, & in iuuentute inſalubris, vel vice verſa,illud corpus eſſet neutrum tertij ſignificati.

Sed quomodo ſint intelligenda verba Galeni auctores diſſentiunt, quoniam dum Galenus dicit, *quod aliquando quidem ſalubre,aliquando verò inſalubre exiſtit*.Leonicenus omiſit vnam dictionem, quæ mirificè videtur declarare naturam iſtius neutrius tertij ſignificati, & eſt ἐν μέρει, ideſt in parte,ita vt hoc modo nonnulli exponant, aliquando quidem ſalubre, aliquando verò inſalubre in parte exiſtit, ideſt in dimidio vitæ ſuæ hoc corpus neutrum eſſe ſalubre, & in alio dimidio eſſe inſalubre; verbi cauſa, ſi terminus vitæ alcuius eſſet annus ſexageſimus, & per triginta eſſet illius corpus ſalubre, & per alios triginta inſalubre, vel vice verſa quod tamen fieret ob morbos hæreditarios, & non ob errores externos,quia hoc neutrum corpus conſideratur ſecundum aptitudinem,& potentiam ab ortu naturæ acquiſitam, hoc neutrum eſſet ſimpliciter ſemper;ſi verò corpus eſſet aptum natum eſſe plus ſanum, eſſet neutrum vt multum, quod dicitur ſuperius, ſi plus ęgrum, eſſet neutrum vt multum quod dicitur inferius, ideſt imperfectius.

Nonnulli alij alio modo interpretantur dictionem ἐν μέρει, dicunt enim per hanc particulam intelligi viciſſim, & ſic legatur, *aliquando quidem ſalubre, aliquando verò inſalubre viciſſim exiſtens*, ideſt vt viciſſim in toto vitæ curriculo corpus, quod ſimpliciter ſemper eſt neutrum modò ſit ſanum, modò ægrum; exempli gratia in pueritia prius corpus patitur variolas, & deinde ſanum fit; paulò poſt in pueritia patitur morbillos, & iterum ſanatur; deinde in iuuentute ſcabiē, & deinde ſanatur,& poſtea leprā patitur, & deinde ſanatur;& ſic vſque ad obitum; quæ viciſsitudo, ſi eſt ęqualis, vt tantum temporis ſit ſanitatis, quantum ægritudinis, illud corpus dum ſanitate fruitur vocabitur neutrum ſimpliciter ſemper,ſi viciſsitudo ſit inæqualis dicitur vt multum, quod quidem,vt dictum eſt, vel eſt inferius, vel ſuperius.

Confirmant quod per ἐν μέρει intelligi poſsit viciſsim; quia Leonicenus in 3. pa. huius libri tex.23. per ἐν μέρει interpretatur viciſsim. Ego autē puto quod vtraq; expoſitio ſtare poſsit, quamuis ἐν μέρει ſignificet in parte, ſed viciſsitudo illa ſanitatis,&ęgritudinis explicatur,dum etiam legimus aliquando in parte ſalubre,& in parte inſalubre.

Quęritur,an hoc neutrum tertij ſignificati poſsit quoque eſſe ab ortu naturæ. Plurimi putant, nō dari hoc corpus neutrum à natiuitate. Verior opinio eſt,quod hoc neutrum ſit ab ortu naturæ, ideſt à prima generatione; corpora enim vitiato ſemine aliquādo conſtituuntur, quę partim

tim viuunt ſana,& partim ægra,intelligimus per partim ſana viciſſitudinem ſanitatis,& ęgritudinis,in quauis ætate,vel per dimidium ætatis, eſſe ſana, & per dimidium ęgra,vtroque enim modo erunt neutra ſimpliciter tertij ſignificati.

Quod vero dentur hæc corpora malè conſtituta in prima generatione, patet ex Gal. ſexto aphoriſmorum, comm.28. vbi dicit qui patres, & auos habuerunt podagricos à ſemine vitiato articulos filiorum fieri imbecilliores:ſimiliter experientia videmus, patres infectos ſæuiſſimo tabo gallico iure hæreditario, aliquãdo filios ſæuiſſimum hoc ſymptoma pati: obſeruamus quoque alios multos morbos eſſe hæreditarios,vt ſunt lippitudines epilepsiæ, affectus hyppocondriaci, nephritici, & plures alij; quibus ſi filij in dimidia ætate infeſtentur, dicimus tempore ſuæ ſanitatis eſſe corpora neutra huius tertij ſignificati.

1 Dubitatio: videtur Gal. diminutus, quia faciens mentionem de hoc neutro tertij ſignificati omiſit corpus neutrum vt ſemper;& vt multum, quod eſt contra ſuum inſtitutum, quia ſuperius diuiſit omnia corpora in ſemper, ut multum, & ut nunc.

Reſpondent omnes, Galenum id prætermiſiſſe,vt notiſſimum,quia non ſemel ſuperius dixit, omnia corpora eſſe diuiſibilia in ſimpliciter, & vt nunc: & ipſum ſimpliciter in ſemper,& vt multum.

Nota illos errare,qui putant, neutrum ſimpliciter ſemper reſpectu neutrius vt multum eſſe perfectius, quod non ſemper contingit: poteſt enim eſſe neutrum vt multum perfectius, & imperfectius neutro ſimpliciter ſemper. Quia ſi hoc corpus neutrum plus eſt ſanum, quam ægrum; tempore ſanitatis dicitur neutrũ vt multum,et hoc neutrum eſt perfectius neutro ſimpliciter:ſi verò eſt plus ægrum quam ſanum, eſt neutrum vt multum; quod eſt imperfectius, quam neutrum ſimpliciter ſemper; de ratione cuius eſt, vt ſit corpus aptum natum in parte ęquali eſſe ſanum, & ægrum.

Errat Pluſquamcommentator agens de hoc neutro, dum ait,quodlibet corpus viuens poſſe eſſe neutrum huius tertij ſignificati,quia quolibet corpus poteſt eſſe quandoque ſanum,& quandoq; ægrum; errat inquam, quia hoc corpus neutrum habet hanc naturam neutram ab ortu naturæ, ideſt à ſemine parentum, & non à cauſis extrinſecis: quæ enim à cauſis externis interim ægrotant,& interim ſanitate fruuntur, non dicuntur ab ortu naturæ talia,neque ſunt vocãda neutra; quare illa poſſunt eſſe ſalubria, inſalubria,& neutra primi ſignificati, & tertij.

2 Dubitatio non videtur, quod neutrũ nunc huius neutrius tertij ſignificati darì poſſit, quod ſcilicet in vno inſtanti nunc corpus ſit ſuſceptiuum ſanitatis, & morbi, quia ſi in vno tempore eſt ſuſceptiuum ſanitatis, in illo non poteſt eſſe ſuſceptiuum morbi.

Reſpondetur ex Galeno dari nunc inſtantaneum, & nunc ſumptum latius, quod ſcilicet habeat latitudinem;qua poſita dictione Galenus cenſet, dari poſſe hoc neutrum vt nunc habens latitudinem. Hinc Ariſtoteles conſentiens huic doctrinæ libro 4. phy. tex.121.& 122.docet, nunc ſumi, vel pro termino,qui eſt finis præteriti, & principium futuri, qui eſt indiuiſibilis, ſecundum quam indiuiſibilitatem nullo modo poteſt dari neutrum huius tertiæ ſignificationis; vel nunc quod non valdè diſtat à præſenti,& quod habet latitudinem, ſicuti dicimus nunc eſt bellum in Perſia, vel in Germania,nunc eſt autumnus;ſimiliter dum incidunt in morbos,dicimus,antequam incidant eſſe neutra vt nunc,vel dum conualeſcunt, antequam firmiorem ſtatum ſibi comparent, eſſe neutra nunc huius tertij ſignificati.

Eodem modo Galenus diuiſit prima aphoriſ.12.& 1.de criſibus 6. morbi principium,quod videlicet,vel ſumatur principium morbi pro illo primo nunc indiuiſibili, in quo corpus incipit ægrotare; vel pro ſpatio trium dierum; vel pro eo tempore, in quo adhuc humores ſunt crudi, horum locorum imitatione nos quoque ex Ariſtotele attulimus diuiſionem ipſius nunc.

SEXTI CAPITIS

Particula IV.

Salubre igitur, & inſalubre, & neutrum corpus quot modis dicatur, & quale vnumquodque ſit, ſufficienter explicauimus. De ſignis verò deinceps dicendum.

Explicatis neutris primi, ſecundi, & tertij ſignificati in hoc tex. epilogum huius primæ partis artis medicinalis facit: colligitque ea, de quibus ſermonem habuit, dicens, ſe egiſſe de ſalubribus, inſalubribus, & neutris corporibus, & quot modis dicantur, & quale vnumquodque ſit.

Manardus interpretatus eſt per qualia, quando ſuperius Galenus dicebat ſe velle tractare non de omnibus corporibus, quia ſunt infinita, nec de quibuſdam quia doctrina eſſet diminuta; ſed qualia nam ſint, intelligendas eſſe definitiones eſſentiales; quæ expoſitio non fuit accepta; quia non ſolum de definitionibus, ſed de ſignis, & cauſis in hoc libro agit Galenus, neque de ſignorum, & cauſarum definitionibus tractat. Ideò nos diximus ex Ariſtotele 5. metaph.c. de quali, quod qualitas tripliciter dicatur videlicet, vel de forma ſubſtantiali, vel de qualibet differentia omnium prædicamentorum, vel de qualitate prędicamenti qualitatis: qua poſita diſtinctione diximus Galenum per qualia intellexiſſe non ſolum definitiones, ſed etiam differentias omnium generum; omnia enim quæ ſciuntur, vel quæ ſciri poſſunt ſunt qualia, & de his omnibus in hoc libro egit Galenus.

QVÆST. XXVIII.

De vtilitate tractatus de Corporibus.

Nonnulli arbitrati ſunt, hūc tract. de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris eſſe prorſus medicinæ inutilem: & mirati ſunt Gal. cur de hac re tam diffusè tractauerit. Nos tamen oſtendemus rationibus à medicina, & ab altioribus principijs deſumptis, quod hic libellus, & tota ars medica ſine exacta corporū diuiſione, & ſubdiuiſione eſſet prorſus inutilis: immo ſine hac cognitione nihil nos docere potuiſſet tū pro ſanitate conſeruanda, tū acquirēda.

Non pro ſanitate conſeruanda, quia ſi voluerimus conſeruare corpora ſua natura ſalubria ſimpliciter ſemper, opus erit vt illa conſeruemus in eodem ſtatu; ſimiliter ſi corpus conſeruandum fuerit ſalubre vt multum, niſi cognoſcat medicus illum ſtatum, neſciet illum tueri: cauſæ enim conſeruantes, & corrigentes parua vitia corporis ſalubris ſimpliciter ſemper differunt valde a cauſis conſeruantibus ſalubre vt multum, vel neutrū ſimpliciter, vel inſalubre ſimpliciter.

Exempli cauſa corpus inſalubre ſimpliciter eſt illud quod habet ſanitatem diminutam; in hoc dicimus, illam eſſe conſeruandam, neq; eſſe introducendam ſalubritatem ſimpliciter; quæ in illo acquiri non poteſt: quia ſolum in prima generatione ex ſemine, & ſanguine mēſtruo hæc comparatur: debet tamen Medicus ad ſtatum illum meliorem, quem habere poteſt, illud inſalubritatis genus reducere.

Inſuper ſi conſuetudo vetuſta, quāvis mala non debet amoueri, ſed conſeruari, quanto magis debent conſeruari corpora ab ortu naturæ talia, quamuis inſalubria? Hippocrates 2.ſect.aph.50. *conſueta deteriora minus moleſta eſſe* dicit *inſuetis melioribus:* quo circa ſi corpora ſint inſalubria, & habeant aſſuetudines malas, ex Galeno libro de tuenda valetudine habemus, nec ſtatim, nec ſenſim eas eſſe amouendas, dicitque corpora ſenum, & debilium eſſe conſeruanda cum eadem imbecillitate, ſi per naturam ſeu inueteratam conſuetudinem talia ſint.

Qui igitur vellet reducere corpus ab ortu naturæ ſalubre vt multū ad ſalubre ſemper, quam maximè læderet: ſatis igitur eſt, vt hæc corpora eo modo conſeruentur, & quādo ęgrotant, vt ad ſalubria multum reducantur, ſi talia ſint, & nō ad ſalubria ſemper, ſimiliter ſi corpus fuerit neutrum ſimpliciter vt ſemper, vel vt multum, & aliquis vellet illud reducere ad ſaluberrimum, nunquid non iſte eſſet inſanus? hinc ſi quis voluerit puerū educare,

care, & incolumen diutiſſimè conſeruare, & neſciat corporis illius ſtatum, velleni ſcite ignoratis diuiſionibus, & ſubdiuiſionibus corporum, quomodo illum tractaret? cui dubium, quod ſolum caſu, & fortuito incederet.

Par eſt igitur vt ſemper præcedat diligentiſſimum examen de ſtatu corporis, an ſit ab ortu naturæ ſalubre, vel inſalubre, vel neutrum, & ob quæ vitia, an ſcilicet ſint in ſimilaribus, vel indiſſimilaribus: quia his non præcognitis, nec hominem conſeruare, nec dum ægrotabit, curare poterit.

Galenus in hac corporum diuiſione eſt ſolertiſſimus, & merito; quia medicus rationalis alia ratione non diſtinguitur ab inſano Empirico, & circulatore, niſi quia rationalis medicus ſcit diſtinguere corpora; quoniam alio modo tractantur corpora ſalubria, vt ſemper, vt multum, & vt nunc, & alio modo tractantur corpora inſalubria, & neutra vt ſemper, vt multũ, & vt nunc: medicina enim quæ poteſt eſſe preſtantiſſima in corpore ſalubri: poteſt eſſe venenum in corpore neutro, & verſa vice. Quis eſt ille qui poteſt has differentias cognoſcere, niſi ſit verſatus in hac arte parua? Hinc Empirici, & triuiales medici qui iiſdem remedijs tractant corpora ſalubria, inſalubria, & neutra, ægros vexant, lacerant, & ad necem vſque deuerberant.

Hinc Galenus 3. præſag. comm. 29. pro varietate corporum dicit varia eſſe remedia, & varia preſagia, ibidem ait, in robuſtis, & ſalubribus calidos humores per excretionem, & per digerentia, & non per ſuppurãtia eſſe tractandos. Similiter in robuſtis vult humores frigidos non per digerentia, ſed per ſupurantia. In debilibus humores calidos per abſceſſum, & per ſupurantia: in debilibus humores frigidos, vel in malos abſceſſus cedere, vel mortem prenuntiare.

Pari modo Gal. 5. de tuen. ſan. 11. habet hæc verba: ſicuti fieri non poteſt, vt vnum calopodium ſutor ad omnes homines accommodet: ſic nec medicus vnam vitæ ſpeciem quæ conducat ad omnes homines accommodabit.

Sic Galen. 5. meth. vlt. reprehendit methodicos, qui dicebant corporum cognitionem eſſe inutilem ad curationem; ibique proponit modum cognoſcendi per experientiam quod remedia ſint magis vel minus ſicca, prout corpora ſunt magis vel minus ſicca. Additque ſicciora remedia requiri in vlceribus penis quam in eius cute.

Accedit, quod affectus præter naturã ex Galeno hic, & primo ad Glauconem cap. 1. eſt receſſus à ſtatu corporis ſani, idcircò ſtatus corporis eſt præcognoſcẽdus.

Nec obijciant, nos contrarium dixiſſe lib. 4. methodi noſtræ ca. 1. vbi ſtatuimus, ſatis eſſe medico, vt ægros reducat ad ſtatum aduentitium ſalubrem, & nõ ad primigenium remotiſſimum, qui poteſt toto cœlo differre ab aduentitio ſalubri: habemus enim ex Galen. 2. de temperamentis c. 4. quod occaſione alicuius conſuetudinis aliquis calidus ab ortu naturæ, qui habeat venas latas, fiat pinguis, humidus & frigidus; ſimiliter frigidus, qui habet venas anguſtas, & corpus gracile occaſione conſuetudinis mutet temperaturam ex calida in frigidam, & vice verſa ſine morbi introductione.

Cui dubitationi reſponſum eſt, temperaturam duplicem eſſe, aliam quæ eſt totum eſſe rei, qua vna pars differt ab alia, vt dicit Galenus lib. 1. de vſu partium c. 9. vbi vult, quod eſſe carnis ſit temperamẽtum, & lib. 3. de temper. 4. temperamentum eſſe vniuerſam ſubſtantiam. Aliam quæ eſt temperatura, quæ eſt illa qualitas quę de nouo ſolet introduci. Poſita hac diſtinctione dicimus, quod propria tẽperatura ſemper manet eadem, & vſque ad mortem perſeuerat, magis tamen, & minus minuitur pro maiori, & minori errore externo, de hac loquendo diximus: ægrotum, vt ſanetur, non eſſe reducendum ad tale temperamentum, quale aderat puero exiſtente, quia iſte retroceſſus eſt impoſſibilis, ſed reducendum eſſe ad ſtatum, qui paulò ante fuit amiſſus, quique erat in latitudine ſanitatis, & qui vocatur aduentitius, qui igitur ad hunc ſtatum perducet ægrum, dicemus illum ſanare, & conſeruare.

Quę verò ſint altiora principia, quibus oſtendi poteſt ſumma vtilitas tractatus de corporibus, Ariſt. docebit; 1. enim poſt. docet, quod ea proportio, quæ eſt in vna

ſcientia, vel arte eadem etiam ſit in vnica demonſtratione, quatenus ſcilicet in demonſtratione debent eſſe hæc tria, ſubiectum, paſſio, & medium, ſic dicimus in tota arte medica eſſe tria; primum eſſe ſubiectum circa quod verſatur ſanitas, vel morbus, & hæc eſſe corpora; ars enim medica non habet ſubiectum, loco tamen ſubiecti conſiderat finem; ſecundum eſſe ſanitatem conſeruandam, vel introducendam: tertium eſſe cauſas, ſeu auxilia conſeruantia ſanitatem, & auferentia ægritudinem, de his tribus agit Galenus in arte medicinali.

Hinc Ariſtoteles ſemper ſibi conſentiens valde laborauit 2.poſt. vt nos doceret, quomodo ritè problema debeat proponi, quia nullum vitium eſt magis inſigne, dum tractatur de aliqua re, quam perperam aſſumere problema: problema ex Ariſtotele conſtituitur ex maiori, & minori extremo, id eſt ex paſſione, & eius ſubiecto; dum igitur applicatur maius extremum ſubiecto quod excedat vel excedatur ab illo, problema non ritè proponitur.

Similiter accidit, dum probatur paſſio generis innominati, & paſſio excedat: tunc concluſio ſuccedit vaniſſima; eadem ratione Galenus volens conſtituere ſubiectum medicinæ, circa quod verſatur medicus, eſt neceſſarium, vt ſubiecta diſtinguantur quouſque paſſiones reddantur conuertibiles: ideò de corporibus diligentiſſimè erat agendum.

Præterea paſſiones propriæ ſine diſtincta cognitione propriorum ſubiectorum redduntur omninò immanifeſtæ, quia manifeſtantur per cognitionem ſui ſubiecti: prædicantur enim in ſecundo modo dicendi per ſe, debent igitur definiri per ſubiecta vel generica, vel ſpecifica; ſed talia, vt ſint cum paſſionibus conuertibilia.

Errant enim Porphirius, & Sueſſanus, qui cenſent genera vt genera non habere proprias paſſiones, putabāt enim proprietates ſolum conuenire ſpeciebus, quę ſententia reluctatur Ariſt. 4. metaphyſ. in principio, & lib. 5. vbi dicit dari proprietates entis, vt ens eſt, & primo de Cœlo tex. 5. vbi docet, localiter moueri eſſe proprietatem corporis naturalis vt naturale eſt; quod quidem eſt genericum.

Quo circa ſubiecta quoque generica ſunt inquirenda, eaque diuidenda vſque ad ſpecificas ſubiectorum differentias; ſi, verò innominata ſint, circumſcribenda; quia hoc modo ritè problema proponetur: quare niſi corporum cognitio præcedat, de medendi arte actum eſt; exempli cauſa, ſi nos paſſionem corporis ſalubris ſimpliciter ſemper iiſdem remedijs tractaremus, quibus curantur paſſiones corporis ſalubris vt multum, eſſet erratum inexcuſabile.

Similiter ſi paſsio, quæ conuenit corpori neutri ſimpliciter ſemper, eodem modo tractaretur, quo corporis neutrius vt multum, vana eſſet medicina, & vaniſſima hæc doctrina definitiua. Idem dicendum eſt de omnibus ſignificatis neutrorum corporum.

Cæterum, vt tantum errorem explodamus, iterum accedamus ad Ariſtotel. qui 1. poſt. ca. 5. docet eſſe erratum inexcuſabile circa vniuerſale, dum demonſtratur paſsio generis de vna ſpecie, veluti ſi oſtenderemus, quod ſentire conueniret homini tamquam proprio ſubiecto. Similiter dum quis probaret paſsionem generis innominati de ſpecie: dicit enim Ariſtoteles loco citato eſſe erratum, vel dum quis applicaret paſsionem ſpeciei indiuiduo, quæ errata ab his, qui arcana analytica non percepere, vel ſæpiſsimè committuntur.

Hæc ſunt applicanda medicinæ; aderunt enim paſsiones corporis ſalubris ſimpliciter quod eſt genus corporis ſalubris ſimpliciter ſemper, & vt multum; attamen ſi medicus paſsionem illam communem applicauerit corpori alicui ſpecifico non ſolum decipietur, ſed medendo officiet.

Demū qui diſtinctè non pernoſcet ſubiecta propria, ſemper decipietur, tum in cauſis dignoſcendis, tum in tollendis paſſionibus præter naturam, ſolent enim ſæpiſſimè medici parum accurati loco proprij ſubiecti non ſubiectum aſſumere, ſed aliam paſſionem; exempli cauſa: aderit pulſus frequentiſſimus, & calor febrilis inſignis: medicus, qui de ſubiectorum cognitione non cogitat, dicet, calorem febrilem eſſe originem frequentiæ pulſus,

ſus, putabitque frequentiam pulſus prædicari de calore febrili tamquam de proprio ſubiecto: nihilominus in cognitione, & curatione decipietur: quia in tollenda frequentia pulſus iudicabit eſſe tollendum calorem febrilem remedijs, quæ actu refrigerant: error inde pendebit, quia non calor febrilis, ſed putredo eſt cauſa caloris, & frequentiæ pulſus: calor febrilis, & frequentia pulſus ſunt duæ communes paſſiones, quæ prædicantur de putredine; quare paſſio non poteſt eſſe paſſionis cauſa, quia eſt in fieri, & non in facto eſſe; cauſa enim efficiens, vel materialis, niſi ſit in facto, nihil efficere poteſt; humores enim putridi ſunt in facto eſſe: Hinc Ariſtoteles in 4. metaphyſ. tex. 14. habet, *accidens non eſſe accidentis accidens, niſi quia vtrumque eidem accidit*. Ecce igitur, quòd calor febrilis cauſare non poteſt frequentiam pulſus: ecce ſimiliter, quòd nihil percipitur in arte, niſi prius omnia reducantur ad propria ſubiecta; his itaque altioribus principijs motus Galenus tantum laborauit, vt omnia corpora, quę ſubijciuntur ſanitati, & morbo, & neutri diſpoſitioni inueniret; ex his igitur quiſque poterit pernoſcere quàm vtilis, & neceſſarius ſit tractatus de corporibus.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

SANCTORII SANCTORII

Olim

IN PATAVINO GYMNASIO MEDICINAM THEORICAM ORDINARIAM PRIMO LOCO PROFITENTIS

Commentaria

IN ARTEM MEDICINALEM GALENI.

PARS SECVNDA.

SEPTIMI CAPITIS
Particula I.

Tex. 1. *Sunt autem ex his ſalubria quidem quæcumq; præſentem indicant ſanitatem, & futuram prænunciant, & præteritam memoria ſubijciunt: inſalubria verò, quæ & præſentem indicant ægritudinem, & futuram prænunciant, atq; præteritam memoria ſubijciunt. Eadem ratione neutra dicuntur, quæ neutram diſpoſitionem oſtendunt, prænunciant, & memoria ſubijciunt, & quæ nihil omninò de diſpoſitionibus indicant, vel nihilo magis ſalubrem, quàm inſalubrem diſpoſitionem oſtendunt, & partim quidem ſalubrem indicant diſpoſitionem, & quæ aliquando quidem ſalubrem, aliquando verò inſalubrem, & hæc quoq; ſecundùm tria tempora, veluti ſalubria, & inſalubria appellantur. Vocantur autem nonnunquam à vetuſtioribus medicis hæc omnia ſigna prænunciatiua, quamvis præſentium, ac præteritorum indicatiua ſint. Vſus verò non paruus ex prænunciatiuis, atq; indicatiuis. minor autem ex his, quæ memoria ſubijciunt.*

CVm ex diuiſione ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum corporum, ſignorum, & cauſarum orta ſint ſeptuaginta duo membra amplectentia totam artem ſicuti oſtendimus in fine 2. partic. 3. cap. & hactenus à Gal. actum ſit de omnium corporum diuiſione, & ſubdiuiſione.

In hac 2. parte agit de ſignis, quæ omnia prædicta corpora indicare poſſint: ſicuti enim alia corpora ſunt ſalubria ſemper, alia vt multum, & alia vt nunc: & neutra ſecundùm omnia ſignificata, & inſalubria ſimiliter ſint ſemper, vt multũ, & vt nunc: Simili modo admonet Galenus dari ſigna indicantia corpora, quæ ſint ſalubria ſemper, quę vt multũ, & quę vt nunc, quæ neutra, & quæ inſalubria.

Cæterum in tex. Galenus docet, plures eſſe denominationes signorum, quam corporum; quodlibet enim signum reſpectu diuerſorum poteſt dici ſalubre, inſalubre, & neutrum, & poteſt eſſe tritemporeum, quod non conuenit corporibus: dicetur .n. signum inſalubre nunc, quatenus indicat præſentem ægritudinem; dicetur ſalubre, quatenus idẽ signũ futuram ſanitatem, & præteritum robur pręnunciat, & demũ facta varia conſideratione neutrũ etiam ſecundum omnia significata inueniri poterit tritemporeum.

Sed exemplorum luce paulò infra signa corporum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum sigillatim aperiemus, deindè in dubiorum ſolutionibus textus artificium aperiemus.

In præſentia par eſt,antequam ad textum accedamus, vt prius Methodum communem tradamus, qua interni & occulti affectus penetrari poſſint. Quod vt rectè fiat confugiendum ſanè eſt ad principia analytica, à quibus tanquam à proprijs fontibus methodi perquirendi recondita hauriuntur.

Itaque ſumpto hoc principio dicimus, locorum quibus penitiores affectus penetrantur aliqua eſſe antecedentia, & aliqua conſequentia.

Quo ad antecedentia dicimus ex omnium conſenſu hæc non eſſe plura tribus ideſt ſex res non naturales, cauſæ remotæ,& cauſæ proximæ.

Ex rebus non naturalibus nihil certi colligi poteſt,quia hę in affectuum internorum productione non neceſſariò conſpirant: videmus enim aliquando homines tempore æſtiuo poſt vſum generoſi viſi, & aromatum in cachexiam, & anaſarcam prætetlabi: & tempore hyberno ſenes aliquos poſt vſum frigidorum aliquando in ardentem febrem incidere: Quo fit vt Hippocr.& Gal.noluerint,has res non naturales vllo modo appellare cauſas, ſed προφάσεις, ideſt occaſiones.

Cauſæ tamen quamuis remotiſſimæ neceſſariò in effectuum productionem conſpirant, & ex ipſis vt remotæ ſunt, quamuis non poſſimus per demonſtrationem colligere propter quid, colligimus tamen vt docet Ariſt.1.poſt.c.10.ipſum quod: verum quia per demonſtrationem à cauſa remota nihil affirmatiuè concluditur,vt habetur in prioribus analyticis, ideò eam omittemus.

Quod verò cauſæ remotæ neceſſariò concurrant in effectuum productionem, patet non ſolum quia dant quod, verum etiam,quia collocantur in eadem linea prædicamentali, quæ amplecti ſolet prædicata neceſſaria.

Ariſtot.non immerito 9.metaph.17.ait niſi darentur ſubſtantiæ ſeparatæ, quæ à nobis remotæ ſunt, nil vlterius reperiri: & 8. phy.56. niſi daretur motus continuus primi motoris omnes motus abolirentur: & Auerroes 2. de ſubſtantia orbis,ſi cęlum nõ eſſet, deſinerent inferiora moueri:4.phy.com.98.ait ſi cælum deſineret moueri, remanerent mortalia, ſed inuicem non permutarentur: nemo philoſophorum vnquam negauit cauſas remotas non conſpirare in generationem effectuum: negant tamen omnes, quod ex illis colligi poſſit cõcluſio aliqua affirmatiua, quã in præſentia nos quærimus,ideò ex cauſis remotis nullum certũ & proprium indicium colligi poterit.

Quare cum neq;ex erroribus,qui committuntur in ſex rebus non naturalibus, neque ex cauſis remotis colligi poſſit, an intẽperies vel alius internus, & occultus affectus inhæreat iecori, vel alijs viſceribus; conſequens eſt, vt colligatur vel ex cauſis proximis; vel ex conſequentibus: non ex proximis cauſis,quia ſemper ſunt ignotiores:ideo ex ſignis,quę conſequũtur affectus naturales,vel non naturales.

Quæ vero conſequuntur ex Ariſtot.1. Rhetoricorum,c.2.ſunt duum generum: aliqua neceſſaria, quæ dicuntur thecmiria, quæquè ſunt quærenda, ſi penetrare velimus, quibus affectibus naturalibus, & non naturalibus afficiantur corpora: aliqua non neceſſaria,quæ carent nomine, quæ ex Ariſt. in Rhetorica ad Alexandrum ſimiliter ſunt duum generum, aliqua quæ efficiunt opinionem, & aliqua ſcientiam.Ecce quod duo tantũ ſunt illa conſequentia, quibus vti poſſumus pro internis paſſionibus dignoſcendis.

Cæterum,quia ſæpiſſimè accidit,vt ſigna propria affectuum ſint recondita,& nobis oculta:ideo Medicus coactus cõfugit ad formandas ex ſignis cõmunib.ſyndromes,quæ tantum valeant,quantum aliquod ſignum proprium conuertibile.

Quod verò communia ſignorum ſyndrome ęque doceat,ac ſignum proprium admonet Ariſtot.2. poſteriorum, vbi per duorum ſignorum ſyndromen inquirit animal habens quatuor ventres,alterum ſignorum erant cornua, alterum dentium ſuperiorum carentia:refert philoſophus duo illa ſigna vnita in indicando quodnam animal habeat quatuor ventres eſſe paris efficaciæ, ac eſſet aliquod ſignum propriſſimum.

Similiter Galenus in toto libello, dum intemperaturas, vel alias paſſiones perquirit,nõ vnicum ſignum proponit,quia illud vnicum proprijſſimum nos latet,ſed plurimorum ſyndromen, qua & intem-

pera-

peraturas, & omnes alios affectus viſcerum declarat.

Simili modo omnes medici, dum aliquam ægritudinem tractant, plura ſigna proponunt, vt illorum ſyndrome ea perfectè dignoſcatur.

Qua arte verò, & à quibus fontib. hæc ſignorum ſyndrome hauriatur, inferius Gal. nos docebit. Ego verò tum lib. 1. methodi, & 6. pleniſſimè ex Galeni, & Ariſtotelis mente de hac ſyndrome conficiēda egi, tum poſt explicationem capitis 43. huius libri non ſine aliqua diligentia.

Cauſa illius fuſę tractationis fuit hoſcitantia & temeritas Argenterij, qui falsò erroris ſēper inſimulat Galenum, quod ſigna propoſuerit impropria: nec miſer animaduertit Galeni artificium poſitum eſſe in multorū ſignorum ſyndrome perquirendæ: ſed quia exactiſſimè locis citatis de conficiēdæ ſyndromes arte egimus ideò non eſt vt rurſus hic de ea agatur.

Hæc 2. pars à c. 7. vſque ad 84. producitur: Diuiſaque eſt ab Antiquis latinis in centum textus: Nos eam diuidimus in quinque tractatus: in primo tractatu, qui extenditur à cap. 7. vſque ad 70. duo facit: primo agit de ſignis optimæ temperaturæ, quæ proponitur vt regula aliarum omnium intemperaturarum: rectum enim ex Ariſtotele 1. de anima tex. 85. eſt ſui & obliqui iudex: ſecundo agit de ſignis omnium intemperaturarum viſcerum principalium, & totius corporis ſanorum hominum. In 2. qui exorditur à c. 70. & peruenit vſque ad c. 75. agit de ſignis malæ conformationis ſanorum. In 3. de ſignis corporum ægrotantium, qui peruenit vſq; ad c. 82. excluſiuè. In 4. qui eodem c. 82. perficitur agit de ſignis futurarum ægritudinum. In 5. qui abſoluitur c. 83. agit de ſignis futuræ ſanitatis, & futuræ mortis.

Intentio Galeni in hoc tex. eſt diuiſionem facere ſignorum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum in tres claſſes, in ſigna videlicet præteritorum commemoratiua, in prǽſentium indicatiua, & in futurorum prænunciatiua: ita vt quodlibet ſignum, ſit vel ſalubre, inſalubre vel neutrum, poſſit eſſe & indicatiuum præſentium, commemoratiuum præteritorum, & prænunciatiuum futurorum.

Diuiditur propterea hic tex. in tres particulas: in prima recitat propoſitam diuiſionem ſignorum: in ſecunda refert ab Antiquis, & ab ipſo Hippocr. lib. de præſagijs, quod ſigna, quæ ſunt prǽteritorum, & futurorum indicatiua, vocentur prænunciatiua ſine prognoſtica: de quare paulo infra: in tertia ait, maximum eſſe vſum in arte medica ſignorum, quæ prǽnunciant futura, & quę indicant prǽſentem ſtatum: minorem verò eſſe vſum illorum ſignorum, quæ prǽteritum ſtatū commemorant: meritoque, quia de præteritis non eſt conſultatio: non ſunt tamen ſpernenda, quia medici dum coram ægris prognoſticantur prǽterita, ait Hippocrates 1. præſag. tex. 2. ægros libentiſſimè ſe illorum curæ committere.

Ad 45. cap. reducuntur ſigna indicantia vniuerſa corpora, quod quidem ex Gal. facilè patet, quia corpora ſalubria, inſalubria & neutra ſecundum tria ſignificata, conſiderata vt ſemper, vt multum, & vt nunc quindecim ſunt, totidemque eorum ſigna, verū quia quodlibet ſignū, poteſt eſſe tritemporeum, ideſt indicatiuum præſentium, commemoratiuū præteritorum, & prǽnunciatiuum futurorū, ideò conſurgent quindecim ter multiplicata ſigna, fientq; 45. ſignorum genera.

Quo ad ſigna corporis ſalubris ſimpliciter ſemper quę indicant præſentem ſtatum ſaluberrimum varia ſunt: inter præcipua verò collocantur actiones vitales, naturales, & animales in ſuo eſſe perfectiſſimo: dum verò ſunt minus perfectæ indicant ſalubre vt multum: dum adhuc magis deficiunt, indicant corpus ſalubre vt nunc. Galenus verò c. 85. huius libri, & ſecundo de tuenda ſanitate c. 7. tradit hęc ſigna ſaluberrimi corporis, dicens hoc non indigere cuſtode, ſed eſſe ſibimet regulam, & tantum appetere quantum concoquere.

Signa vero quę ſunt tritemporea ideſt indicatiua præſentis ægritudinis, prænūciatiua futuræ ſanitatis, & commemoratiua præteritorum eſt concoctio, & virtū robur; pus enim coctum in apoſtemate, vel pleuritide non ſolum eſt ſignum indicatiuum prǽſentis pleuritidis, ſed prænunciatiuum futurę ſanitatis, & commemoratiuum præteritorum; robur enim ægro-

ęgrotantis eſt commemoratiuum præteritæ, & optimæ ſanitatis: nunquam enim æger eſſet robuſtus, niſi dum ſanus, fuiſſet robuſtiſſimus.

Quod verò ſigna coctionis in qualibet mortifera ægritudine ſint ſalubria, & prænūciatiua futuræ ſalutis, facilè colligitur ex Hippocr. & Gal. Hippocr. enim 1. Epid. comm. 2. tex. 45. de ſalubritate ſignorum deſumptorū à coctione profert hanc ſententiam, *coctiones iudicationis celeritatem & ſalubrem ſecuritatem ſignificare*. Gal. vero 3. præſag. 39. & 1. de criſib. 14. ait ſigna coctionis eſſe ſigna fida ſalutis futuræ, aliaque non dari ſecuriora: & 1. aphor. com. 12. ait ſigna coctionis ſemper bona. Addimus, hæc duo, robur, & cōcoctionē indicare victoriā ſupra morbum, licet eſſent centum ſigna mortalia.

Coctiones obſeruantur in vrina, pure, ſputamine, & alui fęcibus.

Præterea omne ſignum ex ſe lethale, & mortis prænunciatiuum, ſi iungatur cum coctione peccantium humorum, & virium robore, dicitur ſalubre vt nunc, quatenus illa occaſione, quamuis lethale ſit, prænunciat ſalutem. Hinc in Horophonte vrina nigra, & extrema frigida, quæ ex ſe ſunt ſigna lethalia, iuncta tamen cum virium robore, fiunt ſalubria nunc, quia prænunciant ſalutem.

Similiter in vxore Epicratis vrina nigra cum ſignis coctionis erant ſalubria nunc, quia illa occaſione erant prænunciatiua ſanitatis: Hinc Hippocr. 2. prognoſt. text. 9. digitos denigratos reponit inter ſalubria nunc ſi illis iuncta ſit facilis tollerantia ægrotantis, ibi enim habet hanc ſententiam, *ſi aliud ſit ſignum ſalubre, & æger morbum facile ferat, nigrorem digitorum oſtendere morbum conuerſurum in abſceſſum, et ægrum conualiturum*.

Quod vero liuor, ſeu denigratio extremarum partium ex ſe, ideſt ſeparata à robore, & coctione eſſe poſſit ſignū lethale, patet ex hiſtoria Adoleſcentis decumbentis in foro mendacij, cui aderant extrema liuida: ibi enim ait Gal. liuorem, & nigrorem partium extremarum alterum duorum malorum ſignificare poſſe, vel emori natiuum calorem, vel inflammationem viſcerum, quam inflammationē, perſeuerante virium robore, ſperandum eſt cum Hippocrate in abſceſſum ſalutarem conuerſuram. Inſuper Galenus c. 83. videns nigredinem digitorum aliquando, nec coctionem, nec cruditatem, nec viſcerum inflammationem, neq; caloris extinctionem indicare, collocauit digitos denigratos inter ſigna neutra primi ſignificati, quæ neq; ſanitatem, neq; morbum prænunciant: inde colligas quomodo ſigna alioquin lethalia, aliquando ſint neutra, & aliquando ſalubria, ſi iuncta ſint cum robore, vel coctione.

Quo ad ſigna neutra primi ſignificati, ſolent ea deſumi à triplici fonte; Quorum primus deſumitur ab ijs, quæ ſunt talia ſecundum naturam primigeniam, quæ tamen non magis ſalubritatem, quam inſalubritatem indicant: exempla iſtorum ſignorum neutrorum proponuntur à Galeno primo de tuenda ſanitat. c. 5. vbi inquit, albedinem Germanorum, & Gallorum, vel ruffum colorem Scytharum, vel Ægyptiorum nec ſalubritatem, nec inſalubritatem ſignificare.

Secundus fons horum ſignorum primi ſignificati deſumitur ab ijs, quæ talia ſunt: ſecundum naturam aduentitiam: exemplum horum Galenus in fine c. 50. proponit inquiens, *ſi quis in Regione temperata in Sole ſe ſingulis diebus expoſuerit, fiet niger: vel ſi more puellarum in vmbra degat fiet albidior*. Hi colores acquiſiti, vel quodcunq; accidens naturale acquiſitum ſunt ſigna neutra per abnegationem extremorum, quod non magis ſalubritatem, quam inſalubritatem indicabit.

Tertius fons deſumitur ab ijs, quę ſunt pręter naturam, veluti in principio morbi vrina cruda, quæ ex Auicenna lib. 1. fen. 2. c. 3. non magis prænunciat bonum, quam malum: quia tam apparet cruda in principio morborum ſalutarium, quam lethalium; ad hunc fontem ſignorum neutrorum reducimus omnia illa ſigna, quæ eueniunt in principijs morborum quæ nihil indicant, ſicuti in principio paroxyſmi contractio pulſus, ſitis, & alia id genus; ideo dicentur neutra ſigna per abnegationem extremorum.

1 Dubitatio; diximus ex Auicenna crudam vrinam ab initio morbi eſſe ſignum neutrum per abnegationem extremorū, id eſt non magis indicare ſalubritatem,

quam

quam inſalubritatem; attamen Galenus in fine cap.83.ideſt in fine huius ſecundæ partis, vrinam crudam collocat inter ſigna inſalubria, & non inter neutra, ergo vel Auicennas, vel Galenus decipitur.

Reſponſio colligitur ab ipſo Auicenna loco citato dicête, ſigna cruditatis duplicia eſſe; alia ſigna cruditatis priuatiuæ, quæ ſignificant ſolam carentiam coctionis, ſicuti in morbi initio ſunt vrinæ tenues, perſpicuæ; ſputa tenuia in principio pleuritidis, fæces crudæ ſine aliqua maligna qualitate; hęc cruditatis ſigna nec ſalutem, nec mortem prænunciant; quia in ratione omnium morborum incipientiũ cruditas eſt; alia vero ſunt ſigna cruditatis poſitiuæ, quæ ſcilicet prænunciant inſalubritatem, veluti ſi præter tenuitatem, vrina ſit turbida, valde rubra, nigra, mali odoris, vel omninò odore ſuo priuata; quod poſtremum ſignum ex Auicenna locis citatis certam mortem prænunciat.

Quod diximus de vrinis, idẽ de omnibus excrementis dicendum, vt de ſputaminibus ſi ab initio sint nigra; & de fęcibus ſi sint æruginoſæ; dicimus hæc signa cruditatis poſitiuæ non eſſe neutra primi ſignificati, ſed inſalubria, & de his intellexiſſe Galenum loco citato; quare neq; Auicennas, neque Galenus deceptus eſt.

Quoad ſigna neutra ſecundi ſignifica ti, quæ ſunt illa, quæ partim quidem ſalubrem, partim inſalubrem indicant diſpoſitionem, dicimus ad hanc neutralitatem, vt infra probabimus, pertinere ſigna decidentiæ, & conualeſcentiæ. Hæc signa deſumuntur vel ab ijs quæ adhuc ſunt ſecundum naturam, ſed quantitate, qualitate, vel tempore recedentia; de his exemplificat Galen. text.95.huius partis, dum in ſex rebus non naturalibus delinquimus, veluti ſi plus, vel minus iuſto comedimus, bibimus, iraſcimur, Venere delectamur, dormimus, & euacuamus minus, plusve iuſto, vel tempore inſolito per aluum, hæmorrhoidas, nares, palatum, per urinam, & per ſudorem; Vel deſumuntur hæc neutra ab ijs, quæ ſunt toto genere præter naturam, quæ tamen non amouent nos à conſuetis operationibus, ſicuti ſunt exigui dolores inteſtinorum, & aliarum partium, ſpontaneæ laſſitudines, & alij similes affectus.

Quo ad neutra tertij significati, quæ ſunt illa quæ aliquando ſalubritatem, & aliquando inſalubritatem indicant: dicimus ad hoc neutrum eſſe referenda omnia signa, quæ aliquando uidentur bona, aliquando mala, similiter tam ea, quæ ſunt in ægrotantibus, quam ſanis.

Preclarum exemplum nos ſæpe afferimus deſumptum ab hiſtoria Cleonactidis, qui aliquãdo eijciebat urinas coctas, & aliquando crudas; Gal. in comm. illius hiſtoriæ dicebat hoc indicare humores alios coqui, alios uero manere crudos, idẽ dicimus de alijs excrementis; aliquando enim in pleuritico ſputum apparet aliquando coctum, aliquando crudum, quæ signa non ſunt inſalubria, ſed neutra tertij significati. Verum quia neutra signa diuiduntur eo modo, quo diuiſa ſunt corpora in simpliciter ſemper, ut multũ, & ut nunc; ideo ſecundum illam intelligentiam, qua corpora explicata ſunt, debent intelligi neutra signa, quæ ſ. sint ſemper, quæ ut multum, & quæ ut nunc.

Quoad signa omninò inſalubria, quæ ſunt morbi indicatiua, & certæ mortis prænunciatiua, quamuis ęger sit cum uirium robore, plura obſeruantur in Hippocrate, & præcipuè aphoriſmo 18. ſextæ ſectionis, ubi ait; *veſica diſciſſa, aut cerebro, corde, ſepto, tenui inteſtino, ventriculo, aut iecore, mortale*: uulneratis his præcipuis partibus, quamuis maximum adsit uirium robur, adimitur ſalutis ſpes; inquit Gal. in commento, Hippocratem dixiſſe diſciſſam; quod intelligitur de uulnere penetrante; quia uulnera perexigua illarum partium, excepto corde, non ſunt ſemper mortalia, ſed, ut ibi docet Galen. ut plurimum; cordis enim perexiguum vulnus eſt mortale ſemper, quamuis validiſſimis viribus cor sit insignitum.

Signa verò prænunciatiua futuræ mortis non ex ſe, ſed quia iuncta ſunt cum aliqua virium proſtratione, ſunt ferè omnia illa, quæ ab Hippocrate lethalia nominantur; sicuti eſt illud 6.aphor.52. dum febricitantes vt hiantes dormiunt; idem dicitur de reſpiratione magna & rara, quæ in Philiſco fuit mortalis; itidem si in reſpiratione obſeruetur motus ſcapularum, & pinearum narium ex Gal.4. aph. 5.& 4.de loc.aff.7. eſt lethale.

Præ-

Præterea libro præſag. Hipp. air quod vox Κλαγγώδης ſeu clangoſa ſit ſignum lethale: pariter ex Gal.4. aph.46. rigores maximi ſuperuenientes acutis febribus ſine conſecutione euacuationis per vomitum, & per aluum ſunt lethales.

Immo Galenus 1. de criſibus c.7. 8. & 14. inquit, dari quædam ſigna, quæ ſunt etiam cauſæ criſis, vt ſudor, alui profluuium, vomitus, vrinæ copia, quæ ſi in vigore, vel declinatione contingant, à Gal. ſigna ſalubria vt plurimum vocentur: immo addit ibi Galenus, plures ſanatos vidimus, quam mortuos ex criſi, niſi adſit (quod repetit quoque 2.apho.13.) peſtilens conſtitutio.

Ecce quam vtilis ſit euacuatio in vigore, & declinatione: cogita igitur, quã mala eſſet euacuatio in augumento, & in principio: ſed omnium peſſimum erit illud ſignum, quãdo in augmento ſuperuenit rigor ſine vlla euacuationis conſecutione. Præterea rigores ſuperuenientes, ex 7.aph.1. ſine conſecutione caloris partium extremarum ſunt lethales.

Itidem rigor maximus in debili ex Hippocrate 4.aph.46. mortem prænunciat: Amplius ex Hippocrate 4. aph.53. lentores circa dentes in malignis febribus, & ex 4.aph.22. exeuntia nigra prænũciant mortem, itidem frigidi ſudores perpetui, vt in Eraſino in acuta febre ex Hipp.4.aphor 37.mortem ſignificant.

Poſtremò ſi poſt euacuationem fæcũ liquidiſſimarum, bilioſiſſimarum, & fætidiſſimarum augeatur febris, ex 3.de ratione victus 14. certam mortem præſagiunt, plurima alia ſigna mala, & inſalubritatis indicatiua, & prænunciatiua, quæ præſertim, ſi vires ægrotantis non ſint validæ, ſunt inſalubria omninò, vt indicatiua, & ut prænunciatiua; quæ ſi in ægro forti, & robuſto ſint, nocentur (ut diximus) ſalubria nunc.

Medicus tamen ſumma induſtria prædicta ſigna perpendere debet, ut inde poſſit colligere, an æger ſit moriturus, nec ne: morituri .n. non ſunt medicamentis uexandi: Hinc Hipp.1.præſagiorum tex.4. inquit, *morituros, & euaſuros prænoſcens prænuncians culpa vacabit* Gal. uerò lib. de conſtitutione artis medicæ çap. 16. habet hæc uerba, *inſontem fore Medicum abolitionis criminis, quoties conualituros, aut morituros ægros prænunciet.* Similiter 12. meth. c.3. habet hæc, *huiuſmodi ægri caſu, te ipſum à culpa immunem præſtabis, ſi moriturum prædixeris, ac nullo generoſiori medicamento vſus fueris.* Itidẽ 11.meth. c.9. habet, *in quo omninò deſperata ſalus eſt, impudentis conſilij fuerit apud vulgum infamare præſidia, quæ multis fuere ſaluti.* Inſuper 2.aphor.com.29. habet Gal. hanc ſententiam, *recordantibus nobis quod deploratos non oportet attingere, ſed magis abſtinere, & morbi finem prænunciare.* Demum 1.aphor. com.8. ait *quorum ſummum vigorem excipit mors, in hac parte artis vtimur ſola, quæ prognoſtica nominantur, id quod futurum ſit prænunciando, ne euentus rerum noſtro adſcribatur errori.*

Quo ad poſtremam particulam text. Gal. laudat Antiquos, qui nomẽ prognoſticationis referebant ad tria tempora, præterita ſcilicet præſentia, & futura; primo enim prognoſticorum text. 4. habet hæc, *Vates non minus admittendus eſt qui tamquam præſentia dicat præterita, quæ non vidit ipſe quam qui futura prænunciat.* Similiter Hippocrates primo prognoſt. tex. ſecundo ait, *prognoſticari coram ægro præterita, præſentia, & futura, ægros medico magis concredere.*

2 Dubitatio hic proponitur, an cognitio præteritorũ non ſolum medico, ſed etiam ęgro, vt ex Hippoc. dictũ eſt, cõferat: De hac re acerrime diſputant Auctores.

Reſpondemus tamen nos, dum Hippocrates dixit, cognitionem præteritorum eſſe vtilem medico, intellexiſſe medico præcipuè; non tamen negauit eſſe vtilem infirmo, cui dubium, quod medicus ex præteritæ ęgritudinis, & induiduantium conditionum notitia facilius naturam præſentis ægritudinis dignoſcet? qua præcognita, ea poterit eligere remedia, quæ tutius, & citius ſanabunt.

Preterea Gal. primo prognoſt. comm. 4. vbi facit cõparationem inter ſigna rememoratiua, & prænunciatiua, inquit, futurorum præſenſionem vtiliſſimam eſſe, præteritorum vero vtilem vni medico pro oſtentatione. Addas præcipuè; quia maiorem fructum optimus medicus colliget, dum propriæ conſcientiæ ſatisfaciet, quam ſi ſe oſtentauerit: Idcirco arbitra-

bitramur,optimum fore, ſi medicus omnia tentauerit, vt ægri maximam fidem illi adhibeant : Hinc meritò Auicenna quarta parte ſui libri de anim. capite quarto ait, plus ualere infirmi fidem erga Medicum pro ſua ſalute,quam ualeat ipſe Medicus omnibus inſtrumentis,& medijs ſuis.

3 Dubitatio;Galenus loquens de ſignis uidetur admodum uarius; quia ſigna, de quibus alibi tractat, non videntur iſtis conſentire, nam prima ſectione aphoriſ. comm.12. à Galeno hæc ſignorũ genera proponuntur,ſigna paſſionis indicatiua, aſſidentia; quæ ſuperuenire ſolent, iudicatiua ſeu decretoria, infida, ſigna coctionis vel cruditatis, ſigna ſalutis, & ſigna mortis: Hæc ſigna,de quibus agitur in arte medicinali, non continent iſta propoſita, ergo Galenus eſt inſufficiens.

Nonnulli reſpondent, ſigna,de quibus hic agitur,eſſe,quæ eueniunt corporibus in latitudine ſanitatis perſiſtentibus ; in aphoriſmo vero citato agi de ſignis in cõmuni.Quæ reſponſio non uidetur bona, quia ſigna inſalubria ut nunc de quibus hic agitur oſtendunt morbum præſentem : Quare hic tractatur non ſolum de ſignis ſanorum, ſed etiam ægrorum.

Ego reſponderem, non ſolum ſigna propoſita à Galen.1.aphoriſ.12.reduci ad hæc hic propoſita,ſed etiam omnia pertinentia ad curatricem medicinæ partem: ratio eſt, quia ad corpus inſalubre vt nũc quorum ſigna quoque hic tractantur, omnia quæ præteritum, vel præſentem, vel futurum morbum prænunciant, reducuntur ; Concedimus ſalubre,inſalubre,& neutrum eſſe in latitudine ſanitatis, dicimus tamen quatenus cõſideratur inſalubre vt nunc, conſiderari neceſſariò ſigna ægritudinum, vt preteritorum rememoratiua, præſentium indicatiua, & prognoſtica, quæ deinde amplectũtur ſigna propoſita primo aphoriſ.duodecimo.

4 Dubitatio ſtatim oritur ex verbis Galeni, in prima parte textus, propoſitis, quia habent, inſalubria eſſe,quæ præſentem indicant ægritudinem:quomodo indicabunt præſentem ægritudinem, ſi inſalubre poteſt eſſe actu ſanum,& in ſanitatis latitudine, ut in ſequenti capite docebit Galenus?

Argenterius reſpondet,Galenum fuiſſe uarium, & inconſtantem, probatque quod inconſideratè procedat: quia in vna parte ſumit inſalubre prout eſt in ſanitatis latitudine, & in hac parte, prout eſt extra latitudinem. Hæc reſponſio Argenterij eſt adeo temeraria,ut me pudeat illam referre: conabor tamen eius audaciam reprimere.

Dicimus, inſalubre, quando indicat ægritudinem præſentem,vocari à Galeno inſalubria nunc; Superiuſque Galenum clariſſimè docuiſſe inſalubre nunc eſſe corpus quod actu ægrotat; & de eius ſignis egiſſe in explicatione particulæ ſecundæ capitis ſecundi. Quando igitur dixit, corpora inſalubria indicare præſentem ægritudinem,dicimus intellexiſſe de corporibus inſalubribus nunc. Præterea dicimus, ſalubre, inſalubre,& neutrum eſſe nomina adeo æquiuoca, ut habeant 72. ſignificata; quare qui obijciunt Galeno,quod modò ſumat inſalubre pro ſano, modò pro ægro, uacillant,& non intelligunt artificium doctrinæ definitiuę, quæ conſiſtit in nominum ęquiuocorum declaratione.

Expoſitis à Gal.ſignis ſalubribus,& inſalubribus, proponit neutra ſecundum tria ſignificata;aitque omnia neutra eſſe uel rememoratiua præteritorum, uel indicatiua præſentium, uel prænunciatiua futurorum.

Incipit à neutro ſecundum primum ſignificatum, illudque exprimit dupli̇ci modo, primò per negationem extremorum : ſecundò per diſpoſitionem non magis ſalubrem, quam inſalubrem; quæ ſecunda expoſitio pertinet ad neutra primi ſignificati,& non ſecundi,ut nonnulli putarunt ; ratio eſt, quia quod non ſignificat magis vnum,quam alterum extremum, eſt medium non participans: eſt enim impoſſibile, ut detur neutrum quod omninò ex ęquo participet extrema; in natura enim non dantur puncta ſine latitudine,dum aliquid fit ex duobus extremis,non perſiſtit in puncto medio, eoque indiuiſibili.

Hinc Gal. declarans neutra ſecundi ſignificati ait, neutra deinde eſſe, quæ partim ſalubrem, partim inſalubrem diſpoſitionem indicant, & demum neutra

ter-

tertij eſſe, quæ ſunt in vno tempore ſalubria, & in alio inſalubria. Colligit demum omnia iſta neutra dici vel præteritorum memoratiua, vel pręſentium indicatiua, vel futurorum prænunciatiua.

5 Dubitatio, dicit Gal. in 2. p. tex. à Medicis vetuſtioribus nonnunquam ſigna præteritorum commemoratiua, & præſentium indicatiua vocari pręnunciatiua ſeu prognoſtifica: quod videtur pręter rationem; quia pręteritum non eſt prognoſticum. Accedit quod à Galeno & Hippocrate in primo præſagiorum ſigna rememoratiua, & indicatiua præſentium vocentur prognoſtica.

Reſpondet Pluſquamcommentator, prognoſticum dupliciter ſumi, vel vt eſt prædoctiuum rei, antequam ſit, & ſecundum hunc ſenſum ait prognoſtifica eſſe ſigna ſolum futurorum; vel accipi prognoſticum pro alio cognitum, ſicque dicit, omnem doctrinam, ſit ea præſentium præteritorum, vel futurorum, eſſe ex pręcognitis, id eſt pro alijs cognitis.

Reijcitur Pluſquamcommentator, quia non rectè intellexit Galenum, qui in limine primi libri prognoſticorum cum Hippocrate vult; ſigna pręnunciatiua ſiue prognoſtica includere indicatiua præſentium, & memoratiua præteritorum ſignorum: ibi enim habet Hippocrates, quod medicus prædicens præterita, quę ab ægris, vel aſtantibus illi non reuelantur, infirmos admirari medici ſapientiam, & reddi magis obſequentes medico: additq; medicos, dum prædicunt præterita, non minus exiſtimari Vates, ac ſi futura prædicant: quare præteritorum commemoratio, & pręſentium ſignorum indicatio ex Hippocrate, & Galeno pertinebunt ad prognoſtica.

Dum vero Pluſquamcommentator prognoſticum interpretatur pro alio cognitum, oſtendit, ſe neq; aliquam rudem cognitionem Græcæ linguę habuiſſe, quia πρὸ ſignificat ante & non pro: præcognita enim ſignificant ante cognita, & non pro alio cognita.

6 Dubitatio proponitur à Pluſquamcommentatore, dicit n. non dari ſigna præteritorum, vel futurorum, quia omnia ſigna ſunt pręſentia: Signum enim eſt effectus rei ſignatæ: effectuſque cum cauſa propria ſunt ſimul tempore; quia ſunt relatiua, ergo omnia ſigna erũt præſentiũ.

Reſpondemus primariò, & principaliter omnia ſigna eſſe indicatiua præſentium; ſecundariò vero præteritorum, & futurorum: gracilitas enim inſolita indicat præſentem ſiccitatem, & præteritum morbum, qui illam effecit, & hecticam futuram; ſigna vero coctionis primariò indicant præualere naturam: ſecundariò naturam fore ſuperiorem: ſed paulò infra intimius hanc rem conſiderabimus.

7 Dubitatio contra Galenum proponitur ab Argenterio, quia primo præſagiorum dicat præteritorum ſigna rememoratiua eſſe vtilia ſolum medico ad oſtentandam artem, & non ægro: tamen 4. methodi c. 3. habet procatarcticarũ cauſarum cognitionem errorũ ſcilicet præteritorum quã maxime conferre & pro cognitione, & pro curatione ægritudinum: ergo rememoratiua ſigna erunt nõ ſolum vtilia medico, uerum etiam ęgro.

Reſpondent Percelebres Medici Argenterio, Galenum primo prognoſticorum dixiſſe præteritorum prædictionem eſſe vtilem ſoli medico, & non ægro: noluiſſe tamen, conſiderationem præteritorum eſſe ſoli medico vtilem: maxima eſt differentia inter prædictionem, & conſiderationem.

Nos paulò ſupra hoc dubiũ ſoluimus: hic quoq; dicimus rememoratiua ſigna non eſſe ita vtilia ægro, vt indicatiua, & prænunciatiua; ideo Galenum in tex. dixiſſe eſſe minoris vſus, quam alia: quare non accipitur interpretatio Pluſquamcommentatoris, quod ſcilicet ſint minoris vſus, quia ſoli medico ſint vtilia pro artis ſuæ oſtentatione: ſunt enim primò vtilia ægro, quia redditur magis obediẽs medico: ſecundò ex præteritis ſignis medicus facilius penetrat ſtatum præſentem; quare & medico, & ægro ſunt vtilia.

QVÆST. XXIX.

Oſtenditur Rememoratiua, & prognoſtica ſigna deſumi ab affectu præſenti; & non à præterito, vel futuro.

QVòd ſigna Rememoratiua, & prognoſtica reuera ab affectibus præſenti-

ſentibus,& non futuris,vel præteritis deſumantur, in hoc loco Galeni, & Ariſtotelis auctoritate facile oſtendi poteſt: quo pacto verò dicantur ſigna preteritorum,& futurorum,nunc declarabitur.

Quod igitur ex Galeno colligi poſſint, indicantia omnia eſſe preſentia facile patet,quia quarto de præſagijs ex pulſibus, cap. 11. habet prognoſtica ſumi ex præſentium indicatiuis: ſimiliter 4. method. cap. 3. loquens de parte curatrice habet hæc verba; *à nullo eorum, quæ adhuc non permanent ſumitur indicatio remedij ex vſu.* Habet præterea illud, quod indicat eſſe quod curatur,aliquid ſane non curatur,niſi ſit præſens; de ratione igitur indicantis erit præſentia.

Similiter probari poteſt altioribus principijs, omne indicans eſſe præſens; nam alio modo indicata ſeu auxilia noſci non poſſunt, quam per cognitioné propriã indicantis; quia indicans proprium inſinuat, & eſt tamquam medius terminus,cuius virtute optimum auxilium inuenitur prò conſeruanda,vel introducenda ſanitate. Accedit, quod Ariſtoteles 2. poſt.tex.11.& 13.doceat media, & extrema eſſe congenita, & eiuſdem temporis, ergo; & ſigna indicantia ſemper erunt eiuſdem temporis.Præterea ibidem cenſet Ariſt. ex terminis non congenitis cõſequentias illatas eſse vaniſſimas; ideò ſi auxilium preſens non colligetur ab indicante præſente, ſed à præterito,uel futuro,erit nullum, immo chimericum.

Hinc Ariſtot. loco citato putat,vanam & ridiculam eſse illam demonſtrationé, quæ ſit ex medio præterito, & quæſito præſenti: nunquid non riſum moueret qui inferret ex eo quod fuit interpoſitio terræ, modo eſse lunæ eclypſim? vel diceret eſt eclypſis; quia erit interpoſitio terræ? quo pacto igitur dari poterunt ſigna futura,uel præterita? quibus conferent? quem vſum nobis præſtabunt.

Inſuper Ariſtoteles 2. poſt. loco citato habet,ſi cauſa præcederet effectum temporis momento,propoſitio eſset accidentalis; & ex illa cauſa nihil colligi poſset: eſset accidentalis quia, non eſset de omni, de ratione cuius eſt vniuerſalitas, & perpetuitas; ſi animal rationale temporis momento prius eſset riſibilitate,hæc non eſset vera, animal rationale eſt riſibile, quia poſset eſse animal rationale,& non riſibile.

Similiter ſi ſignum indicans præcederet morbum per vnum inſtans, illum nõ indicaret,vel viceuerſa,ſcilicet ſi morbus præcederet ſignum per vnum momentum, illud non erit ſignum,& nihil certò indicaret: debent igitur ſigna, & conſtitutiones eſse ſimul tempore.

His poſitis, errant quam maximè, qui conſulunt,quid ſit faciendum in materia incõſtanti, & quæ in perpetuo fluxu verſatur poſt tres vel quatuor dies, cùm ſæpiſſimè poſt horam omnia mutentur; incidens igitur in erratum maximi momẽti,dum à præteritis haurient remedia: & dum à Medico abſente conſilium petẽt; quia antequam conſultationes reſcribãtur, morbi adeò poſsunt alterari, vt omninò contraria indicata requirantur; vnde fit, vt medici abſentis conſilium aliquando reddatur perniciosiſſimum.

1 Dubitatio conſurgit magni momẽti; quia eſt auctoritas Galeni in hoc loco, quod dentur ſigna præterita, & futura valdè conferentia, tum ad ſanitatem cõſeruandam,tum ad morbum pellendum: ſimiliter Gal. 4. methodi cap. 3. habet præſentis eſse curationem, futuri verò præcautionem, & prouidentiam. Demum pars tota medicinæ profilacticæ verſatur in præcautione, & prouidentia morborum futurorum;quare qui negaret ſigna futura, & præterita, poſset totam artem medendi ſpernere, & eam ab artium rectarum genere amouere.

Pluſquamcommentator, & alij percelebres Expoſitores ſuſtinent re vera omnia ſigna eſse præſentia,ſed primariò expenſa,& conſiderata;ſecundariò vero eſſe poſse præterita,& futura; ſimiliter nos dicimus,nunquam morbos futuros præcaueri poſse, niſi auferendo malas diſpoſitiones præſentes: Hinc Gal. loquens de acuto morbo Sileni libro epidemiorum inquit, niſi antea eius corpus fuiſset diſpoſitũ, non incidiſset in morbũ lethalé; ecce quod corporis diſpoſitio indicat morbũ futurũ;modus præcauendi,ne Silenus in malignam febrem incideret,poſitus erat in auferenda mala diſpoſitione viſcerum, quæ ſi fuiſset ablata, neque le-

thali-

thaliter ægrotaſſet,neque obijſſet; malæ diſpoſitiones ſunt intemperaturę viſcerũ obſtructiones,plenitudo,& id genus,quę ſunt pręſentia morborum ſemina, à quibus propriè ſumi debent indicationes præcauendi morbos futuros.

Hinc Galenus lib.de conſtitutione artis medicæ cap.18. dicit, medicus intendens animũ morbo, & naturæ quaſi colluctantibus diſcernit,an natura,vel morbus ſit robuſtior, & ſtatim à re præſenti depromit pręſagiũ de hominis ſalute, vel interitu; Probat,quia dũ duos gymnaſtas colluctantes inſpicimus ex primis motionibus ſępè dignoſcimus,quis illorũ fuerit victor; ecce quod primę motiones, quę indicant quoque futura ſunt pręſentes.

Idem colligimus ex tertio pręſag.com. 6.& 4.com.11.vbi dicit, prognoſtica ſumi ex ſignis pręſentibus.

Poſtremò non ne ſigna coctionis, & cruditatis indicant nobis, an natura, vel morbus ſit ſuperaturus?ergo non à ſignis futuris, ſed à pręſentibus colligenda ſunt ſigna prognoſtica futura enim non ſunt, & ex Ariſtotele 1. poſt. tex.5. non entis non eſt ſcientia.

Similiter dicimus de pręteritis ſignis, quod ſcilicet omnia colligantur à pręſentibus; exempli cauſa aderit homo factus ſolito gracilior,& imbecillior; inde colligemus præceſſiſſe morbum,qui gracilitatem,& imbecillitatem peperit,ſigna hæc ſunt præſentia, & non præterita; vocantur tamen præterita;quia inde nos comprehendimus præteritum affectum, non per ſe primariò, ſed ſecundariò, ſeu coniectura quadam, & poſt factam aliquam mentalem conſiderationem.

Concludimus ergo omnia prognoſtica, & rememoratiua deſumi à præſentibus; iſtaſq; duas concluſiones poſſe defendi, prima, omne prognoſticum eſſe demonſtratiuum, ſed non è contra; ſecunda, omne rememoratiuum eſſe demonſtratiuum,ſed non è contra.

SEPTIMI CAPITIS
Particula II.

Tex.3 *Cũ verò ſint ſalubria corpora,hæc quidẽ ſimpliciter,hæc verò vt nunc quæ,& bene valentia dicuntur,ſalubrium ſimpliciter corporum duplicem diximus eſſe differentiam: quia nonnulla quidem ſemper, nonnulla verò vt multum eſſent talia, & ſemper quidem, quæ optimam conſtitutionem ſortita ſunt,vt multum verò,quæ non magneperè ab illa recedunt.*

IN tex. ſuperiori ſigna diuiſit in ſalubria, inſalubria, & neutra, & quodlibet iſtorum trium in ſignorum præſentium indicatiua, in præteritorum rememoratiua, & in futurorum prænunciatiua: In hoc tex. verò incipit à ſignis corporum ſalubrium,diuidens corpora ſalubria, ut fecit ſuperius quod ſcilicet alia ſint ſimpliciter, alia ut nunc, & quæ ſunt ſimpliciter,aliqua eſſe ſemper, aliqua vt multum; meritò igitur exorditur à ſignis ſalubribus; quia illis cognitis, facilè quæ ab illis recedunt cognoſci poterunt; Ariſtoteles enim primo de anima tex.85. optimè admonet quod rectum ſit ſui, & obliqui iudex. Immo Galenus diuidens ſalubre, incipit à ſaluberrimo,quod eſt iudex, & cæterorum omnium corporum, & ſignorum regula.

1 Dubitatio oritur ex verbis tex. quia oſtendimus ſuperius cum Manardo, de ratione ſalubris corporis nõ eſſe, vt actu ſit ſanum; quia ſalubre vt ſalubre dicit aptitudinem,& potentiam,ſicuti riſibile, quamuis non actu rideat, immo etiam ſi ploret,eſset riſibile; ſimiliter ſalubre ab ortu naturæ,quãuis actu ſit vulneratum, poteſt dici ſalubre;in tex. Gal.ait,ſalubria corpora,& corpora,quæ vt nunc ſunt ſalubria dici bene valentia, ergo de ratione ſalubris eſt benè valere, & eſse ſanum; contra id quod diximus ſuperius.

Reſpondetur dupliciter primò, quod hæc verba tex. *quæ,& bene valentia dicũtur*, debeant referri ad ſalubria nunc, quaſi dicat Galenus,diſcrimen inter corpora ſalubria ſimpliciter,& corpora ſalubria nunc eſse, quod ſimpliciter talia dicant potentiam excellentem,& valde reſiſtentem extrinſecis cauſis;ſalubria verò vt nunc dicant actualem ſanitatem, & quamuis Leonicenus interpretetur bene valentia,infra oſtendetur, Galenum non intelligere, quod corpora ſalubria vt nunc ſint optimè ſana, ſed ſolum ſana.

2 Dubitatio,& eſt Argenterij,qui ſem-

per carpit Galenum; dicit enim ſalubre nunc non eſſe in eadem ſanitatis latitudine, in qua ſunt corpora ſimpliciter inſalubria, & neutra ſimpliciter: quod eſt contra Galenum: Ratio Argenterij eſt, quia inſalubre ſimpliciter eſt actu ſanū: ſimiliter neutrum ſimpliciter eſt actu ſanum, ſed non bene ſanum: Gal. tamen in hoc loco dicit, corpora ſalubria nunc nō ſolum eſſe actu ſana, ſed etiam benè valentia, at ſic eſt, quod malè valens, & benè valens genere differunt, ergo in eadem latitudine non poterit eſſe ſalubre nunc, in qua eſt inſalubre ſimpliciter, & neutrum ſimpliciter, vt ſuperius viſus eſt Galenus probaſſe.

Reijcitur Argenterius dupliciter, primò; quia non valet couſequentia, hoc eſt benè valens, & illud eſt malè valens, ergo non ſunt in eadem latitudine. Præterea nos negamus benè valere, & malè valere eſſe duo genera; immo dicimus eſſe duas oppoſitas differētias vnius generis. Inſuper eſto, quod inter benè valere, & malè valere eſſet differentia generica, quid tum? Quis decreuit quod vna latitudo non amplectatur plura genera ſubalterna? nonne in latitudine ægritudinis ſunt tria morborum genera ideſt intemperies, mala compoſitio, & ſoluta vnitas, immo Argenterius adidit quartum morborum genus, quod nos vt chimericum reiecimus octauo lib. methodi noſtræ vitan. Demum Argenterius non rectè eſt interpretatus græcum codicē, in quo hoc modo legitur, ἀτρέμας ὑγιαίνοντα, ἢ γεται, ideſt quæ & ſana dicuntur, quare per benè valentia, ut eſt interpretatus Leonicenus, non debemus intelligere magis ſana, quam ſint corpora inſalubria, vel neutra ſimpliciter, ſed tantum quod ſint actu ſana: aliquando enim contingit, quod ſint minus, aliquando magis ſana, quam inſalubria, vel neutra ſimpliciter.

3 Dubitatio; dictū eſt, ſalubre ſimpliciter indicare potentiam, & aptitudinem, quę neceſſariò includit actum, tamen videtur, quod Gal. velit, in rationem ſalubris ſimpliciter ingredi actualem ſanitatem; quia dicit, ſalubre ſimpliciter ſemper eſſe, quod habet optimā cōſtitutionē: addimus, ſed ſic eſt quod optima cōſtitutio ſupponit ſemper actualē ſanitatē, ergo de ratione ſalubris ſimpliciter nō ſolū erit aptitudo, ſed etiā actualis ſanitas.

Reſponderi poteſt cum Manardo, duplicem eſſe conſtitutionem naturalem, aliam primigeniam, quæ in vtero ex ſemine viri, & ſanguine mulieris acquiritur, quæ vſque ad mortem perſeuerat: aliam eſſe aduentitiam, quæ non eſt ab ortu naturę in prima generatione acquiſita; de hac poſtrema dicimus, in qualibet ætate mutari; primam verò eſſe quoad ſubſtantiam, immutabilem, poſita hac diſtinctione. Reſpondemus, quando dicit Gal. ſalubria ſimpliciter ſemper eſſe quæ optimam habent conſtitutionem, intelligere de optima conſtitutione acquiſita in prima generatione ex ſemine parentum, quæ eſt illa quæ ſolet perſeuerare vſque ad obitum, & quæ conſeruari ſolet optima; quamuis illud corpus vel ſæpiſſimè poſſit vulnerari, uel alio modo extrinſeco ægrotare.

OCTAVI CAPITIS Particula I.

Horum autem dignotiones ſumendæ ſunt ab his quæ ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt, & ab his quæ ex neceſſitate conſequuntur operationibus, caſibuſque, qui propriè accidentia dicuntur.

POſtquam Galenus diuiſit, & definiuit ſigna in cap. ſuperiori; Nunc uult docere à quibus fontibus deſumantur ſigna pro dignoſcēdis diſpoſitionibus omnium corporū. In hoc tex. Gal. proponit tres fontes ſignorum oſtēdentium diſpoſitiones corporum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorū. Primus continet omnia, quæ ſecundum rationē eſſentiæ inſunt corporibus; hæcq; ſigna vocantur ſubſtantialiter inhærentia. Secundus fons cōtinet omnes operationes neceſſariò conſequentes. Tertius continet caſus ſimiliter neceſſariò cōſequētes.

Quo ad primum fontem, qui eſt ex ſubſtantialiter inhærentibus, Galenus in text. declarat quid intelligat per ſubſtantialiter inhærentia, dicitque, quod duo ſint, temperamentum ſcilicet, & compoſitio; temperamentum enim ſubſtantialiter, & ſecūdum eſſentiæ rationem inhæ-

ret

ret partibus ſimilaribus, compoſitio verò diſſimilaribus.

Sed altius eſt hoc Galeni artificium aperiendum: quia ſicuti ex Ariſtotele 1. poſt. tex.9. & ſequentibus ſunt duo gradus eorum, quæ neceſſariò inhęrent; primus qui continet prædicata primi modi dicendi per ſe, quæ ſubſtantialiter inhærent, quæ dicunt actum, & formam rei, & definiunt ſubiectum: Secundus qui continet prædicata, quæ neceſſariò conſequuntur ſubiectum, & quæ ei perpetuò inſunt, non tamen dicunt actum, ſed potentiam, & aptitudinem: neque definiunt ſubiectum, ſed per ſubiectum definiuntur.

Simili modo Galenus conſiderat quæ neceſſariò inhęrent partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus: temperamentum ineſſe poteſt partibus ſimilaribus in primo modo dicẽdi per ſe; quia ſimilares partes tales ſunt per temperamẽtum; docet enim Galenus 1. de vſu partium c.9. eſſe carnis eſſe eius temperamentum, & eſſe oſſis eſſe temperamentum oſſis 2. de fac. naturalib. 9. ait, temperaturam eſſe cauſam actionis ſed à ſimilarium eſſentia emanant actiones. Itidem 1. meth. cap.6. vult Gal. vnam ſimilarem differre ab alia per temperamentum: ergo temperamentum prædicabitur in primo modo dicendi per ſe de partibus ſimilaribus, quod eſt ſecundum rationem eſſentiæ.

Similiter compoſitio ineſt diſſimilaribus in primo modo dicendi per ſe: quia tales ſunt per talem compoſitionem: cõpoſitio enim eſt actus, & eſt forma, quæ definit partem diſſimilarem.

Ad eundem modum operationes, quæ neceſſariò conſequuntur eſſentiam, ſunt prædicata ſecundi modi dicendi per ſe, quæ debent eſſe inſeparabilia à conſtitutione partium ſimilarium, & diſſimilarium, & quæ definiuntur per partes ſimilares, vel diſſimilares. Qui non reducent hos fontes ad hęc Ariſtotelis arcana, omninò non intelligent Galeni mentem.

Hinc non poteſt defendi Pluſquamcommentat. & infiniti alij Expoſitores, qui dixerunt in commentarijs huius artis medicinalis, quod operationes corporis ſani, vel ægri poſſint ſeparari, vt dormire, & rectè coquere, manente ſanitate illæſa: quod dici non debet: quoniam ſi operationes neceſſariò conſequũtur, ſunt quæ reſpectu conſtitutionis prædicata ſecundi modi dicendi per ſe, dicent potentiam, & non actum, eruntque inſeparabiles: poſſe enim ridere eſt inſeparabilis proprietas hominis, riſus tamen eſt accidens hominis ſeparabile, poſſe tamẽ dormire neceſſario conſequitur, & eſt inſeparabilis proprietas hominis: quare per ea quæ neceſſariò conſequuntur ſunt intelligenda accidentia inſeparabilia, quæ ſunt ſpeciei, & non indiuidui, & quæ dicunt potentiam, & non actum.

Hinc valdè errant Haly, Pluſquamcommentator, & Sclanus, qui putant, ſolum ſigna ſubſtantialiter inhærentia, quę ſunt in primo fonte, eſſe veriſſima: ſigna verò, quæ ſunt operationes ex neceſſitate conſequentes poſſe nos decipere, quod eſt falſiſſimum: eo quia ſunt pręd icata ſecundi modi dicendi per ſe, & conuertibiles efficiunt propoſitiones, & neceſſariò conſequuntur eſſentiam: quomodo poterunt nos decipere, ſi neceſſariò conſequuntur eſſentiam?

Cauſa erroris fuit, quia putabant, operationes ſecundi fontis conſiderari quo ad actum, & non quoad potentiam: eſſet meth. Gal. omninò ſine artificio, ſi operationes conſiderarentur quoad actum ſecundum: quia ſic nulla neceſſariò conſequetur; dormire enim, videre, & multæ aliæ operationes quoad actum aliquando ceſſant; quoad potentiam nequaquam. Hinc Leonicenus in ſuo antiſophiſta meritò de hac re reprehendit Pluſquamcõmentatorem, operationes enim quæ neceſtariò conſequuntur nõ actum ſecundum, ſed actum primum, qui dicit potentiam, & aptitudinem ſignificant.

Quo ad ſecundum fontem diximus, quod continet ſigna, quæ de conſtitutione prædicantur in ſecundo modo dicendi per ſe: quæ dicunt potentiam, & aptitudinem, & non actum: exempli cauſa, ſi velimus in ſano definire quid ſit dormire, non poteſt alio modo definiri, quam per operationem corporis apti ad dormiendum, quę aptitudo neceſſariò conſequitur bonã conſtitutionem, & non actum dormiendi, ſic dicimus de omnibus actionibus.

Hinc Galen. in lib. de differentijs morborum c. 2. declarans, morbum eſſe vel læſionem ſtructuræ, vel operationis, explicat quid intelligat per operationẽ, habetq; hæc verba, *ſed quoniam, & dormiẽtes, aut alioquin in tenebris & otio degẽtes, aut ſæpè diſcumbentes neque vlla corporis parte mouemur neq; alicuius rei extrinſecè ſenſum habemus, nihilominus ſani ſumus. Hinc perſpicuum eſt, quod ſanitas nõ operatione, ſed potentia potius eſt diſtinguenda:* ecce quod operationes indicant potentiam, & per potentiam omnes operationes inuicem diſtingui; quare quando Gal. admonet, operationes inſequi perpetuò naturam, & eſſentiã morbi, vel ſanitatis, per operationẽ intelligere oportet actum primum, id eſt potentiã, & aptitudinem, quæ eſt in ſecundo modo dicẽdi per ſe reſpectu ſanitatis, vel morbi.

1 Dubitatio non videtur, quod operationes quæ neceſſariò conſequuntur, ſint ſigna diuerſa à primo fonte, in quo ponuntur illa, quæ ſunt de ratione eſſentię: videtur enim quod operationes propriæ ſint de ratione eſſentiæ conſtitutionis: quod probatur per definitionem ſanitatis, & morbi: Galenus enim lib. de differentijs ſymptomatum cap. 1. primo methodi cap. 7. & lib. de differentijs morborum cap. 2. docet, ſanitatem eſſe conſtitutionem ſecundum naturam perficientẽ actiones: morbum verò eſſe conſtitutionem præter naturam lędentem actiones: ecce quod operationes ſecundum naturam, & præter naturam ponuntur in definitione conſtitutionis naturalis: quare ſi quæ ponuntur in definitione ſunt de ratione eſſentiæ, ſecundus fons erit idem cum primo, & nullo modo diſtinctus.

Pluſquamcõmentator reſpondet, operationem non eſſe de eſſentia corporis ſani; quia non poſſet ab illis ſeparari; dicitque definiri ſanitatem, & morbum per operationes ſeparabiles: quia differentiæ vltimæ ſunt abſconditæ, & incognoſcibiles; id confirmat Galeni auctoritate 1. de differentijs morborum cap. 2. vbi probatur, ſanitatem non conſiſtere in operationibus, ſed in conſtitutione: dormiens enim (cum eſſet ab operationibus, ſi ſanitas ſtaret in operationibus) ægrotaret.

Hæc reſponſio non probatur; quia negare oportet, quod operationes, quæ neceſſario conſequuntur, poſſint ſeparari; ratio eſt, quia operationes dicunt potentiam, & non actum: poſſe dormire in ſano eſt operatio, quæ neceſſario conſequitur bonã conſtitutionẽ, & eſt ab illa omninò inſeparabilis; quare dicimus, Gal. dum inquit ſanitatem non conſiſtere in operationibus intelligere de operationibus, quæ dicunt actum ſecundum: quia in operationibus, quæ dicunt potentiam, & actum primum, ſanitas primò, & immediatè conſiſtit.

An verò potentiæ differant à fundamento ſub iudice lis eſt: nos tamen in meth. vitandorum error lib. 8. de principijs reconditarum qualitatum defendimus potentias differre à fundamento: quilibet illum librum inſpicere poterit, ibi enim fusè de hac re egimus.

Ad argumentũ reſpondemus, nõ omnia quæ ponuntur in definitione eſſe de eſſentia in primo modo dicendi per ſe: immo dicimus ſi in definitione accidẽtis ſolum prædicata eſſentialia primi modi ponerentur, quod illa definitio eſſet omnium vana: quoniam definitio accidentis illa eſt perfecta, quæ ſolo ſitu differt à demonſtratione, aliæ enim ſunt pueriles, & dialecticæ, & nihil docent: in demonſtratione verò non ſolum ponuntur prædicata eſſentialia primi modi; verum etiam ea quæ conſequuntur eſſentiam.

Qui vero hæc arcana non intelligunt, nunquã diſputent de eſſentia, vel de alijs, quæ conſequuntur eſſentiam: quia nihil percipient. Hinc Gal. in definit. ſanit. & morbi ponit conſtitutionem, quæ prædicatur de temperamẽto, compoſitione, & vnitate in primo modo dicẽdi per ſe; ponit quoque operationes, quæ prædicãtur in ſecundo modo, & quę perpetuò, & neceſſariò conſequuntur eſſentiã, & quę nõ poſſunt definiri, niſi per ſubiectũ eſſẽtiæ.

Quo ad tertium fontem, qui eſt ex caſibus neceſſariò cõſequentibus dicimus, in græco codice legi συμπτώματα, & per ſymptomata ait Galen. in tex. eſſe intelligendã accidentia: Hinc 1. methodi cap. 9. dicit, quæ ſanis ſunt accidentia, ęgrotis vocari ſymptomata, quamuis accidentia à Galeno vocentur non ſymptomata, ſed συμβεβηκότα.

Pluſ-

Pluſquamcommentator dum inter_pretatur hæc verba (quæ propriè accidẽtia dicuntur) dicit illud relatiuum quæ non ſolum ad caſus eſſe referendum, dixiſſet enim quos ſcilicet caſus, ſed ad operationes, & ad caſus ſimul.

Cauſa erroris huius Auctoris fuit linguæ græcę omnimoda imperitia & dixit *quæ*, quoniam refertur ad ſymptomata, quæ in codice latino exponuntur per particulam *caſus*.

Notandum quinque eſſe nomina idẽ ferè ſignificantia, ſymptomata, caſus, accidentia, operationes, & ſymbeuicota: ſymptomata, vt dictum eſt, ſunt accidentia ægrorum; accidentia verò ſanorum; à Celſo ſymptomata non vocantur accidentia, ſed caſus; ſimiliter operatio ſecundum naturam eſt accidens, quod græcè dicitur συμβεβηκός.

His explicatis videndum eſt, quid intelligat Galen. per caſus, ſeu ſymptomata neceſſariò conſequentia. Celebres expoſitores cenſent per ſymptomata neceſſariò conſequentia in ſano intelligi exeuntia, retenta, & qualitates ſecundum naturam; in ægro intelligi exeuntia mutata, immodicè retenta, & qualitates mutatas, quæ omnia dependent à læſis actionibus; nullum enim exiens præter naturam egreditur, manente omninò illæſa retentrice, & nullum immodicè retentũ poteſt concedi ſine læſione expultricis; ſimiliter nulla qualitas in corpore mutatur, quæ non ſupponat aliquam actionem læſam, omnia igitur hæc ſymptomata inſequuntur actiones læſas.

2 Dubitatio oritur, quia videtur, quod Galenus non appellet operationes ſymptomata, immo videtur in hoc tex. ipſa diſtinguere ab operationibus; quia in ſecundo fonte collocat operationes, & in tertio ſymptomata.

Reſpondetur in hoc loco conſiderari præcipuè diſpoſitiones ſanorum corporum: quorum operationes non poſſunt dici ſymptomata, vocauit tamen ſymptomata ea, quæ conſequuntur actiones, ut ſunt exeuntia, & qualitates mutatæ, & immodicè retenta, quia hæc conueniunt ægris corporibus, de quibus ſecundariò intelligit.

Præterea ab Antiquis immodicè retẽta, & excreta, & qualitates mutatæ vocabantur ſymptomata; ideò vtens Galenus in hoc libello Antiquorum nominibus, noluit per ſymptomata intelligere operationes.

Inſuper Galenus diſputans contra Antiquos 1. methodi 7. & lib. de morborum differentijs cap. 5. docet, eorum quæ ſunt præter naturam quatuor eſſe, primũ conſtitutionem præter naturam: ſecundum cauſam illius conſtitutionis; tertium actionem læſam; quartum ſymptomata. Vides Galen. quod actio læſa ſit quoque ſymptoma ducet lib. 1. methodi cap. 8. nos per ſymptomata intelligere ea quæ conſequuntur actiones læſas, & hæc eſſe immodicè retẽta, excreta, & qualitates mutatas; ecce quod aliquando apud Galenũ operationes, ſeu actiones læſæ non vocantur ſymptomata. Demum Gal. libro de differentijs ſympt. cap. 2. uocat actionem læſam ſymptoma egregium ſeu inſigne morbi; habet enim hæc verba ἐξαίρετόν τι σύμπτωμα νοσήματος, ideſt egregium ſymptoma morbi, quare non eſt mirandum, ſi in hoc loco Galenus non appellet operationes ſymptomata.

3 Dubitatio videtur, quod hæc methodus de ſignis hic propoſita ſit diminuta, quia ſigna poſſunt quoque deſumi à cauſis procatarcticis, à iuuantibus; & lædentibus, & ab alijs, ſicuti nos oſtendimus lib. 6. methodi noſtræ. Quod verò poſſint deſumi à procatarcticis patebit, ſi ante oculos obijciamus duos caſus à Galeno citatos in lib. quomodo morbos ſimulantes deprehendantur; alter eſt de Concionatore, qui fingebat colica torqueri; agnouit Galen. eius fictionem, quia nullus præceſſit victus infrigidans, vnde colica oriri ſolet; Alter caſus eſt de ſeruo, qui amore captus excitauit tumorẽ per thapſiam, ne iter faceret cum Domino ſuo; nouit ſimiliter Galenus ſerui malitiam, quia nulla externa cauſa præceſſit, quæ potuiſſet tumorem excitare: ſimiliter Galenus cap. de oculis, & ſexcentis in locis proponit iuuantia, & lædentia, ergo præter tres propoſitos fontes alij quoque eſſe poſſunt.

Reſpondent Expoſitores vario modo, primò, quo ad cauſas externas dicunt, in hoc loco Galenum nõ conſiderare ſigna.

quæ dicuntur præteritorum rememoratiua; ſed ſolum præſentium indicatiua.

Quæ reſponſio eſt vaniſſima: quia ſi procatarcticæ concurrunt ad dignoſcendas diſpoſitiones ſanorum, vel ægrorum erant proponendæ: hoc vnicum enim eſt Gal. propoſitum, vt nos doceat modum dignoſcendi corporum diſpoſitiones.

Sclanus, & alij reſpondent, hunc tractatū eſſe de corporibus: cauſas verò externas non pertinere ad corpora: addunt, Gal. 6. epid. 1. comm. 10. ſigna certa deſumere ex ijs, quæ in corpore apparent.

Ego autem reſponderem, Galenum in hoc capite tractare de ſignis proprijſſimis, quæ non per ſyndromen ſignorum declarant diſpoſitiones; ſed vnumquodque per ſe: Hinc malæ conformationes ſine alijs ſignis indicabunt morbos in figura partium organicarum, modus indicandi deſumitur à ſenſu, ſicuti contorta figura inſpectione propria dignoſcitur: ſuperficies aſpera, vel lænis, & intemperies calida & ſicca, tactu: vox aſpera, auditu, magnitudo & numerus auctus vel diminutus, ſenſu communi.

Ecce, quod ſubſtantialiter inhærentia non per cognitionem actionum læſarum; ſed per ſenſus noſtros immediatè eluceſcunt: ſimiliter actiones, ſi ſint læſę, ſtatim indicant morbum, & non egent aliorum ſignorum auxilio: ſimiliter excuntia, & retenta immodicè nos certiſſimè docent corporis diſpoſitiones.

Ex vno enim exeunte præter naturam talis diſcurſus neceſſariò ſequitur: eſt exiens mutatum, & præter naturam; ergo retentrix facultas eſt læſa: deindè dicimus, ſi eſt retentrix læſa, ergo vel per ſe, vel per accidens: ſi per ſe, ergo intemperies humida eſt illa quæ læuitatem facit in fibris: ſi per accidens erit ratione expultricis læſæ, quæ ſimiliter poteſt lædi vel per ſe, vel per accidens: ſi per ſe, erit intemperies calida fibrarum, ſi per accidens erit ratione obiecti, ſiue humoris mordacis, vt eſt bilis quæ vellicat fibras expultrici dicatas: ſimiliter obiectū, ſiue humor vellicans, vel fiet talis à deprauata concoctrice alicuius viſceris: uel accipiet acrimoniam ab externa cauſa: ecce quomodo miro modo poſſint dignoſci paſſiones internę per exeuntia, & per actiones læſas ſine vllo auxilio cauſarum procatarcticarum, ſeu iuuantium & lædentium.

Quando verò Galenus per procatarctica cognouit Concionatorem fingentem colicam, & ſeruum captum amore, qui per thapſiam excitauit tumorem: dicimus, non ex ſolis procatarcticis id cognouiſſe; Sed ex actionibus naturalibus, vitalibus, & animalibus illæſis, vidit enim eorum faciem, & tetigit illorum pulſus, ex quibus facilè penetrare potuit, an prę fuerit cauſa interna pręter naturam, quę potuerit parere fictos affectus concionatoris, & ſerui.

4 Dubitatio videtur, quod Galenus ſibi contradicat, quia in hoc loco proponit pro dignoſcendis corporum diſpoſitionibus tres fontes ſignorum: tamen lib. 1. de vſu partium c. 9. mutat, & peruertit hanc doctrinam; ibi enim ponit quatuor fontes, & in primo commenſurationem excludit, putās commenſurationē inter neceſſariò accidentia contineri, & nō inter ſubſtantialiter inhęrētia; ibi ſic ordinat.

Primum fontem continere ſubſtantialiter inhærentia, per ſubſtantialiter inhærentia dicens, ſe intelligere temperamentum, quia temperamentum eſt eſſe rei; & eſſe carnis eſt eius temperamentū.

Secundum fontem continere, quæ neceſſariò conſequuntur; per quæ intelligit colores, odores, mollitiem, duritiem, & alias ſecundas qualitates, quæ referuntur à Galeno 1. de facultatibus naturalibus c. 6. quæ ſunt rarum, denſum, aſperum, lene, graue, leue, durum, molle craſſum, tenue, friabile, lentum, colores, odores, & ſapores.

Tertium fontem continere neceſſariò accidentia; per neceſſariò accidentia ait, ſe intelligere formationem, ſitum, numerum, & magnitudinem.

Quartum fontem continere operationes; quomodo igitur poterit Galen. vendicari à contradictione? cum in hoc textu reducat formationem, ſitum, numerum, & magnitudinem ad primum fontem, ideſt ad ſubſtantialiter inhęrentia? & in primo de vſu partium c. 9. neget, formationem, ſitum, numerum, & magnitudinem eſſe ſigna ſubſtantialiter inhærentia? cum ibi vocet illa ſigna neceſſariò accidentia.

Re-

Reſpondent Expoſitores plurimi, & rectè, Galenum in 1. de vſu partium c.9. conſideraſſe partes ſimilares, vt partes viuentes ſunt, de quorum partium eſſentia eſt temperamentum; ibi enim ait, quod carnis temperamentum ſit carnis eſſe, & ſic de alijs; in hoc loco verò conſiderat partes ſimilares vt ſalubres, & inſalubres, & vt ſunt capaces ſanitatis, vel ægritudinis; qua poſita diſtinctione, dicũt, quatenus temperamentum eſt partium viuentium eſſe, quod ſitus, numerus, figura, magnitudo, & cæteræ conformationes reſpectu temperamenti ſint accidentia; propterea à Gal. lib. de vſu partium hæc collocari inter illa, quæ neceſſariò accidunt; quatenus verò conſiderãtur partes viuentes vt ſalubres, inſalubres, & vt capaces ſanitatis, & morbi dicunt, quod nõ ſolum temperamenta, verum etiam conformationes reducantur ad ſubſtantialiter inhærentia; omnis enim morbus, vel ſanitas immediatè cõſiſtit in temperatura, vel conformatione bona, vel mala; conformatio verò temperatura, & vnitas bona, vel mala prędicãtur de ſanitate, vel morbo in primo modo dicẽdi per ſe.

Hinc errant, qui putarunt hunc locum Galeni declarari per locum illum de vſu partium citatum; inter iſtos eſt Curtius, qui quatuor fontes conſtituit, à quibus ait, ſigna eſſe deſumẽda; ita vt primus ſit à propria ſubſtantia membri, intelligens per propriam ſubſtantiam membri primas qualitates, caliditatem, ſcilicet frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem. Secundus fons ſit ex neceſſariò conſequentib. intelligens per neceſſario conſequẽtia ſecundas qualitates, mollitiem ſcilicet duritiem, raritatem, & cæteras. Tertius ſit ex neceſſariò accidentibus intelligens per neceſſariò accidentia quantitatem, magnitudinem, numerum, & figuram. Quartus ſit ab operationibus, & per operationes intelligens ſigna, quę deſumuntur ab operatione vitali, animali, & naturali; ita vt ſecundum Curtium omnia ſigna indicãtia diſpoſitiones poſſint reduci ad tres fontes, de quibus Galenus in hoc loco egit; ita vt primus & tertius reducantur ad ſigna ſubſtantialiter inhęrẽtiã, deinde ſequantur duo alij fontes, ſed re vera non intellexit, quo fine hic, & quo lib. de vſu partium citato Galenus conſiderauerit partes humani corporis.

Argenterius iniuria Galenum reprehendit, dicens diuiſionem ſignorum per tres fontes eſſe imperfectiſſimam; quia in illis tribus fontibus non includuntur ſigna deſumpta à cauſis, à iuuantibus, & lædentibus, & à ſimilitudine, quæ ex ipſo Galeno 2. de criſibus ait, eſſe neceſſaria ad cognoſcendas febres; per ſimilitudinem Argenterius intelligit, an ſimilis morbus per ciuitatem craſsetur.

Decipitur Argenterius, quia hic non eſt locus tractandi de ſignis proprijſſimis; veluti ſunt illa trium fontium à Galeno hic propoſitorum; Oſtendimus .n. ſuperius, ſigna deſumpta à cauſis externis, & à iuuantibus, & lædentibus eſſe loca communia, quæ vnita in ſyndromen ſolum pariunt ſcientiam.

Similiter oſtendimus 6. lib. method. noſtræ c.1. modum inquirendi diſpoſitiones corporis per ſimilitudinem affectuũ, qui paſſim vagantur, eſſe probabilem, & nullam habere efficaciam, eo quia tranſitus à ſimili eſt analogiſmus Empiricorum ab ipſo Galeno toties reiectus, & à nobis fusè in lib. de analogiſmo & falſa experientia exploſus. Præterea modus procedendi à ſimili, vel proportione eſt argumentum à particulari ad particulare, quod nihil concludit, & in logica, & philoſophia eſt valdè ridiculum.

Neq; Argenterij inſtantia contra Galenum valeret, ſi diceret, in propoſitis fontibus non contineri ſigna pro cognitione cauſarum internarum, quia eius erratum non eſſet dignum excuſatione.

Philoſophetur enim Argenterius diu noctuque, nunquam inueniet ſigna propria cauſarum internarum; omnes enim proprietates ſunt ſuppoſitorum ex Ariſt. 2. de anima tex. 24. omnia igitur ſigna propria, quæ neceſſariò conſequuntur, ſunt in ſecundo modo dicendi per ſe, & definiuntur non per cauſam internam ſubiecti, ſed per ſubiectum ipſum: Hinc non dicimus riſibilem eſſe aptitudinẽm rationalitatis, ſed hominis; Quo fit vt Ariſtotel. 1. de anima tex. 64. doceat, iraſci animam, ſimile eſt, ac ſi quis dicat animam texere, vel ædificare; quare propria ſigna conuenient morbis, & non cauſis.

Ne-

Neque obijciat, dari ſigna propria, & communia cauſarum internarum: quia id concedimus, ſi à morbo ſeparentur, quatenus ſcilicet non efficiant morbum: hoc modo .n. dicimus, humores internos habere ſigna propria, & communia, ſed tunc non eſſe amplius cauſas, ſed ſubiecta: neq; concurrere ad efficiendas diſpoſitiones, neq; pertinere ad hanc ſpeculationem: Ecce igitur quàm falſis nixus principijs Argenterius contra Galenum procedat, & quam ſolidis fundamentis ſuffultus Galenus doceat artem; ad ea .n. quæ diximus pro Galeno neq; Argenterius, neque alij reſpondere, neq; hiſcere quidem auderent.

OCTAVI CAPITIS Particula II.

Tex. 3. *Ab eſſentia quidem ipſa eorum, quæ optimā habent conſtitutionem, commoderatione conſimilium quidem, in caliditate, frigiditate, humiditate & ſiccitate. Inſtrumentalium verò, in quantitate, ac numero eorum, ex quibus componuntur, ac præterea formatione, ſitu partium ſingularum, ac totius inſtrumenti. Ex his verò, quæ ex neceſſitate conſequuntur conſimilia, quantum quidem attinet ad tactum à mediocritate, quæ in mollitie, ac duritie conſiſtit. Quantum verò ad aſpectum, à colore optimo, & leuitatis, atq; hiſpiditatis mediocritate. In operationibus à perfectione, quam & ipſorum virtutem appellamus. Ab his verò, quæ inſtrumentarias partes conſequuntur, à commoderatione, & pulchritudine omnium totius corporis inſtrumentorum, ac præterea earum, quæ ipſis inſunt virtute operationum. Optimæ igitur conſtitutionis corporū ſigna indicatiua ſunt hæc.*

IN tex. ſuperiori Galenus tres fontes ſignorum propoſuit pro dignoſcendis diſpoſitionibus corporum. Primus erat deſumptus à ſubſtantialiter inhærentibus. Secundus ab operationibus, quæ neceſſariò conſequuntur. Tertius à ſymptomatibus, quæ neceſſariò conſequuntur operationes, qui continet retenta, excreta, & qualitates.

In hoc tex. applicat dictam methodum corpori ſaluberrimo, quod dicitur ſalubre ab ortu naturæ: & meritò ab hoc incipit, quia eſt aliorum omnium regula: cætera .n. corpora, quatenus ab iſto perfectiſſimo recedunt, in ſequēti conſiderabūtur.

Diuiditur tex. in tres partes: in prima proponuntur ſigna ſubſtantialiter inhærentia, quę conueniunt ſaluberrimis partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus: hæcq; ſunt optima temperatura, & optima commenſuratio, quæ conſiſtit in magnitudine, numero, conformatione, & ſitu: concludit Gal. tunc corpus fore ſaluberrimum, quando eius partes erunt optimè conſtitutæ in primis quatuor qualitatibus, & organicæ benè commenſuratæ in magnitudine, numero, formatione, & ſitu. In ſecunda parte ſumit indicia à ſignis, quæ neceſſariò conſequuntur ſalubritatem ſimilariū partium: quæ indicia vel conſiſtunt in ſenſu tactus, veluti dum medicus cognoſcit carnē, neq; eſſe molliorem, neq; duriorem mediocritate: vel in ſenſu viſus, dum colorē faciei, & aliarum partium videt, eſſe optimum, ideſt ex rubro, & albo commixtum, & corpus, neque nimium hiſpidum, neque nimium glabrum: quia neq; homo valdè piloſus, neq; ſine pilis poteſt eſſe temperatus: vel demum deſumuntur ſigna ab operationibus; per operationes intelligendo operationes naturales, vitales, & animales: iſtæ operationes in corpore ſaluberrimo omnes debent eſſe in ſuo robore, vel ſuo eſſe perfectiſſimo: quòd verò Galen. per virtutem intelligat robur facultatum, patet ex lib. de ſalubri ad Thraſyb. c. 15. vbi explicat, per virtutem ſe intelligere robur. In tertia parte Galenus deſumit ſigna ab ijs, quæ conſequuntur non ſimilares, ſed diſſimilares, ſeu organicas partes: quæ verò indicant organicas eſſe optimè conſtitutas, duo ſunt, alterum eſt commenſuratio, & pulchritudo omnium partium organicarum: alterum eſt, quod operationes organicarum partium ſint perfectiſſimæ, ſicuti eſt perfectiſſima viſio in oculis: chylificatio in ventriculo: hæmatoſis in hepate, &c.

1 Dubitatio proponitur à Pluſquamcōmentatore dicentę, quòd ſubſtantialiter inhęrentia non poſſint vocari ſigna, quia idem eſſet ſignum, & ſignatum: ſi enim commenſuratio, ſeu concentus quatuor qualitatum eſſet temperatura ſimilariū,

quo-

quomodo temperatura poterit eſſe ſignum temperaturæ? idem dicit de compoſitione: quomodo bona compoſitio dici poterit ſignum bonæ compoſitionis?

Soluitur ſic, ſi de temperatura loquamur, dicimus, temperaturam conſiderari dupliciter, vel cum relatione ad tactum, qui tangendo iudicat, vel cum relatione ad ipſaſmet partes ſimilares: qua poſita diſtinctione, dicimus temperaturam conſideratam primo modo, reſpectu ſcilicet noſtri tactus, eſſe ſignum; reſpectu verò partis, in qua eſt, eſſe ſignatum; & ſic dubitatio tollitur: quod verò ſenſus tactus ſit iudex, eſt Ariſtot. 2. de anima tex. 94. vbi inquit, tactum hominis eſſe exquiſitiorem omnibus animantibus, ideo poteſt rectiſſimè iudicare obiecta tactilia; Galen. verò 2. de temperamentis c. 2. ait, tactum hominis eſſe rectum iudicẽ primarum qualitatum, ideſt temperaturarum actu talium; Similiter dicimus de compoſitione, quòd ſcilicet reſpectu ſenſus, viſus, ſeu tactus compoſitio ſit ſignũ, reſpectu verò partium ſit ſignatum.

2 Dubitatio maxima eſt in verbis Galeni, quia ait, formationem, & ſitum conuenire non ſolùm organicis, verùm etiam ſimilaribus; quod videtur falſum; quia ſimilaribus ſolum conuenit temperatura, & non ſitus, vel conformatio.

Soluitur dicendo conformationem, & ſitum per ſe primò competere organicis; ſecundò verò partibus ſimilaribus.

3 Dubitatio exoritur, quia docet Galenus, corpus ſaluberrimum per tactum dignoſci; videtur falſum; quia medicus vel erit temperatus, vel intemperatus, ſi fuerit temperatus nunquam poterit dignoſcere corpus ſaluberrimum, quod eſt tẽperatiſſimum, quia ex Ariſt. 2. de anima tex. 118. tactus ſolùm ſentit exuperantias; æquè .n. calida, vel frigida non poſſunt ſentiri; ſi verò medicus fuerit intemperatus, putabit corpus ſaluberrimum eſſe intemperatiſſimum ratione magnæ diſtantiæ inter ſe; manus .n. medici nimis calida putabit corpus ſaluberrimum eſſe frigidæ, & intemperatæ naturæ; manus nimis frigida ſentiet ſaluberrimũ eſſe calidæ, & intemperatæ naturæ, quare nullo modo per tactum percipiet ſaluberrimũ.

Soluitur ſic; ſi medicus temperatus poterit dignoſcere exuperãtias per tactum, poterit quoq; cognoſcere temperatum, ſi viderit neq; calidum, neq; frigidum eſſe; neq; Ariſtoteli reluctamur, quia aliud eſt ſentire, & aliud cognoſcere ſe non ſentire exceſſum; concedimus temperatum tangendo temperatum non ſentire, dicimus, tamen ex illa ſenſus priuatione perueniri ad cognitionem corporis ſaluberrimi, & temperatiſſimi.

Præterea poterit quoq; vir intemperatus per tactum dignoſcere temperatiſſimum, quando eſſet verſatus in plurimorum corporum tactu; obſeruaretq; præceptum à Galeno traditum 1. de temperamentis cap. vlt. quòd ſcilicet medicus debeat ſe exercere in aqua frigidiſſima, & feruentiſſima pari portione commixta, quia inde, quæ ex humanis corporib. ſint tẽperata, tactu incipiet animaduertere.

Sed apud nos ſunt duo inſtrumenta, quibus exuperantias, & mediam temperamentum dignoſcimus; alterum eſt pro actiuis; alterum pro paſſiuis qualitatibus dignoſcendis, & pro inuenienda media temperatura.

4 Dubitatio, inquit Galenus, perfectionem operationis eſſe ſignum corporis optimè conſtituti; videtur falſa hæc ſententia; quia aliqui intemperatiſſimi habent perfectiores operationes; Hinc biliosi intemperati ex Galen. lib. de natura humana com. 39. habent maximum ingenij acumen; melancholici ſummam prudentiam; quæ operationes in ijs, qui ſunt temperatiſſimi non ſunt ita perfectæ; ſimiliter ventriculus biliosus ex Galen. lib. 1. de alim. fac. cap. 1. citius digerit eſculenta coctu difficilia, quam temperatiſſimus.

Reſpondent plurimi, quòd in corpore temperatiſſimo debeant conſiderari omnes operationes ſimul; & ſic reſpectu corporum recedentium à temperatiſſimo erunt perfectiores.

Sed melius reſpondebimus, si dixerimus per operationem perfectam Gal. intelligere eam, que conuenit conſtitutioni ſalubri, quę poteſt reſiſtere causis extrinſecis, & quę ferè nunquam in ægritudinem labitur; de qua optima, & ſaluberrima conſtitutione Gal. c. 85. huius libri, ait non egere præſide pro eius conſeruatione;

ne:immò de hoc corpore loquens inquit, tantum appetere, quãtum poteſt coquere:ideo lib. de bono corporis habitu dicit, hæc corpora non ægrotare, quia neque colligunt humorum multitudinem, neq; malignitate coinquinantur.

Cur? quia corpora hæc maximè reſiſtunt, ſed non ob ingenij acumen, non ob prudentiam,ſed ob potentiam naturalem, ingenij acumen, & prudentia ſunt paſſiones,quæ robur diminuũt;neq; acumen ingenij Ariſt. neq; prudentia Platonis, & Socrates ſufficerent, pro concoquenda guttula melicrati.Quoad ventriculum biliosum dicimus melius digercre ſed non melius concoquere, Galen. 12. meth.3. dicit ſomnum concoquere vigiliam digerere.

5 Dubitatio nõ videtur,quod ex colore optimo iudicari poſſit corpus ſaluberrimum:quiaGal.1.de humoribus primo dicit floridum colorem faciei alicuius, qui ſit mæſtus, indicare vel malam affectionẽ in cerebro ex atra bile prodeuntem, vel prenunciare varium hæmorrhagiam.

Reſpondetur, quod ſicuti corpus ſalubre diapandos ex ſua natura eſt coloris floridi, ſic credendum eſt ſemper eodem colore eius faciem eſſe ſuffuſam: Gal. verò primo de humoribus com. 1. loquitur de colore florido,qui à cauſa calida fit,& non de illo qui propria natura effunditur & qui eſt perpetuus,in iſtis .n.corporibus temperatis humores ad intra non regurgitant:quia nihil in corpore habent præter naturam, cuius occaſione modò retrahent ad intra humores, modò concitentur ad extra, vt ſcilicet in ijs, qui ſunt paſſuri hæmorrhagiam:habetur loc.citat. hæc Hippoc. ſententia, *color humorum, vbi non eſt humorum reciprocatio,veluti effloreſcit*, in corporibus temperatis ſanè ſemper effloreſcit,quia non reciprocantur humores, eo quod nulla ſint mala qualitate inquinati.

6 Dubitatio, Gal. omittit multa alia ſigna corporis ſaluberrimi, ergo eius doctrina eſt inſufficiens.2. enim de tẽperamentis c.1.dicit,corpus ſaluberrimum eſſe omninò medium inter audax, & timidum, inter taciturnum, & verboſum,inter gracile,& obeſum: aitq; neque latas, neque anguſtas venas habere; plurima quoque alia proponit 2.de tuenda ſanitate. Auicen.denique 2.primo doct.3. ca.4. præter alia ſigna admonet, ſaluberrimum eſſe boni odoris.

Reſpondetur, Gal. non eſſe diminutũ, quia tractat artem doctrina definitiua, quæ cõprehendit omnia capita artis, ſed non omnia particularia contenta ſub capitibus, exempli gratia docet, quomodo per ſenſum tactus, & per ſenſum viſus percipere poſſimus medium hunc ſtatum corporis ſaluberrimi, datque exemplum ſolum de lenitate,hiſpiditate,&colore,vt ſcilicet ſubintelligamus cætera ab illo ſenſu dignoſcibilia, ſimiliter poſitis duobus ſenſibus admonet,quomodo ea, quæ alijs ſenſibus ſint cognoſcibilia penetrari poſſint,ſicuti corpus hoc eſſe boni odoris eſſe medium inter audacem,& timidum, & ſic de alijs.

7 Dubitatio, videtur quod Galenus ſibi contradicat, quia in principio text. optimam commenſurationem partium organicarum collocat inter ſubſtantialiter inhærentia,quæ ab eſſentia ſumuntur,in fine verò tex.commenſurationem, & pulchritudinem inter ea quæ conſequuntur organicas partes, quæ ſunt toto genere diuerſa, quia ſubſtantialiter inhærentia ſunt eſſentiæ, & prædicantur in quid de corpore ſalubri;ea verò,quæ conſequuntur,prædicantur in quali.

Pluſquamcommentator reſpondet,cõmenſurationem ſumi dupliciter, vel pro ſitu magnitudine,& figura cuiuſq; partis organicę,nulla facta cõparatione cũ alijs partibus, & ſic ſumptam (dicit) explicare eſſentiam corporis ſalubris,& dici ſubſtãtialiter inhęrere temperaturę, vel ſumi commẽſurationem, vt eſt proportio omnium partium corporis inter ſe coniunctarum,& ſic ſumptam commenſurationem,ait,non ſubſtantialiter inhærere,ſed conſequi, quæ ſubſtantialiter inhærent: hoc enim commenſurationis genus eſt ipſamet pulchritudo: ideò Plato in philebo docet, pulchritudinem eſſe quandam partium commenſurationem. Similiter Auerroes 7.phy. tex.18.de pulchritudine habet hęc verba: pulchritudo eſt vniuerſaliter proportio inter membra media,& extrema:ecce quod commenſuratio,quæ in idem recidit cum pulchritudine, eſt

pro-

proportio non vnius membri, ſed omnium inter ſe tam extremorum, quam mediorum. Hinc Alexander Aphrodiſæus ſecundo de anima c.43. inquit, pulchritudinem eſſe in bona habitudine, & commenſuratione corporis; non dicit eſſe commenſurationem vnius partis.

Ariſt. 4. lib. ethicor. c.3. videns pulchritudinem eſſe proportionem totius corporis facta, omnium partium organicarum conſideratione dicit, paruos non poſſe vocari pulchros, ſed elegantes, & concinos; voluitq; ad conſtituendam hãc commenſurationem, quæ eſt omniũ partium proportio, conſpirare quoq; magnitudinem, ſed non vnius partis, ſed omnium: quia ſicuti in commenſuratione vnius partis organicæ concurrit neceſſariò debita illius partis magnitudo: ſimiliter in commenſuratione omnium partium debita requiritur magnitudo: illa prima eſt ſubſtantialiter inhærens, hæc poſtrema eſt neceſſariò conſequens.

8 Dubitatio: videtur, quod Galenus ſibi contradicat, quia in hoc text. docet, quatuor primas qualitates pertinere ad eſſẽtiam conſtitutionis ſimilarium: ſecundas verò, mollitiem ſcilicet, duritiem, hiſpiditatem, lenitatem, & colores conſequi eſſentiam ſimilarium partium: nihilominus in hoc libr. c.12. dicit, eos qui habent ſubſtantiam cerebri craſſam, eſſe ingenio obtuſos; ergo craſſities quæ eſt ſecunda qualitas indicabit conſtitutionem cerebri, quod collocatur inter partes organicas, & non ſimilares.

Prætereа 3. de ſymptomatum cauſis c. 2. docet, ob raritatem vaſorum fieri ſanguinis profluuia, ſed ſic eſt, quod affectus vaſorum, vt venarum ſunt affectus partium organicarum, & non ſimilarium: quia ex Gal. 11. meth. cap. 11. tres tantum ſunt partes ſimilares, membranoſa ſcilicet, carnoſa, & fibroſa; ergo quę dicuntur à Gal. in hoc loco aduerſantur ijs, quæ dicta ſunt alibi.

Solutio huius difficultatis deſumitur à Galen. lib. quod animi mores ſequantur temperaturam corp. c.2. vbi ait à ſimilaribus primariò prouenire actiones ratione temperaturæ ſecundariò ab organicis: quare dicimus, ingenium obtuſum primariò fieri à propria carne iuſto craſſiori, quæ eſt pars ſimilaris: craſſitiem verò tenuitatem, duritiem, mollitiem, & cæteras ſecundas qualitates inſequi primas. Hinc Galenus 7. methodi cap. 2. ait, animales actiones partibus ſimilaribus primò referri, & lib. de conſtitutione artis cap. 4. idem dicit, poſtremò 2. de naturalibus facultatibus cap. vltimo habet, iecur venas, arterias, ventriculum, & omnem particulam, quæ aliqua fungitur actione neceſſariò hoc obtinere propter certam ex quatuor elementis temperiem: quid clarius in Galeno poteſt inueniri, quam quod à temperie omnes actiones ſimilarium prodeant? neq; excipit hepar, quod eſt ſanguinis officina tam præcipua, neque excipit ventriculum, & cor, quæ ſunt organa tam conſpicua.

9 Dubitatio ſtatim oritur, quia ſi ſecundæ qualitates neceſſariò conſequuntur primas, & ſunt ſigna indicantia conſtitutionem ſimilarium partium; ergo omnia ſigna diſſimilarium partium conuenient ſimilaribus, & ſic diſſimilaria non habebunt ſigna propria.

Reſpondetur, dupliciter conſiderari ſecundas qualitates, primo modo quatenus inſequuntur primas, quæ conſtituunt ſimilares, & hoc modo dicimus, omnes qualitates ſecundas, & tertias indicare primas, ſic actionem in hepate indicare temperaturam propriæ carnis hepatis: actionem cerebri, vel cordis propriam carnem vel ſubſtantiam cerebri, vel cordis: ſecundo modo conſiderari qualitates ſecundas quatenus formant vitia, & affectus præter naturam in partibus organicis, & ſic non ſolum ſecundas qualitates inſequi organicas partes, ſed eſſe ipſaſmet conſtitutiones organicarum partiũ: verbi cauſa raritas, & denſitas ſunt ſecũdę qualitates, quę ex neceſſitate inſequũtur conſtitutionem partium ſimilarium, & ſunt fundatæ in propria carne, in mẽbranoſa ſcilicet ſubſtantia, vel fibroſa; nõ dicimus tamen raritatem, & denſitatem eſſe morbos ſimilarium partium, ſed organicarum: ita vt ſecundæ qualitates formaliter pertineant ad diſſimilares, originaliter verò ad ſimilares.

10 Dubitatio dictum eſt ex Gal. actiones conuenire partibus ſimilaribus, & non diſſimilaribus: tamen in fine tex. Galenus

lenus ait, quod partibus inſtrumentarijs ſeu organicis conueniant commenſuratio, & pulchritudo, & aliæ operationes.

Pluſquamcommentat. tollit hanc difficultatem dicens, actiones ſeu operationes naturales conuenire ſolum partibus ſimilaribus, actiones verò animales partibus organicis.

Quæ ſolutio eſt vaniſſima, quia Gal. 7. methodi cap. 2. & 2. de facultatibus naturalibus cap. vltimo habet, omnes actiones ſint vitales, ſint animales, vel naturales inſpicere primariò partes ſimilares, eſſeque in ſimilaribus fundatas, conuenire tamen partibus organicis ſolum ſecundariò, vt teſtatur Galen. locis cit. in quolibet enim inſtrumento ex Gal. adeſt aliqua præcipua pars ſimilaris, cui conuenit actio præcipua, quæ vel eſt propria caro inſtrumenti, vel propria membrana, vel propriæ fibræ inſtrumenti: partes enim ſimilares ex Gal. ſunt ſolum tres, carnoſa ſcilicet, membranoſa, & fibroſa, & ab his primariò omnes actiones prodeunt, & actiones, quæ inſunt organicis, meritò iſtarum ſimilarium ineſſe.

Quod verò actiones quoque animales conueniant primariò partibus ſimilaribus patet ex Ariſt. & Gal. ex Ariſt. 2. de partibus animalium ca. 1. & primo de hiſtoria animal. c. 4. vbi docet, omnes ſenſus fieri per partes ſimilares, actiones verò, & motus per partes inſtrumentales, ex Galen. quia docet viſionem primo cryſtallino, & deinde toti oculo conuenire, quare quando videbimus Gal. lib. de curandi ratione per ſanguinis miſſionem c. 4. dicentem actionum aliquas conuenire ſimilaribus partibus, & aliquas diſsimilaribus, dicendum eſt actiones conuenire diſsimilaribus, ſed non primò, vt ſuperius dictum eſt, quam expoſitionem ipſe Gal. affert multis in locis, & præcipuè libr. de conſtitutione artis cap. 5. & lib. de cur ratione .ſ. m. c. 4.

Similiter Conciliator diff. 63. dicit, actiones à ſimilaribus primariò, & vt ſunt principium quo; prouenire à diſsimilaribus verò adęquatè, & vt ſunt principium quod.

OCTAVI CAPITIS

Particula III.

Tex. 4. *Eorum autem quæ ab ipſa deficiunt, & adhuc tamen ſalubria exiſtunt, nonnulla quidē incenſimilium temperatura vitium aliquod paruum habent: nonnulla verò in inſtrumentariorum cōmoderatione, & hoc quoq; perexiguum. Accidit autem hoc vel in omnibus, vel in aliquibus: aut in vtriſq; Vitiorum verò genera eadem ſunt his quæ virtutem perficiunt. Temperatura quidem in conſimilibus. Numerus autem, & formatio, & magnitudo, & ſitus in inſtrumentarijs. Vtriſque verò communis vnitas, & quam, & ipſorum continuitatem appellamus.*

IN tex. ſuperiori tradidit ſigna corporis ſimpliciter ſalubris, ideſt ſaluberrimi. In hoc tex. vero oſtendit, quomodo ſalubre vt multum deficiat à ſaluberrimo: dicitque deficere ab illo per vitium aliquod paruum ſenſibile in temperatura, vel in compoſitione: in temperatura veluti in caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate; in compoſitione, dum in formatione, magnitudine, numero, vel ſitu aliquantulum recedit à ſaluberrimo, corpus enim ſaluberrimum eſt vnum, & eſt regula omnium aliorum, ſalubre verò vt multum eſt multiplex, & non vnum: quia modo eſt ſalubre vt multū, quia deficit à ſaluberrimo per aliquod paruum vitium in tēperatura; modo quia deficit in ſitu, magnitudine, vel numero, vel demum per aliquod paruum vitium, quod fit ſimul in omnibus ſimilaribus, & diſsimilaribus partibus.

Altimarus putat in hoc tex. Galenum agere non de corpore ſalubri vt multum, ſed de corpore ſalubri vt nunc; probatq: eo quia Galenus in tex. habet hæc verba, *et adhuc tamen ſalubria exiſtunt;* ſi intelligeret de ſalubri vt multum, non dixiſſet, adhuc, quia eſt certiſsimum, quod corpus ſalubre vt multum ſit ſalubre: addit, Galenū nullibi egiſſe de corpore ſalubri vt nunc; quare niſi dicamus, quod in hoc tex. de ipſo agat, eſſe diminutus. Accedit, quod Galenus in fine huius capitis octaui dicat, ſe egiſſe de omnibus corporibus ſalu-

lubribus: demum ſubnectit Altimarus, clarè patere, Gal. eſſe acturum paulò infra, videlicet in hoc cap. de corpore ſalubri vt multum; quare, ſi etiã in hoc tex. de illo ageret in hoc loco eſſet ſuperfluus.

Decipitur Altimarus, quia ſalubre vt nunc non deficit à ſalubri ſimpliciter diapandos, quod eſt corpus ſaluberrimũ per aliquod (vt ait hîc Galenus) per exiguum vitium; ſed per magnam, & notabilem differentiam; immo in latitudine ſanitatis non eſt maior differentia, quam inter ſaluberrimum, & ſalubre nunc; ſaluberrimum enim eſt in ſupremo gradu ſalubritatis; ſalubre verò vt nunc eſt in infimo; quare cum differentia non ſit perexigua, dicendum eſt, Galenum hîc egiſſe de corpore ſalubri vt multum, & non de ſalubri vt nunc.

Quòad inſtantias, dicimus Galenum dixiſſe, adhuc, ne crederẽt lectores, quod per paruum vitium, quod in intemperatura, vel compoſitione inueniri poſſit, corpus ſalubre vt multum dici debeat corpus inſalubre, quod ſimiliter eſt in latitudine ſanitatis; differt enim ſalubre vt multum ab inſalubri ſecundùm maiorẽ, & minorem reſiſtentiam, quæ ab his corporibus infertur extrinſecis cauſis.

Cauſa erroris Altimari fuit, quia putabat, ſalubre vt nunc differre ab inſalubri ſimpliciter, & à neutro ſimpliciter: quod quidem in hac arte medicinali nõ poteſt defendi; ſupra .n. oſtenſum eſt, corpora ſalubria, inſalubria, & neutra contineri in latitudine ſanitatis; inſalubria verò vt nunc habere actu ægritudinem; dictumque eſt inſalubre ſimpliciter, & neutrum ſimpliciter poſſe vocari ſalubre nunc; igitur Galenus egerit de inſalubri ſimpliciter, & de neutro ſimpliciter, ſupponendum eſt, egiſſe de ſalubri nunc, quia in illis continetur.

Quòad illud dum ait, Galenum eſſe ſuperfluum, ſi in hoc loco ageret de corpore ſalubri vt multum, quia infra in hoc cap. par. 7. de hoc corpore aget.

Reſpondemus, diuerſa conſideratione Gal. agere hîc, & ibi; hic declarat, in quo conſiſtat vitiũ huius corporis ſalubris vt multum; in partic. verò 7. docet, quomodo ab alijs corporib. poſſit diſtingui; quare Altimari opinio accipi non poteſt.

Diuiditur tex. in duas partes: in prima docet, corpus ſalubre vt multum differre à ſalubri vt ſemper per aliquod paruum, ſeu perexiguum vitium in temperatura, vel in compoſitione; itavt differentia ſpecifica, qua corpus ſalubre vt multum differt à ſaluberrimo, non ſit, quia magis in vna, quàm in alijs partibus, & omnibus ſimul vitium ſit; ſed quia vitium ſit perexiguum. In ſecunda parte declarat quid intelligat per vitia, & quot ſint: vtitur argumento à contrarijs, videlicet, ſi virtutes in corpore ſunt hæ tres, bona compoſitio in diſſimilaribus, bona temperatura in ſimilaribus, & bona vnitas in vtriſque tot quoq; erunt vitia, ſcilicet mala compoſitio; mala temperatura, & mala vnitas: contrariorũ .n. eadem eſt diſciplina.

1 Dubitatio: Galen. in hoc tex. docet, ſolutionem continui conuenire vtriſque, ideſt partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus: Auerroes 3. Colliget cap. 14. inſurgit contra Galenum, aitq; quòd ſolutio continui conueniat ſolùm partibus ſimilaribus; ſolutio verò contigui partibus diſſimilaribus: ratio eſt, quia partes inſtrumentales fiunt ex ſimilaribus contiguis, & non continuis; quare ex Auerroe, dum ſoluuntur partes inſtrumentales, ſoluuntur contigua, & non continua; non conueniet ergo ſolutio continui, vt dicit Galen. vtriſq; ideſt ſimilaribus, & diſſimilaribus, ſed ſimilaribus tantùm.

Reſpondetur, Galenum ſumere continuum lato modo, ſicut Ariſtoteles illud ſumpſit in principio 1. lib. meteor. vbi inquit, oportet mundum hunc continuum eſſe ſuperioribus lationibus, vt inde omnis eius virtus gubernetur: elementa tamen non ſunt continua orbi Lunæ, ſed contigua: ſimili modo Galeno placuit appellare continui, & non contigui ſolutionem. Præterea ipſemet fatetur ſe id feciſſe clarioris doctrinæ gratia 7. lib. meth. c. 2. & 13. meth. c. 1. & alibi: notius .n. erat addiſcentibus medicinam ſub nomine continui, quam contigui vnitatem communem appellare: non enim agitur in medicina de mathematicis, in quibus de vnitate, & de continuo agitur; ſed accipit Galenus nomina communia, & vulgaria, vt indè ad altiora proficiſcatur.

Præterea poſſumus etiam reſpondere, quòd

quòd Auerr. argumentum non ſit contra Galenum; quia non inquit continuitatem eſſe naturam communem ſimilaribus,& diſſimilaribus,ſed vnionem,ſiue vnitatem; ſimiliter non dicit Galenus ſolutionem continuitatis eſſe morbum communem, ſed ſolutionem vnitatis; quare inſtantia Auerrois nihil habet contra Galenum; pars enim organica, quamuìs ſit contigua, tamen per ſuam formam,& per ſuum actum,vt dicit Galenus de different. morbor. c.4. eſt verè, & exquisitè vna.

Dum verò Galenus ſolutionem vnitatis appellat aliquando ſolutionem continuitatis,dicimus id feciſſe, vt ipſemet lib. de cauſis morbor. cap.vlt. fatetur,clarioris doctrinæ gratia.

2 Dubitatio; Argenter. inuehitur contra Galenum dicentem,ſolutionem continui conuenire ſimilaribus,& diſſimilaribus,per ſe tamen diſſimilaribus,per accidens verò ſimilaribus. Quæ opinio è diametro eſt contraria opinioni Auerrois;dicit igitur Argenterius, quòd ſicuti morbi in figura, in ſitu, in magnitudine primariò,& per ſe ſecundùm opinionem quoq; Galeni conueniunt partibus diſſimilaribus:ſimiliter dicendum eſt de continui ſolutione: confirmat Argenterius ſuam opinionem hac ratione ſupponens in continui ſolutione non tolli,vel impediri actionem ſimilarium partiũ,ſed tantum diſſimilarium; quo ſuppoſito infert, ſi ex actione læſa iudicandi ſunt morbi,& in ſolutione continui ſolùm actio diſſimilarium lędatur, & non ſimilarium,ſolutio continui erit morbus diſſimilariũ, & non ſimilarium;probat,quòd actiones ſimilarium non lędantur, eo quia quãdo ſolutæ, & diuiſæ ſunt carnes in ipſis fit coctio,retentio; carnis regeneratio, & cætera munera perficiuntur,ergo ſolutio continui non eſt morbus ſimilarium.

Reſpondetur, rationes Argenterij eſſe pueriles, quia dum ait actiones ſimilariũ partium diuiſarum non lędi;maximè vacillat,quia carnes diuiſę malè concoquũt & cętera omnia officia diminutè explẽt; immo diuiſis ſimilaribus externis, ſtatim per ſympathiã actiones propriarum carnium viſcerum læduntur; Demum,nonnè actiones partis ſimilaris diuiſę aliquãdo auferuntur? veluti dum gangræna ob vulnus, vel ob alias cauſas fit in parte ſimilari? tunc .n. tolluntur coctiones, agglutinationes, & cætera omnia officia; ecce igitur, quòd ſolutio continui cõuenit per ſe quoq; ſimilaribus; prædicatur .n. ſolutio vnitatis vniuocè de ſolutione ſimilarium, & diſſimilarium. De hac re iterum fuſiùs agemus in 3. par. libri cap. de ſolut. continui contra Faloppium.

2 Dubitatio Galen. loquens de numero generum morborum videtur eſſe incõſtans,quia ſæpiſſimè dixit, eſſe tria genera, ſcilicet intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutionem vnitatis; in hoc tex. tamen numerat ſex genera, ſcilicet intemperiem, morbum in formatione, magnitudine,numero,& ſitu; qui morbi vocantur malę compoſitiones,& ſextum genus ait eſſe continui ſolutionem. Augetur dubitatio, quia lib. de differ. morb. cap.11.& lib.de conſtitut. cap.6.vocat ſolutionem continui quintum morborum genus;ergo non tria.

Reſponſio eſt facillima, cur modò ſex morborum genera, & modo tria numerentur; quia illa quatuor genera ſubalterna,ſcilicet in formatione,ſitu, magnitudine, & numero reducuntur ad vnum genus,ideſt ad malam compoſitionẽ; ſed difficultas eſt,quid intellexerit Galenus, dum dixit, ſolutionem cõtinui eſſe quintum genus. Quidã reſpondent eſſe quintum genus competens partibus diſſimilaribus, itavt primum ſit in formatione; ſecundum in magnitudine; tertium in numero; quartum in ſitu, & quintum in ſoluta vnitate; ſed reſponſio erit accommodatior, ſi dixerimus, ſolutionem eſſe quintum genus non ſolùm reſpectu partium diſſimilarium,verùm etiam ſimilarium;quia in ſimilaribus quatuor genera ſubalterna morborum dantur, quæ ſunt intemperies calida, frigida, humida, & ſicca quintum genus in diſſimilarib. erit ſolutio continui; ſimiliter ſolutio continui erit quintum in diſsimilaribus, enumerando illa quatuor ſcilicet in magnitudine,numero,ſitu, & formatione; quæ cùm ita ſint, textus Gal. de differ. morb. 11. & lib. de conſtitutione artis c.6. erit clariſsimus.

4 Dubitatio ait Galen. magnitudinem, &

& figuram conuenire ſolùm partibus organicis; quod videtur falſum; quia etiam partes ſimilares habent magnitudinem, & figuram.

Soluitur concedendo partes ſimilares habere magnitudinem, & figuram; negando tamē magnitudinem, & figuram dici bonam, vel diminutam, vel auctam ratione ſui; accipiatur enim pars ſimilaris, quæ ſit figuræ, uel magnitudinis perexiguæ, dicimus non lædi eius propriam actionem ob prauitatem, quia poteſt eſſe Pigmæus, cuius partes ſimilares ſint perexiguæ, tamen benè concoquant, retineant, attrahant, & expellant; quare magnitudo, uel figura dici debet præter naturam ratione partis organicæ, & non ratione partis ſimilaris.

5 Dubitatio videtur ex Galeno, tot eſſe virtutes, quot vitia, ideſt tot eſſe ſpecies ſanitatis, quot ſunt ſpecies morbi; quod non videtur; quia ſi vnus eſt habitus temperatiſſimus, octo ſunt intemperati; ideo Pluſquamcommentator negat omninò, quod tot ſint ſpecies ſanitatis, quot ægritudinis, ergo malè Galenus in tex. dum docet, tot eſſe vitia, quot virtutes.

Reſpondetur, non ſolùm eſſe tot ſpecies ſanitatis, quot ſunt morbi, ſed dicimus, ſpecies ſanitatis eſſe plures ob temperatiſſimum, & ſaluberrimum corpus, quod eſt omninò æquale. Hinc Auerroes 3. coll. 1. rectè docet, quod numerus ſpecierum ægritudinis eſt ſicuti numerus ſpecierum ſanitatis, ſecluſa optima temperatura; idem dicit Galen. lib. de conſtitut. artis medicæ cap. 10. eſſe ſcilicet octo intemperaturas ſalubres, & octo intemperaturas inſalubres, & deindè eſſe habitum temperatiſſimum; quare quando dicit Galenus, tot eſſe vitiorum genera, quot virtutes corpora perficientes non enumerauit temperatiſſimum.

6 Dubitatio augetur, quia ex Ariſt. 1. topic. quot modis dicitur vnum oppoſitum, tot & alterum, ergo tot deberent eſſe ſpecies ſanitatis, quot ſunt morbi.

Reſpondetur ſic: ſi cum Auerroe loquamur, dicimus, vnicam eſſe communem ſanitatem, & vnicum communem morbum, qui opponitur ſanitati illi ſaluberrimæ: dum verò ab vna ſanitate perfectiſſima corpora innumerabilibus modis recedunt, innumerabiles fiunt ægritudines: Reſpondet igitur Auerr. 5. phyſ. 57. temperatiſſimum habere in ſe tot ſanitates, quot reſpondere poſſunt ægritudinibus à temperatiſſimo recedentibus; ſed addit Auerr. nomina ſanitatis eſſe ignota; ex. gr. aderit morbus in exceſſu calidus, qui vocatur febris ardens, ſeu cauſon; attamen ſua ſanitas erit ignota.

7 Dubitatio, Galenus in tex. dicit, morbos in ſitu conuenire organicis partibus, quod non videtur; quia Auicennas 2. 1. doc. 1. cap. 2. ſuſtinet, luxationem eſſe morbum in ſoluta vnitate, quamvis Galenus clariſſimè dicat lib. de morborum differentijs cap. 13. quòd luxatio, quæ eſt morbus in ſitu, pertineat ad partes inſtrumentales, ſeu organicas, ergo vel malè Galenus, dum omnes morbos in ſitu reduxit ad partes organicas, uel malè Auicennas loco citato.

Conciliator different. 75. videns hanc differentiam inter Galenum, & Auicennam cenſet, Auicennam eſſe à Galeno diuerſum. Poſſumus tamen reſpondere; nullam eſſe differentiam inter Auicennam, & Galenum, ſi dixerimus luxationem dupliciter conſiderari, vel vt eſt morbus in ſitu, & ſic pertinere ad partes organicas: vel vt eſt affectus in ſolutione vnitatis, & ſic pertinere ad partes ſimilares, & organicas: quando Auicennas dixit, luxationem eſſe morbum in ſoluta vnitate, non cōſideraſſe mutationē ſitus, ſed ſolummodò ſolutionem oſſis, quæ fit per mollitiem ligamenti iuncturarum.

Quæritur in hoc loco, an detur quartum genus morborum: quærendi occaſio deſumitur à verbis Galeni in hoc tex. in quo dicit tria tantùm eſſe morborum genera, ſcilicet intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem.

Fernelius, Argenterius, & multi alij, qui concedunt quartum genus morborum, quod dicitur formarum, ea de cauſa dari putant, quia prȩter qualitates manifeſtas concedunt occultas, quæ neque pendent à primis quatuor, neque ſunt in eadem cathegoria: & in his qualitatibus dicunt, hoc quartum genus eſſe fundatum: Iſti verò dicuntur morborum innouatores, quia diſtinctum & nouum morborum genus in medium attulerunt.

Fundamenta iſtorum pendent ex eo, quia putant dari qualitates occultas, quæ neque ad quatuor primas, neq; ad alias, quæ ponuntur in prædicamento qualitatis, referri poſſunt: dicuntq; qualitates occultas, in quibus fundantur morbi formarum, quales ſunt lues gallica, & alij multi, eſſe ſubſtantias operantes primò, & per ſe, nulloq; interpoſito medio inſtrumento: & has qualitates eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, & vocari qualitates occultas, & totius ſubſtantiæ: quia verò ſubſtantia ex ſe eſt incognoſcibilis, & ſenſibus, & intellectui occulta, ideo occultæ ab iſtis vocantur qualitates.

Qui igitur vult reijcere hos morborum innouatores debet prius hoc fundamentum demoliri, quod ſcilicet ſubſtãtia poſſit primò, & per ſe operari, deindè probare, quod potẽtiæ operatrices ſint in prædicamento qualitatis, & non ſubſtantiæ: quorum fundamento euerſo, ſtatim ruẽt qualitates occultæ, & quartum morborũ genus nunquam à Galeno excogitatum: Nos igitur altiori philoſophia contra nonnullos Philoſophos, & Theologos hanc materiam diſcuſſimus tum in 8. lib. methodi noſtræ, tum poſt particulam 4. cap. 85. huius libri: vbi inter cætera oſtendimus, omnes potentias collocari in prędicamento qualitatis: Qui igitur plenè vult Fernelium, & Argenterium reijcere debet prius demoliri hoc fundamentum, quod potentiæ non ſint ſubſtantiæ immediatæ operatrices: propoſuimus enim argumenta Gregorij Ariminenſis, & aliorum philoſophorum, eaq; infregimus, ſicuti quiſque poterit locis citatis videre. Prætereà Galenus clariſſimè docet, non dari qualitates occultas, quę ſint ſubſtantiæ immediatæ operatrices, ſintq; in prędicamento ſubſtantiæ: quia 12. meth. docet, quòd quædam contraria ſint ſubſtantijs totis, & quædam ipſis qualitatibus: ecce igitur, quòd qualitates occultæ ex Galeno habent contrarium; quare ſi habent contrarium, non erunt ſubſtantiæ, & non dabitur hìc formæ ſubſtantialis morbus, vt ſomniarunt Fernelius, & Argenterius. Inſuper lib. de conſtitut. artis medicæ, c. 4. & 4. de ſimplici medicina, c. 15. docet Galenus, has qualitates occultas fieri ex infinitis alterationibus elementorum; ideo ſi ex alterationibus fient, non erunt ſubſtantiæ: collocas igitur eas tu, in quovis prędicamento, dummodo non ſint in ſubſtantia, ſufficient tria morborum genera. Cæterùm, quod per qualitates totius ſubſtantiæ intelligi debeant temperaturæ, patet ex Galeno 3. de temperamentis cap. 4. vbi dicit, per vniuerſam ſubſtantiam ſe intelligere temperiem ex primis elementis, ex calido ſcilicet, frigido, humido, & ſicco.

OCTAVI CAPITIS
Particula IV.

Tex. 5. *In his autem ipſis generibus ſunt corporum inſalubrium vitia, ſecundùm vtrumq; inſalubritatis ſignificatum. Terminus autem, qui vtrumq; diſtinguit, eſt operationum læſio ſenſibilis.*

IN tex. ſuperiori docuit Galen. quòd ſalubre ſimpliciter vt multum deficiat, vel recedat à ſaluberrimo per aliquod perexiguum vitium, vel in temperatura, vel compoſitione, vel vnitate: In hoc tex. verò ait per vitia in temperatura, compoſitione, & vnitate differre inſalubria à ſalubribus: ſed terminum, quo diſtinguitur inſalubre ab inſalubri nunc ait eſſe ſenſibilem læſionem operationis.

Diuiditur hic tex. in duas partes: in 1. dicit, omnia vitia, quæ contingere poſſunt corporibus inſalubribus ſecundùm vtrumq; ſignificatum conſiſtere, vel in temperatura, vel compoſitione, vel vnitate: inſalubre ſignum diuiditur in ſimpliciter, & vt nunc: ſicuti dictum eſt de corporibus, & hæc ſunt duo ſignificata, de quibus Galenus in tex. mentionem facit: ſimpliciter prædicatur de ſimpliciter ſemper, & vt multum: inſalubre verò nunc eſt, quod ſignificat actualem ægritudinem.

In 2. parte, ne quiſpiam crederet, quòd omnis læſio, vel omne vitium in temperatura, vel compoſitione, & vnitate ægritudinem, ſeu inſalubritatem nunc indicaret, determinat Galenus inſalubre nunc diſtingui ab inſalubri ſimpliciter per aliquam læſionem ſenſibilem operationum: dantur enim corpora inſalubria ſimpliciter ſemper, & vt multum; quæ

actu

actu non ægrotant, habent tamen in ſua temperatura, uel compoſitione uitia euidentiſſima: hæc quamuis ſint peſſimè ſana dicuntur tamen adhuc ſana, quia non habent aliquam læſionem ſenſibilem alicuius operationis, oportet enim adhuc, ut aliquod corpus dicatur ægrum, ut ſit aliqua operatio naturalis, uel uitalis, uel animalis ſenſibiliter læſa, aliter, quamuis corpora maximè recederent à temperatiſſimo, ægra non dicerentur.

1 Dubitatio, Galen. in tex. tradit differentiam inter inſalubre ſimpliciter, & inſalubre nunc, aitq; inſalubre ſimpliciter differre ab inſalubri nunc per læſionem aliquam ſenſibilem alicuius operationis (per inſalubre nunc Galenus ſemper intelligit corpus quod actu ægrotat) ſed ſic eſt, quod læſio ſenſibilis corporis inſalubris nunc facit ea differre non ſolum à corporibus inſalubribus ſimpliciter, ſed etiam ab omnibus corporibus exiſtentibus in latitudine ſanitatis, ergo Galenus non proponit ueram, & ſpecificam differentiam, qua diſtinguitur corpus inſalubre nunc ab inſalubri ſimpliciter: immo uidetur errare, dum proponit differentiam communem loco ſpecificæ, uideturque committere errorem circa uniuerſale ab Ariſtotele 1. poſter. reiectum.

Pluſquamcommentator neſciens fortaſſe hanc dubitationem de medio tollere nouam interpretationem propoſuit dicens, Galenũ uelle in hoc loco, quod per læſionem ſenſibilem differat corpus inſalubre nunc, non ſolum ab inſalubri ſimpliciter, ſed etiam differat inſalubre ſimpliciter à ſalubri ut multum; quia inſalubre ſimpliciter, & ſalubre ut multum differunt per leſionem ſenſibilem Quę quidem expoſitio eſt omninò contraria uerbis Galeni, qui in tex. clariſſimè oſtendit, quomodo differat inſalubre nunc ab inſalubri ſimpliciter: atq; ne uerbum quidem facit de ſalubri ut multum: ſupponitur enim quod ſi corpus inſalubre nunc differat ab inſalubri ſimpliciter, tanto magis differat à corpore ſalubri ut multum: ea enim, quæ ex ſe patent, non indigent probatione: nec ualet dum dicitur, Galenum in par. octaua huius capitis ponere differentiam inter ſalubre nũc, & inſalubre ſimpliciter: quia ibi concludit; quod dictum eſt in hoc loco: ibique proponitur differentia non ſolum inter inſalubre nunc, & inſalubre ſimpliciter; ſed inter alia corpora, ut ibi declarabimus; neq; eſt dicendum, Galenum committere errorem circa uniuerſale, ſumendo differentiam communem loco ſpecificæ; quia hic non communem, ſeu genericam, ſed ſpecificam differentiam tradit inter corpora inſalubria ſimpliciter, & corpora inſalubria nunc.

2 Dubitatio, docet Galenus, terminum, quo diſtinguitur inſalubre ſimpliciter ab inſalubri nunc, eſſe læſionem ſensibilem, quod uidetur falſum; quia corpora inſalubria simpliciter, quæ ſunt talia ab ortu naturæ, ſunt intemperata, & malè conformata; ergo ſensibiliter erunt læſa; ergo læsio ſensibilis non erit bona differentia, quà corpora ægrotantium differunt ab inſalubribus simpliciter.

Reſpondetur ex Galeno lib. de conſtitutione artis med. c. 10. & 2. de temperamentis c. 4. vbi habetur, aliam eſſe intemperiem ſanitatis, & aliam morbi: ecce igitur, quod corpora poſſunt eſſe intemperatã, & ſana; vocari tamen inſalubria ſimpliciter; immo omnia corpora, quæ ſunt in latitudine ſanitatis præter ſaluberrima vel ſunt intemperata, vel malè conformata.

OCTAVI CAPITIS
Particula V.

Tex. 6. *Quæ verò ab optima corporum conſtitutione breuè aliquid deficiunt, re vera quidem & ipſa in aliquo ſunt offenſa, non tamen id ſenſu comprehenditur. Diſtinguuntur verò ex eo, quod magis, aut minus in operationibus exiſtit, ac quia in cauſis quæ ægritudinem pariunt non æquè reſiſtunt. Quæ autem ſimpliciter inſalubria ſunt corpora, diſtinguuntur ob id, quod facilè à cauſis quæ morbos committendi vim habent, ſuperantur, & quoniam in vigore operationum plurimum deficiunt. In medio autem amborum collocantur ea quæ neutra ſimpliciter appellantur, & cum latitudine quadam.*

HIc tex. diuiditur in duas partes in prima Galenus declarat, quib. ſignis diſtinguatur corpus ſalubre vt multum à cor-

 pore

pore ſalubri vt ſemper; In 2.p. declarat, quibus ſignis diſtinguantur corpora inſalubria ſimpliciter, & neutra.

Quoad 1.par. dicit, corpus ſalubre ſemper à ſalubri vt multum adeò parum differre, vt eorum differentia ſenſu nõ percipiatur; corpus enim ſalubre vt multum quoad ſenſum tactus ita apparet temperatum, ſicut corpus ſalubre vt ſemper, ſimiliter dicimus quoad ſenſum viſus æquè apparere optimè coloratum, & mediocriter ſe habere in obeſitate, gracilitate, hiſpiditate, & glabritie, perinde ac corpus ſaluberrimum. Proponit tamen Gal. duo ſigna, quib. hæc duo corpora diſtinguuntur: alterum deſumit à perfectione operationum (per operationes intelligit actiones vitales, naturales, & animales) dicitq; operationes corporis ſalubris, vt ſemper eſſe perfectiores, quã ſalubris vt multũ: alterũ deſumit à potentia reſiſtẽdi cauſis præter naturã. Hinc ſi viderimus duo corpora æquè ſana benè colorata, & mediocriter ſe habentia quoad ſenſum tactus, & viſus; quorum alterum tamen facilè reſiſtat cauſis extrinſecis violentis; ita vt facilè reſiſtat in digerendo, in Venere exercẽda ſine labore, & in reſiſtendo magnis laboribus erit ſalubre ſemper, alterum verò ſi aliquid parum patiatur; tunc certum iudicium faciemus quodnã ex illis ſit ſalubre ſemper, ſeu ſaluberrimum, quod idem eſt, & quod ſalubre vt multum, colligas igitur ex maiori, & paulò minori reſiſtentia corpora benè ſana diſtingui, cognoſcique quodnam ſit vicinius ſaluberrimo, & quod ſit minus vicinum.

Quoad 2. par. Gal. declarat duobus ſignis quæ ſint corpora ſimpliciter inſalubria: per ſimpliciter inſalubria intelligimus quæ ab ortu naturę peſſimè ſana ſunt; primum ſignum iſtorum eſt, quod non reſiſtant cauſis externis, ſed facilè ſuperentur, incidantq; in ægritudinem; ſecundum ſignum eſt, quod perexiguum habeant vigorem; addit in medio amborum, ideſt inter ſalubre ſimpliciter, & inſalubre ſimpliciter mediare corpora neutra, quę exquiſitè neutra appellantur.

1 Dubitant valde Expoſitores, quid intelligat Galenus per neutra exquiſitè, & quid per illa verba (*cum latitudine quadam*) Quidam dicunt Galen. per exquiſitè neutra intelligere neutra primi ſignificati, quę ſunt verè neutra, quia ſunt per abnegationem extremorum. Prætcrea dicunt; quod illa verba cum latitudine quadam debeant intelligi neutri ſecundi & tertij ſignificati, quæ ſunt extremorũ participantia. Decepti ſunt ob imperitia Gręcę linguæ, quia in Codice Græco non habetur illud exquiſitè, ideſt ἀκριβῶς reuera neutra primi ſignificati dicuntur exquiſitè talia; quia non participant extrema, ſed in Codice Græco habetur hoc verbum ἁπλῶς, ideſt ſimpliciter, ideò intelligere debemus neutrum ſimpliciter ad differentiam neutrius vt multum, & vt nunc, quæ deinde ſunt cum latitudine quadam, quatenus ſemper inclinant magis in alterum extremorum, & ſunt neutra ſecundi ſignificati.

Notandum tamen in tex. antiquo, quẽ habuit Laurentian. eſſe particulam ἀκριβῶς, ſed in tex. quem expoſuit Leonicenus, qui exiſtimatur magis fidelis, & magis conſentiens antiquiſſimis Codicibus non inueniri ἀκριβῶς, ſed ἁπλῶς.

2 Dubitatio, ex Galeno in tex. habetur, ſaluberrimum maximè omniũ reſiſtere cauſis excitantibus ægritudines, quod nõ videtur; quia experientia patet, corpus frigidum magis reſiſtere aeri æſtiuo, quã temperatiſſimum, quod eſt in medio, & corpus cholericum magis reſiſtere aeri frigido, quam temperatiſſimum; quia quod eſt in medio maiorem habet affinitatem cum extremis.

Reſpondetur, quod aliud eſt facilius alterari, vel refrigerari, & calefieri, & aliud facilius ægrotare; concedimus nos quod quę in medio ſunt inter calidum, & frigidum, citius calefiant, vel refrigerentur; negamus tamen quod facilius ægrotent, immo dicimus, corpus frigidum refertum pituita, à calore externo ita agitari, vt nullo modo reſiſtat, ſed putrefiat, & facilius in febres incidat, quam temperatiſſimum, ſed in ſequenti quęſtione clarius hęc patebunt.

QVÆST. XXV.

An corpus ſaluberrimum magis reſiſtat cauſis morbificis, quam corpora intemperata contraria.

PLuſquamcommentator ſuſtinens, corpus frigidum reſiſtere magis calori præter naturam, quã corpus temperatiſſimum explicat ſententiam Gal. dicentis, ſaluberrimum corpus magis reſiſtere, quam alia corpora, intelligi vt plurimum, & non ſemper.

Reijcitur hæc opinio ab Expoſitoribus & meritò; quia Galenus nos docet, corpora ſalubria, & inſalubria diſtingui per maiorem, vel minorem reſiſtentiam; quare ſi hæc doctrina non fuerit ſemper vera, erit uaniſſima; à qualibet enim arte, & doctrina, quæ non ſunt de omni, & ſemper vera debent explodi. Præterea ex Ariſtot. in prædicamento qualitatis, de ratione ſalubris eſt potenter reſiſtere, & quanto magis, vel minus reſiſtit tanto magis vel minus ſalubre vocabitur: ſimiliter Galenus lib. de optima conſtitutione capite 3. habet, eſſe proprium corporis bene conſtituti reſiſtere cauſis morbificis malè verò conſtituti parum, vel nihil reſiſtere, & ſuccumbere, quid clarius in Galeno?

Videns Pluſquamcommentator, quod propria opinio aduerſetur Galeno, & experientiæ quia ſaluberrimum ſeu temperatiſſimum corpus magis reſiſtit calori, quam frigidum; aliam propoſuit diſtinctionem, dicens, ſi corpus frigidum facilius patitur à calido extrinſeco, id non contingere ratione temperamenti; quia temperatiſſimum eſt proximius calori, quam corpus phlegmaticum, & frigidum; ſed ratione vigoris propriarum operationum.

Hæc ſecunda reſponſio, quamvis prima facie uideatur uerior, eſt tamen deterior priori; quia ſupponit quoddam omninò falſum, robur ſcilicet operationum poſſe ſeparari ab ipſo temperamento; ſuperius enim cum Gal. probatum eſt, omnes actiones originaliter pendere à temperatura, vt à præcipua cauſa; quæ dum mutatur ſtatim robur quoque mutatur: immò dicimus implicari contradictionẽ, dum dicitur temperamentum pati, & robur eodem modo conſeruari: dicendum igitur eſt, corpus ſaluberrimum, & ratione roboris, & ratione temperamenti ſemper magis reſiſtere cauſis efficientibus ægritudines, quam reſiſtant corpora intemperata ſuis contrarijs.

1 Dubitatio, ſi eſſet verum, quod corpus temperatiſſimum magis reſiſteret cauſis morbificis, quã cętera corpora intemperata, ſequeretur, quod tractatus de corporibus præparatis ad febrem propoſitus ab Auicenna in 1. lib. & Gal. 8. meth. 8. & alibi eſſet uaniſſimus; quia in ipſo concluditur, corpora tẽperata eſſe magis ad febrem parata, quam corpora frigida, humida, & frigida, & ſicca, quæ ſunt intemperata. Præterea 1. epid. comm. 2. tex. 7. ait Galenus, in conſtitutione calida magis reſiſtere corpora frigida, quam temperata; ergo temperatiſſimum non magis reſiſtet, quam contraria intemperata.

Reſpondetur huic inſtantiæ, ſemper eſſe verum, temperata, & ſaluberrima corpora magis reſiſtere cauſis morbificis; quando verò additur, corpora frigida magis reſiſtere conſtitutioni, & calidæ, & alijs cauſis diſponentibus corpora ad calorem febrilem.

Reſpondemus, conſtitutionem calidã reſpectu corporum frigidorum non eſſe cauſam morbificam, & inſalubrem; ſed ſaluberrimam: Similiter dicimus, cauſas diſponentes corpora temperata ad febrem eſſe præter naturam reſpectu corporis temperati, quod eſt calidum, & humidum; reſpectu verò corporis frigidi eſſe cauſam iuuantem, & reducentem corpus frigidum ad temperatum; quare inſtantiæ propoſitæ ſunt de causis iuuãtibus, & non reſiſtentibus; ſemper enim erit uerum corpus temperatiſſimum magis reſiſtere cauſis morbificis, quam corpora intemperata.

Demum reſpondemus, calorẽ excitantem febrem in corpore frigido non eſſe cauſam morbificã, nec reſiſtere. Sed eſſe cauſam iuuantem ſalubrem, & reducentem corpus frigidum ad temperaturam moderatam, quod probatur per Hippocratem, Platonem, & per ipſam practicã. Per Hippoc. 2. aphor. 26. vbi dicit, febri-

lem calorem paralyticos attonitos, & conuulſos ſanare. Confirmat Galen. in comm. & 7. aph. 54. vbi dicit febrem tollere dolorem hepatis cauſatum à cauſa frigida. Per Platonem in Timęo dicentem calorem febrilem ſanare affectum frigidum: per ipſam practicam quia calor ęſtiuus iuuat ſenes frigidos: memoriam leſam à frigida cauſa meliſſa contuſſa macerata in maluatico iuuat. In paraliſi & in hiſtericis paſſionibus à frigida cauſa iuuant oleum iuniperi, & mitridatica confectio; ergo calida in cauſa frigida iuuant, & frigiditas non reſiſtit.

2 Dubitatio non videtur, quod corpora ſaluberrima, & robuſta magis reſiſtant, quam intemperata, & minus robuſta; quia Hippocrates loquendo de ſenibus, qui numerantur inter corpora neutra nunc ſecundi ſignificati quæ ſunt minus robuſta, quam ſint ſalubre ſemper, & ſalubre vt multum, dicit his minus ægrotare, vt docet aphor. 39. ſecundæ ſectionis, *magnam partem ſenes iuuenibus minus ægrotant*; ecce ſi ſenes minus ægrotant iuuenibus; ergo ſequetur, quod ſenes magis reſiſtent quam iuuenes, qui habent maius robur operationum; quare malè Gal. in tex. facit, dum colligit, maiorem vel minorem reſiſtentiam ex maiori, vel minori robore.

Reſpondetur, quod minus reſiſtunt ſenes; cauſa verò cur minus ægrotent, quā iuuenes eſt, quia iuuenes incurrunt in errores victus inſignes, & nunquam timent; cauſa verò diutinę ſanitatis ſenum eſt perpetuus timor ęgritudinum; quod verò ſenes minus reſiſtant, nos docet Hippocrates in dicto aphoriſmo, vbi addit, *ſemel tamen ſenes diutinis morbis correpti ferè vnà moriuntur*; cauſa eſt, quia non reſiſtunt; iuuenes enim liberantur à morbis pernicioſiſſimis ob robur quo externis cauſis reſiſtunt.

3 Dubitatio non videtur, quod corpora temperatiſſima, quę ſunt in medio reſpectu extremorum magis reſiſtant, quam intemperata; quia homo reſpectu omniū animantium ſecūdum opinionem Galeni, & omnium philoſophorum eſt in medio exquiſitè, tamen eſt omnibus brutis paſſibilior, & ſic facilius ægrotat; quare non videtur, quod animalia, eo quia ſint in medio, habeant hanc prerogatiuam, vt magis reſiſtant, & minus ægrotent alijs.

Reſpondetur, hominem magis ęgrotare brutis per accidens, ideſt ob victus diuerſitatem, & coitus continuum vſum, quæ brutis non conueniunt. Præterea argumentum non concludit; quia quæſtio eſt, quodnam corpus magis reſiſtat; quare non valet conſequentia, facilius ægrotat, ergo minus reſiſtit; valet tamen hæc; homo diutius uiuit, quam bruta, ergo magis reſiſtit; certum eſt, hominem eſſe longioris uitæ cæteris animantibus; pauca enim & forſitan nulla hominum ætatem ſuperant.

4 Dubitatio Ariſt. 5. ſectione probl. 22. quærit, cur temperata in morbum ſæpius incidant, & facilius ſanentur. Reſpondet, quia, quod eſt æquabile id compatibilius eſſe; immodicum uerò contra, quia rem communem non habet cum partibus, ideò minus ægrotat; ſed difficilius ſanatur; ecce quod Ariſt. uult, temperata facilius ægrotare, & per conſequens minus reſiſtere, quam intemperata.

Reſpondet Cōciliator in explicatione illius problematis, tēperata minus ęgrotare, ſi debito utantur regimine; nec uidet, quod ex Gal. corpora, quæ ſunt ſaluberrima ſemper magis reſiſtant extrinſecis erroribus, quam cætera corpora; cui dubium, ſi ſaluberrimū peſſimo regimine uteretur, & corpus inſalubre optimo regimine, quod inſalubre magis reſiſtet ægritudinibus; quando enim Galen. ait, ſaluberrimum magis reſiſtere, ſupponit magis reſiſtere, dum ſe æquè exponit erroribus & malo regimini, & non intelligit de ſaluberrimo quod conſeruatur in phiala bene obturata, ſed cōſiderat corpora data paritate mali regiminis, hocq; modo intelligitur, ſaluberrima corpora magis reſiſtere, quam immoderata; quare expoſitio Conciliatoris eſt ridicula.

Gentilis q. 13. dat duas expoſitiones. Prima eſt, quod Ariſt. non intelligat de corporibus ſaluberrimis, de quibus Gal. hic loquitur; ſed de corporibus delicatis, quæ ſemper immoderantiam caloris, frigoris, uel ciborum, uel potuum effugiunt; dicit, hos ab Ariſt. uocari commenſuratos & temperatos; immoderatos uerò intelligi, qui his contrarij ſunt, qui ſcilicet indi-

indiferenter ſine ordine uiuunt; de iſtis ait, quod magis reſiſtant; illis enim temperatis, ſi frigus capiti, uel pedibus aduenit, ſtatim toti corpori communicatur, & mox ęgrotant, quamuis cito ſanentur; immoderati uerò omnibuſq; aſſueti non ita facilè patiuntur.

Secunda expoſitio Gentilis eſt, quod problema intelligatur de corpore ſaluberrimo, ſed non de primo inſultu ægritudinis; ſed de conſenſu, poſtquam corpus incidit in morbum; dicit enim tunc facilè ſentire, & minus reſiſtere.

Reijciuntur ambæ expoſitiones; prima, quia Ariſt. loquitur de temperatis, & non de corporib. delicatis; ſecunda quia Auerroes loquitur de primo inſultu ęgritudinis, quærit enim cur temperata in morbum ſæpius incidant; ecce quod neque ſecunda expoſitio Gentilis conſonat verbis Ariſtotelis.

Curtius interpretatur, Ariſtotelem intelligere per temperata, & commenſurata corpora, ea quæ ſunt in medio, vt in puncto, quæ ſemper recedunt à puncto illo temperatiſſimo; quæ expoſitio mihi uidetur eadem cum prima Gentilis; neq; mihi probatur; quia hæc corpora adeo temperata uel non dantur, uel ſi dantur ictu oculi durant; Ariſt. loquitur de corporibus, quæ vbiq; ſic temperata reperiri poſſunt.

Nos autem reſpondemus, temperatiſſima magis alterari, quam intemperata; negamus tamen quod non magis reſiſtant; exempli cauſa, corpora pituitoſa, quæ ſunt frigida, minus patiuntur in ardore æſtiuo, quam corpora temperata, quæ ſunt viciniora puncto illi medio; non valet tamen, ergo magis reſiſtunt; cauſa verò, cur frigida minus patiantur in aere æſtiuo, eſt, quia ille calor eſt cauſa iuuans, & remedium corpori frigido; quare ſi comparauerimus corpora temperatiſſima cum intemperatis in ſuo genere dicimus quod data paritate ſemper inueniemus temperata magis reſiſtere; Hinc quando Ariſt. inquit, temperata facilius ſanari, oſtendit etiam magis reſiſtere quam intemperata: quare non valet, corpora magis alterantur, ergo minus reſiſtunt; valet tamen, facilius ſanantur, ergo magis reſiſtunt; cauſa verò, cur temperata facilius alterentur, eſt, quia habent plura contraria, quam intemperata, intemperatorumque contraria eſse remedia iuuantia, quod dici non poteſt de corpore temperatiſsimo.

5 Dubitatio exoritur, quia non videtur quod operationes temperatiſſimi ſint perfectiores: Ariſtot. enim 5. de generat. animal. dicit, homines non ita procul olfacere, vt canes: & Auerroes 2. de anima ait, vultures olfeciſſe cadauera occiſa in bello Troiano vltra quingenta miliaria, ergo perfectiſſimę operationes non ſunt ſaluberrimi, quia canes & vultures non ſunt ſaluberrimi, vt homines.

Reſpondet Hugo Senenſis, operationes ſaluberrimi corporis collectiuè eſſe perfectiores, ſed non diſiunctiuè, ideſt ſingula ab alijs ſeparata.

Secundò reſpondetur, dubium non reſpondere quæſito, quod eſt, an ſaluberrimum magis reſiſtat, & non an in aliqua operatione non pertinente ad reſiſtentiam excedat.

OCTAVI CAPITIS
Particula VI.

Tex. 7. *Quo fit vt tota ſanitatis latitudo in tres partes, quarum ſingula latitudinem habent non paruam, diuidatur. Erit autem prima quidem ſalubrium corporum, ſecunda neutrorum, tertia inſalubrium. Poſt quæ deinceps ſequuntur quæ iam ægrotant corpora, quæ ſenſibilibus operationum læſionibus diſtinguuntur.*

Galenus per duo ſigna nos docuit diſtinctionem corporum: primum ſignum deſumpſit à vigore, qui obſeruatur in operationibus: ſecundum à reſiſtentia, quæ infertur contra cauſas morbificas: ita vt corpus ſaluberrimum quam maximum habeat vigorem in operationibus vitalibus, naturalibus, & animalibus; & quam maximè reſiſtat morbificis cauſis. Poſt ſaluberrimum ſequitur corpus ſalubre vt multum, quod non ita exactè reſiſtit, neque in operationibus eſt ita validum: ſequuntur deinde corpora ſimpliciter neutra, quia neutra vt nunc, nec inſalubria nunc non ponuntur in latitudine ſanitatis, vt perperam putauit Argen-

terius. Demum ſunt corpora inſalubria, quæ licet ſint in latitudine ſanitatis, minimè omnium tamen reſiſtunt, & vigent in operationibus.

In hoc tex. Galenus duo facit, primo colligit totam latitudinem ſanitatis dicens, primam, & maiorem latitudinem eſſe ſalubrium; deindè neutrorum, & demum inſalubrium. In ſecunda particula inquit poſt latitudinem ſanitatis ſequi latitudinem morborum, quæ latitudo diſtinguitur à ſanitate per ſenſibilem leſionem operationum: ita vt talis ſit ordo: in primo gradu ſanitatis eſt ſalubre, vt ſemper, in ſecundo ſalubre vt multum, in tertio neutra vt multum vergentia ad ſalubre; in quarto neutra ſimpliciter, quæ omnia ſunt verè in medio, ſint primi, ſecundi, vel tertij ſignificati; in quinto ſunt neutra vt multum vergentia ad inſalubria; in ſexto inſalubria vt multum; in ſeptimo & infimo gradu ſanitatis eſt inſalubre ſimpliciter ſemper.

1 Dubitatio non videtur, quod Galenus rectè faciat, dum ponit corpora ſalubria in latitudine ſanitatis, nulla facta ſalubrium diſtinctione: quia corpora ſalubria ſemper ſunt in medio, tamquam in puncto, & nullam habent latitudinem: ergo.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Galenum ſub nomine ſalubrium corporum non intelligere corpora ſalubria vt ſemper, quia hæc (ait) ſunt punctualia, & nullam habent latitudinem. Quæ reſponſio eſt omninò vana, quia Galenus ſub nomine ſalubrium non intelligit ſolum corpora ſalubria vt multum, vt dicit Pluſquamcommentator, ſed etiam corpora ſalubria vt ſemper, quæ nullo modo ſunt punctualia: illa enim quæ ſunt punctualia non pertinent ad ſenſatum philoſophum, qualis eſt medicus: quod verò Galenus ſub nomine ſalubrium intelligat quoque ſalubria ſemper cum latitudine, patet, quia in hac parte artis medicinalis agit, quomodo cognoſcantur hæc corpora: & in vltima parte quomodo poſſint præſeruari: quare ex Galeno corpora ſalubria vt ſemper ſunt ſenſibus nota, ſuntque diuiſibilia, & non punctualia, vt Argenterius, & Pluſquamcommentator arbitrati ſunt.

Præterea quod Galenus loquatur de corpore ſaluberrimo cum latitudine, & non de illo punctuali, patet ex duobus ſignis traditis, alterum dum ait, dignoſci hoc corpus eſſe ſalubre ſemper, dum maximè omnium reſiſtit; alterum dum habet vigorem maximum in operationibus: ſed ſic eſt, quod corpus ſaluberrimum punctuale non permanet in puncto, ſed fluit & refluit, ergo non vt punctuale reſiſtet cauſis morbificis: de ratione enim corporis reſiſtentis eſt permanentia: ſi non reſiſtet, non permanebit; quare de illo non loquitur Galenus.

2 Dubitatio ex Galeno, & ex omnium expoſitorum conſenſu ſalubre nunc eſt in latitudine ſanitatis; quare Galenus debebat poſt ſalubre ſemper, & ſalubre vt mutum ponere in latitudine ſanitatis ſalubre vt nunc, quod cum non fecerit, videtur diminutus.

Reſpondetur, ſalubria nunc habere ſanitatem, ſed diminutã: in latitudine vero ſanitatis non fuiſſe collocata, quia cõfunduntur cum neutris ſimpliciter, vel cum inſalubribus ſimpliciter: omne enim corpus, quod eſt ſalubre nunc eſt etiam uel inſalubre ſimpliciter, uel neutrum ſimpliciter: hæc eſt cauſa, cur Galenus de ſalubri nunc, ut de re ſeparata, nil dixerit.

3 Dubitatio exoritur ex dictis, quia enumeratis corporib. exiſtentibus in latitudine ſanitatis, ait Galenus, deinceps ſequi corpora ęgrotantium, quod uidetur falſum; quia ſequuntur corpora conualeſcentiæ, & decidentia, quæ mediãt inter actu ſana, & actu ęgra: debebat igitur poſt declarationẽ corporum inſalubriũ ſimpliciter ut ſemper ſtatim, antequã de corporibus ægrorũ ageret, de corpore conualeſcentiæ, & decidentiæ uerba facere.

Reſpondetur, corpora conualeſcentiæ, & decidentiæ adhuc contineri in ſanitatis latitudine, quia ſunt neutra nunc ſecundi, uel tertij ſignificati: quæ corpora ut probauimus participant extrema, quare non erat opus in doctrina definitiua, quæ eſt breuiſſima, iterum repetere de neutris nunc, cum adhuc ſanitatis latitudinem participent.

4 Dubitatio non apparet, quod neutra conualeſcentiæ, & decidẽtiæ ſint in latitudine ſanitatis, ſed uidetur eſſe corpora actu ægrotantia: quia Galenus 5. de ſanitate

tate tuenda capite quarto dicit, conualeſcentiam,& ſenectuté eſſe morbos quoſdam, uel ſanitates quaſdam lubricas, vel medias quaſdam diſpoſitiones inter ſanitatem,& morbum,& lib.ad Thraſyb. capite 30.ait,artem,quæ uerſatur circa hæc corpora, eſſe ambiguæ naturæ, ſcilicet modo præſeruatricem,modo curatricem quare hæc corpora omnino videntur eſſe extra latitudinem ſanitatis.

Reſpondetur,corpora conualeſcentię, & decidentiæ re vera eſſe in latitudine ſanitatis,habere tamen (vt docet Galen.) ſanitaten lubricam; dum uerò dicit, eſſe in media diſpoſitione inter ſanitatem, & morbum,tunc per ſanitatem intelligeret illam perfectiſſimã,& omnibus numeris abſolutam, quæ conuenit corporibus ſalubribus ut ſemper, & non ſanitatem in ſua maxima latitudine, in qua credimus etiam contineri corpora conualeſcétiæ, ſenes,pueros,& corpora decidentiæ.

Corpora igitur,quæ faciunt prædictas latitudines,ſunt quatuor,ſalubria ſcilicet, neutra,inſalubria,& ægrotantia; audias, quomodo ad horum ſimilitudinem Ariſtoteles 2. Cæli tex.60.& 61.ex Simplicio comm.41. & 42. oſtendat, dari quatuor ordines perfectionum vniuerſi, dicens primum ordinem perfectionis deſumi à Mundo optimo, & immobili, qui eſt ſupra primum mobile, quem dicunt philoſophi, reſpondere corpori ſaluberrimo, quod ſine alio motu, uel labore habet in ſe perfectã ſanitatem ab ortu naturæ acquiſitam: ſecundum ordinem conuenire cælo ſtellato,quod ex Ariſtot.eſt primum mobile, quodque vt conſeruetur,indiget virtute ſuperioris: hoc corpus aiunt proportionari corpori neutri, quod ex ſe nõ eſt ſufficiens, ut ſanum conſeruetur, ſed indigere aliquo regimine; tertium ordinem, aiunt conuenire planetis, qui proportionantur corpori inſalubri, quod ſimiliter motibus errabundis eget, ut conſeruetur; quartum conuenire ſublunaribus,quæ proportionantur corporibus ægrotantium,quæ perpetua, & errabunda agitatione turbantur,& nunquam quietem conſequuntur. Auerroes comm.66. in eodem loco adhuc alios quatuor ordines refert; ſed cum hæc non ualdè conferant ad medicum,ea lubens omitto.

OCTAVI CAPITIS

Particula VII.

Tex. 8. *Quæ igitur dolore infeſtantur, & quorum motus ſunt vitioſi, aut omninò interierunt, manifeſtas habent determinationes. Quæ verò imbecilles edunt operationes, in magnis quidem diſtantijs facilè diſcernuntur, in paruis verò ambigua ſunt: atq; idcircò in eo genere noxa collocatur, quæ neutrius contrariorum participat diſpoſitio, quam, & ipſam neutra diximus appellari, ita tamen, vt horum omnium ſenſus ſit iudex,non ipſa natura rerum inſpiciatur,ne periculum ſit in dogma perpetuæ paſſibilitatis incidere.*

TExtus iſte eſt admodum difficilis; Hinc Expoſitores non ſunt concordes: Pluſquamcommentator textum hunc cum ſuperiori ſic connectit; dicit, Galenum ſuperius declaraſſe latitudinem ſanitatis habere tres partes, uidelicet partem ſalubrem, inſalubrem, & neutram: poſt ſanitatis latitudinem dixit, ſequi corpora ægrotantium, quæ diſtinguuntur à corporibus exiſtentibus in latitudine ſanitatis per læſionem ſenſibilem operationum; ait igitur,quod intentio Galeni in hoc text. ſi declarare, quænam ſint iſtæ ſenſibiles leſiones operationum,quibus non ſolum poſſint diſtingui ægra à ſanis,ſed ſana inter ſe;dicitque Galenum aſſerere ſana ab ægris diſtingui per actiones deprauatas,& abolitas; minus ſana verò à magis ſanis per actiones diminutas; corpora enim inſalubria quamuis ſana ſint, habent tamen actiones imbecilles,& diminutas.

Hæc expoſitio in hoc reluctatur Galeno,quia lib.de ſymptomatum differentijs cap.3.& in fine cap.80. huius,ait in morbis non ſolum conſiderari actionem deprauatam, & abolitam, verum etiam diminutam, ex actione læſa, ut ait locis citatis,tria oriuntur ſymptomata,actio deprauata, diminuta,& abolita; quare etiã corpora ægrorum diſtinguentur à ſanis per actiones diminutas.

Argenterius dicit, Galenum ſuperius nullam feciſſe differétiam inter corpora inſalubria nũc,& neutra nũc; immo hæc

corpo-

corpora vocaſſe ęgra:ideò in hoc tex.cenſet,Gal.ponere differentiam inter corpora inſalubria nunc, & neutra nunc: ait igitur Gal.quando adeſt dolor, vel actiones vitiatæ ſeu deprauatæ,& oblitæ,tunc eſſe corpus inſalubre nunc, ideſt morboſum;quando verò actio eſt aliquantulum diminuta, eſſe neutrum nunc, quod non eſt particeps extremorum, ſed re vera eſt neutrum nunc primi ſignificati.

Expoſitio Argenterij non poteſt defendi ob hanc potiſſimam rationem; quia in tex.ſequenti Gal. dicet, ſe egiſſe de ſignis corporum exiſtentium in latitudine ſanitatis: quomodo ergo in hoc tex.tractabit de diſtinctione corporum ægrorum, & corporum neutrorum nunc?

Nos credimus, Pluſquamcommentat. rectius interpretari,dum ait,Galen. velle declarare in hoc text. quęnam ſint iſtæ ſenſibiles lęſiones operationum, quibus ægra à ſanis,&ſana inter ſe diſtingui poſſint: ſana enim diſtinguuntur ab ægris non per actiones abolitas, & deprauatas ſolummodo, vt dicit Pluſquamcommentator, ſed etiam per diminutas in magnis diſtantijs, ideſt dum ſunt operationes ita diminutę, vt earum lęſiones ſint ſenſibiles ſitq; aliqua mala cõſtitutio vel aliquis morbus: quia dum operatio eſt valdè diminuta, nulla exiſtente mala conſtitutione, tunc diminutio pertinet ad corpora inſalubria, & non ad morboſa: operatio enim diminuta, quæ etiam non ſupponit morbum habet magnam latitudinem:poteſt enim conuenire,ſi fuerit in parua diſtantia,corpori ſalubri vt multum;in maiori diſtantia neutris,& deinde inſalubribus vt multum;in maxima verò diſtantia conueniet corporibus inſalubribus ſemper, in quibus actio eſt maximè diminuta,ſed ſine morbo præſenti, ſi verò cum maxima diminutione fuerit coniuncta læſio ſenſibilis,tunc ſeparãtur corpora ęgrotantium à corporibus permanentibus in latitudine ſanitatis.

Quod verò operationes, ſeu actiones diminutæ vitales,ſcilicet naturales,vel animales poſſint conuenire corporibus exiſtentibus in latitudine ſanitatis teſtatur Galenus multis in locis, primo de ſanitate tuenda c.5. 7.meth. c.11. & ſecundo de temperamentis capite quarto, attamen ſunt diminutæ nulla exiſtente ægritudine.

1 Dubitatio exoritur,quia videtur,quod Gal.deficiat;quoniam inter ſenſibiles læſiones operationum enumerat ſolum actiones deprauatas,&ablatas,de diminutis actionibus pertinentibus ad corpora ægrorum ne verbum quidem facit, patet quod ita ſit,quia dum dicit,quæ edunt operationes imbecillas in paruis diſtantijs edere actionem diminutam pertinentem ad corpora neutra: ergo dum dicit, quæ edunt operationes imbecillas in magnis diſtantijs, intelliget de actionibus diminutis competentibus corporibus inſalubrib. ergo omiſit operationes diminutas pertinentes ad corpora ægrorum.

Sclanus reſpondet,per motus vitioſos, & deprauatos non intelligere ſolum deprauatos, verum etiam diminutos. Quæ reſponſio eſt nimis violenta, quia numquam Gal.per deprauatas actiones intellexit diminutas: quamuis ſub actionibus, quæ malè fiunt contineantur etiam illæ, quæ diminutè fiunt.

Reſpondemus nos imbecilles vel diminutas actiones in magnis diſtãtijs dupliciter conſiderari, vel cum conſtitutione præter naturam, vel ſine, vel dicimus diminutas actiones conſiderari cum læſione ſenſibili, vel non: in hoc loco Gal. intelligit vtroque modo:valde enim conuenit, vt in doctrina definitiua in vnico verbo multiplex ſenſus ſit, & pręcipuè quando eius multiplicitas eſt lectori conſpicua: ſi igitur intelligatur imbecillitas in magnis diſtantijs cum conſtitutione præter naturam,ſic declarantur diminutæ læſiones ſenſibiles operationum competentium ęgris corporibus; ſi intelligatur imbecillitas in magnis diſtantijs ſine conſtitutione præter naturam, intelligemus diminutam operationem competẽtem corporibus inſalubribus exiſtentibus tamen in latitudine ſanitatis.Imo dantur etiam actiones deprauatæ in ſanis cum minori diſtantia, ſicuti lactis corruptellæ in infantibus.

2 Dubitatio:dicit Galenus in tex.operationes imbecilles in paruis diſtantijs conuenire ſolum corporibus neutris; quod videtur falſum, quia etiam in corporibus ſalubribus vt multum inuenitur aliqua ope-

operatio imbecillis in parua diſtantia, ideſt quę ſit parum imbecillis.

Solutio petenda eſt à Codice Græco, quia vbi dicit Gal. in magnis diſtantijs in tex. habetur ἐν μεγίσταις, hoc eſt in maximis, & non in magnis; vbi verò dicit in paruis diſtantijs legitur κατὰ μικροτέρας, ideſt ſecundum minores, quaſi dicat Galen. operationes imbecilles in maximis diſtantijs conueniunt nulla exiſtente læſione ſenſibili operationum corporibus inſalubribus, ſi verò operationes imbecilles fuerint in minoribus diſtantijs, quam illæ, quæ ſunt in maximis conuenient corporibus neutris, & non ſalubribus, vt multum, quia imbecillitas in corpore ſalubri eſt omnino parua, conueniet igitur hæc operatio imbecillior in minori diſtantia, quam illa maxima corporibus neutris, & non ſalubribus.

3 Dubitatio: dicit Galenus in tex. hanc operationem imbecillem in minori diſtantia cōuenire corporibus neutris primi ſignificati: quia de illo neutro loquitur, quod neutrius contrariorū eſt particeps, quod videtur falſum, quoniam inter ſalubria, & inſalubria mediant omnia neutra, & nō magis ea, quæ ſunt primi ſignificati, quam ea quæ ſunt 2. vel tertij.

Soluitur, quia neutra ſecundi, & tertij ſignificati ſemper participant extrema, vel ex æquo, vel magis de vno in vno, vel diuerſis temporibus, quare ſequuntur conditionem ſalubrium, vel inſalubrium corporum, ſi fuerint participantia inſalubrium habebūt imbecillitatem operationum ſimilem inſalubribus, ſi participabūt ſalubria, operationes erunt ſimiles ſalubribus; quare Galenus non poterat hanc minorem diſtantiam alijs corporibus applicare, quam neutris primi ſignificati, quæ ſunt per negationem extremorum, & quæ non ſapiunt magis naturam ſalubrium, quam inſalubrium.

4 Dubitatio; videtur quod dolor non ſit ſymptoma in actione læſa; quoniam ex Galeno libro de ſymptomatum differentijs cap. 3. & in hoc libro tria tantum ſunt ſymptomata in actione lęſa, ſcilicet actio diminuta, ablata, & deprauata: ſed ſic eſt, quod dolor (Sicut omnes conueniunt) nō eſt actio diminuta, neque ablata; ergo, per verba Galeni text. non erit quoque deprauata; dicit enim in text. quæ dolore infeſtantur, & deinde addit, & quorum motus ſunt vitioſi, & deprauati; ergo dolor eſt quid aliud à motu vel actione deprauata.

Reſpondetur dolorem pro genere habere motum deprauatum: Galenus accipit dolorem vt ſignum notiſſimum, quo corpora ægra à ſanis diſtinguuntur, deinde diſtinctius nominat tria ſymptomata actionum læſarum generica, quę amplectuntur omnes læſiones actionum, quæ ſunt deprauatæ, abolitæ, & diminutę; errant igitur, qui putant dolorem non contineri ſub actionibus læſis deprauatis.

Quod verò dolor ſit actio deprauata, patet ex argumento ex ſufficiēti enumeratione affectuum præter naturam dicēdo, dolor non eſt morbus, quia eſt in fieri, ergo ſymptoma, non eſt exiens, vel retentum immodicè, nec qualitas mutata, ergo actio læſa; non naturalis, vel vitalis, quia ſenſus triſtis pertinet ad animalem, erit igitur actio læſa animalis, ſed non diminuta vel ablata, quia ſenſus excedit, ergo deprauata; ſi verò vlterius volueris diuidere inuenies ad quam facultatem animalem pertineat; quia dices, non eſt actio animalis princeps, vt diſcurſus, memoria, vel imaginatio, nō actio motiua, ſed ſenſitiua pertinens ad ſenſum tactus; quare definies dolorem, eſſe actionem deprauatam ſenſus tactus; ecce quomodo methodo diuiſiua à ſupremis vſque ad infima deſcendendo facilè inuenies differentias ſpecificas, neq; in hac arte diuiſiua committitur petitio principij, quia omnia membra, quæ excluduntur, nulla egent probatione, cum ſint omnibus cōſpicua. Cęterum quia ſunt nonnulli, inter quos eſt Argenterius, qui negant, dolorem eſſe actionem deprauatam, nos in tertia part. libri contra illos diſputabimus.

5 Dubitatio, Gal. in fine tex. inquit, ſenſum eſſe iudicem, & non naturam, an imbecillitas operationum ſit in magnis diſtantijs, vel in paruis, ideſt an operationes ſint valdè imbecilles, vel parum; quia vt ait Galenus, ſi inſpiciamus naturam tamquam iudicem, incidemus in dogma perpetuæ paſsionis, ideſt in talem ſcientiam medicinalem, qua putabimus ſemper corpora ægrotare, habereque diſpoſitio-

tionem, quę vocatur à Galeno *ἀπάθεια*, ideſt ſempiterna vel perpetua paſſibilitas, quod eſt inconueniens in medicina, quæ non ſolum tractat de ægrotantibus, verũ etiam de ſanis,&neutris;eandem ſententiam Galen.proponit 3. de temperamentis cap.4. circa medium;primo de tuenda ſanitate capite 5.in fine,& in tertia parte huius libri, vbi dicit, *niſi enim operationis læſio ſenſibilis ſanitatem ab ægritudine ſeparet, ſed qualitatem tantummodo diſpoſitionis conſpiciamus, perpetuæ paſſibilitatis dogma neceſſariò recipiemus: cum nullus ſit, qui omnes operationes optimas habeat.* Hoc Gal.conſilium videtur reluctari Ariſt. & ſibi ipſi: Ariſt. quia 2.metaph. tex.4.ait quod res ſicut ſe habent ad eſſe, ita,& ad cognoſci: quare corpora non aliter quam ſint, conſiderari debent; quãuis perpetuo alterentur. Quare ſi corpora ſint in perpetua paſſione, debet quoq; medicus hanc perpetuam paſſionem conſiderare:quia medicus non eſt ſimilis brutis animalibus,quę ſupra ſenſum non aſcendunt: debet igitur, ſi eſt artifex, & ars ſit habitus intellectus,penetrare, quæ ſenſus non penetraret.

Preterea Gal. videtur ſibi ipſi aduerſari,quia compoſuit librum, quod optimus medicus ſit philoſophus : quomodo erit philoſophus,niſi incipiat ab ijs,quę realiter inter ſe,& ſecundum naturam, differunt,ſed ſolum ab ijs quæ ſenſus iudicat? amplius primo ad Glauconem dicit, medicum naturam hominis non ſolum in vniuerſali,ſed etiam in particulari dignoſcere, ad quid ergo hic dicit, non eſſe naturam inſpiciendã,ſed ea ſolum quæ ſenſibus ſunt ſubiecta? numquid medicus non eſt naturæ miniſter?vt Hipp.& Gal. paſſim admonent: ergo non ſenſus ſolus debet eſſe index,ſed etiam intellectus,qui poteſt naturæ arcana penetrare.

Reſpondetur, medicum, quatenus eſt philoſophus, ſupponere corpora viuentia,quamuis ſaniſſima,perpetuò pati, vel ab aere,vel à cibo,vel à ſomno,vel ab omnibus cauſis non naturalibus.Negare tamen debet medicus, quamuis corpora ſint in perpetua paſsione, illa eſſe vocanda ægra,quemadmodum nonnulli Antiquorũ perperam cenſebant:ideò Gal. reiecit *ἀπάθειαν* ſeu dogma perpetuæ paſſionis, non quod corpora perpetuò non patiantur,ſed quia illi Antiqui hanc perpetuam paſſionem vocabant ęgritudinẽ, & hoc modo negabant ſalubritatem, & neutralitatem; quod eſt ridiculum; quia non vocãtur corpora ægra niſi ſit aliqua actio ſenſibiliter lęſa prodiens à mala cõſtitutione,hæcq;eſt cauſa,cur Gal.dixerit,ſenſum eſſe iudicem,&non naturam: quia læſiones ſenſibiles operationum inter obiecta ſenſuum collocantur.

OCTAVI CAPITIS

Particula VIII.

Tex.9. *Et quidem ſigna ſanorum corporum ſed quæ inſalubria, ſalubriaq; & neutra exiſtunt quantitate diſtantiæ differunt duobus inuicem contrarijs terminis à nobis ſtatutis,optima videlicet conſtitutione corporis, & nuper facta ægritudine, ac deinceps conſiderantibus vtri eorum viciniora ſunt ea, quæ ad examen corpora veniunt: Quæ enim proximiora ſunt optimæ conſtitutioni, ſalubria; quæ verò longius ab hac diſtant, atq; ad ea, quæ iam ægrotant magis accedunt, inſalubria, quæ autem inter media, atque æqualiter ab vtriſque diſtare videntur, neutra.*

Tex.10. *Optimæ igitur conſtitutionis corporis indicia explicauimus. Eorum verò quæ ab ipſa deficiunt, totidem ſunt numero genera,quæ in magis, & minus ſecari poſſunt.*

MVlti vario modo interpretantur hunc tex. & quia tot ſunt opiniones, quot ſunt expoſitores,non omnes,ſed aliquas tantum in medium prius adducemus, & deinde noſtram proponemus. Conueniunt tamen ferè omnes, Galenũ docere, quod ſigna dicantur ſalubria, inſalubria,& neutra,eo quia magis vel minus accedant ad optimam conſtitutionẽ, vel ęgritudinem, itàvt quæ magis accedunt ad optimam conſtitutionem dicantur ſalubria,quæ ad ægritudinem,inſalubria,& quæ non magis inclinant ad ægritudinem,quam ad optimam conſtitutionem,neutra; quia ſuperius de neutris dixit; neutra eſſe exquiſitè media ſaluberrimi, & inſaluberrimi.

Duæ ſunt difficultates in præſenti text.

ma-

magni momenti. Prima eſt quid intelligat Gal.per optimam conſtitutionem.Secunda quomodo neutra corpora vel ſigna verè, & exquiſitè mediant inter ægritudinem, & optimam conſtitutionē.

Argenterius vtramque difficultatem tollit hoc modo: ait, Galenum per optimam conſtitutionem intelligere corpus temperatum ad pondus,quod eſt in puncto indiuiſibili, quod non datur, niſi per ictum oculi,& in medicina conſideratur vt aliorum regula: quomodo verò neutrum ſit exquiſitè medium, ait, poſt illud temperatum corpus punctuale ſequi ſalubre ſemper, & ſalubre vt multum, & deinde neutrum, poſt neutrum ſequi inſalubre multum, & inſalubre ſemper: ita vt hoc modo neutrum ſit exquiſitè medium inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem.

Hæc expoſitio patitur maximam difficultatem: quia ſi corpus ſalubre ſemper eſſet illud temperatiſſimum, quod eſt in puncto, & eſt regula omnium: neutrum non eſſet medium inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem;quod quidem probatur tali pacto; primò, eſt corpus ſalubre vt ſemper in vno termino extremo; in alio ſit ægritudo, inter hos terminos mediant ſalubre multum, neutrum, & inſalubre multum, & inſalubre ſemper: ecce ſi per optimam conſtitutionem intelligeremus cum Argenterio ſalubre ſemper,quod eſt illud punctuale,vt regula aliorum, neutrum inter illa non eſſet medium exquiſitè.

Altimarus putat per optimam conſtitutionemGalenum intelligere ſalubre vt ſemper, ſed non illud punctuale, quod ictu oculi vix durat, ſed ſalubre vt ſemper, cuius ſigna traduntur à Galeno in hoc libro, & modus, quo conſeruari poſſit; quomodo verò neutrum ſit exquiſitè medium, ait dari præter ſalubre ſemper, & ſalubre multum,ſalubre nunc,quod ſit tale à generatione, & quod non coincidat(vt nos diximus)cum neutro,& cum inſalubri ſimpliciter; dicit igitur optimā conſtitutionem eſſe ſalubre vt ſemper: deinde ſequi ſalubre vt multum, & ſalubre vt nunc, & ſtatim ſequi neutrum, & poſt neutrum inſalubre vt multum,& inſalubre ſemper, & hoc modo neutrum obtinere medium locum inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem.

Hæc opinio reijcitur;quia in doctrina Galeni numquam inuenitur, quod ſalubre nunc,vt tale, ſit ab ortu naturæ: dicitur enim à Galeno ſalubre nunc, quod ſolum hoc tempore eſt ſanum ad differētiam ſalubris ſimpliciter; quare inſalubre ſimpliciter dicitur ſalubre nunc, quia eſt in latitudine ſanitatis, quamuis ſit malè ſanum: inſalubre verò nunc eſt, quod actu ægrotat, eſtque extra latitudinem ſanitatis.

Acachias inuenit alium modū,quo poſſit defendi neutrum obtinere medium locum inter optimam conſtitutionem,& ægritudinem,& eſt,quod differat optima conſtitutio à ſalubri ſemper, quia ſalubre ſemper dicit potentiam: optima verò cōſtitutio dicit actum illius potentiæ, quæ eſt in corpore ſalubri ſemper: & ſic inter neutrum, & optimam conſtitutionem mediant ſalubre ſemper, & ſalubre multum, & inter neutrum, & ægritudinem mediant inſalubre multum, & inſalubre ſemper.

Decipitur valdè Acachias, quia ſi corpori ſalubri ſemper conuenit potentia, poteſt etiam eidem corpori conuenire,& actus: Ariſtoteles enim libro de ſomno, & vigilia vbi probat quod ſentire conueniat corpori animato, & non animæ, ſumit pro principio indemonſtrabili hanc propoſitionem, *cuius eſt potentia eius eſt, & actus:* quare ſi potentia eſt in corpore ſalubri vt ſemper, erit etiam actus: ideò optima conſtitutio numquam erit diuerſa ab illo corpore,cuius optima conſtitutio eſt actus: quare optima conſtitutio actu talis idem erit, quod corpus ſalubre vt ſemper,non mediabit igitur corpus ſalubre vt ſemper inter optimam conſtitutionem, & ſalubre vt multum. Præterea optima ſanitas dicit actum ſecundum; corpus verò ſaluberrimum dicit actum primum: ſed primum non eſt poſt ſecundum.Deinde corporis ſaluberrimum optima ſanitas eſt paſſio ſed ſubiectum eſt prius paſſioni,ex Ariſt.n.7. metaph. ſubſtantiam eſt prior accidente.

Sclanus cenſet textum cōtinuari cum ſuperiori hoc modo;dixit Galenus in tex. ſuperiori actionum imbecillitatem in mul-

multa diſtantia eſſe ſignum corporum inſalubrium, in pauca corporum neutrorum, vt ſcilicet denotaret non ſolum corpora, ſed etiam ſigna per diſtantiam ab extremis dici ſalubria, vel inſalubria, vel neutra: quare dicit, Galenum concludere de ſignis inſalubribus, & neutris; quia loquebatur de imbecillitate actionum: confirmat ſuam opinionem, quia in Græco Codice ſic legitur, quæ verba lubens ſubnecto: quia fauebunt noſtræ opinioni, τοίνυν καὶ τὰ σημεῖα τῶν ὑγιαινόντων μὲν σωμάτων ἀλλ' ἤτοι νοσωδῶν ἢ οὐδετέρων ὑπαρχόντων τῷ ποσῷ τῆς ἀποστάσεως διοίσει, ideſt igitur, & ſigna ſanorum quidem corporum, ſed quæ inſalubria, aut neutra exiſtunt quantitate diſtantiæ differunt. Deinde verò, vt oſtenderet, neutra eſſe exquiſitè media inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem dicit quod lapſus ab optima conſtitutione ſit in triplici differentia videlicet, vel exiguus, & inſenſibilis, qui conuenit corpori ſalubri vt multum, vel eſt lapſus manifeſtus, qui conuenit corpori inſalubri, vel lapſus medius inter exiguum, & manifeſtum quem dicit conuenire neutri exquiſito.

Quæ opinio licet ſit fuſa oratione, & magno verborũ apparatu explicata, nullo modo tollit difficultatem: quia difficultas eſt, quomodo neutram ſit exquiſitè medium inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum, hactenus plura corpora mediare videntur ex ſententia quoque Sclani inter neutrum, & ægritudinem, quam inter optimam conſtitutionem, & neutrum: nonnè Sclanus fatetur inter optimam cõſtitutionem, & neutrum mediare ſolum corpus ſalubre vt multum? non ne concedit inter neutrum, & ægritudinem mediare inſalubre vt multum, & inſalubre ſimpliciter? ergo neutrum non erit exquiſitè medium: nec valet, dum dicit, non conſiderari corpora, ſed lapſus, & diſtantias ab optima conſtitutione, & ægritudine, quæ tantum ſunt, vt dicit ille, in triplici differentia, ideſt lapſus exiguus medius, & manifeſtus, quia maximè errat, ſupponit enim, quod lapſus manifeſtius ſit punctum indiuiſibile, quod non ſuſcipiat magis, & minus, quod eſt ridiculum, cui dubium, quod maior lapſus conuenit corpori inſalubri vt ſemper, quam corpori inſalubri vt multum? quare alia erit inueniẽda via, qua ſaluare poſſimus neutrum eſſe exquiſitè medium.

Nos igitur, & intentionem Galeni in hoc tex. & ſolutionem difficultatis propoſitæ afferre conabimur. Quo ad intentionem, in tex. ſuperiori dixit, ſenſum eſſe iudicem operationum læſarum imbecillium, ſcilicet in maximis, & in minoribus diſtantijs, in hoc verò tex. qui diuiditur in tres partes, Galenus in prima infert ex dictis: vt ex iiſdem verbis Græcis colligitur dum dicit, *igitur, & ſigna ſanorum quidem corporum*, quod ſigna ſanorũ corporum inſalubrium, & neutrorũ differant ab otima conſtitutione, & ægritudine quantitate diſtantię: & meritò omiſit ſigna ſalubria, quia in tex. ſuperiori agebat de operationibus imbecillibus in maxima, & in minori diſtantia, quæ conueniunt ſolum corporibus inſalubribus, & neutris: idcircò valdè miror Leonicenum, quod addiderit ſalubria, quod in verbis Græcis citatis non legitur; deindè Galenus in ſecunda parte tex. ait, non ſolum inſalubria, & neutra ſigna per diſtãtiam ab optima conſtitutione, & ægritudine conſiderari, verum etiam ſalubria; ait enim quæ ſunt proximiora optimæ conſtitutioni eſſe ſalubria: quæ verò longius ab hac diſtant, & magis accedunt ad ea, quæ actu ægrotãt, inſalubria; quę autem media ſunt, & æqualiter ab optima conſtitutione, & ab ægritudine diſtant, neutra vocari. In tertia parte colligit, ſe explicaſſe ſigna optimæ cõſtitutionis, addens corporum, quæ deficiunt ab optima conſtitutione tot eſſe genera, quot ſunt, quæ in magis, & minus ſenſibiliter diuiduntur, hæc verò ſunt tria, ſalubria, inſalubria, & neutra, quare tria ſunt illa genera, quæ ab optima conſtitutione deficiunt, cum non detur corpus ſaluberrimum ęquale ad pondus; illud enim imaginatione conſideratur, vt cæterorum omnium corporum norma; quia ab illo cętera deficiunt.

Quoad ſolutionem difficultatis, quomodo ſcilicet neutra poſſint eſſe exquiſitè media, dicimus, per optimam conſtitutionem eſſe intelligendam conſtitutionem, quæ opponitur ęgritudini vt termino contrario, eſſeque illam, quę eſt in pun-

puncto, & eſt regula cæterorum corporum ab ipſo medio recedētium: alia enim optima conſtitutio, quæ ſit verè oppoſita ægritudini non datur, niſi hæc æqualis ad pondus, & punctualis; quod quidem probatur, tum ex definitione contrarij, tum ex eo, quod vnum vni eſt contrarium, & non plura; conſtituit enim Galenus inter duo contraria totam latitudinem ſanitatis; optima verò conſtitutio punctualis eſt extra latitudinem; quia eſt in puncto; punctumque caret latitudine; ſimiliter extra latitudinem ſanitatis eſt ægritudo: optima tamen conſtitutio, quia eſt bonum, eſt quid indiuiſibile; ægritudo quia eſt malum eſt quid diuiſibile.

Quod verò ex definitione cōtrarij pateat, vnum vni eſſe contrarium, & optimam conſtitutionē eſſe cōtrariam ægritudini, & non corpus ſalubre vt ſemper & vt multum, patet ex Ariſtotele 1. de generatione tex. 51. vbi ait in vnico genere duo tantum eſſe contraria, & non plura; dulce enim aduerſatur amaro, & non medijs ſaporibus, niſi id eueniat ratione extremorum: ſimiliter albus color opponitur nigro, & non cæruleo, niſi ratione nigri; eodem modo ſi ęgritudo opponatur corpori ſalubri vt multū, vel ut ſemper opponitur ratione optimæ conſtitutionis, quæ verè opponitur ægritudini. Inſuper Ariſtotel. 10. metaph. tex. 13. dicit contrarietatem eſſe maximam differentiam eorum, quę ſunt ſub eodē genere: maxima differentia non eſt inter ſalubre ſimpliciter, & ægritudinem, ſed inter optimam conſtitutionem punctualem, quæ eſt regula omnium corporum, & ægritudinem; ſimili modo Ariſtoteles 10. metaphy. tex. 14. probat, quod vni vnum ſit contrarium: quare ſi ſalubre ſemper, & vt multum opponerētur ægritudini, ſequeretur, quod vni duo eſſent contraria; erit igitur vnum, quod opponitur ægritudini, quod non eſt in latitudine, ſed in puncto, & talis eſt optima conſtitutio punctualis; quo poſito fundamento, neutrum corpus, & neutrum ſignum erit exquiſitè medium, & æqualiter diſtans à duobus terminis extremis; quia inter optimam conſtitutionem pūctualem, & neutrum, duo mediant, videlicet ſalubre ſemper, & ſalubre vt multū: inter neutrum, & ægritudinem, ſimiliter hæc duo, inſalubre multum, & inſalubre ſemper; nec dicant, optimam conſtitutionem punctualem non dari; ideò de modo illam conſeruandi non eſſe agendum: quia etiam Ariſtoteles agit de demonſtratione potiſſima, quæ vix ab humano intellectu inueniri poteſt: ſimiliter in Rhetorica Ariſtot. conſtituit Rhetorem qui inueniri non poteſt: Auctores enim ſibi pro ſcopo ideā perfectiſſimam proponunt, inueniatur, vel non inueniatur: ſaltem ſufficit, vt pro viribus appropinquentur ad perfectiſſimum ſcopum.

OCTAVI CAPITIS Particula IX.

Tex. 11. *Cum autem in tres latitudines diuiſæ ſint, corporis inſalubris ſimpliciter indicia tredemus: ex his enim, & reliqua duæ latitudines innoteſcent. Generaliter igitur prius à nobis in eo quem de optima conſtitutione ſermonē habuimus, ſpecialiter autē nūc dicetur, ſi prius partes diuiſerimus.*

CVm explicaſſet Galenus ſigna optimæ conſtitutionis: & dixiſſet in fine tex. ſuperioris, tot eſſe genera, quæ deficiūt ab optima cōſtitutione, quot ſunt ea quæ in magis, & minus diuidun tur, quæ re vera ſunt ſalubria, inſalubria, & neutra, quatenus deficiunt ab optima illa conſtitutione, quæ eſt in puncto, & quæ eſt norma cæterorum. Nunc in prima parte huius tex. proponit agēdum de ſignis corporis inſalubris ſimpliciter, quia cognitis ſignis optimæ conſtitutionis, & corporis inſalubris ſimpliciter, inde facile percipi poterunt media, quæ ſunt inter optimam conſtitutionem, & corpus inſalubre ſimpliciter; media verò ſunt neutra, & inſalubre vt multum.

1 Dubitatio: Argenterius inuehit aduerſus Gal. in hoc loco, & dicit, ſi media cognoſcuntur cognitis extremis, ergo poſtquam Gal. docuit ſigna optimæ conſtitutionis, debebat ſtatim agere de ſignis ægritudinum, quæ re vera opponuntur optimæ conſtitutioni; quod cum non fecerit, putat, eum dignum reprehenſione.

Reſponſio eſt facilis; quia neutra, de quibus modo eſt ſermo, non ſunt media

inter optimam conſtitutionem, & ægritudinem: ſed inter optimam conſtitutionẽ,& inter inſalubre ſimpliciter,de quib. corporibus, vel ſignis intelligitur in hoc loco; tota .n. latitudo ſanitatis cõtinetur in corpore ſalubri,neutro,& inſalubri.

In ſecunda parte facta prius partium diuiſione, proponit agendum de ſignis ſimpliciter inſalubriũ particulatim, quia generatim egit in lib. de optima conſtitutione,ideſt de bono corporis habitu. In hoc loco errat valde Argenterius,qui dicit,textum eſſe corruptum, dum promittit Gal. tractaturum de ſignis ſimpliciter inſalubrium corporum, ait enim Argenterius,quod deberet legi de ſignis ſimpliciter ſalubrium. Quæ expoſitio eſt vaniſſima, quia verba Galeni ſunt clariſſima. Præterea dicit Gal. in tex. ſe egiſſe de ſignis in genere corporum inſalubrium in lib. de optima conſtitutione. Hic vero vult ſpeciatim agere de ſignis corporum inſalubrium, ſicuti re vera facit, facta prius diuiſione partium principalium.

QVÆST. XXXI.

De Latitudinibus.

TRes ſunt latitudines: prima eſt latitudo ſanitatis in habitu, quæ ſub ſe continet ſalubria, inſalubria, & neutra. Secunda eſt latitudo ſanitatis à Galeno lib.ad Thraſyb. vocata κατασχέσιν, ideſt ſecundum affectionem, quæ dicitur latitudo neutralitatis, quia mediat inter ſanitatem,& ægritudinem. Tertia eſt latitudo ægritudinis, quæ conſiſtit in corporibus inſalubribus vt nunc.

Quoad latitudinem ſanitatis in habitu: primum, & perfectiſſimum omnium principium, quod eſt norma aliorum, à cuius receſſu omnia corpora deficientia dimetimur,quod,vt dicit Gal.l.1.de temperamentis cap.4.5.6.& 9.& lib.2. eiuſdẽ cap.4. libro de optima conſtitutione cap. 3. & 2. ſalub.cap.7. eſt norma aliorum,& veluti Polycleti ſtatua,hocque eſt corpus temperatũ ad pondus quod imaginatione ſolum datur. Secundum eſt ſalubre ſemper. Tertium eſt ſalubre vt multum. In quarto loco ſequuntur tria neutra ut multum vergentia ad ſalubre. In quinto tria neutra vt ſemper trium ſignificatorũ.In ſexto tria neutra ut multũ vergentia ad inſalubre. In ſeptimo eſt inſalubre vt multum.In octauo inſalubre vt ſẽper.

De latitudine neutralitatis,quæ conſiſtit in neutris nunc,quæ pertinent,vt docet Galenus lib. ad Thraſyb. cap.7. & 30. ad ſanitatem in affectione, & non in habitu,referuntur,vt nos ſuperius probauimus, ad neutra nunc ſecundi ſignificati, & non primi,vt aliqui crediderunt. Ad hæc neutra tria corpora referuntur,ſcilicet corpora decidentia, corpora ſenum, & conualeſcentium: de his tribus corporibus Gal. libro ad Thraſyb. cap.7. & 5. de tuenda ſanitate cap.4. ait, vocari ſana ſecundum affectionem, habereq; ſanitatem lubricam, & inconſtantem.

Oſtendimus ſuperius prædicta corpora neutra ut nunc,videlicet corpora conualeſcentia,ſenes,& decidentia eſſe neutra nunc ſecundi ſignificati,& nõ primi; ratio potiſſima eſt, quia omnia participant extrema: ſed in propria quæſtione reiecimus opinionem contrariam.

Quantum attinet ad latitudinẽ ægritudinis dicimus, hanc conſiſtere in corporibus inſalubribus nunc, & ſub hac latitudine contineri omnes ægritudines.

1 Dubitatio oritur ex eo quod in latitudine ſanitatis non poſuimus ſalubre ut nũc,de quo locutus eſt Gal.ſuperius;quinimmo Argẽterius ſuſtinet, ſalubre nũc habere ſedem diſtinctam à ſalubri ſẽper, & ſalubri vt multum,vt.ſ.primo loco poni debeat ſalubre ſemper; ſecũdo loco ſalubre vt multum: & tertio ſalubre nunc.

Reſpondemus cum Manardo,& Pluſquamcommẽtatore nullo modo ſalubre nunc habere locum vel ſedem diſtinctam & ſeparatam ab alijs propoſitis: quia ſalubre nunc confunditur cum inſalubri ſimpliciter, & cum neutro ſimpliciter: quia ſalubre nunc eſt quod in præſenti eſt ſanum, quod conuenit inſalubri ſimpliciter,vel neutri ſimpliciter.

2 Dubitatio ex dictis oritur, quia videtur, quod ſalubre nunc conueniat nõ ſolum inſalubri ſimpliciter, & neutri ſimpliciter, vt diximus cum Manardo, ſed etiã ſalubri ſemper;quia quod eſt ſemper & omni tempore eſt etiam nunc: ergo.

Reſponſio ex dictis in prima parte libri

bri facilis eſt: quia per ſalubre ſemper nõ intelligimus tempotis perpetuitatem; in græco enim codice legitur diapãdos, quę particula (vt ſæpè diximus) ſignificat ſecundum totum. i. ſummum gradum ſalubritatis; quare diximus, quod poſſit ſtare ſalubre ſimpliciter ſemper cũ aliqua parua ægritudine; quia ſalubre ſignificat aptitudinem, & non actũ; poteſt igitur contingere, quod corpus ſimpliciter ſalubre diapandos leuiter vulneretur, nihilominus adhuc conſeruet ſuam ſalubritatem.

Ad argumentũ, dum dicunt, quod eſt ſemper eſt etiam in præſenti tempore, reſpondemus eſſe elenchum æquiuocationis, & quatuor terminorum; nam ſub dictione ſemper duo diuerſa intelliguntur; alterum eſt gradus ſummus ſalubritatis; alterum eſt temporis differentia. Præterea eſto, quod ſalubre ſignificet temporis differentiam, dicimus tamen argumentũ propoſitum eſſe elenchum compoſitioni, & diuiſionis; quia dum dicunt, quod eſt ſemper, eſſe etiam in præſenti tempore, uerum dicunt: dum addunt, ſed ſalubre ſemper eſſe omni tempore, ergo eſt etiam ſalubre nunc, malè cõponunt; quia ſupra appoſuerunt particulam nunc uerbo, & deinde eandem particulam apponunt ſalubri, & ſic uariatur ſenſus; quia aliud eſt eſſe nũc, & aliud eſt eſſe tale nũc.

NONVM CAPVT

De quatuor differentijs partium noſtri corporis.

Tex. 12. *Sunt verò earum quatuor vniuerſæ differentiæ: quoniam nonnullæ earũ principia exiſtunt, aliquæ verò ab ipſis originẽ habent, aliqua nec aliarum gubernationi præſunt, neque aliunde gubernantur, quũ inſitas habeant à natura potentias, à quibus reguntur: Quædam verò ſunt quæ inſitas ſimul, & aliunde emanantes habent. Principia igitur ſunt, cerebrum, cor, hepar, teſticuli. Ab illis verò ortum habent, atque eiſdem ſubminiſtrant, nerui quidem, & ſpinalis medulla cerebro: cordi verò arteriæ, hepati venæ; ipſa verò ſeminaria vaſa teſticulis. Quæ autem à ſeipſis gubernantur, ſunt, cartilago, os, copula, ſeu ligamentum, membrana, adenes, adeps, caro ſimplex: Reliquæ verò partes, cum vnà cum iſtis habeant ex ſeipſis regimen, arterijs, neruis, & venis inſuper eguerunt. Capillorum autem, atq; vnguium neque regimen vllum eſt, ſed generatio tantummodo. Hæ igitur ſunt partium differentiæ.*

SVperius Galenus agens de ſignis optimæ conſtitutionis dixit illa deſumi vel à ſubſtãtialiter inhærẽtibus, vel à neceſſario conſequentibus, vel à caſibus ideſt ſymptomatibus, quę in ſanis accidentia nocantur: deinde nos docuit, quod omnia alia ſigna, quæ deficiunt ab optima conſtitutione, deficiant uel ob læſum temperamentum, uel compoſitionẽ, uel vnitatem: ſed quia temperamentum lęditur ad lęſionem, & alterationem partium principalium noſtri corporis, ideo dixit, quod de ſignis corporis inſalubris ſimpliciter non poſſit agi, niſi præmittatur diuiſio omnium partium corporis, & declaretur, quænam ſint illæ partes præcipuæ, ad quarum alterationem totum corpus alteratur, & quomodo cognoſcãtur præcipuarum partium temperaturæ, a quibus cæterarum partium corporis tẽperamenta regulantur: His enim expoſitis facillimè deinde innoteſcent ſigna ſimpliciter inſalubria: ſimiliter cognitis duobus extremis, ideſt optima conſtitutione ſuperius declarata, & corpore inſalubri ſimpliciter, facilè quoque reliquæ duæ latitudines mediæ ideſt corpora neutra, & corpora ſalubria uel inſalubria ut multum cognoſcentur.

Diuiditur hic textus in duas præcipuas partes: in prima proponit quatuor differentias partium corporis: In ſecunda exẽplis declarat, quæ ſint hæ differentiæ.

Docet igitur Galenus, primam differentiam partium eſſe quatuor principia noſtri corporis, quæ ſunt cerebrum, cor, hepar, & teſticuli.

Secundam differentiam eſſe illarum partium, quæ habent ortum a dictis quatuor principijs, & quæ illis ſubminiſtrant dicitque neruos, & ſpinalem medullam oriri à cerebro, & cerebro ſubminiſtrari; arterias a corde, venas ab hepate; & ſeminaria uaſa à teſticulis.

Tertiam differentiam partiũ dicit, eſſe partes quaſdam, quæ à ſeipſis guber-

nantur, & has eſſe cartilaginem, os, copulam (per copulam intelligit ligamentum) membranam glandulas, adipem, & carnem ſimplicem.

Quartam vero, & vltimam differentiã partium ait eſſe quæ habent has tres cõditiones: prima vt ex ſeipſis habeãt regimen, quia à principijs illis quatuor in prima differentia poſitis nõ oriuntur; Secũda conditio, ut non ſint principia aliarũ; Tertia vt egeãt arterijs, venis, & neruis: hæ partes ſunt vterus, renes, ventriculus, pulmo, lien &c. iſtæ igitur ſunt omnes differentiæ partium humani corporis.

Excludit Gal. in fine capitis vngues, & pilos; quia non ſunt partes viuentes; habent enim vſum, & non actionem: actiones enim pertinent ad partes viuentes, vſus vero ad non viuentes; viius pilorum & vnguium eſt munimentum ſiue tutela & ornatus: deſinunt tamẽ vngues, & pili augeri, cum perueniũt ad certam magnitudinem, quia finem ſuum potiti ſunt.

Quare errat valdè Argenterius, qui cenſet, vngues, & pilos ſolum fieri ex neceſſitate materiæ, ut ſcilicet excrementa abſumantur, quod quidem eſſe non poteſt: quoniam non deſinerent augeri. Cauſa vero, cur Gal. non propoſuerit inter corporis partes vngues, pilos, humorem vitreum, aqueum, & maſſam ſanguineam, eſt, quia eius intentio eſt agere de corpore ſalubri, inſalubri, & neutro, quatenus ſunt capacia ſanitatis, vel ægritudinis; ſed ſic eſt, quod ſolum quę habent vitam ſunt huiuſmodi, ideo de vnguibus, pilis, & humoribus mentionem non fecit, quod vero ita res ſe habeat, nos docet Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſenſili circa principium vbi clariſſimè docet, vitæ expertia minimè ægrotare, aut valere, ſeu non eſſe capacia ſanitatis, vel ægritudinis.

1 Dubitatio, Gal. in hoc capite à numero partium excludit ungues, & pilos, quod videtur rationi conſonum; nihilominus primo methodi c. 5. ab illo definitur pars, quod ſit illa quæ totum integrat, qua poſita definitione, pili, & vngues totum integrant, ergo non erunt à numero partium reijciendæ.

Similiter Hippocrates 6. Epid. 8. tex. 7. diuidit corpus in tres partes, in contentas, impetum facientes, & continentes, ergo ex Hippocrate ſpiritus, & humores erunt partes, quas à numero partium in hoc loco Galenus excludit: Inſuper Ariſt. 3. de hiſtoria animalium cap. 2. vocat corporis partes ſanguinem, ſeuum, excrementa, ſtercus, pituitam, & vtramque bilem, ergo Galenus diuidens partes corporis ſolum in quatuor differentias videtur diminutus.

Reſponſio facilis erit, ſi dixerimus cũ Argenterio, qui re vera in hoc poteſt defendi, ſi in bonum ſenſum reducatur, quod corpus humanum vario modo conſiderari poſſit, quia ſi conſiderabitur vt eſt ſubſtantia, eius partes erunt duæ materia & forma; ſi vt corpus, eius partes poterunt eſſe pili, vngues, excremẽta, & humores; ſi vt uiuens, pili, vngues, & excrementa à numero partium excludentur: quia mortuis etiam conueniunt: itaque, ſi ut viuens conſiderabitur quælibet pars viuens erit pars, non uiuens uerò, vt ſeuum, ſanguis, & humores, neutiquam erunt partes; ſi uerò conſiderabitur corpus humanum non ſolum vt viuens, ſed etiam ut capax ſanitatis, & morbi, tunc ſolum illa dicetur pars, quæ habet actionem; quia morbus, & ſanitas cõſiſtunt in actione prodeunte à conſtitutione bona, uel mala, & ſic neq; humores, neque ungues, nec vlla pars actionis expers dici poterit pars corporis: & ſecundum hunc ſenſum Galen. diſtinxit corporis partes; voluitque diſpoſitionem harum partium dignoſci ex ſubſtantialiter inhærentibus, ex operationibus, & caſibus; ſolum enim partes viuentes habent operationes.

Secundum tam variam conſiderationem partium omnes Auctores, qui de parte corporis ſcripſerunt, poſſunt defendi. Auicennas fen prima primi doctrina 5. cap. 1. dicit quod pars ſit corpus ex prima permiſtione humorum genitum; pro parte ſumit particulas ſimilares, quatenus ſunt partes corporis ut corpus eſt, & ſic ungues ſunt partes.

Conciliator ſic definit partem; pars eſt corpus ſolidum, & ſpiſſum ex humiditatibus genitum naturæ uiribus inſignitum; quæ definitio conuenit ſolum partibus ſimilaribus, & non diſſimilaribus, nec viuentibus, quia etiam unguibus conuenire poteſt.

Fer-

Fernelius, & Poſteriores conſiderātes partes preſſius, uoluerunt, quod niſi pars uiuat, edatq; actionem, non mereatur inſigniri nomine partis definierunt ſic; pars eſt toti cohærēs communi vita iuncta ad functionem, & vſum comparata: ecce quod omnes Auctores uaria conſideratione rectè partem definierunt.

2 Dubitatio oritur, quia uidetur, quod hæc diuiſio partium in quatuor differentias non ſit bona; dicit enim Vegha, & Argenterius, primum membrum diuiſionis non differre à tertio; primum mēbrum eſt quod partium noſtri corporis nonnullæ ſint principia; tertium membrum eſt quod dentur aliquæ partes, quæ ex ſe, & aliunde non gubernentur, hæ igitur uidentur coincidere cum primo membro; quia quæ ex ſe ipſis gubernantur ſunt principia; ergo primum membrum idem erit cum tertio.

Solutio eſt facilis, & facilè Gal. defenditur; quia in primo membro duæ ſunt conditiones, altera, ut partes ſint principia, quia ex ſe ipſis gubernantur; altera, quod ſint aliarum partium principia, quę conditio non conuenit tertio membro.

3 Dubitatio exoritur, quia reprehenditur hæc diuiſio partium Gal. ab Argenterio; quia videtur, quod ſecundum membrum coincidat cum quarto; ſecundū eſt, quod dentur partes, quæ habeant originem a principijs; tertium eſt, quod dentur partes quæ habeant inſitas potentias, & aliunde emanantes: idem eſt dicere habere inſitas potentias emanantes aliūde, & habere originem à principijs.

Solutio eſt, quia dantur partes, quæ aliunde emanant, ſed non habent inſitas potentias; & dantur partes, quæ aliunde emanant, habent tamen inſitas potētias.

4 Dubitatio mouetur ab Argenterio, qui non rectè percipiens Gal. artificium in hac partium diuiſione dicit, Gal. eſſe inconſtantem; quia ſecundo ad Glauconem cap. 2. non diuiſit partes in quatuor differentias, vt in hoc loco; immò in lib. de totius morbi temporibus c. 7. diuidens partes corporis omiſit partes habentes potentias innatas; concludit, Gal. non ſibi conſtare, & ſummoperè erraſſe.

Soluitur, quia Galenus varia conſideratione hic, & alibi diuiſit partes corporis; lib. ad Glauconem citato conſiderauit partes, quatenus ab ipſis poſſint hauriri indicationes: ibi enim habuit hanc conſiderationem, ne partes principes in euacuatione lædantur: ſimiliter lib. de totius morbi temporibus cap. 7. Gal. volens partes diuidere vt præuideatur, vnde futura mors poſſit prænoſci, partes principes, & partes quæ ab ipſis oriuntur, & eas quibus influunt principes conſiderauit in quo ſtatu ſint: ab his enim rectum præſagium ſalutis, vel mortis colligi poterat; de his partibus verò, quæ habent innatā potentiam, & non præſunt gubernationi, cum non conferant ad præuidendum, non erat opus in illo lib. verba facere.

Quod verò partes, quæ à ſe ipſis gubernantur, non indicent viſcerum conditionem, & non poſſint prænunciare futuram ſalutem vel mortem patet per ipſam practicam. Primo patet de adenis ſeu glandulis: quia in ſtrumis auferuntur igne vel cauſtico, tamen nulla ſequitur in hepate, corde, vel cerebro alteratio, vel mutatio ad peius.

Deinde patet de adipe, qui minui poteſt inedia vel inunctione ex melle, & auri pigmento, vt nos fuimus experti, tamen viſcera æquè conſeruantur ſana.

Patet de ligamentis, quæ interdum à materia gypſea in podagra deſtruuntur ſine viſcerum mutatione.

Pręterea patet de carne ſimplici, quę aliquādo exulceratur ab ętęrna cauſa; tamen viſcera eodem modo conſeruantur.

Parimodo patet de oſſibus, dum terrebrā auferuntur, vel in vulnerib. ſeparantur nulla facta in viſceribus alteratione.

Demum patet de membranis, quæ interdum per vulnera abſcinduntur, tamen viſcera non patiuntur: ergo partes quæ à ſe ipſis habent regimem nec malam nec bonam viſcerum conditionem nec ſalutē vel mortem pręnunciare poſſunt, ideò in hoc libro de arte medicinali, cum tradat vniuerſaliſſimam diuiſionem nihil omiſit, quod ad optimam diuiſionem ſpectet.

Argenterius, qui à hoc fine edidit commentaria in artem medicinalem, vt Galeno contradiceret, ideò non eſt mirum, ſi hac contradicendi libidine obcæcatus, captioſa, & fallacia argumenta ſępiſſimè proponat.

Rudes quoque nō latet in varijs libris vario modo conſideratas res, vario quoque modo diuidi, tractari, & diſponi.

Similiter Hippocrates lib. de morbis vulgaribus in ægrotorum hiſtoria, dum tractat de ægris in gratiam criticorum dierum enarrans 42. caſus, non refert, quibus vſus fuerit medicamentis, quibus alterantibus, an phlebotomia, vel alijs præſidijs; poſſet eodem genere contradicendi motus Argenterius obijcere Hippocrati quod ibi errauerit?

5 Dubitatio exoritur, quia hæc partium diuiſio in quatuor membra non videtur bona; quia non eſt bimembris, & per oppoſita; omnis enim bona diuiſio ex Boetio lib. de diuiſione debet eſſe bimembris: immo ex Ariſt. diuiſiones debent fieri in eodem genere, & in quolibet ex neceſſitate debent eſſe bimembres, ſi per oppoſitas differentias faciendæ ſint.

Reſpondet Pluſquamcommentator, quod diuiſio propoſita poſſit reduci ad bimembrem hoc modo: partium quædā ſunt principales, quædam non; non principalium quædam à principalibus oriuntur, & illis inſeruiunt; quædam non: ſimiliter earum, quæ non inſeruiunt, quædam habent facultatem innatam ſolum; quædam innatam, & influentem.

6 Dubitatio alia à Pluſquamcommentatore proponitur, quod ſcilicet malè fecerit Gal. non vti diuiſione partium ab omnibus recepta, quæ eſt in partem ſimplicem, & compoſitam.

Reſpondetur, diuiſionem partium in ſimplicem, & compoſitam, ſiue quod idē eſt in ſimilarem, & diſſimilarem reſpicere materiam, & non formam: in hoc loco vult Gal. dignoſcere partes ex operationibus, quæ arguunt formam: vult enim hic Gal. agere de partibus, vt inſalubres ſunt, & quia inſalubritas modo fit uitio principalium, modo non principalium, erat Galen. neceſſarium, vt vniuerſaliſſimam diuiſionem proponeret.

7 Dubitatio Gal. in tex. inquit, tertiam differentiā partium eſſe, quarum aliquæ habeant facultates inſitas, & aliunde non gubernentur, attamen lib. ſexto de placitis cap. 6. definiens partem principem dicit, principium eſſe partem illam, quæ ijs, quæ ab ea enaſcuntur facultatem, aut omninò materiam ſuppeditat, ergo falſum eſt, quod dentur partes, quæ aliundè non gubernentur, ut in tex. legitur.

8 Dubitatio ex ſuperiori exoritur, illaq; augeri uidetur, quia ſi ex Galeno 6. de placitis c. 6. de ratione principij eſt materiam ſuppeditare, ergo ventriculus erit principium, quod eſt contra Gal. in hoc loco, qui tantum quatuor hæc principia ponit, cerebrum, cor, iecur, & teſticulos.

Soluitur nodus vtriuſque dubitationis à Chriſtoforo Vegha, qui clariſſimè oſtēdit, Galenum 6. de placitis capite 6. definire principium ſecundum aliorum, & non propriam opinionem: quinimo ibi vti fiduciaria reprobatione, idest data, & non conceſſa illa definitione princip.j, ut efficaciori modo confundat aduerſarios.

9 Dubitatio iterum exoritur; quia non uidetur, quod quattuor tantum ſint partes principes: ſi de ratione partis principis ſit, ut aliæ ab illa oriantur; non ne à pulmone oritur aſpera arteria? inteſtina, & gula à uentriculo? quare inter principes debent poni uentriculus, & pulmo.

Reſpondetur, quod uera definitio partis principis eſt, quæ traditur a Galeno 6. de vſu par. cap. 7. quę eſt; pars princeps eſt quæ toti facultatem largitur, uel materiam ſaltem ſimpliciter ad vitam neceſſariam: poſita hac definitione, uentriculus non erit pars princeps, tum quia non largitur facultatem toti, tum quia eius chylus, non eſt ſimpliciter neceſſarius ad uitā multi enim vixerunt nutrientibus ænematibus, & fetus ſemper uiuit ſine chylo.

10 Dubitatio, dicit Galenus in quarto membro, dari partes, quæ potentias, & facultates aliundè emanantes habent, quod uidetur repugnare Galeno, qui primo de præſagijs ex pulſibus capite 4. ait, eſſentiam facultatis cuiuslibet partis ſtare in commodo illius temperamento: libro uero de multitudine, capite 3. facultatem eſſe proprietatem temperamenti: primo de potentijs naturalibus capite ſecundo, dicit facultatem nil aliud eſſe, niſi cauſam actionis: quare cum facultates pendeant à proprio temperamēto, quod acquiritur in prima generatione, & in ipſo facultates poſitæ ſint, non poterunt aliundè emanare, Errat tamen Sclanus

text.

text. 12. huius libri dum putat, nullam omninò eſſe differentiam inter facultatem, & temperamētum: vnde verò oriatur facultas ſeu potentia, & in quo prædicamento ſit, nos libro 8. method. vitanda altiori philoſophia, quam ſit hęc humilis inſtituta pro tyronibus, oſtēdimus.

11 Dubitatio augetur, quia Galenus libro de formatione fœtus capite quinto, probat à corde non influere facultates alijs partibus corporis, ibi dicit neque renes, neque vterum, neque lienem, neque inteſtina, neque aliquod aliud inſtrumentum naturale indigere auxilio alterius ad proprias actiones obeundas; vbi clarè patet, cor non immittere facultates alijs partibus; tamen contrarium dicit Galenus in tex. propoſito.

Solutio vtriuſque dubitationis colligitur ex Gal. primo de locis affectis capite vltimo, vbi docet, naturalia inſtrumenta, dum laborant aliquo morbo, ſemper illū morbum eſſe proprium illius partis; non ſic tamen obſeruatur in inſtrumētis animalibus; ſæpiſſimè enim pars priuatur motu, & ſenſu, tamen morbus non ibi, ſed alibi eſt, ſicuti obſeruatur in exemplo propoſito à Gal. de homine veniente Romam, cui ob caſum è curru læſa fuit ceruix: in illo enim apparebat morbus in digitis manus. Nos ſimilia exempla quāplurima in digreſſione de ſignis affectuū internorum, quæ ab arcanis anatomiæ colliguntur, proponemus ſtatim poſt explicationem cap. 81. huius libri.

Reſpondemus igitur ad dubitationes, quod facultas animalis influit: ſed naturalis, vt dicit Galenus loco citato, eſt connata partibus, & non influit, ſicuti facultas trahendi ferrum eſt connata magneti: quælibet enim pars corporis quatenus naturalis retinet, concoquit, attrahit, & expellit; & hæ facultates aliunde non mittuntur, ſed à prima generatione acquiruntur.

Immo Auicennas malè ſentit, dum putat, iecur influere omnibus partibus facultatem, quæ poſſint attrahere, retinere, coquere, & expellere.

Quæ opinio reluctatur Galeno lib. de formatione fætus cap. 5. vbi docet, neque renes, neque inteſtina, neque lienem, neque aliud naturale inſtrumētum ad proprias actiones obeundas indigere auxilio alterius, ſed ſuo proprio, & innato calore edere actiones; indigent tamen, vt reſociletur eius calidum natiuum, non vt fūgatur ſuo officio, ſed vt diu duret; indiget enim quælibet pars diſſimilaris arterijs, vt caliditas natiua conſeruetur; indiget venis, vt humiditas, quæ continuè exhalat, reparetur; ſed iſtud requiritur pro uita diutina, & non pro actionibus proprijs obeundis: ſi poſſet diutius conſeruari tēperamentum, vt in limacibus, illo temporis ſpatio non indigeremus venis.

12 Dubitatio ex dictis oritur, quia ſecundo ad Glauconem capite ſecundo dicit cerebrum cor, & iecur communicare ſuas facultates toti corpori, ergo, & iecur communicabit facultates attrahendi, retinendi, expellendi, & concoquendi, ergo non ſunt connatæ partibus noſtri corporis in prima generatione, ſed continuò communicantur, vt cenſet Auicennas.

Reſpondent qui diſputant contra Auicennam, Galenum, quando dicit viſcera communicare ſuas facultates partibus, intelligere per partes, quæ ab ipſis principijs enaſcuntur, ſicuti cor communicat ſuam facultatem arterijs, cerebrum neruis, & iecur venis.

Præterea hæc expoſitio colligitur ex ipſo Gal. qui 7. methodi capite vltimo, & ſecundo de ratione victus comm. 47 clariſſimè docet, hæc viſcera principalia communicare ſuas facultates partibus, quæ ab ipſis dependent; venæ enim cum ab hepate dependeant, recipiunt facultatem iecinoris, quæ eſt αὐξητική: quare facultates cæterarum naturalium partiū ſunt inſitæ, & in prima generatione implantatæ, neque ab vno ad alium locum tranſmigrant; vt putauit Auicennas.

13 Dubitatio, videtur, quod plura ſint principia, quam ſint illa quatuor propoſita in tex. quia præter cerebrum, cor, iecur, & teſticulos, ſunt etiam lien, pulmo, ventriculus, quæ partes præcipuè ad vitam ſunt ſummè neceſſariæ: immò Argenterius reijcit Galenum, qui inter principia non poſuerit ventriculum, lienem, & pulmonem.

Reſpondet Pluſquamcōmentator propoſitæ dubitationi, Galenum per principia intelligere viſcera, à quibus mandantur

tur virtutes, & facultates in omnes corporis partes: & ſic ſolùm quatuor eſſe principia: ventriculus verò, pulmo, & lien non mittunt virtutes in membra, vt cor per arterias, cerebrum per neruos, & iecur per venas: quæ ſolutio non eſt improbanda.

Reſpondemus nos ex Galen.6.de Vſu. par.c.7. de ratione partis principis eſſe, vt toti facultatem largiatur, & ſecundum hanc rationem cor, & cerebrum ſunt principia: vel vt toti largiatur materiam ad vitam ſimpliciter neceſſariam, & ſic eſt iecur; vel ad propagationem, & ſic ſunt teſticuli. Suo loco deindè diſputabimus contra Pluſquamcommentatorem dicentem à corde tantùm influere omnes facultates in cætera viſcera, & in vniuerſas corporis particulas: addimus tamen nos ventriculum ad vitam nō eſſe neceſſarium: aliquando .n. inueniuntur, qui cibari non poſſunt. Hi tamen per enemata multo temporis ſpatio aluntur, & ſic diu viuunt: quare patet, ventriculum non ad vitam, ſed ſolùm ad meliorem vitam eſſe neceſſarium: ſimiliter homo poteſt viuere ſine liene, & per breue ſpatium ſine pulmone, vt hiſtericę mulieres: non tamē viuent ſine corde, cerebro, & iecore.

14 Dubitatio, videtur erraſſe Galenus: quòd in numero partium non poſuerit ſpiritus, & humores, quia illa ſubiecta, quæ ſunt capacia morborum ſunt viuentia, & quę viuunt ſunt partes corporis: at ſic eſt, quòd humores ſunt capaces putridarum febrium, & ſpiritus ephimerarum, ergo humores, & ſpiritus viuent, & erunt partes, de quibus nil dixit Galenus.

Reſpondetur febres non eſſe in humoribus, & ſpiritibus, vt dicit Pluſquamcommentator, & Valeſius, vt in ſubiecto, ſed ſicuti in cauſa, quare ſpiritus, & humores non erunt partes viuentes.

15 Dubitatio, Ariſtot. dicit 1. de generat.animal.cap.4. teſticulos non eſſe animalibus neceſſarios: ſunt enim piſces, & ſerpentes, qui carent teſticulis: Inſuper Ariſtot.3. de hiſt. animal.cap.1. refert de tauro, qui poſt caſtrationem potuit generare: putatq; hoc fine, & vſu teſticulos eſſe vaſis ſpermaticis appenſos, vt eorum pondere cor tendatur, & ob tenſionem roboretur: dicitq; ſemen non generari in teſticulis, ſed in vaſis ſpermaticis: quare Ariſtotelis auctoritate, & experientia ipſa parere videtur, teſticulos non eſſe collocandos in numero principiorum, vt Galeno in hoc tex. placuit.

Reſpondetur primò ex Galeno, teſticulos eſſe omninò neceſſarios: inquit .n. primo de ſemine cap.15. & 16. generationem ſpermatis fieri à teſticulis primariò; deindè eamdem facultatem in vaſa ſpermatica influere, & à ſpermaticis in totum corpus communicari robur, quod in caſtratis non contingit: quare teſtes non ſolùm pro generatione, ſed pro perfectione indiuidui geniti ſunt, propterea à Galeno in numero quatuor principiorum ſunt collocati.

Quòd verò erret Ariſtoteles, dum dicit, teſtes habere eundem vſum, quem habent ſuſpenſoria in telis, ut ſcilicet ſuo pondere diſtendant vaſa vſq; ad cor, unde cordis, & totius corporis robur exoriatur, apud nos videtur ridiculum, niſi philoſophus aliquod arcanum intelligat, & ænigmaticè loquatur: primò, quia teſtes auium, & porcorum non pendent; ſed ſunt affixi; ergo non habebunt vſum, quem habent ſuſpenſoria in telis, ut dicit Ariſtoteles.

Secundò, ſi pondus teſticulorum efficeret tenſionem, & robur in corde; ſequeretur, quòd ſenes, qui habent & magnos, & penſiles, & ponderoſos teſticulos eſſent robuſtiores iuuenibus, quod eſt ridiculum: immo qui maiores, & ponderoſiores habent, ſunt imbecilliores.

Quòad illud, quod dicunt de piſcibus, ſerpentibus, & tauro, reſpondetur, piſces & ſerpentes non habere teſticulos vt animalia perfecta, ſed aliquid proportionale, quod in illis eſt principium, tum pro generatione, tum pro indiuidui perfectione.

Demum dum dicunt ſerpentes carere teſtibus reluctantur experientiæ.

De tauro autem ſunt qui dicunt eſſe figmentum, quia non admittunt taurum poſt abſciſſionem teſticulorum ſtatim habuiſſe appetitum coeundi. Sed melior eſt illa reſponſio, dum dicunt abſciſſis teſticulis reſeruari in corpore varicoſo in radice penis aliquas ſeminis reliquias à teſtibus ante abſciſſionem communicatas,

quæ

quæ potuerint pro vna vice reddere taurum aptum ad generandum.

16 Dubitatio Galenis in tex. videtur aſſerere, quartam differentiam partium non ſolum habere ex ſe ipſis regimen, ſed inſuper venis, arterijs, & neruis egiſſe; ex quibus verbis colligitur, partes, quæ ſunt in tertia differentia, quales ſunt cartilago, os, copula, membrana, adenes, caro ſimplex, & adeps, non indigere venis, arterijs, & neruis, quod aduerſatur Gal. 8. de vſu partium cap. 1. vbi ait, nullam partem poſſe viuere ſine venis, arterijs, & neruis; & primo de locis affectis c. vltimo, vbi dicit, partes quæ habent facultates innatas, & ex ſe ipſis habent regimen indigere pro ſui conſeruatione venis, arterijs, & neruis; ergo Galenus ſibi contradicit.

Reſpondetur in tex. Græco non inueniri illam particulam (inſuper) ſic in Codice Gręco legitur τὰ δ'ἄλλα πάντα μόρια κοινὴν τούτοις ἔχοντα τὴν ἐξ ἑαυτῆς διοίκησιν ἀρτηριῶν τε καὶ φλεβῶν καὶ νεύρων προσδεῖται, id eſt reliquæ vero partes cum vna cum iſtis habeant ex ſe ipſis regimen, arterijs, neruis, & venis eguerunt. Non negat tamen, quod partes quæ ſunt in tertia differentia, vt ſunt cartilago, os, copula &c. non egeant venis, arterijs, & neruis; & quamuis non videantur ubique uenę, arteriæ, & nerui, non propterea ſequitur, quod illæ partes non alantur per uenas, ſentiant per neruos, & uiuant per arterias uicinas, ita ut nulla in Galeno ſit contradictio.

Venæ ſubminiſtrant iecori, quatenus ferunt alimentum, & non ſpiritum naturalem, qui ut probabimus paulo infra non datur. Arteriæ ſubminiſtrant cordi, quę & ſanguinem arterioſum & irradiationem à corde ſuſcipiunt per corpus arteriæ, & non per cauitatem, ut probabimus ex Galeno; Nerui ſubminiſtrant cerebro, & per irradiationem, ut dicit Galenus, & non per ſpiritus animales defertur facultas mouendi, & ſentiendi ad totum corpus.

A cerebro ſeptem paria neruorum oriuntur; dico paria, quia cerebrum eſt diuiſum in duas partes; ſæpe enim in una parte corporis aufertur motus uel ſenſus; in alia nequaquam, ut in paralyticis obſeruatur: ita ut ſeptem paria faciant 14. ſtipites, vel truncos.

Primũ par sũt nerui optici, qui peruenius ad cryſtallinũ, & viſionis ſunt Auctores.

Secundum par motum oculorum præcipuè efficit; & ſicuti primum par neruorum eſt deſtinatum ſenſui; ſimiliter ſecũdum eſt deſtinatum motui; omnes tamen nerui motorij habent vim ſentiendi, ſed non è contra; quia optici non habent vim mouendi; ſolum enim illi nerui habent vim mouendi, qui iunguntur cum carne; inde enim ex carne, neruo, ligamento, membrana, fiunt muſculi, qui deſinentes in tendinem motum efficere poſſunt. Hinc eſt, quod maior virtus requiratur in mouendo, quam in ſentiendo: & quod motus ſit actio, & ſenſus paſſio: vnde fit vt plurimi amittant motum brachiorum uel pedum, ſenſu manente illæſo, ſenſus enim poteſt fieri à læſis neruis, ſed cum illa læſione non fiet motus.

Tertium par eſt deſtinatum præcipuè ad guſtum, & ad dentes, qui per inſertum neruum ſentiunt.

Quartum par ad palatum, & ad guſtũ.

Quintum ad ſenſum auditus, qui dicuntur nerui expanſi, quia expanduntur ad labyrinthum, & tympanum aurium, cuius virtute ſonus externus receptus in aere interno nobis connato, & ingenito ſentitur.

Sextum à capite deſcendit, & omnia viſcera inferiora circumueſtit, facitque neruos recurrentes voci præcipuè deſtinatos; mittit ſurculum vnum ori ventriculi, vnde fames & ſitis animaduertitur: alium mittit ad diaphragma: alios deinde ad hepar, ad renes, ad pulmones, & ad cor: vt omnes nerui, qui ſunt in prędictis viſceribus ſint propagines huius ſextæ coniugationis: cæteræ vero propagines vniuerſæ, quæ diſpenſantur per vniuerſum corpus, à ſpinali medulla oriuntur. Verum quia Celebres Anatomici diligentiſſimè de his tractant, non eſt, vt de his vlterius agatur: ſatis nobis eſt, vt ſciamus per quas vias facultates cerebri mittantur per vniuerſum corpus.

17 Dubitatio, non videtur, quod facultas quæ eſt in teſticulis poſſit communicari omnibus partibus corporis: quod vero communicetur patet experientia, quia

non eſt tantum roboris in caſtratis, vt in habentibus teſticulos:patet quoq;auctoritate Galeni qui eos ponit inter principia; quæritur igitur quibus ductibus, & vijs robur maſculorum communicetur per vniuerſum corpus.

Aliqui dicunt, quod ſpiritus, & calor viuificus, qui eſt in teſticulis mittatur ad arteriam magnam,&ad venam cauam, & inde ad totum corpus per duo vaſa præparantia,quę oriuntur ab arteria magna, & per illa duo, quæ oriuntur ab emulgente.

Alij dicunt ſpiritum à teſticulis prodire per vniuerſum corpus non per vaſa ſenſibiliter,ſed inſenſibiliter, & virtute quadam incorporea: Hinc dicunt, duos eſſe modos communicandi virtutem toti corpori, vno modo eſt σωματικῶς, ideſt corporaliter:altero modo ἐνεργητικῶς, ideſt virtualiter, quæ diſtinctio affertur ab omnibus philoſophis in primo de generatione, vt à Philopono, & ab ipſo Ariſt. c.de tactu,dum dicunt, duplicem eſſe tactum, alterum corporeum, alterum virtualem; ſicuti dum radij ſolares agunt in hæc inferiora,vel dum intelligentiæ mouent vniuerſum per virtutem cælo communicatam. Accipiatur tamen prima,vel hæc ſecunda reſponſio,vtraq;ſoluit:quælibet enim defendi poterit: quamuis prima videatur veritati magis conſentiens.

18 Dubitatio exoritur,quia ſi de ratione partis principis eſt, vt ſit ad vitam ſimpliciter neceſſaria, tunc teſtes non debent cõnumerari inter partes principes,vt facit Gal. plurimi enim ſine teſtibus viuũt.

Reſpondetur ex Gal.lib.14. de vſu p. c. 1. teſtes eſſe neceſſaria principia ad propagationem prolis, & non ad vitæ conſeruationem.

QVÆST. XXXII.

De pilorum natura.

De natura pilorum Galenus agens primo de temperamentis circa finem dicit, pilos eſſe frigidiſſimos & ſicciſſimos.

1 Dubitatio ſtatim oritur;quia,quæ flectuntur,vt pili,non videntur ſicca,cauſa: enim cor oſſa non flectantur,eſt ſiccitas ſimiliter ea quæ promptè igneſcunt, & accenduntur non poſſunt eſſe ſimul frigida & ſicca, ſed potius frigida cum aliqua ſubſtantifica humiditate.

Solutio deſumitur à Galeno 2.de temperamentis,vbi dicit, pilos eſſe frigidiſſimos, & ſicciſſimos non omnium abſolutè,ſed ſolum eorum,quæ in cute ſunt:cognouit Galenus, quæ flectuntur vt pili, non eſſe abſolutè ſicca, eo quia ſunt apta accenſioni. Præterea ſi pili eſſent abſolutè ſicciſſimi, generarentur in vola manus, & non in locis humidioribus, vt in capite,pudendis,& ſub axilis.

2 Dubitatio, Ariſt.5. de generatione animalium c.3.docet, materiam pilorum eſſe humorem exhalantem à cute: Gal. verò 2. de temperamentis ait, eſſe vaporem fuliginoſum,craſſum,& terreum, & non humorem.Præterea Auerroes contra Gal.ait, ſi pili orirentur ex vapore fuliginoſo, & terreo friabili, non fierent continui: requiritur enim humiditas pro continuatione: addit Auerroes, pilos canos propterea non fieri ex vapore fuliginoſo, & terreo.

Soluitur hoc modo: dum Ariſt. dicit, materiam pilorum eſſe humorem, conſiderat materiam immediatam,quę eſt vapor. Quo ad Auerro. m dicimus,cauſam eius erroris fuiſſe,quia ſupponebat,vaporem fuliginoſum craſſum, & terreum, qui eſt materia immediata(vt docuit Galenus) pilorum, eſſe omninò priuatum humiditate,quod reuera aduerſatur Gal. vt in ſuperiori ſolutione oſtendimus.

3 Dubitatio,pili ex Gal.& omnium philoſophorum ſententia fiunt ex vapore craſſo terreo:quo poſito, quomodo indicabunt omnes corporis temperaturas, vt docere videtur Gal.in hoc libro, & alibi? non ne docet, pilos nigros indicare calorem, & melancholiam, albos verò pituitam, rufoſq;bilem? nihilominus quod eſt terreum indicare debet temperaturam ſiccam & frigidam, & non calidam, vel aduſtam.

Montanus videns hanc difficultatem occurrit ſic; à quolibet humore exiſtente in venis, vel extra venas fieri vapores diuerſos,qui colores diuerſos in pilis efficiunt.

Errat Montanus, quia pili non fiunt

ab humoribus, ſed ab excrementis tertiæ coctionis; in qualibet enim coctione, ut docet Gal. 3. de facult. natural. & 5. de vſu part. fiunt duo excrementa, alterum tenue, & alterũ craſſum. Præterea pili fiunt à fuliginibus ſiccis, & calidis eleuatis à copia excrementorum tertiæ coctionis; quare quanto excrementa erunt calidiora, & copioſiora, eò plures generabuntur fuligines, & plures pili. Hinc pilorum abundantiam Ariſtot. lib. de generat. animal. cap. 6. ubi agit de pilis, dicit, indicare excrementorum copiam, quatenus ſcilicet ab illorum abundantia multæ fuligines generentur, quæ ſunt cauſæ immediatæ pilorum.

4 Dubitatio, dictum eſt, pilos fieri à uaporibus, quod non uidetur uniuerſaliter uerum; quia pili cani in ſenibus frigidiſſimis fiunt; ergo non à calidis vaporibus.

Reſpondetur, dari uapores magis, & minus calidos; dicimus in ſenibus uapores non eſſe ita calidos, ut in iuuenibus. Prætetea ex Ariſt. 5. de gener. animal. c. 4. canities eſt imperfectio, & ægritudo pilorum, quia fit ex uaporibus putridis; eſt enim canities, ueluti ſitus, ut docet Galenus ſecundo de temperamentis, cap. 5. Sed fuſius egimus de pilis in commentar. noſtris in prima Fen primi canonis Auicenn.

QVÆST. XXXIII.

De Vnguibus.

DE vnguium vſu loquens Ariſtoteles 2. de partib. animal. c. 9. habet hanc ſententiam: vngues, cornua, & roſtra præſidij gratia iuncta ſunt animalibus: loquens verò Ariſtot. 4. de par. animal. cap. 10. de vſu vnguium hominum habet hæc, *Vngues operimenti gratia tantum hominibus dati: cæteris ad alium vſum: digitos enim extremos tegunt, et tuentur.*

Galen. verò de vſu vnguium 8. de vſu part. c. 8. docet, ungues eſſe munimenta contra refrigerantia, calefacientia, vulnerantia, & quaſſantia, &c.

Albertus de vnguibus 2. de anim. conſiderans vngues ut ſigna indicatiua, & prænunciatiua habet ferè hæc uerba: unguium tenuitas, & capillorum ſubtilitas, indicant ſubtiles eſſe ſpiritus cordis, qui ad cerebrum vehientes optimè deſeruiunt virtutibus animalibus: in libro verò 1. de anima putat, ungues albos, planos, molles, tenues, ſubrubentes, & pellucidos indicare ingenium optimum: Vngues nimium breues, pallidos, & nigros indicare hominis malignitatem: ungues aſperos, & rotundos in Venerem pronos: demum uerò vngues abſque cauſa cadentes indicare futuram lepram.

Quæritur in hoc loco, an ungues nutriantur. Pluſquamcommentator negat: ratio, quam affert, eſt, quia carent vita: aitq; ungues Galenum meritò à numero partium uiuentium excludere.

Acachias, & Oddus putant, ungues nutriri; nituntur q; auctoritate Galeni 2. de anatom. ad. circa finem, ubi docet, in radice unguium eſſe neruum, arteriam, & uenam, unde ſenſum, uitam, & nutrimentum recipiunt.

Nos verò putamus, ungues ſecundum radices tantùm nutriri, eſſeq; partes viuentes: ungues verò, qui exeunt à radice non nutriri, & per conſequens non viuere; augeri tamen per iuxtapoſitionem; quia radix illarum genita propellit vetuſtum vnguem, qui reuera non viuit, concludimus ergo earum radices uiuere, eſſeq; in numero partium habentium innatam facultatem, & influentem, quæ pertinent ad quartam partium differentiam à Galeno propoſitam.

QVÆST. XXXIV.

An pertineat ad Medicum conſiderare vbi ſit Anima.

QVæſtio de ſede animæ pertinet ad philoſophum naturalem: ſed quia maxima difficultas eſt, in qua corporis parte ſint principes operationes, ideò aliquid ſcire de eius ſede pertinebit quoq; ad medicũ; medicus .n. ex leſis operationibus explorat locum affectum; ſi aliquis haberet læſam imaginationem, uel memoriam, uel diſcurſum, niſi ſciat vbi ſedeat anima rationalis, quomodo applicabit remedia; ſed quia innumeræ ſunt opiniones, eas ſũmatim recitabimus, ne uideamur in alienas meſſes ponere falcem:

cem : & Galeni ſententiam pleniſſimè explicatam libro de decretis Hippocrates, & Plat. inſequemur.

Auicennas 1.primi doc.6. ſum.1.c.1.ait ad medicum in quantum eſt medicus non attinere hanc cōſiderationem; quia ſatis eſt medico, vt ſciat, quatuor eſſe membra,quę ſunt principia omnium virtutum, cor ſcilicet eſſe principium vitæ; cerebrum ſenſus, & motus,iecur ſanguinis, & teſtes propagationis.

Auerroes 2. coll. cap. 9. dicit hanc inquiſitionē eſſe medico valde neceſſariā.

Galenus verò 3. de locis affectis capite 4. reprobat Archigenem, qui putans cor eſſe principium memoriæ applicabat in deperdita memoria cucurbitulam capiti: & merito quia ſi ex opinione Archigenis memoriæ origo eſt cor, cucurbitula erat applicanda cordi, & non capiti.

Hinc quoque errat Auicennas,qui volens conciliare Galenum cum Ariſtotele incidit in nouam,& chimericam opinionem, quia dixit,cor eſſe radicitus principium omnium virtutum ſcilicet animalium,naturalium, & vitalium: cerebrum verò eſſe principium manifeſtationis virtutum animalium. Quæ opinio aduerſatur Ariſtoteli, qui arbitratur (ut infra oſtendemus)cor eſſe quoque principium manifeſtationis virtutum animalium, & naturalium, cenſet enim venas, & neruos manifeſtiſſimè habere originem à corde; quare Auicennas,nullo modo poteſt defendi.

Ariſtoteles itaque, & Stoici cenſent, cor eſſe ſedem animæ.

Galenus docet,ſedem animæ rationalis eſſe cerebrum: cætera verò organa eſſe facta cerebri gratia.

Antiqui philoſophi mira, ſed vaniſſima protulerunt,vt ex Gal. in lib.de placitis; & ex lib.de hiſtoria philoſophica (qui ſpurius eſt) colligitur.

Herophilus enim dixit ſedem animæ eſſe in cauitate cerebri.

Xenocrates eſſe in vertice capitis.

Stracto in medullis ſuperciliorum.

Eraſiſtratus in membranulis cerebri.

Parmenides, & Epicurus in toto pectore.

Moſchion in toto corpore.

Herodotus in auribus.

Diogenes in ſolis arterijs cordis.

Empedocles in ſanguine.

Pytagoras cenſebat animam rationalem eſſe in capite tamquam in arce.

Plato,& Democritus in toto capite.

Theologi noſtri totam in toto, & totam in qualibet parte.

Hæc breuibus dicta ſint in hoc loco; quia diſtinctius agemus de omnibus facultatibus animæ, à qua parte ſcilicet habeant originem,& quo pacto influant ab vno in alium locum. Preterea nuper Rudius uir doctiſſimus edidit librū de anima ex mente Gal. in quo de pertinentibus ad ipſam pleniſſimè,& profundè egit ideo ego lectores eo mittens plura hic de hac materia pertractare ſilentio inuoluo.

QVÆST. XXXV.

An quatuor ſint corporis animati principia, vt dicit Galenus, vel ſit vnum, vt dicit Ariſtoteles.

Ariſtoteles 3. de par. animal.capite 4.lib. de ſomno,& vigil.cap.2. lib. de iuuentute, & ſenect. cap. 4.& alibi;Stoici,Auerroes 2.coll.7.& Alexander Aphrodiſęus primo de anima putant, vnicum eſſe corporis principium,& non quatuor,ut docet Gal.illudq;eſſe cor à quo dicunt facultates non ſolū uitales, ſed animales,& naturales prodire; Ariſt. igitur in libello de longitudine, & breuitate uitæ primo probat, quod facultas ſenſitiua proueniat à corde,& nō à cerebro,vtiturq; tali argumentatione: nullus ſenſus fieri poteſt ſine calore,ergo ab illo principio, à quo pendet calor, pendebit quoque ſenſus; ſed calor ex omnium conſenſu pendet à corde,ergo & ſenſus.

Secundò Ariſt.probat 3.de par.animal. c.17. quod facultas ſanguificādi pendeat à corde tali argumento;nullibi reperitur ſanguis extra venas, niſi in corde, ergo cor erit fons, & origo ſanguinis, ergo vnicum erit principium, à quo vegetatiuum,& vitale dependent,& non plura, & hoc erit cor.

Tertiò probat Ariſtoteles lib. de ſomno, & vigilia, ſenſum,& motum à corde pēdere tali experimento; ſi arteriæ carotides in collo ligentur,ſtatim animal ſenſu,

ſu,& motu priuatur; quòd clariſſimè indicat, facultates mouendi,& ſentendi per arterias deferri ad cerebrum,& per conſequēs animales facultates à corde oriri.

Vltimò ſic probat; cerebrum non ſentit, ergo non erit auctor ſenſus, neque neruorum, nemo enim dat quod non habet. Aliæ quoque rationes afferuntur ab Ariſtotele; quæ cum ſint minoris momenti, ſintque ſine vlla efficacia, meritò omittendæ ſunt.

Galenus in hoc lib. proponit quatuor principia, quibus regitur totum corpus, ſcilicet cerebrum eſſe principium operationum animalium, cor vitalium, hepat naturaliū, teſticulos verò nō indiuiduorum, ſed propagationis cauſa factos eſſe.

Auicennas volens conciliare Galenū cum Ariſt. 1. primi, doc. 5. c. 1. & alibi, dicit, quod omnes facultates ſenſitiuæ, & motiuæ radicitus ſint in corde; in cerebro verò manifeſtatiuè,& non radicitus; ſimiliter nutritiuas radicitus eſſe in corde, manifeſtatiuè verò in iecore, & generatiuas in teſtibus.

Reijcitur Auicennas, quia reluctatur Galeno,& Ariſtoteli: Galeno, quia vult, hæc quatuor principia eſſe diſtincta per originē, per organa,& per ſpiritus; Ariſtoteli; quia non putat, vt explicat Pluſquam commentator, quod cor ſit ſolum principium per ſpiritum vitalem, quatenus idem ſpiritus tranſmiſſus ad cerebrū ibi recipiat (ut ait) organizationem pro efficienda facultate animali, miſſus ad iecur pro efficienda vegetali, & miſſus ad teſtes pro efficiēda facultate generatiua; ſed putat philoſophus, cor eſſe vnū principiū à quo omnes facultates immediatè emanant; negatque in corpore dari alia facultatum principū principia: uult enim tam facultatem animalem, quam naturalem, & generatiuam radicitus,& manifeſtatiuè à corde oriri: quia cenſet, quod nerui,& venæ æquè trahant originem à corde, ut arteriæ. Quę opinio apud Anatomicos eſt ridicula; ideo indigna, ut multis uerbis reijciatur: quia ipſa αὐτοψία omnem dubietatem tollit.

Alij vt concilient Galenum cum Ariſtotele imaginati ſunt concilium quoddam chimericum: dicunt enim neruos oriri à cerebro,& uenas ab hepate materialiter, formaliter vero à corde; idem dicunt de facultatibus ſentiendi, & mouēdi, materialiter ſcilicet pēdere à cerebro: formaliter uero à corde; Similiter dicunt facultatem ſanguificandi materialiter ab hepate,& formaliter à corde proficiſci.

Quorum opinio reluctatur ipſi Ariſt. & Galeno; quia Ariſtoteles conſtanter ſuſtinet, neruos, & uenas oriri à corde, habereq; ſuas radices materiales in corde; Verum huius opinionis falſitas ex eo conuellitur, quod anatomiæ aduerſatur; primò uena caua non ingreditur dextrū cordis uentriculum, ſed ſolum illi orificio uena adaperitur; deinde nerui nullo modo oriuntur à corde; adeſt enim quidam perexiguus ſurculus nerueus in corde, qui eſt exigua quædam propago ſexti paris neruorum cerebri; Hæc autem ſunt adeo clara, ut nullus anatomicus, qui ſemel uel bis viderit cor, poſſet unquam Ariſt. defendere. Demum in piſcibus uena caua non tangit cor; quomodo igitur cor erit uenarum radix, ſi in omnibus animalibus id non ſit? Similiter Gal. 6. de placitis cap. 3. & lib. 1. cap. 5. probat contra Ariſt. ſenſum, & motum formaliter pendere à cerebro.

Ad primum argumentum Ariſtotelis reſpondemus ex ipſo Ariſtot. 2. de partibus animalium cap. 10. vbi docet, quod multa caliditas ſanguinis ſēſum impedit, & intercipit: quare ſi à corde penderet ſenſus, quanto calor eſſet maior, tanto maior eſſet ſenſus. Præterea calor nō ſolum prouenit à corde, ſed in qualibet parte eſt proprius, & natiuus calor, qui ſufficit ad moderādum ſenſum. Amplius etiam in cerebro eſt calor proprius, qui eſt natiuus, & non pendet à corde, cuius virtute generantur ſpiritus animales, quare non valet conſequentia, ut fiat ſēſus requiritur calor, ergo ſenſus à corde dependet; in corpore enim noſtro calor natiuus cuiuſvis particulæ eſt omninò diuerſus à calore cordis,& ab illo non pendet,& per illum, quamuis ſit exiguus, poteſt fieri ſenſus exquiſitiſſimus.

Ad ſecundum argumentum dicimus cum Galeno 4. de vſu partium. 13. ſi in iecoris ſubſtantia fuiſſet aliqua cauitas, vel ciſterna, non ita diu detineretur, ſed deflueret,& non fieret perfecta hæmataſis: in

in corde ſanguis extrauenatus continetur, non vt recipiat formam ſanguinis, ſed vt illico in ſpiritum vitalem conuertatur, ſi enim ille ſanguis diu moraretur, & non ſtatim conuerteretur, ſine dubio putreſceret.

Ad tertium reſpondemus, quod ligatis carotidibus, non illicò ceſſat ſenſus, vel motus; videmus canem, cui fuerunt ligatæ carotides, qui ſpatio vnius horæ poterat ſe mouere, & ſētire: etenim poſt multas horas non eſt dubium, quin ob mirabilem conſenſum qui eſt inter cor, & cerebrum tandem moriatur. Gal. verò 2. de placitis c.6. docet, ſi incidantur arteriæ carotides, non ſtatim tolli ſenſum, & motũ; inciſis tamen neruis recurrentib. non poſt horam, ſed illico animal fieri mutũ.

Ex aduerſo apud Ariſtotelem libro de iuuentute, & ſenectute legimus, teſtudinem erepto corde ambulaſſe. Præterea Galenus primo de placitis cap.6. dicit, corde forcipe erepto animal clamaſſe; lib. 2. ait in ſacrificijs obſeruatum fuiſſe animalia ſine corde ſimiliter clamaſſe, reſpiraſſe, & fugiſſe: Demum Galenus lib.2. de placitis 4. lib.6. cap.3. & lib.1. cap.6. ait aliquando vulnerato cerebro ſtatim ſenſum, & motum amitti, quod non accidit, dum vulneratur cor, lib. vero de formatione fœtus cap.4. ait medicos ad tollendum lethargum, & apoplexiam, qui affectus auferunt motum, & ſenſum, applicare remedia capiti, & non cordi.

Ad quartum, Pluſquamcommentator qui ſequitur Ariſtotelem hic reflectit argumentum contra Ariſt. dicens, ſi non poteſt eſſe principium ſenſus quod caret ſenſu, non poterit pari ratione eſſe principium viſus, quod caret viſione, vt eſt cor, quare neq; cor erit principium ſenſus. Nos verò dicimus, cerebrum non ſentire; ſed iudicare, vel cum Galeno ſentire in cerebro dupliciter intelligi, vel παθητικῶς, ideſt paſſiuè, vel ἐνεργητικῶς ideſt actiuè, & virtualiter; quemadmodum accidit primo motori, cuius virtute omnia mouentur, ipſo manente immoto ſic dicimus cerebrum virtualiter, & ἐνεργητικῶς eſſe principium ſentiendi, & mouendi ipſo manente ſine ſenſu, & motu: vel dicimus cum Argenterio, cerebrum non eſſe factum à natura, vt ſentiat, ſed vt ſentiendi facultatem alijs tribuat. Plura alia omittuntur breuitatis gratia: ſatis nobis eſt, vt concludamus, cor non eſſe vnicum, & ſolum principium, ſed ab alijs principijs diſtinctum, itavt nullo modo facultas animalis dependeat à corde, ſed à cerebro, facultas naturalis ab hepate, & non à corde: facultas generatrix formaliter à teſtibus, & non à corde.

1 Dubitatio Galenus loquens de facultate inſita libro de multitudine c.3. docet facultatem inſitam eſſe proprietatem tēperamenti, & primo de præſagijs ex pulſibus 4. docet eſſentiam facultatis poſitā eſſe in commodo ſuæ partis temperamēto; quo poſito, quomodo dabitur potentia ſiue facultas influens, vt hic dicit Galen. temperamenta enim non mouentur de loco ad locum, ſed permanent vſque ad mortem in propria ſede.

Reſpondetur, duplicem eſſe potentiam ſiue facultatem, alteram influentem, alteram inſitam: influens loco mouetur, quamuis ſit proprietas temperamenti; mouetur verò virtute radiorum per neruos, & arterias totum corpus penetrantium; arbitramur nos in Galeno facultatem non differre realiter à temperamento; quia facultas ab illo vocatur proprietas temperamenti.

Hinc errat Argenterius, qui putat in doctrina Gal. facultatem realiter differre à temperamento, ex quo falſo principio ſuppoſito incidit in hunc errorem inexcuſabilem; putat enim Gal. erraſſe in tradenda morbi definitione, quod ſcilicet morbus ſit conſtitutio præter naturam primo lædens operationem; dicit enim primo lædi temperamentum, vel compoſitionem, & deinde ad læſionem horum lædi facultatem, & ad læſionem facultatis ſtatim lædi actionem: putatque actionem immediatè lędi à facultate, & non à conſtitutione.

Cauſa erroris Argenterij fuit ignorātia philoſophiæ, & logices; philoſophiæ, quia Ariſt. 1. de anima tex.64. admonet, non animā habere operationes, ſed ſolũ compoſitum; ſi quis diceret, animam iraſci vel intelligere, idem eſſet ac ſi diceret animam texere, vel ædificare: logices, quia omnes actiones ſunt in ſecũdo modo dicendi per ſe, quæ non definiuntur

per

per formam vel per facultatem aliquam, ſed per earum ſubiectum. Itaque meritò dici poteſt, Argenter. dum putat, actionem immediatè dependere à facultate, & non immediatè à conſtitutione, neque philoſophiam, neque logicam calluiſſe.

QVÆST. XXXVI.

An facultas influat per ſpiritus, vel per radios.

AVicennas prima primi doctrina 6.c.4. putat, facultatem influere mediante ſpiritu: dicebat enim ſpiritum animalem eſſe vehiculum facultatis ſentientis, & mouentis; vitalem vehiculum vitalis; naturalē vero naturalis.

Galenus alio modo ſentit; putat enim facultatem non per ſpiritus influere, ſed per irradiationem: agit autem Galenus de hac re, 1. de ſemine cap. 5. & 16. & 1. de locis affectis cap. 6. & 7. de placitis, vbi ex profeſſo agit de hac re, & 1. de cauſis pulſuum in principio, & 1. de ſympt. cau. cap. 5. in his locis loquens de facultate animali dicit à cerebro in neruos facultatem ſiue ſubſtantiam diffundi, vt à Sole ſplendor; dicitque tunc diffundi, & irradiari totum neruum, quando in nerui principio reſident ſpiritus animales. Simili modo docet Galen. de facultate vitali, quod ſcilicet exiſtente ſpiritu vitali in principio radicis magnę arterię in inſtanti omnes aliæ arterię irradientur.

Quo pacto verò probetur, quod virtus pulſatilis, & vitalis influat irradiatiuè per tunicas arteriæ, & nō per cauitatem, legamus Galen. lib. quod ſanguis in arterijs contineatur cap. vltimo, vbi affert hoc experimentum: ſi fiſtula caua intra arteriam animalis ponatur, & arteria ſupra fiſtulam ligetur, tunc pars inferior arteriæ ſtatim motu pulſandi priuatur, quamuis ſpiritus permeet ad inferiorem partē: ecce quod non ratione ſanguinis arterioſi, ſed ratione irradiationis diffuſæ in tunicas arterię communicatur facultas vitalis; Addit quoque Galenus, ſi fiſtula immiſſa in arteriam nō eſſet caua ſed talis vt obſtrueret totam arteriam, quamuis tranſitus arteriæ ſit impeditus, nihilominus pulſare arteriam: quod non poteſt fieri, niſi per irradiationem factam, non per cauitatē, ſed per corpus arteriæ.

Quod vero hæc irradiatio ſit ſimilis Solis ſplendori, qui in eodem inſtanti æquè in partem vicinam, ac remotam diffunditur, patet experimento in anatomia viuorum brutorum non ſemel facto: taleq; eſt, ſi ligetur neruus, vel arteria tali pacto, vt motus vel pulſus ceſſent: vt primum diſſoluitur ligatura; in eodem inſtanti, in quo mouentur partes proximæ ligaturæ, mouentur quoque diſtantiſſimæ; ecce igitur quod irradiatio non fit per ſpiritus corporeos, ſed per radios incorporeos, qui tam velociter abſoluunt longum, quam breue iter.

Hinc errant Eraſiſtratus, & Aſclepiades de arterijs loquentes; dum dicunt arterias moueri ab impulſu materiæ, & ſpiritus à corde in arterias: errat quoque Ariſtoteles dum cenſet, arterias moueri ob ſanguinis ebullitionem factam à calore cordis; quoniam ſi eſſet vera eius ſententia, ſequeretur, quod vbi eſſet maior ebullitio, ibi eſſet velocior motus: nihilominus ita velociter mouetur aliqua parua arteria ventris ſuperioris, ſicuti arteriæ magnæ, quæ ſunt in pedibus.

Pluſquamcommentator longo diſcurſu probat pulſum à nulla virtute moueri, ideſt neque à ſenſitiua, neque appetitiua, neque rationali, neque regeneratiua, neque augmentatiua, neque ab alia nutritiua, vel attractiua, vel expulſiua, quia iſtę virtutes non ſunt continuæ, vt motus pulſus; cōcludit arterias attrahere aerem neceſſitate vacui ſcilicet propter ſpiritū, & ſanguinem feruidum, & ebullientem in ipſis contentum: fieri verò conſtrictione cordis, & arteriarum, eo quia ſpiritus gen'tus expirat, & expirando feruor obtunditur, ſicuti in aqua ebulliente, quæ niſi expiraret, ob impetum ſe adeo attolleret, vt vaſa frangeret.

Quæ opinio eſt ſimilis opinioni Eraſiſtrati, Aſclepiadis, & Ariſtotelis dicentium, arterias moueri propter ſanguinis ebullitionem; falſa tamen eſt, & Pluſquamcommentatoris, & prædictorum opinio; quia ſequeretur hoc inconueniens, quod arteriæ proximæ cordi citius mouerentur, quam diſtantes, & remotæ; nec valet Pluſquamcommentatoris reſponſio, dum dicit, arterias remotas à corde

de eſſe minores, ideò ebulitionem quoq; eſſe minorem; quoniam dantur arteriæ propè iecur, & ſupra ſeptum tranſuerſum, quæ ſunt longè minores, quam arteriæ pedum. Concludimus ergo, Galeni opinionem eſſe veram, arterias ſcilicet moueri ab irradiatione immiſſa in inſtāti per corpus arteriæ in hunc finem, vt expellantur fuligines, & euentetur calor cordis, & arteriarum; expulſionem verò fuliginum fieri per ſiſtolem, euentationem verò per diaſtolem.

QVÆST. XXXVII.

An detur ſpiritus naturalis præter animalem, & vitalem.

AVicennas, Arabes ferè omes, Actuarius lib. 1. de ſpiritu animali, Alexander Aphrodiſæus 2. problematum 63. & Fernelius putant dari ſpiritum naturalem diſtinctum à vitali & animali cenſentque Galenum eandem opinionem habuiſſe; probantes hoc modo, Gal. 7. de plac. c. 3. dicit, ſpiritum animalem ex vitali gigni, & vitalem ex parte tenuiori ſanguinis, dicūt hanc partem tenuiorem eſſe ſpiritum naturalem. Præterea Galenus 12. methodi cap. 5. habet, animalis ſpiritus cerebrum eſſe veluti fōtem, vitalem eſſe in corde, & arterijs; addit ſi naturalis quidam ſpiritus dabitur, is in iecore, & venis continebitur; ecce dicunt, quod Galenus præter animalem, & vitalem admittat naturalem.

Reijcitur horum opinio; quoniam de ratione ſpiritus eſt, vt habeat irradiationem, quæ non eſt oculis conſpicua. Præterea Sclanus confirmat infirmo, ne dicā vaniſſimo argumento, quod ſanguis tenuior ſit ſpiritus naturalis dicens ex Galeno 6. de vſu partium cap. 17. ſicuti ventriculus eſt reſpectu venarū, ita ſunt venæ reſpectu arteriarum: quare concludit arterias trahere ſanguinem tenuiorem venis, vt eius pabulum, & hunc ſanguinem tenuiorem eſſe ſpiritum naturalem poſito hoc argumento Sclani, ſequeretur quod non tres, ſed quatuor concedi poſſent ſpiritus; quia ſi pars purior, & tenuior ſanguinis, quę efficit ſpiritum vitalem, debet dici ſpiritus; cur pars tenuior, & purior chyli non poterit quoque dici ſpiritus? quare, dum concludit, ſanguinem tenuiorem poſſe vocari ſpiritum, errat toto cælo, quia eadem ratione pars purior, & tenuior chyli poſſet vocari ſpiritus.

Quoad auctoritatem ex 12. methodi c. 12. deſumptam dicimus, Galenum locutum eſſe hypotheticè, quaſi dicat, ſi daretur ſpiritus naturalis contineretur in iecore, & venis; non inuenient tamen vnquam Galenum dicentem, quod detur iſte ſpiritus naturalis.

Nos non diſcedentes à principijs Galeni negauimus concedi poſſe ſpiritum naturalem. Hæc opinio eſt Manardi, & multorum Auctorum, & his temporibus eſt ſatis communis, rationes, quæ nobis id perſuadent, variæ ſunt; prima eſt, quia quælibet pars naturalis habet facultatem connatam, & non influentem; Galenus enim primo de locis affect. vltimo, docet, facultates naturales, vt eſt attractrix, cōcoctrix, expultrix, & retentrix, non indigere irradiatione, & ſpiritu; quia pro his functionibus obeundis ſufficit virtus inſita, & connata cuilibet particulę; indigēt tamen ſanguine tenuiori non pro vita, ſed pro longiori vita, id eſt vt diutius perſeuerent; ſicuti totum corpus indiget cibo, vt diutius viuat; quod non euenit in parte animali, & vitali; quia ligatis neruis, vel arterijs illicò, & in inſtanti ceſſat irradiatio, ſenſus, & vita: quia pars ſenſu vel motu prædita non habet virtutem connatam, & inſitam, ſed aliunde pendentem, recipientemq; facultatem per irradiationem radiorum.

Secunda ratio, quæ proponitur à Manardo, qua probat non dari ſpiritum naturalem, talis eſt. in hepate non datur cauitas, & locus generationis ſpiritus naturalis, ſicuti dantur cauitates in corde pro vitali ſpiritu, & in cerebro dantur ventriculi pro animali; ergo non dabitur iſte ſpiritus naturalis.

Tertia, ſi daretur ſpiritus naturalis, per tunicam venarum exhalaret; Galenus enim laudauit Herophilum multis in locis, quia dixit arterias eſſe ſextuplo venis craſſiores, quia ſpiritum continent; ſpiritus enim cum ab Hippocrate vocentur *ὁρμῶντα*, id eſt impetum facientia debent

con-

contineri in vaſe admodum denſo; vena verò non eſt huiuſmodi. Præterea ſi de ratione ſpiritus eſt impetum facere, venæ pulſarent, vt arteriæ; Hæ rationes ſunt Manardi ideſt 2. & 3. ſed ſunt infirmæ, ne dicam minimè concludentes.

Quarta ratio, quæ magnam habet efficaciam, deſumitur à definitione communi ſpirituum, tradita à Gal. 3. de potentijs naturalibus cap. 14. vbi loquens de ſpiritu in communi habet hæc verba *ſpiritus eſt halitus, et vapore tenuior:* qua poſita ſpirituum conditione fuit ſententia aduerſariorum dicentium, dari ſpiritum naturalem; & hunc eſſe partem tenuiorem ſanguinis; quomodo ſpiritus poterit dici pars tenuior ſanguinis, ſi de ratione ſpiritus eſt vt ſit vapor? ſed melius, ſi de ratione ſpiritus eſt, vt ſit tenuior vapore; quomodo iſte inuiſibilis vapor erit ſanguis tenuior? Quare nullo modo, ſi Galeno eſt danda fides, defendere poſſumus dari ſpiritum naturalem influentem, qui ſit tenuior vapore, & qui habeat irradiationem, vt Arabes, & alij Auctores connati ſunt defendere.

Reliquum eſt, vt ſint tantum duo ſpiritus, qui habeant irradiationem; iſti ſunt animalis, & vitalis; animalis ex Gal. 12. methodi cap. 5. ſedes eſt cerebrum, uitalis uero ſedes eſt cor & arteriæ. Hinc Gal. 7. de placitis c. 3. his fere uerbis de his ſpiritibus concludit, *Spiritus qui in arterijs continetur vitalis eſt: qui in cerebro animalis, non quod animæ ſubſtantia ſit, ſed primum eius inſtrumentum.*

Quod uero ex Gal. ſpiritus animalis & uitalis inter ſe ſpecifica differentia diſcrepent facilè patet, & præcipuè lib. 16. de uſu par. c. 10. ubi his uerbis docet, ſpiritum animalem ſpecie differre à uitali; *arteriæ plexuum animalem ſpiritum in cerebro contentum nutriunt, qui certe multum ab alijs ſpiritibus natura diſcrepat:* ecce quod ſpiritus animalis natura diſcrepat à uitali, quod non cognouit Argenterius, qui putabat unicum tantum ſpiritum uitalem ſufficere pro obeundis omnibus functionibus non ſolùm uitæ inſeruientibus, ſed etiam motionibus, ſenſationibus internis & externis; ſed quam ſit uana eius opinio facile iam patebit in ſolutione Argumentorum propoſitorum ab Argenterio contra Galenum: Videamus igitur illius argumenta.

Primum Argenterij argumētum probans, ſpiritū uitalē, & animalem ſpecie & natura nō differre, hoc uidetur eſſe; ſi darentur plures ſpiritus, inuicem permiſcerētur, & ſic miſti actiones ſuas nō ederēt.

Argumētum eſt uaniſſimum; quia ſpiritus non permiſcentur; animales enim manent in neruis, uitales uero in arterijs, quomodo ergo miſcentur? Præterea demus, quod miſceātur, negamus nō edere ſuas operationes; nō ne bilis, uel ſanguis mixtus in maſſa ſāguinea efficit ſuas operationes? bilis ſcilicet calefaciēdo, ſanguis vero contemperando? quare argumentū propoſitum contra Galenum eſt ridiculū.

Secundū deſumit à motu dilatationis pupillæ, & probat motum immediatè à ſpiritu vitali, & non ab animali prodire: ait, non ne dum dilatatur pupilla, clauſo alterutro oculo, dilatatur à quibuſdā arteriolis ad pupillam vſq; excurrentibus? ergo à ſpiritu vitali ab arteriolis emiſſo mouetur: quod vero dilatetur pupilla ab arteriolis patet, quia inter pupillam & neruum opticum non ſe interponit neruus, ſed alia corpora, vt eſt humor aqueus, & cryſtallinus: ergo (infert) datur motus qui euidentiſſimè à ſpiritu vitali prod't. Cauſa erroris Argenterij eſt anatomię imperitia: quia opticus neruus peruenit ad cryſtallinum, & deinde diffunditur in tunicam reticularem, quæ fertur ad pupillam vſque, ratione cuius pupilla dilatatur, & non à ſpiritu vitali arteriolarum.

Tertium, ſi in cerebro eſſet ſpiritus animalis ſpecie diſtinctus à vitali, ſequeretur, quod in cerebro ſemper fierent ſenſationes, & cogitationes: quia facultates ibi ſemper adſunt. Hoc eſt omnium argumentorum vaniſſimum. Primè, quia ſuppoſito etiam non eſſe ſpiritum animalem, nonne ex illius ſententia erit vitalis; nonne idem ſequeretur, cum ſemper vitalis ſit in cerebro? ſecundò nos concedimus ſemper in cerebro eſſe cogitationes: immo neq; per ſomnum internas ſenſationes eſſe ocioſas putamus.

Quartum tale eſt, ſi daretur ſpiritus animalis non poſſet, cum ſit igneæ naturę, ad extremos pedes deſcendere, & ſenſum & motum præbere infernis partibus;

bus:ergo. Reijcitur primò,quia hæc inſtantia magis illum ferit, quam Galenum:quia eadem difficultas eſſet de vitali, ſi motum & ſenſum præſtaret; accedit quod illum magis feriat, quia vitalis ſpiritus eſt calidior animali. Poſtremò ſpiritus animales non deſcendunt,ſed ſolum ſpirituum radij incorporei, qui nec graues, nec leues ſunt.

Quintum eſt vix conſpicitur plexus in homine: quomodo ſufficiet pro generatione ſpirituum animalium? Præterea negat pro generatione ſpirituũ requiri aliquẽ plexum, eo quia in corde, vbi præcipuè generãtur ſpiritus, nullus eſt plexus.

Reijcitur,quia incidit in plurima errata: primò oſtendit, ſe non vidiſſe anatomen humani cerebri:quia plexus retiformis eſt conſpicuus,& non ita exiguus, vt vix conſpici poſſit. Secundò vacillat,quia putat eſſe Galeni ſententiam in plexu retiformi fieri ſpiritum animalem, quod nunquam ſomniauit Galenus,qui ſolum voluit plexum ſuppeditare, & præparare materiam pro generatione ſpirituum animalium, vt deinde ſpiritus animales in ventriculis fieri poſſint: errat poſtremò dum dicit pro generatione vitalium ſpirituum non requiri plexum: hoc non eſt contra nos, quia non tenemus ſolum in plexu vaſorum præparari alimentum ſpirituum.

Galenus enim putat ſanguinẽ in dextro vẽtriculo cordis præparari, vt in ſiniſtro fiãt ſpiritus: Columbus ait præparari in pulmone:Io. Botalus in ductu,qui eſt à dextra ad ſiniſtram auriculam cordis. Io. vero Vlmus ait in plexu arteriarum ſplenis præparari materiam pro ſpirituum generatione: ecce quod ſaltem ex Vlmi ſententia datur plexus pro generatione ſpirituum vitalium: quare argumentum Argenterij omnibus viribus deſtituitur.

Poſtremò valde reprehendit Galenum, quia non ſibi conſtet, quod dicat, ſpiritum animalem modo fieri ex aere,modo ex ſpiritu vitali,modo ex ſanguine: ſimiliter ait, Galenum eſſe inconſtantem, eo quod dicat ſpiritum fieri modò in plexu, modò in ventriculis, & modò in cerebri ſubſtantia. Quibus nugis reſpondemus, Galenum dixiſſe ſpiritum animalem fieri ex ſpiritu,& aere inſpirato per mamillares proceſſus tanquam à materia propinqua:dixit ex ſanguine,vt à remota,dixit in plexibus præparari,& non fieri:dixit tamen & rectè fieri in ventriculis: in ſubſtantia vero factos ſpiritus non fieri, ſed perfici.

DECIMVM CAPVT

De ſignis cerebri.

Tex. 13. *Indicia autem ſingularum temperatura ſumpto à cerebro initio, deinceps dicemus. Sunt verò quinque inſita genera, quæ ipſius naturam oſtendunt. Primum quidem totius capitis diſpoſitio. Secundum verò ſenſibilium operationum virtus, & vitium. Et tertium actiuarum. Quartum earum quæ tenent principatum. Et quintum naturalium. Aliud verò genus præter hæc omnia, ea quæ extrinſecus aduenis altera.*

Tex. 14. *tio. Et quidem totius capitis diſpoſitio ex magnitudine, & figura ſumitur, atque capillis.*

VOlens Galenus tradere ſigna corporis inſalubris exiſtentis in latitudine ſanitatis, vidíſque, quod totum corpus reddi poſſit inſalubre ob vitium vnius partis principis:ideò in præcedenti capite propoſuit vniuerſaliſſimam diuiſionem omnium partium corporis: ſed quia,quo præſtantior eſt pars læſa, eo citius corpus totum conſentit, & in ſimilem ægritudinem labitur; ideò in hoc c. agit prius de cerebro, quod eſt pars omnium præſtantiſſima.

Hinc errat Pluſquamcommentator dicens,Galenum exordiri à cerebro, non quia ſit dignius, ſed quia eius ſigna ſunt nobis notiora:putabat enim cum Ariſtotele, cor eſſe dignius cerebro, quod eſt falſum:probauimus autem ex Galeno rationibus demonſtratiuis,cerebrum eſſe dignius: dicendum igitur eſt Galenum exordientem à cerebro ſeruaſse ordinem facilitatis,& dignitatis.

In hoc cap. Galenus proponit quinque fontes, à quibus deſumi poſſunt ſigna indicantia temperaturam cerebri.

Primus fons continet ſigna à capitis diſpoſitione deſumpta,quæ ſunt,vt habetur in tex. hæc tria: magnitudo, figura,& capilli. Quid verò indicet caput magnum & paruum,infra declarabit:ſimiliter quo

modo

modo figura, & capilli indicent temperaturam celebri, infra patebit.

Secundus ſumitur à virtute, vel vitio ſenſibilium operationum: per ſenſibiles operationes intelligit quinque ſenſus,& ſenſum communem: Hinc acutus ſenſus guſtandi, & olfaciendi indicant temperaturam calidam:obtuſus frigidam.

Quantum attinet ad ſenſum communem,cum eius officiū ſit(vt aiunt)dignoſcere omnia, quæ noſcuntur à 5.ſenſibus externis, & tradat differētiam inter ſenſum & ſenſum,ideo eius vitium, vel virtus indicabit quoque ſtatum & temperaturam cerebri. Præterea,cum ſenſus cōmunis ex Ariſtotele 2. de anima tex.64. habeat hæc quinq;obiecta,magnitudinē, numerum,figuram,quietem,& motum, cum ſomnus reducatur ad quietem, & vigilia ad motum;ideò dicimus,ad ſenſū communem nō ſolū pertinere cognitionem magnitudinis,figuræ,motus,numeri,& quietis:verū etiam vigiliæ,& ſomni.

Tertius fons continet ſigna quę deſumuntur ab operationibus motiuis; motus enim dependet à cerebro; Hinc dicimus,motum velocem indicare calidam cerebri naturam;tardum frigidam.

Quartus continet ſigna,quę deſumuntur ab operationibus principatum habētibus: quæ operationes ſunt tres, imaginatio, diſcurſus, & memoria, quæ prout vario modo ſe habent, variam naturam cerebri indicant;memoria enim diminuta indicat cerebri frigiditatem; memoria verò optima caliditatem;ſimiliter ex Galeno libro de natura humana comm.39. diſcurſus acutus & velox indicat caliditatem, tardus affectionem contrariam; prudentia melancholiam; ſtoliditas verò ſanguinis dominium; egimus; lib.1. methodi vitand.de ſignis per ſyndromē colligendis pro internis affectibus dignoſcēdis, vbi penetrare poteritis non ſolum corporis ſtatum vt corpus eſt inſalubre, nunc, verum etiā vt eſt inſalubre ſimpliciter, exiſtēs tamē in latitudine ſanitatis.

Quintus fons pertinet ad facultates naturales ſcilicet attractricem, retentricem,concoctricem,& expultricem;cerebrum enim vt eſt pars naturalis, his quatuor facultatibus eſt inſignitum; attractrix verò nimia indicat caliditatem; caliditas enim attenuat materiam, & rarefacit partem, quæ duę cauſę efficiunt attractionem;ſicuti flāma ellychinij lucernæ rarefacit ellychinium. Et ex alia parte ita attenuat oleum vicinum flāmæ vt è veſtigio aſcendat ad implendum rarefactum ellychinium.

Retentrix nimia frigiditatem,optima concoctrix optimam temperaturam, diminuta frigiditatem, expultrix irritata caliditatem cerebri indicare ſolent:Verū hæc ſigna indigent aliorum cōfirmatione;quia hic per ſignorū ſyndromen Gal. nos manu ducit ad dignoſcendas cerebri tēperaturas; emulatur enim Ariſtotelem 2. poſt.vbi docet in occultis confugiendū eſſe ad ſignorum communium ſyndromen,quæ ſi ex antecedentibus, & conſequentibus rectè formetur, habebit tantam vim,quantam optima demonſtratio.

Acachias manifeſtiſſimè errare videtur,dū putat,Gal.intelligere per actiones naturales appetitum ad coitum,ad cibū, vel potum; quæ operationes non conueniunt cerebro, de quo hic loquitur Gal.

Demum Galenus in fine capitis admonet præter quinq; fontes,vel quinque ſignorum genera indicantia cerebri ſtatū, adeſſe aliud genus,quod opponitur quinque propoſitis, ſumptum ab extrinſecis alterationibus,vt ab aere,ſi iuſto calidior, uel frigidior ſit,à cibo & potu,& ab accidentibus externis; in quo fonte mihi videtur quod commodè contineri poſſint iuuantia & lædentia, quæ mirificè temperaturā cerebri indicare poſſunt; Hinc dicimus,ſi cerebrum à calidis facilè calefiat, eſſe calidæ temperaturæ, ſi à frigidis facilè frigefiat, frigidæ, ſi ab humiditatibus externis humeſcat, & deſtillationes patiatur eſſe humidæ temperaturæ.

Quod harū cauſarum cognitio maximè conferat ad cognoſcēdam internam conſtitutionē patebit, ſi ante oculos obijciemus famoſum illum caſum de Cōcionatore à Gal.citatū libro quomodo morbum ſimulantes deprehendantur, Concionator fingebat collica torqueri; à Galeno cognoſcitur; quia non præceſſit victus infrigidās, vel talis, qui collicam efficere potuiſſet; Simili modo in omni diſpoſitione corporis inſalubris ſimpliciter exiſtentis in latitudine ſanitatis poſſu-

mus Galeni imitatione perquirere ſtatum cuiuſq; corporis,& cuiuſq; partis.

1 Dubitatio oritur, quia Auicenn.1.3. tract.1.c.40. plura alia ſigna cerebri propoſuit,quæ ſunt cognitu neceſſaria: ergo Galenus fortaſſe videbitur in hoc loco diminutus.

Reſpondetur, Galenum in hoc cap. tradere ſigna corporis inſalubris ſimpliciter;ideo in c.75.vbi agit de corpore inſalubri vt nunc alia quoq; tradet. Auicennas verò loco cit. tradit ſigna corporis inſalubris ſimpliciter, & inſalubris nunc,& omnia confundit,de qua re Galenus altiori methodo agens, diſtinctius hic ſermonem habet.

2 Dubitatio,uidetur Galenum malè facere,dum docet à ſenſibilibus, & motiuis operationibus dignoſci temperaturam cerebri, quia cerebrum neq; ſentit, neq; mouetur:quomodo igitur ex ſēſu,& motu cognoſcemus temperaturam cerebri?

Pluſquamcommentator reſpondet, & rectè,ſenſum,& motum mediatè,& non immediatè indicare temperaturam cerebri:ſenſum enim, & motum immediatè à proprijs organis,organa verò à cerebro prodire dicimus.

3 Dubitatio,Ariſtot.2.de partib.animal. c.7. & 10. & lib.3.de hiſt. animal.c.19.dicit,cerebrum non ſentire:attamen Galenus 2. de medicam. per loca c.2. & lib.de inſtrumento olfactus cap.4.ait,cerebrum eſſe medium inter ea, quæ exquiſitè ſentiunt,& ea, quæ non ſentiunt.

Reſpondetur,cerebrum non ex ſe, ſed ratione membranæ circundantis ſentire.

4 Dubitatio proponitur à Pluſquamcommentatore, & eſt, quod videtur Galenus oblitus propoſitę methodi, quę docebat eſſe dignoſcenda interna viſcera ex ſubſtantialiter inhærentibus, & neceſſariò conſequentibus operationibus, & caſibus:attamen illam in hoc cap. non applicat cerebro:quia magnitudo, figura, & capilli non videntur eſſe ſubſtantialiter inhærentia cerebro.

Reſpondetur cum Galeno cap.75. vbi clariſſimè docet, quæ ſenſum effugiunt, nullo modo cognoſci poſſe per ſubſtantialiter inhærentia: ea.n. ſola dicit Galenus cognoſci per ſubſtantialiter inherentia,quæ videri, & tangi poſſunt: cùm igitur cerebrum, nec videri, nec tangi poſſit, non poterit dignoſci per ſubſtantialiter inhærentia, & per conſequens methodus ab illo propoſita, quòad ſubſtantialiter inhærentia,non poterat applicari cerebro, ſed toti capiti: quia magnitudo, figura,& capilli ſunt ſigna ſubſtantialiter inhærentia totius capitis,& non cerebri: quare dicendum eſt, Galenum per cerebrum intellexiſſe totum caput.

Hinc Curtius decipitur, dum putat, magnitudinem, & figuram eſſe ſigna ſubſtantialiter inhærentia cerebro: quod eſt falſiſſimum, ſi verum eſt quod à Galeno cap.75. docetur,quæ ſcilicet ſenſum effugiunt,& quæ tangi non poſſunt, non dignoſci per ſubſtantialiter inhærentia.

Pluſquamcommentator ſimiliter fallitur, dum putat, magnitudinem, & figuram eſſe ſigna ſubſtantialiter inhærentia cerebro; capillos verò, & alterationem facilem,vel difficilem reduci ad caſus; & deindè actiones omnes ad ſigna,quę neceſſariò conſequentia vocantur.

Ego autem puto, alterationem extrinſecam reduci ad iuuantia, & lędentia, nobiſq; inſeruire modò pro cognitione eſſentialiter inhærentium; modò pro cognoſcendis actionibus, & caſibus; Ego fusè egi de hoc fonte, qui continet iuuantia,& lędentia in 1. & 6.lib. methodi vitan.vbi artem dignoſcendi internos,& occultos affectus per iuuantia, & lędentia propoſuimus:diximuſq; iuuantia modò inſeruire pro cognoſcenda diſpoſitione partium affectarum, modò pro actionibus,modò pro locis affectis cognoſcendis; necnon diximus eſſe tamquam Lydium lapidem, quo breuiſſimè, & ſine alio magis laborioſo experimento auri fices agnoſcunt obryzum.

5 Dubitatio dictum eſt,Gal. intelligere per magnitudinem, & figuram ſigna ſubſtantialiter inhærentia non cerebri, ſed totius capitis; quæritur cur Gal. non proponat alia ſubſtantialiter inhærentia, ſicuti eſt ſitus, & numerus.

Reſpondetur, raròcontingere, vt caput in ſitu, vel numero peccet; ideo quæ raro fiunt, & ſunt monſtruoſa, non eſſe proponenda; vel dicimus Galeni ſcopum eſſe temperaturam capitis declarare,quę nullo modo per numerum, vel ſitum declarare

cla-

clarari poteſt: non negamus tamen per magnitudinem,& figuram pernoſci poſſe eius ſymmetriam.

QVÆST XXXVIII.

An motus cerebri fiat ab Arterijs, vel à ſubſtantia cerebri, vel ab alijs cauſis.

QVia dictum eſt, cerebrum eſſe principium motus: quæritur hic quoq; an moueatur,& quomodo.

Gal. 13. de vſu part. c. 8. dicit, cerebrum moueri motu dilatationis,& constrictionis. Præterea in infantibus in parte anteriori cerebri motus maniſeſtiſſimè conſpicitur.

Quidam dixerunt, motum cerebri eſſe voluntarium, quæ opinio eſt adeò vana, vt ſit indigna redargutione.

Quidam alij putant, cerebrum non moueri ex ſua natura, ſed ratione arteriarum; quia motus cerebri eſt motus diaſtoles,& ſyſtoles, qui pertinet ad arterias. Præterea eodem tempore, quo pulſant arteriæ, eodem dilatatur, & conſtringitur cerebrum.

Quæ opinio reluctatur Gal. qui 3. de plac. c. vlt. dicit: *Sicuti corpus cordis, cum ex ſeipſo dilatatur, & conſtringitur viciſſim muterias, et attrahit, & omittit: eadem ratione cerebrum cùm vult ſpiritum in ſuis ventriculis contentum, quem animalem nuncupamus in aliquod membrum tranſmittere, accommodata huic rei agitatione motum id facit.* Similiter Gal. lib. de inſtrumento odoratus cap. vltimo, ait, naturam non denegaſſe motum cerebro: quia per motum trahitur à cerebro ſpiritus, vt dicit Galenus gratia nutritionis refrigerationis, & expurgationis excrementorum: ecce quod ex Galeni ſententia eſt clariſſimum, motum cerebri, quamvis eodem tempore moueantur, quo arteriæ, non fieri ab arterijs, ſed à ſua inſita facultate gratia refrigerationis, nutritionis, & excrementorum expurgationis.

Aliqui, vt refert Gal. 4. de differ. pulſ. c. 2. putarunt, membranas ſolas pulſare: Aliqui cerebrum,& non membranas: Aliqui cerebrum, & membranas: Demum erant qui putabant, non cerebrum, vel membranã, ſed ſpiritum animalem dilatationis, & conſtitutionis motũ efficere.

Quæ omnes opiniones aduerſantur Galen. locis cit. vbi clariſſimè ſe explicat dicendo, corpus cerebri dilatari, & conſtringi ea neceſſitate, qua cor dum vtitur diaſtole,& ſyſtole: ſicuti verò corpus, vel caro cordis eſt auctor motus cordis, ſic corpus cerebri, vel caro, vel medulla cerebri, quomodocumq; vocetur, eſt auctor dilatationis,& constrictionis: Neq; ſpiritus animalis cauſare poteſt illum motum dilatationis, & conſtrictionis; quia cùm ſpiritus continuò fiant à cerebro,& continuò ab illo noui gignantur ſpiritus, non poterunt cauſare perpetuum motum in cerebro, quod eſt primum efficiens: implicat enim dicere, primum efficiens eſſe partem mobilem; ſpiritus verò, qui ab illo generantur, eſſe partem mouentem.

1 Dubitatio ſtatim oritur: ſtatuimus .n. à propria ſubſtantia cerebri, & non à membranis, vel ab arterijs motum conſtrictionis, & dilatationis cerebri oriri, quod ſi eſſet verum, ſequeretur tàm partem poſteriorem cerebri illo motu moueri, quam anteriorem, ſed ſic eſt, vt apparet, quod ſuperior magis moueatur illo motu; ergo id non fiet à ſubſtantia cerebri, quæ tam in anteriori parte, quàm in poſteriori inuenitur.

Reſpondetur primò, negando partem poſteriorem cerebri non pulſare eo modo, quo anterior; Præterea ſunt qui dicunt, ventriculos anteriores cerebri magis pulſare, quã poſteriores, quod eſt falſum; nemo .n. vnquam videre potuit, an pars poſterior plus, vel minus dilatetur, vel conſtringatur; quia dum vulnus ad ventriculos poſteriores cerebri peruenit, officia mutantur,& animal moritur.

Secundò dato, & non conceſſo, quòd maior motus eſſet in anteriori ſinu, quã in poſteriori, dicimus quoq; eſſe maiorem neceſſitatem nutriendi, refrigerandi,& expurgandi cerebrum in anterioribus, quam poſterioribus ventriculis; quia ibi generantur ſpiritus, & in poſterioribus conſeruantur.

2 Dubitatio, ſi à cerebri ſubſtantia fieret motus conſtrictionis, & dilatationis, idem motus obſeruaretur quoq; in ſpinali medulla, quæ eſt cerebri ſubſtantia; ſed

ſic eſt, quod medulla ſpinalis caret motu dilatationis,& conſtrictionis;ergo à cerebri ſubſtantia motus ille non fiet.

Reſpondetur, in ſpinali medulla non adeſſe occaſionem motus conſtrictionis, & dilatationis; quia ibi non generantur ſpiritus animales; ideo ſpinalis medulla non pulſat.

Inſuper reflectitur argumentum contra illos, qui dicunt cerebri motum eſſe ratione arteriarum; quia ſi cerebrum ratione arteriarum mouetur, mouebitur quoq;eodem motu ſpinalis medulla,quia ſimili modo arterijs contexta eſt;ideo tutius eſt,vt dicamus,motū cerebri prodire à propria eius ſubſtantia ob neceſſitatem quam habet in generatione ſpirituū animaliū,euentandi,& expurgādi excremēta, quam quod ille motus ab arterijs fiat.

3 Dubitatio,ſi motus conſtrictionis, & dilatationis cerebri penderet à propria ſubſtantia cerebri,& non ab arterijs,motus cerebri eſſet diſſimilis à motu arteriarū;ſed ſic eſt,quòd eſt omnino ſimilis, itavt dum pulſat cerebrum, pulſant eodē modo,eodemq; tempore arteriæ,ergo ab arterijs,& non à cerebri ſubſtantia fiet.

Reſpondetur, quod ſimilis eſt pulſus cerebri, & arteriarum, quia cauſa & neceſſitas generationis ſpiritus animalis,& vitalis ſimilis eſt: ideo eodem tempore, quo euentatur cor, fuligines expelluntur, & ſpiritus aere nutriuntur: eodem tempore pars anterior cerebri trahit aerem palpitando,euentatur,& expurgatur.

Ad generationem ſpirituum animalium concurrunt multa mobilia, perindè ac in horologio,in quo eodem tempore omnia mouentur: prima rota, ſeu ſpira chalybea eſt cor, ex cuius motu generatur ſpiritus vitalis:ex motu ſpiritus vitalis ad cerebrum eodem tempore pars anterior,quæ eſt ſecunda rota mouetur, quia generatio ſpirituum animalium pertinet ad ventriculos partis anterioris. Tertia rota eſt ingreſſus aeris inſpirati pro generatione ſpirituum; quippè qui non ingreditur per arterias, ſed per tubercula mammarum papillis ſimillima, quæ ſunt organa odoratus:ecce quomodo,& qua de cauſa omnia moueantur eodem tempore, quamvis motus dilatationis, & conſtrictionis cerebri non fiat ab arterijs; ſed à cerebri ſubſtantia, vt nos docet Gal.3.de plac.cap.vlt. & in lib. de inſtrumento odoratus in fine.

QVÆST. XXIX.

A qua parte cerebri ſenſus, & motus proueniant.

FErnelius lib.5. ſuæ phyſiologiæ c.10. putat, motum à cerebri ſubſtantia pronenire;ſenſum verò à membranis cerebri: Ratio illius eſt, quia cerebri ſubſtantia motu continuo mouetur,& caret omni ſenſu; membranæ verò ex ſe non mouentur; ſed ſenſu exquiſitiſſimo ſunt inſignite;infert ergo à cerebro motum,à membranis verò ſenſum prouenire.

Decipitur valdè Fernelius, quia eius fundamentum eſt vaniſſimum: fundamentum eius eſt,quod ea de cauſa motus totius corporis proueniat à cerebro, quia cerebrum perpetuò mouetur; ſupponit eodē genere motus moueri muſculos, & cerebrum;ſecùs ſua ratio nulla eſſet;motus.n. muſculorum eſt voluntarius;cerebri eſt naturalis,& neceſſarius; ſi Ariſtot. dixiſſet, cor eſſe principium motus muſculorum,quia perpetuò mouetur, rationem ridiculam propoſuiſſet: ideò Ariſt. nō dixit, cor eſſe principium motus, quia perpetuo mouetur:quoniam motus dilatationis & cōſtrictionis cordis differt genere à motu voluntario: Hinc Ariſt. vt oſtenderet, cor eſſe principium omnium motuum, dixit à corde non ſolum arterias oriri,ſed neruos omnes,qui ſunt origines voluntarij motus: ſimiliter Fernelius debebat aſſerere, non quod motus oriatur à cerebro, eo quia perpetuo mouetur; motus.n. cerebri differt gènere à motu volūtario, ſed quia à cerebro oriātur nerui,qui ſunt inſtrumenta motus.

Secunda ratio Fernelij, qua oſtendit, motum oriri à cerebro, & ſenſum à mēbranis eſt,quia nerui,qui multam habent medullam ſunt motus inſtrumenta, qui paucam, magna ex parte ſunt inuoluti membranis,ſuntque principia ſenſus.

Hæc ratio eſt à veritate valde aliena; quoniam nerui optici, qui habent multum medullaris ſubſtātiæ ſolum ſenſum, & non motum habent. Cæteri verò,qui ſunt motui deſtinati obſident exiguam por-

portionem ſubſtātiæ medullaris cerebri, ſuntq; duriores; quia meningib. ſunt optimè obuoluti; Hinc ex Galeno nerui duri ſunt apti ad motum, molles ad ſenſum.

Gal. lib. 7. de pla. c. 3. docet, facultatem mouendi & ſentiendi ſolum contineri in cerebri medulla; membranas uerò eſſe à natura factas gratia ueſtiendi medullam.

Dub. nihil dat quod non habet; ſed cerebrum nec ſenſum nec motum uoluntarium habet; ergo non dabit alijs partibus ſenſum & motum.

Reſpondemus quo ad ſenſum, cerebrū quam maximum habere ſenſum nempè diſcurſum, memoriam, & imaginationē; & hoc ſentire eſſe ἀν-παθητικῶς, quia ſua uirtute iudicat ſenſibilia ſine ulla paſſione & ſine ullo dolore. Cauſa uero, cur cerebrum non patiatur dolorem eſt quia ſolutio continui, quæ fit in cerebro, fit ſine uiolentia; at de ratione doloris ex Gal. 12. meth. 7. eſt ſolutio cōtinui facta ἀθρόως idest uiolenter; cerebrum uero non eſt capax uiolentiæ: quia eſt molle: hac ratione pedes hydropicorum fiunt tumidiſſimi, ſed ſine dolore, quia fiunt tales ſine uiolentia ubi enim eſt maxima humiditas, ibi non fit uiolentia; ideo Gal. 5. ſimpl. ad humiditatem non eſt dolor.

Quo ad motum dicimus cerebrum carere motu ſpōtaneo, quia eſt principium motus ſpontanei, & ut principium debet quieſceri: cur? quia omne quod mouet ex Ariſt. lib. de motu animalium indiget duplici quieſcente: primum quieſcens eſt mouens; ſecundum ſuper quod mouens mouet. Sic primus Motor indiget duplici quieſcente centro uidelicet, & ſe ipſo quieſcente; ſic cerebrum ſi alijs partibus dat motum ſpontaneum. 2. quieſcens ſunt oſſa capitis firma, & ſtabilia.

VNDECIMI CAPITIS
De paruo & magno capite.

Paruum igitur caput vitioſæ cōſtitutionis cerebri proprium eſt indicium. Magnum verò non neceſſariò indicat bonam cerebri compoſituram. Sed ſi quidem ob inſita virtutis robur, quæ multam, atq; optimam materiam afformauerit, eueniat, optimum eſt ſignum: at ſi ob materiæ tantum multitudinē, haudquaquā bonum. Diſtinguēda verò ſunt hæc, & ex figura ipſa, & ex his quæ ab eo habent ortum. A figura quidem ipſa, ſi concinna, ſemper enim hoc bonum eſt ſignum. Ex his autem quæ ab eo ortum habent, ſi valida eſt ceruix, & ſi alijs oſſibus optimè conſtet, atq; omnis præterea neruoſa ſubſtantia boni ſit habitus, ac robur habeat intentum. Propria autem capitis figura eſt, veluti ſi excogitares ſphæram exquiſitè rotundam, ex cera conſtuctam, paulatim vtrinq; depreſſam. In hoc enim neceſſe eſt, vt poſteriores, prioreſve partes plus gibbæ fiant, quam ſphæræ conueniat. Quæ verò vtrimque conſiſtunt, magis recta.

PRopoſitis quinque fontibus à Galeno, unde dignoſci poſſint capitis temperaturæ. In hoc loco tradit ſigna, quæ deſumuntur à magnitudine, & figura capitis; uerum, quia ſub magnitudine continetur magnum & paruum; ideò in hoc tex. incipit de capite magno, & paruo.

Diuiditur tex. in duas partes, in prima docet, caput paruum eſſe ſignum uitioſæ conſtitutionis cerebri; caput uerò magnum tunc ſolum indicare bonam compoſituram, quando in prima generatione factum eſt magnum à robore uirtutis formatricis; etenim ſi in prima generatione multum materiæ ſeminalis, & mēſtrualis eſſet cum debili formatrice, tunc caput magnum nullo modo bonum eſſe poſſet, quia eſſet magnum à multitudine materiæ & non à robore formatricis.

In ſecunda parte nos docet, quomodo dignoſci poterit quādo caput magnū indicet bonam compoſiturā, dicitq; tunc caput magnum fore bonum, quando eius figura erit ita cōcinna, ſicuti eſſet ſphęra rotūda vtrinq; depreſſa; ita vt partes anteriores & poſteriores plus gibboſæ ſint, quā ſphæræ exquiſitè rotundæ cōueniat: requiritur enim hæc gibboſitas in parte poſteriori, ne cōprimatur ſpinalis medulla: ſimiliter eadem requiritur gibboſitas in anteriori, ne comprimantur proceſsus mamillares, nerui optici, & uentriculi anteriores, hocq; modo ceruix, & ſubſtantia neruoſa erit ualida & robuſta; hanc ualiditatem quāuis Gal. deſumat ab hac figura capitis concinna, tamē facilius ea dignoſcetur, ſi ſenſus, & motus fuerint ualdè uegetes; quia ualet hæc conſequētia, ſenſus, & motus ſint ualdè uege-

tes,ergo ſubſtantia neruoſa eſt robuſta.

Cauſa verò,cur nec ceruix,nec ſubſtantia neruoſa poſſit eſſe ualida, ſi caput ſit paruũ, eſt (ut optimè explicat Haly) quia in capite paruo non ſolùm radix eius ex neceſſitate debet eſſe parua, ſed etiã quæ à radice naſcuntur, id eſt ſpinalis medulla & nerui, unde operationes motrices, & ſenſitrices imbecilles fiunt. Hinc ſi caput fuerit magnũ,ceruix erit magna, & omnia corporis oſſa,& quæ adnectuntur oſſibus, ideſt totum corpus; immo nullum eſt ſignum euidentius optimi capitis,quã dum orta atteſtantur principijs, ſi caput .n. eſt magnum, & corpus paruum, non poteſt eſſe bonum, dum uerò totum corpus capitis proportioni reſpondet,& ſenſus, & motus ualidi ſint, tunc caput magnum optimum erit.Accedit,ſi cum magnitudine capitis fuerit figura concinna, (ut admonet in hoc tex.Gal.)tũc neceſſariò ſequi optimam capitis compoſitionẽ.

Ratio autem, cur caput magnum ut plurimũ ſit bonum, eſt, quia ubi eſt multum de cerebro, quod re uera eſt inſtrumentum, & auctor omnium actionum principum,ſenſitiuarumq; & motiuarũ, ibi eſt ſumma perfectio; Hinc animalia, quæ maius habent cerebrum prudentiora ſunt; quæ uerò minimum de cerebro habent reſpectu ſui corporis, ut ſunt piſces, & aſini, nulla prudentia prædita ſunt;Hinc Ariſtot.2. de part.b. animal. c. 7.ait inter omnia animalia hominem habere plus cerebro; Ego autem non ſemel perpendi cerebrum humanum à caluaria ſeparatum,& cerebrum bouis, inueniq; (quod videbitur incredibile) humanum ſextuplo ponderoſius, & etiam quò ad magnitudinem ſextuplo maius cerebro bouis.

Nonnulli,dum Galenus ait,caput magnum non neceſſariò bonum, interpretantur per non neceſſariò, ut plurimum eſſe bonum;ea de cauſa moti,quia uident Galenum quoq; interpretari aphoriſm.2. ſectionis 19. dum dicit Hipp. acutorum morborum non omninò certæ ſunt prænunciationes ſalutis,aut mortis, per non omninò ut plurimum, ideſt ut plurimum prænunciationes acutorum eſſe certas. Hæc eadem tamen expoſitio hic non poteſt habere locum; quia contrarium legitur de capite magno 6.epid.1. com.2. ubi Gal. dicit magna capita rarò eſſe bona,ut fuit caput illud Periclis Athenienſis, qui fuit vir prudentiſſimus, cuius caput fuit bonum quòad prudentiam; malum verò quòad ſalubritatem; ecce per non neceſſariò bonum non eſſe intelligendum ut plurimum.

1 Dubitatio Gal. indagaturus naturam cerebri per ſubſtantialiter inhærentiã ſolum conſiderat eius magnitudinem, & figuram,& videtur diminutus; quia non ſolùm magnitudo,& figura pertinent ad ſubſtantialiter inhærentia, uerùm etiam ſitus, & numerus.

Pluſquamcommenr.reſpondet,quę rarò eueniunt in ſcientijs eſſe omittenda; rariſſimè autem,& ferè nunquã euenit, ut in vnico indiuiduo ſint duo capita; ſimiliter rarò euenit, quod caput ſitu peccet.Quę poſtrema reſponſio patitur hanc inſtantiam; quoniam plurimi videntur habere capita malo ſitu prædita vergentia ſcilicet ad læuam, uel ad dexterã partem,uel ad anteriorẽ,vel ad poſteriorẽ.

Ego reſponderem, illud uitium in ſitu nõ eſſe capitis,ſed ceruicis ſuſtinentis caput, quod ſuſtinetur à prima vertebra, quæ dicitur athlas,& à ſecunda,quę dicitur dens;quare dum caput inclinat modo in vnam,modò in aliam partem, dico, id euenire, quia ceruix inclinet in unam, uel in aliam partem; quod probatur per ipſam practicam medicinæ; quia ſi cutis anterioris ceruicis comburatur, uel vulneretur, illicò caput uerget uerſus partem combuſtam, uel uulneratam; ergo mutatio ſitus capitis non eſt capitis, ſed ceruicis.Pręterea patet per ipſa remedia, quia qui tollunt hunc affectum in ſitu non applicant remedia capiti, ſed ceruici; remedia ſunt emollientia; factaq; emollitione; cum inſtrumento ferreo pellente caput in ſitum contrarium patientes aliquid opis recipiunt; chirurgi tamen empirici ſecant cutim, quia uident ipſam cutim trahere deorſum caput reddunt illam breuiorem, & miſeros ad peiorem ſtatum deducunt.

2 Dubitatio Gal.hic & 6. epid.1. com.2. docet paruum caput eſſe uitioſum; Ariſt. uerò par. 30. probl.3. docet, quòd homo, qui habet caput paruum ſit omnium pruden-

dentiſſimus; ergo vel Galenus, vel Ariſtoteles decipitur.

Montanus reſpondet, Ariſtotelem erraſſe dum cenſuit parua capita eſſe bona. Quæ reſponſio non accipitur.

Alij dicunt, Ariſt. intelligere paruum reſpectu brutorum, & non reſpectu hominũ. Hi non explicant Ariſt. mentem: quia Ariſt. laudat caput paruum facta cõparatione inter humana capita, & nõ inter homines, & boues, vel elephantes.

Conciliator, dũ explicat illud probl. 39. particulæ, ait Ariſt. iudicare hominẽ prudentiſſimum, ſi habeat caput paruum quo ad extrinſeca, ideſt quo ad carnem, quia caput hominis non eſt cauernoſum, neque os craſſum habet, ut brutorum; habet enim humanum caput capacitatẽ magnam in parte interna: quare inquit, quando caput quo ad intrinſecam capacitatem eſt paruum, prauæ eſſe conſtitutionis; quando verò eſt magnum quo ad intrinſecam capacitatem, quamuis in parte externa videatur paruum, eſſe optimæ conſtitutionis.

Decipitur, quia Ariſt. conſiderat paruũ caput reſpectu aliarum partium corporis & non reſpectu partis intrinſecæ. Præterea quis eſt ille, qui penetrare poteſt, an homo viuens habeat maiorem, vel minorem capitis capacitatem, quam par ſit? Demum ſi magnitudo eſt ſignum ſubſtãtialiter inhærens, ut docet Gal. c. 8. dicatq; c. 75. huius libri, quod quæ ſenſum effugiunt dignoſci non poſſint ex ſubſtantialiter inhærentibus; quomodo Galen. per paruum, & magnum intelliget capacitatem internam? quæ ſenſum effugit, quæ nullo modo percipitur: poteſt enim contingere, vt aliquis habeat magnũ caput, eius tamen interna capacitas parua ſit.

Oddus deſumpſit ab Ariſt. 4. de par. anim. c. 4. cur homo habeat caput paruũ: ibi enim docet philoſophus, ſolum hominem inter omnia animalia eſſe erectæ ſtaturæ: quia bruta gerunt formam pomilionis; ſunt pomiliones, qui habent caput magnum, membra verò inferiora parua, & minimè reſpondẽtia magnitudini capitis, ſuntq; homunculi, & veluti infantes; Ariſtot. igitur ait hominem eſſe omnium animalium prudentiſſimum; quia eſt erectæ figuræ, habetq; caput paruum reſpectu inferiorum membrorum.

Ego autem puto, hanc litem facilè dirimi poſſe, ſi dixerimus Gal. per paruum caput intelligere paruum improportionatum; quando verò admonet, magnum eſſe indicium optimæ conſtitutionis, credimus intelligere de magno proportionato; clariſſima enim eſt Gal. ſententia lib. de optima corporis conſtitutione, quod tẽperatum prædicari poſſit de magno mediocri, & paruo proportionato.

Quando vero caput eſt paruum & mẽbra ad proportionẽ capitis ſunt maiora, tunc caput non poteſt eſſe bene conſtitutũ, quia in illo corpore requiritur maior ſpirituũ quantitas, quam conueniat paruæ magnitudini capitis: tum quia in corpore magno multus ſanguis colligitur, unde caput paruũ nimiũ impletur, & inde facile in apoplexiã vel alios morbos incidit.

Si verò caput fuerit magnum, & mẽbra minora ſint ſine proportione, vt ſunt pomiliones tunc corpus vix poteſt ſuſtinere capitis pondus. Præterea ex capite magno ſequitur aliud inconueniens, quod ſcilicet caput abſumat vires totius corporis; cor enim non poteſt tantum ſpiritus vitalis in caput tranſmittere, quantum requiritur pro conſeruanda capitis magnitudine: Colligas igitur neq; caput magnum, neque paruum improportionata eſſe bona; optimum tamen omnium eſſe magnum cum cæteris membris proportionatum.

3 Dubitatio nõn videtur, quod caput paruum ſit malum; quia ex Ariſtotele 3. de partibus animal. cap. 4. habetur, non ſolum caput paruum, ſed etiam cor paruum eſſe laudabile, & bonum; ibi enim ait, habentia cor paruum eſſe audaciora, magnum timidiora: ergo ſicuti cor paruum eſt bonum, & magnum eſt malum, ſimiliter caput paruum erit bonum; magnum verò malum, quod eſt contra Galenum.

Reſponſio eadem eſt cum ſuperiori, ſcilicet cor paruum, & magnum ſi proportionata ſint cæteris membris indicare bonam conſtitutionem: dum verò Ariſtoteles dixit cor paruum indicare audaciam, reſpondemus audaciam, & iram eſſe ſigna intemperatæ naturæ, & non bonæ conſtitutionis.

4 Dubitatio ſi optima conſtitutio ex Galeno libro de optima conſtitutione cap.4. poteſt ſtare cum magnitudine, & paruitate, cur Galenus in tex. abſolutè dicit, caput paruum eſſe indicium proprium vitioſæ conſtitutionis?

Reſponſio ex Galeno colligitur 6. epidem. com. 1. tex.3. vbi dicit, paruum caput eſſe malum, dum euidenter paruum eſt: Hæc euidétiſſima paruitas nullo modo ſtare poteſt cum optima conſtitutione, dato etiam quod haberet figuram cõcinnam, & talẽ, quæ aſſimilaretur ſphęræ paulatim vtrimque compreſſæ.

Præterea reſpondemus Ariſtot. laudaſſe caput paruum quo ad prudentiam, non quo ad ſalubritatem: Galenum vero damnaſſe caput paruum improportionatum quo ad ſalubritatem: prudẽtia enim magis diſtat à ſalubritate, quam aliqua ſtoliditas, quod probatur ex Gal. 1. de natura humana comm.39. vbi dicit: prudentiam indicare melancholiam & ſtoliditatem ſanguinem; ſed ſic eſt quod melancholia magis diſtat à ſalubritate, quam ſanguis, ergo prudentia minus indicabit ſalubritatem quam ſtoliditas.

QVÆST. XXXX.

An facultates principes cerebri prodeant à ſubſtantia ſimilari, vel diſſimilari.

SI omnia quę ſpectant ad hunc librũ fuſa oratione tractarentur, in immẽſum haud dubiè hæc cõmentaria ereſcerent: eſt enim materies hæc cãpus quidam hinc inde diuagandi adeo amplus, & pelagus adeo ſpacioſum, vt omnia ad vnguem proſequi potius tædioſum, quam proficuum ſtudioſis videretur: ideò ſatius eſt, ut paucis (non omiſſis tamen præcipuis rationibus, & fundamentis) arduas quæſtiones perluſtremus.

Agitur in hoc loco, an facultates principes cerebri, quæ sũt imaginatio, diſcurſus, & memoria prodeant à ſubſtantia ſimilari cerebri, vel ab organica. Fundamẽta, & rationes quæ ſuadent, vt prodeant à diſſimilari, variæ ſunt: ideò prius proponentur, vt tandem illis reiectis concludere poſſimus, omnes fũctiones à partib. ſimilaribus, & nõ ab organicis proficiſci. Curtius, & multi alij putant, actiones à ſimilaribus prodire: idem confirmat philoſophus 2. de par. animal. cap. 1. ibi enim dicit ſenſum eſſe carnis, carnem autem eſſe ſimilarem: ſimiliter Gal. 1. meth. cap.6. primo de facul. naturalibus cap. 1. & lib. 7. meth. cap.2. inquit à ſimilaribus actiones prouenire.

Plusquam commentator, & Argenterius in hac ſecunda parte putant, aliquas actiones a ſimilaribus, aliquas verò a diſſimilaribus fieri.

Ego autem paulò infra in ſolutione ſcilicet huius primæ dubitationis hos Auctores facillimè conciliabo.

1 Dubitatio Galenus in hoc tex. videtur ſuſtinere, quod a figura concinna omnes actiones cerebri prodeant, ergo non a ſimilari, vel a ſimilarium temperamento: figura enim pertinet ad partem organicam cerebri: ſimiliter Galenus 7. de placitis docet cauſam prudentiæ in homine eſſe varietatem ſtructuræ cerebri; Hinc apud Homerum caput Therſitis, quia erat acuminatum, & malæ figuræ pro fatuo nominatur. Præterea in apoplexia tollitur diſcurſus, & omnes functiones principes, nulla aliquando facta læſione in temperamento.

Hippocrates tamen lib. de diæta docet prudentiam oriri ex æquali temperatura cerebri: habetque hæc verba; *cum in corpore pars ignis ſicciſſima, & aquæ humidiſſima equaliter temperantur, prudentiſſimũ quid naſcitur*: ecce quod Hippocrates clariſſimè docet, facultates principes oriri à temperatura cerebri. Inſuper Galen. 8. de vſu partium c. 13. admonet, quod melius eſſet exiſtimare intellectum ſequi non varietatem compoſitionis, ſed corporis quod cogitat laudabilem tẽperiẽ. Similiter in ſequenti capit. docet, ingenium inſequi ſubſtantiam cerebri ſimilarem, mollem ſcilicet vel duram. Demum lib. quod animi mores ſequantur temperaturam corporis, & lib. 3. de locis affectis cap. 6. Galenus temperiem cerebri appellat mentem.

Reſpondemus, quod vera opinio eſt illa Hippocratis, & Galeni, quod actiones principes cerebri inſequantur temperaturam; cęterum, vt tollantur omnia dubia, dicimus, omnes actiones non ſolum

ani-

animales, ſed naturales, & vitales dupliciter conſiderari poſſe, primo modo vt ſunt paſſiones quædam adæquatæ totius organi, ideſt partium ſimilarium, & diſſimilarium, & ſic omnis actio vel functio adæquatè conuenit toti compoſito, tamquã proprio ſubiecto, immo nulla actio, vel paſſio alio modo definiri poteſt adæquatè, quam per proprium ſubiectum, quia omnes paſſiones vel actiones propriæ ſunt in ſecundo modo dicendi per ſe: vel conſiderantur actiones quatenus principaliter pendent à propria ſimilari carne, & hoc modo dicimus, omnes paſſiones vel actiones principaliter pendere à forma ſiue à temperamento: Hinc Gal. 7. meth. c. 2. & 6. de locis aff. cap. 3. dicit in omni organo eſſe vnam particulam ſimilarem, quæ eſt cauſa principalis actionis totius organi: ſic viſio eſt totius oculi adæquata paſſio; cauſa tamen principalis viſionis eſt cryſtallinum, ſimiliter ſanguificatio conuenit adæquatè hepati: principaliter tamen pendet ab eius parẽchymate. Ad dubium, dum Gal. dixit, cauſam prudentiæ in homine eſſe varietatẽ ſtructuræ cerebri, & caput Therſitis fatui fuiſſe turbinatum, & apoplexiam fieri ob aliquam anguſtiam in cerebro. Reſpondemus, & malam ſtructuram, & caput turbinatum, & anguſtiam, quæ cauſat apoplexiam habuiſſe originem à mala temperatura; arbitror enim eſſe impoſſibile, vt aliquis cadat in apoplexiam optima exiſtente cerebri temperatura.

Hinc Conciliator vir doctiſſimus diff. 63. conciliat eos, qui videntur eſſe diſcordes, & ſoluit dubitationem, dicens actiones prouenire à ſimilaribus; vt ſunt principium quo, à diſſimilaribus verò adæquatè, & vt ſunt principium quod. Hinc Galenus lib. de cur ratione per ſ. m. c. 4. dicebat primarias actiones à ſimilaribus, ſecundarias verò à diſſimilaribus abſolui ideſt primariò à ſimilaribus; ſecundariò à diſſimilaribus actiones prodire.

VNDECIMI CAPITIS Particula II.

Tex. 15. *Quòd ſi ea quæ ſecundum occiput eminẽtia minuatur, ſimul intueri oportet neruos, atq; ceruicem vnà cum oſſibus alijs. Nam ſi ſecundum naturam conſtiterint, materia defectu, non virtutis imbecillitate contingit. Illis verò non rectè ſe habentibus, principium eſt debile, ſed magna ex parte defectus qui occipiti eueniunt, conſequitur eorum quæ ante diximus imbecillitas, rariſſimèq; aliter euenire conſueuit. Caput etiam quod ſecundum occiput in acutiem tendit, animaduertere oportet, ijſdẽ adhibitis diſtinguendi rationibus quibus antea in capite, grandiori facto vtebamur. Vt plurimum verò, & hic optimum eſt ſignum figura concinna eius partis, quæ cerebro adhæret, quam nonnulli medici poſterius cerebri appellare conſueuerunt; quemadmodum, & poſterius exiſtit ea futura quæ Græca litera λ formã habet præfinitã.*

IN hoc tex. Galenus agit de vitijs occipitis, & ſincipitis. Diuiditur in duas partes: in prima agit de diminuta: in 2. de adaucta eminentia occipitis.

Hic eſt ſenſus primæ partis: ſi minuatur eminentia occipitis, id contingere poteſt vel ob defectum materiæ, vel ob imbecillitatẽ virtutis formatricis in prima generatione acquiſitam: dat Galenus ſtatim modum dignoſcendi, quando eſt diminuta eminentia occipitis ab ſolum defectum materiæ, & quando ob defectum virtutis formatricis; dicit igitur ſi ſecundum naturam conſtiterint nerui, & ceruix, tunc eminentiam eſſe diminutam ob materiæ defectum: vult Galen. innuere, ſi operationes motrices, quæ dependent à neruis occipitis fuerint fortes, quamuis eminentia ſit diminuta, diminutionem factam eſſe ob defectum materiæ, & non ob imbecillitatem formatricis. Similiter ſi operationes motrices fuerint debiles, & eminentia diminuta, tunc diminutionem illam fuiſſe factam ob imbecillitatem formatricis in prima generatione, & ob defectum materiæ: Addit Galenus rariſſimè euenire, quod læſo occipite, non lædantur etiam, quæ ab illo oriuntur.

Figuræ capitis præter naturam quatuor ex Galeno 9. de vſu partium cap. 17. obſeruantur. Prima eſt dum deficit naturalis eminentia occipitis: & in hac figura deficit futura lambdoides.

Secunda figura præter naturã eſt, dum deficit ordinaria eminentia ſincipitis: in

hac figura deficit ſutura coronalis.

Tertia figura eſt dum vtraque eminẽtia deficit; in hac figura deficiunt duæ ſuturæ, ideſt coronalis, & lambdoides: tale autem caput videtur rotundum ſine eminentijs; duaſque habet ſuturas ſe interſecantes hoc modo X.

Quarta figura prætet naturã eſt, quando caput eſt magis latum, quam longum ideſt maius eſt ſpatium ab aure ad aurem quam à fronte ad partem poſteriorem, de qua figura loquens Galenus loco citato ait, nos illam poſſe ſolum excogitare, quia capita humana iſtius figuræ non inueniuntur; quamuis Veſalius dicat ſe iſtius figuræ caput vidiſſe.

Præter has quatuor eſt figura ſphærica vtrimque compreſſa, quæ eſt omnium perfectiſſima; laudatur enim ſphęrica ob δυσπαθείαν, ideſt quia illud caput non eſt ita expoſitum externis paſſionibus; laudatur quoque compreſſio vtrimque facta, quia huius cerebri ventriculi ſunt capaciores.

1 Dubitatio; in hoc tex. Galenus admonet, ſi quæ oriuntur ab occipite diminuto ſunt valida, eſſe bonum ſignum; contrarium tamen docuit ſuperius, dum dicebat caput paruum eſſe ſemper malum.

Nonnulli reſpondent, quando Gal. locutus eſt de paruo capite ipſum intellexiſſe de paruitate totius capitis, & non occipitis tantum, vel ſincipitis, poteſt enim eſſe, quod in eminentia diminuta occipitis ventriculus anterior, & medius ſint adeo magni, vt ſuppleant pro occipitis defectu.

Hæc reſponſio non poteſt defendi in Gal. quia 6. de morbis vulgaribus primo tex. 2. habet capita cum aliqua eminentia diminuta ſemper eſſe mala; tantoq; magis, quanto eminentia diminuta occipitis ſemper ſupponit ventriculum poſteriorem vel eſſe paruum vel compreſſũ, quod eſt peſſimum: Gal. enim vocat hunc ventriculum occipitis longè principem aliorum omnium ventriculorum cerebri.

Argenterius videns, Gal. lib. 6. de morbis vulgaribus citato abſolutè reprehendere eminentiam diminutam, dicit text. eſſe vitiatũ, & quod debeat legi hoc modo; ſi eminentia ſit diminuta ſemper ſit malum ſignum. Illa reſponſio Expoſitoris, quæ cũ mutatione verborum Auctoris, præponitur ſemper eſt omnium peſſima, & præcipuè quando ſine verborum mutatione non deficiant reſponſiones.

Vera reſponſio eſt, quod defectus ſuſcipiant magis, & minus; Gal. verò dum dicit, eminentiam diminutam cauſatam ſolum ob defectum materię, & non ob defectum formatricis eſſe bonum ſignũ ſic intellexit; caput, quod eſt paruum in occipite ſolum ob defectum materiæ, eſſe minus malũ, quã quod eſt paruũ ob defectũ materię, & formatricis virtutis ſimul.

Auctor .n. & in hoc c. & lib. de vſu partium, & 6. de morib. vulgaribus 1. com. 2. docet caput bonum eſſe ſimile globo oblongo vtrimq; compreſſo: quæ conditiones ſi in capite paruo (dũmodo nõ ſit ualdè paruum) reperiantur, erunt ſigna boni capitis; ſi uerò in magno aderunt dictę conditiones, quæ fortaſsè fuerunt in Pericle Athenienſe uiro prudentiſſimo, erunt ſigna adhuc magis bona, quam in paruo capite.

In 2. p. huius tex. Gal. docet occipitium cum eminentia adaucta eſſe uitioſum, & meritò; quia omnis exceſſus, & defectus ſunt uitioſi; uirtus enim in medio poſita eſt; dixit igitur ſuperius, occipitium cum eminentia diminuta eſſe uitioſum; in hac parte uerò dicit eſſe uitioſum cum eminentia adaucta.

Docet tamen eſſe adhibendam diſtinctionem ſuperius propoſitam, quæ eſt, ut diſtinguamus, an quæ oriantur à cerebro ſint ualidæ uirtutis, & pręcipuè admonet ut exquiſitè uideamus, an ualida ſint quæ oriuntur ob occipitio, ideſt ab illa parte, quæ terminatur à ſutura lambdoide, ſub qua continetur cerebellum, unde oriuntur ſpinalis medulla, & nerui motui præcipuè deſtinati, propterea quod ſi uirtutes motrices fuerint ualidæ, dicimus, eſſe bonum ſignum; quamuis eminentia occipitij adaucta ſit: uirtutes enim ualidæ actionum partium ſunt ſigna indicantia perfectionis partium uiuentium; habeat igitur occipitium figuram concinnam, uel compreſſam, uel eminentem, dummodo uirtutes ualidæ ſint, caput erit bonum: rarò tamen accidit, ut figura capitis ſit concinna, & uirtutes ſint inualidæ; ut plurimũ uerò cõtingit, quod inualidę virtutes ſupponant incõcinnam cap. figurã.

2 Du-

2 Dubitatio Galen. dixit ſuperius, caput cum figura concinna eſſe ſemper optimum; in hoc tex. tamen inquit ut plurimum eſſe bonum: ergo Galen. eſt uarius.

Reſpondetur, Galenum in hoc tex. loqui de eminentia adaucta occipitis, quæ iuncta cum figura concinna ut plurimũ eſt ſignum bonum; ſuperius uerò locutus eſt de figura totius capitis; poteſt enim eſſe, quod occipitium habeat figuram concinnam, & pars anterior ſit ſine eminentia, & medium capitis ſit latum, & depreſſum; ideo Gal. ait ut plurimum figuram concinnam occipitis indicare totum caput eſſe bonum.

Inſuper in tex. Græco non dixit Gal. figuram concinnam ut plurimum eſſe bonum ſignum, ſed occipitium cum figura concinna; hæc ſunt uerba tex. σὺν εὐρυθμῷ τῷ σχήματι, id eſt cũ figura concinna.

3 Dubitatio Gal. 6. epid. 1. tex. 2. laudat eminentiam occipitij; quia ſub occipitio continetur uentriculus omnium nobiliſſimus; immo magis laudat ibi eminentiã occipitij, quam eminentiam ſyncipitis; in hoc loco hanc occipitij eminentiam adauctam uituperat, ergo uidetur ſecum pugnare.

Reſpondetur, quod Galen. laudet eminentiam occipitij, dummodo incrementum non ſit deforme, uel indecorum; dũ eſt indecorum efficitur eminentia uitioſa; dignoſcitur uerò eſſe uitioſam, ſi ceruix, ſpina, & nerui, & quę inde oriuntur in ſuis obeundis muneribus inualida ſint quando uerò omnia orta ualida ſunt, tũc omnia capita ab Hipp. & Gal. laudantur.

Notandum ſuturas proprias ueras, & legitimas ad differentiam mendoſarum ſuturarum tres eſſe, coronalem, ſagitalẽ, & lambdoidem, quibus oſſa pectinatim, aut more dentatę ſerræ connectuntur; mendoſas uerò ſuturas eſſe duas, quæ ſquamarum modo connectuntur, ſiue ut dicunt Anatomiſtę, imbricatim.

Vſus uerò ſuturarum quadruplex eſt; primus eſt pro libera perſpiratione fuliginum; ſecundus ne fracto uno oſſe, cętera frangantur; tertius pro exitu uaſorum irrigantium internam, & externam capitis regionem; quartus, ut per ſuturas ſuſpendatur dura membrana; ne comprimat cerebrum.

VNDECIMI CAPITIS

Particula III.

Eſt verò huiuſmodi pars ſpinalis medullæ principium, & eius ratione neruorum omnium, qui actionibus obſeruiunt. Ipſa autem pars poſterior per ſeipſam paucos admodum ſenſitiuos obtinet neruos, plurimos verò actiuos; ſicuti, & anterior, ſenſitiuos quidem plurimos, paucos admodum actiuos. Quare vbi benè fuerit affecta vtraque pars, robuſtas habebunt, easque ab ipſis deriuationes.

IN hoc tex. dicit Galenus ſpinalem medullam eſſe illam partem quæ oritur à poſteriori parte cerebri, & quæ poteſt indicare, an eminentia occipitij ſit bona, necne; dicit deinde plurimos neruos qui deſtinati ſunt ad motum ex parte poſteriori, id eſt à cerebello oriri, & paucos ad ſenſum, & vice verſa ex anteriori parte, ideſt ex cerebro multos neruos oriri de illis, qui ſunt deſtinati ad ſenſum, & paucos ad motum; concludit in tex. quando vtraque pars benè ſe habuerit, neruos quoque, qui vtrimque oriuntur, fore robuſtos; quando verò vnica pars non fuerit bene affecta, tunc neruos inde orientes non fore robuſtos.

1 Dubitatio docet Galenus lib. 9. de vſu partium cap. 3. cerebellum eſſe durius cerebro, & propterea neruos orientes à cerebello eſſe duriores, quod videtur falſum, quia inſpectio propria docet contrarium. Pręterea Anatomiſtæ, ſicuti Veſalius, Columbus, & plurimi alij fatentur, cerebellum non eſſe durius cerebro. Nos non ſemel confirmauimus ex Galeno, & Ariſtotele ſemper magis credendum eſſe experientiæ, & ſenſui, quam auctoritatibus.

Reſpondent nonnulli, cerebellum videri durius cerebro ratione membranæ, illud circundantis, quæ durior eſt, ſed quidquid ſit de hac re, non eſt diſputandum: quoniam ſenſus tactus debet hunc nodum ſoluere, & non diſcurſus. Interim tamen tactui meo cerebellum non fuit viſum durius; ideo durius eſſe cerebro non iudicamus.

2 Du-

2 Dubitatio:docet Galenus ab anteriori parte plures neruos ſenſitiuos, & paucos motiuos oriri: à poſteriori verò plurimos motiuos,& paucos ſenſitiuos;videtur falſum hoc dictum Galeni, eo quia omnes nerui motiui ſunt etiam ſenſitiui.

Reſpondendum eſt,Galenum per neruos motiuos intelligere neruos magis deſtinatos ad motum, quam ad ſenſum; per ſenſitiuos magis ad ſenſum,quam ad motum; quamuis ſint nerui optici, & nonnulli alij, qui ſolum ad ſenſum, & nullo modo ad motum ſunt deſtinati, vt infra declarabitur.

3 Dubitatio;ex Gal. 1. de vſu partium c.14.& lib.7.de placitis c.5. habetur,quod nerui deſtinati ad ſenſum ſint molliores, quam nerui deſtinati ad motum; quod videtur falſum; quia dantur nerui ſenſifici, qui ſunt duriores, quam nonnulli motorij; ſicuti eſt illa neruea propago ſexti paris, quæ circundat os ventriculi, & quæ eſt cauſa appetitus; hæc propago eſt ſolum deſtinata ſenſui, attamen eſt durior,quam ſecundum par neruorum, quod mouet oculos,quod par oritur à cerebro,ab eodem ferè puncto,à quo oriũtur optici, qui ſunt molliſſimi; ſimiliter nerui,qui inſeruntur in radices dentium ſolum ſunt ſenſifici, attamen ſunt duriores, quam nerui ſecundi paris, qui ſunt deſtinati oculorum motionibus.

Reſponderi poteſt,Galenum, dum dicit ſenſificos neruos eſſe molliores neruis motiuis, hoc intelligendũ eſſe reſpectu vnius partis; exẽpli cauſa nerui oculorum, qui ſunt deſtinati viſioni ſunt molliores; quam nerui deſtinati motioni oculorum; ſimiliter in ſenſu guſtus molliores ſunt, qui guſtui ſunt deſtinati, quã qui motui linguæ.Quę reſponſio eſt optima;quia re vera tollit ambiguitatem.

4 Dubitatio; Galenus in tex. videtur docere à parte poſteriori, & à ſpinali medulla oriri neruos,qui ſolum actionibus, ideſt motionibus, & non ſenſibus obſeruiunt, quod eſt falſum; quia nerui, qui dant ſenſum thoraci, brachijs, & cruribus non à cerebro,ſed à ſpinali medulla oriuntur; ergo non erit verum, neruos ortos à ſpina, vel à parte poſteriori cerebri eſſe ſolum deſtinatos actionibus, & non ſenſationibus.

Reſpondent nonnulli,Galenũ per ſenſum intelligere viſum,odoratum,auditũ, & guſtum,& non tactum;Nos verò melius reſpondebimus cum Galeno in tex. quod à parte poſteriori,& à ſpina plurimi oriantur actiui,& pauci ſenſitiui; Galenus enim in fine text. coarctat primam propoſitionem dicẽs ſe intelligere plurimos neruos eſſe actiuos,ſed non omnes.

5 Dubitatio,Galenus neruos deſtinatos motui vocat actiuos ad differentiam neruorum inſeruientium ſenſui,qui vocãtur paſſiui,ex eo quod vnà cum Ariſt.conſẽtiat, nihil aliud eſſe ſentire, quam ipſum pati;tamen contrarium legitur apud Galenum lib.7. de placitis c.6. vbi docet cognitionem, quæ habetur per ſenſum eſſe actionem,& non paſſionem. Similiter, quamuis dixerit Ariſtoteles,ſentire eſſe quodam pati,attamen potentia ſenſitiua, ideſt cognoſcitiua eſt actiua, ergo etiam nerui ſenſifici appellari poſſunt actiui.

Reſpondetur in facienda ſenſatione duo requiri, receptionem ſcilicet & dignotionem; receptionem eſſe paſſionem & fieri per neruos; dignotionem uerò fieri per uirtutem irradiantem, quæ ut dicit Gal.1.de ſemine c.16. in inſtãti mouetur à cerebro ad partem ſenſu præditam,perinde ac ſplẽdor ſolis, qui ſua pręſentia uirtutem per uniuerſum ſine motu diffundi; quare cum receptio fiat per neruos,& receptio paſſio ſit;nerui deſtinati ſenſui non poterunt dici actiui, ſed ſolum illi qui deſtinati ſunt motui.

6 Dubitatio exoritur,quia Galenus dicit in tex. partem poſteriorem ſiue cerebellum eſſe principium ſpinalis medullæ, quod experiẽtiæ aduerſatur;omnes enim moderni Anatomiſtæ in ſectionibus cadauerum uiderunt ſpinam oriri à parte poſteriori cerebri, ſupra quam partem, deinde locatum eſt cerebellum; ita ut ſpina a cerebro, & non à cerebello oriatur.

Reſpondetur quod Galenus poſſet defendi; quia uidetur ſuſtinere, ſpinalem medullam oriri à parte poſteriori capitis; ſit igitur hæc pars poſtrema cerebri portio, uel ſit cerebellum quomodocunque dicatur nihil contra Galenum habebitur.

7 Dubitatio,quia uidetur ex uerbis textus, quod nerui uniuerſi ferè corporis motiui dependeant à parte poſteriori capitis,

pitis,& non immediatè à medulla ſpinali, quod eſt contra experientiam omnium Anatomiſtarum, qui dicunt ſeptem paria neruorum immediatè oriri à ceruice; duodecim à dorſo; quinque à lumbis, & ſex ab oſſe ſacro.

Præterea Andreas Laurentius, ut oſtenderet,omnes neruos ſpinæ immediatè oriri à cerebro loquens de ſpinali medulla hanc nouitatem in medium protulit, his verbis: ſed quam miſerè omnes hallucinati fuerint αὐτοψία ipſa, & obſeruatio noſtra noua,ut opinor,& hactenus inaudita conuincit. Si medullam ſuis vertebris integram detraxeris, & eam vtraque tunica ſpoliaueris, mox in aquā coniectum aliquantulum agitaueris, uidebis à ſuprema ad imam partem totam medullam innumeris ſurculis, & filamentis caudæ equinę inſtar miro artificio textam, addit,vt in cauda equina pili omnes à parte ſuperiori orti ſunt,ſimiliter omnes neruos ſpinæ à ſuperiori parte immediatè prodire.

Reſpondetur primo veriſſimum eſſe cum Galeno,quod ratione cerebri diffūdatur uirtus per ſpinalem medullam in vniuerſum corpus, ſed ſtat experientia Anatomiſtarum, quod immediatè nerui à ſpina oriantur. Quo ad experimentum Laurentij dicimus eſſe omninò falſum; quia ego non ſemel ſpinalem medullam in aqua diutiſſimè agitaui, eo modo quo ipſe dicit, nec vidi medullam in filamenta caudæ equinæ inſtar diuidi: ſolum obſeruaui aliquos paucos filos nerueos ſtatim ab illa, & nullo modo à parte ſuperiori ortos; quare experimentum Laurentij inter ſomnia collocamus; quamuis (vt audio) Laurentius mutauerit ſententiam, neque in poſtremis impreſſionibus ſuæ anotomiæ fuerit hoc experimentum amplius allatum immo vt audio in noua impreſſione à me non viſa habet hæc uerba vſus, & autopſia peritior factus mutaui conſilium.

QVÆST. XLI.

An neruus actiuus poſſit amittere ſenſum & non motum.

QVomodo in eodem neruo poſſit amitti motus, & non ſenſus,omnes medici facilè intelligunt; quia in motu efficiendo requiritur multa virtus: mouere enim eſt agere;in ſenſu verò pauca; quia ſentire eſt pati; poteſt igitur accidere,quod virtus animalis in muſculo ſit ita exigua, vt ſolum ſufficere poſſit ad ſenſum,& non ad motum.

Similiter omnes facilè intelligūt,quomodo aliqua pars poſſit amittere ſenſum & non motum,ſi ſenſus,& motus per varias neruorum propagines fiant:exempli cauſa, ſi oculi amitterent motum,& non ſenſum videndi, non eſſet difficile cauſam perquirere; quia neruus deſtinatus motui oculorum eſt ſecundi paris; nerui verò præbentes viſum ſunt optici, qui conſtituunt primum neruorum par. Similiter nerui, qui dant ſenſum, & motū linguæ ſunt diuerſi;tertiū enim, & quartum par dant ſenſum guſtus, ſeptimum verò dat motum linguæ; poteſt igitur accidere,quod tertium, & quartum par nō fungantur ſuo officio, manente tamen ſeptimo pari illęſo;quare in lingua poteſt perire ſenſus, manente illæſo motu ob varietatem neruorum.

Cæterum difficultas maxima exoritur dum eadem nerui propago læditur,& ob illam læſionem pereat ſenſus, & nō motus, Galenus 3. de locis affectis cap.2. in Pauſaniæ hiſtoria refert, quomodo poſſit contingere, quod perierit ſenſus,& non motus facta lęſione in eadem propagine dicitque neruum vel mittere propagines ad cutim gratia ſenſus, vel ad muſculum gratia motus; nullus enim eſt motus voluntarius in viuente, qui non fiat à muſculo virtute nerui; dum ſola illa neruea propago, quæ miſſa eſt ad cutim gratia ſenſus ſit læſa, tunc poteſt auferri ſenſus, & non motus. Hinc oriuntur tres paralyſis ſpecies, prima fit, dū tollitur ſenſus, & motus;hęcq;eſt legitima;ſecunda dum tollitur motus, & non ſenſus; tertia dum tollitur ſenſus,& non motus,quę à Galeno 3. de locis affectis cap.12. vocatur ἀναισθησία, id eſt ſenſuum hebetatio vel ſtupor,qui fit ob læſam propaginem nerueam miſſam ad cutim.

Hinc colligimus eſſe omninò impoſſibile, vt ſecundum eandem propaginem nerueam reſpectu vnius,& eiuſdem partis eodem tempore conſideratę poſſit accidere,

cidere, vt amittatur ſenſus,& nõ motus: neque Arculani inuẽtio aliquid valet, dũ dicit eãdem propaginem, ſi afficiatur intemperie intenſè frigida,ſenſum amittere, ſi intenſè humida, motum: quia intemperies intenſè humida ſi tollet motũ, tollet ſine dubio prius ſenſum: ſimiliter intemperies intẽſè frigida ſemper, & lõgè prius tollet ſenſum, quam motum.

Dum dicunt de epilepticis,quod tollatur ſenſus, & non omnis motus, reſpondemus læſionem non eſſe reſpectu vnius, & eiuſdem partis. eodem modo conſideratur; quia epilepſia præcipuè fit ob læſionem ventriculorum anteriorum, & non ita præcipuè ob læſionem poſterioris ventriculi,& ſpinæ,à qua oriuntur nerui inſeruientes reſpirationi.

Dum dicũt,in phreneticis tolli ſenſum & non motum:reſpondemus eſſe in maximo errore eos,qui putant,in phreneticis ſenſum eſſe ablatum, cum ſit corruptus:quæ affectio eſt omninò contraria; ſimiliter diſcurſus vel imaginatio in phreneticis non dicitur ablata,ſed corrupta,propterea valdè miror modernum ſcriptorem qui propoſuit in phreneticis, ſenſum eſſe ablatum.

VNDECIMI CAPITIS
Particula IV.

Tex.16. *Eadem quoque diſtinctiones adhibendæ ſunt ad partes capitis anteriores ad frontem attinentes, quæ etiam ad poſteriores, earundemq; & paruitatem, & magnitudinem inſpicere oportet,atq; itidem figurã, & ſenſus ibi collocatos,viſum,guſtum atq; odoratum. Hæc enim ſe inuicem indicant, atq; atteſtantur,& quæ àprincipijs oriuntur, principij virtutem,vel vitiũ & principium eorum quæ ab ipſo naſcuntur.*

IN tex. ſuperiori egit de diminuta, & adaucta eminentia occipitis: In hoc tex.verò agit de vitijs ſincipitis. Diuiditur tex. in duas partes: in prima admonet in cognoſcendis vitijs ſincipitis eaſdem diſtinctiones eſſe adhibendas, quibus vſi fuimus loquendo de vitijs occipitis. In ſecunda parte ait,orta ſequi,& atteſtari, vel indicare ſua principia, ideſt vt magnitudo,figura,ſenſus viſus,guſtus atque odoratus debeant atteſtari, ideſt indicare virtutem illius partis cerebri, quæ occupat partem anteriorem.

Intelligentia verborum hæc eſt,ſi benè ſe habuerint iſti tres ſenſus,viſus ſcilicet, guſtus,& odoratus,pars anterior cerebri erit quoque benè diſpoſita; quia hi tres ſenſus ſunt illi,qui oriuntur à parte anteriori capitis: dicas igitur, ſi benè ſe habuerint prædicti ſenſus non ſolum in benè conformato ſincipite,ſed etiam in diminuto, quod diminuta illa eminentia prodierit ex defectu materiæ, & non ex defectu uirtutis formatricis. Similiter,ſi ſenſus malè ſe habuerint, & diminuta ſit eminentia ſincipitis, dicas defectus tunc oriri non ſolum à formatrice,ſed etiam à defectu materiæ.

Ad eundem modum ſi adaucta fuerit eminentia ſincipitis: iſtique tres ſenſus optimè ſe habuerint, dicas ex bona formatrice,& bona materia auctionem illã, uel eminentiam factam fuiſſe. Similiter ſi malè ſe habuerint iſti tres ſenſus, ſincipite exiſtente grandiori,dicendũ eſt,malam fuiſſe formatricem,& materiæ multitudinem,eamq; improportionatam.

1 Dubitatio:Galenus omiſit ſenſum auditus,quamuis pertineat ad partem anteriorem cerebri, immo talis eſt conſenſus inter auditum, & cerebrum, ut homines muti à natiuitate ſurdi ſint.

Nonnulli reſpondent, quod in veteri exemplari præter tres propoſitos ſenſus ſit etiam auditus; Hæc reſponſio non ſatisfacit; quia ego quoque vidi codicem græcum antiquiſſimum manu ſcriptum, in quo ſolum tres propoſiti ſenſus legebantur, de ſenſu verò auditus nihil aderat:Reſpondemus igitur nos,ſenſum auditus non pertinere ad anteriorem partẽ cerebri: quomodo verò muti homines ſurdi fiant, infra declarabitur.

2 Dubitatio,dicit Galenus in text. orta indicare principia, & viceuerſa,quod videtur falſum; quia dantur cæci à natiuitate,qui ſunt optimo ingenio,memoria, & imaginatione præditi;ergo ſenſus,qui oriuntur à parte anteriori cerebri non indicabunt ſtatum ſui principij.

Curtius reſpondet, orta vt plurimum atteſtari,& indicare ſua principia,& non ſemper.

Oddus reſpondet, quod omnia orta ſimul vnita indicent ſuum principium: ſi igitur omnia orta, ideſt omnes tres ſenſus validi fuerint, ait, partem anteriorem ex neceſſitate validam eſſe.

Sclanus putat valere hanc conſequentiam, orta ideſt tres ſenſus ſunt perfecti, ergo, & cerebrum, ſed non è contra, ideſt cerebrum eſt perfectum, ergo, & orta; quia orta ideſt tres ſenſus poſſunt à cauſa aſcititia, & externa vitiari, cerebro exiſtente validiſſimo.

Decipiuntur omnes, quia hæc ſunt verba tex. *hec enim ſe inuicem indicant, & atteſtantur*, oportet igitur, vt orta indicent principia, & verſa vice, ideſt vt principiũ indicet orta: itavt non poſſit eſſe validum principium, inualidis exiſtentibus illis tribus ſenſibus: nec è contra: tanto magis, quod nerui ſint eiuſdem naturæ cum cerebro: immo Galen. 8. de vſu partium c. 6. videns nerueam ſubſtantiam eſſe eiuſdẽ naturæ cum cerebro protulit hanc ſententiam: neruum eſſe paruum cerebrum reſiccatum, & durius factum.

Reſpondemus igitur nos ad dubium: Galen. loqui in hoc loco de ortis in prima generatione: admittimus, quod cæcus poſſit eſſe ingenio, memoria, & diſcurſu inſigni præditus: negamus tamen, quod cæcus à natiuitate, intelligendo de cæcitate in prima generatione comparata, poſſit eſſe præditus iudicio, diſcurſu, & memoria inſigni: cenſemus enim eſſe impoſſibile, vt cæcus genitus diſcurſum, & cæteras operationes optimas habeat, differt cæcus à natiuitate à cæco in prima generatione effecto; poteſt enim contingere, quod in prima formatione embryo videndi inſtrumenta, & potentiam ſit conſecutus; tamen, antequam in hanc lucem veniat in ipſo vtero in cæcitatem inciderit; cum igitur Galenus loquatur de ortis in prima generatione, antequam ſcilicet orta conformata ſint, dicimus nos perpetuò eſſe veram hanc conſequentiam; principium eſt validum, ergo, & orta ſunt valida, & vice verſa porta ſunt valida, ergo in prima generatione principium fuit validum; immo ſi perſeuerant ſenſus cum robore, & validitate, dicimus etiam principium cum priſtino robore perſeuerare.

Cauſa, quod cæcus poſt primam generationem effectus nõ indicet ſuum principium, eſt, quia effectus indicant ſuam cauſam, dum à cauſa fiunt; dum vero effectus ſunt facti, & non amplius fiunt, dicimus, non eſſe amplius effectus, ſed quid ſeparatum; qui non intelligit hoc arcanum nunquã intelliget logicã, philoſophiã, vel medicinam, & præcipuè hunc librum, & methodum medendi, in quo Galen. valde laborat, vt diſtinguat in affectibus partem fientem à parte facta.

QVÆST. XLII.

Cur ſurdi à natiuitate ſint muti.

Ariſtotel. 4. de hiſtoria animalium c. 9. reddit rationem, cur ſurdus à natiuitate neceſſariò ſit mutus: dicitque quod cauſa eſt, quia ſurdus loquellam addiſcere non poteſt: habet hæc verba, ***vocem emittere poſſunt, locutionem autem nullam***. Eandem cauſam affert in ſect. 11. probl. 1. his verbis, ***nihil enim habet ſurdus, vt loquatur, quia nunquam audiuit quod eſſet proferendum***.

Albertus Magnus libro 4. de animalibus tract. 2. cap. 2. habet hæc verba. Muti à generatione, & ſurdi ſunt; quia idioma per auditum diſcere non potuerunt. Quæ ſententia eſt deſumpta ab Ariſtotele locis ſuperius citatis.

Nonnulli cenſent, ſurdos fieri mutos; quia neruus auditorius, & neruus ſeptimi paris, cuius officium eſt linguam mouere, induantur in exorto eadem tunica: dicuntque læſo neruo auditorio in origine neceſſariò lędi neruum cuius officium eſt linguam mouere ob hanc communem tunicam circumuoluentem vtrumque neruum.

Decipiuntur iſti, quia eſt falſiſſimum, quod in origine ſeu in exortu eadem tunica quintum, & ſeptimum par neruorũ induantur, niſi dicamus ea indui tunica, qua omnes nerui induantur, ideſt dura, & pia matre; cæterum quando ob hanc remotã communionẽ ſurdi eſſent muti, eadem cæci eſſent muti, quod eſt ridiculũ.

Andreas Laurentius refert, duplicem cauſam communionis aurium, & linguæ ſiue laryngis, alteram ad neruum auditorium

rium refert, dicens, quintum par mittere ſurculum maiorem ad aurem, minorem verò ad linguam, & laryngem; alteram communionem ait fieri per canaliculum cartilagineum, veluti aquæductum, qui à ſecundo auris meatu ad os, & palatũ fertur, ob quem benè audituri ſolẽt cohibere ſpiritum, ne inſpirato aere copioſiſſimo impleatur cochlea, & tendatur tympanum; colligit ob hanc duplicem communionis rationem ſurdos fieri mutos: improbatque ſententiam Ariſt. dicentis ſurdos ombuteſcere; quia idioma nullum addiſcere potuerunt, & quia auditus eſt ſenſus diſciplinæ.

Errat ſine dubio Laurentius; quia omnes ſurdi à natiuitate ſunt muti; ſurditasque non ſemper oritur ob affectum exiſtentem in origine quinti paris neruorũ, à qua oritur neruus, qui mittitur ad laryngem, & neruus, qui ad aurem; poſſibile enim eſt, vt ſurditas à natiuitate oriatur à multis alijs cauſis; læſo enim quolibet interno aurium inſtrumento ſurditas ſuboritur, quia poteſt contingere, quod oriãtur affectus in prima generatione, qui tollant officium mallei, incudis, vel ſtaphæ in vtraq; aure, & inde auditum, nulla exiſtente paſſione vel impedimento in canaliculo, vel in illa origine neruea, quę ad aures, & ad laryngem mittit propagines, quare cauſa, cur ſurdi à natiuitate ſint muti, erit illa propoſita ab Ariſtot. & Alberto, quam retulimus.

Neq; obijciant, conſenſum inter auditum, linguam, & laryngem eſſe pro hoc affectu ſufficientiſſimum, quia Ariſt. 11. probl. 1. & 5. dicat, ſurdos reddere vocem per nares, quia propè adſunt, vt muti ſint, & quia idem philoſophus dicat ſect. 32. probl. attentè audituros non reſpirare: Nos .n. admittemus conſenſum eſſe non ſolum inter aures, & laryngem, & linguã ſed etiam inter aures, & nares, & alia ſenſiteria; ſi verò ſurdi reddunt vocem per nares, inde colligimus maiorem eſſe cõmunionem inter vocem, & nares, quam inter auditum, & vocem. Similiter dum dicunt ex Ariſt. attentè audituros non reſpirare, reſpondemus, & attentè viſuros, & olfacturos, & guſtaturos non reſpirare; itavt rationes Lauren. ſint omninò leues, & nihil contra Ariſt. concludentes.

QVÆST. XLIII.

An ſenſus percipiant ſuam ſenſationem.

QVæſtio hæc, quamuis pertineat ad ſecundum librum de anima, nihilominus pertinet quoq; ad medicum, quia ſi ſenſus perciperet ſuam ſenſationem, medicus in læſione ſenſus eſſet coactus duo proponere remedia: alterum tollens ægritudinem ſenſus; alterum tollens ægritudinem diſcurſus; paucis tamen abſoluemus hanc quæſtionem: quia philoſophi in 2. de anima fuſa oratione de hac re verba faciunt.

Quod verò ſenſus, vt ſenſus non ſentiant ſe ſentire, patet, quia ſi in parte ſenſitiua eſſet hæc ratiocinatio, ſine dubio vltra ſenſum non fuiſſet neceſſaria alia ſuperior operatio.

Secundò, ſi ſenſus particularis ſentiret ſe ſentire, ſequeretur, quod vno actu videremus, & ſentiremus nos uidere, quod eſt falſiſſimum; quia prius uideo, & hic eſt vnus actus; ſtatim uerò ſcio me uidere, & hic eſt ſecundus: quare ſenſus ut ſenſus nunquam ſentiet ſe ſentire.

Tertiò, ſi ſenſus ſentirent ſe ſentire, ergo uirtus organica poſſet in ſe reflectere, quod eſt impoſſibile; quia ſentirent, quæ in ſe ipſis ſunt; ſic oculus uideret colores, qui in ipſo ſunt, et tactus ſentiret ſuas qualitates, quod non eſt poſſibile.

Quartò, cæci, qui antea uiderunt, ſentiunt modò ſe non uidere; ergo non per ſenſum uiſus hæc ſciunt; quia potentia uiſiua iam eſt deſtructa, ergo per aliam potentiã diuerſam à ſenſitiua ſentiunt ſe non ſentire. Sunt tamen qui putant, ſenſationem non fieri ſine diſcurſu; ſed iſti toto Cœlo aberrant, et merito ab omnibus ferè peripateticis reijciuntur.

Hinc Pytagoras, referente Ariſt. 2. phy. tex. 80. putabat: bruta eſſe participãtia diſcurſus. Porphyrius in lib. de abſtinentia ab eſu carnii probat, diſcurſum conuenire brutis. Anaxagoras, ut refert Ariſtoteles primo de anima tex. 24. ſimiliter arbitrabatur mentem cunctis animalibus cõuenire. Laurentius Vala libello quodam de dialectica capite nono putat, bruta diſcurſum habere. Plutarchus in opuſcu-

lis

lis moralibus cenſet, ſenſum non percipere ſenſationes, niſi per diſcurſum factum per quandam virtutem, quæ dicitur opinatiua.

Philoponus reijcit Plutharcum; putabatq; ſenſum percipere ſenſationem per virtutem attentiuam, quæ eſt virtus animæ rationalis, ſed non alligata alicui particulari organo.

Simplicius dicit, ſenſus percipere ſuas ſenſationes; eſſeq; participes rationis, quatenus ſunt animæ rationali iuncti: Hinc dicit,bruta nullo modo percipere ſuas ſenſationes.

Sanctus Thomas,& Egidius putãt,ſẽſus exteriores percipere ſuas ſenſationes non directè, ſed indirectè; putant enim quatenus in ſenſu eſt apprehenſio, & receptio obiecti,ſenſum non ſentire ſe ſentire; quatenus verò in ſenſu eſt iudiciũ, dicunt, ſenſum ſentire ſuam ſenſationẽ.

Auerroes circa finem ſecundi de anima;& Iandunus dicunt,quod ſenſus ſentiat ſe ſentire per ſenſum communem: Hæc opinio eſt communis.

Ego autem puto primò, quod nullus ſenſus particularis ſentiat ſe ſẽtire per ſe ipſum ob rationes ſuperius allatas:ſecundò dico,omnes illos erraſſe,qui putabant bruta eſſe participantia diſcurſus: Tertiò decipitur Philoponus dicens,ſenſum percipere ſe ſentire per virtutem attentiuã, quæ eſt virtus animæ rationalis, quia ſequeretur quod bruta, quæ percipiunt ſe ſẽtire,eſſent rationalia, quod verò bruta ſentiant ſe ſentire, patet, quia dum oculos clauſos,vel aures clauſas habent, erigunt aures; quare animaduertunt ſe ſẽtire;ergo non per virtutem rationalem. Quarta opinio eſt Auerrois, quod ſenſus ſentiat ſe ſentire; quæ eſt communior & probabilior:ſed quia ſenſus communis vt probabimus cum Gal. non differt à ſenſibus particularibus: ideò hoc iudicium ad ſenſum communem non eſt deferendũ: quod quidem patet, quia dum ſentio me videre,ſenſus cõmunis diſperſus in quinque ſenſibus non poterit id me docere: quia non poſſum ſentire me videre per ſenſum auditus, nec per ſenſũ odoratus, nec per guſtum,nec per tactum,ergo per nullum ſenſum diſperſum in particularibus ſenſibus qui communis dicitur: Arbitror igitur ſenſum animaduertere ſe ſentire non per ſenſum communem, ſed per virtutem, quæ eſt in omnibus animantibus, quæ non ſolum ſit diſperſa in quinque ſenſibus particularibus, ſed quę ſit ſuperioris conditionis, qualis eſt æſtimatiua vel cogitatiua.

CAPITIS XII.
Particula I.

De operationibus principatum obtinentibus.

Tex.17. *Earum autem operationum quæ obtinent principatum, virtus, ac vitium ſunt ipſius principij ſeorſum tantummodo indicia. Voco autem operationes principatum obtinentes,quæ à ſolo principio proueniunt. Ingenium quidem igitur ſubtilem cerebri ſubſtantiam indicat; tarditas verò intellectus craſſam.*

GAlen.propoſuit ſuperius quinque fontes,vnde colligi poſſit capitis ſtatus, ſeu diſpoſitio: Primus erat de capitis magnitudine & figura:Secundus de vitiò & virtute operationum ſenſibilium: Tertius de motiuis.In hoc loco verò incipit agere de operationibus principatũ obtinentibus,quę ſunt indicia propria,& immediatè indicantia cerebri conſtitutionem: ideò Galenus docet,operationes principatum obtinentes eſſe indicia, quæ à ſolo principio,id eſt cerebro proueniũt, ad differentiam ſenſitiuarum,& motiuarum operationum: motus enim non indicat primò cerebrum,ſed muſculum: ſimiliter ſenſus indicat primò organum,ſicuti viſio optima primò indicat oculi conſtitutionem: deinde optimè conſtitutus oculus indicat quoq; cerebri bonam conſtitutionem.

1 Dubitatio Gal. ait, illas eſſe operationes principis,quæ à ſolo principio proueniunt: ergo actiones cordis vocari poterunt principes: quia à ſolo principio proueniunt:quod eſt contra Galen.,qui vult actiones principatum obtinentes eſſe ſolum in cerebro,& nequaquam in corde.

Reſpondetur, Galen.,dum inquit operationes principes eſſe illas, quæ à ſolo

principio proueniunt, intelligere per principium quod eſt primum, & præcipuum, in quo eius actiones à nulla alia parte, vt inſtrumento fiunt; de corde enim dicimus, eius actionem fieri per motum vt per inſtrumentum; cogitationem verò imaginationem, & memoriã non fieri per inſtrumenta; quia exercentur in ipſamet ſubſtantia cerebri; Hinc Gal.2. de locis affectis 9. diſtinctius definiens actionem principem ait, illam eſſe actionem principem, quę à nulla alia parte, vt inſtrumento fit.

Operationes principatum obtinentes ex Ariſtotele, & Galeno ſunt tres, imaginatio, diſcurſus, & memoria: quamuis Galenus in hoc cap. proponat octo operationes principatum obtinentes, dicimus tamen eſſe tantum tres; quia octo iam proponendæ ad tres reducuntur.

Prima actio eſt ingenium, quod indicat (ait Gal.) ſubtilem cerebri ſubſtantiã. Secunda eſt tarditas intellectus, quæ indicat craſſam eius ſubſtantiam. Tertia eſt diſcendi facilitas. Quarta eſt memoria. Quinta diſcẽdi difficultas. Sexta obliuio. Septima mobilitas in opinionibus. Octaua ſtabilitas ſimiliter in opinionibus.

Montanus, & Acachias cenſent, ingeniũ eſſe virtutẽ, quæ recipit rerũ ſpecies.

Decipiuntur; quia virtus recipiens rerum ſpecies eſt imaginatio, & non ingenium; ingenium in codice gręco explicatur à Gal. ἀγχίνοια, quod ſignificat ſolertiam: Ariſtoteles verò primo poſteriorum capite vltimo admonet, quod ille eſt ſolers, qui citiſſimè inuenit medium, & cauſam dantem propter quid. Temiſtius verò ibi ait, illum eſſe ſolertem, qui citò, & facilliter reſoluit concluſionem in ſua principia: Similiter Plato in Tęteto dicit, ſolertes velociter omnia diſtinguere: ſolertia igitur ſeu ingenium non pertinebit ad imaginationem, ſed ad rectum diſcurſum, promptum, atque velocem. Tarditas verò intellectus è diametro aduerſatur ingenio, & ſolertiæ.

Montanus, & Acachias (dum Galenus ait, ingenium indicare ſubtilem cerebri ſubſtantiam) interpretantur per ſubtilem cerebri ſubſtantiam, tenuitatem ſpirituũ; ſed errant, quia Galenus loquitur hic de ſubſtantia cerebri, & non ſpirituum; ſpiritus enim non pertinent ad ſubſtantiam cerebri.

Haly per ſubſtantiam ſubtilem intelligit ſubſtantiam peruiam, & claram, vt ſpiritus poſſint promptè penetrare. Quæ opinio ab aliquibus reijcitur; quia ſub craneo, vbi eſt cerebrum, nulla claritas nullaque luciditas eſſe poteſt, quamuis hæc inſtantia non ſit alicuius momenti, vt infra patebit.

Sclanus putat per ſubtilẽ cerebri ſubſtantiam eſſe intelligendam ſubſtantiam ſynceram, & ex puriori materia confectam, & non ex craſſa, & turbulenta.

Hæc opinio eſt alijs deterior: quia cõmittit petitionem principij: adhuc enim petimus, vt aliquis nos doceat, quæ nam ſit hæc materia ſyncera, & pura; eſt ne ſyncera, & pura, quia ſit lucida, & clara, vt dixit Haly, vel pura, & ſyncera, quia ſit temperata; multa enim poſſunt eſſe temperata, quæ ſunt opaca, craſſa, & turbulẽta, ſicuti eſt vola manus, quæ dicitur temperatiſſima, tamen non eſt ſubtilis ſubſtantiæ; Ego autem diu cogitaui, quid dici poſſit in hac quęſt. admodum difficili; incidi tandem in hanc cogitationem, quod per ſubtilem ſubſtantiam intelligat Gal. corporis cerebri diaphaneitatem, & non luciditatem; diaphanum enim eſt quod paucioribus ſuperficiebus conſtat, aptum ad tranſitum radiorum ſpirituũ, qui ſua natura lucidi ſunt, & per tale corpus radij ſpirituum poſſunt diffundi, & transferri à centro cerebri ad quinque ſenſiteria, & ab his ad cerebrum, ex quo fluxu, & refluxu radiorum oritur cognitio; quare niſi cerebrũ pauciſſimis ſuperficiebus conſtaret, nõ eſſet diaphanæ naturæ; neque reciperet lucidos radios ſpirituum, & nulla rerum fieret cognitio.

Ratio verò, cur paucioribus ſuperficiebus cerebrum conſtet, eſt, quia, vbi in corpore ſunt multæ ſuperficies, ibi lumẽ vel radij lucidi in qualibet ſuperficie refranguntur, & refracti amittunt vim penetrãdi, & lucem effundendi; neque ſatis eſt, vt corpus, per quod penetrat lumen, ſit peruium, vt ſpongia, quę ex ſe eſt opaciſſima ob infinitas eius ſuperficies, ſed requirantur oportet pauciſſimæ ſuperficies: exẽpli gratia cryſtallum, & adamas ſunt denſiſſima; attamen ſunt tranſparẽ-

tia,

tia: immo ſi cryſtallum, vel adamantem in tenuiſſimum puluerem redegeris, tūc puluis erit rarior, amittet tamen ob multitudinem ſuperficierum granorum cryſtalli, vel adamantis tranſparentiam: cauſa eſt, quia radij ex ſua natura in qualibet ſuperficie refranguntur; & cum ſuperficies ſunt ferè infinitæ, ideo infinities ferè refranguntur, vnde opacitas ſequitur. Similiter aquam ſplendidiſſimam ſi agitaueris, ſpumeſcet, & ob ſpumam variæ fient ſuperficies, in quibus refranguntur radij, vnde ob refractionem; mittitur penetrandi virtus. Simili modo, qui volunt reddere ſpecula perſpicua eo vſque perfricant, donec ad vnicam terſam ſuperficiem reddita ſint. Itidem lapides terſi, & læuigati fiunt diaphani ob continuam confricationem; immo ſi internæ ſuperficies lapidis terſi poſſent cōfricari, & ad paucas, vel ad vnicam reduci, fierent diaphani, vt cryſtallum, aer, & cælum; vel ſi poſſent igne fundi vt vitra, tunc lapides eſſent diaphani, vt vitra: poſito igitur quod ſpiritus animales ſint aliquam lucem participantes, & quod eorum radij (vt ait Galen.) tranent per cerebri ſubſtantiam, & per neruos, & quod aeri permiſceantur, eſt neceſſariū, vt cerebri ſubſtantia paucis conſtet ſuperficiebus, ideſt vt cerebri caro ſit adeo ſimilaris, vt pauca intercidant alterius generis, qualis eſt pituita, nimius ſanguis varijque vapores, quæ omnia, cum efficiant nouas ſuperficies, impediunt non ſolum lucem ſpirituum, ſed etiam tranſitum radiorum, meritò quorum transferuntur phantaſmata ad intimam cerebri ſubſtantiam, vnde fit ingenij tarditas, & hebetudo.

Tarditas intellectus, cum aduerſetur ingenio, ideſt ſolertiæ, cuius natura eſt, vt illicò cauſa, vel medius terminus inueniatur, indicabit ſubſtantiam cerebri non ita peruiam vel diaphanam, ſed plurimis ſuperficiebus ortis ab humorum cruditate, & vaporum, ſeu excrementorum varietate compoſitam, quæ ſuperficierum multitudo impedit tranſitum radiorum lucidorum. Hinc ſicuti vitra igne expurgata ſplendidiſſima fiunt; ſimiliter dum humorum crudorum, ſeu vaporum varietas à calore naturali ad vnam naturā per concoctionem reducitur, efficiuntur corpora paucarum ſuperficierum, vndè per ipſa, quod lucidum eſt promptius, & facilius tranat. Hinc eſt quod Ariſtoteles 2. de partibus animalium cap. 2. dixit, ſanguinem craſſiorem, & calidiorem cōcurrere ad efficiendum robur, ſed non ad intelligētiam; tenuem verò obtinere vim pleniorem ſentiendi, & intelligendi; dixit ad intelligentiam concurrere ſanguinem tenuiorem, quia tenuitas eſt magis perſpicua, quam craſſities; quia paucioribus ſuperficiebus compoſita eſt; dixitque ſanguinem calidiorem cōcurrere ad robur, & non ad intelligentiam; quia caliditas non naturalis, quod non concoquit permiſcet, illudque redigit non in vnam, ſed in quamplurimas naturas, quę non ſolum differunt inter ſe ſubſtantia, verum etiam quantitate, & ſuperficie: quanto igitur plura ſimul erunt corpora, tanto plures erunt ſuperficies, quæ impedient tranſitum radiorum lucidorum.

Qui verò volūt loqui de lucido, quemadmodum ſunt animales ſpiritus, & eorum radij, & non loquuntur de diaphano ſeu perſpicuo, per quod tamquam per medium lucidum tranant, nunquam intelligent quomodo facultas animalis mittat radios in inſtanti à capite per neruos vſque ad plantas pedum; & quomodo à cerebro ad quinque ſenſus mittatur virtus animalis, minimè percipient, niſi cōſtituatur hoc medium diaphanū, & perſpicuum. His hunc in modum conſtitutis, facilè intelligemus, cur ex Galeno libro de natura humana 39. & libro quod animi mores inſequantur temperaturā corporis, pituitoſi ſint ſtupidi, nulloſque habeāt mores, quia pituita ob eius viſciditatem eo modo impedit diaphaneitatem, quo cataracta in aqueo humore impedit ſpecies viſibiles, ne ad cryſtallinum penetrent; quod non ita efficit bilis, ſicuti videmus in ictericis, qui non patiuntur illam viſionis diminutionem; itidem euenit in icteritia nigra; cum igitur melancolici, & bilioſi humores non impediant radios penetrantes, non eſt mirum ſi Galenus locis citatis dicat bilioſos habere ingenium, & melancholicos prudētiam; dixit tamen ſanguineos eſſe ſtolidos, quia ſanguis ſua craſſitie tranſitum ra-

radiorum ſpirituum impedit, ſicuti dum pupilla eſt ſanguine ſuffuſa; tunc enim impediuntur ſpectra, ne perueniant ad cryſtallinum.

2 Dubitatio; Ariſt. 2. de anima text. 94. ait, molles carne eſſe aptos ingenio; ergo per ſubtilem cerebri ſubſtantiam, quæ indicat aptum ingenium, debemus intelligere ſubſtantiam mollem, & non ſubſtantiam claram, & paucis ſuperficiebus compoſitam.

Reſpondemus, duo requiri in cerebro, vt aptum ſit ingenium; alterum, vt cerebrum ſit ſine excrementis, & per conſequens (quod eſt illud quod declarat quod quid eſt ipſius perſpicuitatis) ſit pauciſſimis conditum ſuperficiebus; alterum vt ſit molle, quia inde promptè noui ſpirituum radij fiunt; neque ſatis eſt, vt ſit molle, niſi paucioribus conſtet ſuperficiebus, quia pituitoſi ſunt molles, ſunt tamen ingenio tardiſſimi.

CAPITIS XII.
Particula II.

Diſcendi verò facilitas, formarum facilè ſuſceptiuam: memoria autem, ſtabilem ac firmam: ſicuti & diſcendi difficultas, formarum non facile ſuſceptiuam, & obliuio, fluidam. Mobilitas quoque in opinionibus, calidam: ſtabilitas autem frigidam.

PLuſquamcommentator per ſubſtantiam cerebri facilè ſuſceptiuam, inquit Gal. intelligere, quod qui facilè addiſcunt, habeant ſubſtantiam mollem, & humidam partis anterioris cerebri; putat enim in ſola parte anteriori cerebri virtutem imaginatricem, ad quam pertinet facilitas, vel difficultas addiſcendi inſidere. Quæ opinio eſt contra Gal. qui, vt infra declarabimus, negat, facultatem imaginatricem, diſcurſiuam, & memoriam eſſe ſedibus, & loco diſtinctas; ſicuti enim in qualibet corporis particula ſunt omnes virtutes naturales, ideſt concoctrix, expultrix, retentrix, & attractrix; ſimiliter in cerebro, vbi reperitur diſcurſus, ibi quoque imaginatio, & memoria reperientur, & viceuerſa: quælibet enim particula cerebri ſuſcipientis imagines eſt decorata virtute pro illis tribus præcipuis muneribus obeundis.

Præterea Pluſquamcommentator cũ antiqua Laurentiani tranſlatione decipitur, dum per ſubſtantiam cerebri facilè ſuſceptiuam interpretatur mollẽ, & humidam; dixitque, omnem ſubſtantiam molem eſſe quoque humidam. Errat primò; quia per ſubſtantiam facilè ſuſceptiuam debemus intelligere ſubſtantiam perſpicuam, pauciſque ſuperficiebus cõpoſitam; ſicuti enim ſpecula, vt reddantur ſuſceptiua formarum, non debent eſſe ex neceſſitate mollia, vel humida, ſed terſa, & læuigata, & paucis ſuperficiebus compoſita, ſic cerebri ſubſtãtia debet eſſe læuigata, & peruia; taliſque erit, ſi excrementis caruerit; dum enim abundat excrementis, plurimæ conſurgunt ſuperficies, vnde minus peruium, & difficilè formarum ſuſceptiuum cerebrum redditur. Errat ſecundò, quia putat, cerebrum molle neceſſariò quoque eſſe humidum; quæ conſequentia eſt vaniſſima, quia multa poſſunt eſſe mollia, quæ non ſunt humida: nonne pili ſua natura ſicci, molles ſunt? Præterea nec molle, nec durũ, nec humidum vt tales conferunt ad facilitatem, vel difficultatem addiſcendi; ſed ſolum confert perſpicuitas, ſeu diaphaneitas, ideſt corpus, quod paucioribus ſuperficiebus conſtat; quia quando cerebrum humoribus abundat, maior eſt in eo humiditas, & mollities; attamen maior eſt difficultas addiſcendi.

Omnes ferè Expoſitores, dum Galenus inquit, memoriam indicare ſubſtantiam ſtabilem, & firmam, interpretantur per ſubſtantiam ſtabilem, & firmam ſubſtantiam duram, & per ſubſtantiam fluidam, in qua conſiſtit obliuio ſubſtantiam mollem.

Decipiuntur omnes; quia pueri magis valent memoria, quam ſenes, tamen molliorem obſident ſubſtantiam cerebri, quam ſenes: quare Galenus per ſubſtantiam ſtabilem, & firmam non intelligit duram, & per fluidam mollem.

Nos dicimus Galenum per ſubſtantiã ſtabilem, & firmam intelligere ſubſtantiam cerebri permanẽtem in eodem ſtatu: quæ difficillimè fluat, & refluat, quæque diu poſſit conſeruari cum ſuis ſimulachris; diu verò conſeruatur, dũ illis non per-

permiſcetur excrementoſa corpora, quorum plurimæ ſuperficies obtenebrant ſimulachra. Idem euenit in ſpeculo vel in aqua pura, & ſincera permixta luto, vel alienis corporibus, quæ plurimas efficiunt ſuperficies, vnde & claritas, & ſimulachra recepta euaneſcūt; ratio, cur córpora habentia plurimas ſuperficies reddantur inepta ad ſuſcipiendas imagines, & ſimulachra eſt, quia omnia ſimulachra cuiuſcúque ſenſus ferri debent ad intimam cerebri ſubſtantiam per medium lucidū, dum verò in medio ſunt multæ ſuperficies, in qualibet ſuperficie lucidum refrangitur, vnde opacitas & obſcuritas oritur, & memoria amittitur, niſi iterum recuperetur per reminiſcentiam. Differt memoria à reminiſcentia; quia memoria reaſſumit ſpecies obiectorū ſine ſyllogiſmo: reminiſcentia reaſſumit ſpecies quę exciderūt à memoria cum ſyllogiſmo. Differentia inter reminiſcentiam, & ſyllogiſmum eſt quia per reminiſcentiam quærunt concluſiones, dum vigent principia; per ſyllogiſmum quæruntur concluſiones, & principia. Hinc Ariſt. 1. de memoria, & re c. 2. dicit reminiſcentiam neq; de nouo addiſcere, neque de nouo inuenire.

Sed redeuntes vnde diſceſſimus dicimus, quando Gal. habet, memoriam iudicare ſubſtantiam ſtabilem, intelligit ſubſtantiam, quæ conſeruetur ſtabiliter ſine miſtura vaporum, vel humorum; quia hi permixti in cerebro reddunt ob multas eorum ſuperficies cerebrum obſcurum, vnde cauſatur obliuio.

Tandem Galenus ait, mobilitatem in opinione indicare ſubſtantiam calidam: & ſtabilitatem ſubſtantiam frigidam: ratio eſt, quia in calida plures imagines fiunt, quam in frigida; vbi vero plures ſunt imagines, plures naſcuntur opiniones, opinionum enim mutatio fieri non poteſt, niſi noua impreſſio fiat à nouo aliquo ſimulachro introducto.

1 Dubitatio, dicit Galen. eos qui pollent memoriam habere ſubſtantiam cerebri ſtabilem, & firmā: cui ſunt obliuioſi ſubſtantiam fluidam. Hoc videtur reluctari experientię: quia pueri pollent memoria; attamē eorum ſubſtantia cerebri eſt fluida, & non ſtabilis, & firma. Ex alia parte ſenes non pollent memoria, tamen eorum cerebri ſubſtantia eſt firma.

Expoſitores pro tollenda hac dubitatione valde laborarunt, quia per ſubſtātiam ſtabilem intellexerūt duram, & per fluidam humidam; pueri pollent memoria, tamen ſunt humidi. Quare dicimus nos, per ſubſtantiam ſtabilem, & firmam eſſe intelligendam non quod permaneat in eodem ſtatu; quia pueri augentur, & ſunt in perpetua mutatione, ſed quod ſit ſtabilis, & firma in conſeruandis imaginibus, quod fiet in illo cerebro, quod nō impletur humoribus, vaporibus, vel ſanguine: ob hanc enim miſturam naſcitur obſcuritas, & opacitas; quia corporum varietas efficit multitudinem ſuperficierum, quæ deinde impediunt impreſſiones, ſicuti ſi ſpecula inficerentur, vel ſi aqua aliud reciperet, quod non eſſet aqua, non reciperet imagines, quoniam ob multitudinem ſuperficierum adeo ſimulachra refrangerentur, & diminuerentur, vt tandem impreſſiones nullæ efficerent; ſimiliter ſenes, cum ſint excrementoſi, eorum cerebrum nō eſt purum, ſed pituita refertum quę eo modo impedit impreſſionem, quo cataracta impedit uiſionem.

2 Dubitatio, Galenus tertio de locis affectis cap. 5. & lib. de differentijs ſymptomatum cap. ultimo dicit, obliuionem indicare frigidam cerebri ſubſtantiam; in hoc loco uerò dicit fluidam, ergo Galen. eſt uarius.

Reſpondent Expoſitores, Galenum loqui in hoc loco de ſanis, alibi uero ubi ait, obliuionem indicare intemperiem frigidam cerebri, loqui de ægris. Quę reſponſio non omninò probatur; quia ſi frigiditas extra latitudinē ſanitatis exiſtens poteſt memoriam auferre; poterit etiam frigiditas illa inſalubris, quę adhuc continetur inter limites ſanitatis, memoriam minuere, ſeu reddere homines obliuioſos; utraque enim frigiditas eſt agens uniuocum, & non æquiuocum.

Ego reſponderem ſic: obliuionem indicare frigiditatem ex accidenti, quatenus ſcilicet frigiditas reddit ſubſtantiam cerebri magis fluidam; ſimiliter humiditas ex accidenti lædit memoriam, quatenus reddit ſubſtantiam fluidam; quid autem ſit intelligendum per fluidam, diximus ſuperius eſſe cerebri ſubſtantiam

ineptam conſeruationi imaginum; quia modo permiſcetur, vel inficitur vna re, modo alia, modo ſanguine, modo vapore, & modo excrementis maculatur, vnde ob harum rerum multas ſuperficies non remanet firma, & ſtabilis in ſua claritate, ſed fluida.

3 Dubitatio; ſi cerebri ſubſtantia vt paucioribus ſuperficiebus conſtás, eſſet apta ſimulacra, & imagines non ſolum recipere, ſed etiam cõſeruare, & intellectui offerre; ſequeretur quod qui ſunt dociles, & faciles ad ſuſcipiendas imagines, eſsét etiam memoria pollentes, & ingenioſi ſiue ſolertes; tamen videtur quod non ſimul ſtent; quod probatur experientia, & auctoritate Galen. experientia, quia ſæpè videmus iuuenes faciles ad diſcendum; qui non pollent memoria, & qui nõ ſunt ingenioſi, & verſa vice, uidemus iuuenes, qui pollent memoria, & ualdè ingenioſos, qui non ſunt faciles ad diſcendũ. Hinc D. Tho. lib. de memoria, & rem. habet hæc uerba; memoria perbellè præditi ſunt, qui ſunt tardi ad inueniendum, & diſcendum; Præterea eſt Gal. auctoritas in hoc tex. ubi dicit ingenium indicare ſubſtantiam cerebri ſubtilem; facilitatem uero ad diſcendum indicare ſubſtantiam cerebri eſſe ſuſceptiuam formarum; atq; memoriam indicare ſubſtantiam cerebri firmam, & ſtabilem.

Soluitur dubitatio dicendo eandem cerebri ſubſtantiam magis, & minus diſpoſitam efficere ingenioſos, et dociles; ſi eſt ſecundum omnes partes uniformis, ſunt dociles, & ingenioſi, ſi ſecundum ſuperficiem externam tantum, ſunt dociles & non ingenioſi, ſi uero eadem ſubſtantia conſeruet eandem aptitudinem ad recipienda ſpectra ſunt memoratiui.

4 Dubitatio ex Gal. 3. de locis affectis 5. & alibi memoria læditur ob intemperiẽ frigidam, ideo dicunt, obliuionem indicare frigiditatem: quæ conſequentia uidetur nulla, quia ex Gal. 2. aph. commen. 20. omnis immodica intemperies exoluere poteſt operationem propriam alicuius inſtrumenti, ergo memoria poterit lædi non ſolum ab intemperie frigida, uerum etiam à calida: Inſuper Galenus 3. de locis affect. capite 5. dicit memoriam lædi à abo re, & à uigilia, ergo non ſolum à frigiditate. Præterea nimia humiditas inducit nõn ſolum obliuionem, ſed etiam ſtupiditatem.

Reſpondent Expoſitores, dum dicimus, obliuionem indicare frigiditatem, & viceuerſa, quod oporteat intelligere exceſſus moderatos qualitatum, illos ſcilicet qui ſtare poſſunt in latitudine ſanitatis, & non exceſſus immoderatos.

Dicimus nos humiditatem, & frigiditatem memoriam diminuere per accidens, quatenus tollunt cerebri ſplendorem, & reddunt obſcuritatem, vel quatenus delent veſtigia impreſſa; ſimiliter nimius labor, & nimia vigilia per accidens turbare poſſunt cerebri perſpicuitatem, cerebrum ſcilicet implendo, vel agitando humores, vel reſoluendo in vapores ſpiritus ad hoc munus obeundum neceſſarios.

5 Dubitatio non videtur, quod obliuio vel mobilitas in opinione indicent ſubſtantiam cerebri; quia ſæpiſſimè actiones cerebri ſunt læſæ, non ob læſionem cerebri, ſed aliorum viſcerum: in mulieribus ob læſum vterum aliquando læditur diſcurſus, & memoria, & cæteræ omnes actiones; ergo actiones propoſitæ à Galeno non indicabunt ſubſtantiam cerebri. Præterea ex Galeno ſecundo de differentijs febrium capite vltimo habetur aliquando fieri catarrhum nulla exiſtente paſſione in capite, ſed ſolum ſanguine vitiato; ergo poteſt eſse actio læſa in capite, nullo exiſtente vitio in ſubſtantia cerebri.

Reſpondetur eſse impoſſibile, quod actio læſa ſit in cerebro, & cerebrum non ſit quoque læſum; dum enim per cõſenſum ab vtero, vel ab alijs partibus lęditur actio cerebri, lęditur quoque cerebrum, ſed lęſio eſt per conſenſum, eſt in fieri, & dependens, quæ neque indicat, neque curatur: ſolum enim vbi eſt idiopathia, ſeu protopathia applicantur remedia; quando Galenus dixit catarrhum fieri poſse non ob lęſionem capitis, ſed ob vitium ſanguinis, dicimus, caput tunc non eſse lęſum per ſe: ſed per accidens, & per conſenſum.

QVÆST.

QVÆST. XLIV.

De numero actionum cerebri habentium principatum.

AVicennas lib.6. p.4. c.3. & alibi; & Landunus putant eſſe quinq; ſenſus interiores,qui habent hũc principatum: primum eſſe ſenſum communem,cuius officium, vt dicunt,eſt recipere obiecta ſenſuum exteriorum, & iudicare inter illa; veluti inter dulce, & album quid præſtantius. Secundus eſt imaginatio, cuius officium eſt ſolum cõſeruare ſpecies ſenſus communis ſine vlla cognitione:imaginatio enim eſt veluti memoria ſenſus communis. Tertio eſt phantaſia,quæ coniungit ſpecies ſenſatas quæ erant in imaginatione. Quartus eſt virtus æſtimatiua, quæ percipit aliqua non ſenſata: ſicuti oues videntes lupos, quos numquam viderunt,illos timent,& fugiunt; hæc autem virtus in homine dicitur cogitatiua, qua ex ſententia quoq; Auerrois homo differt à brutis. Quintus eſt memoria, quæ conſeruat ſpecies iam à cogitatiua elaboratas.

Auerroes 3.de animal.com.6.& D.Th. p 1.q.78. art.4. putant, quatuor eſſe ſenſus internos, ſeu actiones habentes principatum. Primum eſſe ſenſum communem. Secundum eſſe imaginationem. Tertium eſſe virtutem æſtimatiuam,quæ in homine eſt cogitatio,quæ percipit ſpecies non ſenſatas. Quartum memoriam, quæ conſeruat ſpecies non ſenſatas.

Pluſquamcommentator, & plurimi peripatetici putant actiones principes internas cerebri eſſe tantum tres;imaginationem ſcilicet, cogitatiuam, & memoriam; putantque idem eſſe ſenſum communem, & imaginationem; quia ſenſus communis,vt recipit,dicitur ſenſus communis, vt verò retinet,& conſeruat,dicitur imaginatio; primus igitur ſenſus internus eſt communis ſeu imaginatio. Secundus cogitatiua virtus. Tertius memoria. Neceſſitas verò trium virtutum propoſitarum eſt,quia primò ſenſus communis recipit obiecta ſine materia,ſed non ſine præſentia materiæ. Secundò imaginatio conſeruat ſpecies receptas à ſenſu communi, ſed ſine præſentia materialis obiecti,retinet tamen conditiones materiæ. Tertiò cogitatiua abſtrahit quoque à conditionibus materię;veluti dum agnus conſiderat lupum non antea viſum, & ab eodem lupo abſtrahit inimicitiam. Quartò memoria conſeruat formam, ſeu imaginationem ſic abſtractam, & elaboratam in cogitatiua.

Galenus ſimiliter ponit tres tantum facultates, imaginatiuam ſcilicet, cogitatiuam, & memoriam, eaſque vocat facultates abſolutè principes;diſputatque contra Ariſtotelem libr.7. de plac. cap.6. & probat ſenſum communem non eſſe facultatem internam,ſed externam; docet enim eodem lib.7. & pręcipuè cap. vltimo ſenſum communem eſſe illam vim quæ à cerebro datur omnibus ſenſibus exterioribus; diciṫque hanc ſenſitiuam facultatem eſſe vnam ſolam, quæ tota in quinq; ſenſiterijs eſt diffuſa, & alibi non inuenitur: quæque in oculo videt: in auribus audit,in digitis tangit;nec ſenſus ſimilis datur in parte interna cerebri, vt putant peripatetici: idcircò Galen.nullo modo voluit enumerare ſenſum communem inter virtutes internas,quæ ſolæ dicuntur habere principatum. Præterea patet,ſenſum communem non eſſe facultatem internam,quia dum ociatur facultas ſenſitiua in oculis, in auribus, & in reliquis ſenſibus externis, ociatur quoq; totus ſenſus communis,ſicuti in ſomno cõtingit: hinc Galenus libro de differentijs ſympt. cap.3. dicit, ſomnum, & vigiliam pertinere ad ſenſum communem, qui eſt externus, & non internus.

Neque valet Ariſtotelis ratio 2.de anima tex.146.& alibi, ideò ſenſum communem eſſe internũ, quia diſtinguit ea quæ ſunt diuerſorũ ſenſuum; quia vel diſtinguit in materiæ præſentia, & ſic dicimus pertinere ad ſenſum communem, qui eſt externus videlicet ſparſus in quinque ſenſiterijs; vel diſtinguit ſine materiæ præſẽtia,& ſic dicimus hanc cõſiderationem pertinere ad imaginationem, veluti dum in ſomnijs diſtinguimus vnum hominem ab alio.

1 Dubitatio exurgit, quia ex ſententia Ariſtotelis, & Galeni in ſenſatione duo requiruntur, receptio ſcilicet, & iudiciũ;

quare cum ſenſus communis iudicet, & iudicium pertineat ad partem internam cerebri, ſequetur, quod ſenſus communis ſit facultas interna, & diſtincta à quinque ſenſibus.

Reſpondet Galenus 7. de plac. cap. 7. iudicium in illa parte fieri, in qua fit receptio; ſic in oculo fit iudicium colorum, & in auribus vocum, & in iuncturis ſentitur dolor podagricus, & non in cerebro relinquitur ergo, quod ſenſus communis ſit vbi ſunt quinque ſenſus, & non alibi, & quod non ſit facultas interna diſtincta à quinque exterioribus, neque ſit imaginatio, vt putant peripatetici.

QVÆST. XLV.

Vbi ſit ſenſus communis.

HÆc conſideratio, quamuis pertineat ad libros de anima, tamen pertinet quoque ad medicum; quia ſi eſſet læſus communis ſenſus, & non eſſet deciſum, vbi ſit; Medicus ſanè neſciret applicare remedia pro auferenda eius læſione. Accedit, quod Ariſtoteles cenſet ſenſum communem oriri à corde, & Galenus à cerebro: æquum igitur eſt, vt nodus exoluatur.

Ariſt. putat ſenſum communem eſſe in corde: dicit enim 3. de partibus anim. c. 4. lib. de ſomno, & vigilia ca. 2. & lib. de iuuentute, & ſenectute c. 2. cor eſſe principium neruorum, venarum, & arteriarum, ideo ſenſum communem, & alias facultates principes eſſe in corde.

Auicennas fen prima, primi doct. 5. ca. 1. putat, ſenſum communem, & omnes facultates radicaliter eſſe in corde, in cerebro verò manifeſtatiuè: ſed ſupra reiecimus hanc opinionem, quæ re vera eſt diuerſa ab Ariſt. & Galeni ſententia.

Galenus putat, ſenſum communem eſſe vbi ſunt quinque ſenſus, libro enim 7. de placitis cap. 6. dicit, vnam eſſe potentiam ſenſitiuam externam totam, quæ in oculis videt, in digitis ſentit, &c.

Plato in Theæteto, vt refert quoque Gal. 7. de plac. c. 6. dicit vnam eſſe facultatem ſenſitiuam, & hanc eſſe in quinq; ſenſiterijs: hæc ſunt verba Platonis (*Socrates abſurdum quippe eſt ò Fili, vt multi in nobis, quaſi in ligneis equis ſenſus inſideant, et non vna quædam ſit ſpecies, & idea ſiue anima, quomodocunq; appelles, in quam omnes hi concurrant, et qua per hos quinque ſenſus tamquam per inſtrumenta ſentiamus:*) ecce quod Plato vult communem ſenſum eſſe illum, qui eſt diſperſus in quinque ſenſiterijs, & propterea ſenſum communem non eſſe facultatem internam diuerſam à ſenſibus exteriorib.

1 Dubitatio, & eſt Ariſtotelis 2. de anima tex. 146. & lib. de ſenſu, & ſenſili, & de ſomno, & vigilia: ſi communis ſenſus nō eſſet diuerſus à quinque ſenſibus exterioribus, tunc nullus daretur ſenſus, qui poſſet diſtinguere ea quæ ſunt diuerſorum ſenſuum.

Reſpondent Galeni aſſeclæ, diſtinctionem diuerſorum ſenſuum non pertinere ad ſenſum communem, ſed ad imaginationem, quæ eſt facultas interna, & ſuperior. Hippocrates enim Galen. & omnes Medici, qui de affectibus præter naturam internarum facultatum animalium egerunt, nunquam cognouerunt, quod detur aliquod ſymptoma huius ſenſus communis interni, & ſeparati à quinque ſenſibus exterioribus: ideo experientia ducti, dixerunt ſenſum communem internum eſſe quid chimericum: etenim omnia ſymptomata internarum facultatum animalium pertinent ad tres tantum facultates, & non ad plures, ideſt ad imaginationem, diſcurſum, & memoriam. Ideo Galenus lib. de diff. ſympt. cap. 3. loquens de internis læſionibus harum facultatum animalium probat experientia deſumpta à ſymptomatibus, quæ adoriri ſolent has facultates, non dari niſi tres internas, ſcilicet imaginationem, diſcurſum, & memoriam; pro leſa imaginatione affert Galenus cauſam Theophili medici phrenetici habentis læſam imaginationē, & non diſcurſum. Hic enim imaginabatur in angulo cubiculi videre tibicines ſonantes. Ibidem pro læſo diſcurſu Galen. proponit caſum cuiuſdam phrenetici, qui erat in domo Lanifici, quia veniens ad feneſtram accipiebat ſingula vaſa, quæ in domo reperiebantur interrogans Prætereuntes, an vellent, vt illa proijceret, Prætereuntes ridentes annuebant, & ille miſer omnia vaſa proijciebat. Demum ac-

cepit

cepit puerum,petijtq;ab illis,an vellent vt & puerum proijceret, illi credentes quod nullo modo id efficeret ridentes annuebant, & ille ſtatim puerum proiecit: Gal. propoſuit hoc exemplum, vt declararet læſionem diſcurſus,ſana exiſtente imaginatione. Itidem eodem loco oſtendit aliquando lædi memoriam illæſa imaginatione,& diſcurſu, referens ex Thucydide in 2.lib.de bello Peloponenſiaco, de quadam peſte, ex qua qui liberabantur amittebant memoriã quoq; proprij nominis.

Ibi Galen. & alibi, non cognouit quod dentur alia ſymptomata internarum facultatum animalium, niſi illa quæ pertinent vel ad imaginationem, diſcurſum, vel memoriam:ideo ex Gal.& ex diutina medicorum omnium experientia certò colligimus non dari ſenſum communem internum,qui ſit diuerſus ab imaginatione, diſcurſu vel memoria; quia darentur etiam eius ſymptomata, & propterea eos erraſſe, qui putarunt, ſenſum communẽ eſſe internam aliquam facultatem animalem ab illis tribus ſepararam.

2. Dubitatio: Galenus lib.de differentijs ſymptomatum c.3. dicit, ſomnum, & vigiliam eſſe paſſiones ſenſus communis, ſed ſic eſt, quod ſomnus eſt paſſio immaginatricis facultatis;ergo ſenſus communis idem erit cum imaginatione.

Reſpondetur eſſe falſiſſimum, quod ſi minus ſit paſſio imaginationis; imò in ſomnijs imaginatio non quieſcit,ſed perpetuò vagatur tam in hominibus, quàm in brutis. Præterea ex ipſo Ariſtotele sõnus ſic deficitur ἠρεμία τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ, ideſt quies primi ſenſorij, ideſt ſenſus communis;ſolum enim dum animal dormit, quieſcit ſenſus communis ideſt omnes quinque ſenſus, & non imaginatio. Colligas igitur nihil aliud eſſe ſenſum cõmunem,quam quinque ſenſus, & nullibi eſſe, niſi vbi ſunt quinque ſenſiteria: vbi enim nullus eſt ſenſus particularis,ibi neque eſt ſenſus communis,ſi igitur in parte interna cerebri nullus eſt ſenſus particularis, ibi quoque non erit ſenſus communis. Hinc vbi ſunt facultates principes internæ, vt imaginatio, diſcurſus, & memoria,ibi nullus eſt ſenſus;ſẽſus enim ſolum eſt in membrana: in ſubſtantia verò cerebri in qua reſident tres principes functiones nullus eſt ſenſus.

Demum dicimus ſenſum communem non eſſe actionem principem cerebri, quia ex Galeno de locis affectis loco citato illa dicitur actio princeps quæ à nulla alia parte vt inſtrumento fit. & 7. de placitis ea eſt actio princeps,quæ in ſolo cerebro fit, & non alijs organis vt motus, & ſenſus;quare nullus ſenſus inter actionem principem reponi debet, quia ſenſus totus eſt actio inſtrumentaria, quæ in proprijs organis exercetur.

QVÆST. XLVI.

An operationes Principes in cerebro ſint loco diſtinctæ.

AVicennas ſen prima primi doct.6 cap.3. Auerroes 2. collig. cap.20. & libello de memoria, & reminiſc. dicunt imaginationem fieri in ventriculis anterioribus cerebri: cogitationem in medio, & memoriam in poſtremo. Quæ opinio reluctatur Galen.& veritati.

Primum fundamentum dictæ opinionis ex eo deſumitur, quia imaginatio fit in ſubſtantia molliori cerebri; memoria verò in duriori: ſed ſic eſt quod mollior eſt in anteriori, & durior in poſteriori parte cerebri; ergo actiones principes erunt loco diſtinctæ.

Secundum,ſi iſtæ tres actiones principes cerebri non eſſent loco diſtinctæ, ſequeretur quod vnica læſa omnes eſsẽt leſæ, ſed oſtenſum eſt à Gal.lib.de differentijs ſympto.c.3.& lib.4.de locis affect.c.2. exemplo Theoph. medici,in quo erat læſa imaginatio manente illæſo diſcurſu. Similiter exemplo illius qui vaſa, & puerum à feneſtra proiecit, in quo erat læſus diſcurſus,& non imaginatio:ergo in vno & eodem loco non poteſt ſtare diſcurſus, & imaginatio. Itidem exemplo deſumpto à Thucidide quod in peſte Peloponenſi aliqui amitterent memoriam, & non diſcurſum,& imaginationem:ex his colligunt, varias eſſe ſedes, prout variæ ſunt functiones principes.

Tertium deſumitur à Galeno lib.4. de locis affectis cap.2.vbi dicit,læſa anteriori cerebri parte tertium ventriculum per conſenſum affici,& cogitandi actionem,

ergo

ergo à Galeno in aliqua ſede reponitur quoque cogitandi actio, quæ inter actiones principes eſt præcipua. Hinc 3. de locis affectis cap. 5. & 8. de uſu partium dicit, tertium uentriculum eſſe omnium nobiliſſimum, & inde medium; ignobiliores uerò eſſe anteriores, & libro 7. de plac. cap. 6. ait, uulnera uentriculorum cerebri omnia eſſe periculoſa, ſed poſtremi uentriculi eſſe omnium periculoſiſſima; medij uentriculi parum minus periculoſa, & anteriorum uentriculorum adhuc minus; quare cum uentriculus tertius ſit nobilior medio, & medius anteriori, oportet ut penes actiones principes inſidentes in illis ſit iſta differentia, & actiones principes in cerebro ſede, & loco inter ſe differant.

Galen. tamen aliter ſentit; putat enim, & rectè, quod principes operationes in cerebro non ſint loco diſtinctę. Quod uerò hæc ſit uera, & germana Galeni opinio colligitur in primis ex hoc ca. in quo dicit, memoriam non indicare poſteriorem cerebri partem, ſed ſubſtantiam ſtabilem & firmam; ſimiliter ait facilitatem addiſcendi indicare non partem anteriorem cerebri, ſed ſubſtantiam cerebri facilè ſuſceptiuam formarum. Itidem loquens de ingenio non ait indicare ſitum aliquem cerebri, ſed ſubſtantiam cerebri ſubtilem. Quare non eſt in Galeno admittendum, operationes principes eſſe loco diſtinctas omnes enim ſunt in qualibet ſubſtantiæ cerebri particula; ſicuti in qualibet minima corporis parte reperiuntur quatuor facultates naturales; uidelicet attractrix, retentrix, expultrix, & concoctrix; ſimili modo in qualibet particula cerebri eſt imaginatrix, ratiocinatrix, & memoratrix operatio.

Præterea ſi illę tres operationes principes ex Galeno eſſent in uentriculis cerebri illo ordine, ut dixerunt Arabes, ſcilicet imaginationem eſſe in anteriori, cogitationem in medio uentriculo, & memoriam in poſtremo, Gal. 8. de uſu partium c. 10. agens de uentriculis cerebri aliquid dixiſſet de hoc tam præcipuo, & ſingulari uſu uentriculorum.

Inſuper Gal. c. 13. loquens contra Eraſiſtratum concludit, intellectionem ſequi bonam corporis cerebri temperaturam, & non compoſitionem.

Ad hæc Gal. lib. 2. de motu muſculorum c. 6. ait, memoriam oriri ex imaginatione; quia ſi aliquid cum multa animi attentione imaginemur fit fortis impreſſio, & illud facillimè memoramur, ergo vbi ſit impreſſio, ibi quoque ſit memoria; ergo memoria ex ſententia illorum, qui putant in parte anteriori eſſe imaginationem, erit quoque in eodem loco memoria.

Poſtremò Galenus 3. de locis affectis 7. exponens hæc verba Hippocr. loquentis de melancholia, *ſi incidit in mentem fit melancholia, ſi in corpus epilepſia*, interpretatur per mentem ſubſtantiam ſimilarem cerebri, per corpus, diſſimilarem; epilepſia enim eſt affectus cerebri vt eſt diſſimilare, quatenus ſcilicet meatus vel ventriculi obſtruuntur; dum igitur Hippocrates de mente loquitur, ait Galenus eſſe intelligendam cerebri ſubſtantiam; quare diſcurſus, ingenium, facilitas addiſcendi, & memoria pertinebunt ad cerebri ſubſtantiam, non ad ventriculos.

Quod verò Auicennas, & Auerroes reluctentur quoque veritati, dum putant imaginationem in anteriori parte; cogitationem in medio, & memoriam in poſtremo vētriculo reſidere, patebit hoc efficaciſſimo argumento: imaginatio eorū quæ per ſenſum tactus habetur, non poteſt fieri in parte anteriori cerebri quia nerui totius corporis pedum ſcilicet, & manuum reſpondent ſpinæ, & ſpina parti poſteriori cerebri; ergo fiet quoq; imaginatio in parte poſteriori, quod eſt illud quod nolumus.

Poſtremò ſi operationes principes non eſſent in qualibet particula cerebri, ſed ſolum in uentriculis, ut dictum eſt, ſequeretur, quod operationes non eſſent principes: quia de ratione principum operationum ex Galen. loco citato 2. de loc. affectis cap. 9. eſt, ut à nulla parte tamquam ab inſtrumento fiant, ſed ſi reſiderent ſolum in uentriculis, ſequeretur, quod in uentriculis fierent ut ab inſtrumento, & eſſent organicæ, quod repugnat non ſolum Galeno, ſed etiam Ariſtoteli, qui non admittunt principem operationem eſſe organicam.

Vera igitur eſt opinio illorum, qui ſuſti-

ſti-

ſtinent tres eſſe operationes principes, imaginationẽ ſcilicet, diſcurſum, & memoriam in qualibet particula ſubſtantiæ cerebri, eo modo, quo in qualibet parte parenchymatis hepatis reperitur hæmatoſis,retentrix,attractrix,& expultrix.

1 Dubitatio, ſi iſtæ actiones principes non fierent in determinatis ſedibus cerebri, ſed omnes in qualibet particula eſſent ſimul,ſequeretur quod vnâ lęſa,omnes læderentur; ſed hoc eſt falſum: quia ſæpè lęditur diſcurſus manẽte illæſa imaginatione, & memoria, & vice verſa.

Reſpondetur cum Galeno 3. de ſymp. cauſis cap.3. vbi dubitat,cur particula aliqua corporis prædita quatuor facultatibus naturalibus, ex illis quælibet poſſit lædi, diminui ſcilicet, vel corrumpi alijs manentibus illæſis?hæc eſt reſponſio;omnes facultates naturales vti diuerſis qualitatibus, vt inſtrumentis; exempli cauſa attractrix vtitur potius calore,quam alijs qualitatibus; retentrix ſiccitate, concoctrix caliditate, & humiditate; quare poteſt contingere,quòd humiditas,quę manifeſtè lędit retentricem, non ſolùm lædat expultricem vel concoctricem,ſed illis aliquid opis offerat: ecce igitur quod in qualibet minima corporis particula poſſunt ſtare facultates naturales, vnaq; ſenſibiliter lædi poteſt, alijs manentibus illæſis. Simili modo dici poteſt de tribus operationibus habentibus principatum; poteſt enim lędi imaginatio, dum primæ impreſſiones, quæ fiunt in cerebri ſubſtantia vel malè fiunt,vel poſtquam factę ſunt alterantur,nulla facta læſione in diſcurſu: ſimiliter in eadem particula cerebri poteſt lædi diſcurſus à calore præter naturam,qui potius iuuet imaginationẽ: idem dici poteſt de memoria, quæ poteſt ob corpora multiplicantia ſuperficies,vel facientia (quod in idem recidit) opacitatem, diminui, nulla manente læſione in diſcurſu: quæ cum ita ſint non inconuenit, vt in vna parte cerebri ſint tres operationes principes, vnaquę lædatur, alijs manentibus illæſis.

2 Dubitatio ſi læditur memoria, applicantur remedia parti poſteriori; ſi imaginatio parti anteriori; ergo loco, & ſede diſtinctæ ſunt, addunt adeſſe quodam orificium in ventriculo poſteriori (in quo dicunt reſidere memoriam)quod clauditur,dum cogitare nolumus,dum verò volumus, aperitur; colligunt propterea ſedes eſſe diſtinctas.

Reſpondetur, quod omnia hæc falſa ſunt:quia nihil fit in memoria, vel imaginatione læſa applicando remedia extrinſecus. De orificio,quod aiunt claudi, dum cogitare nolumus, ſunt ridicula, & chimerica, pueriſque potius proferenda, quam ſtudioſis medicinæ.

QVÆST. XLVII.

An operationes principes pendeant à cerebri conformatione.

HÆc quæſtio pendet ex ſuperiori, quia ſi operationes principes non ſunt loco, & ſede diſtinctæ,ſequitur quod non à conformatione, ſed à cerebri temperatura oriantur; cæterum, quia quæſtio eſt magni momenti; ideo melius confirmabimus in hoc loco, quod non à conformatione, ſed à cerebri temperatura oriantur.

Arabes ferè omnes putant à ventriculis, & per conſequens à conformatione actiones principes prouenire: immo dicunt,quando cogitare vel diſcurrere nolumus: in ventriculo memoriæ claudi orificium, quando vero volumus, aperiri, idem dicunt de imaginatione, dum ſcilicet nolumus imaginari, tunc orificium ventriculorum anteriorum claudi; dum volumus, aperiri. Quæ ſunt voluntaria figmenta,quia in ventriculis cadauerum orificia inter tertium, & quartum ventriculum,nemo vnquam vidit,eſt.n. impoſſibile, vt homines non ſemper imaginentur, vel diſcurrant, quare numquam poſſet claudi illud orificium: fateor ſanè, quod ſi reperirẽtur iſta orificia, eſſet magnum fęlicitatis munus, quia illud claudendo poſſemus diſcurſu vel imaginatione rerum moleſtarum ſuperſedere.

Plurimi putant Galenum quoque voluiſse operationes principes pẽdere à cerebri conformatione, quia ſuperius ex figura capitis ſphærica vtrinque tamen ad latera compreſſa colligebat optimum hominis iudicium, ex figura vero capitis turbinata, qualem ferunt habuiſſe Ther-

ſitem

ſitem apud Homerum, colligebat ſtultitiam, quare operationes principes ex Galeno oriuntur à conformatione, & non à temperatura. Præterea Galen. 7. de placit. ab optima ſtructura cerebri deſumebat hominis prudentiam. Decipiuntur valde, quia, & nos concedimus optimam ſtructuram ſeu figuram capitis indicare prudentiam, & malam figuram ſtultitiam: ſed dicimus inditia eſſe duum generum, alia propria, & immediata: alia vero impropria, & mediata, poſita hac diſtinctione dicimus, bonam, vel malam figuram capitis primo, & per ſe indicare bonam vel malam temperaturam cerebri: bonam verò vel malam temperaturam cerebri primo, & per ſe efficere prudentiam vel ſtultitiam: quare mala figura indicat ſtultitiam, quatenus cerebri mala temperatura effecit malam figuram, & ſtultitiam.

Galeni vera, & germana opinio eſt, quod actiones principes cerebri dependeāt primo, & per ſe à propria carne, ſeu à parte medullari, & ſimilari cerebri quod quidem facilè probatur, quia octauo de vſu partium cap. 13. Galenus habet hanc ſententiam, *melius foret exiſtimare intellectum ſequi non varietatem compoſitionis ſed corporis, quod cogitat laudabilem temperiem*. Præterea nonnè Galenus ſuperius docuit ingenium indicare ſubtilem cerebri ſubſtantiam, memoriam vero ſubſtantiam firmam? ergo actiones principes inſequentur ſubſtantiam, & non compoſitionem. Similiter Galenus 3. de locis affectis c. 6. vocat cerebri temperiem mentem, vt oſtenderet mentem ſeu intellectum inſequi partem ſimilarem, & non conformationem.

Accedit quod non ſolum tres actiones principes cerebri dependeant à parte ſimilari cerebri, ſed omnes actiones viuentis quotquot ſunt dependent primo, & per ſe à temperatura partium ſimilarium quod hoc ſit verum legamus Galenum 7. meth. c. 2. lib. 6. de locis affect. c. 3. & lib. de optima corporis conſtitutione cap. 2. vbi clariſſimè admonet in omni inſtrumento adeſſe vnam particulam ſimilarem, à qua pendet actio, quæ eſt in toto inſtrumento. Hinc libro de conſtitut. artis ca. 5. dicit actiones primo, & per ſe eſſe ſimilarium partium, ſecundario uerò, & ex accidenti eſſe inſtrumentalium.

Hippocr. ſimiliter docet primo de diæta, omnes actiones principes pendere à ſimilari parte cerebri, habet .n. hæc uerba, cum in corpore, pars ignis ſicciſſima, & aquæ humidiſſima çqualiter temperātur, prudentiſſimum quid naſcitur: ecce quod actiones obtinentes principatū inſequuntur cerebri temperaturam, & non conformationem. Demum Ariſtot. 2. de par. anim. c. 1. ait actiones uarias eſſe ratione partium ſimilarium.

Veriſſima illa erit ſententia, quæ præcipuè conſentit doctr. Ariſt. & non repugnat Hippocr. & Gal. Ex Ariſt. .n. primo poſt. collocantur omnes actiones propriè in 2. modo dicendi per ſe. Accedit quod prædicata 2. modi definiantur per ſua ſubiecta: quę reuera ſunt compoſita ex parte ſimilari, & diſſimilari, quare actiones principes, & non principes adæquatè cōuenieut parti ſimilari, & diſſimilari: principaliter tamen parti ſimilari; ſic dicimus in philoſophia, motū adęquatè conuenire corpori naturali, principaliter verò naturæ, quæ eſt motus principium. Similiter riſibilitas adæquatè conuenit homini, ut eſt compoſitus ex parte ſimilari, & diſſimilari: principaliter uerò conuenit rationalitati, quatenus à rationalitate dependet: quod diximus de hac actione propria intelligimus de omnibus, quia ſubiectum 2. modi eſt cauſa adæquata paſſionū; prædicatum verò primi modi eſt cauſa principalis propriarum actionum. Hinc optimè dictum eſt, totum hominem eſſe ſubiectum *quod* riſibilitatis: animal rationale verò eſſe ſubiectum *quo*: ſimiliter totum cerebrum ex parte ſimilari, & diſſimilari compoſitum eſt ſubiectum *quod* actionum habentium principatum, & totus oculus eſt ſubiectum quod propriiſſimum, & adæquatum viſionis: ſubiectum uerò quo actiones principes fiunt, nō eſt totum cerebrum, ſed ſolum pars ſimilaris cerebri, ſimiliter ſubiectum quo fit uiſio, non eſt totus oculus, ſed humor chryſtalinus: qua poſita diſtinctione, dicimus omnes actiones tanquam à parte principali, quæ ſit principium quo, pendere à parte ſimilari, ut optimè Galenus nos docuit: tāquam uero a ſubiecto adæquato, quod

eſt ſubiectum quod,eſſe totum organum quia dum volumus definire actionẽ propriam,illam definimus per proprium organum,& non per partem principalem.

CAPITIS XII.
Particula III.

Tex. 18. *Adhuc autem duo indiciorum genera mihi videor prætermiſiſſe, de quibus ſum ab initio me dicturum pollicitus, quorum alterum ad operationes attinet naturales, alterũ verò ad ea, quæ extrinſecus occurſant. Erit autem in vtriuſq; ſermo cõmunis.*

Declarauit ſuperiùs Galenus, quatuor genera ſignorum declarantium cerebri temperaturam: primum genus deſumebatur à capitis diſpoſitione: Secundum ab operationibus principatum obtinentibus.

In hoc tex. admonet,duo adhuc genera relinqui, à quibus deſumuntur ſigna declarantia cerebri conſtitutionem:alterum deſumi poſſe ab actionibus naturalibus, ideſt ab expultrice, retentrice, coctrice, & attractrice: alterum ab ijs, quæ extrinſecùs occurſant, quę ſunt iuuantia & lędentia: ait Galen. in vtriſq; ſermonẽ eſſe communẽ, dum ſcilicet inferiùs ſpeciatim tractabit de cerebri temperaturis: vbi aget de actionibus naturalibus cerebri,& de extrinſecis iuuantibus,& lædẽtibus:non enim vult de his duobus generibus agere in communi, & in vniuerſali: quia quando de particulari ſermone cerebri tractabit,de illis verba faciet.

Montanus in hoc tex. cenſet, actiones naturales nullo alio modo cognoſci poſſe,quàm per excrementa: ideò dicit, Galenum per cognitionem excrementorum capitis nos manuducere ad cognoſcendas actiones naturales cerebri. Quę opinio reijcitur, quia actiones naturales non ſolùm dignoſci poſſunt per excrementa, verùm etiam per immodicè retenta, & per qualitates mutatas: non ſolùm enim excuntia ſunt, quæ indicant ſtatum actionum naturalium, ſed etiam immodicè retenta,& qualitates mutatæ, vt nos ex Galeno primo lib. methodi noſtræ cap.6. fusè oſtendimus.

Præstereà oſtendimus ſuperiùs non per duo ſigna dignoſci poſſe temperaturam vitiatam,ſed per ſyndromen multorum, de qua in 1. & 6. lib. methodi noſtræ diſtinctè egimus; omneſq; locos declarantes occultas ideas affectuum præter naturam propoſuimus.

CAPITIS XIII.
Particula I.

De Signis bonæ temperaturæ cerebri.

Si quidem cerebrum ſortiatur bonam quatuor primarum qualitatum temperaturam, omnia,quæ diximus habebit moderata,& excrementa, quæ vel per palatum, vel aures,vel nares,vel oculos expurgantur, hæc quoq; modicè ſe habebunt,atq; ab his,quæ extrinſecùs occurſant minimè lædetur, quæ ſcilicet vel calefaciunt, vel frigefaciunt,vel humectant,vel exſiccant.

In hac 1.partic.Galen. applicat traditam methodum cerebro temperato: meritoq; incipit à temperato: quia ex eius cognitione facillimè intemperata,& ab optimo recedentia cognoſcuntur;Ariſtoteles enim primo de anima tex. 85. docet, quod rectum eſt iudex ſui, & obliqui: quare præcognito cerebro temperatiſſimo, facillimè quæ ſint intemperata, dignoſcemus.

Methodus vniuerſalis tradita continebat ſex fontes. Primus erat de capitis diſpoſitione, quæ deſumebatur ex magnitudine,figura, & capillis: Secundus erat de virtute,& vitio ſenſibiliũ operationũ. Tertius de robore, vel debilitate virtutũ motiuarum. Quartus de operationibus obtinentibus principatum,quæ ſunt imaginatio,diſcurſus,& memoria. Quintus de naturalibus cerebri actionibus. Poſtremus de ijs, quæ extrinſecùs adueniunt: Galen. igitur in hoc loco applicat dictam methodum cerebro temperato.

Diuiditur hic tex.in duas partes:In prima ait, quatuor genera, quæ in quatuor fontibus ſunt propoſita, eſſe moderata, videlicet caput in magnitudine moderatum cum figura concinna: ſimiliter cum virtute ſenſitiua,& motiua moderata; & demum cum operationibus habentibus

prin-

principatum moderatis:inde colligit, cerebrum quoq; eſſe temperatiſſimum. In ſecũda dicit,præterea eſſe alia duo genera moderata; quorum primum continet actiones naturales, quæ colliguntur ex moderata quantitate,& qualitate excrementorum, quæ expurgantur per aures, nares, palatum,& oculos: ſecundum genus continet illud quod pertinet ad ſextum fontem,& eſt,quod cerebrum temperatũ maximè reſiſtat externis cauſis: non enim læditur ab exrinſeca caliditate, frigiditate, humiditate, vel ſiccitate, quia temperatum cerebrum mirificè externis iſtis cauſis reſiſtere poteſt.

1 Dubitatio:Galenus in hoc loco agit de ſignis cerebri temperati: non videtur quod dari, vel concedi poſſit hoc temperatum cerebrum: quia ex Galeno 2. de temperamentis cap.vltimo cerebrum eſt frigidum & humidum; ſed ſic eſt quod corpora frigida & humida non poſſunt eſſe temperata: ergo non dabitur cerebrum temperatum.

Reſpondetur, quod temperatum duplex eſt, vel ad pondus, vel ad iuſtitiam: omnes fatentur,cerebrum eſſe temperatum ad iuſtitiam, & non ad pondus: per temperatum ad iuſtitiam intelligimus, quod in ſua ſpecie obſideat illã perfectionem,quam poteſt habere: hoc cerebrum quãuis reſpectu cutis,quę eſt regula omnium temperaturarum,dicatur frigidum & humidum,dicetur tamen temperatum ſi fuerit inſignitum omnibus illis dotibus,quas refert in tex.Galenus:quæ ſunt bona capitis diſpoſitio quo ad magnitudinem & figuram, beneque ſe habeat ad operationes ſenſitiuas & motiuas,& pręcipuè ad principes functiones, & demũ eius naturales actiones egregiè poſſint reſiſtere extrinſecis alterationibus.

2 Dubitatio: ſuperius Galenus promiſit ſe acturum de ſignis corporis inſalubris diapandos: attamen hic agit de ſignis ſaluberrimi,ſeu temperatiſſimi cerebri,ergo malè?

Reſponſio eſt tradita ſuperius: diximuſque Galenum ſummo artificio vſum eſſe in tradẽda cognitione corporis inſalubris: quia voluit per cognitionem recti declarare obliquum: nihil enim aliud eſt cerebri inſalubritas, niſi receſſus à ſtatu ſaluberrimo: quare niſi præcognoſcatur ſtatus ſaluberrimus,non poterit dignoſci ſtatus inſalubris, quan tum ſcilicet recedar à termino ſaluberrimo.

3 Dubitatio oritur circa dotes temperamenti cerebri: quia vt dicit Pluſquamcommentator eſt impoſſibile, immo implicat cõtradictionem aſſerere, quod bene ſe habeat in ſenſu & motu: ratio eſt quia ad motum iuuat ſiccitas; ad ſenſum verò humiditas:quare dicimus nos,ſi bene ſe habuerit ad motũ,non bene ad ſenſum: Itidem phrenetici ob ardorem & ſiccitatem habent motus vehementiſſimos,ſenſus verò corruptos: ſimiliter dictum eſt, humiditatem iuuare ad imaginationem:nocereque ad memoriam:ſiccitatem verò ad memoriam, & non ad imaginationem.

Reſpondetur & rectè, quod Galenus loquatur de illa perfectione,quę in cerebro temperato inueniri poteſt: vel dicimus moderatam ſiccitatem,moderatamque humiditatem, & cætera omnia moderata efficere illam perfectiſſimam harmoniam ſeu cõcentum, qui quam maximè iuuat ad operationum perfectionem: immo dicimus,exceſſus omnes impedire perfectas operationes, vt in phreneticis ſiccitas, quæ licet validos motus in ipſis efficiat, non tamen perſeuerant, ſed citò pereunt.

4 Dubitatio,in tex.docet Galenus excrementa,quæ per palatum, aures, nares,& oculos expurgantur, ſi modicè ſe habebũt, ſignificare bonam cerebri temperaturam: quod ſignum videtur irritum & vanum, quia excrementa neque in bona, neque in mala temperatura expurgantur per oculos, niſi oculis fiſtula, vel aliquis alius morbus accidat, ergo videtur malè Galenus feciſſe,dum inter indicia bonę temperaturæ collocat oculorum excrementa.

Reſponſio petenda eſt à codice græco, in quo nullam facit mentionẽ de excrementis oculorum: ſed ſolum de ijs, quæ per palatum, nares,& aures euacuantur; ideò mirandum eſt, quomodo ſit addita particula per oculos; hæc ſunt verba *καὶ τῶν περιττωμάτων, ὅσα διὶ ὑπερῴας ἢ ὤτων, ἢ μυκτήρων ἐκ καθαίρεται*: quæ verba ſonant: & excrementa, quæ per palatum,

vel

vel aures,vel nares expurgantur. Præterea,dum expurgantur oculi,excrementa ſunt oculorum,& non cerebri.

5 Dubitatio,videtur Galen. diminutus dum volens numerare foramina,per quę excrementa expurgantur,ſolum de palato, de naribus, & de auribus mentionem faciat, omittens tamen quamplurima alia foramina naturalia, per quæ capitis excrementa expurgantur;os enim cuneale habet 18. foramina; occipitium 7. In temporibus vtrinque ſunt quatuor,quatuor quoque ſunt communia occipitio, cuneali, & temporibus; per hæc omnia foramina cerebrum expurgari ſolet,non autem per ſola propoſita à Galeno in hoc tex.

Reſpondetur, quòd ad oſtendendam bonam temperaturam ſufficient, ſi excrementa palati,narium, & aurium moderata fuerint. Prætereà omnia ferè foramina propoſita, & præcipuè cunealis, reſpondent palato, naribus & auribus: quare à moderatis excremētis palati, nariū,& aurium, colligemus certiſſimè cerebri ſtatum temperatum, & moderatū.

7 Dubitatio: Galenus 8. de vſu partium cap.6.docet,nares non eſſe factas pro excrementorum purgatione, ſed pro odorum dignotione, & pro inſpiratione aeris in ipſum cerebrum.

Reſpondetur, quodlibet inſtrumentum habere vnam actionem præcipuam; non negari tamen à Galeno vſus plurimos;actio enim præcipua aurium eſt auditio, vſus tamen illorum eſt,vt ſint materiæ excrementitiæ receptacula: ſimiliter actio præcipua oris eſt inſpiratio;minus verò præcipua eſt ciborū aſſumptio, deinde, ſequitur receptio excrementorum:quod dicimus de auribus, & palato, idem dici poteſt de naribus, & de qualibet corporis parte.

6 Dubitatio,videtur Galenus diminutus in proponendis ſignis cerebri temperati; quia Auicennas alia plura ſigna proponit digna conſideratione, quæ temperatum cerebrum indicare poſſunt.

Reſpondetur, quod omnia ſigna temperati cerebri non ſolum propoſita ab Auicenna, ſed ab omnibus Auctoribus continentur his paucis verbis à Galeno propoſitis,dicēte, omnia debere eſſe moderata & modicè ſe habere:omnia igitur ſigna tēperati cerebri propoſita ab Auicēna, Auerroe,& à Galeno ipſo,dum tractatur de ſignis etiam intemperati cerebri, contineri poterunt in ſignis à Gal. propoſitis in hoc cap. quia ſi modicè ſe habuerint excrementa, vel alia indicia, cerebrum erit temperatum, ſi immodicè erit intemperatum.

8 Dubitatio;dicit in tex.temperatum cerebrum minimè leditur ab ijs, quæ extrinſecus occurſant; quod non videtur verum; quia omnia corpora, quamuis temperatiſſima, à potentiſſimis externis erroribus lædi poſſunt.

Solutio petenda eſt à tex.gręco:in quo legitur ἥκιςά τι βλαβήσεται, quæ ſignificant nimium lædetur;idem enim ſignificat ἥκιςα, quod ἥκ᾽ιςα, ideſt minimum, vt colligitur ab ipſomet Galeno 2. de ratione vict.comm.19.& lib.3.com.61.Prętcrea ἥκιςοῦ, ideſt minimus; Similiter apud Thucydidem οἱ ἥκιςα, quam minimum interpretantur, omnes; quare Galenus intelligit cerebrum temperatum ab extrinſecis minimum,ideſt parum lędi, & non minimè, vt in latino codice inuenitur.

9 Dubitatio,vult Galenus;excrementa, quę expurgantur per palatum,& per nares indicare cerebri conſtitutionem; tamen contrarium habetur ſecūdo de differentijs feb.capite vltimo, vbi dicit, caput aliquando nihil pati, ſed ſolum ſanguine vitiato fieri catarrhum; quare defluere poſſunt immoderata excrementa per nares, & per palatum nulla exiſtente læſione in capite, ergo Galen. docere videtur cerebri temperaturas per ſigna cōmunia, & non propria. Præterea 1. ad Glauconem capit.15. dicit; caput repleri excrementis ob tres cauſas, vel ob plenitudinem, vel ob magnitudinem febris, vel ob cerebri debilitatem;ecce quod excrementa,quæ debent expurgari per nares,& palatum poſſunt oriri à cauſis non exiſtentibus in cerebro, & quod excrementa iſta palati, & narium non poſſint eſſe propria cerebri.

Solutio facilis eſt;quia Galenus loquitur hic de cerebro temperato, & non de intemperato; Infra vero de cerebro inſalubri loquetur, exiſtente tamen in latitudi-

tudine ſanitatis: dum autem cerebrum eſt temperatiſſimnm,ſupponitur nullum eſſe vitium in ſanguine, vel in ſubiectis viſceribus: Vel dicere poſſumus excrementa,quę modicè expurgantur per nares, & palatum habere vim indicandi, quando cætera ſigna non reluctentur: mos enim procedendi in hoc lib. eſt per ſignorum ſyndromen: ſigna verò quæ conſtituunt ſyndromen non própria, ſed communia ſunt: quia quæ ſunt propria ſunt ſola,& non egent alijs.

10 Dubitatio,ſi quæ expurgãtur per nares, & palatum non ſunt propria excrementa cerebri, quomodo Galenus nos manuducet ad dignoſcendam temperaturam cerebri per excrementa non pertinentia ad cerebrum?

Quod verò excrementa palati, & narium non pertineant ad cerebrum,facilè probari poteſt ex ſufficienti enumeratione excremẽtorum pertinentium ad tres concoctiones:docet enim Gal.1.de tuenda ſanitate cap.12.& 3. methodi tres eſſe coctiones:& in qualibet excerni duo excrementa,alterum tenue, & alterũ craſſum:in tertia cerebri coctione tenue excrementum eſt illud quod per inſenſibilem perſpirationem excernitur: craſſium ſunt furfures, & capilli: excrementum igitur pituitoſum, quod excernitur per palatum & nares non erit cerebri, eſt enim pituita,quę per venas cerebri expurgatur: quomodo igitur ſi hoc pituitoſum excrementum non eſt proprium excrementum tertiæ coctionis cerebri poterit ſtatum & conditionem temperamenti cerebri indicare?

Inſuper ſignum,quod indicat debet eſſe vel per ſe,vel ſaltem de omni: quando enim non eſt de omni, nihil omninò indicare poteſt:quod verò excrementa palati & narium non ſint ſigna quæ prædicentur de temperatura cerebri de omni, patet: quia valet ſemper hæc conſequentia,eſt de omni,ergo in omnibus,& ſemper: quis dicet in hominibus ſanis ſemper,& quotidie excrementa per palatum & nares expurgari? non ne aliquando per integros annos homines temperati carent his excrementis mucoſis,quæ per nares,& palatum expurgantur?ergo hęc ſigna deſumpta ab excrementis non indicabunt bonam,vel malam cerebri temperaturam.

Solutio facilis eſt, quia concedimus, excrementa narium, & palati non eſſe propria inditia;ſi enim eſſent propria,eſſent ſola, & non indigerent aliorum ſignorum confirmatione, ideo dubitatio propoſita nullius eſt momenti.

Conuenit, vt hic reijciamus errorem ſatis communem; ſunt enim plurimi qui putant excrementum viſcoſum cerebri fieri,dum vapores petunt caput,& vniũtur à fragiditate cerebri; deinde verò eo modo in catarrhum viſcoſum degenerare, quo in Alembico vapores in aquam conuertuntur; vel quo fit pluuia virtute ſolis eleuantis vapores ad mediam aeris regionem, quos ob eius frigiditatem in aquam conuertit.

Credimus iſtos errare; quia vapores nunquam degenerant, niſi in aquam puriſſimam, & non viſcoſam, viſcoſitas enim eſt quid mixtum ex aqua & terra, & aere.

Quo pacto verò in capite fiat viſcoſus ſuccus audite;dũ ſanguis nutritionis gratia perducitur ad caput, prius tranſmittitur ad capillares venas,& deinde à capillaribus ad media ſpacia; quia nutritio nõ fit, niſi ab alimento tranſmiſſo extra venas;tũc cerebrum nutritur ſanguine puriori,& magis apto vt conuertatur,& faceſſat in ſui ſubſtantiam, relinquiturque portio ſanguinis nimium viſcoſa,quę ſua natura eſt rebellis coctioni; ea deinde ab expultrice propellitur per nares,& palatum; dum verò cerebrum eſt validæ virtutis aliquid quoq; illius viſcoſitatis conuertit;dum verò eſt inualidæ, nihil illius viſcoſitatis attenuari,vel conuerti poteſt in nutrimentum; redditur enim cerebrũ inualidæ virtutis,non ſolum quando per ſe læſum eſt; verum etiam quando per accidens; ſicuti quando caput ob frigus externum,vel alias externas cauſas patitur; vel dum à ſanguine, quantitate, & qualitate peccante nutritur.

Dicimus itaque ſi narium excrementa ſint moderata, indicare quoq; optimam temperaturam, ſi immoderata malã; valet enim conſequentia,excrementa,quæ defluunt è capite ſunt immoderata,ergo caput eſt intemperatum per ſe vel per ac-

ci-

cidens: non tamen valet, excreméta ſunt moderata, ergo cerebrum eſt temperatum: quia hectica febre correpti modicè ſe habent in illis excrementis, non quia caput illorum validum ſit: ſed quia adeo in illis eſt ſanguinis paupertas, vt vix ſufficiat nutritioni: valet tamen caput eſt téperatum, ergo modicè ſe habet in expurgatione per nares, & palatum. Demũ ſciédum catarrhum qui expurgatur per nares, & palatum, & per varias partes quinque modis generari poſſe & nullum ex his eſſe excrementum proprium cerebri.

Primò fieri poteſt catarrhus vt docet Ariſt. 2. de partibus animalium c. 7. eo modo quo fiunt imbres in magno mundo, vel vt dicit Auic. eo modo quo fit aqua ſtillata per alembicum; iſte catarrhus eſt excrementum tenue, & veluti aqua pura: neque hoc excrementum eſt cerebri proprium, quia rarò accidit.

Secũdò fieri poteſt catarrhus quia humor crudus aſcẽdat per fibras rectas eſophogi in guttur; deindè ſcandens ſuper os ſuperioris maxillæ, quod palatum componit colligitur inde per latiſſima oculorum foramina; ſpargitur in cerebrũ; demum expurgatur per nares, palatum & alias partes; neque hic catarrhus fit ex cerebri defectu quod probatur per ipſam practicam; quia euacuato ventriculo paulo poſt ceſſat catarrhus.

Tertiò fit catarrhus ob ſanguinem vitiatum nulla in cerebro exiſtente læſione, de quo Galenus 2. de differentijs febrium vlt. dicit caput interdum nihil pati, ſed ſolum ſanguine vitiato fieri catarrhum.

Quartò fieri poteſt catarrhus ob vitiũ cerebri ratione cuius ſanguis delatus in cerebrum gratia nutritionis in excremẽtum cedit; deinde per peluim tranſcolatur in glandem pituitariam & per foramina cunealis per palatum, & per nares reijcitur, neq; hic catarrhus eſt proprium excrementum cerebri.

Quintò fieri poteſt catarrhus, vt docet Galenus 9. de vſu partium capit. primo propter obſtructiones cerebri nulla exiſtente mala cerebri temperatura: quoniam propter illas obſtructiones excrementa propria retinentur; vnde rectè his verbis Galenus habet, inſtar oneris grauat: deinde prohibet quo minus ſucci poſtea affluant, vias præoccupando, quo fit vt membrum ipſum nutriri non ſinat; ecce quod obſtructiones impedientes vias ſunt in cauſa, vt cerebrum non nutriatur & alimentum cerebri in excrementum cedat.

QVÆST. XLVIII.

De Aurium ſordibus.

Ariſtoteles 32. ſect. probl. 4. inquit ſordes aurium eſſe amaras; quia putri ſudore contrahuntur; ſimiliter 3. de partibus animalium ait ſordes aurium fieri à putredine.

Hæc opinio non accipitur à Medicis, quia aurium ſordes inueniuntur quoque in hominibus temperatiſſimis, in quibus nulla eſt putredinis ſuſpicio; putredo enim fit à cauſa præter naturam; quare implicat dicere, ſordes ſemper inueniri in auribus temperatiſſimi hominis, & in temperatiſſimo eſſe putredinem.

Pręterea tantum abeſt, quod amarities, quæ eſt in aurium ſordibus, indicet putredinem, vt Hippocrates & Galen. 6. de de morbis vulgaribus com. 5. tex. 19. dicãt, ſi ſordes aurium in hominibus eſſet dulcis, ſignum eſſet lethale; reddit cauſam Galenus in comm. quia tunc eſſet ſignũ quod cerebrum liquefieret, eius enim liquor, cũ dulcis ſit, ſordes dulces efficeret.

Alij ſunt qui dicunt, ſordes aurium fieri à vapore: quorum opinio eſt vaniſſima: quia quæ fiunt à vapore dulcia, & inſipida ſunt.

Argẽterius cenſet in hoc comm. quod ſordes aurium fiant ex illa terrena alimenti portione, quæ effugit priores concoctiones, & caloris vi aſſatur, ſi ex aſſatione res amaræ fiunt: ſicuti dum coquitur mel, quòd ſi aſſetur, fit amarum. Quæ opinio reluctatur veritati: quia ſupponit in generatione ſordium præcedere aſſationem: quod ſi eſſet verum, ſequeretur, quod ſordes amaræ, quę in auribus inueniuntur, non inuenirentur in temperatiſſimis hominibus: in quibus nulla aſſatio præcedit.

Dicimus nos ſanguinem tranſmiſſum ad cerebrum gratia nutritionis eſſe miſtum ex quatuor humoribus; cerebrumq;

dulci portione nutriri,& amaram expellere:ex Gal.enim omnia amara nutriendis particulis ſunt inimica: Hinc Gal. 6. de ſimplici med. cap. de abrotano dicit, omnia amara omni modo eſſe infenſa,& inimica ventriculo,& quarto de ſimplici med.dicit,amara mordere, & eſſe guſtui propterea inimica: è contra vero dulcia nutrire:ideò bilis quę eſt in ſanguine cerebrum nutriente ſeparatur, & propellitur ad aures: non enim datur maſſa ſanguinea (quamuis viuens eſſet temperamenti æqualis ad pondus) quæ careat bile; colliguntur verò ſordes in auribus, & nō in alijs partibus,quia per cęteras partes,cum bilis tenuis ſit, exhalat:per tempora tamen cum oſſe petroſo condita ſint non exhalat,ſed deponitur ad aures.

Prętcrea excrementum bilioſum mittitur ad aures: non reijcitur per palatum & nares, quia nō eſt graue: non euacuatur inſenſibiliter,non ſolum propter oſſa petroſa temporum, ſed etiam propter illorū oſſium ſuturas, quæ ſunt ſquamoſæ, & ita denſæ vt impediatur perſpiratio: vnde ex neceſſitate excrementum bilioſum in aurium ſordes degenerat.

Hinc Ariſtoteles 32.ſect.problem.1 dicit aures, cur, cum pudor nos apprehendat,maximè rubore efficiuntur,cum maximè ſint exangues? reſpondet: quia aures ſunt appoſitæ temporibus, quo verſus maximè humor confluit, & pars illa eſt optimi caloris. Putamus igitur nos partem iſtam eſſe optimi caloris, non ſolum propter venas & arterias hac tranſeuntes; verum etiam quia bilis quæ poteſt in alijs partibus exhalare, & in temporibus ob os petroſum detineatur, & non exhalet, in auribus ſordes amaræ colligantur.

CAPITIS XIII.

Particula. II.

Talibus igitur capilli capitis: cum adhuc ſunt infantes ſubruſi, cum verò pueri, ſubflaui, cum iam adoleuerint flaui ſiunt: medijque ſunt inter eos qui omninò ſunt criſpi, & ſimplices; non tamen facilè caluitium patiuntur.

PRimum ſignorum genus pro dignoſcēda cerebri temperatura deſumebatur à capitis diſpoſitione, quę reſpiciebat magnitudinem,figuram,& capillos: egit ſuperius de magnitudine, & figura; reliquum eſt, vt hic agat de capillis; verum, quia Galenus tractationem de capillis in vniuerſali non poterat aggredi, cum capilli ſint inter illa quæ conſequūtur particulares cerebri temperaturas, ideò conſiderans in hoc loco ſigna optimæ temperaturæ cerebri agit etiam de capillis in communi competētibus optimæ temperaturæ. Dicit igitur talibus, ideſt iſtis qui habent bonam temperaturam cerebri, dum ſunt infantes conueniunt pili ſubruſi,dum ſunt pueri ſubflaui, dum adoleſcentes flaui; habentque pilos medios inter criſpos & ſimplices, neque facilè caluitium patiuntur.

Qui vult perfectè intelligere naturam colorum legat Timæum Platonis,vbi diligētiſſimè de illis tractat, & Galenus ab ipſo, quæ hic & alibi dixit de coloribus deſumpſit. Hæ quinque ſpecies coloris ſecundum maiorem, vel minorem intēſionem differunt inter ſe: prima coloris ſpecies, quæ eſt valde remiſſa refertur ad ὤχρον ideſt pallidum; eſt enim quædam terra quæ dicitur ochrea,quę eſt terra ſigillata pallida, & ab eius colore deſumitur color, qui dicitur ocrhos: & hic color indicat naturam frigidiuſculam:deinceps ſequitur ὑπέπυῤῥον,ideſt ſubruſum: Hic color conuenit pueris. Tertio πυῤῥὸν, ideſt ruſum; quod eſt intenſioris coloris, & aſſimilatur colori fulgido, & igneo. Quarto ſequuntur ὑπόξανθον,ideſt ſubflauum: Demum verò ξανθὸν, ideſt flauum: color ſubruſus eſt ſimilis luteo oui recentis: cōuenit adultis temperatis: xanthus color eſt ſimilis rubeo oui nō recētis:hę quinq; ſpecies poſſūt dici ſpecies coloris pallidi magis,vel minus intenſi.

Auicennas vel eius interpres loquens de coloribus valde errat, dum dicit ruſum colorem eſſe intēſiorem flauo: quia reluctatur Galeno in tex. & Platoni in Timæo, vbi habetur, flauum eſſe intenſiorem ruſo:atque inter pallidum & flauum mediare ruſum.

Putabat Auicennas per ruſum Galenum intelligere rubrum, quod aſſimilatur colori ſanguineo, quod eſt falſum: quia græcè à Galeno ruſum dicitur πυῤῥὸν,

ῥὸν, quod ſignificat igneum: quare dicimus colorem igneum ſplendidum non eſſe intenſioris coloris flauo, qui dicitur ξανθὸς: Hinc Galenus primo de criſibus cap. 12. dicit πυῤῥὸν, ideſt ſplendidum eſſe albius flauo: quamuis verò Plato in Timæo dicat πυῤῥὸν eſſe nigrius flauo, quia gignatur ex miſtione flaui & fuſci, tamen non putamur eſſe contra Galenũ, quia hæ coloris ſpecies non conſiſtunt in pũctò, ſed ſunt potius gradus qualitatis, qui adhuc ſuſcipiunt magis & minus: quare dicimus dari rufum colorem, qui ſit albidior flauo, & nigrior flauo; neque hoc aduerſatur Galeno vel Platoni.

1 Dubitatio: Galenus ait colores varios pilorũ indicare variam, & diuerſam cerebri temperaturam: attamen Ariſtot. 5. de generatione animalium c. 4. dicit, cauſam varietatis pilorum non eſſe temperaturam, ſed cutim, ait enim cutim nigram efficere pilos nigros, & albam albos. Præterea ipſemet Galen. 2. de ſimplici med. cap. 3. & 37. & alibi reprehendit illos qui ex colore tentarunt medicamenti facultatem perquirere: immò ibi in perquirẽda temperatura admonet fidendum eſſe experimentis, & non coloribus, vel ſaporibus.

Reſpondemus primò ad Ariſtotelem, quod loco citato locutus ſit de brutis, & nõ de hominibus; dantur enim homines cum pilis nigris, qui cutim albiſſimam habent. Secundò dicimus, pilos non indicare temperaturam, niſi cum ſyndrome aliorum ſignorum à Galeno propoſitorum: Hinc Galenus in toto hoc libro, vbi de temperatura loquitur, ſemper pro ea cognoſcenda proponit ſignorum cõmunium ſyndromen: non negamus tamen cum Ariſtot. 5. de generatione animal capit. 5. pilos vt plurimum indicare actionem interni caloris; quia ſi calor eſt debilis, vt in ſenioribus, pili fiunt cani; ſi eſt validus, fiunt nigri: vel cum Galeno dicimus 2. de temperamentis cap. 5. pilos indicare calorẽ & materiam, ex qua fuligines eleuantur; quæ ſi eſt aduſta fiunt nigri; ſi calida & non aduſta, flaui, vt eſt flaua bilis; ſi verò adhuc minus calida fiunt ſubflaui, quorum color aſſimilatur luteo oui recentis; ſi demum materia ex qua eleuantur pili eſt adhuc remiſſioris caloris fiunt pili ochrij ideſt pallidi, quia aſſimilantur terræ ſigillatæ, quæ ochrea dicitur.

QVÆST. XLIX.

De generatione Coloris.

HÆc conſideratio propria eſt ſecundi libri de anima, & adhuc magis propria ſcientiæ perſpectiuæ in qua ex profeſſo agitur de coloribus: Nos verò pauca dicemus pro intelligẽtia huius capitis. Dicimus igitur quod ille perfectè ſciet quomodo generentur colores, qui intelliget definitionem coloris traditam ab Ariſtotele libro ſecũdo de anima tex. 67. vbi ſic definit, color eſt motiuus perſpicui, quod ſit actu, & libro de ſenſu & ſen. capite 3. vbi ſic definit, color eſt extremitas perſpicui terminati, qui igitur non intelliget quid ſit perſpicuum ſeu diaphanum, & quid opacum, eſt omnino impoſſibile, vt intelligat definitionem coloris, & quomodo fiat.

Quod verò non ſit alius modus ſciendi naturam colorum, & eorum generationem, & proprietates, quam per exactam explicationem terminorum componentium definitionem, eſt adeo manifeſtum, vt non indigeat probatione: Ariſt. enim 1. de anima tex. 11. ait, cognito quid de anima cæteras affectiones ſtatim cognoſci; ſimiliter Plato in Cratylo vult definitionem eſſe principium cognitionis proprietatum, & affectionum; quomodo igitur poterimus colorũ naturã penetrare, nõ præcognita natura diaphani & opaci, quæ ſunt voces explicatiuæ definitionis?

Aggrediamur igitur diaphani explicationem, quia cognito quomodo fiat, ſtatim cognoſcemus quomodo fiat opacũ, quod eſt eius contrarium. Albertus Magnus putat diaphanum, ſiue perſpicuum fieri à raritate corporis: opacum verò à denſitate: Iacobus Zabarella libro primo de viſu capite 3. cenſet diaphanum fieri à corpore tenui, tamquam à materia, & à lumine tamquam à forma.

Decipiuntur Albertus, & Zabarella, quia certiſſimis experimentis, & veritati ipſi aduerſantur: etenim ſi accipiamus (vt exordiamur ab experimẽtis) cryſtallum,

& adamantem, quę corpora ſunt denſiſſima,& non rara,& tenuia; non ne ſunt tranſparentia perſpicua,ſeu diaphana?ergo falſiſſimum eſt, quod de ratione corporis diaphani ſit raritas, vel tenuitas. Præterea ſpōgia eſt rara, attamē eſt opaca, verum quia ſemel incidi in præſtantiſſimum peripateticum, publicumq; lectorem,qui, vt defenderet raritatem eſſe formam diaphani eo venit, vt mihi concederet adamātem ſeu cryſtallū eſſe corpora rariora, quam ſit ſpongia; ideo par eſt, vt experimento certiſſimo atque euidentiſſimo omnem illius ambiguitatem tollamus, ne amplius ille,vel alter defendat, diaphanū vt diaphanum eſſe corpus rarum;accipiamus integrum cryſtallum, & in tenuiſſimum puluerem redigamus, tunc ſine dubio puluis cryſtalli erit rarior cryſtallo integro exiſtente,tamen in puluere maior, quam in cryſtallo erit opacitas: immo cryſtallum in puluerem redactum perſpicuitatem,ſeu diaphaneitatem omninò amittet.Hinc ſi puluere cryſtalli plena eſſet ephiala, tantum abeſt, vt diaphaneitas in ipſa obſeruaretur, vt quam maxima fieret opacitas; quomodo igitur audebūt cognito & animaduerſo hoc experimento, aſſerere quod de ratione diaphani ſit raritas? Præterea accipiatur aqua pura diaphana,& ſplēdida,agitetur, donec tota ſpumeſcat, tunc nemo cōtradicet,ſpumeſcentem aquam rariorem,& tenuiorem factam eſſe, attamen perſpicuitatem amittet; quomodo ergo raritas, vel tenuitas efficiet perſpicuū,ſi aqua ſua natura perſpicua poſtquam facta eſt rarior,& tenuior amittit perſpicuitatem?

Vera igitur eſt ſentētia opticorum dicentium,illud eſſe diaphanum,quod vnicā vel paucas habet ſuperficies; vbi enim plurimæ ſunt ſuperficies, lumen antequam tranet, & penetret in qualibet refrangitur,& in refractione sēper aliquid lucis amittit.Hinc eſt quod per puluerem cryſtalli ob multitudinem, & varietatem ſuperficierum granulorum radij toties refranguntur, vt nihil eorum penetrare poſſit,& inde fiat opacum; ſimiliter dum aqua agitata ſpumeſcit, ob ſpumā variæ fiunt ſuperficies, vnde lumen non amplius tranat: Similiter nodus,qui eſt pars denſior aſſeris,cum ſit magis læuigatus, & per conſequens pauciores habeat ſuperficies, quam cæteræ aſſeris partes, eſt tranſparentior: Itidem,qui volūt ſpecula reddere perſpicua,eo vſq; perficiant, donec perueniant ad vnicam terſam,& læuigatam ſuperficiē.Similiter lapides terſi, & læuigati diaphani quid tenere videntur; quia artifices ob continuam confricationē auferunt inæqualitates,reddunt, que lapides ad pauciores ſuperficies; vitra tamen ſunt magis diaphana,quia etiā ſecundum partes internas habent paucas ſuperficies; dum enim funduntur,igne repurgantur, & aliena ſubſtantia demitur, quæ diuerſas ſuperficies efficiebat; dempta igitur aliena ſubſtantia à vitris, ea inde ad pauciores ſuperficies reducūtur,vnde lumen, cum non refrangatur, melius tranat,& ſplendidiora fiunt; proprium enim eſt diaphani recipere; proprium verò luminis deferre per diaphanū ſimulachra; propriumq; opaci eſt terminare ſimulachra colorata, & illuminata: His præcognitis non erit difficilè nonnullorum errata dignoſcere.

Nonnulli putant, albedinem prouenire ex igne mixto cum corpore diaphano, qualis eſt aer;nigredinem verò ex miſtione partis igneę turbidæ cū elemēto opaco,qualis eſt terra,hæc opinio videtur eſſe Ariſt.8.problem.& libro quinto,de generatione animalium, vbi albedinem attribuit igni,nigredinem verò terræ;ſimiliter colligitur ex Auerroe in paraphraſi de ſenſu,& ſen.5.colliget cap.29. Itidem ex Auicenna libro primo, ſen.1.d.4.cap.1.loquente de generatione coloris albi, & nigri colliguntur hæc verba: *frigus albificat humidam ſubſtantiam, & denigrat ſiccam; calor verò denigrat humidam, et albificat ſiccam:* frigus quod eſt propriū aquæ, in qua iuncta eſt humiditas efficit albedinem; ſi verò frigus iungitur cum ſicco, efficitur terra,quæ inter elementa eſt cauſa opaci, dum verò calor iungitur cum ſicco efficitur ignis, qui efficit diaphaneitatem, dum uerò iungitur cum humido efficitur nigredo.

Dicta opinio non poteſt defendi, quæ colores nullo modo à primis qualitatibus per ſe dependent, dantur enim alba corpora,quę ſunt frigida,ut ceruſa,gypſum, camphora,& nix,& alba quę ſunt calida,

vt calx, arſenicum, allium, &c. & dantur nigra, quę ſunt frigida, vt bitumen Iudaicum, melancholia naturalis, opium, caſſia, & acatiæ ſuccus, & nigra, quæ ſunt calida, vt garyophylli, piper, & atra bilis, &c. & dantur citrina, quæ ſunt calida, vt cortices citri, ſulphur, bilis flaua, ſuccinum, rhabarbarum; & citrina, quæ ſunt frigida, vt ſandali citrini, & flores nimpheæ luteæ; & demum dantur rubea, quę ſunt calida, vt ſanguis, & rubra, quæ ſunt frigida, vt roſæ; Quare colores non à quatuor primis qualitatibus prodeunt, ſed à miſtione opaci cum diaphano; quod verò opacum, & diaphanum per ſe ab elementis, & à primis qualitatibus non proueniant, patet; quia eſt quoq; in cælo diaphaneitas, & opacitas, nulla ibi exiſtente frigiditate, vel caliditate.

Quomodo verò fiat color eſt explicatu difficile. Aliqui .n. putant ex mente Ariſtotelis, colores à primis elementorum qualitatibus pendere. Aliqui albedinē ex igne, nigredinē verò ex terra, & medios colores ex elementorum miſtura; quorū opiniones ſatis, ſuperq; reiecimus.

Ex alia parte ſunt perſpectiui, ad quos reuera pertinet hæc conſideratio, qui dicunt, nigrum fieri dū lumen in innumeris ſuperficiebus refrangitur; Albū verò dū in paucis, ſed terſis, & læuigatis. Quorum opinio eſt veriſſima; ſed ita vniuerſaliter prolata non docet, quomodo fiant colores; erat enim declarandum cuius figuræ ſint ſuperficies, quæ nigrum, cuius quæ album, & medios colores efficiunt.

Ego autē diu cogitaui, atq; incidi tandem in experimenta quędam clariſſima, & euidentiſſima, quæ ſtatim oſtendunt luce meridiana clarius modum generationis nigredinis, albedinis, & mediorum colorum; oſtendent .n. nigrum fieri ex ſphęris diaphanis plenis illuminatis; albū ex ſphæris vacuis; quòd res ita ſe habeat, ſic ſoliti ſumus argumentari; color niger ab illo corpore diaphano oritur, quod licet ſit maximè illuminatū, nihilominus efficit vmbras, & tenebras, ex vmbris .n. & tenebris fit nigredo, vt paulò infra patebit; albedo verò à corpore ſphærico vacuo; per vacuum intelligimus ſphæricum repletum aere, vel corpore, in quo lumen non refrangitur. Addimus minorem; at ſic eſt, quòd inter corpora inueniuntur ſolùm ſphærica diaphana plena, quæ coram lumine efficiunt vmbras, & tenebras, ergo à corpore ſphærico pleno, & diaphano illuminato fiet nigredo.

Quòd verò ſola corpora ſphærica diaphana plena coram lumine efficiant tenebras, probatur duplici experimento, communi ſcilicet, & proprio; commune omnibus conſpicuum eſt, dum phiala vitrea aqua repleta, vel aliquod aliud vas rotundum diaphanum repletum lumini obijcitur, tunc ſtatim omnes vident lumen in hac figura ſphærica fugere, & tenebras efficere; immò lumen tranſiens corpus ſphæricum in perexiguam turbinatam tamen, & lucidam cuſpidem deſinit, quod nulli corpori pręter ſphęricum contingit. Experimentū verò proprium, quo vtimur, dum volumus efficere nigrū vel album colorē tale eſt: accipimus 40. vel 50. ſphærulas vitreas vacuas & perforatas ſimiles magnitudini oſſiculorum ceraſorum, has in cyathum aqua plenum mittimus; tūc ſic vnitæ & vacuæ efficiūt colorē album & perpulchrum; dum verò eædem ſphærulæ vitreæ aqua implentur ſic vnitæ efficiunt colorē nigrum: ex hoc experimento vnicuiq; facilè patebit, nigredinem à ſphęrulis plenis prodire: albedinē à vacuis. Quod album fiat ex ſphærulis vacuis ſeu ſolo aere repletis, euidentiſſimum eſt experimentum in aquarum perexiguis ſpumis, quæ ſunt albiſſimæ ſuntque ſphærulæ ſolo aere plenæ.

Præterea ex modo quo fit glacies idem colligi poteſt. Si acceperimus ephialā vitream aqua plenam poſt duas horas ſub dio frigidiſſimo videmus ab imo eleuari ſphærulas, & tēdere ad ſuperficiē, illaſque vniri, & inde glaciem fieri. Ab alijs verò corporibus, quæ ſphęricitatem non participant, tres fieri colores medios qui, itidem faciunt, viridem ſcilicet puniceū, & purpureum, qui fiunt ex varia luminum refractione in magis, vel minus terſis, vel multis, aut paucis ſuperficiebus, ſicuti in priſmate obſeruatur.

Hinc has cōcluſiones ſuffultas experimentis defendimus: prima quarum hæc eſt: vbi plenum conſtat ex ſphæris plenis fit color niger: Secunda, vbi plenum cōſtat ex ſphęris vacuis fit albus: Tertia vbi ple-

plenum conſtat ex ſphæris,& inter ſphæ: ria vacua ſunt,fit color niger:Quarta vbi plenum conſtat ex interſphærijs, varijs ſphæris exiſtētibus fit,albedo;Quinta vbi plenum conſtat nō ex ſphæris,ſed ex quibuslibet alijs figuris, dummodò ſphæricæ non ſint,tunc non tenebræ,vel albedines fient, ſed variæ refractiones, ſicuti fiunt in iride,priſmate, & collo palumbæ, qui colores ſunt medij,magiſq;& minus,vergentes ad nigrū,prout refractiones fiunt in pluribus,vel paucioribus ſuperficieb.: quinimmò ex horum mixtura variæ ſpecies,ſeu colorum gradus ſuboriuntur.

Si enim acceperimus vitrum rubrum, & illud iungamus cum vitro cæruleo, ſtatim conſurget color violaceus. Itidem ſi coniunxerimus vitrum cæruleum cum luteo, ſtatim conſurget viridis.

Demum ſi acceperimus pauxillum auripigmenti, & minimum quid de endego,quod eſt cæruleum,& in aqua permiſcerimus,ſtatim orietur viridis color;cæruleum verò, quod magis vergit ad nigrum,quam viride remittitur ab auropigmento,cuius color non ita intenſus eſt, vt viridis: Itidem dicimus de violaceo, quòd ſcilicet oriatur ex rubro, & cæruleo, ex his colligimus, bilem poraceam fieri ex flaua,& cærulea bile; colorē violaceum fieri ex bile cerulea,& ex ſanguinis corruptella;ideò peticulæ violaceę,& vngues liuidi, ſeu extrema liuida prenūciant mortem. Hi, & alij quoq; gradus mediorum colorū ex materia, in qua lux vario modo refrangitur,fiunt; ob eamdē rationem; idem diximus de colorib. colli palumbæ, & priſmatis; ecce igitur, quod neq; nigri,vel albi colores,neq; medij ex primis,vel ſecundis qualitatib. fiunt;imò idem patet ex ipſo Ariſt.l.de ſenſu,& ſen. c.3.vbi dicit corpora cæleſtia eſſe colorata,quamvis careant elementorum qualitatibus;eadem ratione Zabarella l. de viſu,c.2. rectè inquit primo, & per ſe colores non prouenire ab elementis, vt calida,frigida,humida,& ſicca; dum tamen addit colores ab elementis prouenire, vt tenuia,& craſſa,aberrat: & hanc opinionem ſuperiùs reiecimus. Neq; obijciant, Galenum nos manuducere ad cognitionem temperaturarum per colores pilorum; quia reſpondemus, Galenum non ſolùm per colores, ſed per ſyndromen aliorum ſignorum temperaturas docuiſſe; quòd verò colores inter ſigna communia temperaturarum habeant locum, patet,quia corpora quoq; mixta conſtant ex opaco, & diaphano, quæ per accidens cum alijs,ſcilicet vnita poterunt nos manuducere ad temperaturarum cognitionem; quòd verò propriè ex colorib. corporum virtutem, & facultatem non dignoſcamus, nos docet Galenus 2.ſimplicium c.3.& 37. & lib.3.c.3.vbi reprehendit illos,qui ex colore tentarunt medicamenti facultates perquirere.

QVÆST. L.

De natura, & differentijs colorum.

Alhazen in ſua opt. diffuſè, & diligentiſſimè;ſimiliter Auicen.lib.6. par.3.c.1.& Auempaces(vt refert Auerr. 2.de anima, com.67.) cenſent ante luminis aduentum nullum eſſe colorem in corporibus: adueniente tamen lumine fieri omnes colores;dicunt .n. ob mixturam diaphani, & opaci vario modo refrāgi lumina, & luces vario modo refractas eſſe colores, putantq; lumen eſſe formam intrinſecam colorum, itavt in obſcuro colores non ſint colores;quam opinionem nos ſuperiùs,& lib.5.methodi noſtræ,c.10.defendimus.

Albertus Magnus in ſumma de homine, quæſt. de ſubſtantia coloris putat, lumen dare formam, & ſpeciem colori, vt nos cum Alhazen,Auicenna, & Auempace putamus; differentia tamen inter Albertum, & ſupradictos Auctores eſt, quia ille putat dari partem materialem coloris,quæ eſt affectus primarum qualitatum, quæ manet quoq; in abſentia luminis,quæ Alberti opinio eſt ferè eadem cum ſuperiori,quia ſaltem conuenit non dari formas colorum in abſentia luminis; quinimò ſi quid remanet, putat eſſe determinatas ſuperficies,determinatumque diaphanum,& opacum.Nos dicimus illum rectè ſentire: ſi verò putat illud materiale, quod remanet eſſe primas qualitates colores efficientes toto Cælo aberrat,vt oſtendimus ſuperiùs.

Opinio Alhazen,Auicennæ,& Auempacis, quam nos ſequimur, confirmatur au-

auctoritate, ratione, & experientia. Primò ex Ariſtot. lib. de ſenſu, & ſen. cap. 3. habetur, colorem eſſe extremitatem perſpicui in corpore terminato; ſed ſic eſt, quòd hæc extremitas perſpicui eſt lumen terminatum, ergo colores formaliter erunt lumina. Præterea 2. de anima, tex. 67. docet, colorem eſſe motiuum perſpicui, quod ſit actu; ſed ſic eſt, quòd motiuum perſpicui formaliter eſt lumen, ergo color formaliter eſt lumen.

Præterea probatur experientia, & ratione; primò, oculus exiſtens in tenebris videt obiectum illuminatum; oculus verò exiſtens in medio illuminato non videt obiectum exiſtens in tenebris; ergo lumen eſt neceſſarium formaliter, & obiectiuè coloribus, & non tantùm vt deferens colores; quia dum oculus eſſet in medio, illuminato citius videret obiecta quæ ſunt in obſcuro, quam dum eſſet in tenebris.

Inſuper, nonnè fiunt colores columbæ ex lumine vario modo refracto, nullo exiſtente colore in eius collo; ſimiliter dicimus de iride; nec dicāt dari colores reales, & non reales, quia eſt neceſſariū dari quamdam communem formalitatem coloris rubri ſanguinis, & iridis, qua ruber eſt ruber; vnicus .n. affectus ab vnica cauſa proficiſcitur; cæruleus enim color lapidis lazuli, & iridis ab eadem communi cauſa prodire debet, quia ſunt colores cærulei eiuſdem omninò aſpectus.

1 Dubitatio; non videtur, quod color ſit formaliter lumen; quia experientia clarum eſt, aliquando in tenebris videri aliquos colores, ergo colores non erunt lumina; patet antecedens, quia oculi, dum manibus torquentur, & mouentur, aliquid vident; immò ipſe Ariſtoteles id docet libro de ſenſu & ſenſili cap. 2. & 4. meteororum: ergo dantur colores actu in tenebris.

Reſpondetur, dum oculi mouentur, & torquentur exire lumina quædam pauxilla, quorum ope fit illa viſio: quomodo verò generentur illa pauxilla lumina in oculorum commotione, variæ ſunt opiniones. Quidam dicunt in commotione exire radios ſpirituum animaliū, qui ſunt lucidi. Quidam ob agitationem accendi oculos. Quidam alij oculos ex ſe eſſe terſos & læuigatos, in illaque commotione quatenus terſi & læuigari ſplendorem efficere: hæc poſtrema cauſa eſt vera: confirmaturque experientia: ſi enim in loco obſcuriſſimo cōfricaueris canis dorſum, ſtatim videbis ab illius dorſo lucidas quaſdam ſcintillas exire.

Auerroes 2. de anima comm. 67. Diuus Thomas: Iandunus, & ferè omnes peripatetici putant, colores non eſſe lumina formaliter, ſed ante aduentum luminis in tenebris colores quoque eſſe colores: Diſtinxeruntq; colores reales ab apparentibus: dixerunt enim colores iridis, colli palumbæ, & priſmatis non fieri ab iiſdem principijs, à quibus fiunt colores permanentes, & (vt aiunt) reales. Cauſa erroris iſtorum pendet ex eo, quia non intelligebāt quid ſit diaphanum & opacum, vt ſuperius oſtendimus. Qui igitur rectè vult intelligere errores peripateticorum, legat ſuperiorem quæſtionem, vel vt melius dicam Alhazen in ſua optica, vbi intelliget vnicam eſſe cauſam formalem, vnamque ideam, atq; rationem omnium colorum; vaniſſimamq; eſſe diuiſionem in reales & apparentes.

Quo ad colorū ſpecies Plato in Timęo 12. efficit. Ariſtoteles vero libro de ſenſu & ſen. facit 7. ſed quæ differunt inter ſe ſecundum magis, & minus in centum quoque ſpecies diuidi poſſent.

Primus eſt albus color: ſub ſe tamen variæ inueniuntur differentiæ albedinis, quæ deſumi ſolent à ſubiectis: Hinc dicitur albedo niuea à niue, & lactea à lacte deſumpta: ſimiliter albedo argentea, & eburnea, & mille aliæ differentię: ſed quia ex Ariſt. 10. metaphyſ. c. 4. ex albo & nigro fiunt omnes medij colores; de medijs ordinatim incipiemus.

Secundus color poſt album eſt pallidus quem Græci ὦχρον vocant; Plato in Tim. de hoc loquens, dixit fieri ex albi, & flaui mixtione: Galen. verò 2. de ration. victus in acc. 22. ait; quantum flauus à rubro in albiorem ſecedit, tantum à flauo pallidus; hunc colorem aliqui vocant palearem: Actuarius verò illum vocat ſpiceum. In hoc gradu ponitur quidam color, qui dicitur giluus, quem Græci vocant χλωρόν: hunc Gal. 3. de ratione vict. 3. ait collocari inter album, & flauum, dicit .n. vinum

album, dum antiquatur, vocari gilvum.

Tertio poſt pallidum ſequitur color flauus, quem Græci vocant ξανθὸν, Plato ait in Timæo hunc generari ex miſtione ſplendidi cũ rubro & albo: hic color conſpicitur in obrizo, & bile flaua: Hinc ab Hippocrate & Galeno ſępiſſimè bilis vocatur ξανθὴ χολή, ideſt bilis flaua; Hic color ponitur quoque inter gradus citrinitatis; Auicennas enim lib. 1. fen. 2. doct. 3. ſu. 2. c. 2. citrinitatis gradus hoc ordine proponit, primò palearem, ſecũdo citrinum, qualis cõſpicitur in citro, deinde flauum, ab hoc rufum poſtea citrãgularem, deinceps igneum tincturæ croci ſimilẽ, & demum croceum, qui conſpicitur in croco, huncque rubeum clarum ait nuncupari, poſt hunc ſequi ferrugineum rubiginoſum.

Quarto poſt flauum ſequitur rufus; talis conſpicitur in croci arido flore; conſpicitur quoq; in boue, qui neque albus, neque niger ſit, hic color rufus vocari ſolet rutilus.

Quinto poſt rufum ſequitur fulvus: eſtque color aliquantulum obſcurior flauo, hic color conſpicitur in orichalco, & aliquando in auro, quod orichalco videtur ſimile; conſpicitur quoque hic fulvus color in vulpis dorſo; ſi vero fuluus magis reddatur, obſcuratus oritur color, qui vocatur ab auctoribus rauus.

Sexto eſt color ruber, qui dicitur phæniceus ſeu puniceus à granis mali punici dictus, quæ rubra ſunt; hic color ab Ariſtot. 1. meteororum vocatur ſanguineus, Hinc Ariſtoteles 3. meteor. vocat ſuperiorem iridis circumferentiam, (quæ rubra eſt, phæniceã; varij ſunt gradus phænicei, inteſior enim non dicitur rubidus, ſed rubicundus, ſimiliter aliqui intenſi gradus rubri ſeu phænicæi dicuntur flamei, & ignei, dicunturque etiam rutili, dum ſunt ſimiles coloribus florũ mali punici coloris chermeſini, varia enim eſt ſignificatio coloris rutili, ſed quod præcipuè oſtendit rutilũ eſt ſplendor quidam rubri coloris. Ad rubrum ſeu puniceũ reducitur purpureus, Ouidius enim 1. & 3. elegiarum vocat genas & labella purpurea, ſimiliter vocatur purpureus fucus ille mulieribus familiaris, quo vtuntur, vt faciem redeãt rubicundã, hic color habet varia nomina, dicitur enim ruber, puniceus, ſanguineus, purpureus, & oſtrum, pro maiori verò vel minori intenſione, & ſplendore dicitur flameus, igneus, rutilus, roſaceus, vineus, & chermeſinus.

Septimo ſequitur color glaucus, qui ex Platone componitur ex albo & cæruleo, hic color dicitur etiam cęſius, & approximatur valdè cæruleo, hic conſpicitur in quibuſdam oculis ferè cæruleis, ſimiliter ſicuti in ſereno Cælo citra ſolem conſpicitur cæruleus; ſic dum eſt ſol conſpicitur glaucus color.

Octauo eſt viridis color, qualis eſt in ſmaragdo, & herbis virentibus, & in porracea bile. Plato in Timæo dicit, viridem colorem oriri ex miſtione nigri cul fuluo, Galenus verò primo prorrhe. ſect. com. 10. loquens de porraceo ſeu æruginoſo humore, illud ponit in medio flaui & nigri, dicit enim flauam bilem cum ea ſupra modum aſſetur primum quidem migrare in æruginoſum ſuccum, deinde in nigrum, idem dicit Auicennas prima 1. doc. 4. cap. 2. Itidem Galenus 1. prognoſticorum 1. dicit, viridem colorem eſſe initium liuidi.

Nono eſt color cæruleus, hic conuenit Cælo & quaſi cæruleum dicitur. Hic conſpicitur in lapide lazuli, in ſaphyro, & in lapide qui italicè turcheſa dicitur, ſed præcipuè in ſereno Cælo, dum ſol non ſplendet. Dicitur quoque cæruleus color ab Antiquis venetus, qui, vt ait Vegetius, marinis fluctibus eſt ſimilis.

Decimo eſt color fuſcus, qui componitur ex nigro & pauco albi coloris, ſub fuſco duæ ſunt colorum differentiæ nominales, liuidus ſcilicet, & plumbeus, liuidus enim à Galeno 14. methodi ponitur ſub fuſco. Actuarius hunc collocat inter nigrum & venetum, ideſt cæruleum, adeo pauca eſt differentia inter liuidum & plumbeum, vt Galenus 12. methodi capite 3. liuidum vocet plumbeum, differt fuſcus à liuido, tamquam proximum genus à ſpecie, fuſcus enim aliquando nil mali indicat, liuidus & plumbeus ſemper malus, ſub fuſco continetur etiam moreus obſcurus, qui vt ait Plato in Timæo fit ex rubri permiſtione cum albo & nigro, facta tamen aduſtione aliqua.

Vn-

Vndecimo, eſt color niger, de quo ſuperius egimus: omnes itaque colores ad hos reducuntur; illi enim qui dicuntur ſubnigri, ſubflaui, ſubrufi, intelliguntur eſſe remiſſioris coloris, ſicuti color giluus qui collocatur inter album, & flauum dici poteſt ſubflauus, & ſic de alijs.

QVÆST. LI.

De Canitie.

Ariſtot. 5. de generatione animalium c. 4. & Galen. 2. de temperamentis cap. 5. putant, canitiem eſſe quandam cutis ſiccitatem, vel ægritudinem pilorum prouenientem ex veluti ſitu pituitæ, ſitus eſt quædam putredo quæ in Cellis vinarijs, & dolijs facilè fit, & vulgo dicitur muffa: Hinc Alexander Aphrodiſeus primo problem. 5. dicit, pilos canos propterea eſſe albos, quia imitantur colorem pituitæ, ex qua generantur.

Modus generationis ſitus, & canitiei eſt, dum vapores non liberè expelluntur ob imbecillitatem; vnde retenti in meatibus pluſquam par ſit acquirunt illam putredinem, quæ dicitur ſitus: & quia ſitus ſemper efficit quãdam albedinem, vt nos docet experientia; ideo pili, qui exeunt, albi fiunt: cauſa igitur canitiei eſt ſitus pituitæ; cauſa verò ſitus eſt imbecillitas partis, putredo, & cruditas ſucci pituitoſi retenti; Hinc Ariſtotel. 5. de generatione animalium cap. 5. docet, canitiem effici putredine quadam; ſimiliter 5. de generatione animalium cap. 1. habet hæc ferè verba; canities eſt debilitas quædam humoris ſiti in cerebro, & cruditas; ecce quod ex Ariſtotele ad efficiendam canitiem concurrant ſucci pituitoſi, & crudi, imbecillitas, & putredo.

Hic notatur error Argenterij, qui irridet Galenum, & Ariſt. dicentes ad efficiẽdam canitiem concurrere putredinẽ, ait, quia in canis hominibus eſſet fætor, quæ inſtantia eſt admodum puerilis, quia neque in putredine humorum ex qua fiunt febres malignæ, ardẽtes, vel lethales aliquis ſentitur fætor; dicat mihi quæſo Argenter. an in putrida febre, dum ſanguis euacuatur fætorem perſenſerit, vel in homine exantherato, qui putrida febre fuerit extinctus, obſeruauerit fętorẽ diuerſum ab illis hominibus, qui obtruncãtur, vel iugulantur; inde certè dignoſcimus, Argenterium non percepiſſe quid intelligat Gal. & Ariſtoteles per putredinem; Nullus enim Medicorum vnquam intellexit per putredinem, qua pereunt homines, dum febricitant, fætida, differt enim putredo à putedine, hæc poſtrema non conuenit humoribus efficientibus febres; quia alia eſt, quia aſſa fætida, opoponacũ, & caſtroreum, licet nobis ſint fætida, & putida, tamen non ſunt putrida, immo aduerſantur putredini, putredo enim eſt corruptio, aſſa fætida verò quanto magis fætida eſt, tanto magis diſtat à corruptione, de hac ſuo loco agemus.

Albertus Magnus lib. 3. de ani. tract. 2. cap. 2. putat cauſam canitiei eſſe caloris debilitatem, & conſumptionem humiditatis vnctuoſæ; conſumpta enim (vt ait) humiditate vnctuoſa, ſuccedit aqua leuis & tenuis, quæ tota ob ſui diaphaneitatem in albedinem conuertitur, & inde fiunt pili albi; in eodem capite Albertus refert modũ, quo fit canities; hæc quæ ſunt eius verba *canitiei cauſa aliquando eſt, ſi pili multum cooperiantur; quia tunc fumi repercutiuntur ad loca cooperta, & in phlegma conuertuntur, quæ eſt cauſa canitiei:* addit aliam cauſam extrinſecam canitiei: *nec non anhelare multum, cauſa eſt canitiei ideò ſimul dormientes in vno loco citius caneſcunt: quia anhelitus ſuo calore aperit nimis vias pororum, & exire facit ſubtile pingue;* hactenus Albertus Magnus.

Quod uerò poſt conſumptionẽ humiditatis unctuoſæ ſtatim ſuccedant pili cani uidetur nos Ariſtoteles admonere, dũ 5. de generatione animal. cap. 5. tradit modum, quo uitare poſſumus canitiem; qui his uerbis explicatur; *cani ne fiant pili iuuat unctio aquæ, et olei*; dum enim oleo inungitur locus, vbi generantur pili, prohibetur conſumptio unctuoſæ, & natiuæ humiditatis; quia pori clauduntur, & oleo conſeruatur pars; vnde pili ſaltem non fient ita cito cani; quare remedium ad re-

tar-

tardandam canitiem ex Ariſtot. eſt Idreleũ,quod fit ex aqua,& oleo;aqua vt frigida prohibet ne putredo cito fiat: oleum verò prohibet ne pituita cito excitetur, & cõuertatur in veluti ſitum ſed hæc remedia peripatetica aliquãdo non reſpõdét experientię:quia laniferi ſemper oleo infecti nõ citius ſeneſcunt quã alij. Cauſa verò,cur cætera animantia non ita facile caneſcunt,vt homo, habetur in Ariſtotele 10.ſect.probl.62.vbi habentur hæc verba; *caneſcit homo ſolus omniũ animantium quia aliorum pili decidũt:& alia non tam longo viuunt tempore* : at homo nec *deciduum gerit pilũ,& longa ætate fruitur*.

Cauſa verò,cur prius pili circa tempora caneſcant, & deinde pars anterior, & poſtea poſterior capitis pars, & vltimo in pectine,inguine,& ſub alis rariſſimè,eſt, quia pars circa tempora eſt frigidior, & humidior: deinde ſequitur anterior, & poſterior,quæ eſt alijs ſiccior: aliarum verò partium pili non caneſcunt,quia vt dicit Alexander Aphrodiſæus proble.1. 10.locus harum eſt calidior, & quia pituita illa ob calorem facile diflare poteſt, ob quam diflationem neque putredo,nec pilorum canities ſuccedere poteſt.

Montanus putat, pilos fieri canos non ex pituita: ſed ex vapore à pituita eleuato, quaſi vt optimè in illum inuehit Argenterius oporteat vapores eſſe eiuſdem coloris cum minera,à qua eleuantur; vapores enim non ſolum amittunt colorẽ, verum etiã qualitates magis manifeſtas: an ne ex abſinthio educuntur vapores dulces,qui in aquam dulcem conuertuntur? Vera igitur erit opinio Gal. & Ariſt. quod ſcilicet in generationem canitiei ex vna parte conſpiret ſitus pituitæ,ex altera coloris imbecillitas, & aliqua prohibita perſpiratio; neque alias cauſas quæ veritati,& principijs medicinæ magis reſpondeant aliquis inuenire poterit.

1 Dubitatio occurrit,quia dictũ eſt ſiccitatem ex Ariſt. concurrere in generationem canitiei,& pituitam: quomodo pituita erit cauſa canitiei, ſi de ratione canitiei eſt cutis ſiccitas?

Reſpondetur,non eſſe inconueniẽs in contentis eſſe humidum ſuperfluum: in continentibus verò eſſe ſiccitatem;nõ ne in contentis hydropicorum maxima eſt humiditas? attamen partes ſolidæ ſunt adeo ſiccæ,vt atrophiam patiantur; idem dicimus de canitie, cutim ſcilicet amittere vnctuoſam humiditatem, ſiccamque reddi; ex alia vero parte pituitam in illis partibus,quarum pili caneſcunt adeo dominari, vt impediantur meatus inſenſibiles,& prohibeatur diflatio,& inde in illa pituita generetur illa putredo, quæ à Gal. vocatur ſitus,aut veluti ſitus,quæ in locis humidioribus obſeruari ſolet.

QVÆST. LII.

De Criſpitudine.

GAlenus 2. de temperamentis cap. 5. & Ariſt.5.de generatione animalium c.3.adeo diligenter locuti ſunt de criſpitudine,vt eorum dictis nihil addi poſſit.Gal.itaq;loco citato protulit hæc verba: *criſpi pili fiunt, vel propter ſiccitatem temperamenti, vel propter meatum in quo radicantur: propter ſiccitatẽ ad eundem modum quo corrigiæ, quæ igne plus iuſto ſiccantur*: immò addit, *pilos ipſos igni propius admotos ſtatim intorqueri*: aitque ob hanc cauſam, *Aethiopes eſſe criſpos*: Ecce quod Galenus duas adferat cauſas criſpitudinis;prima eſt,quià exhalatio eſt imbecillior,quam,vt rectam viam efficere ſibi poſſit, ideò inflectitur,& pilos criſpos efficit.

Secundã cauſam criſpitudinis dicit eſſe exhalationem validam,& cutim durã: quãdo enim exhalatio eſſet valida,& cutis mollis,tunc pili nõ poſſent fieri criſpi; cute enim exiſtẽte dura exhalatio flectitur in latus eo modo, quo flamma ſurſũ mota,impeditaque,ne aſcendat ad latus, inflectitur: ecce quod criſpitudo ex Galeni ſententia non ſolum indicet calidam temperaturam,verum etiam frigidã: poteſt enim contingere,vt oriatur criſpitudo ratione exhalationis inualidæ, quæ cũ non poſſit recto itinere penetrare cutim efformet figuram tortuoſam meatuum.

Ex his facilè colligere poſſumus Gal. intentionem eſſe non ſigna propria, ſed ſyndromen communium proponere, nõ ſolum in hoc loco, ſed in toto hoc libro; quocirca qui ex quolibet ſigno propoſito in hoc libro voluerit colligere partiũ tẽpera-

peraturam ſemper decipietur.

Ariſtot.5.de generatione animal. capit. 3.de criſpitudine diffusè agit: immò Galenus omnia pertinentia ad hanc rem ab Ariſtot.deſumpſit: Ariſtoteles enim ibidem dicit, cauſam criſpitudinis pilorum duplicem eſſe: alterã cõſiſtere in tortuoſitate radicis ſeu meatus: alteram verò in corporis caliditate & ſiccitate terreſtri. Quo pacto verò ob exhalationẽ calidam & ſiccam terreſtrem criſpitudo fiat loco citato tradit duos modos: primus eſt, quod exhalatio, vt calida petat ſurſum, vt ſicca & terreſtris deorſum: ait enim ob cõtrariam hanc inclinationem fieri pilorum criſpitudinem: pili enim criſpi ſecundum vnam portionem aſcendunt, ſecundum aliam verò deſcendunt; ſecundus modus eſt, dũ exhalatio eſt iuſto ſiccior, & minimum humidi continet, (dicimus minimum, quia nõ datur continuũ ſine humiditate) & multum terræ; ſtatim enim quando pili exeunt, à calido ambiente, quòd abſumat humidum, conuelluntur & inflectuntur, vnde criſpitudo.

Quomodo vero diſtinguatur criſpitudo, quę fit à meatuum tortuoſitate ab illa quæ fit ab exhalatione calida & ſicca facta à calida temperatura nos docet Ariſt. lib.5.de generatione animalium capit. 5. vbi dicit, ſi pili criſpi ſint duriores, quam recti, criſpitudinem fieri à ſiccitate & caliditate exhalationis; ſi verò pili ſint molles & non duri criſpitudinem prodire à meatuum tortuoſitate.

Curtius hanc diſtinctionem Ariſtotelis ignorans cecidit in manifeſtiſſimum errorẽ: putabat enim capite humectato & refrigerato pilos inde non fieri criſpos; quaſi quod ſola ſiccitas exhalationis, criſpitudinem cauſare poſſit, quod eſt falſiſſimum, ſi Ariſtoteli credendum ſit; Ariſtoteles enim locis citatis cauſas criſpitudinis refert ad ſiccam & calidam exhalationem, & ad meatuum tortuoſitatem; ſimiliter Galenus non ſolum locis citatis, verum etiam primo de humorib. com. 8. habet hæc verbã; *criſpi capilli aut propter temperaturæ ſiccitatem; aut propter meatum, in quo agant radices fieri ſolent.*

Ex dictis colligimus pilos criſpos duros indicare caliditatem criſpos molles indicare frigiditatem. Similiter pili nigri duri indicant caliditatem molles frigiditatem. Hinc Galen. 2. in primum Epid. 78. dum dicit pilos nigros indicare frigiditatem intellexit de nigris tenuibus, & mollioribus.

QVÆST. LIII.

De Caluitio.

Ariſtot. 5. de generatione animalium cap.3.docet, caluitiũ fieri ob defectum humiditatis pinguis, & calidæ; dicitque ſicuti plantę, quę abundant hac pingui, viſcoſa, & calida humiditate non defrondeſcunt, veluti ſunt oliua, & laurus; ſic homines habentes cerebrum humidum non defrondeſcunt, neque in ſenectute patiuntur caluitium; putat enim philoſophus eſſe caluitium quid commune hominibus & plantis; addit loco citato ſecundam cauſam caluitij dicens, caluitium accidere quibus in infantia cutis fuerit durior; illi enim in ſenectute deinde adeo exiccãtur, vt carentes pingui, & viſcoſa humiditate, quæ pilos retinet, patiantur caluitium; Hinc cenſet philoſophus, quod illi citiſſimè patiantur caluitium, qui ſunt libidinoſi; quia citiùs abſumunt humiditatem illam pinguem & viſcoſam. Verum quia hæc pinguis humiditas retinens pilos eſt quoque calida, ait cauſam ob quam in ſynipite caluitium magis appparet, quam in alijs partibus, eſſe cerebri ſua natura frigidi & humidi propinquitatem.

Hæc Ariſtotelis ſententia à Galeno probatur primo de compoſitione med. ſ. l. cap. 1. & 2. de temperamentis cap. 5. vbi dicit, caluos illos fieri, qui in iuuentute duriorem habuerunt cutim; ſenſim enim adeo areſcit, vt pili non enaſcãtur, ob eamque rationem, qua in vola manus & ſub planta pedum non enaſcuntur; ibi enim adeſt tendo latus ſicciſſimus, & denſiſſimus.

Differt Galenus ab Ariſtotele in tradẽda cauſa, cur caluitium in ſyncipite, & non in occipite fiat; Galenus enim cum Hippocrate ait, ſicciorem eſſe partem anteriorem; quia in illis qui patiuntur caluitiũ cerebrum non tangit craneũ: Ariſt. verò ait loco citato, cerebrũ parum habere

bere de pingui & calida humiditate; quia ſua natura eſt frigidiſſimum, ideò fieri caluitium; cauſa verò cur prius in ſyncipite fiat, eſt quia abſumitur illa pinguis & calida humiditas,quę concurrit ad generationē pilorum; in occipite verò magis conſeruatur; ideò caluitiū prius apparet in ſyncipite; in valdè ſenibus tamē etiam totum caput caluitium occupat.

Auicennas 7. 4. tractatu 1. c. 2. tradit quatuor caluitij cauſas; prima eſt materiæ defectus; quando enim fuliginoſum excrementum,ex quo fiunt pili, deficit, ſine dubio non generantur pili,& fit caluitiū;Secunda cauſa eſt cutis nimis dura & ſicca, qualis eſt in vola manus, & in plāta pedum;Tertia ſi meatus ſunt nimis lati;tunc enim excrementū fuliginoſum nō retinetur,ſed egreditur inſenſibiliter, vnde non fiunt pili,ſed caluitium: Quarta eſt exhalatio acris, & corrodens, vt in alopecia & lue gallica accidere ſolet.

Non accipitur opinio Auicennæ,quia vnius effectus vnica debet tradi cauſa,& non plures. Præterea tertia cauſa tradita ab Auicenna eſt omninò veritati & Ariſtoteli cōtraria;Ariſt.enim 5.de generat. animal.c.3.docet, ſi cutis eſt rarior, pilos generari ob copiam terreſtris excremēti craſſioris;ſi ſpiſſior, generantur tenuiores:itidem 4.ſect.probl.4. dicit cum iuuenes incipiant ſemen emittere, tunc multos pilos naſci; quia meatus fiunt laxiores. Similiter Galenus ſexta aphoriſm. 34. admonet in alopecia, & ophiaſi defluuium capillorū non dici propriè caluitium;quare quarta cauſa Auicennæ,quæ eſt exhalatio corrodens non efficiet caluitium proprio modo ſumptum.

Hippocrates 6. epid. com. 3. tex. 1.docet caluitium fieri ob cerebri imminutionem; Gal.in illo comm.illam ſententiam declarans dicit; cerebrum anterius cauſare maiorem ſiccitatē in ſyncipite; quia ſubſidet & in ſuam baſim, ita concidit, vt in parte anteriori craneum non tangat: dicit Galenus, quod ex hac ſeparatione cerebri à craneo tāta ſiccitas generetur, quanta ſufficiat ad efficiendum caluitiū. Quod verò capitibus ſiccioribus accidat, quod cerebrum magis ſeparetur à craneo, Galenus fatetur ſe hoc in anatomia obſeruaſſe.

Galenus 1.de compoſiti.med.ſ.l.c.2.dicit caluitium propriè dictum fieri ob humorum inopiam;caluitium verò quod fit in ophiaſi & alopecia ob humiditatis vitium à Galeno 6. aphoriſmorum com. 34. impropriè vocari caluitium.

Dicimus igitur cum Galeno caluitij vnicam eſſe cauſam, & hanc eſſe ſiccitatem, vel humorum inopiam, quod in idem recidit; hæc verò humoris inopia modo fit; quia cutis eſt ſicciſſima, & inepta ad recipienda fuliginoſa excrementa,veluti eſt vola manus,& plāta pedum; modo fit, quia cutis caret humore viſcoſo, qui detinet pilorum radices; modò fieri poteſt, quia exhalationes acres corrodunt pilorum radices.

1 Dubitatio magna exoritur, quia ex Gal.2.de temperamentis,& alibi,materia ex qua generantur pili eſt excrementum fuliginoſum craſſum, quod fit in tert'a coctione:ex altera parte Ariſtoteles 5.de generatione animal. loco ſuperius citatò ait, pilos nutriri pingui calida & viſcoſa humiditate; hoc quoque patet experientia; quia quando tabidi hac humiditate pingui priuantur patiuntur quoque defluuium capillorum. Præterea mulieres, eunuchi, & pueri ante ſeminis emiſſionem non poſſunt pati caluitium; quia abundant hac humiditate viſcoſa,& glutinoſa: quomodo igitur materia pilorum erit excrementum fuliginoſum, & ſiccum, ſi, vt dicit Ariſtoteles humiditas viſcoſa eſt pilorum generatrix?

Saluus Sclanus facilè ſoluit, ſed ſoluendo reprehendit Ariſtotelem, quod dixerit pilos generari ab humiditate ſeminali.

Decipitur Sclanus: quia philoſophus clariſſimè docet, pilos oriri à fuliginoſo & terreni excremento: neque vnquam ſomniauit, quod generentur ab humiditate ſeminali.

Cauſa vero defluuij pilorum in Tabidis, non eſt carentia fuliginoſi excremēti, ſed carentia glutinis pilos retinentis: Secundum enim Auicennam,& Ariſtotelem 2.de anima,& Galen. tres ſunt internæ humiditates videlicet ros, cambium, & gluten: ex cambio fit ſemen, & deinde per vlteriorem concoctionem fit gluten: illi igitur qui abundant glu-

tine,

tine,quales ſunt Eunuchi,& pueri,qui nō emittunt ſemen, non patiūtur caluitium, quare dum pili valde adhęrent cuti, ſignum eſt abundantiæ glutinis.

Quare excrementum fuliginoſum eſt materia ex qua fiunt pili,materia verò viſcoſa eſt materia per quam continuantur pili; in qua pingui humiditate pili nunquam continuarentur. Hinc cimbatoſes in tingendis cimbis permiſcent fuligines cum ſeuo pro continuatione;ſimiliter Pictores vtuntur fuligine ex Ebano combuſto cum oleo pro continuatione.

Hinc errat Modernus Saxonia, quia cenſebat,pilos nullo modo eſſe ſiccos, ſed piloſos quia accenſioni apti ſunt; ſed generari ex ſeminali materia, quæ humida eſt. Quæ opinio reluctatur Gal. & Ariſtoteli,& eſt ridicula; ſeminalis enim materia,quæ re vera oritur ex cambio,vnde fit gluten non inſeruit generationi pilorum; ſed retentioni, ne ſcilicet cadant. Nullus vnquam philoſophus fuit ita fatuus,qui crediderit pilos ex ſeminali materia, & non ex fuliginoſo oriri excremento.

Dicimus igitur nos, Galenum nō contradicere Ariſtoteli, ſed eſſe concordem, quia ambo conueniunt,materiam ex qua pili fiant eſſe excrementum terreſtre fuliginoſum; ſimiliter concorditer dicunt in Tabidis pilos defluere, quia gluten illos retinens abſumitur.Suſtinentque Tabidos excrementis fuliginoſis magis abūdare, quam homines hiſpidos cauſam tamen defluuij eſſe carentiam glutinis, in pueris verò, & in Eunuchis, & mulieribus pauca eſſe excrementa fuliginoſa,ſed quia iſti abundant glutine, & ſeminali materia, ideo quos habent pilos diu conſeruant,& nunquam caluitium patiūtur.

CAPITIS XIII. Particula III.

Quæ vero dicuntur ac poſterius dicenda indicia ſunt, accipere oportet, vt in bonam habentibus temperiem habitationibus.

TRactaturus Galenus de ſignis intemperaturarum cerebri egit prius de ſignis optimæ temperaturæ cerebri; & meritò, quia optima temperatura eſt regula omnium temperaturarum; ex Ariſt. enim 1.de anima tex.85.rectum eſt iudex ſui,& obliqui.

In hoc tex.Galen.dat nobis hoc præceptum, quod ſcilicet quæ dicta & dicenda ſint de ſignis bonarum temperaturarum cerebri, & aliorum viſcerum ſolum habeant locum in habitatione habente bonam temperaturam;Gal.enim c.50.habet hæc verba,*dicentur igitur & horum temperatura ſigna in benè temperata habitatione: nam quæ malè temperata ſunt cutem permutant ex ſe ipſis formantes & quædam ex ſignis propoſitis corrumpunt:* addit,*ſi quis tēpore æſtatis in bene temperata regione ſe nondum ſoli expoſuerit permutabit inditia, quæ ex colore duritie & mollitie ſumuntur*: ille enim qui eſt rubri, & roſei coloris expoſitus ſoli fit niger,cutis fit dura,& qui in vmbra degunt more puellarum fiūt albidiores licet calidi ſint,ita vt methodus à Galeno tradita pro dignoſcenda optima temperatura vana reddatur, niſi obſeruetur bona habitatio; imò addit Galenus loco citato, non ſufficere bonam habitationem, quia requiritur,vt etiam temperato victu vtatur, neque omninò otioſus.

Immo qui degunt in aere perflato, ſed ventis auſtralibus expoſito,qui ſit conualium à tergo montes ſeptentrionales arcentes ventos ſalubres mutant cutē & per conſequens omnia indicia permutant.

Parimodo, aliæ res non naturales ſi in exceſsu ſint permutant inditia, ſicuti in ijs qui ſe tradunt nimijs commeſsationibus,& ſympoſijs, prolixiuſque indulgent poculentis & exculentis, & vino ſe obruunt, permutantur cutis,ſic illi qui ſunt venereis ſtimulis incitati libidinis blanditijs accerſiti & illecebris voluptatis delinitis permutant cutim, & inditia permutantur, omnes enim iſti exceſſus peruertunt omnia ſigna optimarum temperaturarum.

QVÆST. LIV.

Quid intelligat Galenus per habitationem habentem bonam temperiem.

PRima opinio eſt nonnullorum dicentium Gal. per habitationem haben-

tem

tem bonam temperiem intelligere quartum clima, ſub quo eſt Græcia, & patria Hippocratis.

Hæc opinio non accipitur: tum quia hic tractatus de arte medicinali eſſet in Italia,&tota ferèEuropa vaniſſimus?quia veritati aduerſatur: ſigna enim propoſita à Galeno pro dignoſcẽda optima temperatura mirificè poſſunt applicari Italis, Germanis, & Gallis, & alijs plurimis, qui non ſunt ſub quarto climate. Demum habitatio habens bonam temperiem eſt quid diuerſum à climate temperatiſſimo: quoniam etiam ſub quarto climate (ſuppoſito quod ſit omnibus alijs temperatius) dari poteſt habitatio aliqua intemperata: Neque inconuenit in regione temperata dari integram prouinciam vel ſaltem aliquam Ciuitatem intemperatam, quæ ſit vel in loco cœnoſo, vel qui non perfletur à ventis ſalubribus.

Secunda opinio eſt quorundam qui dicunt, Gal. per habitationem habentem bonam temperiem intelligere Regionẽ, quæ nullum habeat exceſſum; voluntque quod Gal. ſemetipſum explicet, quid ſcilicet intelligat per habitationem temperatam, 3. aphor. 14. vbi admonet, omnes habitationes totius terræ habitabilis eſſe temperatas præter frigidiſſimas, quæ à mari diſtant, & calidiſſimas: habitationes enim frigidiſſimæ, quæ adiacent mari (ait Galenus) eſſe temperatas ob ventos maritimos contemperantes intenſiſſimum aeris frigus; calidiſſimæ quoque Regiones ex Galeno in æſtate, ſi mari adiacent, refrigerantur à ventis ab arcto flantibus; ecce Galenum per habitationem temperatam intelligere omnia climata, vbi viuunt homines; excludereque illa vbi nulla eſt habitatio.

Decipiuntur iſti, quia Gal. in tex. loquitur de habitatione, & non de Regione vel climate; in qualibet enim Regione, & in quolibet climate poteſt dari habitatio habens bonam, uel malam temperiẽ.

Ego puto per habitationem temperatam Galenum intelligere habitationem boni aeris; in qualibet enim regione; immo in qualibet ciuitate, ſi magna ſit, poteſt dari in vna parte bona, in alia mala habitatio; admittimus tamen in quolibet climate dari poſſe habitationẽ tẽperatam.

1 Dubitatio diximus, quod in quolibet climate dari poſſit temperata habitatio; ſed quomodo uerificabitur Galeni doctrina de ſignis tẽperati cerebri, & aliorum viſcerum? dicit enim in temperato cerebro pilos in infantia eſſe fulgidos, deinde flauos: non ne in Aethiopia in infantia, & adoleſcentia pili ſemper ſunt nigri? quomodo igitur in Aethiopia cognoſcemus temperatum? Præterea in Hiſpania, & Sicilia pili illorum neque fulgidi, neque flaui ſunt; datur tamen ibi bona habitatio.

Sclanus, & alij ante illum reſpondent, quamuis in Aethiopia ſint nigri: illorum tamen qui ſunt temperatiores magis uergere ad flauos.

Quæ reſponſio eſt ridicula; quia omnes Mauri ſunt nigerrimi, quale eſt atramentum, immo quo temperatiores, eo nigriores eſſe ſolent.

Reſpondemus nos, temperatiſſimum à Gal. declarari non per ſignum aliquod proprium, ſed per ſyndromen ſignorum communium; quare concludimus, eum, qui non ſupponit in hoc libello Gal. ſemper per ſignorum ſyndromen in declarandis temperaturis procedere, nullum fructum ex eius lectione deſumpturum; Certum eſt, quod ſi capilli eſsent ſigna propria, alijs à Galeno propoſitis ſignis non indigeremus, quare ſi ex pilis, & colore cutis non poterimus dignoſcere temperaturas Maurorum, uel Hiſpanorum, uel Siculorum, dicimus illas nos dignoſcituros eſse ex actionibus internis, uel ex motibus, uel ex officijs pertinentibus ad cerebrum, ad iecur, & ad cor; de quibus in dignoſcendis temperaturis ſemper mentionem facit.

CAPITIS XIII.

Particula IV.

Quæ autem ad capillos attinent, non ad locorum tantum, ſed ad humorum quoque temperaturam, qui cerebri temperaturæ proportione reſpondent, ſunt referenda.

QVia in tex. ſuperiori dixit, ſigna indicantia optimam cerebri temperaturam

ram

ram eſſe vera in habitatione habente bonam temperaturam. In hoc tex. reſpondet cuidam tacitæ obiectioni: quiſpiam enim dicere potuiſſet,non ne Aethiopia, Hiſpania, & Sicilia ſunt Regiones habentes temperatam habitationem: nemo negabit,quia Galenus 3. aphoriſ.com.14. ait in omni climate, & Regione, ſit calidiſſima, vel frigidiſſima quantum vis, dummodo non ſit remota à mari, poſſe optimam, & temperatam habitationem vocari; quomodo igitur ex capillis dignoſcemus temperaturam? non ne omnes Aethiopes habēt capillos nigros,quāuis illorum cerebrum frigidum,& humidum eſſe poſſit?Gal.in hoc tex.tollit hanc obiectionem dicens ea quæ dicta ſunt de capillis,non ſolum ad loca eſſe referenda ſed ad temperaturam illorum humorum, qui proportione reſpondent cerebri temperaturæ;ex capillis in Aethiopia temperaturam dignoſcere non poſſumus; quia in prima generatione cutis nigra genita eſt,ex qua licet cerebrum ſit frigidum,& humidum, pili enaſcuntur nigri: ecce quod ex pilis vbi humores proportione non reſpondent, & conſpirat in pilorum generationem, temperaturam cerebri dignoſcere non poſſumus. Quare quæ dicta ſunt de capillis non ſolum ſunt referenda ad habitationem temperatam, ſed etiam ad humores qui proportione reſpondent temperaturæ cerebri. Hinc ſi iecur eſt valde calidum, & generet humores aduſtos, tunc licet cerebrum ſit temperatum, capilli poſſunt eſſe nigri, & duri.

Valeant igitur qui ex capillis nigris colligunt caput eſſe calidum quod ſolum valet quando humores geniti in hepate proportione reſpondent temperaturæ cerebri. Ecce,quam artificioſè in hoc libello Galenus procedit;pro cognoſcenda enim temperatura non vnum, ſed plura ſigna eaque communia proponit, quæ ſi multa vnita ſint ſubrogantur ſigno alicui proprio, & conuertibili: quo pacto verò inueniatur ſignorum communium ſyndrome ſufficientiſſima, quæ tantam vim obſideat, quantam aliquod ſignum propriū, & conuertibile, legatur 6. liber methodi noſtræ,ibi exactè declarabitur.

QVÆST. LV.

Quid intelligat Galenus per humores proportione reſpondentes temperaturæ cerebri.

ODdus exponit Galenum intelligere per humores proportione reſpondentes temperaturę cerebri illos,qui non contra operantur: exempli cauſa,ſi cerebrum eſſet temperatum;& iecur ita calidum, & ſiccum, vt generaret humores aduſtos, tunc ratione aduſtorum humorum contraoperantium, capilli cerebro quoq; exiſtente temperato fieri poſſent nigri: tunc dicimus, humores proportione non reſpondere temperaturę cerebri: quo caſu non eſſet petenda cerebri temperatura ex capillis,ſed ex alijs ſignis.

Quę expoſitio patitur plurimas inſtantias, vt infra declarabimus: Aliqui intelligunt per humores proportione reſpondentes temperaturæ cerebri,quando humores redundantes ſunt eiuſdem naturę cum cerebro, quo caſu dicunt, capillos certiſſimè indicare cerebri temperaturā: verbi gratia, ſi cerebrum ſit calidum, & ſiccum, & humores calidi, & ſicci dicunt capillos nigros indicare calidam, & ſiccam cerebri temperaturam: ſimiliter ſi cerebrum ſit temperatum,& humores in corpore ſint temperati, ſimiliter dicunt, capillos fieri flauos, illoſq; indicare temperatum cerebrum.

Quæ expoſitio nullo modo accipitur: quia aliquando contingere ſolet,cerebro non exiſtente calido, quod corpus adeo aduſtis humoribus ſcateat, vt capilli gignantur nigri. Præterea ſi capilli,exempli cauſa ſupponerent eundem ſtatum,& temperaturam totius corporis,& cerebri non eſſent ſigna cerebri,ſed totius, quod eſt ridiculum.

Sclanus putat,tunc capillos poſſe indicare temperaturam cerebri, quando humores proportione reſpondent temperaturæ cerebri, ideſt quando humores ſeruant in corpore mediocritatem, & nullum habent exceſſum: ſi verò humores haberent aliquē exceſſum; ſicuti ſi eſſent nimium aduſti, dicit, capillos nigros non indicare temperaturam calidam cerebri.

Quæ

Quæ opinio non accipitur; quia non ſufficit, vt humores non habeant exceſſum ad hoc, ut capilli indicent temperaturam cerebri; quia etiam loca concurrunt ad generandos pilos nigros: poteſt enim in Æthiopia inueniri homo, qui habeat humores temperatos, eiuſq; caput inclinet ad frigidum, tamen capilli ſint nigri; quare hæc Sclani expoſitio eſt inſufficiens. Præterea nonnè poteſt accidere, quòd cerebrum ab ortu naturæ ſit calidum, & ſiccum, ob quam temperaturam orti ſint pili nigri, corpuſq; ſit refertum humoribus aduſtis, ſed non ab ortu naturæ; tunc nonnè pili indicarent cerebri temperaturam calidam, & ſiccam? quare per humores proportione reſpondentes temperaturæ cerebri, non debemus intelligere humores non habentes aliquem exceſſum.

Nos verò dicimus, ex Galeni ſententia non ſolùm eſſe inſpiciendos humores totius corporis, ſed alia quoq; ſigna ad hoc ut capilli indicent temperaturam cerebri; quia Galenus in toto hoc libro ſibi in mente conſtituit hunc ſcopum, ut nulla temperatura per vnum, uel per duo ſigna dignoſcatur, ſed per ſyndromen multorum, quæ deſumuntur, ut ſuperiùs dictum eſt ab actionibus, ab exeuntibus, & ab alijs ſuperiùs enarratis; quare quocumq; modo humores reſpondeant cerebri temperaturæ, dicimus capillos ſine conſideratione aliorum ſignorum non ſufficere pro declaratione temperaturarum cerebri: quod quidem facilè probari poteſt: nonnè in Æthiopia omnes capillos nigros habent: nonnè in his adſunt plurimi, qui habent humores temperatos proportioneq; reſpondentes temperaturæ cerebri, & tamen illorum cerebrum in frigidam temperaturam inclinet? ecce, quòd capilli, & humores quomodocumq; proportionati non ſufficiunt in dignoſcenda cerebri temperatura: oportet enim addere alia ſigna propoſita à Galeno, pertinentia ad actiones cerebri principes, & non principes, & ex illis ſyndromen ſufficientiſſimam formare, quę habebit vim ſigni proprij, & conuertibilis.

QVÆST. LVI.

Quod clima ſit temperatius.

QVia Gal. in tex. dicit pro varietate locorum, & climatum pilos variare; ideò pauca, de climatibus dicemus. Diuiſerunt Veteres Geographi totam terram in quinque Zonas; putabantq; tres eſſe inhabitabiles; torridam, ſcilicet, & duas frigidiſſimas quæ sũt ſub polis; dicebantq; duas tantum Zonas eſſe habitabiles, & has diuidebant in ſeptem climata. Per clima intelligitur ſpatium, quòd duobus parallelis clauditur, quo diei lõgitudo ad dimidiam horam variatur; ſub æquatore dies ſemper ſunt duodecim horarum: vbi verò incipit primum clima eſt, dũ augeri poteſt dies vſque ad duodecim horas cum dimidia, ſecundum clima poteſt augeri ad 13. horas; tertium clima ad tredecim cum dimidia, & tandẽ putabant ſeptimum clima eſſe poſtremũ, quod habere poteſt diem quindecim horarum cum dimidia, alia climata non cognoſcebant, quamuis plura alia ſint.

Primũ clima vocatur diameroes, quia tranſit per Meroem Inſulam; ſub ipſo cõtinentur plura loca, vt Inſulæ fortunatæ, Tapobrana Inſula, pars Arabiæ, Nubi populi, Inſula Sancti Thomæ, Goa famoſiſſima ciuitas, & cætera innumerabilia.

Sub ſecundo climate, quod dicitur Diaſyenes ſuntGetuli, Fretum, Perſici ſinus, Regni Chinæ maior pars &c.

Sub tertio quod vocatur Dia Alexandros; quia tranſit per Alexandriam, eſt Aegyptus, Perſia &c.

Sub quarto quod dicitur Diarhodos: quia tranſit per Rhodum eſt Cyprum, tota Græcia, Creta, & Coos Hippocratis patria, Sicilia, & cæt.

Sub quinto quod appellatur Diaromes quia per Romam tranſit, eſt Bizantium, Hiſpania, & Media pars Italiæ.

Sub ſexto quod dicitur Diapontos, quia tranſit per mare pontum eſt Lombardia, Venetiæ, Ferraria, Hungaria, & Galliæ magna pars &c.

Sub ſeptimo quod vocatur Diabotyſthenes eſt Germania ſuperior, Polonia, & plura alia. Qui verò diſtinctius ſcire cupit,

cupit,ſub quo climate ſint reliquę omnes Prouinciæ,legat Geographiã Ptolomei.

Præter ſeptem climata plura alia ſunt, quia non ſolum inueniuntur loca, quæ ſexdecim horarum habent diem, ſed triũ menſium: ſicuti eſt Noua Zembla,& extremitas Moſchouiæ,quæ eſt ſub 82.gradibus.

His declaratis quæritur, quodnam clima ex ſeptem propoſitis ſit temperatius.

Auicennas 3.1.cap.1.& 1.1.doc.2.ſumma 1.cap.1. putat, quod ſub æquatione dieì, vbi incipit primum clima, & vbi eſt Zona torrida, ſit locus temperatiſſimæ habitationis.Quæ opinio Auicennæ probari poteſt experientia,& ratione; experientia, quia poſt Auicennam nonnullis centenis annis inuentæ ſunt à Luſitanis Prouinciæ, & Regna opulentiſſima; ratione, quia caliditas inſignis, quæ nobis communicatur in æſtate,non eſt ob ſolis maiorem rectitudinem, & maiorem uelocitatem,ſed ob moram ſolis, quod probatur; quia in æſtate maior caliditas obſeruatur in hora vigeſima, & uigeſima prima,quam in hora decima ſexta,in qua ſol habet in noſtro climate maiorem rectitudinem; ſimiliter maior obſeruatur caliditas in fine Iulij, quam in fine Maij, tamen in Maij fine ſol eſt nobis proximior;ecce quod non rectitudo radiorum vel ſolis velocitas, ſed mora calorem intenſum efficit.

Hinc Ariſtoteles ſecundo meteororũ ſumma ſecunda cap.2.& Auerroes 2. colliget capite vltimo decepti ſunt, dum putabant primum clima eſſe inhabitabile propter rectitudinem radiorum ſolis. Præterea ex nauigationibus inuentæ ſunt Prouinciæ,& Ciuitates opulentiſſimæ, quæ tempore Ariſtotel. & Auerrois erant incognitæ, ueluti Abiſſia, Goa Ciuitas, & infinitæ aliæ.

Ptolomeus ſimiliter in ſua Geographia,& alibi putat ſub primo climate eſſe Regiones temperatas: Hinc mirandum eſt, quod Auerroes qui fuit nonnullis centenis annis poſt Ptolomeum non viderit eius Geographiam,& Almageſtum; Ptolomeus enim fuit poſt aduentum Chriſti 140. Auerroes verò poſt annos Chriſti Saluatoris 1145.

Ariſtoteles ſecundo meteororum loco citato,& Gal.ſecundo de ſanitate tuenda c.7. ſimiliter Hippocrates putant quartũ clima eſſe alijs temperatius;dixerũt enim Græciam eſſe ſub climate omnium temperatiſſimo; huic opinioni fauet quoque Auicennas, quamvis putet primum clima eſſe valde temperatum.

Auerroes & multi alij dixerunt quintum clima eſſe omnibus temperatius: quam opinionem ſequitur Amatus Luſitanus, cuius patria eſt Vliſbona, quæ eſt ſub quinto climate.

Manardus Ferrarienſis lib.7.epiſt.epiſt. 1. cenſet noſtrum ſextum clima, ſub quo ille erat, eſſe temperatius.

Albertus Magnus,cuius patria eſt Ratisbona,quæ inter ſextum & ſeptimũ clima collocatur lib. de nat. loc. diſt.1. c.11. dicit ſextum, & ſeptimum eſſe climata temperatiſſima: reddit rationem, quia homines illorum climatum ſunt pulcherrimi, corporumque procerum, pulchræ ſtaturæ, & venuſti coloris; ecce quod omnes Auctores eorum patriam in temperatura anteponant alijs.

Vera opinio (ni fallor) eſt quod omnia climata præter frigidiſſima, & remota à mari poſſint vocari temperatiſſima;ratio eſt,quia climata debent conſiderari habita relatione ad hominem, qui reliquarũ rerum omnium eſt regula, cuius tẽperamenti æqualitas ad iuſtitiam conſideratur,& non ad pondus quod non datur vt ſuperius probauimus; dicetur itaq; clima temperatum facta collatione ad mixtum æquale ad iuſtitiam,quod poteſt inueniri in omni climate; quare quando agemus de homine temperatiſſimo intelligemus eſſe talem facta collatione non cum hominibus aliorum climatum,ſed cum temperatis proprij climatis. Similiter dum dicimus, volam manus eſſe partem temperatiſſimam,intelligimus reſpectu illius hominis & non abſolutè: quia cutis manus hominis temperati primi climatis reſpectu temperati ſeptimi eſt intemperatiſsima.

Pręterea ſi per intemperatiſsimum intelligeremus abſolutè tale,& non per relationem ad proprium clima, ſequeretur quod temperatiſsimum in omni climate eſſet tale, quod eſt ridiculum; quia vir temperatiſsimus primi ſub ſeptimo adeo in-

intemperatus eſset, vt vix vitam ducere poſset.

Inſuper ſi per intemperatiſſimum intelligeremus abſolutè tale, & non reſpectu proprij climatis, ſequeretur, quod qui in primo, nimio ardore viſcerum torreretur, quippe ſanus ibi viuere non poſſet, diceretur quoque temperatiſſimus reſpectu ſeptimi, ſub quo dio eius incendium ob inſigne frigus adeo miteſceret, vt temperatiſſimum habitũ ſibi compararet; patet itaque climata dici temperata, vel intemperata reſpectu aliquarum temperaturarum, & non abſolutè; atque in omni climate inueniri poſse homines adeo temperatos, vt illis temperatiores non dentur, & denique omnia climata ſub quibus eſt habitatio, æquè temperata dici poſse.

Tantum potuit hæc veritas, vt percelebres Medici, & Philoſophi, qui de hac re habuerunt ſermonem veritate coacti in bonam opinionem inciderint, quæ erat quod patrium clima eſset omnium temperatiſſimum.

Hinc Hippocrates, Galenus, & Ariſtoteles cenſent Græciam ſuam patriam, id eſt quartum clima eſse omnium temperatiſſimum.

Auerroes Cordubenſis, cuius patria eſt in Hiſpania, dicit quintum clima eſse temperatius.

Manardus Ferrarienſis ſuum ſextum alijs antepoſuit, ſub quo eſt Ferraria.

Albertus Magnus Germanus Ratisbonæ natus prædicat ſeptimum clima eſse temperatius, ſub quo iacet ſua patria; affertque rationes; quia, ibi homines ſunt pulchriores & proceræ ſtaturæ. Omnes iſti Auctores videntur rectè ſentire, tum ob rationes ſuperius allatas; tũ quia Gal. 3. aphoriſ. 13. docet, omnes regiones reſpectu propriorum habitatorum eſse tẽperatas, exceptis frigidiſſimis & calidiſſimis à mari remotis: frigidiſſimæ enim & calidiſſimę, quæ adiacent mari, contemperantur ventis maritimis; Fertur, Londinum Angliæ Metropolim, quamvis eius altitudo ſit grad. 52. non excedere in frigore Italicum clima; Similiter Cretam inſulam adeo maritimis ventis afflari, vt aer non exurat, ſed ſit non valde diſſimilis ab Italico.

Itaque cõcludimus, in quolibet climate inueniri poſse homines temperatiſſimos; dicimúſque Germanum temperatiſſimum æquiparari poſse temperatiſsimo Arabo, Abiſſino, vel Græco in Coo, vel Gnidio nato & alto; ſola enim propria habitatio à primordijs conſtitutionis acquiſita eſt animantibus temperatis accommodata: alienæ verò ſunt incommodæ & intemperatæ.

Si Elephantes in Italiam ducantur, ſtatim ob climatis diuerſitatem virtutẽ generandi amittunt; viuunt tamen; ſi verò in Germaniam, & regiones frigidiores ducantur non ſolum facultatem generandi amittunt, verum quam citiſſimè moriuntur, niſi in calidis locis conſeruētur. Similiter animalia Regionis frigidiſſimæ, vt Sabelini, & alia id genus, ſi in Italiam ferantur (vt experientia probatum eſt) viuunt, ſpeciem tamen propagare non poſsunt; ſi verò in Africam ferantur, virtutem generandi, & ſimul vitam quam citiſſimè amittunt.

Itaque vanum eſt inquirere, quodnam clima abſolutè melius ſit; quia in quolibet inueniri poteſt homo adeo tẽperatus, quo temperatior eſſe non poſſit: quilibet enim homo in proprio climate, ſi eſt tẽperatus, in omni alieno erit intemperatus: ſimili modo quilibet homo intemperatus in proprio climate inueniet clima reſpectu ſuarum intemperierum tẽperatum: dicimus igitur, quod ijs qui natura calidiſſimi ſunt, primum clima ſit non ſolum contrarium, ſed lethale, ſeptimum verò clima eſſe omninò amicum. Hinc Delfieum oraculum (vt refert Herodotus) dedit reſponſum ſapientiſſimũ cuidam humida & frigida affectione correpto, vt in Libyam calidiorem Regionẽ ſe transferret: quia ibi habitum frigidum ad temperatum reduceret.

CAPITIS XIII.

Particula V.

TEX. 20. *Si verò calidius ſit, quam oporteat, in altera verò oppoſitione bona habeat temperaturam, ſi quidem in caliditate exceſſerit, omnia quæ dicentur, validiora erunt indicia, ſed ſi paruus fuerit exceſ-*

ſus

ſus imbecillia. Communis autem hac ratio ſtatuatur in omnibus partibus, quarum in temperaturis vniuerſi indicia ſumus tradituri.

TRadita ſuperius methodo, qua cerebri ſtatum temperatiſſimum dignoſcere valeamus: in hoc text. Galen. duo facit: primo tradit præceptum, quod aperit, quando intemperies ſit magis vel minus recedens à ſtatu temperatiſſimo; illudq; applicat intemperiei calidæ: ſecundò amplificat præceptum traditum: quia docet non ſolum id nobis inſeruire pro cognitione intemperaturarum cerebri; verum etiam pro cognitione intemperierum omnium partium corporis.

Præceptum quod tradit eſt: ſi indicia intemperiei calidæ cerebri erũt in exceſſu; tunc dices, intemperiem eſſe magnam & validā: ſi verò paruus fuerit ſignorum exceſſus, intemperies erit imbecilla hoc præceptum eſt verum non ſolum in cognoſcenda magna, vel parua intemperie calida cerebri, ſed etiam in cognoſcendis omnibus intemperiebus cerebri, & omnium partium corporis.

1 Dubitatio videtur, quod tex. iſte ſit ſuperfluus: quia præceptum quod traditur à Galeno in hoc tex. traditum quoque eſt in capite octauo, vbi dicit, ſigna corporum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum ſolum quantitate diſtantiæ inter ſe diſtingui: idem repetit in hoc loco: quia dicit ſigna caloris, ſi ſint in exceſſu, indicare validam intemperiem: ſi in paruo exceſſu, imbecillam: ergo acta agit, & eſt ſuperfluus.

Reſpondetur, quod capite octauo dictum præceptum eſt traditum in communi; in hoc tex. verò particulatim: quia applicatur temperaturæ calidæ cerebri; immo illa eſt doctrina non ſuperflua, ſed omnibus numeris abſoluta, quæ primo communiter traditur, & deinde omnibus particularibus applicatur.

CAPITIS XIV.
Particula I.
De Signis Calidi Cerebri.

Tex. 21. *Deinceps igitur ſigna cerebri caliditatis, præter ea quæ nuper diximus, ſunt, quòd ea quæ circa caput omnia rubicunda, & calida magis, & quæ in oculis venæ ſenſui patent.*

EGit ſuperius de optima temperatura cerebri: Cæterum quia dantur octo temperaturæ ab optima recedentes, quatuor videlicet ſimplices, & quatuor compoſitæ: ideo Galenus ſe parat ad illatum temperaturarum declarationem; incipitque à temperatura, quæ recedit ab optima ſecundum caliditatem tantum, & meritò, tum quia caliditas eſt actiuorum prima, tum quia nonnulla dixit de iis quæ indicant cerebri caliditatem, ſicuti quod mobilitas in opinione indicet eius caliditatem: vt igitur hoc perficiat in hoc cap. tradit nouem ſigna ſimplicis temperaturæ calidæ cerebri.

Primum ſignum temperaturæ calidæ deſumit ab iis quæ circa caput ſunt: ait enim quæ circa caput omnia rubicunda magis, ſupple, quam in cerebro tẽperato.

Secundum, quod quæ circa caput calida magis ſint, quam (ſupple) in temperato.

Tertium ſignum, venę in oculis magis ſenſui patent, ſupple; quam in temperato.

Quartum, capilli; in his quam primum ſunt in lucem editi, in capite generantur.

Quintum, ſi plurimum recedant in caliditate à temperatura mediocri, capilli fiunt nigri, robuſti, & criſpi: cum verò nõ multum recedant, fiunt ſubflaui, & deinceps nigricant; maiorem enim caliditatem oſtendunt pili nigri, quam ſubflaui.

Sextum, progredientibus ætatibus, tales homines patiuntur caluitium: ſed magis & citius, prout ſunt calidiores.

Septimum, pauca habent excrementa in palato, naribus, oculis, & auribus; eaque ſi integrè ſani ſint, apparent concocta: ſi verò non integrè ſani, caput excrementis impleri poteſt ob malam viuendi rationẽ: vnde plurima, & incocta excrementa in dictis partibus apparere ſolent.

Octauum, ob nimium cibum vel potum faciliter replentur eorum capita; atque præcipuè ab odoribus acutis, ab aere cænoſo & malo, & eo magis ſi cum caliditate iuncta ſit quoque humiditas.

Nonũ ſignũ, in his ſomni ſunt breues.

1 Dubitatio exoritur:quia non videtur, quod primum, & ſecundum ſignũ ſit verum, quod .ſ. rubra & calida facies indicent temperaturam calidã cerebri; quia rubor faciei prouenit à ſanguine, & ſanguis ab hepate,& non à cerebro;caliditas verò à corde,& non à cerebro; vnum .n. indicat vnum, & non plura,vt nos docet Gal.9. meth.c.12.& 2.meth.c.13. Itidem Ariſt.2.poſt. in principio admonet vnum dare vnum,& non plura; quomodo igitur rubra facies,cum indicet ſanguinem, & hepatis calorem, indicabit calidam temperaturam cerebri?calida vero facies cum indicet cor, à quo tamquam à viuo fonte calor enaſcitur,quomodo indicabit cerebri temperaturam?

Pluſquamcommentator reſpondet,cerebrum ſi ſua natura ſit calidius temperato,calefacere cutem; qua calefacta deinde reddi iuſto calidiorem & rubicundiorem.

Quæ reſponſio non accipitur: quia cerebrum calidum non poteſt calefacere cutim; dicit .n. Gal. 2. de temperamentis c.3. cerebrum quamvis ſit calidiſſimum, ſemper eſſe frigidius cute.

Nonnulli reſpondent, cum quælibet pars viuens habeat virtutem attrahendi ſanguinem gratia nutritionis; cerebrum ſi ſit calidius magis attrahere,quam temperatum, dicunt ergo cerebrum ratione caliditatis attrahentis multum ſanguinis efficere poſſe faciem, & omnes partes, quæ ſunt circa caput, rubicundiores, & calidiores.

Quæ reſponſio non probatur: ſupponit enim falſum principium, ſanguinem ſcilicet ſolum attractum à cerebro aſcendere ad faciem,quaſi quod non aſcendat ſanguis vt tranſmiſſus; habemus enim primo ad Glauconem c. 15. caput repleri poſſe ob tres cauſas; primam eſſe ob magnitudinem febrium; ſecundam ob capitis imbecillitatem; tertiam ob plenitudinem totius corporis;omnes hæ tres cauſę replent tranſmittendo ad caput, & non trahendo à capite;poſſet igitur contingere,quòd in corpore eſſet ſanguinis plenitudo, quæ tranſmiſſa ad caput redderet faciem rubicundiorem, & calidiorem, quamvis cerebrum ſua natura eſſet frigidum, & ſiccum.

Deinde illud principium quod vagatur per ſcholas, quod attractio fiat calore,dolore & vi vacui,niſi rectè intelligatur eſſe falſum.

Falſum eſt de calore, quia calor non attrahit, ſed dilatat,& rarefacit materiã. Dum vero dilatat ſpacia, confluunt humores impulſi à natura, ne detur vacuũ. Dũ rarefacit materiam, tumorem attollitur pars, quod calor non attrahat patet ex elychnio lucernæ accenſo; quia oleũ redditum ſubtile, & vaporoſum ab ipſa flamma lucernæ aſcendit non attractum quia de ratione vaporoſi eſt aſcendere. Falſum eſt de dolore; quia dolor non attrahit, ſed reddit partẽ imbecillem; & vt talis, in ipſam confluunt excrementa, vt docet Gal.5.meth.4. & 3. de facil. nat.13. Falſum eſt de vacuo quod attrahat quia inane non attrahit, ſed ſuſcipit, quare ratione doloris,caloris,euacui non attrahuntur humores, ſed recipiuntur à natura impulſi. Hinc ex Ariſtot.7.phy.omnis motus violentus fit tractu, vel pulſu, uel vtroque modo; in uiuente non fit tractu ſed ſolum pulſu; vtinam fieret tractu. Hinc fonticuli,neſiccantia,cucurbitulæ, & alia id genus per impulſum aliarum partium, & non per tractum iuuant, ut probauimus lib.10. meth. noſtræ.

Sed vt redeamus vnde digreſſi ſumus, dicimus pro ſolutione,cerebrum calidius rarefacere ſuos meatus,quibus rarefactis facile excrementis impleantur à natura, tamen impulſis,ne detur uacuum:hęc eſt cauſa cur rubicundiora, & calidiora appareant quæ ſunt circa caput.

Ego puto ſigna propoſita ſeorſum accepta neque per ſe, neq; de omni indicare,id eſt perpetuo,& in omnibus; ſed ſolum valere in ſyndromen accepta; quod præceptum, niſi in hoc libro obſeruetur, nunquam intelligetur Galeni artificiũ,ſi vnum ſignum eſſet per ſe tale,& propriũ & ſemper uerum; Gal. fuiſſet fatuus in tot ſignis proponendis, fruſtra enim fit per plura quod per pauciora,& æque bene fit; ſi igitur rubor,& calor faciei eſſet ſignum infallibile calidi cerebri,Gal. non addidiſſet alia: Nos igitur ſuperius docuimus modum componendi ſignorum ſyndromen. Quod verò requiratur ſignorum ſyndrome in omni temperaturarum

rarum conſideratione patebit, dum perueniemus ad cap. 29. vbi aget de ipſo corde, q d eſt fons caloris, ibi ait cordis calidi temperaturam reddere validum vniuerſum corpus, niſi hepar vehementius obſtiterit; calor totius corporis eſt à corde, & non ab alijs partibus, tamen poteſt contingere, vt non poſſit calefacere; quia obſtet iecur: ſi igitur datur in corpore aliquid, quod poteſt obſtare cordi, ne calefaciat: quanto magis aliquid dari poterit, quod poſſit obſtare cerebro, ne calefaciat? ratio facilitatis eſt, quia cerebri non eſt calefacere, ſed cordis: ſi igitur calor totius corporis non eſt ſignum proprium calidioris cordis, ſed indiget ſyndrome aliorum, eo magis de cerebro & de alijs omnibus partibus eſt dicendum, quod in quaque conſideratione, ſine multorum ſignorum ſyndrome certitudo haberi non poſſit.

Notandum eſt, dum Galenus agit de cerebro calido non intelligere calidum reſpectu cutis: ita vt regula calidi & frigidi deſumatur à temperamento cutis: quia hoc modo cerebrum quoque omnium calidiſſidum eſſet frigidum; dixit enim Galenus 2. de temperamentis c. 3. cerebrum calidiſſimum eſſe frigidius cute: ſed intelligitur cerebrum calidum reſpectu temperati cerebri: temperatum enim eſt aliarum intemperaturarum omnium regula & menſura.

2 Dubitatio; non videtur, quod color ruber faciei indicet caliditatem cerebri; nec caliditas cerebri ſēper efficiat hunc ruborem; quia ex Gal. libro 1. de humoribus comm. 1. rubor faciei criticam eruptionem ſanguinis è naribus prænūciat.

Præterea ibidem docet, colores ſæpè non eſſe ſimiles humoribus dominantibus, vel ob mæſtitiam, vel ob alias cauſas; primo enim aphoriſmorum comm. 2. & 1. de hum. comm. 1. color ſimilis effloreſcit hmoribus, niſi vel per ſe, vel ob alias cauſas ad intra humores regurgitauerint.

Reſpondent nonnulli, Galenum in hoc loco loqui de corporibus exiſtentibus in latitudine ſanitatis; & de illis, in quibus humores non regurgitauerūt ob cauſam aliquam nō naturalem; ſed melius eſt vt reſpondeamus, nullum ſignum propoſitum à Galeno pro dignoſcendis temperaturis eſſe proprium, ſed commune, & vt commune alijſque iunctum efficaciā habere; qui enim non ſupponit hoc principium, quod Galenus in toto hoc libro per ſignorum ſyndromen procedat, primo nullum fructum ex illo colliget; ſecūdo fiet poſt lectionem illius longè indoctior, quam ante: demum in errata, in quæ eſt lapſus Argenter. turpiter incidet.

3 Dubitatio; dum Gal. dicit in calida temperatura venas magis patere ſenſui, videtur hoc contra medicinæ principia; quia magnitudo venarum non arguit temperaturam, ſed compoſitionem.

Sclanus dat duas reſponſiones; primo dicit, cerebri caliditatem aduenire à generationis principio ad venarum circunſtantium dilatationem; quia calidi eſt dilatare. Secundò reſpondet quod cerebro exiſtente calido, attractrix cerebri ſit validior, & attrahat multum ſanguinis, vnde venæ repleantur, & dilatentur.

Vtraque reſponſio Sclani eſt vana: prima, quia nullum cerebrum calidiſſimum eſt tanti caloris, quanti poſſit calefacere cutim; dicit enim Galenus 2. de temperamentis cap 3. cerebrum calidiſſimum eſſe frigidius cute; quare ſi non calefaciet cutim, tanto minus dilatare poterit venas. Secunda non eſt conuertibilis; quia ſæpiſſimè ſanguis in venis cerebri & oculorum colligitur non vt attractus, ſed vt tranſmiſſus: poteſt enim contingere, vt cerebrum ſit frigidum & ſiccum; ſanguis verò ſit in corpore copioſiſſimus, & vt copioſus, natura illum tranſmittat per vniuerſum corpus, vt ſuperius cum Galeno probauimus.

Dicimus iterum nos ſigna propoſita à Galeno eſſe accipienda per ſyndromen; quia nullum ſignorum ſeorſum expenſum eſt perpetuæ veritatis. Nos propterea docuimus ratione componendi ſyndromen ſignorum communium in lib. 1. & 6. methodi noſtræ & inferius aliquid dicemus. Quod verò venæ oculorum parentiores fiant ob multas cauſas, patebit, ſi modos fluxionis ſanguinis replentes venulas conſiderauerimus; ſanguis enim poteſt ad oculos fluere tribus modis, vel quia expellatur à copia, vel à qualitate, vel quia in vaſis maioribus non poſſit detineri à frigore denſante, vel à calido lique-

quefaciente,vel ob imbecillitatem retentricis vaſorum:vel demum quia oculi ſint natura imbecilliores: Galenus enim 3. de natural.facult.c.13.habet hæc verba:ſicuti inter ſe particulæ, altera ſcilicet ab altera, nutrimentum trahunt, ita altera in alteram,quod ſuperuacuum eſt deponit: & ſicuti trahentium ea vincit, quæ eſt valentior, ſic & à ſe deponentium:Galenus 11. meth.20. declarat, quid intelligat per partem imbecillam, & hæc ſunt verba,voto imbecillam partē, vel quæ natura eſt intemperatior, vel quia ex præcedente morbo intemperiem contraxit:vel quia in præſenti tempore ſit introducta.

Demum oſtendens 13.meth.c.vlt.quòd imbecillitas ſit cauſa receptionis, hæc ferè dicit:ſi intemperies cerebri fluxionem tranſmittit, intemperies cerebri corrigi debet epithematis, ſed ſi eſt vitium vaſorum, cùm ſcilicet venæ, vel arteriæ ſint imbecilliores: ſic vt aliorum vaſorum ſuperuacua recipiant,tunc intercipimus ne amplius recipiant excidendo aliquam partem venarum,vel arteriarum,vel totam venam, uel arteriam, ut facta cicatrice non amplius fluant humores: ecce quod imbecillitas poteſt accidere ipſis venulis oculorum, ob quam recipiatur multus ſangnis,qui non ſit attractus, ſed expulſus ad vaſa debiliora: ecce ſimiliter, quòd illæ venæ quamvis apparentes, & tumidę ſint,non tamen ex neceſſitate indicent cerebrum calidum: quocirca omnia ſigna propoſita à Galeno eatenus bona ſunt, quatenus multis alijs ſignis limitantur,& coarctātur, & non alio modo.

CAPITIS XIV. Particula II.

Capilli quoq;, in his ſtatim in lucem editis habent in capite ortum: & quum plurimum in caliditate à mediocri temperatura receſſerint,nigri, & robuſti, & criſpi ſiunt. Cùm verò non multum, ſubflaui quidem ab initio ſiunt,deinde nigricant, ac progredientibus ætatibus caluitium patiuntur, atque eo magis, qui plus modico ſunt calidiores.

IN hoc tex. tria ſigna calida cerebri cont'nentur.Primum in infantibus, qui habent caput calidum, ut primum in lucem veniunt, oriuntur capilli: quinimò Auicennas 1.3. tract.1.c.17. rectè dicit, in ventre matris in his generari capillos.

1 Dubitatio: videtur, quòd omnes infantes dum in lucem veniunt, habeant capillos: ex hoc primo ſigno ſequeretur omnes homines ſua natura habere cerebrū calidius temperato,quod eſt falſum.

Reſpondetur, Galenum docere in cerebro calido capillos ſtatim habere ortū, ideſt citò capillos generari:vbi .n.eſt caliditas, ibi multa fuligo generatur, ex qua capilli non ſolùm fiunt,ſed citò fiunt: infántes verò, qui cerebrum frigidum habent, poſſunt oriri cum capillis, ſed tamē in illis tardè, & non citò generantur.

Secundum ſignum, ſi caput calidum multum receſſerit a temperato docet Galenus,dum ſunt infantes, capillos habere nigros, robuſtos, & criſpos: quod nullo modo accidit quando non valdè recedunt à temperato:quia infantes tunc naſcuntur cùm capillis ſubflauis: in progreſſu verò ætatis capilli deindè ſubflaui nigricant.

Tertium ſignum docet, calidos ſcilicet in progreſſu ætatis pati caluitium: Galenus non refert qua ætate iſti, qui oriuntur cum capillis nigris patiantur caluitium: ſed ait ſolùm id accidere in progreſsu ætatis;dicimus igitur nos in valde calidis exordiri caluitium à viginti ad triginta in modicè calidioribus in anno quadrageſimo, & vltra,ſicut experientia obſeruatum eſt:Galenus de hoc nil dixit; quia tanta eſt varietas receſſus in caliditate,ut dici certo non poterat; cauſas verò caluitij,& criſpitudinis non afferimus, quia ſuperiùs in proprijs quæſtionibus allatæ ſunt.

CAPITIS XIV. Particula III.

Excrementa verò,quæ per palatum,& nares, & oculos, & aures, pauca, & concocta ipſis exiſtunt, quum integram habuerint ſanitatem.

CAuſa,cur in cerebro calidiori temperato excrementa ſint pauca, eſt perſpiratio inſenſibilis, quæ illa largè euacuat; Quanta verò ſit,& quando plus, uel minus

nus fiat in viuente hæc perſpiratio inſenſibilis, & quomodo craſſiſſima quoque excrementa perſpirari poſſint, compoſuimus ſeptem libros inſcriptos de ſtatica medicina; in quibus cumulatiſſimè neceſſariisque principijs, & experimentis hanc nouam, & admirabilem medendi artem proprio Marte repertam declaramus, eamque in lucem Deo fauente poſt hæc commentaria promemus.

Galenus magnifaciens euacuationem, quæ continuo inſenſibiliter fit 1. meth. cap. 2. laudat Hippocratem dicentem totum corpus eſſe σύμπνουν καὶ σύρρουν, ideſt fluxile, & tranſpirabile, calor igitur eſt cauſa paucorum, & coctorum excrementorum: paucorum, quia inſenſibiliter reſoluit ſuperfluum: coctorum quia tenuiora exhalant virtute caloris, & relinquuntur craſſiora: omnis enim cōcoctio ex Ariſtotele 4. meteororum cap. de coctione & ex Galeno 4. de ratione vic. 4. fit incraſſando: in actu enim concoquendi reſoluitur tenuius, & relinquitur craſſius. Hinc Conciliator diff. 50. & nonnulli alij dicentes coctionem ex ipſo Ariſtotele non ſemper fieri incraſſando toto Cælo aberrant; quia & Ariſtoteli, & naturæ caloris, cuius officium eſt ſemper tenuius reſoluere, aduerſantur.

1 Dubitatio dicit Galenus in cerebro calidiori excrementa eſſe pauca & cocta, quod non videtur: quia ſequeretur in febricitantibus excrementa melius coqui, & facultates naturales, quarum officia ſunt coquere, & expellere, robuſtiores eſſe: quod eſt omnino falſum.

Reſpondetur, Galenum in hoc loco loqui de cerebro exiſtente in latitudine ſanitatis, & non de ægro, in ſano enim ſeruatur mediocritas, & harmonia in qualitatibus: in ægro verò nequaquam: ratione verò illius harmoniæ fit bona coctio, quę non fit in ægro ob concentū, ſeu mediocritatem qualitatum diſſolutam.

2 Dubitatio videtur Galenus inſufficiens, dum ait excrementa cocta, & pauca per palatum, per nares, per aures, & oculos defluentia oſtēdere cerebrum eſſe temperaturæ calidæ, quaſi quod natura non habeat alia foramina manifeſta per quę poſſet cerebri excrementa expellere; os enim cuneale habet decem, & octo foramina, & ibi inſidet glandula, in quam vniuerſa cerebri pituitoſa excrementa reſtagnant, quæ deinde per eadem foramina percolantur. Præterea ocipitium habet ſeptem foramina; in oſſibus temporum vtrinque ſunt quatuor: quatuor quoque ſunt communia cuneali, ocipitio & temporibus, ecce quomodo natura poteſt caput expurgare non ſolum per nares, aures & palatum, ſed etiam per alios meatus: quare ſciri non poterit, dum pauca videbuntur defluere per palatum, nares & aures, an multa vel pauca ſint cerebri excrementa.

Reſpondetur, omnia foramina cunealis, per quæ re vera deſcendunt excrementa reſpōdere palato & naribus, quare ſufficit vt excrementa narium, & palati inſpiciamus, an ſint pauca, vel multa, cocta, vel cruda: Similiter foramina oſſium temporalium & ocipitij non expurgant excrementa; quia per ipſa vaſa vt venulæ, arteriolę, & nerui tranſeunt gratia ferendi nutrimentum vel ſpiritum vitalem, & animalem: natura enim in oſſe cuneali tamquam in loco decliui fabricauit glandulam, quæ cerebri excrementa recipit, & deinde percolantur per dictos meatus ad loca propoſita à Galeno, videlicet ad palatum, nares &c.

Argenterius Galenum lacerans inquit percipi non poſſe an excrementa palati ſint cocta nec ne: tanta eſt huius hominis contradicendi libido, vt propriæ ſciētiæ obliuiſcatur, nunquam enim ipſe negauit excremētorum craſſitiē cum pauca viſcoſitate indicare aliquam coctionē. Immo in ſuis commentarijs 3. partis huius libri, & alibi vbi agit de coctione ipſemet vult coctionem eſſe maturationem, & fieri incraſſando, & aſſimilando: Hinc excrementa quæ per nares & palatum effluant, ſi cocta ſunt effluunt craſſa cum pauca tenacitate, & puri ſimilima, mittamus igitur Argenterij ineptias, & temerarias quæſtiunculas.

CAPITIS XIV.

Particula IV.

Cum verò eis caput repletur, continuo enim a-ctum præſertim, cum nullam victus ſeruauerint rationem, tale quid eis accidit, plu-

ra quidem in ipſis excrementa, ſed non incocta generantur, implenturque: atque aggrauantur eorum capita à calidis cibis, & potibus, odoribus.

PRimum ſignum capitis calidi propoſitum in hoc tex. eſt caput calidum facile repleri: ac tum præſertim cum ab his nulla victus ratio obſeruetur, vel quando vtuntur cibis,& potionibus calidis,odoribuſq; fumoſis.

Secundum ſignum eſt, quod in ipſis plura,& non pauca, quamuis non omninò in cocta gignantur excrementa.

Dictum eſt ſuperius, coctionem ex Ariſt.4.meteororum cap.de coctione fieri incraſſando: dictum quoque eſt, nihil promptius incraſſare,quam caliditatem corporis exiſtentis in latitudine ſanitatis: quia ſeruat aliarum qualitatum ſymetriam, & inde reſoluit tenue,& relinquit craſſum, quod non eſt inutile.

1 Dubitatio non videtur, quod ea de cauſa humores coquantur, quia à calore incraſſantur,quia ſequeretur,quod calor febrilis, qui reſoluit tenues humores, & relinquit craſſos,efficeret bonam coctionem quod reluctatur experientiæ. Reſpondetur calorem non naturalem, ſeu febrilem id non efficere,quia non ſeruat aliarum qualitatum harmoniam; pungit enim vellicat, & ſemper irritat expultricem ad expellendos humores; vnde facultas retentrix, cum illos non retineat non reſoluit tenue, ſed neſcientes ſtare loco,modo in vnam, modo in aliam partem mouentur, & ita liquidi conſeruantur,hæcque eſt cauſa, cur vbi calor eſt febrilis,nulla fieri poſſit coctio, valet enim conſequentia, temperatura eſt calida, & in latitudine ſanitatis (quod nil aliud ſignificat,niſi quod in ipſa adhuc ſeruetur aliarum qualitatum mediocritas, & harmonia) ergo citius fiat concoctio, quam in temperatura ſana,& mediocri; quamuis coctio ſuſcipiat magis & minus, vnaque ſit perfectior altera,coctio enim quę fit à mediocri temperamento eſt melior; quia humor concoquendus eſt dulcior, & vt dulcior diutius retinetur, & tardius expellitur, vndè rectius, & commodius aſſimilatur.

QVÆST. LVI.

An odores calefaciant, & grauent Cerebrum?

QVia Gal. in tex. ait capita odoribus grauari,multi tamen philoſophi putant, odores eſſe ſpecies intentionales, quibus capita grauari non poſſunt;ideò breuius de hac re agemus.

Primum argumentum probans odores nec grauare nec calefacere cerebrum, deſumitur ab Ariſt. 2. de anima,& lib.de ſenſu,& ſen. cap.5.2. de anima 97. & ab Auerroe, vbi dicunt organum odoratus eſſe in naſo externo, quare cerebrum odoribus,nec grauabitur,nec calefiet.

Secundum eſt Auerrois 2. de anima comm.96.vbi dicit,odorem non egredi à corpore odorabili per ſpeciem realem, ſed per ſpecies intentionales eo modo, quo color intentionaliter peruenit ad oculum. Auerroes de hac re diſputans cõtra Auicennam addit, ſpecies intentionales non poſſe implere, grauare, vel calefacere, ergo odoribus capita impleri non poterunt,vt docet Galenus in tex.

Tertium,Auerroes loco citato probat, odores eſſe ſpecies intentionales, & non exhalationes, vel vapores emanantes ab odorabili; quia in nimia diſtantia,dum ſentiuntur odores, illico reſoluerentur corpora odorabilia,refert enim Vultures ad quingenta milliaria olfeciſſe corpora occiſa in bello Troiano: Hinc concludit, odorem non eſſe quid corporeum quod poſſit implere, calefacere,& grauare cerebrum.

Philoponus,Diuus Thomas,& Iandunus putant, odores realiter ferri ad aliquam ſpatij partem, ſed non realiter vſque ad ſenſorium,ſed intentionaliter,illo ſcilicet modo, quo fertur coloratum ad oculos.

Præterea Ariſtoteles negare videtur, quod odor ſit exhalatio:quia 12.ſect.problem. 10. probat contra Democritum, odorem non eſſe exhalationem, ibi enim dicit, ſi eſſet exhalatio, odorabile ſemper diminueretur, & ſic non duraret, quod eſt contra experientiam, quia corpora perexigua odorem proprium diutiſſimè conſeruare poſſunt.

Demum

Demum idem Ariſtot. libro de ſenſu cap. 5. ait, piſces odorare in aqua, & à longè: nihilominus non eſt dicendum, corporalem exhalationem ferri per aquam, quia deſtrueretur, vel impediretur.

Galenus tamen cum Platone (vt refert 8. de vſu partium cap. 6.) & Albertus Magnus in ſumma de auditu: Simplicius in antepræ dicamentis; & Auicennas, qui reuera in hac re aliquando eſt varius) putant, odorem eſſe exhalationem, & non ſpeciem intentionalem, hancque dicunt peruenire ad proprium organum odoratus, quod re vera ſunt proceſſus mamillares, & non naſus externus, vt Ariſtoteles, & Auerroes arbitrati ſunt.

Prima experientia, quæ nos cogit ad credendum, odorem non eſſe ſpeciem intentionalem, eſt hæc: quia venti odorum tranſitum non impedirent, cum igitur impediantur à ventis, erunt corporei, & vt tales caput replere & calefacere poterunt.

Secunda experientia eſt: ſi odor eſt in vaſe omninò occluſo, non ſentitur, attamen dum aperitur vas, ſtatim ſentitur, ergo odor eſt quid corporeum, & non ſpecies intentionalis incorporea.

Tertia experientia ex Galeni auctoritate comprobata eſt, dum inquit cerebrum odoribus repleri: ſpecies enim intentionales ſi eſsent infinitę non poſsent replere cerebrum formicæ; ergo nullo modo odor ſi replet cerebrum erit ſpecies intentionalis.

Demum Ariſt. lib. de ſenſu, & ſenſ. cap. 5. admonet, cerebrum frigidnm ab odoribus calefieri & iuuari? quare cum ſpecies intentionales nec calefaciāt, nec vllum efficiant effectum realem, ſequitur quod etiam auctoritate Ariſtotelis odores ſint exhalationes, vel portiones ſubtiles corporeæ ſubſtantiæ odorabilis, quæ cum ſua natura ſint calidæ, & corporeæ poſsunt non ſolum calefacere, verum etiam replere, & grauare cerebrum.

Ad primum argumentum deſumptum ab auctoritate Ariſtotelis dicentis ſenſorium odoratus non eſse in cerebro, idest non eſse proceſsus mamillares, vt cumulatiſſimè à Gal. probatur in libello de inſtrumento odoratus, & ab omnibus Anatomicis, ſed eſse externum naſum, reſpõdemus reflectendo, quod ſi naſus eſset ſenſorium odoratus, cerebrum ab odoribus qui ex eorum ſententia ſunt ſpecies intentionales non calefieret, grauaretur vel repleretur.

Ad ſecundum argumentum deſumptum ab auctoritate peripateticorum, quod ſcilicet odores ſint ſpecies intentionales, dicimus nullius eſse roboris: quia reluctatur experientiæ, & ſenſibus ipſis: videmus enim ventos impedire odorum tranſitum.

Ad tertium, & quartum, quod ſi odorabile emitteret tam longè ſubtilem eius ſubſtantiam, illicò deſtrueretur, & quod Vultures per quingenta milliaria olfecerint occiſa corpora in bello Troiano, Reſpondemus odorabilia ſemper reſolui, & pondere diminui: ſi enim pomum hodie ponderaueris, die ſequenti illud inuenies minoris ponderis; ſimiliter muſcus non occluſus citius minuitur, nos quoque oſtendimus in libris noſtris de ſtatica medicina ab humano corpore tractu vnius diei vltra quinquaginta vncias ſubtilis corporeæ ſubſtātię per inſenſibilem perſpirationem euacuari; quæ niſi per nouum alimentum remitteretur ſpatio tridui anima exhalaret. Quo ad Vultures, qui tam longè olfecerunt, dicimus ventos ſæpè deferre exhalationes in loca diſtantiſſima. Accedit, quod Vultures habent proceſsus mamillares admodum decliues, & in roſtrum tendentes, ſicuti canes & feles, quę animalia mirificè valde diſtantia olfaciunt, quod hominibus non conuenit; quia eorum proceſsus mamillares à naribus magis diſtant.

Ad poſtremum, ſuppoſito quod piſces in aqua à longè odorent, dicimus exhalationem realiter communicari aquæ eo modo, quo aeri; ſed quia obijciunt, quod ſi communicaretur aquæ realiter, daretur penetratio corporum. Reſpondemus cum Auicenna aquam cedere exhalationi, quamuis non ita promptè, vt aer.

Colligimus itaq; odorem eſse exhalationem ſiccam & tenuiſſimam, eſseque partem ſubſtantiæ rei odorabilis, & non ſpeciem intentionalē. Demum per ipſam practicā probamus; quia ſi hodie perpendamus lance exquiſita muſcum, cras erit minoris ponderis; Hinc dicimus exhalatio-

tione caput repleri poſſe per ſe vt calida, & vt corporea; per accidens verò quatenus ratione ſui caloris cerebrum noua attrahat excrementa.

QVÆST. LVIII.

An proceſſus mamillares ſint præcipua pars organi odoratus.

EX Gal. in tex. ſuperiori odores replent, & aggrauant cerebrũ: par igitur eſt, vt videamus ad quam partẽ cerebri perueniãt odores, & quænam ſit organi odoratus præcipua pars. Maximũ enim eſt diſſidium inter medicos & philoſophos de parte præcipua organi odoratus: Medici omnes putant præcipuam partem, cui attribuitur actio odorandi, eſſe proceſſus mamillares; Ariſtoteles verò, & Auerroes aiunt, eſſe neruum exiſtentem in naſo externo.

Ariſtoteles 2. de anima tex. 100. lib. de ſenſu & ſen. c. de odoratu; Auerroes 1. colliget cap. 7. & lib. 2. c. 17. putant præcipuam partem, quæ habet actionẽ odorandi eſſe in naſo externo; dicuntq; ibi reperiri cooperculum ad ſimilitudinem valvulæ, quod ſolum, dum inſpiramus, aperitur, quo aperto odores ſtatim perſentimus: Auerroes verò locis citatis de hac re diſputat contra Auicennam, Galenum, & omnes medicos.

Prima ratio Auerrois probans, proceſſus mamillares non eſſe præcipuam partem organi, hęc eſt: proceſſus mamillares ſunt ipſamet ſubſtantia cerebri: ſed ſic eſt, quod cerebrum caret ſenſu, ergo actio odorandi, quæ eſt ſenſitiua, non poteſt ab his proceſſibus inſenſatis prouenire: ſequitur ergo quod actio odorandi præcipuè proueniat ab aliqua parte, quæ habet ſenſum, & hanc eſſe neruum tertiæ coniugationis irrigantem membranam externi naſi.

Secunda ratio, ſi organum odoratus eſſet in proceſſibus mamillaribus, ſequeretur, quod naribus obturatis æquè bene, ac apertis per palati foramẽ, quod in nares terminatur, fieret olfactus; ſed hoc non fit: quia obturatis his meatibus, nihil odoris percipimus; ergo non in proceſſibus mamillaribus erit organum odoratus, ſed in naſo externo: hæ ſunt rationes potiores Auerrois, & Peripateticorum.

Ex altera parte ſunt Hippocrates, Galenus Auicennas, Philoponus, Albertus Magnus, & omnes Anatomiſtæ, qui putant præcipuum organum eſſe proceſſus mamillares. Hippocrates lib. de principijs docet, cerebrum olfacere trahendo odorem vnà cũ aere per opercula cartilaginoſa. Galenus 8. de vſu partium c. 6. & lib. de ſympt. cauſis, ſimiliter libro de inſtrumento odoratus diffusè diſputat contra Ariſtotelem, probatque actionem odorãdi prouenire à proceſſibus mamillaribus, & non à naſo externo; vtiturque contra Ariſtotelem argumento ex ſufficienti partium enumeratione, quod tale eſt: ſenſus odoratus non fit ab oſſe, vel à cartilagine naſi, quia carent ſenſu: non à neruo, vel membrana, quia huiuſmodi neruus, & membrana ſunt cõmunes linguæ, & palato: ſi igitur hæc haberent vim olfaciendi, vbique odores perciperentur: ſimiliter ſi muſco naſũ impleres, per hunc neruum, & hanc membranam ſine inſpiratione odorem ſentires, quod repugnat experientiæ; quia nullus odor ſentitur ſine præcedẽti inſpiratione: hæc enim fert odorem ad partem interiorẽ, ſequitur ergo, non in naſo, ſed in parte anteriori eſſe organum odoratus. Quoad cooperculum, quod ex Ariſtotele eſt inſtar valuæ, dicimus experimenta anatomica illud non admittere. Præterea idem Ariſtotelis cooperculum à Galeno lib. de inſtrumento odoratus hac pulcherrima experientia reijcitur; immittatur fiſtula in nares, & per fiſtulam aer vel liquor cũ aliqua violentia impellatur, cohibita tamen inſpiratione, tunc omnes cõcedent quod hęc violentia cooperculum, ſi adeſſet, aperiret. Præterea ſi in cooperculo eſt vis odorandi, cur cohibita inſpiratione non ſentiuntur odores? quare cooperculum, in quo ab Ariſtotele ponitur virtus olfaciendi, eſt quid fictitium. Neque obijciant retorquendo argumentum: ſi proceſſus mamillares eſſent pręcipua organa odoratus, tunc odor, vel aer impulſus per fiſtulam, etiam cohibita inſpiratione, ſentiretur: quia Galenus huic obiectioni reſpondet, quod dum cohibetur

inſpi-

inſpiratio, nullo modo aer impulſus per fiſtulam poſſet illuc peruenire, quoniam illa ſpatia vſque ad proceſſus mamillares ſunt plena, intus enim apparens prohibet extraneum; dum verò inſpiramus, fertur odor ad proceſſus mamillares, & illicò odoratur.

Auicennas cap. de odoratu; Philoponus lib. 2. de anima; Albertus Magnus, & omnes Anatomiſtæ antiqui, & moderni putant præcipuam partem organi odoratus eſſe proceſſus mamillares; omneſque reijciunt illud Ariſtotelis cooperculum, quia re vera non inuenitur: ſupra enim nares in parte interna ſunt proceſſus mamillares, deinde verſus partes exteriores eſt os ithmoide, cuius pars ſuperior eſt ferè ad cerebri baſim ſita, & eſt perforata ad inſtar cribri, ideo dicitur cribri forma, habetq; in medio apophyſim, quam criſtã galli vocant, pars verò interior oſſis ethmoidis ſequitur, quæ eſt mollis, & dicitur os ſpongioſum, in qua parte Anatomici credunt, aerem cum odore inſpiratum aliquantulum alterari, & ſine illa alteratione odorem non fieri.

Ad primum argumentũ Auerrois primò dicimus, cerebrum ſentire ſaltem ratione membranæ illud circumuoluentis, quæ acutiſſimo ſenſu donata eſt. Secundo dicimus, cerebrum ſentire, vt ait Philoſophus ἐνεργητικῶς, ideſt virtualiter, & non παθητικῶς, ideſt paſſiuè, & materialiter, ſimili modo dicimus de humore cryſtallino, qui ſeparatus à neruo eſt nullius ſenſus, tamen ab illo veluti ab organo actio videndi præcipuè prouenit.

Ad ſecundum reſpondemus, quamuis in palato ſit meatus quidam patériſſimus, per quem poſſent odores naribus etiam occluſis ad proceſſus penetrare, odores tamen egere aliqua præparatione, antequam in proceſſibus mamillaribus ſentiantur; ſicuti quoq; accidit, dum fit viſio, quæ antequam fiat in cryſtallino, ſpecies viſibiles egent humore aqueo, vt refrangantur, & in turbinatam cuſpidem redigantur, aliter non fieret viſio.

Quo ad cooperculum ad inſtar valuæ, quod ex Ariſtotele 2. de anima tex. 100. aperitur, dum fit inſpiratio, & clauditur, dum ceſſat; reputatur à Galeno in lib. de inſtrumento odoratus figméntum, quod paulo ſupra nos reiecimus.

Concludimus itaque cum Hippocrate, Gal. & Anatomiſtis; præcipuum organũ odoratus eſſe proceſſus mamillares: Addimuſq; nos pro confirmatione huius opinionis; quod inueniantur carentes externo naſo, qui ob vlcera exedentia totus exeſus ſit: Iſti tamen ſentiunt odores: Quare non naſus externus ſed aliud inſtrumentum ſupra os cribriforme erit præcipuum organum odoratus: taleque non poteſt eſſe, niſi proceſſus mamillares, qui immediatè ſupra os cribriforme locati ſunt.

CAPITIS XIV.

Particula V.

Atque hiſce omnibus, quæ extrinſecus occurſant, in quorum numero eſt, & qui nobis circumfunditur aer, ſed præterea magis, ſi non ſolum natura calida, ſed etiam humida talia extiterint.

DOcebat in tex. ſuperiori, caput tunc eſſe dicendum calidum, quando facilè cibis, & potibus, atque odoribus impletur, ſeu grauatur. In hoc tex. verò duo facit: primò proponit hanc vniuerſalem propoſitionem, caput tunc dici calidum, quando ab omnibus, quæ extrinſecus occurrunt, & præcipuè ab aere nocino grauatur: aer enim facillimè replere, & grauare caput poteſt; quia id efficit per ſe, & per accidens, per ſe, quando auſtrina humiditate eſt contaminatus: per accidens, quando eſt cænoſus, & nimia humiditate, & craſſitie obſtruit, & obſtruendo impedit, ne libera fiat capitis perſpiratio: qua retenta excitari ſolet in capite calor præter naturam, qui deinde attrahat, & illud impleat. In ſecunda parte huius text. facit comparationem inter temperaturam cerebri calidam tantum, & temperaturam calidam iunctam cum humiditate: concluditque, cerebrum calidum & humidum magis lædi ab externis cauſis propoſitis, quam cerebrum calidũ non iunctum cum humiditate.

Iis quæ extrinſecus occurrunt, facilè caput calidum grauari ſolet, quæ præter cibum

cibum, & potum calidum, odores,& aerem, ſunt coitus, nimium exercitium,nimia vigilia,& animi paſſiones.

Ex his igitur cauſis non naturalibus prout nocent, vel iuuant colligere poſſumus internas capitis diſpoſitiones; quia, ſi cibo, & potu calido capita grauari obſeruauerimus,dicemus temperaturam illius cerebri eſſe calidiorem temperato & moderato: ſimiliter ſi viderimus aliquod caput ab odoribus facilè grauari,inter ca pita calidiora temperato illud collocabimus.

Similiter ex iuuantibus ſtatum,& temperaturam cerebri dignoſcemus: quia, ſi cibus & potus calidus caput iuuant, dicemus non eſſe calidum, ſed potius frigidius temperato: Itidem ſi ab aere calido, & ab odoribus caput iuuetur, non calidus, ſed potius frigidius iudicabitur. Hinc Ariſtoteles lib. de ſenſu, & ſenſili admonet, ſuffitum aromatum eſſe remedio intemperiei frigidæ cerebri. Per frigidam intemperaturam cerebri intelligimus minus calidam, quam ſit moderata: nulla enim pars in viuente eſt abſolutè frigida. Quod verò odorata repleant caput calidum, immo dolorem capitis excitent, colligitur ex Hippocrate 5. aphor. 28.vbi dicit,ſuffitus aromatum muliebria ducere,& ad multa alia conferre, niſi capitis dolorem induceret. Ad eundem modum coitus ex Galen.5.de morbis vul. tex.23. corpora calefacit: quare inter extrinſecus occurſantia calida numerari poſſunt: Hinc,ſi coitus immoderatus illicò calefaciet caput,iudicabimus illud eſſe calidius temperato; quod verò coitus immoderatus calefacere poſſit totum, & quamlibet corporis partem colligitur ex hiſtoria Adoleſcentis Melibeæ,qui, vt legitur 5.de morbis vulgaribus text.23. vſu nimij coitus in maligniſſimam febrē incidit; Itidem Hippocrates 8. de morbis vul.text.38. ait ſatyrum ob nimiam ſeminis eiaculationem tali calore fuiſſe correptum, vt tabidus factus ſit; inde igitur inferre poſſumus, ſi coitus calefaciat totum, vel aliquod viſcus plus ſolito, temperamentum totius, vel illius partis eſſe calidius temperato & mediocri ſtatu: ſi verò non calefaciet,temperamentum eſſe frigidius temperato.

Nimium exercitium calefacere poteſt totum, & caput; quare ſi plus debito calefient, dicemus totum, vel caput eſſe ſua natura calidius temperamento mediocri: quomodo verò motus calefaciat cerebrum,colligi poteſt ex Ariſtotele 5.probl. 9.& ex Theophraſto libr. de laſſitudine, vbi habetur tam in brutis,quam in hominibus,nimium exercitium afficere capita morbis calidis; quia in curſu veloci, vel nimio exercitio retinetur ſpiritus, vel debita reſpiratio, qua retenta non euacuantur fuliginoſa excrementa, quæ deinde,vt mordacia & calida pectus, & caput calefaciunt & implent; valebit ergo conſequentia,ob nimium exercitium caput facilè repletur, ergo eſt calidius temperato; ſimiliter poſt nimium exercitium caput nihil patitur, ergo non eſt calidius temperato.

Nimia vigilia ratione motus calefacit; ratio eſt, quia in vigilia ſpiritus ſunt in perpetuo motu,vnde fiunt acres, & calefaciunt caput; tunc verò dignoſcitur, nimiam vigiliam calefacere, quando tactu caliditas capitis perſentitur; quare valet conſequētia,vigilia calefacit caput, ergo eſt calidius temperato; Hæc ſigna ſunt certiſſima,& præcipuè in ſyndromen collecta; ſupponamus enim ſemper oportet in toto hoc lib. in perquirendis temperaturis eſſe procedendum per ſignorum ſyndromen.

Aer verò æſtiuus, ſi caput facilè inflāmet,vel dolorem inducat,nullo alio commiſſo externo errore dicendum eſt,caput eſſe calidius temperato.

Animi paſſiones ratione motus calefaciunt; quare ſi ab his caput plus iuſto calefiet, ſimiliter dicemus, caput eſſe calidius tēperato; quomodo verò animi paſſiones calefaciāt.Nos lib.7.de ſtatica med. declarauimus; Quæ verò præcipuè calefaciunt caput ex Galeno ſunt ira,& pericaria;primo enim de differentijs febrium cap.3.ira calefacit duplici modo, altero, quia incendit ſpiritum natiuum, altero, quia cum impetu mouet ſpiritum à centro ad circumferentiam,mæſtitia verò calefacit, quia cum impetu mouet ſpiritum ad cor, pericaria idest nimium gaudium calefacit, quia diffundit ſpiritum à centro ad circumferentiam, paulo poſt tamē re-

reſoluuntur ſpiritus, & corpus frigeſcit; His hunc in modum conſtitutis facilè colligemus, quando capita erunt calidiora temperato.

Præterea non eſt mirum ſi caput extiterit non ſolum calidum, verum etiam humidum plus quam ſit temperatum, magis fore obnoxium repletioni; quia humiditas iuncta caliditati laxat caput quo laxato magis excrementis impletur, & grauatur.

CAPITIS XIV.

Particula VI.

Breuibus autem ſomnis huiuſmodi temperatura contenta ſunt, neque admodum profundis.

QVi ſunt cerebro calidiori, quam ſit temperatum, breues quoque ſomnos habent, & non profundos; ratio eſt, quia, ſi cauſa ſomni eſt frigiditas, vt putat Ariſtoteles vel humiditas, vt Galenus, cerebrum calidum cito ſuperat frigiditatem, & cito humiditatem reſoluit, cum igitur cito hę qualitates ſuperentur, merito docet, ſomnos in his ex neceſſitate fieri breues, & non profundos: profunditas enim à cauſa mulum humectante prouenit, quæ cerebris calidis, & ſanis de quibus in hoc loco loquitur Galenus, non conuenit.

Differentiæ inter Ariſtotelem & Galenum de ſomno hæ ſunt. Ariſtoteles putat, radicem omnium ſenſuum eſſe cor: ideo, cum ſenſus ob ſomnum quieſcant, putat, in ſomni generatione eſſe affectũ cor; Galenus verò negat, cor eſſe radicem ſenſuum: & merito, quia à corde nullus nervus exoritur, qui poſſet eſſe radix ſenſuum exteriorum.

Ariſtoteles libro de ſomno & vigilia cap. 2. & Auerroes 2. colliget cap. 21. cenſent, ſomnum eſſe omnimodam quietem & vinculum ſenſuum exteriorum; Galenus verò primo de ſymptomatum cauſis cap. 8. negat, in ſomno dari hanc omnimodam quietem: aliqui enim dormiunt ambulando, vel ſedendo, vt refert Gal. 2. de motu muſculorum cap. 4.

Ariſtoteles autem lib. de ſomno & vigilia cap. 5. ait, vapores qui petunt caput, & ſomnum efficiunt incraſſari à frigiditate cerebri, atque ad inſtar pluuiæ condenſari & obſtruere meatus, ne ſpiritus uel eorum radij defluant ad ſenſoria, quæ ſi priuantur ſpiritibus animalibus, uel eorum radijs ſenſu priuantur, & ſomnus fit. Galenus uerò concedit in ſomno, ſpiritum non defluere ad ſenſoria; negat tamen, quod uapores à frigiditate cerebri incraſſentur; ait enim dum incraſſantur à frigiditate, fieri coma ſeu lethargum; putatq; in ſomno naturali cerebrum humiditate irrigari, quæ eſt illa, quæ impedit defluxum ſpirituum ad ſenſoria.

Ariſtoteles lib. de ſomno & uigilia, & Auerroes 2. colliget c. 21. putant in ſomno fieri reuerſionem uirtutis ſenſitiuæ ad cor tanquam ad ſuum principium; Galenus uerò ait fieri reuerſionem uirtutis ſenſitiuæ non ad cor, ſed ad cerebrum; omnes tamen Medici concedunt, interna in ſomno eſſe calidiora, quod negant Peripatetici; Hippocrates enim 6. epid. 4. tex. 14. docet, quod uigilans magis calcat exterius, dormiens uerò interius; Galenus autem 2. aph. comm. 1. ait ex motione calidi innati ad intra fieri ſomnum, ad extra uerò uigiliam.

Ariſtoteles uerò cenſet in ſomno cor refrigerari, quia uapores in cibi coctione caput petunt, & à frigiditate cerebri incraſſantur, atque ad inſtar pluuiæ peruenire ad cor, illud refrigerantes; Galenus autem negat inter dormiendum cor refrigerari; humoreſque frigidos ad cor confluere; immo dicit cor calefieri; quod ex eo probat, quia in ſomno pulſus; ſunt uehementiores.

Præterea Ariſtoteles ait, cerebrum in ſomno refrigerari; Galenus humectari, etſi aliquando refrigeretur, id (ut ait 1. de ſympt. cauſ. c. 8.) ex accidenti contingere, ex cauſa ſcilicet morbifica, quæ coma, uel lethargum efficiat: Hinc 3. de locis affectis 5. aſſerit, ſomnum non naturalem fieri à frigiditate, naturalem uerò ab humiditate; ſomnus enim, qui opij uel papaueris ui excitatur, non eſt naturalis, ſed preter naturam, ea uerò, quæ humectãt ſunt, quę naturalem ſomnum conciliant, ut balnea aquę dulcis, lac amygdalinum, ſeu eius oleum. Hinc Paulus Ægineta lib. 1. c. 47. paucis ſomnum definiens ait, ſomnus

tus eſt virium animalium requies ex vtili humiditate madefaciente cerebrum; quæ definitio deſumpta eſt à natura rei, & digna tanto Auctore.

Ariſtoteles cenſet cerebrum in viuentibus eſſe actu frigidum, Galenus verò diſputat contra Ariſtotelem & probat eſſe actu calidum, eo quia in vulneribus profundis capitis, vbi ſectæ ſunt quoq; membranæ, ſi cerebrum tangatur, actu calidum ſentitur.

Colligimus, ſomnum eſſe quietem ſenſuum exteriorum, ſed non omnimodam, vt putabat Ariſtot. fieri, quia ad internam partem cerebri, & non ad cor reuocetur virtus ſenſitiua: dicimusq; in ſomno nullo modo cor refrigerari, quia cerebrum eſt actu calidum: ſpiritusq; animales non recurrere ad cor tãquam ad radicem, quia nulla eſt radix, nullusq; eſt neruus à corde ortus à quo virtus ſenſitiua poſſit enaſci, & ad quem poſſit recurrere.

1 Dubitatio: dicit Gal. in cerebro calido non fieri ſomnos admodum profundos; attamẽ refertur à Plutarco de Lucio Sylla, quod repurgata Italia à ſeditionibus ob lætitiam in profundum & dulcẽ ſomnum inciderit, ergo non ob cerebrum calidum, vel frigidum ſomnus fit profundus, ſed ob lætitiam: ſimiliter ſunt nonnulla externa, quæ mirificè conciliant ſomnum, vt ſunt cantus ſuaues, tenebræ, frictiones pedum, lotiones, & blandus tactus digitorum pedum; ſimiliter motus circulares, vt in cunis puerorum obſeruatur, & demum aquarum decurrentium vel ſtillantium ſtrepitus.

Solutio: concedimus iſtas cauſas externas eſſe adiuuãtes; ſed in cerebro frigidius profundiorem ſomnum, quàm in calidiori excitare. Quo ad lætitiam Lucij Syllæ, dicimus, ſedato eius animo, virtutem ſenſitiuam facilè ad interna refugiſſe, & ideò in ſuauem ſomnum profundum incidiſſe: animi enim perturbationes detinent in ſenſorijs virtutem ſenſitiuam: impediuntque ne recurrat ad interna, vt quieſcat: implicat enim, vt vigeant animi perturbationes, & eodem tempore virtus ſenſitiua quieſcat: quo ad periculum ſeu ad animi lætitiam attinet concedimus, illam non efficere ſomnum, ſed potius vigiliam: dicimus Syllam non ob nimiam lætitiam incidiſſe in dulcem ſomnum, ſed quia ſedatæ, & ablatæ fuerunt cauſæ animi perturbationum. Quo ad illa externa, quæ conciliant ſomnum, vt cantus, tenebræ, & aquarum ſtrepitus, dicimus, hæc ſomnum conciliare diſtrahendo mentem ab omnibus cogitationibus, qua diſtracta virtutẽ ſenſitiuam recurrere ad interna, & ſe tradere quieti: ſimili modo ſi vnguentum populeum temporibus applicetur, virtus ſenſitiua recurrit ad cerebrum, quia à frigiditate vnguenti repercutitur & repercuſſa craſſior fit, vnde ſomnus.

CAPITIS XV.

De ſignis cerebri frigidioris.

Tex.22. *Frigidioris verò, quam oporteat, cerebri inditia ſunt plura in proprijs meatibus excrementa, & capilli recti, & ruffi, & ſtabiles, & qui longo poſt natiuitatem tempore naſcuntur tenues, atq; ab initio malè nutriti, & facilè à cauſis frigidis offenduntur, atq; hoc ipſo offenſionis tempore deſtillationibus, & grauedinibus capiuntur, neq; ſi tetigeris partes ad caput attinentes admodũ calida ſentiuntur, neque ſi inſpexeris, rubicunda apparent, & oculorum venæ omninò viſum effugiunt, & ſomnolenti quodammodo ſunt.*

PRoponit Galenus ſigna cerebri frigidi intelligens per cerebrũ dum, quod eſt minus calidum, quam temperatum: Optimaq; ratione ſtatim poſtquam egit de calido cerebro, agit de frigido: quia oppoſita iuxta ſe poſita magis eluceſcunt: vel quia, vt dicit Ariſtoteles primo topicorum c.8. contrariorum eadem eſt diſciplina, quia 2. de generatione & corruptione tex. 56. cõtrariorum contrariæ ſunt cauſæ: quare facilius vno oppoſitorum cognito cognoſcitur & alterum.

Primum ſignum cerebri frigidioris eſt, *dum plura exerementa apparent in proprijs meatibus*, id eſt in naribus, palato, & oculis: ſicuti enim in capite calido erant pauca, ſic in frigido erunt plura ob contrarias cauſas: in calido enim attenuantur excrementa, & in halitum reſoluuntur,

tur : in frigido verò incraſſantur, & ſi n-ſibiliter euacuantur: in calido excrementa apparent cocta, quia virtus concoctrix eſt fortis; in frigido virtus eſt debilior, vnde plura & incocta excrementa fiunt.

Secundum ſignum: ſunt *capilli recti*: in calido cerebro capilli apparent criſpi ob ſiccitatem & calorem: in cerebro frigido apparebunt recti; quia in frigido ob inconcoctionem humiditas neceſſario dominatur.

Tertium ſignum, *pili ſunt ruffi*: in codice græco legitur ξυρ'αὶ, ideſt fulgidi; color fulgidus non eſt ita intenſi coloris, vt ruffus; ſolent enim colores intenſiores maiorem indicare calorem; nigerrimus enim color indicat caliditatem intenſiorem; ruber minus intenſam, ruffi vel fulgidi, quia carent intenſione, nullum ſupponunt caloris exceſſum, ſed potius (niſi alia ſigna obſtent, defectum; ſuppoſitum enim eſt in hoc libello tamquam axioma, nullum ſignum ſeorſum conſideratum eſſe temperaturarum indicatiuum, niſi prius eius probabilitas aliorum ſignorum ſyndrome expurgetur.

Quartum ſignum, *capilli ſunt ſtabiles*: valet enim conſequentia, cerebrũ eſt frigidum, ergo cutis non eſt ſicca; cutis non eſt ſicca, ergo non patitur caluitium; non patitur caluitium, ergo capilli ſunt ſtabiles, cerebrum enim calidum exſiccat cutim, qua exiccata decidunt capilli, perinde ac lata folia in autumno.

Quintũ ſignum *tardè pili naſcuntur*: ratio eſt, quia calor eſt cauſa immediata fuliginis, ex qua pili oriuntur; dum igitur calor eſt exiguus, ſolum poſt longum tempus fuligines efficiuntur.

Sextum ſignum, *capilli ſunt tenues*, & in *pueritia malè nutriti*: quod ob defectum fuliginum fit.

Septimum à *frigidis offenduntur*: quia vbi nulla eſt reſiſtentia, ibi facilis eſt tranſitus; iſti enim pati ſolent morbos frigidos, vt deſtillationes, grauedines, & difficiles reſpirationes, &c. Notandum hoc ſignum ſeptimum eſſe deſumptum à iuuantibus & lædentibus; dictum. n. eſt ſuperius, aerem calidum facilè lædere caput calidum; hic verò dicimus, aerem frigidum facilè lædere caput frigidum.

Ego lib. 6. methodi vitandorum capite 7. propoſui omnes locos indicantes dominium frigidorum & pituitoſorum ſuccorum; hic quoque paucis illos proponimus; Quinque igitur ſunt loci indicantes temperaturas, qui deſumuntur à iuuantibus, & lædentibus.

Primus locus deſumptus à iuuantibus, & lædentibus eſt ab euacuatione; ſi enim iuuat frigidorum euacuatio, ſignum eſt patientem frigidis humoribus abundare, & frigida intemperie vexari; ſimiliter, ſi euacuatio frigidorum excrementorum facta per nares, & palatum iuuat, dicemus, cerebrum eſſe frigidum.

Secundus locus, qui indicat partem eſſe frigidam, eſt, quando videbimus partem iuuari à calidis, & lædi à frigidis.

Tertius deſumitur à ieiunio, quia ſi ieiunium iuuat, neceſſario pituita, & frigiditas dominatur; Galenus enim ſecundo de ratione vict. 32. laſſitudo & ſitis ſi ieiunio tolluntur, ait, indicari pituitam; 6. de morbis vulgaribus comm. 3. tex. 28. ſi ieiunium tollat laſſitudinem, & ſitim, ait homines abundare pituitoſis ſuccis.

Quartus locus deſumitur à ſomno; ſi ſomnus tollit ſitim, valet, ergo pituitoſus ſanguis abundat; Galen. enim 6. de morb. vulg. comm. 4. tex. 23. ait, ſomnus tollit ſitim, quia in ſomno ſanguis humectat partes internas, quas petit.

Quintus locus colligitur à febre, valet enim iuuat febris, ergo pituita & diſpoſitio frigida dominatur; eſt enim Galeni ſententia 6. aphoriſ. 44. his verbis propoſita; *nouimus febrem illis tantum morbis conferre, qui ex frigiditate ſunt ſola, vel cum humoribus crudis, & flatuoſis ſpiritibus*; ſimiliter aphoriſm. 57. docet Hippocrates, febrem ſoluere ſpaſmum, & tetanum, quæ ægritudo à frigidis humoribus fit; ecce quam mirabilem fructum colligere poſſimus ex hoc ſeptimo ſigno à Galeno propoſito; ſi enim cætera ſigna tibi non obſtiterint, habuerisque aliquem locum ex his quinque deſumptis à iuuantibus & lædentibus poteris certa & demonſtratiua ſcientia inde colligere ſtatum, & temperaturam capitis, vel alterius partis.

1 Dubitatio; habetur in tex. capita frigi-

da

da à frigidis lędi;non videtur verum;quia ſana capita,de quibus hic agitur ſimilibus iuuantur, & non læduntur; ergo.

Reſponſio facilis eſt, quia ſolum ſalubria ſunt illa quæ ſimilibus conſeruantur; Galenus vero agit hic de cerebro ſano, ſed inſalubri;omnia enim inſalubria contrarijs iuuantur, & ſimilibus læduntur; dantur enim in latitudine ſanitatis ſalubria, inſalubria, & neutra, ut ſuperius ex Galeno probatum eſt.

Octauum ſignum deſumitur ab exeūtibus, quod ſcilicet, qui habent frigidum cerebrum facile, & leui de cauſa patiantur deſtillationes, & grauedines. Hoc ſymptoma vocatur exiens mutatum, de quo valet conſequentia, eſt huiuſmodi exiens, ergo retentrix eſt læſa, diminuta ſcilicet vel ablata; ſimiliter retentrix eſt læſa, ergo vel ob læſam conſtitutionem, vel ob externum obiectum, quòd duobus modis lædere ſolet, vel nimio potu & cibo, vel dum humores confluxi ad cerebrum ſunt mordaces, & irritantes expultricem facultatem; quod cognoſcitur ex qualitate catarrhi ſalſi, vel inſuauis, & putridi, vel mali odoris,vel coloris,deinde vlterius pergimus dicendo,hoc vitium eſſe in capite vel ob læſionem prodeuntem à capite,vel ob vitium ſanguinis; docet enim Galenus 2.de differentijs febriū capite vltimo, caput aliquando nil pati, ſed ſolum ſanguine vitiato fieri catarrhū, quare ſi volueris inſtituere examen, an grauedo, vel deſtillatio fiat vitio capitis, vel vitio alterius; hæc quæ propoſuimus debes expendere; ſed ſi adhuc diſtinctius volueris intelligere hanc rem, legere poteris primum librum methodi noſtræ cap.6.& 27.vbi fusè de hac re ſermonem habuimus.

Nonum ſignum eſt ſymptoma in qualitate mutata; dicit enim Galenus, ſi tetigeris partes attinentes ad caput, nunquā admodum calidas inuenies;ratio eſt,quia ſi pars interna eſt frigida, externa ſanè non erit calida.

Decimum ſignum cerebri frigidioris temperato ponitur,faciem non eſſe rubicundam, ratio eſt, quia à cerebro frigido ſanguis non attrahitur, qui faciem rubicundam reddat; accedit quod frigiditas cerebri ſupponat vaſa, & meatus anguſtos, ineptos videlicet ad ſuſcipiendam ſanguinis multitudinem.

Vndecimum; venæ oculorum ſunt adeo exiguæ,vt viſum effugiant, & non videantur; dum enim naſcimur cū cerebro frigido, cor, & iecur concurrunt ad efficiendam hanc intemperiem;Hinc eſt impoſſibile, vt in corpore cor, & iecur ſint valde calida,& cerebrum frigidum; cauſa igitur, cur venæ non appareant, eſt iecur, & cor; venæ enim à iecore, arteriæ verò à corde,& non à capite prodeunt.

Duodecimum ſignū deſumitur à ſomno; ait enim Galenus, qui habent caput frigidum quodammodo ſunt ſomnolenti; ideò ualet, caput calidum habet breues ſomnos; ut dixit Galenus ſuperius, ergo frigidum longos; egimus enim ſuperius, unde fiant ſomni longi, & breues, diximuſque ex opinione Galeni, & Ariſtotelis, uigiliam eſſe defluxum ſenſitiuæ uirtutis ad ſenſoria, ſomnum uero eſſe dum retinetur iſte defluxus, ne ad ſenſoria perueniat; in cerebro calido nō poteſt diu detineri defluxus,quia calidi proprium eſt mouere,dilatare, & diffundere à centro ad circumferentiam; in cerebro uerò frigido diu poteſt detineri, quia de ratione frigidi eſt quies, & retractio caloris ad imma gratia coctionis; cauſa enim finalis ſomni eſt, ut per concoctionem calor deperditus reſtauretur;& cum duplex ſit calor, innatus, & influens, uterque indiget ſomno, ut reſtauretur uirtus ſēſitiua,& foueatur calor innatus.

CAPITIS XVI.
De ſignis ſiccioris cerebri.

Tex.23. *Siccioris autem cerebri indicia ſunt pauca ſuperfluitates effluentes, & ſenſuum perſpicacitas. Sunt autem ad vigilias promti, & capillos habent robuſtos, & qui celerrimè eis ſtatim innaſcuntur. Criſpi autem potius ſunt, quam recti. Cito autem calui ſiunt.*

Galenus prius tradidit ſigna cerebri calidi, deinde frigidi; In hoc cap.affert ſigna cerebri ſiccioris, & meritò, quia qualitates actiuæ ſunt efficaciores, & digniores, quam paſſiuæ: inter paſ-

paſſiuas ſiccitas actiuis eſt ſimilior; ideò prius de cerebro ſicciori, quàm de humidiori agit.

Hoc caput diuidi poteſt in tot particulas, quot ſunt ſigna indicantia temperaturam ſiccam cerebri; ſigna ſunt ſeptem, ſeptem quoque erunt particulæ.

Primum ſignum eſt excrementorum paucitas.

Secundum eſt ſenſuum perſpicacitas.

Tertium, ſunt prompti ad vigiliam.

Quartum, habent capillos robuſtos.

Quintum, capilli celerrimè naſcuntur.

Sextum, capilli potius ſunt criſpi, quàm recti.

Septimum, citò calui fiunt.

1 Dubitatio proponitur contra primum ſignum; quia non videtur, quòd in temperatura ſicca ſint paucæ ſuperfluitates, ſed plurimæ; argumentum tale eſt; vbi coctio eſt imperfecta, ibi plurimæ ſuperfluitates; at in temperatura ſicca concoctio eſt imperfecta, ergo in ipſa fient plurimæ ſuperfluitates, & non paucæ, vt dicit Galenus; maior eſt euidentiſſima; minor patet ex cognitione naturæ coctionis; ex Ariſtot. enim 4. meteor. coctio eſt elixatio, & elixatio fit à calido, & humido; ergo coctio facta ab alijs qualitatibus erit admodum imperfecta.

Argumentum eſſet inſolubile ijs, qui Galeni mentem non intelligunt; Galeni mens eſt proponere ſigna cerebri ſiccioris, & ſimul ſupponere in tribus alijs qualitatibus cerebrum eſſe temperatiſſimũ; quia hic conſiderat ſolum aliquem exceſſum in ſiccitate; Quo poſito, negamus quòd in hoc temperamento ſicco, de quo Gal. loquitur, concoctio ſit ita imperfecta, vt plurimæ fiant ſuperfluitates; dum enim caliditas, & frigiditas ſunt temperatiſſimæ, habentq; inter ſe concentum, & harmoniam, concoctio bona fit, & cũ paucitate excrementorum; quia vbi pauca eſt humiditas, pauca quoq; fiunt excrementa. Intelligendo de temperatura ſicca in latitudine ſanitatis; ſed non eſt negandum, quod multa excrementa nõ fiant ab illa intemperie ſicca, quæ eſt in latitudine ægritudinis, de qua hìc non loquitur Galenus; Galen. enim 2. de temper. vlt. dicit catarrhum quoq; fieri ab intemperie ſicca; ergo in ſicca intemperie eſſe poſſunt multæ ſuperfluitates.

Hinc fallitur Sebaſtianus Paparella, dum tenet catarrhum nõ fieri ab intemperie ſicca, motus hac Gal. auctoritate, quod ſcilicet temperies ſicca careat ſuperfluitatibus; neq; intellexit artificium huius tractatus, in quo Galen. agit de intemperie ſicca ſanorum ſuppoſita harmonia aliarum qualitatum, ob quam fit bona coctio, paucaq; reſultant excremẽta; quare ſi tabidi, & phyſici abundant ſuperfluitatibus catarrho, & diſtillationibus, id prouenit ab intemperie ſicca exiſtente in latitudine ægritudinis, de qua Gal. non agit in hoc tractatu.

2 Dubitatio proponitur contra ſecundum ſignum; Gal. enim lib. quòd animi mores ſequuntur temperaturam corporis c. 5. docet, operationum perfectionem prouenire à ſymetria quatuor qualitatum, ideſt à perfectiſſima temperatura; ergo malè hìc Galen. dicit, cerebri ſiccitatem, quæ reuera excedit ſymetriam, indicari à ſenſuum perſpicacitate, quæ eſt operatio ſenſuum perfectiſſima.

Reſpondetur, quatuor qualitatum ſymetriam, ſeu temperamentum punctuale efficere poſſe operationes perfectiſſimas collectiuè, ideſt accipiẽdo omnes ſimul, & non diuiſiuè, ideſt accipiẽdo vnicam ab alijs ſeparatam; ſiccitas .n. quamuis perſpicacitatem efficiat, in alijs tamẽ operationibus valdè deficit, quod non euenit temperamento ęquali, in quo ſunt omnes operationes perfectiſſimæ.

Prẹterea, dum Gal. ait, temperamentũ ſiccũ efficere ſenſuũ perſpicacitatẽ, ſupponit eſſe temperatiſſimũ in alijs qualitatibus, & de hoc Gal. lib. quòd animi mores ſequantur temperaturam corporis, c. 5. intellexit, dum dicebat cum Heraclito, ſplendorem ſiccum animam ſapientiſſimam, & ſiccitatem prudentiam generare; ſimiliter 2. de nat. hum. tex. 39. de hoc corpore ſicco cum ſymetria reliquarum qualitatum loquens, habet hæc verba; *Animi aciem, & intelligentiam à biliosſo humore fieri, quia ſiccus: addit, conſtantiam & prudentiam à melancholico, ſimplicitatem deindè, et ſtoliditatem à ſanguine.*

3 Dubitatio; ſi ſiccitas conferret ad prudentiam, ſenes decrepiti non eſſent amentes.

Reſpondet Galenus huic dubio capite 3. citati libri quod animi mores &c. amẽtiam in valde ſenibus non prouenire à ſiccitate, ſed à frigiditate; quare dicimus, Galenum in hoc loco intelligere cerebrum ſiccum indicari à ſenſuum perſpicacitate, ſuppoſito hoc, quod exceſſus ſolum ſit ratione ſiccitatis, & cæteræ qualitates nullum habeant exceſſum, ſed ſint mediocres, & inter ſe habeant eam harmoniam, quam poſſunt habere melioré; Demum addimus, iſtum exceſſum penes ſiccitatem non eſſe extra latitudinem ſanitatis: agit enim Galenus hic de ſignis corporum ſanorum, & non ægrotantium.

4 Dubitatio; videtur, quod ſecundum ſignum non ſit perpetuæ veritatis: quia ſæpiſſimè inueniuntur Iuuenes ſicci cerebri, qui carent ſenſuum perſpicacitate.

Reſponſio eſt iam tradita, quod ſcilicet ſenſuum perſpicacitas indicet exceſſum ſiccitatis, ſuppoſita aliarum qualitatũ moderantia: dicimus itaque ſiccos Iuuenes, ſi habeant ſiccum cerebrum, & ſimul cæteras qualitates in harmonicas ſeu immoderatas, non habere ſenſuum perſpicacitatem; Gal. verò hìc non agit de exceſſu omnium qualitatum cerebri, ſed ſolum de exceſſu ſiccitatis. Secunda reſpõſio poteſt afferri, ſcilicet quod ſiccitas efficiens ſenſuum perſpicacitatem non ſolum debeat eſſe in ſolidis, verum etiam in humoribus, & ſpiritibus: in humoribus, quia poſſunt corpora ſicca abundare excrementis; quæ tollant ſenſuum perſpicacitatem: in ſpiritibus, quia ab humiditate extrinſeca aeris cænoſi, vel auſtrini ſpiritus fieri poſſunt caliginoſi, & hebetantes auditum, & cæteros ſenſus, vt dicit Galenus 1. epidem. comm. 8. aer enim externus concurrit ad generationem omnium ſpirituum.

5 Dubitatio; eſt contra tertium ſignum: quia non videtur, quod ſicci ſint prompti ad vigiliam; ſenes enim habent cerebrum ſiccum, tamen ad ſomnum, & non ad vigiliam prompti ſunt.

Solutio deſumitur ex dictis, quia ſenes non ſunt ad ſomnum prompti ratione ſiccitatis cerebri, ſed ratione frigiditatis. Præterea argumentum non eſt contra Galenum, quia in hoc loco agitur de exceſſu ſiccitatis, ſuppoſita aliarum qualitatum moderatione, ſenes verò carent hac moderatione, quia ſunt frigidiores, & humidiores temperatis; Inſuper ſoluimus hoc modo, quod Galenus loquatur de ſiccitate non ſolum ſecundum partes ſolidas cerebri, verum etiam ſecundum humores, & ſpiritus; poteſt enim eſſe cerebrum ſiccum refertum excrementis humidis, quæ reddere poſſunt cerebrum procliue ad ſomnum; ſimiliter poteſt accidere auſtrina conſtitutio, quæ, licèt cætera non deficiant, reddat hominem ad ſomnum paratum.

6 Dubitatio eſt contra quartum ſignũ: quia non videtur, quod capilli robuſti indicent ſiccitatem, ſed potius humiditatem, quod probatur experientia: ſues enim omnium animantium humidiſſimi habent pilos omnium robuſtiſſimos, ergo corporibus humidis, & non ſiccis conuenient pili robuſti.

Reſpondetur, pilos robuſtos primo, & per ſe indicare fuligines copioſas, quæ ſunt excrementa ſicca tertiæ coctionis; in ſue verò adeo prompta, & potens eſt tertia coctio, vt maior aggregetur fuliginum abundantia, quam in cæteris animantibus; dicimus igitur, pilos primo, & per ſe indicare ſiccitatem fuliginum, & per accidens corporis; dicimus per accidẽs; quia nec per ſe, nec de omni pili poſſunt indicare ſiccitatem ſolidarum partium: ideò pili debent collocari inter ſigna communia, quæ tamen, ſi in ſyndromen redigantur, in indicando ſummam efficaciam habere poſſint. Hinc Galenus videns quod nõ inueniatur ſignum proprium cuiuſque temperaturæ inuenit multa communia, quæ vnita declarent temperaturas; ſi vnum ſignum propoſitum à Galeno non eſſet commune, ſed proprium, illud ſolum, & non plura propoſuiſſet.

7 Dubitatio proponitur contra quintum quia; non videtur, quod in ſicciori cerebro capilli celerrimè naſcantur: ſiccitas enim eſt qualitas paſſiua, & minimæ actiuitatis: quare hoc ſignum, quod cito capilli naſcantur cerebro potius calidiori quam ſicciori conuenire videtur.

Solutio ex eo pendet, quia dum Galenus

nus agit de hoc exceſſu cerebri in ſiccitate, ſupponit moderationem aliarum qualitatum;ſed cauſa capillorum eſt,quia vbi eſt qualitatum moderatio,ibi eſt bona coctio,vbi coctio bona,ibi fuligines multæ, vbi fuligines,ibi capilli: Accedit,quod ſi cum moderatione aliarum qualitatum iuncta ſit ſiccitas, fuligines redduntur ſicciores,& paratiores ad pillorum generationem, quo fit, vt in cerebro ſicciori, de quo Galenus locutus eſt, celerrimè naſcantur capilli.

8 Dubitatio; dicit in text. Gal. ſiccum cerebrum habere capillos criſpos; quod non videtur;quia criſpitudo conuenit calori,& non ſiccitati,ergo.

Reſpondetur;Galenum in tex.non abſolutè dixiſſe capillos eſſe criſpos, ſed potius criſpos, quam rectos.

Præterea ſupponit in cerebro ſicciori moderationem aliarum qualitatum:cauſa igitur criſpitudinis eſt caloris exceſſus, impedimentum ne fiant criſpi, eſt humiditas,quæ eſt frenum caloris; ſupponendo igitur calorẽ tẽperatũ,& ſiccitatis exceſſũ, capilli fiẽt criſpi ratione caloris tẽperati, & ratione abſentiæ humiditatis, ſed valde criſpi, fiunt enim valde criſpi, vbi eſt exceſſus caloris, cum quo non poteſt humiditatis exceſſus permanere.

9 Dubitatio; dicit Galenus, qui habent cerebrum ſiccum calui fiunt. Contra hoc ſignum dicimus, caluitij occaſionem ſecundum Hippocratem ſexto epid.5.tex.1. ex eo oriri, quia cerebrum non tangit craneum; quare caluitium prouenit à conſtitutione peccante in ſitu, & non in temperatura, caluitium igitur non indicabit temperaturam cerebri ſed potius temperaturam pericranei.

Reſpondetur eſſe veriſſimum, quod caluitium prius indicet ſiccitatem pericranei,quam cerebri; dicimus tamen ſecundariò indicare ſiccitatem cerebri; niſi enim cerebrum eſſet ſiccius iuſto in ſe non concideret, ſed tangeret craneum, & tangendo ita humectaret pericraneũ, vt non fieret caluitium, quomodocunq; igitur fit,caluitium ſaltem ſecundariò indicabit ſiccitatem cerebri.

10 Dubitatio: Gal.videtur diminutus, quia in hoc cap. non deſumit ſigna à colore capillorum: ſuperius enim docuit ex colore capillorum cognoſcendas eſſe temperaturas, ergo.

Reſponſio eſt facilis, quia colores videntur oriri ex maiori, vel minori aduſtione, quæ non à ſiccitate fit, ſed a calore; quo fit, vt meritò loquendo de ſicco cerebro, ne verbum quidem fecit de colore capillorum.

11 Dubitatio,videtur Gal.inſufficiens; quia non obſeruat methodum, quã propoſuit capite de ſignis cerebri calidi, & frigidi: ibi enim tradidit ſigna, quæ deſumuntur à iuuantibus,& lædentibus,dicebatque, ſi frigida non nocent, temperaturam eſſe frigidam, ſi calida ſimiliter nocent, temperaturam eſſe calidam; in hoc cap. verò omittit hunc mirabilem modum dignoſcendi temperaturas ex iuuantibus,& lædentibus.

Reſpondetur non eſſe neceſſarium, vt tota methodus propoſita applicetur omnibus temperaturis, quando aliqua methodi pars eſt ſufficiens; fruſtra enim fit per plura, quod poteſt fieri æquè bene per panciora: Hinc miror nonnullos expoſitores,dum in quolibet capite conantur vniuerſam Galeni methodum exponere, & acta multoties peragere: ſufficit enim, vt in vno capite methodus ſecundum vnam partem conſideretur, & in alio ſecundum aliam.

Præterea Galenus,dum res ex ſe innoteſcit,ſpernit methodum: Hinc quoque miror Argenterium, qui vel dum videt Galenum in quolibet capite non explicare totam methodum,vel videt ſigna temperaturarum non eſſe propria,illicò eum reprehendit: Nec miſer penetrat Galeni artificium cõſiſtere in hoc, vt proponantur hic ſigna communia,quæ ſimul vnita poſſint certiſſimè indicare viſcerum tẽperaturas,ſi enim quodlibet ſignum propoſitum eſſet proprium,fatuus fuiſſet Galenus in tot ſignis proponendis; cauſa verò, cur Galenus ſibi propoſuerit de communium ſignorum ſyndrome agendum, eſt quia,ſigna propria latent nos: ex mille enim rerum ſpeciebus vix vnica cognoſci poteſt per vnicum proprium, & conuertibile ſignum.

CAPITIS XVII.

De ſignis cerebri humidioris.

Tex. 24. *Humidioris verò cerebri indicia, capilli plani, & nequaquam calui fiunt: ſenſus autem turbulēti, & excrementorum multitudo: ſomni multi, atque profundi. Et hæ quidem ſimplices ſunt intemperaturæ.*

PRimum ſignum cerebri humidioris ſunt capilli plani; quia humiditas prohibet criſpitudinem.

Secundum, nequaquam calui fiunt, quia cerebrum tangit craneum, illudque humectat.

Tertium, ſenſus ſunt turbulenti ob excrementorum copiam.

Quartum, excrementorum multitudo.

Quintum, ſomni multi.

Sextum, ſomni profundi ob excrementorum humidorum multitudinem, quæ impedit, ne virtus ſenſitiua recurrat ad ſenſoria.

1 Dubitatio; Gal. videtur ſuperfluus, dum agit de ſignis cerebri humidioris, quia cognita temperatura cerebri ſicci, ſtatim temperatura humida ex ſe elucescit: ex Ariſtotele enim primo topicorum cap. 8. contrariorum eadem eſt diſciplina: quis non animaduertit, ſi cauſa caluitij eſt ſiccitas, in humido cerebro non fieri caluitium? ſi in ſicco cerebro eſt ſenſuum perſpicacitas, promptitudo ad vigiliam, paucitas excrementorum, capilli criſpi, in humido ſenſus fore turbulentos? ſomnos multos, & profundos, multitudinem excrementorum, & demum capillos planos? ad quid igitur Galenus hoc caput propoſuit?

Reſpondetur, non ſolum conſiderari cerebrum ſiccum & humidum, ſed exceſſum humiditatis iunctum mediocritati, & aliarum qualitatum harmoniæ; quæ contrariorum diſciplinam variant: exempli cauſa ſuperius dixit, cerebrum ſiccum celerrimè capillos generare, tamen ſi quis peteret, an à ſicco celerrimè fiant capilli, nemo reſponderet, de ratione ſicci cerebri eſſe celerrimam capillorum generationem; quia re vera eſt de ratione calidi; Galenus tamen hoc ſignum poſuit in ſicco cerebro; quia vbicunque inuenietur caliditas mediocris, & ſiccitatis exceſſus, ſemper actiones caloris fiet celerrimè: ſiccitas enim eſt lima caloris: ecce quod non ſeruatur oppoſitio reſpectu vnius contrarij, ſed reſpectu multorum: quare non erat omittenda hæc particularis conſideratio, quã hic facit Galenus de ſignis cerebri humidioris. Præterea dicimus cum Ariſtotele contrariorum eandem eſſe diſciplinam contrarietatem conſiderando reſpectu vnius, & eiuſdem, ad idem &c.

2 Dubitatio; Galeni doctrina videtur inſufficiens, quia non deſumpſit temperaturam humidiorem cerebri à colore & humiditate, ſeu mollitie cutis capitis.

Reſpondet Sclanus, iſta pertinere ad qualitates actiuas & non paſſiuas. Decipitur, quia color non magis inſequitur actiuas, quam paſſiuas, vt in quæſtione de colore probauimus. Dicimus nos Galenum non propoſuiſse in omni capite omnia ſigna, ſed illa quæ ſufficiunt, quæque iuncta ſigna cum alijs ſubrogentur alicui proprio ſigno; cætera verò omiſiſſe, qualia ſunt non ſolum pertinentia ad colorem, & ad cutis mollitiem, ſed etiam ad motum, & ad pulſum, & ad alias actiones quæ ſimiliter indicare poſſunt.

3 Dubitatio; videtur, quod Galenus omiſerit ſignum artificioſum, quo in alijs capitibus vſus eſt, quod deſumitur à iuuantibus & lædentibus.

Reſponſiones multæ dari poſſunt: prima, quod per ſigna propoſita cerebri humiditas plenè dignoſci poſſit, ideò omiſit iuuantia, & lædentia, & plurima alia tanquam ſuperflua.

Secunda reſponſio eſt, quam propoſuimus in methodo inſtituta pro dignoſcēdis internis diſpoſitionibus, vbi diximus iuuantia & lędētia eſſe tanquam lydium calculum, quo vtuntur aurifices in obryzo dignoſcendo, dum cito, & ſine igne illud experiuntur; Nos tamen præter iuuantia & lædentia pro cognitione omnium diſpoſitionum habemus ſigna deſumpta à natura rei quæ non poſſunt decipere, ſicuti ſunt ea, quæ deſumuntur à [illegible] non naturalibus; ab excretis, ab actio-

actionibus,& ſymptomatibus indicantibus internas diſpoſitiones,ideo loco à iuuantibus,& lædentibus non indigemus.

Tertia, quæ ex Galen.6. de ſanitate tuenda c.3.deſumitur; ibi enim dicit naturam ſiccam, & humidam tutius conſeruari ſimilibus; calidam verò & frigidam contrarijs; affert hanc rationem, quia dum volumus actiuas qualitates conſeruare ſimilibus; facilè illas in morboſas diſpoſitiones trahimus,ideò actiuę qualitates recedentes à temperatiſſimo contrarijs ſunt conſeruandæ,paſſiuæ verò qualitates ſimilibus: Hinc fit quod qualitates ſimplices non ſunt capaces iuuantium ſimul & lædentium.

Quarta reſponſio ex Galeno deſumitur lib. de conſtitutione artis cap.9. vbi dicit ab extrinſecis temperaturæ humidæ & ſiccæ parum patiuntur,ideò Galen. non fecit mentionem de iuuantibus, & lædentibus pro cognitione temperaturæ humidæ cerebri.

4 Dubitatio:ſi celerrimè naſcuntur capilli, & robuſti in cerebro ſicciori, Gal. debebat oppoſitum dicere in cerebro humidiori: ſi oppoſitorum eadem eſt diſciplina, quod ſcilicet tardè & non celerrimè naſcantur & exiles.

Reſpondetur, in cerebro humidiori poſſe quoque cito oriri, & pilos fieri robuſtos; quia ſupponitur à Galeno, in cerebro humidiori eſſe caliditatem temperatam; ſed ſic eſt; quod poſita caliditate temperata humiditas non poteſt impedire operationes temperamẽti calidi. Hinc in ſue omnium animantium humidiſſimo pili & citò, & robuſti naſcuntur: Inde Ariſtoteles 5.de gen.animal. cap.3. ait capillos craſſos fieri, ſi multa adſit humiditas viſcoſa,quæ tamen nõ reddat calorem diminutum. Nos enim ſupponimus Gal. hic agere de vno exceſſu, qui eſt in humiditate, ſuppoſitis ſemper cæteris qualitatibus temperatis.

5 Dubitatio, inquit, humiditatem reddere ſenſus turbulentos, quod videtur falſum,quia experientia patet, turbulentos fieri ob ſiccitatem; pueri humidiſſimi ſyncerè vident; ſenes verò quatenus ſicci turbulentum habent viſum; immo ſpecilla inſeruiunt ſenibus, quia ob ſiccitatem fiunt in eorum ragoide & aranea (vt ego puto) rugæ inter quas ſpectra viſiua ad oculũ penetrantia à ſpecillis vnita intromittantur, aliter in ingreſſu ragoidis,omnia confuſa viderentur; idem dicimus de alijs ſenſorijs,in animali iuuene ſua natura humido maiorem eſſe claritatem; in ſene verò ſua natura ſicco maximam eſſe in ſenſorijs obſcuritatem, & turbulentiam.

Reſpondetur per ſiccitatem eſſe intelligendam excrementorum carentiam; quæ reddit ſenſoria munda & clara; cur autem ſint clara,quando excrementis carent,non omnes intelligunt; veritas eſt (vt mea fert opinio)quia claritas,ſeu perſpicuitas oritur ex paucis ſuperficiebus; vbi enim ſunt paucæ ſuperficies, tunc ſpiritus in tranſitu ad ſenſoria conſeruãtur lucidi & non turbulenti; turbulentia vero efficit tenebras & auditum & cæteros ſenſus hebetes; quod verò paucæ ſuperficies,efficiant claritatem, patet, quia lucidi radij non refrãguntur; exemplum habetur in cryſtallo, & adamante in puluerem tenuiſſimum redactis, quæ amittunt claritatem, quia ob multitudinem ſuperficierum minimorum granulorum luciditas refrangitur, quod non euenit in integro cryſtallo, vel adamãte in quibus paucæ ſunt ſuperficies;Similiter euenit in aqua ſplendida, ſi eo vſque agitetur,quouſque ſpumeſcat;tot enim acquirit ſuperficies,vt amittat perſpicuitatem, & turbulenta fit. Dicimus igitur quod ſenum ſenſoria excrementis ſint referta; excrementa verò cum ſint quid diſtinctum, ſenſorijs varias efficiant ſuperficies, vnde turbulentia, & obſcuritas. Præterea ipſa ſenum ſenſoria ſunt rugoſa,& rugę quotquot ſunt,tot efficiunt ſuperficies, quæ refrangendo lucidos radios tollunt claritatem,pueri verò quatenus ſunt humidi humiditate naturali diſtendunt tunicas ſine rugis,& ſine varietate ſuperficierum, vnde neceſſario radij in tranſitu ad ſenſoria lucidi conſeruantur;quod non euenit in ſenibus; quorum tunicæ concidunt ob defectum humiditatis,& conciſæ multiplicant ſuperficies, ob quas raritas vaneſcere ſolet.

CAPITIS XVIII.

De ſignis calidioris, & ſiccioris cerebri.

Tex. 15. *Compoſita autem, primum calida, & ſicca, ſecundum quam, & ſuperfluitatibus carent, & ſenſibus vigent, & plurimum vigilant, & cito calui fiunt, & prima quidem capillorum generatio celerrima eſt, ac plurimo abundans alimento, Capillos verò habent nigros, & criſpis, & tangentibus caput, calidi ſentiuntur, & ſunt rubicundi vſque ad ætatem conſiſtentia.*

IN quatuor ſuperioribus capitibus Galenus egit de ſignis temperaturarum cerebri ſimplicium. Nunc incipit agere de ſignis temperaturarum cõpoſitarum; in hoc cap. verò exorditur à ſignis cerebri calidioris, & ſiccioris; quia ſicuti calidum eſt præferendum frigido, ſimiliter ſiccum eſt præferendum humido: ideò prius agit de calido & ſicco.

Diuidi poteſt hoc caput in tot particulas, quot ſunt ſigna: ſigna ſunt octo, tot quoque erunt particulæ.

Primum ſignum cerebri calidioris & ſiccioris eſt *carentia ſuperfluitatum vel excrementorum:* ratio eſt, quia de ratione ſiccæ temperaturæ (vt diximus ſuperius) eſt carentia excrementorum: ſimiliter de ratione calidæ ſequitur exciccatio & carentia ſuperfluitatum: quia natura calida excrementa reſoluit per inſenſibilem perſpirationem.

1 Dubitatio: videtur, quod temperatura calida & ſicca cerebri abundet excrementis, quia de ratione caloris eſt attrahere: Hinc qui calidum habent cerebrum ſemper grauitatem capitis patiuntur; ergo malè Galenus in tex. dum dicit; in calido & ſicco cerebro non eſſe excrementa.

Oddus reſpondet, dato, quod caliditas attrahat, tamen reſoluit & abſumit excrementorum abundantiam, quæ attrahitur, quæ reſponſio eſt manca.

Ego reſponderem calditatem & ſiccitatem exiſtentem in ſanitatis latitudine nullo modo attrahere, quia cauſa, quę attrahit & colligit excreméta eſt pręter naturam, & extra latitudinem ſanitatis; Galen. verò in hoc loco tractat de cerebro calido & ſicco ſano, & non ægro, vt omnes quoque expoſitores conſentiunt. Præterea (& hoc eſt axioma in hac arte) dum agit Galenus de calido, & ſicco cerebro ſupponit corpus in cæteris qualitatibus eſſe moderatum & temperatum: tractatque ſolum de hoc vnico caloris exceſſu: ſupponendo in omnibus alijs qualitatibus, (vt dictum eſt) cerebrum eſſe moderatum: poſito igitur corpore in ſtatu hoc temperato, non colligentur excrementa. Dum verò attrahuntur excreméta à calore non ſufficit calor, dato etiam quod eſſet præter naturam, ſed requiritur quoq; excrementum, quod debet attrahi; de ratione motus enim ex Ariſt. in phyſicis duo neceſſariò concurrunt mobile, & motor; ſi igitur axioma verum eſt quod, dum Galenus agit de exceſſu in aliqua qualitate ſupponat, cæteras qualitates eſſe mediocres, & tẽperatas non inuenientur excrementa, & per conſequens calor cerebri non habebit quod attrahat.

2 Dubitatio multi ſunt habitus calidi & ſicci, quorum capita ſemper ſunt excrementis multis referta, & deſtillationibus obnoxia.

Solutio petenda eſt ex dictis; diximus breuiter illos habitus calidos & ſiccos qui ſunt excrementorum plena extra latitudinem ſanitatis eſſe, & de his Galenus in hoc c. non agere. Præterea dum Galenus agit de cerebro calido & ſicco, ſupponit cerebrum ſolũ habere hunc exceſſum, reliqua omnia verò eſſe mediocria, & temperata: qui verò non ſupponit hoc toties à nobis animaduerſum, nunquam intelliget huius libri artificium.

3 Dubitatio capilli à calido, & ſicco cerebro multi fiunt: ergo multa excrementa, ergo cerebrum calidum & ſiccũ abũdabit excrementis, quod negat Galenus.

Reſpondetur quod loquitur de excrementis in cerebro, & non de expulſis, inter expulſa verò ſunt pili.

Præterea cerebrum calidum plurima expellit excrementa per foramina ſenſibilia & inſenſibilia. Foramina ſenſibilia in oſſibus capitis à multis numerantur 37. per quę ſemper expelluntur excremẽ-

ta.

ta. Sunt 18.foramina oſſis cunealis: Septem occipitis; quatuor in temporibus vtrimq;: quatuor communia cuneali, & alijs oſſibus, quæ ſunt patentiſſima, & reſpondent palato,naribus, eſophago, & tracheæ arteriæ. Alij enumerant 56.

Ego in quadam caluaria enumeraui 72.per dicta foramina expurgantur cerebri excrementa;cerebrũ verò calidum tum ob foramina latiora: tum ob expultricem validiorem facillimè expellit excrementa, quæ inſenſibiliter non ſint euacuata.

Secundum ſignum: *ſenſibus vigent*: ratio eſt,quia ſpiritus in cerebro calido, & ſicco ſunt tenues, non obtuſi,ſunt lucidi, & clari; vnde ſenſus fiunt vegetes. Præteretea ſenſoria ſunt expurgata ab excrementis, & ideò clara, & paucioribus ſuperficiebus conſtituta; paucę enim ſuperficies efficiunt claritatem,& perſpicuitatem,vt ſuperius oſtendimus.

Tertium ſignum; *plurimum vigilant*, ambæ qualitates,caliditas ſcilicet & ſiccitas breues ſomnos faciunt; calidi enim, & ſicci proprium eſt diffundere ad ſenſoria ſpiritus animales, vel eorum radios, meritò quorum fiunt ſenſus; vigilia verò alio modo non fit, niſi dum ſpiritus animales vel eorum radij detinentur in quinque ſenſorijs.

Quartum ſignum; *cito calui fiunt*, ſuperius dum egit de cerebro ſicciori, & de calidiori, in vtroque capite dixit caluos cito fieri; ratio eſt cutis ſiccitas, quæ ex eo naſcitur,vt docet Hippocrates 6.epid. 3.tex.1.quia cerebrum in caluis non tangit craneum, ſed ob ſiccitatem in ſuam baſim ſubſidet; quod quidem obſeruatum eſt à me in cadauere, quod habebat caluitium.

Quintum ſignum, *prima capillorum generatio celerrima eſt, & plurimo abundans alimento*. Hoc ſignum inſequitur caliditatem & ſiccitatem; ratio cur ſit celerrima eorum generatio eſt, quia vbi generatio eſt celerrima,ibi eſt agens efficaciſſimum,& patiens diſpoſitum; agens efficaciſſimũ,eſt caliditas & ſiccitas:patiens diſpoſitum eſt abundantia alimenti, per abundantiam alimenti non intelligit illud quod conuertitur in ſubſtantiam cerebri,ſed quod concurrit in pilorum generationem; quæ eſt illa fuligo calida & ſicca, quæ reputatur ab omnibus tertiæ coctionis craſſum excrementum.

Sextum ſignum; *capillos nigros habent & criſpos*, calor adurendo efficit capillos nigros; ſiccitas, cum ſit lima caloris, auget nigredinem,& criſpitudinem.

Quarta dubitatio occurrit: quia Galenus videtur ſibi contradicere;quoniam in hoc c.dicit capillos nigros indicare cerebrum calidum, tamen ſecundo in primum epid.comm.78.dicit capillos nigros indicare frigiditatem.

Eugenius, & nonnulli alij vt de medio tollant hanc contradictionẽ dixerunt textum græcum in epidemicis eſſe mendoſam quia non debemus legere μελάνο τρίχες, ſed μεγάλο τρίχες, quæ ſolutio ſanè non eſt accipienda. Primo quia non ſunt mutanda verba Auctoris quando omnes codices antiqui, & moderni ſunt vniformes; ſecundo eſto quod legatur μεγάλο τρίχες, falſum eſt quod magni capilli indicent frigiditatem; quia vbi ſunt magni capilli ibi multæ fuligines, & vbi multæ fuligines, certè frigiditas non prædominatur.

Nos reſpondemus, capillos nigros, ſi tenues ſint: indicare frigiditatem, ſi duri & robuſti indicare caliditatem;ſic in Æthiopia omnes habent capillos nigros, tamen non omnes calidam habent temperaturam cerebri.

Hinc Galenus c. 13. huius lib. reliquit hoc præceptum quod quæ dicta ſunt de ſignis, inſpicere oportet habitationem diuerſam & humorum proportionem, quia ſi humores ſunt aduſti, licet temperatura capitis ſit frigida,nigri fieri ſolent capilli.

Septimum ſignum, *capita calida & ſicca ſi manibus tangantur actu calida ſentiũtur:* hoc ſignum eſt proprium caliditatis; per accidens, tamen conuenit ſiccitati, quatenus ſcilicet ſiccitas eſt lima caloris, efficitq;, vt calor promptius ſentiatur.

Octauum ſignum: *ſunt rubicundi vſque ad ætatem conſiſtentiæ*, pro intelligentia huius ſciendum ex Hippoc. libro, qui inſcribitur breuis donatio dog. Hipp. & ex Galen. lib. de def. med. & in comm. de ſalubri diæta, quatuor eſſe ætates; primam eſſe puerilem, quæ veri, ſanguini,

& aeri reſpondet:ſecundam eſſe virilem, quę ab Hipp.in lib.de diæta vocatur adoleſcentia, dicuntq; hanc ſecundam reſpondere æſtati, bili, & elemento ignis. Tertiam eſſe ætatem inclinantem, quæ reſpondet autumno,melancholię,& terræ; quartam ſenectutem, quæ reſpondet hyemi,pituitæ,& elemento aquæ.

Præterea Hippocrates lib.de carnibus diſtinctius agens de ętatibus,ait,primam eſſe infantiam, quæ durat donec dentes fiant, quod ſeptem annorum ſpatio expletur. Secundam eſſe pueritiam,quæ à ſeptimo ad decimum quartum producitur: Tertiam eſſe adoleſcentiam, quæ à 14. vſque ad 21. excurrit; Quartam eſſe iuuentutem, quæ terminatur, vt dicit Galenus 3. aphoriſm. com. 30. quinta ſeptimana, ideſt ab anno vigeſimoprimo vſque ad 35. Quintam à 35. ad 49. eſſe ætatem parum inclinantem, de qua Galenus loco citato habet, quòd homines iſti exerceant omnia vitæ munera, perinde ac iuuenes; differunt, quia non ſufficiunt ad labores, vt iuuenes; ſextam ætatem eſſe primum ſenium, quod à 49. vſque ad 63. extenditur; ſeptimum eſſe poſtremum ſenium, quod à 62. vſque ad 97. peruenit.

Notandum tamen ætates non ſemper ab annorum numero definiri: quia ex Celſo, robuſti ſenes magis fruuntur iuuentute,quam debiles iuuenes. Similiter Ariſtoteles lib.de iuuentute,& ſeneċt. & Hippocrates lib. de diæta rectiùs diſtinxerunt ętates in iuuentutem,& ſenectutem ſolummodò; quia quilibet vel eſt in augumento, vel decremento; Hinc ſi in anno 70. non deficeret virtus, vt aliquando contingit in ſenibus robuſtiſſimis,illa eſſet iuuentus. Quòd verò inueniantur tales, habemus multa teſtimonia;Auerroes enim 4.coll.cap.40.teſtatur de Auenzoare, quod vixerit 135. annis; libeat illius verba,cùm ſit Auctor veridicus afferre; *Auenzoar, vt Raſis eſt teſtificatus, cui in hac ſcientia debet concedi corona, qui vixit 135. annis: & in 40. anno in hac arte operari cœpit, et in bono obijt ſtatu, et in habitu ſcientiæ vidit quantum videre, & cognoſcere potuit, ergo ſui libri credendi ſunt.* Præterea innumeri ſunt Auctores,qui referunt de Gorgia Empedoclis diſcipulo,qui robuſto corpore ſenſibus integris, memoria firma annum centeſimum octauum exceſſit. Demum Nauarrus,Oſtienſis in ſum.pœnit. & remiſs.& Sauonarola tract.6.c.21.rubr.23. referunt Nicolaum de Palauicinis habuiſſe filium in centeſimo anno:ætas ſanè eſt admiranda; eius filij tamen procreatio nullam admirationem mouet, quia vxores iuuenes & amabiles iunctæ maritis ducentorum quoque annorum partum edere poſſent.

5 Dubitat.quęritur,quid intelligat Galenus per ætatem conſiſtentiæ:quod ſanè non intelligitur,niſi ex codice Græco, in quo ſic legitur; ἐρυθροί τε μέχρι τῶν τῆς ἀκμῆς χρόνων,ideſt,rubicundi vſq; ad tempora ſummi vigoris: Α'κμὴ ex Galeno ad Glauconem eſt ſummus vigor, qui non conuenit, niſi extremitati iuuentutis, quia articulus τῆς additus dictioni ἀκμῆς ſignificat rem perfectam, & ſummum vigorem iuuentutis; finis verò iuuentutis ex Galeno 3.aphoriſm.30. eſt in anno 35.quare dicimus poſt annum 35.qui cerebro ſunt calido, & ſicco non apparere ita rubicundos.

Miror Leonicenum virum in Græca eruditione doctiſſimum, interpretatum fuiſſe ætatem ἀκρμῆς ætatem conſiſtentiæ,quæ non ſolùm conuenit ætati ſummi vigoris, ſed etiam ætati peruenienti vſq; ad 49.annum;ideo ætas conſiſtentię à Galeno,& Hippocr.1. aphoriſ.13.vocatur καθεστηκία,ideſt ætas conſiſtentiæ,quę ſic definitur: ætas conſiſtentiæ eſt media inter iuuentutem, & ſenectutem; quod facilè patet; quia iuuentus terminatur anno 35.& ſenectus incipit anno 49. ergo ætas conſiſtentiæ ex Galeno erit ab anno 35.ad 49.de qua ætate Galenus hic non intelligit; eo quia (vt diximus) non eſt vſus hoc verbo καθεστηκία, ſed verbo ἀκμῆς, quod verbum ſignificat ſummum vigorem, qui in fine iuuentutis habetur, ideſt in anno 35.

Pluſquamcommentator auſus eſt mutare Galeni verba: vbi enim Galenus dicit;qui habent cerebrum calidum, & ſiccum non ſunt rubicundi vltra ætatem conſiſtentiæ cenſet,quòd neq; ſint calidi vltra ætatem conſiſtentiæ;quæ interpretatio non conſonat verbis Galeni,qui loqui-

quitur ſolùm de rubicundis. Prætereà experientia aduerſatur: qui enim in Iuuentute habent cerebrum calidum,& ſiccum, videntur magno quoq; calore non ſolùm in ætate cōſiſtentiæ, verùm etiam in primo ſenio vexari; quàvis in vltimo ſenio omnia frigeſcant,& exſiccentur.

6 Dubitatio: Galenus dum loquitur de cerebro calido dicit,quę circa caput ſunt eſſe rubicundi coloris, neq; dixit vſq; ad ætatem conſiſtentiæ; ſimiliter dum loquitur de cerebro calido, & humido, dixit, faciem eſſe boni coloris, neq; coarctauit ſignum propoſitum vſq; ad ætatem conſiſtentiæ; qua igitur ratione in hoc capite calido, & ſicco vult rubicunditatem ſolùm perſeuerare vſq; ad ætatem conſiſtentiæ?

Reſpondetur huic dubitationi, quòd dum Galenus loquitur de cerebro calido ſupponit, omnes qualitates eſſe mediocres: ſolùmq; agit de illo exceſſu caloris, qui recedit à temperatiſſimo: quæ animaduerſio eſt adeò neceſſaria, vt ſine ea artificium huius libri eſſet omninò imperceptibile: dicimus igitur, cerebrum, dum eſt calidum, & ſiccum, carere humido, quod eſt caloris pabulum: quare vſq; ad ætatem conſiſtentiæ abſumitur pabulum, quod poteſt faciem rubicundam reddere, non tamen ita abſumitur, vt cerebrum in ætate conſiſtentiæ reddatur frigidum; plus pabuli requiritur in facienda rubicunditate, quàm in calore, quod non animaduertit Sclanus, nec Pluſquamcommentator, qui videntur aſſerere,quod eodem tempore amittatur rubicunditas,& caliditas, quod eſt falſiſſimum;ſiccitas enim,vt Auerroes,& Petrus de Aluer. dicunt, eſt lima caloris,& non rubicunditatis.

7 Dubitatio;videtur,quòd rubicunditas in valde ſenibus inueniatur, quæ aſſimilatur caneris elixatis; immo interdum in ipſis cadaueribus hæc rubicunditas faciei conſeruatur.

Reſpondetur,Galenum intelligere de rubicunditate florida ex albo, & rubro colore commixta; rubicunditas enim ſenum fit, dum ſanguis effunditur per capillares venas vbi ita craſſeſcit, vt in cadaueribus quoque appareat.

8 Dubitatio; videtur Galenus diminutus, quia non proponit ſignum aliquod præſtantiſſimum, quod deſumitur à iuuantibus, & lædentibus, ſicuti fecit agens de cerebro calido.

Reſpondetur, egiſſe in cap.de cerebro calido de extrinſecis alterantibus,quatenus ſunt iuuantia,vel nocētia; ideò omiſit ſigna deſumenda à iuuantibus, & lędentibus. Præterea ſigna propoſita ſunt ſufficientiſſima pro declaratione cerebri calidioris, & ſiccioris, ideo fuiſſet ſuperfluus ſi alia addidiſſet.Hinc errat Argenterius, qui reprehendens in hac re Galenum non videt, quo artificio auctor incedat in his capitibus.

8 Dubitatio; Galenus videtur inſufficiens,quia ab Auerroe,& Auicenna plura alia ſigna indicantia cerebrum calidū, & ſiccum propoſita ſunt;Auerroes enim 4. colliget, c.3. ait, qui habent cerebrum calidum, & ſiccum eſſe in diſcurſu veloces; quamvis hi non apprehendant intimam rerum naturam, ſed ſolùm quaſdam ſimilitudines; Auicennas verò vbi agit de cerebro calido,& ſicco ait,eius ſignum eſſe fortitudinē intellectus, quod illis accidit, qui diu cogitare poſſunt.

Reſpondetur, hæc ſigna Auerrois, & Auicennæ contineri in illo à Galen. propoſito, quòd ſcilicet calidi cerebro ſint mutabiles in ſententia; iſti enim velociter diſcurrunt, ſed apprehendunt ſolas ſimultitudines, ſemperq; cogitant non vnum conceptum, ſed multos continuò tranſeuntes de vno in alios.

CAPITIS XIX.
Particula I.

De Signis calidioris, & humidioris Cerebri.

Tex. 26. *Si verò humiditas adiungatur caliditati, parum vtriuſq; qualitatibus ſuperantibus mediocritatem, color bonus, & quæ circa oculos calidiora, venæ magnæ, & plura excrementa, & mediocriter cocta, & capilli recti, ſubflaui, & non facile calui fiunt. Implentur verò, atq; aggrauantur eorum capita à calidis. At ſi humectentur, protinus multò magis excrementorum habent multitudinem.*

POſtquam egit de ſignis cerebri calidi & ſicci; in hoc cap.agit de ſignis calidi,

lidi & humidi, & meritò poſt ſigna calida & ſicca de ſignis calidi & humidi, verba facit: quia ſiccitas vt caloris propria eſt præferenda humiditati.

Diuiditur caput in tres particulas: in hac prima agit de caliditate & humiditate cerebri parum recedentis à mediocri, & temperato: In ſecunda agit de ſignis cerebri multum recedentis à temperatiſſimo: In tertia de cerebro calido & humido, quod recedit à temperatiſſimo ſecundum vnam qualitatem. In eadem particula dat pulcherrimam normam, quæ infra explicabitur.

Quo ad ſigna indicantia cerebrum calidum & humidum, quod parum recedit à temperatiſſimo, Galenus hic tradit ſeptem ſigna.

Primum eſt, *bonus, & floridus color faciei, qui mixtus eſt ex albo, & rubro*, de quo colore dictum eſt ſuperius: in libro de conſtitutione ar. Gal. docet, corpora humida habere plurimum ſanguinis: poſt ſanguinem eſſe plurimum pituitæ: minus tamen bilis, & adhuc minus melancholiæ, quia verò ſanguis colorem rubrum, & pituita album efficit, ideò qui ſunt calido, & humido cerebro colorem rubrum & album ſeu floridum habent: iſti tamen non ſunt rubicundi, ſicuti, qui habent cerebrum calidum tantum, vel calidum, & ſiccum, ſed ſunt coloris ex albo & rubro commiſti.

1 Dubitatio; non videtur, quod color bonus faciei indicet cerebrum calidum, & humidum cum pauco exceſſu, vt diximus: quia ſuperius Gal. docuit, colorem bonum ſignificare cerebrum calidum tãtum, ſed ſic eſt, quod iuncta humiditas calori, calor obtunditur; ergo non videtur, quod in cerebro calido, & humido poſſit eſſe bonus, & floridus faciei color.

Reſpondetur, humiditatem dupliciter conſiderari vel vt moderata, vel vt eſt immoderata: quo poſito, dico calorẽ obtundi ſolum ab humiditate immoderata, & non à moderata: quare ſi bonus color indicat calidum cerebrum, poteſt etiam indicare cerebrum calidum iunctum cũ moderata humiditate: humiditas enim ſi eſt moderata iuuat mirum in modũ coctionem, vt docet Gal. 3. de ſymptomatũ cauſis c. 3. & Ariſtot. 4. meteor. tex. 18. vbi ait, coctionem eſſe elixationem, quæ fit à calido & humido moderato.

Secundum ſignum: *circa oculos calor apparet*: nulla enim capitis pars magis oſtendit internum cerebri ſtatum, quam alteratio tunicarum oculorum: quia à membranis cerebri oriuntur, ſi viderimus igitur oculos eſſe calidos, & rubros, ſtatim dicemus, cerebrum eſſe calidum, & deinde ſanguinem ad oculos attractum fuiſſe ratione caloris oculorum.

Tertium ſignum: *venæ oculorum magnæ apparent*: intumeſcunt enim ob ſanguinis plenitudinem valebit igitur, ſi dixerimus, venæ ſunt plenæ ſanguine, ergo temperatura eſt calida & humida; ſanguis enim multus fieri non poteſt, niſi ab opifice calido & humido.

Argenterius reprehendit Galenum dicentem caliditatem circa oculos & venas magnas indicare cerebrũ calidum, quia dicit hæc duo ſigna indicare hepar calidum & non cerebrum. Sed conuincitur hac experientia; ponamus eſſe duo corpora, quę ambo habeant æqualem iecoris caliditatem; alterum tamen habeat cerebrum frigidum & ſiccum, alterum vero calidum & humidum. In calido & humido venę circa oculos apparebunt cum caliditate illarum, partium; in alio vero corpore non. Reddat mihi cauſam Argenterius huius diuerſitatis? Nos tamen promptè reddimus cauſam dicendo cerebrum calidum reddere meatus latiores, vnde & caliditas oculorum & venarum apparentia conſpiciuntur.

Quartũ, *excrementa plura ſunt, quam in calido, & ſicco cerebro ſed mediocriter cocta*; plura enim ſunt ratione humiditatis cocta verò ratione humiditatis, & caliditatis; quia coctio ex Ariſtotele, & Galeno locis citatis eſt elixatio, & elixatio fit à calido & humido; dixit mediocriter cocta; quia perfecta coctio non poteſt fieri ab exceſſu caliditatis & humiditatis, ſed à mediocri temperamento: in hoc loco verò agitur de calido, & humido cerebro cum aliquo exceſſu: Hinc Sclanus perperam interpretatur per mediocriter cocta benè cocta: hæc enim conditio bonæ coctionis conuenit temperamento ſine exceſſu.

Quintum, *capilli ſunt recti et ſubflaui*;

recti,

recti, quia in his non adeſt ſiccitas cutis, vel calor immoderatus, qui criſpitudinem faciat: ſubflaui, quia in mediocri temperamento ſunt flaui: in calido tantum ſunt nigri; in calido & humido ſunt ſubflaui, nullum enim temperamentum proximius eſt mediocri, & temperato, quam caliditas, & humiditas cum pauco exceſſu.

Sextum, *non facilè calui fiunt:* quia ſunt humidi: calui ex Hippocrate 6. epid. com. 3. tex. 1. fiunt ob cerebri imminutionem; imminutum enim cerebrum vel in ſuam baſim conciſum non tangit craneum, vnde ſiccitas ſuboritur in cute, vnde caluitium; ecce quod cauſa caluitij immediata eſt ſiccitas: ſi igitur erunt humidi non facilè calui fient.

Septimum: iſti *læduntur à calidis & humidis rebus non naturalibus:* aggrauantur ſcilicet eorum capita, & ab humidis cauſis adeo læduntur, vt multitudinem excrementorum coaceruent, vnde catarrhi & deſtillationes fiunt, ſed quia hæc ſeptē ſigna inſeruiunt cerebro calido, & humido parum recedenti à temperatiſſimo, ideo videndum eſt quid dicat Galenus de cerebro calido & humido, quod multum recedit à temperato.

Dixit Gal. cerebrum calidum grauari, & impleri à calidis: ratio eſt quia pori ita ſunt aperti, vt impleantur, ne detur vacuum: non enim attrahunt excrementa à calore, neque à vacuo quod non eſt; ſed à natura mouentur eo modo quo radij ſolis attrahunt vapores, qui ex ſe aſcendunt dum ita attenuantur vt conuertantur in naturam vaporoſam. Parimodo elichniū accenſum non attrahit oleum, ſed ita attenuatur ab ipſa flamma, vt fiat leuis & factus leuis aſcendat.

CAPITIS XIX.

Particula II.

Et ſi plurimum caliditas, atque humiditas creuerit, his caput eſt ægritudinibus obnoxium, atque excrementis abundans, & quod facilè à calefacientibus atque humectantibus offendatur. Auſter verò ſemper eis aduerſatur, atque optime in Aquilone ſe habent, non tamen diu vigilare poſſunt: & cum ſe ad ſomnum conuerterint, ſimul graui ſomno tentantur, & vigilant, & ſomnia habent imaginationibus plena, viſus eis turbulenti, neque ſatis ſenſibus vigent.

IN hoc tex. Galenus proponit ſeptem ſigna cerebri calidi & humidi cum exceſſu recedentis à temperatiſſimo, quod tamen cerebrum adhuc in latitudine ſanitatis perſeuerat.

Primum ſignum: ait hoc cerebrum eſſe *obnoxium ægritudinibus:* Qui igitur habent caput valde calidum, & humidum, quamvis ſani ſint, ob leuiſſimam tamen cauſam labuntur in deſtillationes, & catarrhum ſalſum: Verum quamvis catarrhus ex Galeno 2. de diff. feb. cap. vltimo aliquando fiat non ob læſionem capitis, ſed ſolum ob ſanguinis vitium; tamen dum excitatur in cerebro valde calido, & humido ob ſanguinis vitium, cerebrum vt plurimum incidit in affectum in facto eſſe; cerebrum enim, dum ſua natura nō eſt valde calidum & humidum ſi patitur catarrhum ob ſanguinis vitium, non ita facilè labitur in vitium idiopathicum: quemadmodum cerebrum valde calidū & humidum; Notandum dum caput eſt valdè obnoxium deſtillationibus, vel alijs ægritudinibus vocari corpus inſalubre ſimpliciter, licet ſanum ſit; cerebrum verò quod non eſt obnoxium catarrho, ſi eo vexatur nulla tamen exiſtente læſione ſenſibili, dici corpus ſalubre ſimpliciter vt multum, pro vt ſcilicet maiorem, vel minorem habeat vim reſiſtendi ægritudinibus.

Quo pacto verò noſcantur capita ęgritudinibus obnoxia, quæ ſunt inſalubria ſimpliciter nos docet Hippoc. 6. aphor. 2. his verbis: *quibus nares humidæ & ſemen humidum, hi deſtillationibus ſunt obnoxij*. Præterea Gal. 9. de vſu par. c. 1. tractat de meatibus, per quos cerebrum obnoxium catarrho expurgatur, ex quorum locorū, ſiue meatuum cognitione colligimus facilè ſtatum & conditionem cerebri: ęgritudines verò, quibus cerebrum propoſitum à Galeno in tex. ſit obnoxium, omnes ſunt calidæ & humidæ, ſicuti apoſtemata, qualia ſunt parotides, catarrhi deſtillationes, & alia id genus.

1 Du-

1 Dub. Auicenn. declarans ſigna cerebri calidi & humidi dicit, eſſe obnoxium ægritudinibus calidis & frigidis: Galenus tamen in tex. contrarium aſſerere videtur; dum dicit quod aquilo iuuat, quia eſt frigidus, & ſiccus, ergo non eſt obnoxium frigidis, vt dicit Auicennas.

Reſpondet Auicennas, quatenus tale cerebrum eſt valde debile, & in fine latitudinis ſanitatis conſtitutum, propterea eſſe obnoxiū frigidis ægritudinibus. Ego autem ſic conciliarem Auicennā cū Galeno nempè, aquilonem, ſeu alias cauſas externas frigidas ex accidenti calefacere & humectare poſſe quatenus ſcilicet obſtruunt meatus, & prohibent perſpirationem cerebri: inde enim magis incaleſcit, & humectatur: itaque dicimus, Galenū inſpexiſſe ſolum cauſas, quæ per ſe lædunt cerebrum calidum & humidum; Auicennam verò cauſas quoque per accidens.

Secundum ſignū ait: ***excrementis abūdare***: ratio eſt, quia ratione caliditatis fit attractio excrementorum: ratione verò humiditatis obtundentis calorem fit prohibitio reſolutionis excrementorum: ſed ſi dixeris ratione laxitatis: melius adhuc reſpondebis: viſcera enim inſalubria, ſi iunctam habent humiditatem, reddūtur ob humiditatem laxantem fibras excrementorum receptacula, quod non accidit viſceribus debilibus, & ſiccis.

Tertium Signum: ***facilè læditur à calefacientibus & humectantibus.***

2 Dub. magna oritur, quia Galenus in hoc loco agit de cerebro calido & humido ſano, & nō ægro: quomodo igitur Galenus dicit calidū & humidum cerebrū lædi à calefacientibus & humectantibus? non ne quæ ſana ſunt debent ſimilibus conſeruari, & quæ ſunt ægra contrarijs ſanari? idemque docet Gal. in tertia parte huius libri tex. 35. 4. meth. cap. 2. & 11. math. cap. 12. videlicet contrariam affectionem præter naturam, vel recedentem ab optima eſſe tollendam contrario.

Solutio hæc eſt: corpora ſimpliciter ſana ſimilibus ſunt cōſeruanda, & nō corpora ſana neutra, & inſalubria: quod hęc ſolutio tollat dubium, ex Galeno patet 3. aphoriſ. 2. & 3. vbi dicit, vnam eſſe temperaturam optimam, & octo eſſe vitioſas: ibique addit ad æſtatem frigidas & humidas temperaturas benè affici, calidas verò & ſiccas ad hyemem: ecce quod ſolum optima temperatura, ideſt corpus ſalubre diapandos ſimilibus cōſeruatur. Præterea Gal. 3. aphor. comm. 3. declarat, quæ corpora ſimilibus, & quæ contrarijs ſint tractanda, & valdè conuenit, vt afferamus eius verba; quia video Medicos ſępè abuti hac ſententia, ſimilia ſimilibus conſeruari, & cōtraria contrarijs curari: de corporibus igitur ſanis loquens Galenus loco citato habet hæc, ***& vt ſimpliciter dixerim contrarij, quidem ad cōtraria benè, ſimiles autem ad ſimilia malè: præterquam, ſi ætas temperata, & victus, & regioni: et loco temperato comparetur: hoc enim ſolo modo ſimiles à ſimilibus benè afficiētur***: ecce quod temperatiſſima ſolum ſimilibus, & non contrarijs conſeruari debent. Præterea Gal. loquens de cerebro ſano, quamuis inſalubre ſit, dicit cerebrum calidū & humidum lædi à calefaciētibus, & humectantibus: ecce quod corpora ſana, quæ vocantur ſalubria vt multū, & ſana vt nunc, ſana neutra ſimpliciter, vt multum, & vt nunc: ſimiliter ſana inſalubria omnia contrarijs, & non ſimilibus ſunt tractanda: Gal. enim non dixiſſet 3. apho. comm. 3. quod ſolum tēperata ſimilibus ſint tractanda, ſi iudicaſſet, quod cætera corpora à mediocri recedentia eſſent ſimilibus conſeruanda.

3 Dubitatio: non videtur, quod omnis curatio ſit per contraria, quia Ariſtoteles 4. topicorum cap. 3. ait, febri, & ophtalmiæ nihil eſſe contrarium: ſimiliter 5. aphor. 25. habetur, tetanum curari profuſione frigidæ: quare contraria non curantur contrarijs.

Reſpondet Pluſquamcōmentator tex. 35. tertiæ partis huius libri, Ariſtotelem in top. docuiſſe omnia generica habere ſua contraria, vt virtus in communi aduerſatur vitio communi, & ſanitas in communi aduerſatur ęgritudini in communi, non tamen ſemper eſſe verum in ſpecificis differentijs: quia licet auaritię, quæ eſt vitium ſpecificū aduerſetur largitas, tamen (vt ait Ariſtoteles) ophtalmiæ, & febri nihil eſt contrarium, ideſt nulla inuenitur ſpecifica ſanitas, quæ ad-

uerſe-

uerſetur ophtalmiæ, vel quæ aduerſetur febri. Reſponſio hæc accipitur, quod ſcilicet Ariſtot. intelligat de ſpecifica ſanitate, quæ ſit immediatè contraria febri, vel ophtalmiæ; fallitur tamen Pluſquam-commentator, neque Ariſtotel. mentem omninò intelligit, dum inquit ophtalmiā & febrem non habere ſua contraria; dantur enim ſua contraria; ſed ſunt (vt alijs in locis diſputauimus contra ipſum) innominata. Quo ad illud quod dicunt de tetano, quippe eſt paſſio frigida, & tollitur aquæ perfuſione, dicimus id per accidens contingere, quatenus ſcilicet frigidæ perfuſione concentratur calor naturalis, & inde adeo roboratur, vt vincat paſſionem frigidam, ecce igitur quod omnis curatio per contraria fit.

Quartum ſignum; auſter ſemper illis aduerſatur, ideſt capitibus calidis, & humidis cum exceſſu, optimè tamē in Aquilone ſe habēt. Ratio deſumitur ab Hipp. 3. aphor. 5. vbi ait dicit, auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes Gal. verò in comm. docet quod cauſa, cur auſtri reddant auditum grauiorem, & viſum caliginoſum, eſt, quia temperatura auſtri eſt calida, & humida, & omnia calida, & humida apta ſunt ad replendum caput, & ad grauitatem efficiendam; quia principium neruorum humectant; vnde motus voluntarij redduntur pigri: hæc Galenus de auſtro. De aquilone verò admonet, quod reddat corpora robuſtiora, & vegetiora, & præcipuè, ſi corpora calida, & humida ſint; aquilo enim eſt ventus frigidus, & ſiccus, & mirificè confert corpori calido, & humido.

4 Dubitatio ſatis trita: in cura catarrhi prohibetur à Meſue, & ab omnibus ventus Auſter, & Aquilo, ergo Aquilo quoque aduerſabitur cerebro calido, & humido.

Reſpondent Expoſitores, alio modo eſſe curandum catarrhum in ægro, & alio in ſano obnoxio tamen ægritudinibus; cauſa vero, cur Aquilo cerebro correpto ægritudine catarrhali nocet, eſt, quia ſuo frigore parit adiapneuſtiam ſeu pororum conſtrictionem, ob quam calor internus intenditur, humorque retinetur & inde fluxiones excitantur, quod re vera non fiet in cerebro ſano deſtillationibus obnoxio, eo quia reſiſtit. Præterea dicimus cum Gal. 3 aphor. comm. 12. frigus externum eo modo deſtillationes excitare, quo manu aliquando exprimitur ſpōgia aqua imbuta: Hinc Ioannes Langius in ſuis epiſtolis epiſt. 46. valde decipitur; dum reprehendit medicos, qui putant frigus externum excitare catarrhum, quia coarctet paniculos cerebri: miſer enim non animaduertit hanc communem medicorum opinionem eſſe deſumptam à Gal. loco citato, ideò merito ab Expoſitoribus reprehenditur.

5 Dub. quomodo auſter aduerſatur, & Aquilo iuuat cerebro calido, & humido, ſi ex Ariſt. 2. meteororum cap. 4. quilibet ventus eſt exhalatio calida, & ſicca?

Reſponſio communis eſt, & optima, quod licet quilibet ventus in ſe ſit exhalatio calida, & ſicca, tamen ex locis per quos tranſit ſecum fert locorum qualitates: Auſter quia venit à meridie eſt calidus, verum quia tranſit per mare ſecum fert eius vapores, & ſentitur humidus: Aquilo à polo artico veniēs trāſit per niues, & glaciē, ideò nos refrigerat, & exiccat; Quod verò venti reddantur frigidi & humidi à regionibus, per quas tranſeunt, nos docet Ariſtot. 26. probl. 51. vbi dicit in Africa auſtrum eſſe frigidum, & Aquilonem calidum, quia hic antequam illuc perueniat, amittit frigiditatem Septemtrionalem, et induitur caliditate meridiei: ſimiliter ait, auſtrum, dum ſpirat verſus antarticum, amittere caliditatem, et frigiditatem ſibi conciliare.

6 Dub. videtur Gal. diminutus, quod ſolum de duobus ventis mentionem faciat, de alijs verò nihil dicat.

Reſpondent alij, quod omnes venti vel calefaciunt, vel refrigerant, vel exiccant, uel humectant: Aquilo refrigerat, et exiccat, auſter uerò calefacit, & humectat; orientales uenti calefaciunt; occidentales uerò refrigerant, quare ſat erat Galeno de duobus uerba feciſſe.

Alij dicunt, quod aeris tēperaturæ non ſolent mutari, niſi ab Auſtro, & Aquilone, cęteros uentos parum perſeuerare, & exiguam in aere alterationem efficere.

Ego tamen arbitror intentionem Gal. in hoc loco non eſſe de uentis agere, uult enim ſolum docere ſigna cerebri calidi & hu-

& humidi: Cæterum, quia ſigna quoque deſumuntur à iuuantibus & lædentibus, ideò facta eſt mẽtio de Auſtro & Aquilone; aquilo enim iuuat cerebrũ calidũ & humidum, & auſter nocet; auſter verò iuuat cerebrum frigidum & ſiccum, & aquilo nocet.

Quantum attinet ad ventorum generationem credimus nos breuiter, ventos omnes originẽ habere à mõtibus: ſi enim tota terra careret mõtibus, nõ eſſent vẽti: Hinc in ſummis montium cacuminibus, vbi exhalationes non coercentur: ſed ſuauiter & ſine violentia mouentur, non fiunt venti: obſeruatur ab Ariſt. in meteorologicis; in ſummitate montis Olympi, vbi ſemel in anno ſacrificabant ſub dio, ſi in cinere relinquebãt caracteres anno ſequenti inueniebantur.

Mõtes, quorũ occaſione in Europa fiũt venti, tres ſunt præcipui; primus eſt Atlanticus, qui eſt adeo magnus, vt Africã ex vna parte terminet. Secundus quam maximus eſt Caucaſus, qui eſt in Aſia. Tertius verò ſunt Alpes, quorũ propagines extenſæ ſunt quoq; verſus antarticũ. Mons Atlãticus efficit auſtrum, cur? quia detinentur ab illo, & citra illum exhalationes Mediterranei, & regionũ citra illum, ita vt non valeant diffundi & tranſire per Affricam vltra Atlanticum: quare dum exhalationes, nec ſtare, nec vltra poſſint diffundi ob Atlantici impedimentum, magno cũ impetu verſus Europam mouentur; & cũ tranſeant per mare, efficiunt ventos humidos, vt docet Ariſtoteles ſectio 26. problem. 51. Similiter Alpes impediunt, ne exhalationes verſus articũ peragrent: eadem ratione, vt dictũ eſt de auſtro, efficitur aquilo frigidus, & ſiccus, quia euolat per niues & montes ſiccos, & frigidos, diffunditurque per Europam vſque ad Atlanticum montem, vltra quem alij venti fiunt. Mons Caucaſus eadem ratione efficit orientales ventos; alij quoque montes, vel horum propagines efficiunt alios; ſatis enim eſt in meteorologis eſſe tanquam axioma, quod nunquam eſſent venti impetuoſi, niſi eſſent anguſtiæ, quę non eſſent, ſi terra careret montibus, eſſetque aer ita liber, ſicuti in montium cacuminibus.

Conferamus igitur ad propoſitum noſtrum hanc doctrinam. Auſter cur replet cerebrum? quia eſt humidus; cur eſt humidus? quia tranſit per mediterraneum, ac induitur qualitate valde humida; vnde auditus fiunt hebetes & caliginoſi. Auſter in Aphrica non eſt humidus, ſed ſiccus. Aquilo vbi eſt Atlanticus humidus eſt: dum verò peruenit ad nos tranſeundo per terras ſiccas iuuat humidos, nocet tamen debilibus illos refrigerãdo. Inde quoque colligimus, quomodo interdum peſtis, & morbi ferantur per ventos in alienas regiones.

Quintum ſignũ, *non poſſunt diu vigilare, & quando ſe conuertunt ad ſomnum ſimul graui ſomno tentantur, et vigilant.* Ratio eſt; quia ratione humiditatis habẽt inclinationem ad ſomnum: ratione verò caliditatis ad vigiliam, vnde fit coma vigil; libro enim de comate, & primo pręd. in principio admonet, triplicem eſſe differẽtiam comatis; primã differẽtiam eſſe coma quoddã profundũ; ſecundam, ſomniculoſum, ſed non valdè profundum; de hoc intelligit Galenus, quia hìc agit de ſanis, non de ægris: tertiam eſſe coma vigil. Sunt Nonnulli, qui tentantur graui ſomno, attamen non poſſunt dormire: hic affectus à Galeno vocatur coma vigil; quo pacto verò fiat, primo prædictionum notatur per hæc verba; *cum autem, vigiliæ coma iũctum fuerit, ſucci mordentis permiſtione fieri affectionem hanc oſtendi:* ecce quod in cerebro valde calido, & humido facilè coma vigil ſuboritur.

Sextum; *ſomnia habent imaginationibus plena:* ratio eſt, quoniam, qui patiuntur coma vigil habent ſtatum medium inter ſomnum & vigiliam, ideo ſicuti in vigilia infinita imaginamur, ſimiliter in ſomno iſto imperfecto, & vigil; ille enim ſomnus eſt omnium perfectiſſimus, qui eſt ſine ſomnijs; ſomnus uerò perfectus fit, dum uirtus ſenſitiua retrahitur ad in[illegible] tra, & omninò deſerit quinque ſenſ[illegible] dum igitur non omninò retrahi[illegible] ſomnia; habemus enim ab [illegible] bro de ſomnijs, ſomnia fi[illegible] ſorijs conſeruantur im[illegible] obiectorum; cum ig[illegible] non tota ad intro [illegible] ex neceſſitate ſ[illegible] ginationibus[illegible]

preſſa; non retrahitur verò in his virtus ſenſitiua ad cerebrum ob nimiam humiditatem excrementorum, vel ob nimium calorem, qui effundit radios ſpirituum animalium ad ſenſoria, & vigiliā efficit.

Septimum; *viſus ſunt turbulenti, neque ſatis ſenſibus vigent*. Ratio huius deſumitur ex Galeno 3. aphoriſmorum 17. vbi dicit, humectato neruorum principio animales actiones, quæ per neruos fiunt, frigidas, & obtuſas reddi; ſenſus enim vel ſenſiteria omnia per neruos exercent ſua munera. Hinc viſus ſunt turbulenti, & ſenſibus non vigent ob nimiam humiditatem; poſtremò ſi contrariorum eadem eſt diſciplina, vt dicit Ariſtot. 1. topicorum cap. 8. & ſenſus ob ſiccitatem ſint perſpicaces; vt probatum eſt, ergo ob humiditatem erunt obtuſi.

CAPITIS XIX. Particula III.

Quod ſi plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate receſſerit, paululum autem humidius extiterit, calida temperatura indicia quidem ſuperabunt, cum quibus leuia, quadam humiditatis ſigna coniungentur, veluti ſi longè quidem humidius, paululum verò calidius, vehementia quidem erunt, ac manifeſta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis verò hac ratio in omnibus compoſitis intemperaturis exiſtit.

IN prima particula huius capitis Galenus egit de temperatura calida & humida cerebri parum recedente à tempera[illegible] ſecunda de temperatura cal[illegible]da ce[illegible]l-tum recede[illegible]

Diuidi[illegible]la[illegible] -bra, in p[illegible] p[illegible] -em c[illegible] re[illegible] iſſir[illegible] u[illegible] ké na[illegible] pe[illegible] r[illegible] cor[illegible] [illegible]

erit tanta promptitudo ad ſomnum; quartum ſomnia non erunt adeo plena imaginationibus; quintum neque ſenſus erunt obtuſi.

Si verò exceſſus fuerit in humiditate, & non in caliditate, tunc ſigna humidi cerebri apparebunt, de quibus ſuperius, quæ ſunt excrementa plura, malè cocta, non caluitium, corpora ſomnolenta, ſomnia plena imaginationibus, & poſtremò ſenſus obtuſi.

In ſecundo membro huius particulæ dat hoc commune præceptum obſeruandum in omnibus temperaturis compoſitis, ſcilicet quando vna qualitas tantum excedit, tunc eſſe confugiēdum ad ſigna quatuor temperaturarum ſimplicium, quia ſi ſigna fuerint vehementia indicabunt magnū receſſum à temperatiſſimo, ſi debilia, paruum. Hoc præceptum non ſolum eſt commune compoſitis temperaturis cerebri, verum etiam omnibus compoſitis temperaturis cordis, hepatis, ventriculi, & cæterarum partium corporis.

CAPITIS XX.

De ſignis frigidioris, & ſiccioris cerebri.

Tex. 27. *Frigida verò, & ſicca cerebri intemperatura, frigidum & minimè coloratum ſui ratione caput reddunt. Semper enim memoria repetenda quæ à nobis ab initio eſt diſtinctio poſita, vt praterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipſum conſiſtunt: Protinus autem huiuſmodi temperatura venis carentes habent oculos, & à cauſis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali ſanitate fruuntur, quoniam nonnunquam [illegible]iſſima habent capita, & excrementorū [illegible]ratos effluxus. Nonnunquam verò, [illegible] diſtillationibus mini-[illegible] nedinibus, & [illegible] cauſa capiuntur.*

[illegible] Rimum ſignum cerebri frigidi & ſicci eſt, quod caput tactu [illegible] frigidum.

[illegible] Dubitatio; nō videtur, quod [illegible] cerebrum tactu di[illegible] cerebrum poſſit tangi; neq; [illegible] quo cognoſci poſſit interna

na eius frigiditas; ergo hoc ſignum deſumptum à tactu eſt vanum.

Reſpond., ſatis eſſe pro cognitione cerebri frigidi percipere, quod caput, ideſt pericraneum, & facies ipſa à tactu noſtro frigida ſentiatur; requiritur tamẽ manus tẽperati caloris, quia ſi eſſet frigida, poſſet decipi. In hac arte frigidum, vel calidum dicitur prout à temperatiſſimo recedit, omnia enim corpora viuẽtia calida ſunt, tamen facta comparatione ad temperatiſſimum calida dicuntur quæ ſunt calidiora temperato, frigida verò quæ ſunt minus calida, quam temperatum.

Præterea, qui habent cerebrum frigidum poſſunt ſuo ſenſu animaduertere frigiditatem capitis. Ego plures inuenio ſic diſpoſitos, qui valde conqueruntur de cerebri, & pericranei intenſa frigiditate.

Secundum ſignum: *cutis non eſt colorata*; per cutim intelligitur cutis faciei, quia non obſeruatur color alterius cutis, quã faciei. Præterea, dum agitur de temperatuea capitis, ſi ex colore aliquid colligere debemus, id ex facie, & non ex colore alterius partis deſumitur.

Dicit bene coloratum ſui ratione, quia poteſt contingere quod caput ſui ratione ſit frigidum &, ſiccum, tamen ſit floridi coloris, caſu quo pulmo ſit calidior, quia arteriolę quę excurrũt circa faciem ſunt ſurculi arteriæ quę eſt prope pulmonem, ideò dum pulmo eſt alteratus ob aliquem morbum circa genas color roſeus apparet, ideo Gal. c. 13. dicit memoria eſſe repetenda; quia ibi dixit colores non indicare tẽperaturas cerebri, niſi quando humores reſpõdent proportione ipſi capiti.

Valeant igitur qui inferunt color eſt rubicundus, capilli ſunt nigri, ergo calida eſt capitis temperatura. Prĕterea non valet quia in Ethiopia omnes habẽt nigros capillos & criſpos, tamen non omnes habent calidam temperaturam; idcirco pro cognoſcendis tẽperaturis propoſuit Gal. multorum ſignorum ſyndromen ne decipiamur, non enim ſufficit pro oſtenſione temperaturæ calidæ ipſius cerebri, habere pilos nigros, quia ipſe Galen. 2. in primum epid. 78. vult pillos nigros interdum indicare frigiditatem.

2 Dubitatio; *ſemper enim memoria repetenda eſt*: per hæc verba Galenus tollit tacitam dubitationem, quia aliquis dicere poſſet, nonne poteſt contingere in capite frigido & ſicco, quod aliquis habeat venas probis & temperatis humoribus plenas, ex quibus color bonus in facie oriatur? tunc color faciei erit bonus, tamen cerebrum erit frigidum & ſiccum.

Reſpondet Gal. huic obiectioni, memoriam repetendam eſſe eorum, quæ dicta ſunt c. 13. quando loquebatur de pilis dicebat enim, tunc capillorum colores, indicare temperaturam cerebri, quando humores prædominantes non impediũt, eandem reſponſionem dat Galenus in hoc c. dicens, quamuis caput ſit frigidum, & malè coloratum, tamen non neceſſariò indicabit temperaturam ſiccam, & frigidam cerebri, quia oportet quoque videre, quales humores dominentur in venis, poteſt enim contingere, vt aliquis habeat cerebrum calidum, tamẽ venæ illius ſint adeò cruda pituita refertæ, vt ad cerebrum ſua natura calidum mittatur ſanguis admodum frigidus, & ſeroſus, vnde ſuboriatur malus color faciei; ſimiliter poteſt contingere, vt cerebrum ſit ſua natura frigidum & ſiccum, tamẽ venæ ſint refertę ſanguine bilioſo, vnde caput fiat ex accidenti calidum & coloratum. Præterea ex vſu maluatici, & aromatum idem contingere poteſt, ſimiliter ex nimio exercitio non deſunt qui reddantur coloratiores, ecce quod ex vnico ſigno, niſi alia conſiderentur, nõ cognoſcantur temperaturæ. Hinc ſupponendum eſt in hoc libro, nullum ſignum ab alijs ſeparatum eſſe proprium, & conuertibile, qui verò hoc non ſupponunt, inter quos videtur eſſe Argẽterius, æquẽ ignaros poſt huius libri lectionem, ſicuti ante reputabimus.

Tertium ſignum; in his *nõ apparent venæ in oculis*: quia caliditas cerebri non eſt tanti, quanti attrahat ſanguinem, qui extendat capillares oculorum venas; poteſt tamen contingere, vt venæ maiores ſint ſanguine plenæ, & mittatur ſanguis ad venas oculorum; ideò non valebit conſequentia, cerebrum eſt frigidum & siccũ, ergo nõ apparẽt venæ in oculis, nec vice verſa, apparẽt venæ in oculis, ergo cerebrum nõ poteſt eſſe frigidum & siccũ; nos

hos docuit Galenus cap. 13. huius libri, videndum eſſe an in humoribus ſit alteratio; quia poteſt eſſe alteratio in maſſa ſanguinea, ob quam oculi inflammētur; cogimur igitur in examine omnium ſignorum videre, an multa conſentiant in vnum; quia ſolum multorum ſyndrome habet vim ſignificandi temperaturas.

Quartum; *à cauſis frigidis facilè læduntur:* addit quod *fruantur ſanitate inæquali:* quia modo habent capita leuiſſima, quæ ſcilicet non grauantur, quoniā pauca sūt excrementa: modo verò eorum capita grauedinib. & deſtillationibus afficiūtur quia minima ex cauſa læđūtur à frigidis.

Ratio, cur eorum capita ſint leuiſſima, eſt, quia carent excremētis, carent autem excremētis, tum quia deficit cauſa attrahens, quæ eſt calor, tum quia cauſa concoquens eſt diminuta; concoctio enim fit à calido, & humido, & poſt concoctionem remanent excrementa, cum igitur perexigua fiat coctio in cerebro frigido, & ſicco, pauca quoque erunt naturalia excrementa; Si verò ab externo frigore lædantur, tunc concoctio vix fit, immo quod in ſubſtantiam nutriti eſt conuerſurum in excrementum abire videtur: vnde magnæ ſuboriuntur deſtillationes; immo in his fit quidam affectus, qui aſſimilatur Lienteriæ, qui à coctione valdè diminuta, vel ablata fieri ſolet; Hinc in his deſtillatio, vt ita dicam, Lienterica aliquando per nares obſeruari ſolet.

CAPITIS XXI.
De Senſibus.

Senſus autem eorum in iuuentute quidem omnes vigent, atque omni vitio carent, ſed progrediente ætate cito marceſcunt. Et vt ſummatim dicatur, omnes celerrimā circa caput ſenectutem oſtendunt. Quare & citò cani fiunt. Capilli verò ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur, & ruffi ſunt: in progreſſu autem ætatis, ſuperante magis frigiditate caliditatem, quam ſiccitate humiditatem, multum non caluescunt. E contra verò ſi contigerit ſiccitatē quidē plurimū dominari humiditati, frigiditatē verò caliditati, parū calui fiūt hi.

IN hoc cap Galenus deſumit ſigna cerebri frigidi, & ſicci à ſenſibus.

Quintum igitur ſignum indicans cerebrum frigidum, & ſiccum eſt, quod *tales in iuuentute habeant ſenſus perſpicaces, quamvis in progreſſu ætatis cito marceſcāt*, ideſt cito fiant hebetiores: In iuuentute iſtorum ſenſus ſunt vegetes; quia ſenſoria carent excrementis: ſpecies enim ſenſibiles, quando in iſtis transferuntur ad primum ſenſorium, nulla inueniunt excrementa, quæ multitudinem ſuperficierum efficiant; quod enim impedit tranſitum lucidarum ſpecierum eſt ſolum id quod poteſt illarum luciditatem refrangere; taleque non poteſt eſſe, niſi multitudo ſuperficierum; hac ratione lumen non traniat, vbi adeſt corporum multitudo, & ſuperficierum: Hinc aqua ſplendidiſſima, ſi agitetur donec ſpumeſcat, lumen ob multitudinem ſuperficierum exorientium à ſpuma non tranſit; quia in qualibet ſuperficie refrangitur, & in qualibet refractione minuitur penetratio. Qui non intelligit, cur lumen penetret, & cur non penetret, vel quid ſit diaphanum, & opacum, non agat de re lucida, quia nunquam ſe ipſum intelliget. Quod verò ſenſus fiant hebetes; quia ſpecierum puritas impediatur à ſuperficierum multitudine, patet inducendo per omnia ſenſus organa; oculus enim carens non ſolum excrementis, ſed aduentitijs tunicarum ſuperficiebus, optimè uidet, neque indiget ſpecillis; ſi verò eius ragoide, vel retina fiet rugoſa, impedietur tranſitus, ſpecierum, virtute tamen ſpecillorum inter rugas, ſeu inter rimas, vbi eſt claritas, ferentur ſpectra viſibilia, & videbunt, ac ſi eſſent Iuuenes; Senes enim ſemper viderent, vt Iuuenes quo ad facultatem; differentia ſolum oritur ab inſtrumento. Notandum, erraſſe Leonicenum quod per vegetes Galen. intelligat iuuentutē; quia in codice græco dicitur ἐν ἀκμῇ .i. in adoleſcentia & non in iuuentute. Quod dicimus de oculis, idem de alijs ſenſorijs dicendum: In inſtrumento odoratus, vel ob excrementa, uel ob cicatricem impediri ſolent ſpecies olfactoriæ; idem dicimus de auditu, guſtu, & tactu, lucidos ſcilicet radios ſpirituum animalium non poſſe exactè penetrare ad ſenſoria ob ſuperficierum multitudinem ortam ab excrementis, uel ab aliqua cicatrice, uel quomodocunque.

Præterea in luce etiam externa idem euenit, vt diximus de oculis; ſed de his ſuperius fusè egimus. Concludimus ergo illos, qui habent cerebrum frigidum, & ſiccum habere ſenſoria clara: illos verò habere ſenſoria clara, in quibus radij ſpirituum animalium non ſolum prompti; & non refracti ad ſenſoria perueniunt, ſed etiam ſpectra ſenſibilia à luciditate radiorum ſpirituum poſſint ſine organi impedimento ad interna, & prima ſenſoria transferri: hæc autem tunc rectè fiet, quando caput excrementis carebit.

Progrediente ætate, ideſt poſt iuuentutem *ſenſus citò marceſcunt*, ideſt hebetiores fiunt: iuuentus florida eſt anno, vt diximus cum Hippocrate 35. ſed videtur ex Hippocrate 3. aphoriſmorum loco citato, & ex Gal. quod iuuentus ſe extendat ad annum 49. quo tempore incipit ſenectus, non eſt tamen credendum, quod ſtatim poſt 35. annum ſenſus iſtorum, qui habēt cerebrum frigidum, & ſiccum marceſcant: Ego enim noui multos ſimiles, qui vigenti ſenſu, & ingenio perueniunt vſq; ad annum 42. quamvis poſt hoc tempus eorum ſenſus fiant hebetes, vel ipſi moriantur: rarò tamen inueniuntur, qui perueniāt ad principium ſenectutis ſenſibus vigentibus, cauſa verò, cur poſt iuuentutem ſenſus marceſcant, eſt, quia illorum calor deficit, vnde excrementa accumulari incipiunt, & ſenſus eo magis hebetantur; per ſenſus intelligimus præcipuè externos, quibus læſis, & factis hebetioribus, deinde interni, ideſt memoria, imaginatio, & diſcurſus ſtatim diminui incipiunt.

Sextum ſignum: *celerrimam circa caput ſenectutem oſtendunt*: hoc ſignum eſt euidentiſſimum: ſi igitur videritis Iuuenem cum ſenili facie, dicetis illius cerebrum eſſe frigidum, & ſiccum, tali facie Nicolaus Maurocenus frater illius Andreę, quem iamdiu Senatus ob eius incredibilem facundiam ad præclariſſimū hiſtoriographi munus delegit, erat inſignitus, obijt anno ſuæ ætatis 42. ſed eius perſpicacitas, & prudentia humanæ conditionis modum excedebat; nulla enim magiſtri virtute, ſed ſuo inaudito ſpiritu ad omnium diſciplinarum faſtigium ſe tranſtulit, de illo optimè poterat dici cum Heraclito, habuiſſe ſplendorem ſiccum, & animam ſapientiſſimam.

Septimum ſignum: cito cani fiunt: ratio eſt, quia cerebrum frigidum, & ſiccum habet calorem imbecillem; dicit enim Ariſt. 5. de generatione animal. cap. 4. & 5. & 3. de hiſt. cap. 11. canitiem eſſe languorem pili factam ob caloris imbecillitatem; excrementum enim fuliginoſum, cum non poſſit ab expultrice imbecilli, & debili omninò expelli, retinetur in cuti, & putreſcit: de hac putredine loquens Galen. 2. de temperamentis cap. 5. ait eſſe veluti pituitæ ſitum, quod genus putredinis communiter hic vocatur la muffa; quo pacto verò fiat ſitus, docet philoſophus locis citatis; dicit enim, quæ eleuantur a terra, & aqua cum defectu caloris, vel ita concreſcere, vt fiat pruina, vel putreſcere, & fiat ſitus.

Notandum ex Ariſtotele locis proximè citatis dari canitiem non ſolum ob ſenium, ſed aliquando ob cutis morbum, qui vitiligo dicitur, à cuti enim oriuntur pili, ea igitur ægritudine, qua afficitur cutis, pili quoque afficiuntur; cutis ob vitiliginem alba redditur, albi quoque pili ibi fiunt.

Antiqui errabant (referente philoſopho locis citatis) dum putabant, canitiem fieri ex ariditate cutis, Ariſtotel. enim his verbis 3. de hiſtoria animalium c. 11. dicebat ex ariditate canitiem non fieri; *Nihil enim illicò aridum gigni ſolet: Quæ enim areſcunt non illico dum generantur areſcunt, ſed paulo poſt*, quod non conuenit pilis canis, qui illicò cani oriuntur.

Differentia inter Galenum, & Ariſtotelem de canitie eſt, quod Galenus cenſeat, canitiem fieri ex putredine, quæ eſt veluti ſitus pituitæ; Ariſtoteles verò putat ex putredine vaporis inde eleuati fieri canitiem: Auicennas cōciliat Galenum cum Ariſt. 2. primi doc. 3. cap. 3. quem locum videre quiſque poterit: ſed nos ſatis fusè ſuperius in propria quæſtione egimus, quare non eſt, vt de hac re longiorem inſtituamus ſermonem.

Cauſa tamen, cur in temporibus citius fiat canities, quam in ſyncipite, & occipite, varia ab Auctoribus proponitur; Ariſt. enim putat inde fieri: quia occiput non continet cerebrum, & vacat humore:

ſyn-

ſyncipu verò continet cerebrum, & abundat humore: atque ob paucum, & ob nimium humorem difficilè humores putreſcere; in temporibus verò nec multam, nec paucam eſſe humorum abundantiam, ideo putredinem citius fieri, & pilos citius caneſcere.

Auerroes in ſua paraphraſi aliam refert cauſam dicens, ob oſſium ſubtilitatem tardius fieri canitiem: cum igitur in temporibus ſit os petroſum, & valde durum, exhalationes putridæ non ita exhalant, ſed retinentur, vnde pili citius caneſcunt.

Gal. putat in temporibus fieri prius canitiem, quia ibi eſt maior humiditas, quam in alijs capitis partibus; maior enim eſt humiditas, quia tempora, muſculo qui eſt craneo humidior, tecta ſunt, in ſyncipite verò, quia ibi eſt magna ſiccitas, ideò non ita cito fit, quamuis prompte admodum fiat caluitium, canities enim fit à nimia humiditate putrefacta eo modo, quo eſt ſitus, caluitium verò fit à nimia ſiccitate.

Octauum; *capilli ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur:* ratio eſt, quia habent calorem exiguum, auctio enim capillorum, & nutritio celeriter fiunt, vbi calor non deficit.

Inſuper vbi adeſt frigiditas, & ſiccitas deficit pinguedo, quæ neceſſariò concurrit ad faciendos pilos vt cauſa vniens, & continuans ipſas fuligines.

Nonum, *pili ſunt ruffi*. Ratio eſt, quia non adeſt tantus calor, quantus eſt, dum fiunt nigri; nigri enim pili ex aduſtione fiunt; ruffi verò, vbi calor eſt diminutus.

Decimum ſignum ex eo deſumitur, quod *progredient ætate iſtorum, qui habent cerebrum frigidum, & ſiccum, ſi magis dominetur ſiccitas, quam frigiditas, magis caleſcunt, ſi magis frigiditas, minus.*

CAPITIS XXII.
Particula I.

De Signis cerebri frigidioris, & humidioris.

Tex. 18. *Humida verò, & frigida cerebri temperatura faciunt homines graui ſomno tentari; & ad ſomnum facilè conuerti, ſenſibus quoque minimè vigentes, atque excrementis redundantes: & qui caput frigidatum, ac repletioni habent obnoxium, ac diſtillationibus, & grauedinibus facilè tentantur, neque tamen hi calui ſiunt.*

PRimum ſignum cerebri frigidi, & humidi ex eo deſumitur quod *homines graui ſomno tentantur, & ad ſomnum facilè conuertuntur:* ex hoc ſigno ſtatim apparet differentia inter cerebrum calidum, & humidum, & frigidum, & humidum; quia loquens Galenus de habentibus cerebrum calidum, & humidum dicebat, hos tentari ſomno, non tamen ad ſomnum facilè conuerti, vt hic dicit; ratione enim humiditatis habebant propenſionem ad ſomnum, ratione verò caliditatis ad vigiliam: iſti verò qui habent cerebrum frigidum, & humidum ratione vtriuſque qualitatis fiunt ſomnolenti; vtraque enim qualitas impedit, ne ad ſenſoria virtus ſenſitiua promptè recurrat.

In hiſtoria Hermocratis Galenus refert tres ſomni differentias, primam ait fieri ob imbecillitatē, & talis ſomnus in Hermocrate (vt ibi admonet) erat certæ mortis indicium; ſignificat enim virtutem animalem eſſe adeo exolutam, vt nō poſſit ad ſenſoria tranſmitti. Secundam differentiam dicit fieri à nimia humiditate, quæ ſomni differentia ebrijs contingere ſolet. Tertiam a frigiditate, qualis ſolet eſſe in ſenibus; ſicuti enim in ſenibus cauſa, cur nimium dormiant, eſt frigiditas, quæ impedit, ne virtus ſenſitiua prōptè perueniat ad ſenſoria, ſic in ebrijs eſt humiditas; quod verò cauſa ſomni longioris, vel breuioris ſit obſtructio facta inter ſenſus externos, & internos, ob quam virtus animalis non diffunditur, legamus Galenum primo de ſymptomat. cauſis capite 8. vbi refert in maiorem, vel minorem obſtructionem cauſam ſomni maioris vel minoris profunditatis.

Notandum hic, Sclanum reprehendere Leonicenū, quia interpretatus ſit *καταφορᾶς ἐργάζονται, καὶ ὑπνώδεις* graui ſomno tentari, & ad ſomnum facilè conuerti; interpretatio Sclani quæ eſt, eſſe ad ſomnum inclinatos, & ſomnolentos rectius accomodatur verbis græcis; quia à Galeno primo proret. comm. primo definitur, quod ſignificet magnam propenſio-

ſionem in ſomnum, & non actu tentari graui ſomno, quia Galenus in hoc loco agit de ſanis: ſed ſic eſt quod qui graui ſomno tentantur ſunt ægri.

Coma ex Gal. lib. de comate & alibi duplex eſt, ſomnolentum,& vigil,qui habent cerebrum calidum & humidum habent propenſionem ad coma vigil:de his Plato in Phędro intelligit,dum ait,in meridie non eſſe dormiendum;qui vero habent cerebrum frigidum & humidum, ſunt propenſi ad coma ſomnolentum:iſti tamen ex ſomno meridiano recipiũt detrimentum: quia tales implentur excrementis, & facilè incidunt in coma. Similiter qui habent cerebrum frigidum & ſiccum & calidum & ſiccum dummodo non ſit coniuncta humiditas, ex ſomno meridiano ſummum colligunt beneficium: quia habent capita leuiſſima: iſti ratione ſiccitatis ſolent pati caluitium,& hos plurimum iuuat moderatus ſomnus meridianus.

Secundum ſignum: *ſenſus iſtorum non ſunt vigentes, ſed obtuſi.*

Acachias hic reprehenditur, quia interpretatur non ſenſus obtuſos, ſed deprauatos: Græca dictio eſt *ϲαυλους*, per ſaulos intelligimus cum Leoniceno ſenſus non vigentes, de ratione quorum nõ eſt deprauatio,ſed obtuſio. Præterea interpretatio Acachię aduerſatur doctrinę Galeni, qui in hoc loco agit de corporibus ſanis: actiones verò deprauatæ non conueniunt ſanis,ſed ægris: actiones verò diminutæ poſſunt quoque ſanis conuenire,ſicuti clarè docuit Gal.cap.8.part. 8. huius libri, vbi dixit, actiones abolitas & deprauatas ægritudinem, imbecillas indicare verò non ſemper.

Tertium ſignum: *excrementis redundant*: Nota tamen excrementa eſſe pituitoſa; quia cerebrum frigidum & humidum ex neceſſitate generat excrementũ frigidum & humidum, quod eſt pituita: ſimiliter obſeruandum eſt, illos qui habent cerebrum frigidum, & humidum nulla vel admodum pauxilla aurium excrementa habere.

Quartum ſignum: iſti habent *capita obnoxia frigiditati. et repletioni, vnde deſtillationibus, & grauedinibus facile tentantur.* Ratio, cur ſint obnoxia repletioni, eſt, quia concoctrix eſt debilis, & diminuta, ita vt non conuertat in ſubſtantiam nutriti proprium alimentum, vnde deſtillationibus & grauedinibus tentantur.

Notandum, caput frigidum & humidum non eſſe obnoxium repletioni; quia excrementa attrahuntur ratione caloris; verũ quia hoc caput ob eius imbecillitatem non reſiſtit excrementis ab alijs partibus expulſis, ideo dicitur repletioni obnoxium: partes enim corporis, dum ſanæ ſunt, quod eſt illis ſuperuacuum deponũt in aliam partem debiliorem: nullaq; pars debilior eſſe poteſt, quam quæ caret calore, vel quæ ſua natura frigida & humida eſt: Hinc Galen. 3. de facul. naturalibus c. 13. habet hæc verba: *ſicuti inter ſe particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt, ita altera in alteram quod ſuperuacuũ eſt à ſe deponit, & ſicuti trahentium ea vincit, quæ erat valentior, ſic & ſe deponentium: ſubdit: vbi aliqua particula effectus cuiuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita, ex omnibus in illam, quæ ſuperuacua ſunt confluere eſt neceſſe, namque quæcunque pars valẽtiſſima eſt in vicinas omnes reponit, & rurſus earum ſingulæ in alias, quæ ſunt ipſis imbecilliores, & rurſus in alias, donec omnium imbecillimam inueniant*: certum eſt quod caput frigidum & humidũ eſt imbecillimum, ideo ſemper excrementis refertum eſt. Præterea 13. methodi cap. vltimo oſtendens Gal. quod imbecillitas ſit cauſa receptionis excrementorum, habet ferè hæc verba; ſi intẽperies cerebri fluxionem tranſmittat in aliquem locum, corrigi debet epithematis; ſed ſi eſt vitiũ vaſorum, cum ſcilicet venæ, vel arteriæ ſint imbecilliores, ſic vt aliorum vaſorũ ſuperuacua recipiant, tunc intercipimus, ne amplius recipiant excidendo aliquam partẽ venarum, vel arteriarum, vt facta citatrice, humores nõ amplius confluãt: ecce quod imbecillitas partiũ cauſat excrementorum receptionem; quare cum intẽperies frigida & humida ſit omnium imbecillima, erit quoq; omniũ intemperierum magis obnoxia repletioni, & deinde deſtillationibus, & grauedinibus.

Notandum in cerebro ob quinq; cauſas accumulari excremẽta. Primò ob vapores; ſicuti ſiunt imbres; vt docet Ariſtoteles 2. de par. animal. cap. 7. vel ſicuti

in

in alembico. Secundò accumulãtur ſi per fibras rectas eſophagi aſcendant cruditates uentriculi ad cerebrum. Tertiò uel ob ſanguinem vitiatum. Quartò uel capite læſo, de his duobus poſtremis mentionem facit Gal. 2. de diff. feb. ultimo. Quinto accumulantur excrementa in cerebro propter obſtructiores cerebri, ob quas detinet alimentũ & detentum corrumpitur.

Quintum ſignum; *hi non ſunt calui*: caluitium fit ab ariditate cutis, quæ naſcitur in pericraneo, ut docet Hippocrates 6. epid. comm. 3. tex. 1. quia cerebrum non tangit craneum, quod non poteſt contingere in frigidis, & humidis; quia eorum cerebrum ſemper eſt humiditate refertum, vnde humidis excrementis imbutum craneum tangit, & per conſequens à cerebro humectatur, ita vt non fiat caluitium.

CAPITIS XXII.
Particula II.

Tex. 29. *Hæc igitur indicia ſunt cerebri temperaturæ, in quibus ſi progrediaris ad vnumquodque ſenſoriũ in dignoſcenes tranſferre licebit.*

DOcet Gal. quod per ſigna propoſita indicant a temperaturas cerebri nos poſſimus quoque pernoſcere quinque ſenſoriorum tẽperaturas, videlicet viſus, guſtus, olfactus, auditus, & tactus, quamvis ſolum de oculis infra mentionem faciat, nerui enim ſunt ferè eiuſdẽ naturæ cum cerebro. Hinc Gal. lib. de motu muſculorum c. 1. ait, ſubſtantiam neruorum eſſe ſimi lem ſubſtantiæ cerebri; ſimiliter l. 8. de vſu par. c. 6. docet, neruum eſſe paruum cerebrum reſiccatum, & durius factum, propter hanc ſimilitudinem, quæ eſt inter cerebrum, & ſenſoria, Gal. transfert methodum ſignorum traditam pro dignoſcendis temperaturis cerebri ad temperaturas ſenſoriorum.

Methodus ſignorum indicantium tẽperaturas cerebri conſtabat ex ſex fontibus, primus continebat capitis diſpoſitiones, quæ prædicantur de magnitudine, figura, & capillis. Secundus fons cõtinebat ſenſitiuas operationes. Tertius motiuas. Quartus operationes habentes principatũ. Quintus actiones naturales; Sextus extrinſecus alterantia, & iuuantia, & lædentia. Eadem methodus applicanda eſt quinque ſenſorijs: quia ex magnitudine, figura, & pilis eadem ratione temperaturas quinque ſẽſuum colligere poſſumus. Similiter ex operationibus ſenſitiuis, & motiuis cuiuslibet ſenſus cognoſcemus, an eorum temperaturæ calidæ, vel frigidæ ſint: itidem iudicabimus actionem præcipuam cuiuslibet ſenſus proportione reſpondere operationibus cerebri habẽtibus principatum, & demum actionibus naturalibus ſenſiteriorum. Ex alterantibus extrinſecis, & ex iuuantibus, & lædentibus percipiemus eorum temperaturas.

Nonnulli alij dicunt, melius Galeni artificium explicari, ſi dixerimus quatuor tantum dari fontes, a quibus deſumuntur ſigna temperaturarum cerebri, & ſenſoriorum, ita vt primus contineat ſigna, quæ deſumuntur ab eſſentia, intelligẽdo per eſſentiam ſymetriam quatuor qualitatum. Secundus cõtineat quę conſequũtur eſſentiam, ut molle, durum, &c. Tertius contineat quæ accidunt, id eſt paſſiones diſſimilarium partium, quales ſunt magnitudo, figura, numerus, & conformatio: Hæc genera non inſequuntur neceſſariò eſſentiam, ideſt temperaturam, ſeu ſymetriam quatuor qualitatum, ſed accidunt temperaturæ; Quartus continet iuuantia, & lędẽtia; ad quos quatuor fontes non ſolum omnia quæ dicta ſunt de cerebri tẽperaturis referri poſſunt, ſed & quæ erũt dicenda de oculis, & de alijs ſẽſibus. Nobis quidẽ viſa eſt methodus ſuperior magis diſtincta: attamẽ laudamus quoq; hãc, quia à noſtra nõ valdè differt.

CAPITIS XXIII.
Particula I.

De Temperaturis Oculorum.

Tex. 30. *Sed ſufficiet de oculis dumtaxat facere mentionem. Quicunque tangentibus quidem manifeſtè calidi exiſtunt, & facilè à cerebro motu cientur, & venas latas habent, hi calidi omnes ſunt.*

POſtquam Gal. ſecundum methodũ propoſitum indagauit cerebri tẽpe-

1 Dub. Auicenn. declarans ſigna cerebri calidi & humidi dicit, eſſe obnoxium ægritudinibus calidis & frigidis : Galenus tamen in tex. contrarium aſſerere videtur ; dum dicit quod aquilo iuuat, quia eſt frigidus , & ſiccus, ergo non eſt obnoxium frigidis , vt dicit Auicennas.

Reſpondet Auicennas, quatenus tale cerebrum eſt valde debile , & in fine latitudinis ſanitatis conſtitutum, propterea eſſe obnoxiũ frigidis ægritudinibus. Ego autem ſic conciliarem Auicennã cũ Galeno nempè,aquilonem,ſeu alias cauſas externas frigidas ex accidenti calefacere & humectare poſſe quatenus ſcilicet obſtruunt meatus , & prohibent perſpirationem cerebri : inde enim magis incaleſcit, & humectatur : itaque dicimus, Galenũ inſpexiſſe ſolum cauſas, quæ per ſe lædunt cerebrum calidum & humidum ; Auicennam verò cauſas quoque per accidens.

Secundum ſignũ ait: ***excrementis abũdare:*** ratio eſt, quia ratione caliditatis fit attractio excrementorum : ratione verò humiditatis obtundentis calorem fit prohibitio reſolutionis excrementorum: ſed ſi dixeris ratione laxitatis : melius adhuc reſpondebis : viſcera enim inſalubria, ſi iunctam habent humiditatem,redditur ob humiditatem laxantem fibras excrementorum receptacula, quod non accidit viſceribus debilibus, & ſiccis.

Tertium Signum:***facilè læditur à calefacientibus & humectantibus.***

2 Dub. magna oritur, quia Galenus in hoc loco agit de cerebro calido & humido ſano,& nõ ægro:quomodo igitur Galenus dicit calidũ & humidum cerebrũ lædi à calefacientibus & humectantibus? non ne quæ ſana ſunt debent ſimilibus conſeruari, & quæ ſunt ægra contrarijs ſanari? idemque docet Gal. in tertia parte huius libri tex. 35.4.meth.cap.2.& 11. math. cap. 12. videlicet contrariam affectionem præter naturam, vel recedentem ab optima eſſe tollendam contrario.

Solutio hæc eſt: corpora ſimpliciter ſana ſimilibus ſunt cõſeruanda, & nõ corpora ſana neutra,& inſalubria:quod hęc ſolutio tollat dubium, ex Galeno patet 3. aphoriſ.2. & 3. vbi dicit, vnam eſſe temperaturam optimam, & octo eſſe vitioſas : ibique addit ad æſtatem frigidas & humidas temperaturas benè affici, calidas verò & ſiccas ad hyemem: ecce quod ſolum optima temperatura, ideſt corpus ſalubre diapandos ſimilibus cõſeruatur. Præterea Gal.3.aphor.comm.3.declarat, quæ corpora ſimilibus,& quæ contrarijs ſint tractanda,& valdè conuenit,vt afferamus eius verba;quia video Medicos ſæpè abuti hac ſententia, ſimilia ſimilibus conſeruari,& cõtraria contrarijs curari: de corporibus igitur ſanis loquens Galenus loco citato habet hæc, ***& vt ſimpliciter dixerim contrarij, quidem ad cõtraria benè,ſimiles autem ad ſimilia malè:præterquam, ſi ætas temperata, & victus, & regioni : et loco temperato comparetur: hoc enim ſolo modo ſimiles à ſimilibus benè afficiẽtur:*** ecce quod temperatiſſima ſolum ſimilibus , & non contrarijs conſeruari debent. Præterea Gal. loquens de cerebro ſano, quamuis inſalubre ſit,dicit cerebrum calidũ & humidum lædi à calefaciẽtibus,& humectantibus: ecce quod corpora ſana , quæ vocantur ſalubria vt multũ, & ſana vt nunc,ſana neutra ſimpliciter, vt multum, & vt nunc: ſimiliter ſana inſalubria omnia contrarijs,& non ſimilibus ſunt tractanda: Gal. enim non dixiſſet 3. apho. comm. 3. quod ſolum tẽperata ſimilibus ſint tractanda,ſi iudicaſſet, quod cætera corpora à mediocri recedentia eſſent ſimilibus conſeruanda.

3 Dubitatio:non videtur, quod omnis curatio ſit per contraria,quia Ariſtoteles 4. topicorum cap. 3. ait, febri, & ophtalmiæ nihil eſſe contrarium : ſimiliter 5. aphor.25.habetur,tetanum curari profuſione frigidæ : quare contraria non curantur contrarijs.

Reſpondet Pluſquamcõmentator tex. 35. tertiæ partis huius libri, Ariſtotelem in top. docuiſſe omnia generica habere ſua contraria, vt virtus in communi aduerſatur vitio communi , & ſanitas in communi aduerſatur ęgritudini in communi, non tamen ſemper eſſe verum in ſpecificis differentijs: quia licet auaritię, quæ eſt vitium ſpecificũ aduerſetur largitas, tamen (vt ait Ariſtoteles) ophtalmiæ , & febri nihil eſt contrarium, ideſt nulla inuenitur ſpecifica ſanitas,quæ ad-

uerſe-

uerſetur ophtalmiæ, vel quæ aduerſetur febri. Reſponſio hæc accipitur, quod ſcilicet Ariſtot. intelligat de ſpecifica ſanitate, quæ ſit immediatè contraria febri, vel ophtalmiæ; fallitur tamen Pluſquam-commentator, neque Ariſtotel. mentem omninò intelligit, dum inquit ophtalmiã & febrem non habere ſua contraria; dantur enim ſua contraria; ſed ſunt (vt alijs in locis diſputauimus contra ipſum) innominata. Quo ad illud quod dicunt de tetano, quippe eſt paſſio frigida, & tollitur aquæ perfuſione, dicimus id per accidens contingere, quatenus ſcilicet frigidæ perfuſione concentratur calor naturalis, & inde adeo roboratur, vt vincat paſſionem frigidam, ecce igitur quod omnis curatio per contraria fit.

Quartum ſignum; auſter ſemper illis aduerſatur, ideſt capitibus calidis, & humidis cum exceſſu, optimè tamẽ in Aquilone ſe habẽt. Ratio deſumitur ab Hipp. 3.aphor.5.vbi ait dicit, auſtri auditum hebetantes, caliginoſi, caput grauantes Gal. verò in comm. docet quod cauſa, cur auſtri reddant auditum grauiorem, & viſum caliginoſum, eſt, quia temperatura auſtri eſt calida, & humida, & omnia calida, & humida apta ſunt ad replendum caput, & ad grauitatem efficiendam; quia principium neruorum humectant; vnde motus voluntarij redduntur pigri: hæc Galenus de auſtro. De aquilone verò admonet, quod reddat corpora robuſtiora, & vegetiora, & præcipuè, ſi corpora calida, & humida ſint; aquilo enim eſt ventus frigidus, & ſiccus, & mirificè confert corpori calido, & humido.

4 Dubitatio ſatis trita: in cura catarrhi prohibetur à Meſue, & ab omnibus ventus Auſter, & Aquilo, ergo Aquilo quoque aduerſabitur cerebro calido, & humido.

Reſpondent Expoſitores, alio modo eſſe curandum catarrhum in ægro, & alio in ſano obnoxio tamen ægritudinibus; cauſa vero, cur Aquilo cerebro correpto ægritudine catarrhali nocet, eſt, quia ſuo frigore parit adiapneuſtiam ſeu pororum conſtrictionem, ob quam calor internus intenditur, humorque retinetur & inde fluxiones excitantur, quod re vera non fiet in cerebro ſano deſtillationibus obnoxio, eo quia reſiſtit. Præterea dicimus cum Gal.3 aphor.comm 12.frigus externum eo modo deſtillationes excitare, quo manu aliquando exprimitur ſpõgia aqua imbuta: Hinc Ioannes Langius in ſuis epiſtolis epiſt.46. valde decipitur; dum reprehendit medicos, qui putant frigus externum excitare catarrhum, quia coarctet paniculos cerebri: miſer enim non animaduertit hanc communem medicorum opinionem eſſe deſumptam à Gal. loco citato, ideò merito ab Expoſitoribus reprehenditur.

5 Dub. quomodo auſter aduerſatur, & Aquilo iuuat cerebro calido, & humido, ſi ex Ariſt.2. meteororum cap.4. quilibet ventus eſt exhalatio calida, & ſicca?

Reſponſio communis eſt, & optima, quod licet quilibet ventus in ſe ſit exhalatio calida, & ſicca, tamen ex locis per quos tranſit ſecum fert locorum qualitates: Auſter quia venit à meridie eſt calidus, verum quia tranſit per mare ſecum fert eius vapores, & ſentitur humidus: Aquilo à polo artico veniẽs trãſit per niues, & glaciẽ, ideò nos refrigerat, & exiccat; Quod verò venti reddantur frigidi & humidi à regionibus, per quas tranſeunt, nos docet Ariſtot.26. probl.51. vbi dicit in Africa auſtrum eſſe frigidum, & Aquilonem calidum, quia hic antequam illuc perueniat, amittit frigiditatem Septemtrionalem, et induitur caliditate meridiei: ſimiliter ait, auſtrum, dum ſpirat verſus antarticum, amittere caliditatem, et frigiditatem ſibi conciliare.

6 Dub. videtur Gal. diminutus, quod ſolum de duobus ventis mentionem faciat, de alijs verò nihil dicat.

Reſpondent alij, quod omnes venti vel calefaciunt, vel refrigerant, vel exiccant, uel humectant: Aquilo refrigerat, et exiccat, auſter uerò calefacit, & humectat; orientales uenti calefaciunt; occidentales uerò refrigerant, quare ſat erat Galeno de duobus uerba feciſſe.

Alij dicunt, quod aeris tẽperaturæ non ſolent mutari, nisi ab Auſtro, & Aquilone, cæteros uentos parum perſeuerare, & exiguam in aere alterationem efficere.

Ego tamen arbitror intentionem Gal. in hoc loco non eſſe de uentis agere, uult enim ſolum docere ſigna cerebri calidi

& hu-

& humidi: Cæterum,quia ſigna quoque deſumuntur à iuuantibus & lædentibus, ideò facta eſt métio de Auſtro & Aquilone; aquilo enim iuuat cerebrũ calidũ & humidum, & auſter nocet; auſter verò iuuat cerebrum frigidum & ſiccum, & aquilo nocet.

Quantum attinet ad ventorum generationem credimus nos breuiter, ventos omnes originẽ habere à mõtibus:ſi enim tota terra careret mõtibus, nõ eſſent vẽti: Hinc in ſummis montium cacuminibus, vbi exhalationes non coercentur: ſed ſuauiter & ſine violentia mouentur, non fiunt venti: obſeruatur ab Ariſt. in meteorologicis; in ſummitate montis Olympi, vbi ſemel in anno ſacrificabant ſub dio, ſi in cinere relinquebãt caracteres anno ſequenti inueniebantur.

Mõtes,quorũ occaſione in Europa fiũt venti, tres ſunt præcipui; primus eſt Atlanticus, qui eſt adeo magnus, vt Africã ex vna parte terminet. Secundus quam maximus eſt Caucaſus, qui eſt in Aſia. Tertius verò ſunt Alpes,quorũ propagines extenſæ ſunt quoq;verſus antarticũ. Mons Atlãticus efficit auſtrum,cur?quia detinentur ab illo, & citra illum exhalationes Mediterranei, & regionũ citra illum, ita vt non valeant diffundi & tranſire per Affricam vltra Atlanticum:quare dum exhalationes,nec ſtare, nec vltra poſſint diffundi ob Atlantici impedimentum, magno cũ impetu verſus Europam mouentur; & cũ tranſeant per mare,efficiunt ventos humidos, vt docet Ariſtoteles ſectio 26. problem.51. Similiter Alpes impediunt, ne exhalationes verſus articũ peragrent:eadem ratione,vt dictũ eſt de auſtro, efficitur aquilo frigidus, & ſiccus, quia euolat per niues & montes ſiccos,& frigidos,diffunditurque per Europam vſque ad Atlanticum montem,vltra quem alij venti fiunt.MonsCaucaſus eadem ratione efficit orientales ventos; alij quoque moutes,vel horum propagines efficiunt alios; ſatis enim eſt in meteorologis eſſe tanquam axioma, quod nunquam eſſent venti impetuoſi, niſi eſſent anguſtiæ,quę non eſſent,ſi terra careret montibus, eſſetque aer ita liber, ſicuti in montium cacuminibus.

Conferamus igiturad propoſitum noſtrum hanc doctrinam. Auſter cur replet cerebrum? quia eſt humidus; cur eſt humidus? quia tranſit per mediterraneum,ac induitur qualitate valde humida; vnde auditus fiunt hebetes & caliginoſi. Auſter in Aphrica non eſt humidus, ſed ſiccus. Aquilo vbi eſt Atlanticus humidus eſt: dum verò peruenit ad nos tranſeundo per terras ſiccas iuuat humidos, nocet tamen debilibus illos refrigerãdo.Inde quoque colligimus, quomodo interdum peſtis, & morbi ferantur per ventos in alienas regiones.

Quintum ſignũ,*non poſſunt diu vigilare, & quando ſe conuertunt ad ſomnum ſimul graui ſomno tentantur, & vigilant.* Ratio eſt;quia ratione humiditatis habẽt inclinationem ad ſomnum: ratione verò caliditatis ad vigiliam, vnde fit coma vigil; libro enim de comate,& primo pręd. in principio admonet, triplicem eſſe differẽtiam comatis; primã differẽtiam eſſe coma quoddã profundũ;ſecundam,ſomnicnloſum, ſed non valdè profundum; de hoc intelligit Galenus,quia hìc agit de ſanis,non de ægris:tertiam eſſe coma vigil. Sunt Nonnulli, qui tentantur graui ſomno,attamen non poſſunt dormire: hic affectus à Galeno vocatur coma vigil;quo pacto verò fiat,primo prædictionum notatur per hæc verba; *cum autem, vigilia coma iũctum fuerit,ſucci mordentis permiſtione fieri affectionem hanc oſtendi:* ecce quod in cerebro valde calido, & humido facilè coma vigil ſuboritur.

Sextum; *ſomnia habent imaginationibus plena:* ratio eſt, quoniam,qui patiuntur coma vigil habent ſtatum medium, inter ſomnum & vigiliam, ideo ſicuti in vigilia infinita imaginamur, ſimiliter in ſomno iſto imperfecto,& vigil;ille enim ſomnus eſt omnium perfectiſſimus, qui eſt ſine ſomnijs; ſomnus uerò perfectus fit,dum uirtus ſenſitiua retrahitur ad intra, & omninò deſerit quinque ſenſoria. dum igitur non omninò retrahitur fiunt ſomnia; habemus enim ab Ariſtotele libro de ſomnijs, ſomnia fieri, quia in ſenſorijs conſeruantur imagines externorũ obiectorum; cum igitur virtus ſenſitiua non tota ad intro reuocetur, oportet, vt ex neceſſitate ſuccedant ſomnia ex imaginationibus, quæ ſunt in ſenſorijs impreſſa;

preſſa; non retrahitur verò in his virtus ſenſitiua ad cerebrum ob nimiam humiditatem excrementorum, vel ob nimium calorem, qui effundit radios ſpirituum animalium ad ſenſoria, & vigiliā efficit.

Septimum; *viſus ſunt turbulenti, neque ſatis ſenſibus vigent*. Ratio huius deſumitur ex Galeno 3. aphoriſmorum 17. vbi dicit, humectato neruorum principio animales actiones, quæ per neruos fiunt, frigidas, & obtuſas reddi; ſenſus enim vel ſenſiteria omnia per neruos exercent ſua munera. Hinc viſus ſunt turbulenti, & ſenſibus non vigent ob nimiam humiditatem; poſtremò ſi contrariorum eadem eſt diſciplina, vt dicit Ariſtot. 1. topicorum cap. 8. & ſenſus ob ſiccitatem ſint perſpicaces; vt probatum eſt, ergo ob humiditatem erunt obtuſi.

CAPITIS XIX.
Particulā III.

Quod ſi plurimum in caliditate cerebrum à mediocritate receſſerit, paululum autem humidius extiterit, calida temperatura indicia quidem ſuperabunt, cum quibus leuia, quadam humiditatis ſigna coniungentur, veluti ſi longè quidem humidius, paululum verò calidius, vehementia quidem erunt, ac manifeſta humiditatis indicia, debilia autem caliditatis. Communis verò hac ratio in omnibus compoſitis intemperaturis exiſtit.

IN prima particula huius capitis Galenus egit de temperatura calida & humida cerebri parum recedente à temperatiſſimo; In ſecunda de temperatura calida, & humida cerebri multum recedente.

Diuiditur hæc particula in duo membra, in primo inquit, ſi per ſolam caliditatem cerebrum valde recedat à temperatiſſimo ſuo, & parum per humiditatē, ſigna humiditatis ſuperius propoſita erūt leuia & mitiora; è contra verò ſi exceſſus fuerit in humiditate, & non in caliditate, quia ſigna caliditatis erunt leuia, humiditatis verò vehementia. Si igitur exceſſus fuerit in caliditate, & non in humiditate; hæc quinque ſigna apparebunt; primum, non erunt multa excrementa; ſecundum erit caluitium, tertium non erit tanta promptitudo ad ſomnum; quartum ſomnia non erunt adeo plena imaginationibus; quintum neque ſenſus erunt obtuſi.

Si verò exceſſus fuerit in humiditate, & non in caliditate, tunc ſigna humidi cerebri apparebunt, de quibus ſuperius, quæ ſunt excrementa plura, malè cocta, non caluitium, corpora ſomnolenta, ſomnia plena imaginationibus, & poſtremò ſenſus obtuſi.

In ſecundo membro huius particulæ dat hoc commune præceptum obſeruandum in omnibus temperaturis compoſitis, ſcilicet quando vna qualitas tantum excedit, tunc eſſe confugiēdum ad ſigna quatuor temperaturarum ſimplicium, quia ſi ſigna fuerint vehementia indicabunt magnū receſſum à temperatiſſimo, ſi debilia, paruum. Hoc præceptum non ſolum eſt commune compoſitis temperaturis cerebri, verum etiam omnibus compoſitis temperaturis cordis, hepatis, ventriculi, & cæterarum partium corporis.

CAPITIS XX.
De ſignis frigidioris, & ſiccioris cerebri.

Tex. 27. *Frigida verò, & ſicca cerebri intemperatura, frigidum & minimè coloratum ſui ratione caput reddunt. Semper enim memoria repetenda quæ à nobis ab initio eſt diſtinctio poſita, vt præterea aduertamus quantum ex humorum temperatura alterentur, quæ circa ipſum conſiſtunt: Protinus autem huiuſmodi temperaturæ venis carentes habent oculos, & à cauſis frigidis facilè læduntur. Quare & inæquali ſanitate fruuntur, quemam nonnunquam leuiſſima habent capita, & excrementorū moderatos effluxus. Nonnumquam verò, & grauedinibus, & diſtillationibus minima ex cauſa capiuntur.*

PRimum ſignum cerebrì frigidi & ſicci eſt, quod *caput tactu percipiatur frigidum*.

1 Dubitatio; nō videtur, quod frigidum cerebrum tactu dignoſci; quia cerebrum poſſit tangi; neq; habet ſenſum, quo cognoſci poſſit interna

na eius frigiditas; ergo hoc ſignum deſumptum à tactu eſt vanum.

Reſpond., ſatis eſſe pro cognitione cerebri frigidi percipere, quod caput, ideſt pericraneum, & facies ipſa à tactu noſtro frigida ſentiatur; requiritur tamẽ manus tẽperati caloris, quia ſi eſſet frigida, poſſet decipi. In hac arte frigidum, vel calidum dicitur prout à temperatiſſimo recedit, omnia enim corpora viuẽtia calida ſunt, tamen facta comparatione ad temperatiſſimum calida dicuntur quæ ſunt calidiora temperato, frigida verò quæ ſunt minus calida, quam temperatum.

Præterea, qui habent cerebrum frigidum poſſunt ſuo ſenſu animaduertere frigiditatem capitis. Ego plures inuenio ſic diſpoſitos, qui valde conqueruntur de cerebri, & pericranei intenſa frigiditate.

Secundum ſignum: *cutis non eſt colorata*; per cutim intelligitur cutis faciei, quia non obſeruatur color alterius cutis, quã faciei. Præterea, dum agitur de temperatuca capitis, ſi ex colore aliquid colligere debemus, id ex facie, & non ex colore alterius partis deſumitur.

Dicit bene coloratum ſui ratione, quia poteſt contingere quod caput ſui ratione ſit frigidum &, ſiccum, tamen ſit floridi coloris, caſu quo pulmo ſit calidior, quia arteriolę quę excurrũt circa faciem ſunt ſurculi arteriæ quę eſt prope pulmonem, ideò dum pulmo eſt alteratus ob aliquem morbum circa genas color roſeus apparet, ideo Gal. c. 13. dicit memoria eſſe repetenda; quia ibi dixit colores non indicare tẽperaturas cerebri, niſi quando humores reſpõdent proportione ipſi capiti.

Valeant igitur qui inferunt color eſt rubicundus, capilli ſunt nigri, ergo calida eſt capitis temperatura. Pręterea non valet quia in Ethiopia omnes habẽt nigros capillos & criſpos, tamen non omnes habent calidam temperaturam; idcirco pro cognoſcendis tẽperaturis propoſuit Gal. multorum ſignorum ſyndromen ne decipiamur, non enim ſufficit pro oſtenſione temperaturæ calidæ ipſius cerebri, habere pilos nigros, quia ipſe Galen. 2. in primum epid. 78. vult pillos nigros interdum indicare frigiditatem.

2 Dubitatio; *ſemper enim memoria repetenda eſt:* per hæc verba Galenus tollit tacitam dubitationem, quia aliquis dicere poſſet, nonne poteſt contingere in capite frigido & ſicco, quod aliquis habeat venas probis & temperatis humoribus plenas, ex quibus color bonus in facie oriatur? tunc color faciei erit bonus, tamen cerebrum erit frigidum & ſiccum.

Reſpondet Gal. huic obiectioni, memoriam repetendam eſſe eorum, quæ dicta ſunt c. 13. quando loquebatur de pilis dicebat enim, tunc capillorum colores, indicare temperaturam cerebri, quando humores prædominantes non impediũt, eandem reſponſionem dat Galenus in hoc c. dicens, quamuis caput ſit frigidum, & malè coloratum, tamen non neceſſariò indicabit temperaturam ſiccam, & frigidam cerebri, quia oportet quoque videre, quales humores dominentur in venis, poteſt enim contingere, vt aliquis habeat cerebrum calidum, tamẽ venæ illius ſint adeò cruda pituita refertæ, vt ad cerebrum ſua natura calidum mittatur ſanguis admodum frigidus, & ſeroſus, vnde ſuboriatur malus color faciei; ſimiliter poteſt contingere, vt cerebrum ſit ſua natura frigidum & ſiccum, tamẽ venæ ſint refertę ſanguine bilioſo, vnde caput fiat ex accidenti calidum & coloratum. Præterea ex vſu maluatici, & aromatum idem contingere poteſt, ſimiliter ex nimio exercitio non deſunt qui reddantur coloratiores, ecce quod ex vnico ſigno, niſi alia conſiderentur, nõ cognoſcantur temperaturæ. Hinc ſupponendum eſt in hoc libro, nullum ſignum ab alijs ſeparatum eſſe proprium, & conuertibile, qui verò hoc non ſupponunt, inter quos videtur eſſe Argẽterius, æquè ignaros poſt huius libri lectionem, ſicuti ante reputabimus.

Tertium ſignum; in his *nõ apparent venæ in oculis:* quia caliditas cerebri non eſt tanti, quanti attrahat ſanguinem, qui extendat capillares oculorum venas; poteſt tamen contingere, vt venæ maiores ſint ſanguine plenæ, & mittatur ſanguis ad venas oculorum; ideò non valebit conſequentia, cerebrum eſt frigidum & siccũ, ergo nõ apparent venæ in oculis, nec viceurſa, apparẽt venæ in oculis, ergo cerebrum nõ poteſt eſſe frigidum & siccũ;

nos

nos docuit Galenus cap. 13. huius libri, videndum eſſe an in humoribus ſit alteratio; quia poteſt eſſe alteratio in maſſa ſanguinea, ob quam oculi inflammētur; cogimur igitur in examine omnium ſignorum videre, an multa conſentiant in vnum; quia ſolum multorum ſyndrome habet vim ſignificandi temperaturas.

Quartum; *à cauſis frigidis facilè læduntur:* addit quod *fruantur ſanitate inæquali:* quia modo habent capita leuiſſima, quæ ſcilicet non grauantur, quoniā pauca ſūt excrementa: modo verò eorum capita grauedinib. & deſtillationibus afficiūtur quia minima ex cauſa lædūtur à frigidis.

Ratio, cur eorum capita ſint leuiſſima, eſt, quia carent excremētis, carent autem excremētis, tum quia deficit cauſa attrahens, quæ eſt calor, tum quia cauſa concoquens eſt diminuta; concoctio enim fit à calido, & humido, & poſt concoctionem remanent excrementa, cum igitur perexigua fiat coctio in cerebro frigido, & ſicco, pauca quoque erunt naturalia excrementa; Si verò ab externo frigore lædantur, tunc concoctio vix fit, immo quod in ſubſtantiam nutriri eſt conuerſurum in excrementum abire videtur: vnde magnæ ſuborſuntur deſtillationes; immo in his fit quidam affectus, qui aſſimilatur Lienteriæ, quia à coctione valdè diminuta, vel ablata fieri ſolet; Hinc in his deſtillatio, vt ita dicam, Lienterica aliquando per nares obſeruari ſolet.

CAPITIS XXI.
De Senſibus.

Senſus autem eorum in iuuentute quidem omnes vigent, atque omni vitio carent, ſed progrediente ætate cito marceſcunt. Et vt ſummatim dicatur, omnes celerrimā circa caput ſenectutem oſtendunt. Quare & citò cani ſiunt. Capilli verò ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur, & ruffi ſunt: in progreſſu autem ætatis, ſuperante magis frigiditate caliditatem, quam ſiccitate humiditatem, multum non calueſcunt. E contra verò ſi contigerit ſiccitatē quidē plurimū dominari humiditati, frigiditatē verò caliditati, parū calui ſiūt hi.

IN hoc cap Galenus deſumit ſigna cerebri frigidi, & ſicci à ſenſibus.

Quintum igitur ſignum indicans cerebrum frigidum, & ſiccum eſt, quod *tales in iuuentute habeant ſenſus perſpicaces, quamvis in progreſſu ætatis cito marceſcāt,* ideſt cito fiant hebetiores: In iuuentute iſtorum ſenſus ſunt vegetes; quia ſenſoria carent excrementis: ſpecies enim ſenſibiles, quando in iſtis transferuntur ad primum ſenſorium, nulla inueniunt excrementa, quæ multitudinem ſuperficierum efficiant; quod enim impedit tranſitum lucidarum ſpecierum eſt ſolum id quod poteſt illarum luciditatem refrangere; taleque non poteſt eſſe, niſi multitudo ſuperficierum; hac ratione lumen non tranſat, vbi adeſt corporum multitudo, & ſuperficierum: Hinc aqua ſplendidiſſima, ſi agitetur donec ſpumeſcat, lumen ob multitudinem ſuperficierum exorientium à ſpuma non tranſit; quia in qualibet ſuperficie refrangitur, & in qualibet refractione minuitur penetratio. Qui non intelligit, cur lumen penetret, & cur non penetret, vel quid ſit diaphanum, & opacum, non agat de re lucida, quia nunquam ſe ipſum intelliget. Quod verò ſenſus fiant hebetes; quia ſpecierum puritas impediatur à ſuperficierum multitudine, patet inducendo per omnia ſenſus organa; oculus enim carens non ſolum excrementis, ſed aduentitijs tunicarum ſuperficiebus, optimè uidet, neque indiget ſpecillis; ſi verò eius ragoide, vel retina fiet rugoſa, impedietur tranſitus, ſpecierum, virtute tamen ſpecillorum inter rugas, ſeu inter rimas, vbi eſt claritas, ferentur ſpectra viſibilia, & videbunt, ac ſi eſſent Iuuenes; Senes enim ſemper viderent, vt Iuuenes quo ad facultatem; differentia ſolum oritur ab inſtrumento. Notandum, erraſſe Leonicenum quod per vegetes Galen. intelligat iuuentutē; quia in codice græco dicitur ἐννεότης .i. in adoleſcentia & non in iuuentute. Quod dicimus de oculis, idem de alijs ſenſorijs dicendum: In inſtrumento odoratus, vel ob excrementa, uel ob cicatricem impediri ſolent ſpecies olfactoriæ; idem dicimus de auditu, guſtu, & tactu, lucidos ſcilicet radios ſpirituum animalium non poſſe exactè penetrare ad ſenſoria ob ſuperficierum multitudinem ortam ab excrementis, uel ab aliqua cicatrice, uel quomodocunque.

Prætereà in luce etiam externa idem euenit, vt diximus de oculis; ſed de his ſuperius fusè egimus. Concludimus ergo illos, qui habent cerebrum frigidum, & ſiccum habere ſenſoria clara: illos verò habere ſenſoria clara, in quibus radij ſpirituum animalium non ſolum prompti, & non refracti ad ſenſoria perueniunt, ſed etiam ſpectra ſenſibilia à luciditate radiorum ſpirituum poſſint ſine organi impedimento ad interna, & prima ſenſoria transferri: hæc autem tunc rectè fiet, quando caput excrementis carebit.

Progrediente ætate, ideſt poſt iuuentutem *ſenſus citò marceſcunt*, ideſt hebetiores fiunt: iuuentus florida eſt anno, vt diximus cum Hippocrate 35. ſed videtur ex Hippocrate 3. aphoriſmorum loco citato, & ex Gal. quod iuuentus ſe extendat ad annum 49. quo tempore incipit ſenectus, non eſt tamen credendum, quod ſtatim poſt 35. annum ſenſus iſtorum, qui habẽt cerebrum frigidum, & ſiccum marceſcant: Ego enim noui multos ſimiles, qui vigenti ſenſu, & ingenio perueniunt vſq; ad annum 42. quamvis poſt hoc tempus eorum ſenſus fiant hebetes, vel ipſi moriantur: rarò tamen inueniuntur, qui perueniãt ad principium ſenectutis ſenſibus vigentibus, cauſa verò, cur poſt iuuentutem ſenſus marceſcant, eſt, quia illorum calor deficit, vnde excrementa accumulari incipiunt, & ſenſus eo magis hebetantur; per ſenſus intelligimus præcipuè externos, quibus læſis, & factis hebetioribus, deinde interni, ideſt memoria, imaginatio, & diſcurſus ſtatim diminui incipiunt.

Sextum ſignum: *celerrimam circa caput ſenectutem oſtendunt*: hoc ſignum eſt euidentiſſimum: ſi igitur videritis Iuuenem cum ſenili facie, dicetis illius cerebrum eſſe frigidum, & ſiccum, tali facie Nicolaus Maurocenus frater illius Andreę, quem iamdiu Senatus ob eius incredibilem facundiam ad præclariſſimũ hiſtoriographi munus delegit, erat inſignitus, obijt anno ſuæ ætatis 42. ſed eius perſpicacitas, & prudentia humanæ conditionis modum excedebat; nulla enim magiſtri virtute, ſed ſuo inaudito ſpiritu ad omnium diſciplinarum faſtigium ſe tranſtulit; de illo optimè poterat dici cum Heraclito, habuiſſe ſplendorem ſiccum, & animam ſapientiſſimam.

Septimum ſignum: *rarò cani fiunt*: ratio eſt, quia cerebrum frigidum, & ſiccum habet calorem imbecillem; dicit enim Ariſt. 5. de generatione animal. cap. 4. & 5. & 3. de hiſt. cap. 11. canitiem eſſe languorem pili factam ob caloris imbecillitatem; excrementum enim fuliginoſum, cum non poſſit ab expultrice imbecilli, & debili omninò expelli, retinetur in cuti, & putreſcit: de hac putredine loquens Galen. 2. de temperamentis cap. 5. ait eſſe veluti pituitæ ſitum, quod genus putredinis communiter hic vocatur la muffa; quo pacto verò fiat ſitus, docet philoſophus locis citatis; dicit enim, quæ eleuantur a terra, & aqua cum defectu caloris, vel ita concreſcere, vt fiat pruina, vel putreſcere, & fiat ſitus.

Notandum ex Ariſtotele locis proximè citatis dari canitiem non ſolum ob ſenium, ſed aliquando ob cutis morbum, qui vitiligo dicitur, à cuti enim oriuntur pili, ea igitur ægritudine, qua afficitur cutis, pili quoque afficiuntur; cutis ob vitiliginem alba redditur, albi quoque pili ibi fiunt.

Antiqui errabant (referente philoſopho locis citatis) dum putabant, canitiem fieri ex ariditate cutis, Ariſtotel. enim his verbis 3. de hiſtoria animalium c. 11. dicebat ex ariditate canitiem non fieri; *Nihil enim illicò aridum gigni ſolet: Quæ enim areſcunt non illico dum generantur areſcunt, ſed paulo poſt*, quod non conuenit pilis canis, qui illicò cani oriuntur.

Differentia inter Galenum, & Ariſtotelem de canitie eſt, quod Galenus cenſeat, canitiem fieri ex putredine, quæ eſt velut ſitus pituitæ; Ariſtoteles verò putat ex putredine vaporis inde eleuati fieri canitiem: Auicennas cõciliat Galenum cum Ariſt. 2. primi doc. 3. cap. 3. quem locum videre quiſque poterit: ſed nos ſatis fusè ſuperius in propria quæſtione egimus, quare non eſt, vt de hac re longiorem inſtituamus ſermonem.

Cauſa tamen, cur in temporibus citius fiat canities, quam in ſyncipite, & occipite, varia ab Auctoribus proponitur; Ariſt. enim putat inde fieri: quia occiput non continet cerebrum, & vacat humore: ſyn-

ſyncipur verò continet cerebrum, & abundat humore; atque ob paucum, & ob nimium humorem difficilè humores putreſcere; in temporibus verò nec multam, nec paucam eſſe humorum abundantiam, ideo putredinem citius fieri, & pilos citius caneſcere.

Auerroes in ſua paraphraſi aliam refert cauſam dicens, ob oſſium ſubtilitatem tardius fieri canitiem: cum igitur in temporibus ſit os petroſum, & valde durum, exhalationes putridæ non ita exhalant, ſed retinentur, vnde pili citius caneſcunt.

Gal. putat in temporibus fieri prius canitiem, quia ibi eſt maior humiditas, quàm in alijs capitis partibus; maior enim eſt humiditas, quia tempora, muſculo qui eſt craneo humidior, tecta ſunt, in ſyncipite verò, quia ibi eſt magna ſiccitas, ideò non ita cito fit, quamvis prompte admodum fiat caluitium, canities enim fit à nimia humiditate putrefacta eo modo, quo eſt ſitus, caluitium verò fit à nimia ſiccitate.

Octauum; *capilla ipſis quidem genitis vix exeunt, & malè nutriuntur:* ratio eſt, quia habent calorem exiguum, auctio enim capillorum, & nutritio celeriter fiunt, vbi calor non deficit.

Inſuper vbi adeſt frigiditas, & ſiccitas deficit pinguedo, quæ neceſſariò concurrit ad faciendos pilos vt cauſa vniens, & continuans ipſas fuligines.

Nonum, *pili ſunt ruffi*. Ratio eſt, quia non adeſt tantus calor, quantus eſt, dum fiunt nigri; nigri enim pili ex aduſtione fiunt; ruffi verò, vbi calor eſt diminutus.

Decimum ſignum ex eo deſumitur, quod *progredient ætate iſtorum, qui habent cerebrum frigidum, & ſiccum, ſi magis dominetur ſiccitas, quam frigiditas, magis calueſcunt, ſi magis frigiditas, minus.*

CAPITIS XXII.

Particula I.

De Signis cerebri frigidioris, & humidioris.

Tex. 28. *Humida verò, & frigida cerebri temperatura faciunt homines graui ſomno tētari, & ad ſomnum facilè conuerti, ſenſibus quoque minimè vigentes, atque excrementis redundantes: & qui caput frigiditati, ac repletioni habent obnoxium, ac diſtillationibus, & grauedinibus facilè tētantur, neque tamen hi calui ſiunt.*

PRimum ſignum cerebri frigidi, & humidi ex eo deſumitur quod *homines graui ſomno tentantur, & ad ſomnum facilè conuertuntur*: ex hoc ſigno ſtatim apparet differentia inter cerebrum calidum, & humidum, & frigidum, & humidum; quia loquens Galenus de habentibus cerebrum calidum, & humidum dicebat, hos tentari ſomno, non tamen ad ſomnum facilè conuerti, vt hic dicit; ratione enim humiditatis habebant propenſionem ad ſomnum, ratione verò caliditatis ad vigiliam: iſti verò qui habent cerebrum frigidum, & humidum ratione vtriuſque qualitatis fiunt ſomnolenti; vtraque enim qualitas impedit, ne ad ſenſoria virtus ſenſitiua promptè recurrat.

In hiſtoria Hermocratis Galenus refert tres ſomni differentias, primam ait fieri ob imbecillitatē, & talis ſomnus in Hermocrate (vt ibi admonet) erat certæ mortis indicium; ſignificat enim virtutem animalem eſſe adeo exolutam, vt nō poſſit ad ſenſoria tranſmitti. Secundam differentiam dicit fieri à nimia humiditate, quæ ſomni differentia ebrijs contingere ſolet. Tertiam à frigiditate, qualis ſolet eſſe in ſenibus; ſicuti enim in ſenibus cauſa, cur nimium dormiant, eſt frigiditas, quæ impedit, ne virtus ſenſitiua prōptè perueniat ad ſenſoria, ſic in ebrijs eſt humiditas; quod verò cauſa ſomni longioris, vel breuioris ſit obſtructio facta inter ſenſus externos, & internos, ob quam virtus animalis non diffunditur, legamus Galenum primo de ſymptomat. cauſis capite 8. vbi refert in maiorem, vel minorem obſtructionem cauſam ſomni maioris vel minoris profunditatis.

Notandum hic, Sclanum reprehendere Leonicenū, quia interpretatus ſit καματώδεις ἐργάζονται, καὶ ὑπνώδεις graui ſomno tentari, & ad ſomnum facilè conuerti; interpretatio Sclani quæ eſt, eſſe ad ſomnum inclinatos, & ſomnolentos rectius accomodatur verbis græcis; quia à Galeno primo proret. comm. primo definitur, quod ſignificet magnam propenſio-

ſionem in ſomnum, & non actu tentari graui ſomno, quia Galenus in hoc loco agit de ſanis: ſed ſic eſt quod qui graui ſomno tentantur ſunt ægri.

Coma ex Gal. lib. de comate & alibi duplex eſt, ſomnolentum,& vigil,qui habent cerebrum calidum & humidum habent propenſionem ad coma vigil:de his Plato in Phędro intelligit,dum air,in meridie non eſſe dormiendum;qui vero habent cerebrum frigidum & humidum, ſunr propenſi ad coma ſomnolentum:iſti ramen ex ſomno meridiano recipiūt detrimentum: quia tales implentur excrementis, & facilè incidunt in coma.Similiter qui habent cerebrum frigidum & ſiccum & calidum & ſiccum dummodo non ſit coniuncta humiditas, ex ſomno meridiano ſummum colligunt beneficium: quia habent capita leuiſſima: iſti ratione ſiccitatis ſolent pati caluitium,& hos plurimum iuuat moderatus ſomnus meridianus.

Secundum ſignum: *ſenſus iſtorum non ſunt vigentes, ſed obtuſi.*

Acachias hic reprehenditur, quia interpretatur non ſenſus obtuſos, ſed deprauatos: Græca dictio eſt φαύλους, per faulos intelligimus cum Leoniceno ſenſus non vigentes, de ratione quorum nō eſt deprauatio,ſed obtuſio. Præterea interpretatio Acachię aduerſatur doctrinę Galeni, qui in hoc loco agit de corporibus ſanis: actiones verò deprauatæ non conueniunt ſanis,ſed ægris: actiones verò diminutæ poſſunt quoque ſanis conuenire,ſicuti clarè docuit Gal.cap.8.part. 8. huius libri, vbi dixit, actiones abolitas & deprauatas ægritudinem, imbecillas indicare verò non ſemper.

Tertium ſignum: *excrementis redundant:* Nota tamen excrementa eſſe pituitoſa; quia cerebrum frigidum & humidum ex neceſſitate generat excrementū frigidum & humidum, quod eſt pituita: ſimiliter obſeruandum eſt, illos qui habent cerebrum frigidum, & humidum, nulla vel admodum pauxilla aurium excrementa habere.

Quartum ſignum:iſti habent *capita obnoxia frigiditati et repletioni,vnde deſtillationibus, & grauedinibus facilè tentantur.* Ratio,cum ſint obnoxia repletioni,eſt, quia concoctrix eſt debilis, & diminuta, ita vt non conuertat in ſubſtantiam nutriti proprium alimentum, vnde deſtillationibus & grauedinibus tentantur.

Notandum, caput frigidum & humidum non eſſe obnoxium repletioni; quia excrementa attrahuntur ratione caloris; verū quia hoc caput ob eius imbecillitatem non reſiſtit excrementis ab alijs partibus expulſis, ideo dicitur repletioni obnoxium:partes enim corporis,dum ſanæ ſunt,quod eſt illis ſuperuacuum deponūt in aliam partem debiliorem:nullaq; pars debilior eſſe poteſt,quam quæ caret calore, vel quæ ſua natura frigida & humida eſt: Hinc Galen. 3. de facul. naturalibus c. 13.habet hæc verba.: *ſicuti inter ſe particula altera ab altera nutrimentum trahunt,ita altera in alteram quod ſuperuacuū eſt à ſe deponit,& ſicuti trahentium ea vincit, quæ erat valentior, ſic & ſe deponentium: ſubdit: vbi aliqua particula effectus cuiuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita, ex omnibus in illam, quæ ſuperuacua ſunt confluere eſt neceſſe,namque quæcunque pars valentiſſima eſt in vicinas omnes reponit, & rurſus earum ſingula in alias, quæ ſunt ipſis imbecilliores, & rurſus in alias, donec omnium imbecillimam inueniant:* certum eſt quod caput frigidum & humidū eſt imbecillimum,ideo ſemper excrementis refertum eſt. Præterea 13. methodi cap. vltimo oſtendens Gal. quod imbecillitas ſit. cauſa receptionis excrementorum,habet ferè hæc verba; ſi intēperies cerebri fluxionem tranſmittat in aliquem locum, corrigi debet epithematis; ſed ſi eſt vitiū vaſorum, cum ſcilicet venæ, vel arteriæ ſint imbecilliores, ſic vt aliorum vaſorū ſuperuacua recipiant,tunc intercipimus, ne amplius recipiant excidendo aliquam partē venarum, vel arteriarum, vt facta cicatrice, humores nō amplius confluāt: ecce quod imbecillitas partiū cauſat excrementorum receptionem; quare cum intēperies frigida & humida ſit omnium imbecillima, erit quoq; omniū intemperierum magis obnoxia repletioni, & deinde deſtillationibus, & grauedinibus.

Notandum in cerebro ob quinq; cauſas accumulari excremēta. Primò ob vapores;ſicuti ſunt imbres;vt docet Ariſto. teles 2. de par. animal. cap. 7. vel ſicuti

in

in alembico. Secundò accumulātur ſi per fibras rectas eſophagi aſcendant cruditates uentriculi ad cerebrum. Tertiò uel ob ſanguinem vitiatum. Quartò uel capite læſo, de his duobus poſtremis mentionem facit Gal. 2. de diff. feb. ultimo. Quinto accumulantur excrementa in cerebro propter obſtructiores cerebri, ob quas detinet alimentū & detentum corrumpitur.

Quintum ſignum; *hi non ſiunt calui*: caluitium fit ab ariditate cutis, quæ naſcitur in pericraneo, ut docet Hippocrates 6. epid. comm. 3. tex. 1. quia cerebrum non tangit craneum, quod non poteſt contingere in frigidis, & humidis; quia eorum cerebrum ſemper eſt humiditate refertum, vnde humidis excrementis imbutum craneum tangit, & per conſequens à cerebro humectatur, ita vt non fiat caluitium.

CAPITIS XXII. Particula II.

Tex. 29. *Hæc igitur indicia ſunt cerebri temperaturæ, in quibus ſi progrediaris ad vnumquodque ſenſorium dignotiones transferre licebit.*

DOcet Gal. quod per ſigna propoſita indicant a temperaturas cerebri nos poſſimus quoque pernoſcere quinque ſenſoriorum tēperaturas, videlicet viſus, guſtus, olfactus, auditus, & tactus, quamvis ſolum de oculis infra mentionem faciat, nerui enim ſunt ferè eiuſdē naturæ cum cerebro. Hinc Gal. lib. de motu muſculorum c. 1. ait, ſubſtantiam neruorum eſſe ſimilem ſubſtantiæ cerebri; ſimiliter l. 8. de vſu par. c. 6. docet, neruum eſſe paruum cerebrum reſiccatum, & durius factum, propter hanc ſimilitudinem, quæ eſt inter cerebrum, & ſenſoria, Gal. transfert methodum ſignorum traditam pro dignoſcendis temperaturis cerebri ad temperaturas ſenſoriorum.

Methodus ſignorum indicantium tēperaturas cerebri conſtabat ex ſex fontibus, primus continebat capitis diſpoſitiones, quæ prædicantur de magnitudine, figura, & capillis. Secundus fons cōtinebat ſenſitiuas operationes. Tertius motiuas. Quartus operationes habentes principatum. Quintus actiones naturales; Sextus extrinſecus alterantia, & iuuantia, & lædentia. Eadem methodus applicanda eſt quinque ſenſorijs: quia ex magnitudine, figura, & pilis eadem ratione temperaturas quinque ſēſuum colligere poſſumus. Similiter ex operationibus ſenſitiuis, & motiuis cuiuslibet ſenſus cognoſcemus, an eorum temperaturæ calidæ, vel frigidæ ſint: itidem iudicabimus actionem præcipuam cuiuslibet ſenſus proportione reſpondere operationibus cerebri habētibus principatum, & demum actionibus naturalibus ſenſiteriorum. Ex alterantibus extrinſecis, & ex iuuantibus, & lædentibus percipiemus eorum temperaturas.

Nonnulli alij dicunt, melius Galeni artificium explicari, ſi dixerimus quatuor tantum dari fontes, a quibus deſumuntur ſigna temperaturarum cerebri, & ſenſoriorum, ita vt primus contineat ſigna, quæ deſumuntur ab eſſentia, intelligēdo per eſſentiam ſymetriam quatuor qualitatum. Secundus cōtineat quę conſequūtur eſſentiam, ut molle, durum, &c. Tertius contineat quæ accidunt, id eſt paſſiones diſſimilarium partium, quales ſunt magnitudo, figura, numerus, & conformatio: Hæc genera non inſequuntur neceſſariò eſſentiam, id eſt temperaturam, ſeu ſymetriam quatuor qualitatum, ſed accidunt temperaturæ; Quartus continet iuuantia, & lędētia; ad quos quatuor fontes non ſolum omnia quæ dicta ſunt de cerebri tēperaturis referri poſſunt, ſed & quæ erūt dicenda de oculis, & de alijs ſēſibus. Nobis quidē viſa eſt methodus ſuperior magis diſtincta: attamē laudamus quoq; hāc, quia à noſtra nō valdè differt.

CAPITIS XXIII. Particula I.

De Temperaturis Oculorum.

Tex. 30. *Sed ſufficiet de oculis dumtaxat facere mentionem. Quicunque tangentibus quidem manifeſtè calidi exiſtunt, & facilè à cerebro motu cientur, & venas latas habent, hi calidi omnes ſunt.*

POſtquam Gal. ſecundum methodū propoſitum indagauit cerebri tēpe-

raturas; eãdem methodum applicat oculis, & non alijs ſenſorijs: quia cognita temperatura oculorum facilè inde quiſque cognoſcet temperaturas ſenſorij olfactus,& guſtus;auditus,& tactus.

De oculis mentionem potius fecit, quam de alijs: quia eſt ſenſus magis præcipuus,& à prima,& maxima neruorum coniugatione fit.

Methodus,qua temperatura cuiuslibet partis præcipuè indagari poſſit, conſtat ex quatuor fontibus, vt ex Galeno ſuperius colligitur; ab eſſentia ſcilicet, à conſequentibus eſſentiam, ab ijs quæ accidunt, & à iuuantibus & lædentibus: hac methodo Gal. tradit nobis cognitionem temperaturæ oculorum.

Primum ſignum temperaturæ calidæ oculorum eſt,ſi à temperata manu,vel ab ipſo patiente calidi ſentiuntur,tunc enim dicemus eorum temperaturam eſſe calidam:hoc ſignũ deſumptũ eſt ab eſſentia, intelligendo per eſſentiam ſymetriam quatuor qualitatum. In hoc loco Argenterius irridet Galenum,quod nos admoneat, vt digitos oculis infigamus pro tẽperatura oculorum dignoſcenda,ſed miſer,dum irridet Gal.ſe oſtendit huius mirabilis diſciplinæ incapacem: quia,vt cognoſcatur immoderata oculorum caliditas, non eſt opus oculis infigere digitos, ſed ſolum partes eorum circunſtantes tãgere, vel petere ab ægrotãre;an ipſe perſentiat calorẽ,vel mordacitatem,& acrimoniã in ipſorũ angulis; quia inde qualis ſit temperatura facile dignoſci poteſt.

Secundum ſignũ eſt, *ſi facilè & crebro motu oculi moueantur*, hoc ſignum pertinet ad ea quæ conſequuntur eſſentiam, quia motus velox inſequitur calorẽ, qui pertinet ad eſſentiam.Hinc Hippocrates in 1.aphor.13. docet, quod pueri qui ſunt mobiliores,&viuidiores pluri cibo egeãt, quia plurimum habent calidi innati,inde colligimus mobilitatem non ſolum in oculis, ſed in qualibet corporis parte indicare calidam temperaturam.

Tertium ſignum, *habent venas latas:* hoc ſignum pertinet ad magnitudinem, magnitudo verò, & figura pertinent ad ea,quæ accidunt;an verò magnitudo venarum indicet primo,& per ſe,vel potius per accidens caliditatem partis,vbi de hepate agemus, videbimus.

Quartum ſignum deſumitur à iuuantibus & lædentibus: ſi igitur oculi iuuabuntur à calidis erunt frigidi, ſi à frigidis erunt calidi.

CAPITIS XXIII.

Particula II.

Frigidi verò, his contrarij. Et humidi quidem molles ſimul, & multa humiditate pleni. Sicci verò duri ſimul,& aridi. A ſimilibus autem ſuæ temperaturæ cauſis facilè offenduntur,iuuantur autem a medico contrariorum vſu. Sed hoc quidem commune in omni cuiuſcunque partis temperaturæ dignotione oportet meminiſſe.

COgnita temperatura calida oculorum;ex ſe elucet temperatura frigida,ſi calidi oculi tactu ſentiũtur calidi, iſti ſentientur frigidi, regula eſt Ariſtot.1.topicorum cap. 8. oppoſitorum eandem eſſe diſciplinam. Similiter ſi calidi facilè & crebro mouẽtur, frigidi tardè mouebuntur, ſi calidi venas latas habent, frigidi venas anguſtas habebunt. Demũ ſi calidi lædentur à calore extrinſeco, frigidi à frigore.

1 Dubitatio, non videtur, quod calidi oculi à calore offendãtur, quia ſimilia ſimilibus conſeruantur; Galen.agit hic de temperatura oculorum adhuc permanẽtium in latitudine ſanitatis, ſed ſic eſt, quod ſani ſimilibus conſeruantur,&non contrarijs,ergo.

Reſponſum eſt alibi huic dubitationi, diximuſque, ſolum ſalubre ſimpliciter, quod eſt temperatiſſimum ſimilibus, ea verò quæ recedunt à temperatiſſimo cõtrarijs conſeruanda, quia corpora recedentia per contraria ad temperatiſſimũ tranſferri debent. Quomodo verò dicta ſolutio profundius intelligatur,nos c.86. qui eſt locus proprius agemus.

De humidis oculis loquens dicit, inde cognoſci,quia ſint humidi,molles & multa humiditate pleni, & inde facilè & leui de cauſa lachrymari,ſicuti accidit mulieribus, & pueris. Cauſæ,cur emittantur lachrymæ,duę ſunt,alia eſt materialis,& hæc eſt humiditas, alia verò eſt efficiens, & hæc eſt mordacitas,mordacitas autem

cx

ex Ariſtotele ſect.20.probl. 22. lachymarum eſt cauſa, quæ fit à calido, vt à cauſa per ſe, quia calor vt calor acrimoniam efficit, vel fit à frigore ex accidenti, quatenus ſcilicet comprimit & prohibet difflari humorem, quo retento fit acris, & in lachrymas faceſſit; dolor mouet lachrymas mulieribus, & pueris, quia (vt dicit Alexander Aphrodiſæus 1. ſect.prob.31.) exprimit coarctando oculorum muſculos; lætitiam verò ait effundere lachrymas, quia laxat muſculos, in quos confluit humiditas à cerebro. Hinc ſenes nō ob dolorem lachrymantur, quia non habent vim comprimendi perexiguos illos ſuos laxatos, & eneruatos muſculos; lachrymantur tamen ob lætitiam; quia laxantur, & in ipſos confluit humiditas à cerebro, qua abundant.

Oculi ſicci, & aridi habent cutim ſiccam, & aridam; neque iſti in lachrymas facilè erumpunt.

2 Dubitatio, alia quoque ſigna temperaturarum oculorum ab Auicenna, & ab alijs proponuntur, ſicuti ſi de humiditate loquamur, aiunt, quod muſcæ his volitare videantur, &c. quare Gal. videtur diminutus.

Reſpondetur, Galenum propoſuiſſe ſigna præcipua, quæ à propoſita methodo colligi poſſunt pro cognoſcendis temperaturis oculorum, & aliorum ſenſoriorum. Præterea reſpondemus, Galenum egiſſe de oculis ſanorum, & non ægrorum; dum muſcæ volitare videntur eſt ſignum ægrorum, & non ſanorum.

Demum in fine capitis Galenus tradit fontem à iuuantibus & lædentibus, dicens à ſimilibus lædi, & à contrarijs iuuari; nec turbet nos propoſitio vniuerſalis, quod ſcilicet ſimilia ſimilibus conſeruentur; quia non ſemel ſuperius probauimus, illam propoſitionem intelligi de corpore ſaluberrimo, & non de alijs corporibus ſanis recedentibus à ſanitate omnium perfectiſſima.

3 Dub. non videtur verum, quod ſola corpora ſaluberrima ſeu ſalubria ſimpliciter ſemper ſint ſimilibus conſeruanda, quia corpora ſalubria vt multum, neutra, & inſalubria, immo & corpora ægrotantia debent ſimilibus tractari, quod quidem probatur ex Hippocrate 2. aphoriſmorum 34. vbi habetur hæc ſententia; *minus periculosè ægrotant ij, quorū vel naturæ, vel ætati, vel conſuetudini, vel tempori familiaris eſt morbus, quam quibus horum nullus affinis, cognatuſque exiſtit*; ergo corpora ęgrorum ſimilibus ſunt tractanda, quod eſt contra Galenum in hoc cap. vbi dicit, contrarijs corpora eſſe conſeruanda.

Reſponſio facilis eſt, quia Hippocrates non dicit, corpora ægrotantium eſſe tractanda ſimilibus, ſed minus periculosè ægrotare; quia receſſus eſt paruus; ſimiliter Galenus in illo comm. ait, ſenes hyeme, ſi ardenti febre afficiantur, magis periclitari, quia magis recedunt à ſtatu ſalubri, dum enim incidunt in ardentem febrem, dicendum eſt, inſignia, & potentiſſima errata præceſſiſſe, quæ tam magnum receſſum in ſenibus ſua natura frigidis effecerunt.

CAPITIS XXIV.

De magnitudine oculorum.

Tex. 31. *Magnitudo oculorum quidem vbi concinnitas, & operationum virtus, multitudinem benè temperata ſubſtantia oſtendit, ex qua ſunt conformati: qua ſi deſint multam quidem ſubſtantiam, non tamen benè temperatam oſtendunt.*

POſtquam in c. ſuperiori egit de tēperaturis oculorum: in hoc c. incipit agere de oculorum magnitudine, & meritò, quia ſicuti temperaturæ à primis qualitatibus oriuntur; ſic magnitudines, & conformationes à ſecundis; prius igitur erat agendum de temperaturis, & deinde de magnitudine, & paruitate oculorum.

Diuiditur hoc c. in duas partes, in prima tradit duo ſigna indicantia magnitudinem benè cōformatam; quorum alterum eſt oculorum concinnitas; alterū verò virtus oculi viſiua. Dum igitur aliquis habet oculos magnos non figura concinna, & cum optima videndi virtute, credendum eſt, eius oculos eſſe benè conformatos. In ſecunda parte docet, quādo abſunt duo ſigna propoſita: oculos ma-

gnos indicare multam ſubſtantiam, ſed non benè temperatam; ſi igitur oculi nõ fuerint figuræ concinnæ, ſed concaui, vel nimium prominentes, & virtutis viſiuæ diminutæ, tunc dicendum eſt, illam oculorum magnitudinem non conſtare ex ſubſtantia benè temperata.

Expoſitores circa verborum explicationẽ varij videntur eſſe; nonnulli enim per concinnitatem intelligunt proportionẽ oculorũ ad caput, & ad alias partes. Pluſquamcomm. verò per concinnitatem intelligit debitam proportionem oculi ad viſibile: Quæ expoſitio eſt alijs deterior; quia proportio ad viſibile pertinet ad virtutem, & non ad figuram oculorum: duo enim ſunt ſigna indicãtia oculos bonos, & benè cõformatos; alterum eſt concinnitas figuræ: alterum virtus operationis, ideſt viſionis. Dicimus igitur, Galenum per concinnitatem intelligere figuram externam pulchram, ideſt proportionatam, vt ſcilicet oculi neque ſint nimium prominentes, neque concaui, neque habeant quod ab alijs reprehendantur.

Per virtutem operationum debemus intelligere præcipuè virtutem viſiuam, quæ eſt præcipua oculorum operatio: deinde alias virtutes: accidere enim poteſt, quod virtus viſiua optima ſit: attamẽ virtutes oculorũ naturales, & vitales peſſimè conſtitutæ ſint; conſtituuntur enim oculi ex neruis, arterijs, & venis, in quibus præcipuè tres virtutes continentur: dum igitur videbimus eſſe defectum in virtutibus naturalibus oculorum, ideſt, quod non inflammentur, neque in parte vitali, ideſt quod non pulſent arteriæ, neque in animali, ideſt quod neque doloribus infeſtentur, neque ullo modo diminuatur oculorum operatio, dicere poterimus bonam, & optimam eſſe organi conformationem; & meritò, quia bona cõformatio inſtrumẽti nõ ab vnica ſola operatione, ſed ab omnibus procedit.

1 Dub. habetur ex Ariſtot. 5. de gener. animal. c. 1. circa finem, quod uiſio acuta fiat duobus modis, aut, dũ procul oculi cernere poſſunt, aut quod plures differentias uiſilium exactiſſimè uideant, quę duę conditiones ex philoſopho nullis eiſdem contingunt: quomodo igitur à perfectiſſima temperatura non prouenient optimæ, & perfectiſſimæ operationes? nonne probatum eſt ſuperius, omnes operationes perfectiſſimas ab optima temperatura prodire? quomodo igitur non conueniet oculis temperatiſſimis & benè conſtitutis, ut ſimul & procul, & plures differentias non uideant?

Reſpondemus, Ariſtotelem non intelligere de corpore ſaluberrimo & temperatiſſimo punctuali: quod, ut probatum eſt ſuperius, in uia Ariſtotelis dari nõ poteſt, ſi verò daretur ſine dubio & procul, & plurimas viſilium differentias penetraret: Dum igitur Ariſtoteles dicit procul videre, & plures differẽtias nullis eiſdem contingere, dicimus, intelligere de corporibus recedentibus à temperatiſſimo, & nõ de temperatiſſimo punctuali.

2 Dubitatio: videtur errare Galenus, dum ex magnitudine, & figura cõcinnã oculorum vult, nos docere temperaturam oculorum: magnitudo enim & figura pertinent ad conformationem, & non ad temperaturam. Prætereà videtur Galenus ſibi contradicere, quia ſecundo de temperamentis cap. 8. reijcit opinionem nonnullorum, qui referebant magnitudinem, & figuram ad temperaturam.

Argenterius neſciens hanc dubitationem de medio tollere, dixit Galenũ ſibi contradicere; Hinc quiſque videre poterit quam temerè & ſine ratione hic vir contra Galenum ſemper inuexerit.

Solutio facilis eſt, Galenus enim in hoc capite nõ refert magnitudinem & figuram ad temperaturam, ſed ad conformationem, non ne dicit magnitudinem (ſi concinnitas & virtus operationum adſint) indicare multitudinem benè temperatæ ſubſtantiæ, ex qua ſunt conformati? ergo magnitudo indicat conformationẽ: Nec dicat Argenterius, Galenum aſſerere, quod magnitudo indicet multitudinem benè temperatæ ſubſtantiæ: quia nõ per magnitudinẽ, ſed per virtutẽ operationum inde cognoſcimus ſubſtantiã benè temperatam: ſuperius enim ex Gal. declaratum eſt, omnes virtutes primo & principaliter à temperie partis oriri: valet enim cõſequentia, virtus chylificatrix eſt bona, ergo bona temperatura eſt in vẽtriculo: ſimiliter virtus oculi eſt bona, ergo bona temperatura: ſi verò cũ bona

vir-

virtute coniungatur magnitudo,tunc dicendum eſt, non ſolum eſſe bonam temperaturam,ſed etiam multitudinem temperatæ ſubſtantiæ; non enim fieri poteſt magnitudo ſine ſubſtantiæ multitudine: valeat igitur Argëterius cum ſuis nugis: quia dum in Galenum inuehitur, hoc eſt illi fatale, vt, vel eius arcana non penetret, vel fingat ſe non intelligere; quod omnibus peruium, & clarum eſt.

Præterea oculi non ſolum indicant cerebrum: ſed etiam totum corpus, vt colligitur ex Hippocrate 6. epid.4. 28. quia ibi Hipp.dicit. Vt oculi valebunt, ſic, & totum corpus: Gal.vero in comm. addit, Ex oculis colligi poſſe an vires ſint validæ aut imbeciles: validæ, ſi bono ſint colore: addit Galenus ibidem,, Docuimus in libris de aſpectu (qui libri non inueniuntur) comportari, e cerebro ad oculos ſpiritum animalem luminoſum, qua ratione in ſanis oculi ſunt ſplendidi. Præterea ait,, quod oculi ſqualidi, concaui, & decolores indicent vires imbecilles; quare dicimus, oculos primariò indicare temperamentum oculorum, ſecundariò temperaturam cerebri, & cerebrum temperaturam totius corporis, quia orta atteſtantur principijs.

CAPITIS XXV.

De Paruitate Oculorum.

Paruitas verò oculorum, adiuncta quidem concinnitate, ac virtutum operatione paucam quidem, ſed benè temperatam ſubſtantiam oſtendit, ex qua ſunt conformati. Si verò ſociam habuerint inconcinnitatem quandam, atque operationum vitium; tunc paucam ſimul ac vitioſam materiam oſtendunt.

DIcit Galenus, ſi cum paruitate oculorum erit concinnitas, id eſt bona ſeu pulchra figura, & perfecta viſio, indicari conformationem eſſe ex temperata ſubſtantia: ſimiliter ſi cum paruitate oculorum ſit figura inconcinna, ſicuti ſunt oculi nimium rotundi, vel oblongi, vel prominentes, vel concaui, non indicari bonam conformationem.

1 Dubitatio: Gal.ſuperius damnauit caput paruum, ergo, & oculi parui eſſent damnandi.

Reſpondent Expoſitores, caput non ſolum eſſe auctorem multorum ſenſoriorum, ſed etiam multorum actionum principum, quæ omnia in paruo capite nequaquam poſſunt tam benè, & rectè exerceri, quam in magno, vel ſaltem in moderato: oculi vero qui ſunt auctores vnius tantum actionis, id eſt viſionis, quāuis non ſint magni, poſſunt tamen eſſe benè conformati: Verum neque oculi admodum parui laudarentur à Galeno.

Phyſionomici tamen damnant oculos paruos, & ipſe Ariſt.1.de hiſtoria animalium cap.10. dicens, optimos oculos nec grandiores, nec paruiores, ſed moderatos eſſe debere.

Albertus Magnus lib.1. de animalibus tract 2.cap.3.de oculis paruis loquens dicit, ſi ad dextram ſe conferant indicare ſtultitiam: ſi ad ſiniſtram libidinem; ſi ſint glauci eſſe ſine pudore, ſine fide, & ſine iuſtitia.

CAPITIS XXVI.

De Coloribus Oculorum.

Tex.32. *Quæ verò ad colores attinet, ita diſtinguere oportet. Glauci quidem oculi, qui pura humiditate, ac non multa præfulgent tales ſiunt ob ſplendidi luminis abundantiam. E contra verò nigri, & qui intermediam naturam ſeruant, cauſas quoque intermedias habent.*

AGens Galenus de oculorum coloribus diuidit colores in tres ſpecies, prima eſt color glaucus, qui fit ob ſplēdidi luminis abundantiam, & ob humoris aquei puritatem; ſecūda ſpecies eſt color niger oculorū, qui ex oppoſitis cauſis fit: tertia ſpecies eſt color medius inter album, & nigrum. Quomodo verò fiat ex Gal.ſententia color glaucus, & niger oculorū; in ſequenti capitulo à Galeno declarabitur.

1 Dubitatio exoritur, quia ab Ariſtot.5. de generat. animal. cap. 1. numerantur quatuor ſpecies colorum oculorum: ait enim, oculos eſſe vel cæſios, vel flauos, vel nigros, vel caprinos: immo primo de hiſt. animal.cap.10. loquens de oculis caprinis dicit, eſſe optimorum morum indicium, & ad cernendi claritatem principatum ob-

obtinere:ergo non erunt tres ſpecies colorum oculorum, vt nos docet in hoc loco Galenus, ſed quatuor, vt refert philoſophus.

Solutio facilis eſt, quia inter albos, & nigros oculosGalenus ponit omnes alios colores oculorum: mediorum enim eorum aliqui vergunt ad albos ſiue glaucos; aliqui ad nigros: & iſti medij plurimi ſunt; ad glaucos vergunt oculi virides,habemus enim ab Alberto Magno libro decimonono,de animal.cap.3.oculos in prima generatione omnium puerorum eſſe virides, & ad glaucedinem pertinere: ad nigros verò referri caprinos; Hinc Ariſtoteles ſect.10. probl.13.dicit, colores oculorum eſſe in triplici differentia,nigrum, caprinum, & cæſium,ideſt glaucum: ecce quod Ariſtoteles aliquando dixit tres tantum eſſe colores,ita vt nulla poſſit eſſe differentia inter Ariſt. & Galenum.

QVÆST. LIX.

An oculi nigri, & albi indicent temperaturas.

EMpedocles referente Ariſt.5.de gener.animalium cap.1. cenſebat,nigredinem,& albedinem oculorum indicare temperaturas,quia dicebat albedinem fieri ex ignis prædominio; nigredinem verò ex aquæ, putabat albos, cæſios, vel charopos oculos interdiu diminutè videre ob aquæ defectum: nigros vero noctu nihil inſpicere ob ignis inopiam. Notandum,oculos glaucos,cæſios, & charopos ad albos referri: glaucus deducitur à verbo γλαυκιάω, ideſt fulgeo: de hoc colore Plato, loquens in dialogo de natura dicit, fieri ex miſtura cærulei, & albi coloris: huius coloris idea conſpicitur in ſplendenti cælo: ſimiliter in nuper natis infantibus,& in oculis fellinis: cæſi à Catullo dicũtur oculi Leonis,quaſi ſint cædis minaces; ideo Cic.lib.1.de natura ait, oculos Mineruæ fuiſſe cæſios: charopi ſimiliter ſunt ſplendidi, & fulgentes, vt cæſi, & glauci, ſed non ſunt valdè minaces, quia ſunt valdè gratioſi, & hilares: charopus ſignificat gratiam, quia χάρις gratia eſt: de charopis loquẽs Ariſtoteles in phyſio cap.6. & 10. dicit ſignificare ingenij acumen,corporis fortitudinem, εὐψυχίαν, ſeu animi præſtantiam; videntur igitur hi tres colores parum vel nihil differentes: Minerua enim vocatur oculis glauca,modo cæſia,& modo charopa.

Reijcitur Empedocles ab Ariſtotele loco citato,quia omnes oculi,tam nigri, quam albi ſunt aquei è prædominio:conſtant enim ex his tribus humiditatibus, aquea,chriſtallina, & vitrea.

Ariſtoteles loco citato non videtur arbitrari albedinem,& nigredinem indicare temperaturas: quia dicit oculos albos oriri à pauco humore aquoſo; nigros à multo, & copioſo: probatq; exemplo aquæ,nam ſi eſt profunda; lumen non penetrat,& ſuboritur nigredo; ſi vero aqua eſt pauca, & lumen penetrat, tunc color efficitur albus ſeu glaucus:Hinc dicit philoſophus oculos nuper natorum infantiũ eſſe albos vel glaucos ob aquæ paucitatẽ: idem ait de valde ſenibus, in quibus ob defectum aquoſi humoris efficiũtur oculi albidiores: Hac de cauſa putat Ariſtot. albos oculos ob paucitatem aquei humoris acutè interdiu non cernere, quia magis quam par ſit mouentur à luce; nigros verò noctu ob humoris copiam minus videre: aitque, hinc Glaucoma cæſis,ſeu albis oculis, & luſcioſitatem nigris frequentius accidere.

Nonnulli tamen,qui putant ex Ariſtotele colores oculorum indicare temperaturas,colligunt ex 4.de gen.animal.cap.1 oculos albos indicare temperaturam frigidam,& nigros calidam: quia ibi dicit Ariſtoteles, oculos cæſios pueris accidere: quia partes recenter natæ ſunt imbecilles,vbi vero eſt imbecillitas,ibi frigida, & non calida temperatura.

Auer.4.coll.cap.3. & in paraphraſi de ſenſu, & ſenſili,& alibi cenſet,oculorum albedinem fieri à paucitate digeſtionis, ideò indicare frigiditatem: nigredinem verò caliditatem,quamvis loco citato nõ neget præter temperaturam, ſitũ,& magnitudinem cryſtalloidis concurrere ad albedinem efficiendam; paucitatem ad nigredinem:Differentia verò inter Auerroem,& Galenum,& Auicẽnam eſt,quia Auerroes negat oculos in ſe habere lumen

men intrinſecum: Gal. vero hic, & 8. d. v. p. & Auicénas 1. tract. de virtutibus cord. 2. propè finem arbitrantur, oculos in ſe lumen intrinſecum habere.

Galenus in cap. ſuperiori putat, glaucedinem oriri vel propter ſplendidi luminis abundantiam, vel propter cryſtalloidis magnitudinem, vel propter ſitum prominentem, vel propter paruitatem aquei humoris: nigredinem verò ob cauſas oppoſitas; intermedios verò colores ex intermedijs cauſis.

Iohanitius in libro iſagogico putat, varietatem colorum oculi pendere à varietate quantitatis ſpiritus influentis ad oculum.

Auicennas libro de natura animal. 19. & lib. 3 canonis fen. 3. tract. 2. cap. 34. affert duas cauſas colorum oculorum, alteram dicens à tribus humoribus oculum componentibus pendere, & iuxta hanc eadem incedit via, qua Galenus: alteram à rhagoidis tunica, quæ ſi eſt nigrior, oculi nigri inſpiciuntur, ſi albidior, albi.

Montanus in hoc commento, Veſalius & Realdus Columbus, vbi agunt de oculis referunt, colores oculorū ad tunicam prout vario modo eſt colorata, & non ad temperaturas, vel ad humores oculorum: ſimiliter Albertus Magnus libro 19. de animalibus cap. 4. his verbis idem dicit, oculorum ſcilicet colores ex tunica procedere, ita vt, cuius coloris eſt tunica, eiuſdem ſit oculus. Eandem ſententiam ſecuti ſunt perſpectiui, ſicuti Alhazen libro 1. ſuæ perſpectiuæ capit. 3. & Vitellio lib. 1. Theor. 1. qui dicunt cauſam colorum oculi effici ex coloribus tunicę raghoidis.

Verior opinio eſt, quod colores non indicent temperaturas, quia re vera non pendent à primis qualitatibus; cæterum, qui vult exactius intelligere, à quibus cauſis oriantur colores, legat quæſtiones noſtras de generatione coloris, de diaphano, & opaco ſuperius propoſitas; quia luce meridiana clarius intelliget, à temperatura nullam habere dependenciam; dantur enim colores nigri in rebus calidæ, & frigidæ temperaturæ: ſimiliter albi & cærulei in calidis, & frigidis temperaturis; quare vaniſſimum eſt ex coloribus colligere temperaturas: Dum verò Galenus ex coloribus deſumit ſigna temperaturarum dicimus, id feciſſe, quatenus colores ſunt ſigna cōmunia, quæ cum alijs componere poſſunt ſyndromen indicantem temperaturas. Quod verò Galenus cenſeat, colores oculorum ſeorſum conſideratos non indicare temperaturas, patet, quia refert oculorum colores non ad eorum temperaturas, ſed ad ſitum cryſtalloidis, ad magnitudinem, & ad tenuitatem, vel craſſitiem aquei humoris: at ex omnium medicorum conſenſu ſitus, magnitudo, tenuitas, ſeu craſſities pertinent ad partes organicas, & non ad ſimilares, in quibus fundatæ ſunt temperaturæ.

Cauſa verò colorum oculi nō vna, ſed plurimæ à Gal. proponuntur; quia cauſa vera, & immediata colorum oculi, qua ſcilicet poſita ponitur, & qua ablata aufertur, eſt innominata; deſcribitur tamen à propoſitis Auctoribus vario modo: à Galeno deſcribitur coloris glauci cauſa immediata per magnitudinem, ſplendorem, tenuitatem, & per ſitum prominentem humoris cryſtalloidis: deſcribitur verò color niger per cauſas contrarias: ecce quod cauſa immediata, & proxima, quę ſemper eſt vna, & qua poſita ponitur nomine caret: ideò à Galeno multis, & communibus ſignis deſcribitur; Vtinam in medicina, & philoſophia cauſæ veræ omnes eſſent vnico nomine nobis noto inſignitæ; Neq; Ariſtoteles in libris poſt. tantum laboraſſet in docēdis innominatis cauſis. Ariſtoteles quoque non vno in loco cauſam innominatā colorum oculi deſcripſit; 5. enim de generatione animal. cap. 1. deſcripſit cauſam nigredinis oculorum per copiam, & profunditatem humoris aquei; Glaucedinem verò per paucitatem: 14. verò ſect. problem. 11. prius laudat Empedoclem (quem alibi reprehendit) dicentem ignem efficere glaucedinem; deinde cauſam colorum refert in colorem tunicæ ragoidis: ſimiliter ſect. 10. proble. 13. dum quærit, cur alibi tam homines, quā equi, oculis magna ex parte cæſi ſint, id refert ad colores tunicę; ecce quod ipſe Ariſt. videns, cauſam colorum eſſe innominatam, illam deſcribit vario modo: in vno loco illam refert ad quantitatem humorum, in alio ad ſpiri-

tus

tus abundantiam, & demum ad colores tunicæ ragoidis. Quod verò aberrent toto cælo Alhazen, Vitello, Montanus, Albertus Magnus, Veſalius, & Columbus, dum putant colores oculorum ſolum à calore tunicæ oriri, ex eo patet; quia ſequeretur, quod colores oculorum mortuorum non differrent a coloribus viuorum. Præterea, dum viuentes incidunt in ſyncopē, ſeu liphotimiam, ſtatim oculorum colores mutantur; ecce quod non ſolum cōcurrunt tunicarum colores, qui ſunt immutabiles, ſed aliæ cauſæ à Gal. propoſitæ, quæ omnes vnicam innominatam deſcribunt. Hinc Ioanicius dicens, varietatem colorum oculorum effici à varia quantitate ſpiritus influentis, decipitur, quoniam requiruntur multa alia ſigna, quę poſſint deſcribere illam innominatam cauſam, quæ vnica eſt; ſimiliter Auicennas, Auerroes, & plurimi alij qui reduxerunt colores nigros, vel glaucos ad vnam cauſam decepti ſunt, quoniam cum ſit innominata, non poterat vnico, ſed multis nominibus declarari, vt fecit Gale. qui in hac re difficillima, inſignitus principijs analyticis adeo doctè locutus eſt, vt nemo hactenus cum illo ſit conferendus.

CAPITIS XXVII. Particula I.

De glaucedine, & nigredine oculorum.

Glaucus igitur oculus fit, vel propter magnitudinem, vel propter ſplendorem humoris, qui à Græcis cryſtalloides nominatur: vel propter ſitum prominentem, aut propter ſitum prominentem, aut propter tenuis, & aqueí humoris, qui in pupilla exiſtit, paucitatem, & puritatem: atque omnibus quidem in vnum conuenientibus fit glauciſſimus oculus. Quòd ſi aliqua adſint, aliqua verò non tunc maior, minorve glaucedo contrahitur. Niger verò oculus fit, aut ob paruitatem cryſtalloidis, aut propter profundum ſitum, vel quoniam ſplendidus, ac fulgidus exquiſitè non eſt: vel quoniam tenuis humor, vel ſuperabundat, vel purus non exiſtit, vel propter vnam aliquam ex his, aut propter omnes ſieri conſueuit. In ipſis autē magis, & minus, vt antea diximus reperitur.

IN hoc c. à Galeno trium humorum & tunicarum oculum componentium intelligentia præſupponitur. Tres ſunt oculorum humores, aqueus, cryſtallinus, & vitreus: aqueus eſt, qui continetur inter cryſtallinum & corneam; huius humoris vſus tres referuntur; primus, vt per ipſum tranſeant ſpecies viſibiles; quæ deinde per cuſpidem recipiuntur in cryſtallino; niſi eſſet hæc aquoſa humiditas, quæ refrangit & vnit in punctum omnes baſis viſibilis lineas; oculus non videret maiores baſis magnitudinem, quam ſit ipſa pupilla, & ſic viſio foret vana; ſecundus vſus conſiſtit in humectando cryſtallinum, & prohibendo ne exſiccetur. Tertius in extendendo corneam, ne fiat rugoſa, in ſenibus enim quando incipit humor aqueus minui, cornea non exactè extenditur, ſed rugoſa fit, indeque ſi vellint rectè inſpicere, ſpecilla oculis admouent; iuuant enim viſionem; quia cuſpides ſpectrorum viſibilium per ipſa ſpecilla magis refranguntur, & acutiores fiunt, vnde eorum tranſitus ad cryſtalloidem à rugis corneæ non impediuntur.

Secunudus humor eſt cryſtallinus, qui aſſimilatur cryſtallo; ad hunc, tamquam partem præcipuam, pertinet viſio, vt nos docet Galenus 10. de vſu part. cap. 1. & 6. Hic ſolus humor viuit, aqueus vero, & vitreus, vt dicit Galenus 10. de vſu partium cap. 1. non viuunt. Hinc errat Argenterius in hoc commendum cenſet, non ſolum cryſtallinum, ſed etiam aqueum, & vitreum viuere; ratio vero quæ mouit Galenum ad credendum ſolum cryſtallinum viuere eſt; quia neruus opticus peruenit ad cryſtallinum, & ei dat ſenſum videndi, quod non conuenit alijs humoribus, quia vt inanimati non habent actionem, ſed ſolum uſum.

Tertius humor eſt uitreus, qui eſt nutrimentum cryſtallini, manetque in fine concauitatis oculorum, eſtq; in tanta copia, ut in ipſo natet cryſtallinus.

Tunicæ oculorum dicuntur eſſe tres, ſex, & ſeptem. Tres, quia oriuntur à neruo optico, qui ex triplici conſtat ſubſtantia, ideſt tunicæ durę matris, piæ, & interna ſubſtantia nerui; ab illa tunica externa

terna, quæ prodit à dura matre fit tunica, quæ dicitur ſchlirotica, ideſt dura; ex pia fit tunica, quæ dicitur coroidis; ex ſubſtantia interna nerui fit tunica, quæ dicitur amphibliſtroidis, quæ etiam dicitur retina, quæque ambit totum uitreum humorem; & aliæ non dantur tunicæ. Sunt ſex quia iſtæ tres degenerãt in alias tres, quæ reuera non differunt ab his; degenerant verò hoc modo, ex ſchlirotica ſiue dura fit cornea; ex coroide fit vuea, quæ facit pupillam, aſſimillaturque vuæ acino: ex retina fit aranea, quę ambit cryſtallinum; Sunt etiam ſeptem tunicę, quia præter ſex datur tunica coniunctiua, vel adnata, quæ re vera non oritur à neruo optico, ſed à pericraneo: cæterum hæc tunica potius dici debet oculorum ligamẽtum, quoniam oculus meritò illius illigatur oſſibus; ecce igitur quomodo tres, quomodo ſex, & quomodo ſeptem numerentur oculorum tunicæ.

Præterea, datur tunica ciliaris facta ex alijs, & dicitur proceſſus ciliaris; hæc iacet in communi baſi tunicę cornee, ſchlirodis, vueę, coroidis, hyaloidis anterioris, & poſterioris, araneæ anticæ & poſticæ ab ipſa naſcuntur illi pectines nigricantes, qui cryſtallinum amplectuntur, & firmant. Vſus huius ciliaris eſt oculum laxare, pupillam ſtringere, retrahere; & protrudere.

Quoad cauſas glaucedinis egimus ſuperius: Gal. tamen hic refert quinq; glaucedinis cauſas; magnitudinem ſcilicet humoris cryſtallini, eiuſdem ſplendorẽ, ſitũ prominentẽ, paucitatem humoris aquei, & eiuſdem humoris puritatem: dum omnes iſtæ cauſæ in vnum conſpirant, oculi fiunt valde glauci, ſi vero aliquæ tantum, minus glauci efficiuntur, ſi demum contrariæ cauſæ concurrant, fiunt nigri.

Par eſt, vt glaucũ in ſuos gradus diuidamus; quatuor enim ſunt coloris glauci gradus, primus eſt valde luminoſus, qui à Gellio inter ſplendentes colores numeratur; & hic color ſplendenti cælo aſſimilatur, iſti oculi italicè vocantur Bianchicci, taleſque ſunt oculi infantium, dum naſcuntur. Ferunt hiſtoriæ, Neronem his oculis fuiſſe inſignitum. Altera ſpecies glauci eſt declinans ad croceum colorẽ, & tales obſeruantur in noctuis; ideò à Græcis γλαυκῶν a nomine huius animalis quod eſt la ciuetta dicuntur. Rhaſis ait, qui habent tales oculos, mores habere ferinos. Tertia ſpecies ad viriditatem accedit: qui enim inſigniti ſunt his oculis ſunt viri fortes, & tal is erat Patroclus (vt Daretes Phrygius teſtatur) vir fortiſſimus. Præter has tres ſpecies adeſt quarta, quæ eſt coloris cærulei: Cicero de natura Deorum dicit, oculos Mineruæ fuiſſe cæſios, & Neptuni cæruleos & ſimiles mari, cuius color inter glaucos collocatur: hic color in oculis ſignificat dolum. Quo fit, vt dicant Phyſionomici, Galbam, quia erat cæruleis oculis præditus, fuiſſe doloſum, auarum, & ſæuum.

Poſt Glaucedinem ſequuntur colores medij, quorũ primus obſeruatur in oculis caprarum, qui ex Ariſtotele in phyſio. ad cernendi claritatem primatum obtinent, & optimorum morum ſunt indicia, cap. 6. & 10. ait ſignificare fortitudinem, & εὐψυχίαν, ſiue animi præſtantiam, ſecundus eſt flauus color, qui ſi nigrorem participat, animoſitatem ſignificat. Hæc enim ſunt verba Ariſtotelis, *quibus oculi valde nigri declinant ad flauum colorem animoſi ſunt.* Tertio ſequũtur colores oculorum flaui præditi ſplendore, qui dicuntur fului, charopi, ſeu gratioſi; hic charopus varius eſt, quia obſeruatur in oculis Leonis, Aquilæ, & Vulturis; Quartus color eſt ruber, qui ex Auer. in coll. indicat intemperiem calidam cerebri, ſed ſuperius hoc reiecimus: quia colores non oriuntur à temperaturis.

Poſt medios ſequuntur colores nigri, qui magis, & minus ſuſcipiunt; modo enim oculi nigri declinant ad flauum, modo ad fulgidum, modo ad caprinum, modò ad ouinum; hæc ſunt ea, quæ breuibus de gradibus colorum oculorum dici poſſunt.

1 Dubitatio, non videtur, quod Glaucedo oculorum proueniat a quinque cauſis a Galen. in hac particula propoſitis; quia omnes pueri nuper nati habent glaucos, & cæſios oculos; quinimo virides; attamẽ non omnes eadem magnitudine cryſtallini præditi ſunt, ergo cauſa glaucedinis non erit magnitudo cryſtallini.

Reſpondetur, quod in pueris humor cryſtallinus quam maximè ſplendet ob

co-

copiam ſpirituum animalium, qui ſua natura lucent & ſplendidiſſimi ſunt, & ut tales glaucedinem efficiunt. Quod uerò ſpiritus animales in oculis lucidi ſint, nos docet Gal. & Auicennas; Galenus in hac partic. & 8. de uſu par. & Auicennas 1. tract. de uirt. cor. 2. ubi putant oculos in ſe lumen intrinſecum habere. Hac ratione ſuperius nos reiecimus Auerrois, & Argenterij ſententiam, quia dicebant oculos nullum intrinſecum lumen habere, ſed quod habent ab extrinſeco aduenire; iſti enim non admittebant ſpiritus uiſorios eſſe lucidos; quod medici per uaria experimenta cognouerunt; ſicuti ex frictione oculorum in obſcuro, & ex ſomnij lucis collegerunt. Demum reſpõdemus dubitationi, pueros omnes habere oculos glaucos ob aquei humoris paucitatem.

2 Dubitatio, uidetur, quod prẹter cauſas glaucedinis à Gal. propoſitas dentur aliæ, qui Ariſtoteles 4. de generat. animal. c. 1. habet hæc uerba, *oculi ſunt caſij pueris: quia partes recenter natæ imbecilles ſunt:* ecce quod præter cauſas à Galeno propoſitas eſt quoque imbecillitas.

Reſpondetur, imbecillitatem efficere paucum humorem aqueum; ideò pueros glaucos, & aliquando uirides oculos habere; ecce quod imbecillitas continetur in paucitate humoris aquei, & ſic continebitur in quinque propoſitis à Gal. Præterea ex Alberto Magno libr. de animal. tract. 1. c. 3. oculi glauci alij ſunt cæſi, alij griſi, alij albi, alij uirides, qui omnes referuntur ad glaucedinem.

3 Dubitatio, Galenus uidetur diminutus, quia ſolum de colore albo, & nigro, de alijs uerò coloribus, ut de caprino, leonino, & de alijs, ne uerbum quidem fecit.

Reſpondetur, cognitis extremis medios ex ſe elucéſcere. Cauſæ efficientes colorem nigrum quinque ſunt; quia ex Ariſtotele 1. topic. cap. 8. eadem eſt contrariorum diſciplina; quinque enim ſunt traditæ cauſę glaucedinis, quinque quoque erunt nigredinis, quarum prima eſt paruitas cryſtallini; ſecunda ſitus eſt eius profundus; tertia cryſtallinus non exquiſitè ſplendidus & fulgidus; quarta aquei humoris nimietas; quinta eiuſdem humoris impuritas. Dum omnes iſtæ cauſæ conſpirabunt, oculi fient nigerrimi, dũ aliquę tantum, non ita nigri.

4 Dubitatio, aliæ ab alijs referũtur cauſæ nigredinis oculorum præter quinque propoſitas, ergo Gal. diminutus; Albertus Magnus 1. lib. de anim. tract. 2. c. 7. refert, ſeptem cauſas nigredinis oculorum; prẹter quinque enim addit duas, alteram eſſe defectum ſpiritus uiſiui, cuius abſentia ſuboriuntur tenebræ, alteram eſſe, dum humor melancholicus in cerebro dominatur qui nutriens corneam, & vveam, efficit oculos nigros.

Reſpondetur, Gal. loqui de oculis ſanorum, & non ægrotantium; dum enim dominatur humor melancholicus, qui ſit in tanta quantitate, ut nutriat corneam, & vveam, tunc illud corpus extra latitudinem ſanitatis collocabitur; ſimiliter, dũ deficiunt ſpiritus uiſiui, dicimus, oculos laborare ægritudine, de quibus hic non loquimur.

5 Dubitatio, ex Gal. lib. de uſu part. nerui optici ſunt perforati: ideo ſpiritus animales peruenientes ad cryſtallinum efficiunt in illo ſplendorem; probatq; Galen. opticos neruos eſſe perforatos, eo quia, dum claudimus unum oculum alterius pupilla dilatatur gratia recipiendi ſpiritum, quod non fieret ita citò, niſi eſſent perforati. Hæc Gal. doctrina reluctatur experientię, & auctoritati omnium Anatomiſtarum, qui dicunt, opticos carere foramine.

Reſpondetur Gal. non poſſe defendi, quia omnes nerui carent foramine. Dum uerò ait, altero clauſo alterius pupillam dilatari, ideò per foramen. Reſpondemus ſpiritus confluere non per foramina, ſed per neruorum internam mollitiem.

CAPITIS XXVII.

Particula II.

Tex. 33. *Tenuis igitur humor, quo magis ad aquæ naturam accedit, & ſuperabundat, humidiorem oculum oſtendit: quemadmodum ſi craſſior, ac minor fiat, ſicciorem. Cryſtalloides autem, ſi quidem durior exiſtat, ſicciorem efficit oculum: ſi verò mollior, humidiorem, ſic & ſi plus modico te-*

tenuem humorem excesserit, ſicciorem: ſi autem defecerit, contrarium.

IN hoc tex. Galenus colligit quando oculus eſt ſiccior, & quando humidior; docet humidiorem eſſe, quando humor aquoſus eſt tenuior, & copioſior. Similiter quando humor chryſtalloides erit mollior, & ſolito minor eſſe humidiorem; Deinde ait, tunc oculum ſicciorem eſſe, quando cryſtalloides eſt durior & ſolito maior; tuncq; eſſe humidiorem quando eſt mollior; ſimiliter ſi in cryſtalloide plus modico humor aquoſus ſit, ait, oculum eſſe ſicciorem, ſi deficiat eſſe humidiorem.

Diuiditur hic textus in duas partes; in prima colligit temperamentum humidum, vel ſiccum oculi ex tenuitate, & quantitate humoris aquei, in ſecunda dicit, temperamentum eſſe humidum, & ſiccum ex mollitie, duritie, & quantitate cryſtalloidis.

1 Dubitatio maxima oritur, quia Galenus videtur per ignotiora procedere, & petere manifeſtiſſimè principium, dum dicit humorem aqueum; ſi tenuior; & copioſior ſit, indicare humidum temperamentum oculorum; adhuc enim à Galeno petere poſſumus, qua arte ſciri poterit, quando humor aqueus ſit tenuior, copioſior; quare par erat, vt nos prius doceret, quomodo dignoſci poſſit, quando ſit tenuior, & copioſior. Eandem petitioné committit, dum nos docet temperaturam chryſtallini ex eius quantitate, duritie, & mollitie; quis eſt ille qui poterit cognoſcere, an cryſtallinus ſit durus, vel mollis, magnus, vel paruus?

Reſpondent nonnulli, tenuitatem & abundantiam aquei humoris, & duritié, & mollitiem criſtallini ſolum in anatome cognoſci poſſe; Cæterú, hęc doctrina Galen. eſſet omninò vana, & ridicula, quia temperamenta oculorum debent cognoſci, dum corpora ſunt viua, & non cadauera.

Dicimus igitur nos, Galenum mira arte docuiſſe temperaturá oculi, ſed oportet reminiſci eorum, quæ ſuperius nos docuit; non ne dixit, oculum glaucum indicare paucitatem, & puritaté aquei humoris, & magnitudinem cryſtallini; Similiter non ne docuit oculum nigrum habere paucitatem cryſtallini, & copiam ſeu impuritatem aquei humoris: ecce igitur, quod ex dictis Galeni conijcere facilè poſſumus, quando in oculis viuentium ſit tenuitas, vel impuritas aquei, & durities, ſeu mollities, & magnitudo cryſtallini, vnde oculi temperamenta dignoſcimus.

2 Dubitatio, quæritur, an oculi ſint temperamenti frigidi, calidi, ſicci, vel humidi: quia nonnulli putant, oculum eſſe ſua natura frigidum, & ſiccum: frigidum, quia conſtat ex humoribus frigidis; humor enim aqueus, vitreus, & cryſtallinus à prædominio ſunt frigidi humores, ſiccũ quia conſtat ex ſeptem tunicis, quæ ſua natura ſiccæ ſunt, ergo oculus erit temperamenti frigidi & ſicci. Reijciútur iſtorum fundamenta, quia confundunt temperaturam totius cum temperatura partium; nulla enim valet conſequentia à toto ad partes, neque à partibus ad totum. Hinc Ariſtoteles 7. metaphyſ. tex. 60. ait, quod *ſyllaba* ba *non eſt idem quod* B *&* A, *ſed aliquid aliud:* ſimiliter 8. metaph. tex. 15. habet hæc uerba, *totum non eſt quaſi coacervatio partium, ſed eſt aliquid aliud præter partes:* itidem 2. metaphyſ. tex. 22. docet, formas ſimplicium eſſe alias à formis compoſitorum: ecce igitur quod nec à partibus ad totum, nec è conuerſò valent conſequentiæ.

Præterea reijciuntur exemplo cordis: Galenus enim 3. de alimentis capite de viſceribus pedeſtrium dicit, cordis ſubſtantiam eſſe duram, & frigidá, quia componitur ex paniculis, cartilaginibus, & neruis, quæ omnes partes natura frigidę ſunt, nihilominus cor eſt calidiſſimi temperamenti. Idem dicit Auicennas in ſua Anatomia: Auerroes verò in colliget docet, cor per ſe eſſe frigidum, per accidens, ideſt ratione motus eſſe calidum.

Dicimus nos admoniti auctoritate Auerrois loquentis de corde, quod oculi conſiderati per ſe & ſecundum ſuam naturam ſint frigidi: quia humores, & tunicæ ſua natura ſunt frigidæ: conſideratos verò per accidés, quatenus recipiunt ſpiritum animalem, eſſe potius temperatos, quamuis magis inclinent ad frigidum. Galenus enim primo de placitis ait, oculos

los multam cerebri ſubſtantiam ad ſe trahere; intelligit per cerebri ſubſtantiam ſpiritus animales,qui, cum fiant à ſpiritibus vitalibus calidiſſimis, neceſſe eſt, vt humorum oculorum frigiditas temperetur, & propterea temperati potius ſint, quam frigidi.

3 Dubitatio eſt, an oculi glauci nigri, vel medij coloris acutius videant.

Reſpondent Expoſitores,oculos medij coloris acutius videre: rationem afferūt, quia ex Ariſtotele 5.de gener.animal.cap. 1.habetur hæc ſententia: oculi glauci noctu: nigri verò interdiu acutius vident, medij itaque coloris oculus melius videbit: idque auctoritate Ariſtotelis loco cit. probatur,ibi enim habetur,viſum optimū eſſe,qui inter multum & paucum humorem ſeruat mediocritatem.

CAPITIS XXVIII.

De cordis temperaturis.

Tex.34. *De cordis autem temperaturis deinceps dicendum eſt. Si prius hac in memoriam reuocauerimus,quod vnamquamq; partem ſeipſa, vel calidiorem,vel frigidiorem,vel ſicciorem, vel humidiorem dicimus factã, non alicui rei alteri comparantes. Vtcunq; enim extiterit cor natura frigidius, multo ſanè calidiorem temperaturam poſſidebit calidiſſimo cerebro.*

EGit Gal.ſuperius de cerebri temperaturis;nunc verò de cordis,& meritò, quia poſt cerebrum nullum viſcus eſt corde dignius;oſtēdimus enim ſuperius ratione, & auctoritate Galeni impulſi, ſedem animæ eſſe in cerebro,& non in corde, vt putabat Ariſtoteles.

In hoc c. tradit regulam obſeruandam non ſolum in corde,ſed in omni corporis parte: de qua ſuperius mentionem fecit, quæ eſt,dum dicimus,aliquam partem eſſe calidiorem,frigidiorem,ſicciorem, vel humidiorem intelligendum eſſe factã comparatione ad ſe ipſam conſideratam in æqualitate maiori, quam in ſua ſpecie eſſe poſſit. Dum enim dicimus, cor eſſe temperatiſſimum, id intelligitur in ſua ſpecie, & non abſolutè; quia cor temperatiſſimum reſpectu volæ manus,quæ videtur media abſolutè, eſt intemperatiſſimum; imò cor omnium frigidiſſimū erit longè calidius, quam cerebrum, & vola manus calidiſſima;docet igitur Gal. conſiderandas eſſe temperaturas cordis ratione ſui,quatenus recedunt a temperatiſſimo corde;quod tamen ſua natura eſt omnium partium calidiſſimum.

De corde Hippoc.& Galenus videntur aliquantulum diſcordes. Hipp. enim lib. de corde ſic definit cor. Cor eſſe muſculum valde fortem non neruo, ſed carne denſa conſtitutum.Gal.lib.de anato. ad c. 8. reprehendit hanc opinionem Hippocratis dicentis cor eſſe muſculum. Primo quia nullus muſculus habet omnes fibras; ſed cor habet omnes fibras ideſt obliquas, rectas, & tranſuerſas, ergo cor non eſt muſculus.

Secundum argumentum tale eſt; muſculus eſt motus voluntarij inſtrumentum,ſed cor non eſt huiuſmodi: ergo.

Tertium argumentum;omnis muſculus habet ſimplicem motum, ſed cor habet motus contrarios, ideſt, ſyſtoles, & diaſtoles;ergo non eſt muſculus.

Ego facile conciliarem Galenum cum Hippocrate dicendo muſculos eſſe duum generum;vnum,quod inſeruit motui voluntario; alium vero motui naturali & neceſſario; hac ratione cor poteſt dici muſculus.

1 Dubitatio videtur Gal. inſufficiens, quia agens de cordis temperaturis, non agit prius de ſignis temperati cordis,ſicuti ſuperius egit de ſignis temperati cerebri.

Reſponſio communis eſt, quod ex ijs, quæ dicta ſunt de cerebro temperato, vnuſquiſque animaduerteret, quomodo viſcera temperata dignoſci poſſint;ſignorum enim mediocritas temperatum cor oſtendet.Prætereà cognito corde calidiſſimo, & frigidiſſimo facilè cognoſcetur cor,quod in medio,& inter duo extrema continetur.

2 Dubitatio,non videtur, quod regula propoſita in tex. ſit ſemper obſeruanda; quæ erat quod in temperaturis dignoſcēdis comparatio ſit faciēda ſolum reſpectu ſui,& nō aliarum partium;quia ex Auer. 4. coll. 4. valet hæc, cerebrum, & iecur ſunt temperata,ergo & cor;ergo regula a

Ga-

Galeno propoſita non ſemper nobis inſeruiet; probat enim Auerroes, omnia ſigna, quæ indicant iecur, & cerebrum eſſe temperata, indicare quoque cor temperatum, quia hepatis, & cerebri calor, per quem actiones fiunt, & qui eſt veluti forma partium ſimilarium, hepati, & cerebro eſt à corde trāſmiſſus; calor verò proprius partium ſimilarium non tranſmiſſus a corde ſe habet ex Auerroe, & Ariſt. per modum materiæ, & ab illo actiones non prodeunt: quare ſi cerebrum, & iecur erunt temperata, erunt ob cor temperatum, quod immittit facultates in iecur, & cerebrum, ergo regula propoſita non ſemper nobis inſeruiet.

Reſpondetur cum Galeno eſſe falſiſſimū, quod cor immittat facultates in alia viſcera, omnia enim viſcera a prima generatione habent proprias facultates, & proprium, & innatū calorē, a quo actiones prodeunt: quinimmo, dum cor mittit ſpiritum vitalem in cerebrum, probauimus ex Galeno alterari, & conuerti in ſpiritum animalem, qui deinde proprias actiones edit, quod non cognouit Ariſtoteles; ſimiliter dicimus, nō ſolum de iecore, ſed de qualibet infima corporis parte, dum immittit cor vitalem ſpiritum, calidum innatum omnium partium eo refocilari, & nutriri, ita vt propriæ actiones ſolum proueniant à calido innato, & nō à vitali influente. Cauſa erroris Auerrois & Ariſtotelis fuit, quia putabant à corde non ſolum arterias, ſed venas, & neruos oriri; quam opinionem in hoc libro fusè reiecimus. Probauimuſq; reluctari anatomiæ: ſi enim eſſet vera, ſequeretur hoc magnum inconueniens, quod valeret cōſequentia à temperatura cuiuslibet partis ad cor, exempli cauſa valeret hæc; manus eſt temperata, ergo, & cor: quia ſi manus temperata ex Ariſtotele, & Auerroe talis eſt propter calorem cordis temperatum; tunc ex temperatura etiam calcanei poſſemus determinare de cordis temperatura, quod eſt ridiculum.

. An verò in cognoſcendis temperaturis ſit facienda comparatio ad cor, Auer. 4. coll. c. 2. vult temperaturas iecoris, & aliarum partium prouenire a corde, ita vt ſi cor ſit temperatum, aliæ quoque partes ſint temperatæ; ſi cor ſit intemperatum, aliæ quoque partes ſint intemperatæ: immo vult ex Ariſt. omnes operationes iecoris, cerebri, & aliarum partium prouenire a calore tranſmiſſo à corde; atque calorem cordis tranſmiſſum ad iecur eſſe formam iecoris. Idem dicit de alijs partibus; addit calidum innatum eſſe materiam.

Neque admittunt iecur obſtare cordi; quæ opinio deſtruit hunc tractatum de temperamentis.

Nos igitur cum Gal. dicimus operationes à calido innato tamquam à forma pendere, & ab influente tamquam à materia quia influens eſt pabulum, & materia innati.

Præterea refellitur Auer. vel Ariſt. quia non tranſmittuntur facultates naturales à corde ad alias partes. Primò patet de venis, quæ non dependent à corde; tum quia venæ in piſcibus aliquibus non tangunt cor; tum quia vena porta nihil habet cum corde. Deinde eſto, quod oriātur à corde dico, quod facultates naturales non mittuntur de loco ad locum; quia ligatis artubus non amittūtur facultates nutriendi, & aliæ facultates naturales, amittuntur tamen vitales, & animales; inde luce meridiana clarius patebit facultates naturales ab innato calido, & non ab influente prodire; inde quoque ſequitur, temperaturas debere conſiderari reſpectu æqualitatis temperaturarum partium, & non reſpectu æqualitatis cordis; quia cor poteſt eſſe calidum, & totum frigidum, quando obſtat iecur ſua frigiditate. Idque cognoſcetur experientia vt infra.

QVÆST. LX.

De temperatura cordis facta collatione ad cutim.

Omnes conſentiunt in arte medicinali, Galenum per cor frigidum intelligere minus calidum, quam ſit temperatiſſimum, & per cor calidum magis calidum, quam temperatiſſimum; idem intelligitur de temperaturis omniū partium corporis facta ſcilicet comparatione ad medium illius ſpeciei.

Quæritur tamen in hoc loco cuius tē-

peramenti ſit cor, facta collatione ad cutim, quæ exiſtimatur eſſe in medio omnium exceſſuum primarum qualitatum.

Auerroes 2. colliget 3. loquens de corde ait, eſſe per ſe, & ſua natura frigidum, & humidum; per accidens verò ratione motus, & ſpiritus vitalis eſſe calidum; Ratio, quæ illum mouet, cur ſit per ſe frigidum, eſt, quia cor conſtat ex partibus ſpermaticis, ideſt ex fibris, ligamentis, & membranis, quæ frigida ſunt: ratio verò cur humidum, eſt, quia ſemper ſanguine, & ſpiritu plenum eſt: erit igitur cor ex Auerroe frigidius, & humidius cute volę manus.

Auicennas fen prima primi Doct. 3. c. 5. agens de complexionibus putat cor eſſe per ſe calidius, & ſiccius cute volę manus: calidius, quia eſt fons caloris; ſiccius quia eſt fibroſum; probatq; auctoritate Galeni ſecundo de temperamentis c. 12. & 3. de alimentorum facultatibus dicentis, cor eſſe ſiccum.

Nos autem cum ipſo Galeno arbitramur, cor eſſe calidum, & humidum; patet enim ex Galeno eſſe calidum; quia primo de temperamentis capite vltimo, & ſecūdo eiuſdem cap. 3. dicit, ſanguinem calorem à corde accipere: ſimiliter libro de fętus formatione, & primo de ſemine ait, ſi imponas digitum in ventriculos cordis animalis illicò mactati vrentem ferè calorem percipies: ecce, quod cor erit longè calidius cute: probatur ſimiliter ex Gal. primo, & ſecundo de temperamentis locis iam citatis, cor quo ad eius carnem eſſe cute humidius: quæ loca non in antiqua, ſed in noua translatione ſunt adeo clara, vt nihil clarius eſſe poſſit; antiqua verſio erat, cor parum elongari à cutis ſiccitate, ex quibus verbis inferunt anatomiſtæ, ergo cor eſt ſiccius cute; ſed re vera alio modo legitur in moderna translatione, primo videlicet de tēperamentis capite vltimo, hæc ſunt verba: *itaque etiam humidius, quam cutis, cor eſt. quanto ſcilicet eſt mollius*: ecce quod res apud Gal. eſt clariſſima, quòd cor ſit humidius cute. Antiqua trāslatio, quæ dicebat cor parum elōgari à cutis ſiccitate eſt nimis amphibologica: quia, & ipſa poſſumus colligere eſſe cor pari menſura magis ſiccum, & minus ſiccum cute; quia vtrumq; parū elongatur à cutis ſiccitate.

Demū eſto, quod omnes partes ſolidæ cordis ſint frigidiores cute, non propterea ſequitur, totum cor eſſe frigidius: quia neque à partibus ad totum, neque à toto ad partes valent conſequentiæ: Ariſtoteles enim 7. metaph. tex. 60. vt dictum eſt ſuperius, ait, quod ſyllaba ba non eſt ipſa elementa, nec idem quod B & A, ſed aliquid aliud, ſimiliter 8. metaphyſ. tex. 15 habet hæc verba, totum nō eſt quaſi coaceruatio partium, ſed ipſum totum eſt aliquid aliud præter partes; ſimiliter 12. metaphyſ. tex. 22. ait, formas ſimplicium eſſe alias à formis compoſitorum: ecce, eſto quod ſolida cordis ſint frigida, non propterea totum cor erit frigidum, quia formæ partium differunt à formis totius. Inſuper argumenta à partibus ad totum ſunt vitioſa; reiectaq; ab Ariſt. lib. de interpretatione, vbi docet, à diuiſis ad coniuncta, ſi non ſeruetur idem ſenſus in antecedente, & conſequente, conſequentiam eſſe vaniſſimam.

CAPITIS XXIX.
Particula I.

De ſignis cordis calidioris.

Tex. 55. *Calidioris igitur cordis, vt admodum qui ei proprius eſt, atq; conueniens, inditia quadam ſunt inſeparabilia, & propria, magnitudo reſpirationis, & pulſus velocitas, & frequentia, & audacia, & ad actiones natura prompta.*

POſt tractationem de cerebro Galenus agit de corde, quia poſt facultatem animalem, ſequitur facultas vitalis, quæ reſidet in corde, tum quia eſt viciníor animali; tum quia eſt nobilior, & præſtantior cęteris. Incipit igitur à ſignis cordis calidi permanentis adhuc in latitudine ſanitatis: calor enim ex Ariſtotele ſecundo de generatione eſt actiuorum primus: agit verò prius de ſimplicibus temperaturis, quam de compoſitis: quia his cognitis, facilè inde temperaturæ compoſitæ dignoſcuntur.

Diuiditur totum cap. in duas partes; in prima proponit ſigna cordis calidi; in ſecunda ſigna cordis calidiſſimi.

Si-

Signa cordis calidi proponũtur in hoc text. & ſunt hæc quinque ; primum eſt magnitudo reſpirationis, ſecundum pulſus velocitas;tertium,pulſus frequentia ; quartum audacia; quintum promptitudo ad actiones. Signa verò indicãtia cor calidiſſimum proponentur in particula ſequenti, & ſunt quinque ; quorum primum eſt furibunda iracundia: ſecundum temeritas ; tertium thorax hyſpidus, & præſertim pectus,& partes quę ſunt proximiores hypocondrijs ; quartum totum corpus calidum,niſi hepar obſtet ; quintum latitudo thoracis.

Quo ad verba text.dicit Galenus,indicia quædam eſſe inſeparabilia,& propria; Notandum, accidens inſeparabile differre à proprio;cicatrix enim & naſi ſimitas ſunt accidentia inſeparabilia, attamen non ſunt propria ; proprium enim differt ab accidente inſeparabili,quia proprium eſt accidens inſeparabile ſpeciei:accidens verò inſeparabile indiuiduorum tantum: dicit igitur Galenus, magnitudinem reſpirationis,& alia ſigna propoſita eſſe inſeparabilia, & propria illius ſpeciei caloris, qui prouenit à corde aliquantulum calidiori, quam ſit temperatum, ſed ſunt propria collectiuè non diuiſiuè id eſt ſimul vnita, & in ſyndromen collecta, & non ſingula per ſe.

1 Dubitatio;non videtur,quod magnitudo reſpirationis indicet calidum cor : quia reſpiratio fit à muſculis mouentibus thoracem, qui ſunt 89. muſculorum enim motus eſt actio animalis , & non vitalis,pertinetq; ad cerebrum,& non ad cor.

Reſpondetur magnitudinem reſpirationis per ſe primo indicare magnitudinem thoracis: magnitudinem verò thoracis duplici de cauſa in prima generatione fieri,vel à neceſſitate euentandi calorem cordis,vel à magnitudine cerebri: in magno enim cerebro magna quoque capitis oſſa fiunt,magnaque ſpinalis medulla, & magnæ vertebræ, & per conſequens magnæ coſtæ, & magnus thorax. Si verò magnitudo reſpirationis fiat non ab illa magnitudine thoracis, quæ à magno cerebro fit, ſed à neceſſitate euentãdi,valet hæc conſequentia,magna eſt reſpiratio,ergo cor calidum : ſi verò fiat à magnitudine capitis, conſequentia non eſt neceſſaria : quia poteſt contingere, quod caput ſit magnum, & cor calidum. Hinc Gal. ſapientiſſimè admonet,latitudinem thoracis indicare caliditatem cordis, niſi obſtet caput, id eſt, niſi latitudo facta ſit à magnitudine capitis, & non à neceſſitate euentandi calorem.

2 Dubitatio:ſi magnitudo thoracis non ſemper indicat calidum cor,vt docet Galenus,ergo neque magnitudo reſpirationis, quæ primo, & per ſe inſequitur latitudinem thoracis indicabit : ergo magnitudo reſpirationis, & latitudo thoracis non erunt accidentia inſeparabilia, & propria calidi cordis, vt in text. docet Galenus.

Reſpondemus , quod ſigna propoſita à Galeno in hoc capite, & in toto hoc libello habent vim indicandi vnita , & in ſyndromen collecta, & non ſeorſum cõſiderata:ſi enim quodlibet ſignum a Galeno propoſitum ſubiret vicem proprij, tunc vnicum ſufficeret, & reliqua eſſent ſuperflua. Ad dubium reſpondemus , quod omnia ſigna ſimul accepta non ſolum ſunt accidentia inſeparabilia , ſed propria, & conuertibilia, quorum ſyndrome parit certam ſcientiam.

3 Dubitatio : Gal. videtur inſufficiens, quia propter magnitudinem reſpirationis,pulſus velocitatem, & frequentiam, adeſt quoque velocitas & frequentia reſpirationis,quæ indicat cor calidum : de qua ne verbum quidem fecit Galenus.

Reſpondetur , Galenum in hoc loco proponere ſigna cordis calidi ſanorum, & non ægrorum: vbi verò eſt frequentia reſpirationis ; tunc cor eſt extra latitudinem ſanitatis, & de his ſignis nõ agit hic Galenus. Præterea implicat dicere, eſſe latitudinem thoracis,& frequentiam reſpirationis in corpore ſano: nullus enim morbus eſſet magis mortalis, quam ille, qui cum latitudine thoracis haberet frequentiam reſpirationis.

4 Dubitatio Galenus videtur mancus; quia etiam pulſus magnus videtur indicare calidum cor,tamen in hoc capite de calido corde, & de pulſu magno ne verbum quidem fecit.

Reſpondetur, eſſe impoſſibile,quod in homine ſano pulſus ſit frequens, & ma-

gnus ſecundum omnem dimenſionem; ideò de magno pulſu in tex.nil dicit; de ratione magnitudinis pulſus naturalis eſt tarditas; quia pulſus magnus longum ſpatium efficit; dum verò pulſus magnus eſt velox, tunc ſupponitur quam maxima & inſolita neceſſitas euentandi caloré, qualis eſt in febre ardente non idem euenit in reſpiratione, quia poteſt ſimul ſtare reſpiratio magna, & frequẽs; eſt enim motus voluntarius, vt oſtendetur ex Galeno contra Pluſquamcommentatorem, & Auerroem; poteſt igitur pectus pro arbitrio magis dilatari, quod de pulſibus dici non poteſt. Notandum, eſſe differentiam inter velocitatem, & frequentiam pulſus; id aduertimus, ne credãt Tyrones, quod idem ſignificẽt, velocitas igitur eſt quando cito magnum ſpatium cõficitur; Frequentia eſt, quando frequenter ſine velocitate iter conficitur, quod euenit ob ſpacium breuius: minus enim ſpacium eſt in frequenti, quam in veloci pulſu.

5 Dubitatio, dictum eſt cum Galeno in hoc loco agi de ſignis cordis calidi exiſtentis in latitudine ſanitatis; tamen non videtur, quod frequentia, & velocitas pulſuum ſint ſigna cordis ſani, ſed ægri; quia dum reperimus pulſus veloces, & frequentes, pronunciamus hominem ægrotare.

Reſpondetur, uelocitatem, & frequentiam pulſus dupliciter conſiderari, vel prout velocitas, & frequentia eſt cum æqualitate: per æqualitatem intelligimus cum Galeno pulſum non differentem à pulſu conſueto; ideò qui non ſe exercuerint in pulſibus ſanorum, erit impoſſibile, vt perfectè dignoſcant pulſus ægrorum, an ſcilicet eorum frequentia, aut velocitas ſit æqualis, & an multum, vel parum à ſanitate recedat.

Sed, vt diſtinctius de inæqualitate pulſus aliquid ſummatim afferamus, ſciendũ ex Galeno primo libro de differẽtijs pulſuum, c.9. & 10. omnem pulſus inæqualitatem conſiſtere vel in magnitudine, velocitate, frequẽtia, vehementia, uel mollitie; ſimiliter in ſuis oppoſitis. i. vel in paruitate, tarditate, raritate, humilitate, uel duritie; omnes iſtæ ſpecies pulſus conſiderantur vel ſecundum vnicam, & ſingularem pulſationem, vel ſecundum pulſationem ſyſtematicam, ideſt collectiuam. Singularis pulſatio uel in vnica arteriæ parte, vel in pluribus obſeruatur; ſi in vnica, dicit Galenus, tres inæqualitates fieri poſſe, quæ ſunt vel pulſus interciſus; uel continuus, ſed tranſiens a celeritate ad tarditatem, uel è contra; uel datur inæqualitas, quæ facit pulſum dicrotum. Si in pluribus, eſt dum occurſatio non eſt ſimilis. Si verò pulſationes arteriæ conſiderentur ſecundum ſyſtematicam, ideſt collectiuam obſeruationem, quæ fit in diuerſis pulſationibus, dicimus ſi pulſationes fuerint ſimiles naturali magnitudini, celeritati, velocitati, vehementiæ, & mollitiei, pulſum eſſe æqualem, quamuis pulſus eſſet celerrimus, & uelociſſimus: inueniuntur enim nonnulla corpora tam ueloci pulſu inſignita, ut uideantur, quamvis gaudeant optima ſanitate, febricitare; ſi verò alicui ex quinque propoſitis conditionibus pulſationes fuerint diſſimiles dicentur inæquales.

6 Dubitatio: non uidetur, quod magnitudo reſpirationis indicet calidum cor; quia reſpiratio ex Gal. 2. de motu muſculorum c. 1. 6. & 8. lib. de cauſis reſpirationis, & libro de motu thoracis, & pul. eſt uolũtaria, & pertinet ad facultatem animalem; ibi enim proponit Hiſtoriam ſerui, qui uoluntariè retenta reſpiratione mortem obijt; infert inde Galenus, motum thoracis, & reſpirationis eſſe a uolũtate, oſtenditq; pulmonem ratione uacui inſequi thoracis motum; quibus poſitis, magnitudo reſpirationis non indicabit facultatem uitalem, & cor calidum, ut dicit Galenus, ſed facultatem animalem, a qua pendet libertas. Reſpondent Peripatetici, omnem facultatem pendere a corde; cenſet enim Ariſt. æquè a corde originem trahere neruos, ſicut arteriæ; quare dato, quod reſpiratio ſit uoluntaria, nõ propterea ex Ariſtotelis ſententia ſequitur, reſpirationem non pendere a corde, & cordis ſtatum, & conditionem non indicare; Verum, quia oſtendimus in quæſtione propria, Ariſtotelem nullo modo poſſe defendi, quia inſpectioni omnium ſecantium humana cadauera aduerſatur; ideò omiſſa Ariſtotelis ſententia, vt falſa, &

& à veritate aliena, videamus quid alij dicant.

Pluſquamcommentator, qui erat Peripateticus reſpondet, reſpirationem non eſſe motum purè voluntarium, ſed mixtũ ex voluntario, & naturali: putatque in Pulmone fieri ebullitionẽ, ratione cuius fiat reſpiratio, & non ratione vacui, vt nos docet Galenus; Additque, hanc ebullitionem eſſe ſimilem cordis, & arteriarũ ebullitioni, ob quam ſyſtole, & diaſtole cordis, & arteriarum fieri putat: quibus poſitis addit, reſpiratione non eſſe ita frequentem, ſicuti eſt pulſus; quia ebullitio in pulmone non fit à ſanguine ita calido, vt fit ab illa cordis, & arteriarum. Demum ait, quod voluntas non eſt cauſa principalis motus reſpirationis, ſed cauſa adiuuans motum diaphragmatis, & pectoris, quibus pulmo alligatus eſt.

Reijcitur hæc opinio; primo enim falſum eſt, pulmonem moueri à calore ebullitionis; quia ſi ebullitio moueret pulmonem virtute ſanguinis venæ arterialis, ſequeretur, quod tanto magis vena arterialis pulſaret, quæ ex omnium conſenſu nõ pulſat, ergo neq; pulmo ob ebullitionem ſanguinis in illa vena factam pulſabit. Præterea ſi sãguis, quo feruidior ex Pluſquamcommentatore, eo frequentiorem pulſationem efficeret; ſequeretur, quod pulmo citius pulſaret, quam arteriola calcanei, in qua ob cordis diſtantiam ſanguis non eſt ita calidus.

Auerroes reſpondet alio modo, conceditque, quod reſpiratio ſit motus mi-ſtus ex naturali, & voluntario, dicit tamen, motum pulmonis fieri à carne propria pulmonis, & non ab ebullitione: Errat ſimiliter Auerroes, quia caro pulmonis ex ſe caret motu: probauit enim Galenus locis citatis, quod vulnerato thorace, ceſſet motus pulmonis, quamvis pulmo non ſit læſus; ceſſat enim motus, quia aer ingreditur ſine motu thoracis; infert inde Galenus, pulmonem moueri vi vacui, & non à propria carne. Ad experimentum de vulnere thoracis reſpõdet Auerroes, non moueri pulmonem, quando thorax eſt vulneratus, quia ipſi pulmoni eadem læſio thoracis communicatur. Quod Auerrois reſponſum eſt ſubterfugium, quia dum pulmo detinetur phthiſi, vel peripneumonia; tunc thorax ob tam magnas ægritudines non poſſet moueri, nihilominus æquè benè mouetur thorax, carne pulmonis exiſtente valde læſa, ac ſi nullam haberet læſionem; ſequitur ergo, quod pulmo vi vacui, & non à propria carne moueatur.

Ad dubitationem reſpondemus, magnitudinem reſpirationis duplici modo indicare cor calidum: primò, quia in prima generatione calor, cuius origo eſt cor, efformare ſolet magnum pectus, vnde magna oritur reſpiratio. Secundò indicat calidum cor, quia magnitudo reſpirationis indicare poteſt magnam virtutem facultatis animalis; magna verò virtus huius facultatis poteſt pendere à calore cordis hoc modo: ſpiritus vitales ſunt alimentum ſpiritus animalis, quare ſi ſpiritus vitales fuerint calidiores; animales quoque erunt calidiores, ſi calidiores, ergo fortiores, & robuſtiores, quod robur, cum efficiat magnam reſpirationẽ, indicare poterit cor calidum. Dum verò magnitudo reſpirationis prouenit à pectore magno efformato à cerebro, ab ortu naturæ ob multitudinem materiæ, & non ob robur formatricis, dicimus nõ eſſe neceſſarium, magnitudinem reſpirationis indicare cor calidum. Ecce quod magnitudo reſpirationis ex ſe ſola non eſt ſufficiens pro indicando cordis calore, niſi omnia diſtinguantur: vt igitur nõ decipiamur, ſunt accipienda ſigna propoſita à Galeno omnia ſimul vnita, & per ſyndromen collecta; quia hoc fine nos docuit hanc artem, vt per ſyndromen ſignorum communium omnia intelligeremus; ſi enim quodlibet ſignum propoſitum eſſet proprijſſimum, cætera ſigna fuiſſent ſuperflua, & vaniſſimus fuiſſet Galeni labor in proponendis tot communibus ſignis.

Poſtremum ſignum hepatis moderatè calidi eſt audacia, & promptitudo ad actiones: Audacia eſt ſignum pertinens ad animi mores: Per promptitudinem verò naturę ad actiones, intelligit de omnibus actionibus naturalibus ſcilicet vitalibus, & animalibus, & meritò omnium actionum promptitudo indicat calidum cor: quia naturales actiones à moderata caliditate cordis recipiunt robur: ſimiliter ani-

animales, quia ſpiritus animalis alitur vitali: ſi vitalis igitur fuerit calidus, animalis non poterit eſſe frigidior temperato; quare vt calidior temperato pariet audaciam,& promptitudinem.

Differentia inter audacem, & fortem proponitur ab Ariſtotel.3.ethicorum capit.7.vbi docet,audacem eſſe,qui in confidendo in terribilibus rebus excellit,addit, vult videri fortis, quamvis non ſit: audax enim ante pericula non cognoſcit timorem;in periculis verò tergiuerſatur, timet,& fugit,& fugiendo vtitur magno frequenti,& veloci paſſu. Fortis, quamvis ante pericula timeat timenda, tamen in operibus egregiè ſe gerit, & non tergiuerſatur.

7 Dubitatio:dicit Gal. in tex.audaciam indicare cor calidum,quod non videtur, quia audaces ex Ariſtotele in operibus timent,& non ſunt fortes; tales ſunt melancholici, vel pituitoſi, qui habent frigidum cor, ergo falſum erit, quod audacia indicet cor calidum.

Reſpondetur,audaciam duplicem eſſe alteram, quæ habet coniunctam fortitudinem, & promptitudinem ad actiones, & de hac intelligit hic Galenus; Alteram audaciam eſſe cum timore, quæ caret actionum promptitudine, & de hac Galenus non intelligit: immo hæc poſtrema indicat cor frigidum,& conuenit melancholicis frigidis, & pituitoſis.

Decipitur Pluſquamcommentator, dũ quærit, cur promptitudo ad actiones indicet cor calidum; vel cur calidum cor efficiat omnia inſtrumenta ad actiones prompta, dicit, quia cor calidum mittit ſpiritus abundantiores ad membra.

Reiecta eſt hæc opinio ſuperius, quia eſt falſiſſimum, quod ad vim pulſatilem efficiendam cor mittat ſpiritus: mittit enim ſolum virtutem per irradiationem.

8 Dubitatio;audacia pertinet ad virtutẽ apprehenſiuam, ideſt ad imaginatiuam, ergo non indicabit cor calidum.Peripateticis hæc dubitatio nullum faceſſit negotium; quia putant apprehenſiuam eſſe in corde,cenſet enim Ariſtoteles,vnum eſſe principium, & non tria,vt Galenus: & hoc eſſe cor,à quo omnes nerui, venæ,& arteriæ habeant originem, & quod radicitus omnis facultas animal. ſit in corde: ſed quia in propria quæſtione hæc opinio Ariſtotelis à nobis eſt reiecta; oſtenſumque eſt ex anatomia,neruos non prodire à corde; ideò dicimus apprehenſiuam non eſſe in corde,ſed in cerebro.

Reſpondemus tamen, maximam eſſe ſympathiam inter cerebrum,& cor;quia ſpiritus animales nutriuntur vitalibus; ſi igitur vitales fuerint iuſto calidiores,audacia erit maior, ecce quomodo animales functiones à vitalibus alterentur; neque hoc nobis debet mouere admirationem,quia ſi maluaticum,ſelenum,& plura alia inueniuntur alimenta, quæ lætitiam inducunt, & interdum furorem, & alia quæ mærores; tanto magis ſpiritus vitalis, ex quo immediatè fit animalis, ſi fuerit valde calidus excitabit audaciam; timores,ſi ſolito frigidior extiterit. Hinc Gal.5. de placitis,cap.7.ex Platone dicit, iraſcibilem morem gerere rationi, & eſſe eius ſatellitem: additque naturam dediſſe rationi iraſcibilem quaſi canem venatori, vt ambo eſſent contra concupiſcibilem.

QVÆST. LXI.

A qua cauſa immediata fiat arteriarum pulſatio.

AVicennas prima 1.doct.6. c.4.arbitratur,facultatem vitalem,quę mouet pulſum, influere à corde mediante ſpiritu vitali, ipſumq; eſſe proprium vehiculum,ſine quo virtus pulſatilis atterijs non poteſt communicari. Reijcitur hæc opinio Galeni auctoritate lib. 1.de ſemine c.5. & 16. & alibi,vbi docet, facultates nullo modo influere per ſpiritus,ſed per irradiationem eo modo,quo à ſole diffunditur ſplendor: neq; egere vehiculo,quia arteriæ continuantur cordi, eo modo quo nerui cerebro: concludit igitur facultatem pulſatilem, & animalem ſine alio ſpiritu, ſed ſolum per irradiationem diffundi per arterias, & neruos. Quæ opinio paulo infra experimentis confirmabitur.

Eraſiſtratus (vt refert Galen.6. de placitis cap.17.& alibi) putat,pulſum moueri,quia arteriæ repleantur ſanguine arte-

rioſo,

rioſo,qui deinde,cum ſit ſpirituoſus,facit arteriarum pulſationem.

Reijcitur hæc opinio, quia ex Galeno, vt infra oſtendemus,arteriæ non mouentur,quia replentur ſpiritu,ſed replentur, quia diſtenduntur à virtute influxa à corde in tunicas arteriarum, quæ continuæ cum illo ſunt.

Pluſquamcōmentator parum recedens à veſtigijs Eraſiſtrati probat lōgo diſcurſu,pulſum nō moueri ab influxa facultate in tunicas arteriarum per irradiationem, vt nos docet Gal. ſed moueri per ebullitionem ſanguinis arterioſi excitatā à calore cordis:putabat enim hāc fuiſſe opinionem Ariſt. quia proponitur in libro de ſpiritu, qui ex omnium Peripateticorum conſenſu non eſt Ariſtotelis.

Præterea, eſto Ariſtotelis ſententiam eſſe; quod ſāguinis arterioſi ebullitio cōcurreret ad efficiendam pulſationem,negare tamen poſſumus Ariſt.putaſſe ebullitionem eſſe præcipuam cauſam. Hinc D.Thomas de hac re loquens credidit,cū Ariſtotele ebullitionem non eſſe cauſam immediatam pulſationis arteriarum.

Ego autem puto,Ariſtotelē de hac materia non egiſſe;quia nullum locum vidi, vnde firmiter colligere potuiſſem hanc philoſophi opinionem; etenim ſi egiſſet, ſine dubio admiſiſſet facultatē cordis & cerebri per radios cōmunicari omnibus partibus viuentibus ſine ſanguine & ſpiritu, eo ſcilicet modo, quo admittit radios incorporeos à ſole ad nos influere.

Modus verò,quo fit ex Pluſquamcommentatotore pulſatio arteriarum,hic eſt; dum fit ebullitio ſpiritus arterioſi, dicit prius fieri diaſtolem, ideſt dilatationem arteriæ; Dum verò in ebullitione feruor inſenſibiliter expirat,& exhalat,tunc frigidus aer inſpiratus attrahitur, & tunc ait,aliquantulum ceſſare ebullitionem,& ſtatim ſiſtolem ſuboriri, ideſt conſtrictionem arteriæ, ita vt ebulliendo, & inſpirando aerem frigidum,iterum atque iterum fiant diaſtole & ſiſtole.

Reijcitur hæc opinio plurimis argumentis; primo ſi ebullitio facta à calore cordis efficeret diaſtolē,ſequeretur quod arteriæ proximæ cordis citius pulſarent, quam arteriæ pedum, quæ ſunt valde diſtantes; ſed hoc eſt falſum: quia omnes eadem velocitate mouentur; ergo cauſa pulſationis non erit ebullitio.

Pluſquamcommentator videns hanc inſtantiam proponit hanc ridiculam reſponſionem dicens, arterias quāto à corde ſunt remotiores, tanto eſſe minores, ita vt paruus calor poſſit eodem tempore dilatare minorem arteriam,qua maior calor maiorem; Ridicula inquam reſponſio eſt; quia Tyrones ſciunt arterias paruas propè cor etiam reperiri,quæ eadem velocitate mouentur, ſicut illæ quæ ſunt in pede.

Secundò reijcitur ſic;ſi pulſatio arteriarum fieret ab illo feruore & ebullitione, nunquam daretur pulſus fortis ſine magnitudine, quod repugnatur experientiæ & Galeno;quia ſi dilatatio fieret ab ebullitione,ergo quo fortior ebullitio,eo fortior & maior eſſet pulſatio: ſed ſic eſt, quod pulſus, qui ſunt fortes,poſſunt non eſſe magni, ergo ebullitio erit cauſa pulſus chimerica, & non vera.

Cauſæ verò pulſus hæ tres recitantur à Galeno lib. de cauſis pulſuum, virtus,neceſſitas,& inſtrumentum;poteſt enim eſſe magnus feruor,attamen inſtrumenta, & neceſſitas deficiant, vnde pulſus magni non fiant; vt enim pulſus magnus fiat,requiritur arteria proportionata, & magna euentandi neceſſitas.

Tertiò, ſi ebullitio ſanguinis in corde & arterijs efficeret pulſationem, ſequeretur, quod vena arterialis, quæ continet ſanguinem feruentiſſimum, & elaboratum in dextro cordis ventriculo, qui eſt longè calidior ſanguine exiſtente in pedibus, pulſaret, ſicut pulſant arteriæ.

Vera eſt Galeni opinio: multiſque experimentis comprobata, quæ docet,pulſationē arteriarum non fieri à ſanguine arterioſo, vel à ſpiritu vitali, ſed à virtute pulſatili à corde influxa, non per cauitatem arteriarum ſed per tunicas; docet enim Galenus primo de ſemine c. 5. & 16.libro 7.de placitis lib. de cauſis pulſuum in principio, & demū primo de locis affectis c.6.facultates animales,& vitales non influere per ſpiritus, ſed per irradiationem ſine ſubſtātia,eo modo,quo ſplendor ſolis per orbem diffunditur.

Inſuper Gal. libro quod ſanguis in ar-

terijs cõtineatur capite vltimo affert hoc experimentum,quo confirmat ſuam opinionem; vbi dicit, ſi fiſtula caua intra arteriam brutorum animantium imponatur,& deinde arteria ſupra fiſtulam ligetur,tunc pars inferior arteriæ ſtatim priuabitur motu pulſandi, quamuis ſpiritus qui eſt in cauitate permeet ad inferiorem partem;ecce quod non ratione ſanguinis atterioſi, vel ſpiritus vitalis, ſed ratione irradiationis diffuſæ in tunicas arteriarum communicatur facultas vitalis.

Demum addit aliud experimentum, quod tollit omnem ambiguitatem & eſt, ſi fiſtula non caua imponatur in arteriã, ita vt omninò obſtruat ciuitatem arteriç, tunc quamuis ſit impeditus tranſitus, tamen, ſi arteria non eſt ligata fiſtulæ, pulſat, quod non fieret, ſi pulſatio proueniret à ſanguine atterioſo, vel à ſpiritu vitali in arterijs contento; ecce igitur experimentis probatum à Galeno, virtutem pulſatiuam pendere ab irradiatione per tunicas influxam, & non per ſpiritum immiſſum per cauitatem.

Quod verò hæc irradiatio vitalis ſit ſimilis ſplendori ſolis,qui in eodem inſtanti diffunditur in locum vicinum, quo in remotum, patet, quia ſi ligaueris arteriam, vel neruum, ita vt pulſus & motus ceſſent, tunc ſi diſſolueris ligaturam in eodem inſtanti, in quo mouentur partes proximæ cordi, vel cerebro,mouebuntur quoque diſtantiſſimæ, ſicuti in anatomia viuorum brutorum quotidie experiri poſſumus; ecce igitur quod facultas vitalis, & animalis influat non per ſpiritus corporeos,qui in tempore mouentur;ſed per irradiationem incorpoream, quod non potuerunt percipere Eraſiſtratus, Aſclepiades, Pluſquamcommentator, & innumerabiles alij Auctores cenſentes, pulſationem fieri à ſpiritu in arterijs contento.

CAPITIS XXIX.

Particula II.

Tex. 39. *Quod ſi multum in caliditate exceſſerit, tunc furibunda quædam iracundia, & temeritas adſunt. Eſt autem his Thorax hyſpidus, & præſertim pectus, & quæcumque hypocondrijs partes proximiores.*

IN tex. ſuperiori egit de ſignis cordis paulo calidioris temperato;in hac vero particula proponit ſigna cordis calidi in exceſſu. Quorum primum eſt furibunda iracundia; Secundum eſt temeritas; Tertium Thorax hyſpidus, & præſertim pectus, & quæcumque hypocondrijs partes proximiores; Quartum totum corpus calidum, niſi hepar obſtiterit; Quintum latitudo thoracis; de tribus in hac particula agetur.

Quo ad iracundiam furibundã,notanda eſt differẽtia inter iram & iracundiã; iracundia enim ex Ariſt. 4. ethicorum c. 5. differt ab ira,quia iracundi cito iraſcũtur, &(vt vtar verbis Ariſtotelis) quibus non debent,& ob quę non debent & magis quam oportet; ſed quod optimum in ſe habent, citò etiam deſiſtunt: Irati verò nõ citò iraſcuntur, nec cito deſiſtũt;quia irati nõ ita ſine ratione iraſcuntur. Hinc Daniel Barbarus vir eruditiſſimus 2.rhetoricorum cap. 3. dicit, iram differre ab iracundia,quia ira de cauſa eſt,iracundia vero de vitio multum iraſcentis, & quia iracundi videntur ire extra ſe, & furore vinci; Galen. intelligit hic de iracundia, & non de ira;in codice enim græco legitur; *ὀξυθυμία*,quod uerbum ſignificat iracundiam, & non iram; ira enim dicitur *θυμία*, quæ non citò fit, nec cito deſinit; quoniam in hanc homines incidunt cum ratione; Hinc dicimus poſſe contingere, quod qui habent cor frigidũ ratione moti, & iuſtitia in iram poſſint incidere, in iracundium uero nequaquam; competit enim iracundia, quæ ſemper eſt ſine ratione, cordi calido, ſi uerò eſt furioſa conuenit cordi calidiſſimo.

9 Dubitatio; non uidetur quod furibunda iracundia conueniat ſolum cordi calido, quia mulieres incidunt in furibundam iracundiam; tamen omnes habent cor frigidum.

Reſpondetur,quod de ratione furibundæ iracundię ſint duę conditiones;prima quod cor ſit calidius temperato: ſecunda quod excitetur ſine ratione: Mulieres uidẽtur incidere in furibundam iracundiã pro-

propter ſecundam cōditionem; quia ſunt irrationabiles, & rationum omninò incapaces;& reuera magis patet irrationabilitas ad mala perpetranda, quam poſſit in illis cordis frigiditas. Non tamen fatemur iracundiam mulierum eſſe ita furibundam, vt in hominibus cor calidum habentibus.

Quo ad ſecundum ſignum, quod ſcilicet cum iracundia ſit coniuncta temeritas, notandum, temeritatem iungi non cum ira, ſed cum iracundia non mediocri, ſed furibunda.

Quo ad tertium ſignum, quod eſt de thorace hyſpido.

10 Dubitatio oritur, quia non videtur, quod thorax hyſpidus & pectus, & partes proximiores hypocondrijs indicent cor calidum; quia multi ſunt hyſpidi in toto corpore, attamen habent mores ſuaues, & cor temperatum: quinimo noui homines frigidiſſimos, qui erant hyſpidi in qualibet corporis parte.

Reſponſio facilis eſt, ſi quod ſuperius dictum eſt, memoriæ commendetur, Galenum videlicet in hoc libro propoſuiſſe ſignorum multorum ſyndromē pro temperaturis cognoſcendis; ſi igitur quis fuerit hyſpidus, tacileq; incurrat in furibundam iracundiam cum temeritate coniunctam, pectuſq; habeat latum, credas certiſſimè illum hominem eſſe corde calidiſſimo inſignitum.

Præterea memoria ſunt repetēda quæ dicta ſunt de cute, & de capillis cap. 13. vt ob loca inſalubria, & humores qui proportione non reſpondeant temperaturę, peruertantur ſigna, vt patet ſi loca conſiderentur de nautis, & piſcatoribus maritimis qui ſunt fere omnes hyſpidi, & piloſi, licet cor habeant temperatum, quia mare ſua ſalſedine ſit in cauſa, vt multæ trahantur fuligines ad cutim, quæ deinde efficiant pilos. Similiter in temperato corde humores aduſti geniti in iecore præcalido efficiunt fuligines, & multos pilos qui non indicant cor calidius temperato.

CAPITIS XXIX.

Particula III.

Magna verò ex parte calidi cordis temperatura vniuerſum corpus reddit calidum, niſi hepar vehementius obſtiterit. Dicemus autē paulo inferius totius corporis indicia. Eſt quidem, & latitudo thoracis caliditatis indicium: niſi, & hic quoque cerebrum plurimum obſtiterit.

IN hoc tex. duo proponuntur ſigna cordis multum calidi, primum eſt caliditas totius; ſecundum eſt latitudo thoracis. Quo ad primum dicit, totum corpus calidum eſſe; additque, niſi hepar obſtiterit; quaſi dicat, ſi videris, totum corpus eſſe calidum, inferre quoque poteris, cor eſſe valde calidum, niſi hepar obſtet; omnes interpretes exponunt, niſi hepar ſua frigiditate obſtet gignendo ſanguinem adeò frigidum, vt inde totum corpus refrigeretur. Ego autē meditatus ſū aliā fortaſſe magis artificioſam expoſitionē, quę eſt, caliditatē totius corporis indicare cor calidum, niſi hepar obſtiterit, ideſt niſi hæc caliditas totius proficiſcatur ab hepate; aliquando enim cor eſt temperatiſſimum, & iecur eſt valde calidum, tunc totum corpus redditur calidius, non propter cor, ſed propter hepar: eadem enim caliditas ab hepate in maſſam ſanguineam diffuſa toti corpori communicatur. Diximus hanc expoſitionem eſſe fortaſſe magis artificioſam, quia ſæpiſſimè accidit, totum corpus ob hepar, & non ob cor calidius reddi.

1 Dubitatio non uidetur, quod totum corpus poſſit calefieri ab hepate: quia cor ſolum eſt fons caloris; calor enim ab alijs partibus corporis non prouenit, niſi à corde; ergo ſi totum corpus fuerit iuſto calidius, non ab hepate, ſed à corde calor totius orietur.

Reſpondetur, cor eſſe fontem caloris uitalis, ſed non omnium calorum; adeſt enim calidum innatum in qualibet corporis parte, & præcipuè in hepate, meritò cuius chylus tranſmutatur in ſanguinem, qui deinde nutrit omnes corporis partes, quippe qui ſi eſt acer, & mordax, uel iuſto calidior poteſt totum corpus reddere calidius temperato, quamuis cor non ſit calidius temperato; cor igitur non erit omnium calorum fons.

2 Dubitatio: nō videtur, quod iecur habeat alium calorem præter illum cordis; quia ex Galeno 1. de temperamentis cap. vltimo habetur, ſanguinem à corde accipere

pere calorem, ergo iecur non poterit ſuo calore reddere totum corpus calidius moderato.

Reſponſio facilis eſt, ſi interpretabimur Galenum loco citato, quod intelligat de calore influente, & non de innato, qui te vera non dependent à corde, ſed à ſemine in prima generatione, & à ſanguine menſtruo, & ab vtero, ſed de his alias egimus.

3 Dubitatio; quomodo calor ſanguinis orietur ab hepate, ſi ex Ariſtot. venę cauę truncus dependet à corde? Ariſtoteles enim primo de partibus animal. cap. 1. lib. 2. eiuſdem cap. 9. & lib. 2. de generatione animal. cap. 4. & alibi docet, cor eſſe principium arteriarum, & venarum, ergo calor ſanguinis erit cordis, & non hepatis. Eandem opinionem tuentur Auerroes, & omnes Peripatetici. Pręterea Petrus Aponenſis, & Pluſquacommentator, & demum Veſalius omnium Anatomiſtarum noſtri temporis peritiſſimus conſtanter dicunt, venas oriri à corde. Quare calor ſanguinis à corde prodibit, & per conſequens iecur nullo modo calefaciet totum.

Reſponſio omnium Medicorum eſt, quod vena caua, & cæteræ omnes ortum ducunt ab hepate: idem cenſent medici, & omnes Anatomiſtæ præter Veſalium. Hinc Hippocrates libro de alimento habet hæc verba, *radicatio venarum eſt hepar: radicatio verò arteriarum eſt cor*, Galenus verò 6. de decretis Hipp. & Plat. diſputans contra Ariſtotelem probat, iecur, & non cor eſſe venarum principium; aſſertque hanc rationem inuincibilem, quę nos cogit ad credendum, venas à corde non oriri; ait, piſcibus venam cauam vix attingere cor; ſi vix attingit, ergo in corde non inſident eius radices; quod de piſcibus dicitur, de omnibus animalibus eſt dicendum; inſuper affert hāc rationē; ſi venæ a corde orientur, pulſarent. Noſtrates afferunt aliam rationē, quæ mihi videtur inuincibilis, quæ eſt, vena porta oritur ſolum ab hepate, neque vllum ſurculum mittit in cor; ergo eo modo, quo porta oritur ab hepate, eodem modo caua ab ipſo orietur, ergo non à corde; deſtructa igitur hac Peripateticorum ſententia, quod ſcilicet venæ oriantur à corde, ſtatim ruet argumentum oſtendens calorem ſanguinis à corde prodire.

Quoad ſignum deſumptum à latitudine thoracis: dicit Galenus, latitudinem thoracis indicare inſignē caliditatē cordis, niſi cerebrum obſtet; ideſt niſi latitudo thoracis proueniat à cerebro, ſicuti igitur caliditas totius poteſt prouenire ab hepate; ſimiliter latitudo thoracis poteſt prouenire non ſolum à calore cordis, ſed etiam à magnitudine capitis, corde exiſtente frigido. Quo pacto verò magnum cerebrum poſſit efficere latum pectus, corde exiſtente frigido, in textu ſequenti declarabitur.

4 Dubitatio, non videtur, quod latitudo thoracis proueniat à corde calido, & per conſequens non videtur, quod indicare poſſit calidum cor; ratio eſt, quia latitudo thoracis prouenit à formatrice, quæ non eſt in corde, ſed in ſemine parentum, antequam cor genitum ſit. Hinc magni parentes filios magnos gignunt, niſi obſtet materiæ defectus, qui fit in matre.

Reſpondetur, calorem dilatantem, & diſtendentem thoracem non eſſe in corde, ſed in ſemine, & ab eodem calore in prima generatione, antequam cor genitum ſit, omnium membrorum prima ſtaminea dilatari; & quamuis latitudo, magnitudo, connexio, figura, & numerus, à formatrice pendeant, tamen & generatrix, & formatrix pro inſtrumento vtuntur calore. Hinc patet aliquando & matres paruæ ſtaturæ ob eorum calorem gignunt filios maiores. Quo fit vt logici, qui altius omnia conſiderāt, dicāt, quartam ſpeciem qualitatis, in qua ſunt omnium corporum figuræ, oriri à tertia, in qua qualitates alteratrices collocantur.

CAPITIS XXIX.
Particula IV.

Quoniam ei magna ſpinalis medulla reſpondet, tanta verò erunt magnitudine vertebræ, quanta & ſpinalis medulla, quare & ſpina vniuerſa. Configitur verò thorax ad eam ſpinæ partem, quæ metaphrenum, ideſt, dorſum dicitur, tamquam ad carinam nauis, quare neceſſario eius longitudo æquabitur dorſo, latitudo vero erit pro vertebra.

brarum ratione, quando ad proportionem earum craſſitudinis fuerit conſtitutus.

IN particula ſuperiori Galenus declarabat duo ſigna cordis valde calidi: alterū erat, quod dum cor eſt valdè calidum, totum corpus ſit huiuſmodi, niſi iecur obſtet. Oſtendimus, dupliciter obſtare poſſe vel ſua frigiditate, vel ſuo calore; ita vt totum reddi poſſit calidum ab hepate, corde tamen exiſtente temperato. Alterum ſignum caliditatis cordis dicebat eſſe latitudinem thoracis, niſi cerebrum obſtet; latitudo enim thoracis, non ſemper indicat cor calidum, quia poteſt contingere, quod latitudo thoracis à cerebro & non à cordis calid:tate oriatur.

In hac particula Galen. declarat, quomodo cerebrum poſſit efficere latitudinem thoracis, quamuis nullus in corde ſit caloris exceſſus; dum enim cerebrum in primo ortu à multitudine materiæ ſit magnum, & non à neceſſitate euitandi calorem: tunc ex neceſſitate à magno cerebro magna oritur ſpinalis medulla, magnæ vertebræ, & magnæ coſtæ, vnde neceſſariò conſurgit latitudo thoracis; ecce quomodo hæc latitudo ab alia cauſa fieri poſſit, quam à cordis caliditate.

Animaduertit Galenus in tex. illam ſpinæ partem, quæ à ceruice exporrigitur ad 12. vertebram vſque, vbi eſt diaphragma, vocari metaphrenum; quia ibi alligatur diaphragma, quod ab antiquis dicebatur metaphrenum ἀπὸ τῆς φρενός, ideſt à mente; putabant eni n in diaphragmate mentem eſſe collocatam; dicit igitur Galenus, quod thorax fulcitur dorſo, tamquam nauis carina: non enim poteſt eſſe magna carina, & nauis parua; vel viceuerſa, niſi quid monſtruoſum effectum ſit.

CAPITIS XXIX.

Particula V.

Cum verò cordis caliditas ſuperans perſtauerit, ac dilatauerit, in primo ſui ortu thoracem, erit eiuſdem caliditate proportione reſpondens.

Quare cum caput paruum, thorax autem latus extiterit, maximum hoc tibi fuerit cordis caliditatis indicium. Cum verò magno exiſtente capite, paruus fuerit propriſſimum hoc erit cordis frigidi ſignum. Si verò capiti fuerit proportione reſpondens, tunc alijs ſignis de corde diſtingues, ex ipſius thoracis amplitudine nihil aſſumens.

DIuiditur hic tex. in duas particulas, in prima oſtendit, quomodo caliditas cordis in primo ortu latitudinem thoracis efficere potuit. Notandum caliditatem, quæ in prima generatione dilatat thoracem, non eſſe cordis caliditatē vitalem, ſed eſſe illam innatam, quæ eſt inſtrumentum formatricis, quæq; à ſemine patris, & ſanguine matris oritur.

In 2. particula admonet, ſi caput fuerit paruum, & thorax latus, tunc cor fore calidiſſimum; ſi verò caput fuerit magnū & thorax paruus, cor frigidiſſimum; ſi denique thorax fuerit proportionatus capiti, tūc ex alijs ſignis caliditas cordis erit colligenda: valet igitur hęc, caput eſt paruum, & thorax eſt magnus, ergo cor eſt calidiſſimū: Similiter valet, caput eſt magnum, & thorax paruus, ergo cor eſt frigidiſſimum: non valet tamen thorax eſt latus, ergo cor eſt calidum: ratio eſt quia thorax poteſt eſſe magnus, eo quia caput in prima generatione ob materiæ multitudinem magnum factum ſit; non poteſt enim fieri caput magnū, niſi magna quoque fiat ſpinalis medulla, magnæ vertebrę, oſtę, & inde thorax magnus, & latus.

Argenterius arguens Gal. dicentē dari thoracem magnum cum capite paruo, inquit id repugnare experientiæ: ſed Argēterius eadem via conuincitur, tum quia ego hic, & alibi inſpexi huius ſtructuræ homines: tum quia, dum agitur de experientia non Argenterio, ſed Gal. eſt dāda fides, qui fuit Romæ, quando hominum quatuor myriades quas vocāt milliones, ibi lucis vſura fruebatur, quo loci omnes corporum differentias vidit: immo in lib. de articulis fatetur ſe vidiſſe ibi luxationes, quæ nunquam in tota Græcia ab ipſo, vel ab Hipp. viſæ fuere: Argenterius verò fuit Taurini apud Allobroges, & Piſis, vbi non adeſt magna hominum frequen-

quentia: dum Gal. admittit caput paruum cum thorace magno non intelligit de capite ita paruo ſicuti auiculæ eſt caput: ſed de paruo aliquo modo improportionato magnitudini thoracis.

Nota ex dictis quomodo Gal. ex ſex fōtiū ſyndrome collegerit cordis calidi indicia; quorū primus continebat pulſum velocē & frequentem; ſed quia hoc ſignū non erat proprium, quod cōueniret ſoli, & conuertibiliter; ideò addidit ſecundum fontem, qui continet magnitudinem reſpirationis. Tertius continet mores, ideſt iracūdiam, & audaciam. Quartus ea quæ accidunt, id eſt pilos. Quintus latitudinē thoracis. Sextus fons cōtinebat totius caliditatem, quæ ſimiliter eſt indicium calidi cordis; ecce quod nullum ſignum ex propoſitis erat inſufficiens, quia nullū eſt proprium, quod ſoli conueniat; attamen plura vnita certiſſimam pariunt calidi cordis cognitionem.

CAPITIS XXX.

De ſignis cordis frigidioris.

Tex. 37. *In frigidiore verò corde pulſus minores exiſtunt, quam modo naturæ conueniat: nō tamen neceſſariò tardiores, vel rariores. Reſpiratio autem, ſi quidem tanto thorax minor extiterit, quanto cor frigidius, pulſibus erit proportionalis. Si verò maior fuerit, quando pro frigiditatis vehementia; non minorem tantum, ſed etiam tardiorem, & rariorem naturam oſtendit. Tales autem timidi ſunt, & ſine audacia, & ſegnes, & nudum pilis habent pectus. De eius verò paruitate diſtinguēdum, vt diximus prius. Eodē modo & de totius corporis caliditate.*

IN hoc c. Gal. proponit ſeptem ſigna oſtendentia cor frigidius temperato. Primum ſignum ſunt *pulſus minores*, quā in ijs, qui habent cor temperatiſſimū, animaduertit tamen Galen. quamuis ſint minores, *non propterea ex neceſſitate eſſe quoque tardiores & rariores*. Decipiuntur plurimi, qui exponunt in corde frigido, pulſus eſſe minores propter imbecillitatem, vel propter defectum arteriarum, expoſitio ſanè nō cohæret huic doctrinę, quia Gal. in hoc loco loquitur de intemperaturis ſanorum, & non ęgrorū, quando enim pulſus ſunt minores ob virium imbecillitatem, vel ob aliquem arteriarū defectum, tunc illi pulſus non ſanis, ſed ægris conueniunt.

Cauſa igitur vera, cur in corde frigido pulſus ſint minores, quam in corde temperato, eſt pauca neceſſitas euētādi calorem cordis. Sūt minores quoad ſyſtolē & quoad diaſtolem; quoad ſyſtolem; quia in frigido non expelluntur multæ fuligines. Quoad diaſtolē, quia in frigido nō eſt tāta neceſſitas euentādi calorem. διαστελλω ſignificat diſtēdo στέλλω ſignificat cōtraho.

Cur verò dicat Gal. in corde frigido nō neceſſariò pulſus eſſe tardiores, & rariores, non conſentiunt Expoſitores. Quidā exponunt nō neceſſario eſſe tardiores, & rariores: quia poſſunt quoque fieri tales ab alijs cauſis præter naturam; hæc expoſitio non probatur, quia vt diximus Gal. hìc agit de corporibus ſanis, & de ſignis ſanis, & ſecundum naturam, & non de ægris, & præter naturam.

Vera expoſitio deſumitur à Gal. libro de cauſis pulſuum, vbi triplex differentia frigidi pulſus ab illo proponitur; prima deſumitur a corde, quod habet paruum receſſum à temperatiſſimo, in quo, ſi pulſus ſunt parui, rari, & tardi corpus nō eſt ſanum, ſed peſſima ægritudine correptū, calor enim cordis, qui parum recedit à tēperato, non poſſet ſufficiēter euētari hoc genere pulſus, qui ſua natura aliquantulum creber, & frequēs eſt, propterea Gal. dixit hos pulſus non neceſſariò eſſe tardiores, & rariores. Secūda differētia cordis frigidi eſt, dum multum recedit à tēperatiſſimo, quo caſu pulſus sūt parui, & aliquantulum tardi, & rari; ratio eſt, quia pauca eſt indigentia, & neceſſitas euentandi. Tertia eſt, ſi maximè recedant à tēperato, & tunc ſunt parui, & ex neceſſitate rari, & tardi; ecce quomodo Gal. mirā arte varijs in locis ſe ipſum exponat.

Par eſt, vt declaretur quis ſit pulſus tardus: quis rarus, quis creber, & quis celer. Gal. lib. de differentijs pulſuum c. 8. & 6. lib. de pul. ad Tyrones c. 8. de his pulſibus loquens docet, pulſum tardum fieri, quando arteria longiori tempore mouetur, ideſt quando inter ſyſtolem & diaſtolem motus tardus eſt. Rarum vero fieri

dum

dum mouetur arteria, ſed interpoſito lõgo interuallo, ideſt, quãdo in diaſtole eſt maior quies. Crebrum ſeu frequentẽ ait, eſſe illũ pulſum, qui paruo interuallo fit, ideſt qui parum quieſcit, & eſt quando diaſtole exiguam habet quietem, & ſæpè tactum ferit. Celer, ſeu velox pulſus eſt, dum arteria breui tempore diſtenditur, ideſt dum breui tempore multum ſpatium conficit, ideſt quando arteriæ velociter a ſyſtole ad diaſtolem mouetur; rarus & creber reſpiciunt quietem arteriæ; tardus & celer motum.

Cauſæ pulſuum ex Gal. 1. de cauſis pul. c. 1. hæ tres ſunt, continentes, antecedentes, & externæ: Ad cõtinentes reducũtur hæ tres: Prima eſt vſus, ideſt neceſſitas euentandi, quę maior & minor eſt, prout eſt cor calidius & frigidius; Secunda eſt virtus pulſifica; Tertia ſunt inſtrumenta, ideſt arterię ipſę. Ad antecedentes cauſas reducuntur ſexus, temperatura, corporis habitus, & ætas: cauſæ externę non naturales ſunt ſex res nõ naturales ideſt aer, cibus, & cæteræ. Ad externas cauſas præter naturam reducuntur omnes cauſæ, quæ corpus alterant pręter naturam. Tota hæc doctrina deſumpta eſt à Gal. lib. de cau. pul. quã lectores perlegere poterunt, quoniam vna pulſus differẽtia, vt ibi docet Gal. à varijs cauſis fieri poteſt, de quibus hìc non eſt locus, vt diffusè agatur.

Cęterum, vt intelligamus ea de quibus Gal. in tex. mentionem fecit, dicimus, tardum pulſum vt plurimum inſequi debilitatem, paucum calorem, & duritiem arteriæ: Celerem, ſeu velocem ex Gal. c. 5. lib. 1. de cauſis pulſuum inſequi vſum ingentem, ideſt magnã neceſſitatem euentandi virtutem validam, & mollitiem arteriæ. Rarum inſequi vt plurimum vſum imminutum, ideſt paucam neceſſitatem euentandi: Crebritatem inſequi imbecillem virtutem pulſatilem, & vſum auctum, ideſt magnum neceſſitatẽ euentandi; alia plura dici poſſent de iſtorum pulſuum cauſis; ſed quia à Gal. ſumma eloquentia omnia explicata ſunt, non eſt vt ſermonem huius rei protrahamus. Ex dictis colligimus, cur in tex. Gal. dicat in corde frigidiori pulſus eſſe minores, & paruiores, & quomodo poſſint eſſe rariores, & tardiores, quamuis ſint parui.

1 Dub. maxima exurgit, quia non videtur, quod ſint parui, & nõ ſint neceſſariò rariores, & tardiores; valere .n. videtur hęc cõſequẽtia, ſunt parui, ergo ex neceſſitate ſunt rariores: & tardiores: quia lib. de cauſ. pul. docet Galen. quando vſus ſeu neceſſitas euentandi diminuitur; prima enim differentia, quæ amittitur eſt crebritas: ſecunda eſt celeritas: tertia eſt magnitudo; Idem obſeruatur in ijs, qui incedunt magnis, velocibus, & frequentibus paſſibus, in quibus ſi auferatur neceſſitas citò eundi, primò ab illis remittitur frequentia, ſecũdò velocitas, poſtremò magnitudo paſſuum; ſi igitur pulſus ſunt parui, ita vt ſit amiſſa magnitudo, ergo erit quoq; amiſſa crebritas, & celeritas, ergo ex neceſſitate erũt tardi, & rari.

Reſpondet huic dubitationi Argenterius, & ſimul reprehendit Montanum, quia dubium hoc ſoluere neſciuerit, vtiturque his verbis, verum Mont. non animaduertit, non eandem eſſe rationem de pulſibus ſequentibus naturalem temperiem, & de illis qui ex cauſis non naturalibus & præter naturam fiunt. Quæ reſponſio non probatur, quia iſtæ differentiæ magnitudo, videlicet velocitas & celeritas fiunt ab vſu, ab inſtrumẽto, & virtute, tam in pulſibus naturalibus, quam non naturalibus.

Reſpondemus nos, Gal. in tex. aſſerere pulſus in corde frigido eſſe minores, ſupple, quam in corde temperatiſſimo; addit non neceſſariò eſſe tardiores, vel rariores; quia poteſt contingere, quod in corde temperato arteriæ ſint duriores, quam in corde frigido; ſicuti ſunt corda mulierum; ſicque poteſt ſtare, vt ſint minores, ideſt non ita magni, ſicuti ſunt in corde calido, & nõ ſint tardiores ob mollitiem inſtrumenti ideſt arteriæ; durities enim arteriæ efficit pulſus tardos.

Pręterea reſpõdere poſſumus, Gal. loqui comparatiuè quia dicit minores & non paruos; poſſunt .n. pulſus minores dici magni reſpectiuè, ſicuti pulſus qui in frigiditate parum recedunt à corde temperato dicuntur magni reſpectu illorum qui habent magnum receſſum; ſimiliter non habent rariores & tardiores pulſus, quam illi qui magnum in frigiditate receſſum à corde temperato habent.

Secun-

Secundum ſignum; thorax reſpondet frigiditati cordis, ideſt thorax eſt anguſtus; aitque reſpirationem eſſe proportionalem pulſibus; ideſt in corde frigido ſi pulſus ſint parui, reſpirationem quoque eſſe paruam. Si uerò in corde frigido thorax ſit latus ob ſpinæ, & cerebri magnitudinem, reſpirationem fore minorem, tardiorem, & rariorem. Ratio vero, cur in thorace anguſto reſpiratio non neceſſariò ſit, tardior & rarior, eſt, quia, dum cor eſt frigidũ cum paruo receſſu à temperato, & thorax ſit anguſtus, reſpiratio non poteſt eſſe rarior, vel tardior, ſed celerior & frequentior, quam ſit reſpiratio cordis temperatè calidi, quia cor quatenus calidũ ex neceſſitate habet thoracẽ latũ, & per cõſequẽs non poteſt habere reſpirationẽ celerem & crebram. Tertium ſignum; *ſunt natura timidi, & ſine audacia*. Quod verò timiditas à frigiditate proueniat, nos docet Ariſt. lib. de iuuentute & ſenectute cap. 15. vbi dicit, *timentes infrigidantur ſecundum ſuperiora: quia calidum contrahitur ita vt aliquãdo extinguantur animalia, & propter timorem moriantur, et propter paſſionem morboſam:* Ariſt. in his verbis non ſolum docet, timorem à frigiditate prodire, ſed etiam quomodo timor viciſſim quoque excitet frigiditatem: dicit enim ob timorem contrahi calorem, & ſic contractũ aliquando extingui, & mori animal.

Notandum, non omnem timorem indicare cor frigidum, quia etiam homines fortes timen timẽda: Quare intelligitur de ijs qui, timent non timenda: qui à natura, non à conſuetudine tales ſunt, vt animaduertit Gal. Hinc Ariſt. 3. ethic. c. 2. ait, timidus eſt, qui quæ non decet metuit: & 3. ethic. c. 6. ait timoris peccata, eſſe, cum metuunt, vel quæ non oportet, vel non ſicut oportet, vel quando non oportet; ecce quod non omnes qui timẽt ſunt corde frigido, ſed ſolum qui timent non timenda, & quando non oportet; iſti enim ſunt natura timidi, & ſegnes, & omninò carent audacia; Hi habent cor magnum, ſicuti omnia animalia timida, & ignaua, inter quæ aſinus eſt. Cor enim paruum animantibus fortioribus & generoſioribus conuenit.

Quartum ſignum; *iſti ſunt ſegnes*, ideſt inepti ad actiones: dicuntur enim à Gal. in tex. ἀμελεῖς, ideſt negligentes, & non obliuioſi, vt nonnulli interpretantur; quia obliuio indicat humidam temperaturam cerebri, & nõ frigiditatem cordis.

Quæritur hic de animi paſſionibus, de timore, audacia, odio, & ira, an primò oriantur à corde, & ſecundariò à cognitione, vel verſa vice. Fernelius cenſet, animi perturbationes primò oriri ab alteratione facta in corde, deinde verò excitari appetitum, vel fugam. Hæc opinio mihi videtur præter rationem, quia eſt impoſſibile, vt aliquis alteretur ab ira, vel timore, niſi prius cognoſcat & intelligat; quare primò res cognoſcuntur, & deinde ſequitur actus appetendi, vel fugiendi.

Quintum ſignum: *habent pectus pilis nudum:* ratio eſt, quia vbi eſt frigiditas, ibi deſunt fuligines, quæ ſunt materiæ pilorum; fuligines fiunt vbi calor excedit, & non vbi deficit. Hinc mulieres: quæ ſunt frigidæ habent pectus pilis nudum.

Sextum ſignum; *pectus ſeu Thorax anguſtus:* niſi tamen caput ſit magnum; poteſt enim cõtingere, vt cor ſit frigidum, & pectus latum, non ratione cordis, ſed ratione ſpinæ dorſi, quæ, ſi caput eſt magnum, ea quoque eſt magna, tunc & vertebræ, coſtæ, & ſternum magnum eſt, quamuis cor ſit ſua natura frigidum; valebit igitur conſequentia, Thorax eſt anguſtus, ergo cor frigidum: non valebit tamen, Thorax eſt latus, ergo cor calidum, niſi prius videamus, an à capite magno thorax factus ſit latus.

Septimum ſignum eſt temperatura totius corporis frigida, quæ indicat cor frigidum, niſi hepar obſtet: poſſet enim accidere, vt totum corpus factum ſit frigidum & cachoæticum *ob hepatis frigidam* intemperiem ortam ab eſu frigidorum & humidorum, quamuis cor ſua natura calidum ſit.

QVÆST. LXII.

De Cauſis pulſuum, & à quibus fiant pulſus Tardi rari frequentes celeres maximi & minimi.

IN hac queſtione duo occurrunt conſideranda pro intelligentia capitis,

Pri-

Primum quæ & quot ſint cauſæ,pulſuū. Secundum à quibus cauſis fiant pulſus tardi, rari, frequentes, celeres maximi & minimi: his non intellectis percipi nō poteſt:cur in tex. Galenus dixerit in frigido corde pulſus eſſe minores, ſed non ex neceſſitate rariores,& tardiores.

Primò ad primum reſpondet Gal. primo de cauſis pulſuum cap.1.dicit tres eſſe cauſas pulſuum nempè continentes antecedentes,& externas:continentes cauſas ait eſſe tres prima eſt vſus ſeu neceſſitas euentandi calorem, quæ maior vel minor eſt, prout cor eſt calidius, vel frigidius. Secunda eſt virtus pulſifica, quæ in inſtanti mittitur à corde per tunicas arteriæ; non per cauitatem, vt probat Galenus libro quod ſanguis in arterijs contineatur cap.8. experimentis certiſſimis; tertia cauſa ſunt inſtrumenta ideſt ipſe arteriæ.

Antecedentes ſunt ſexus, temperatura, corpus habitus, & ætas. Varij ſunt pulſus ratione iſtarum cauſarum antecedentium.

Cauſæ externæ ſunt ſex res non naturales & cauſæ præter naturam; quæ alterant corpus noſtrum.

A quibus cauſis fiant pulſus tardi, veloces rari & frequentes. Primo ſi conſideremus cauſas continentes, pulſus tardus fit ab vſu imminuto ideſt à pauca neceſſitate euentandi calorem,vel à virtute pulſifica debili. Vel à duritie arteriæ. In ſenibus iſtę tres cauſæ continentes concurrunt,nempè vſus imminutus;debilitas virtutis pulſificæ,& durities arteriarum, licet in ſenibus pinguioribus arteria non ſit dura, & vt talis facit pulſum non ita tardum.

Secundo dicimus pulſum celerem ex Gal.5. de cauſis pulſuum c.5.fieri à cauſis oppoſitis, ideſt ab vſu aucto,a virtute pulſifica valida,& mollitie valida. In omnibus febribus vſus eſt auctus,ſed ſi arteriæ ſint duræ vt in hecticis pulſus potius eſt frequens quam celer,quia arteria dura parum ſpatium conficit.

Tertio dicimus pulſum rarum fieri ab vſu magis imminuto, quam in tardo, videlicet a pauca neceſſitate euentandi calorem; magis enim eſt imminutus vſus quando non dilatatur arteria, quā quando dilatatur: in raro non dilatatur vt obſeruatur in hyſtericis,in quibus eleuatur ab vtero intenſa frigiditas,quę ipſum cor refrigerat; quod reuera ita ſit patet per ipſam practicam,quia per remedia calida ſicuti per mitridaticam confec. iniectam per clyſterem cum vncia olei de coſto excitantur & liberantur.

Quartò pulſus frequens fit ab vſu aucto & a virtute debili,vt in hecticis.

Quintò dicimus pulſus maximos ex Gal.1.de cauſ.pulſuum fieri à caloris abūdantia, a robore facultatis pulſificæ & a mollitie arteriæ. Minimè verò fiunt ab oppoſitis cauſis, ideſt ab imbecillitate, a pauca caliditate, & a duritie.

Ex his facilè colligimus,cur Gal.in tex. dicat in corde frigido parum recedente a temperato pulſus eſſe minores, ſed non ex neceſſitate tardiores, & rariores,quia arteriæ molliores poſſunt reddere pulſus aliquantulum celeres & frequentes,licet ſint pulſus minores quia pauca virtus ſufficit ad faciendos pulſus celeres, & frequentes, ſi arteriæ ſunt molles.

Montanus tamen nunquam potuit intelligere, quomodo pulſus ſint minores, & non neceſſariò tardiores, & rariores, quia Gal.lib.1.de cauſis pulſuum, & lib.de præſag.ex pul.non ſemel docuit dum vſus ſeu neceſſitas euentandi diminuitur primam differentiam,quę amittitur eſſe frequentiam; ſecundam eſſe celeritatem, tertiam eſſe magnitudinem.

Confirmat idem obſeruari in ijs qui incedunt magnis velocibus, & frequentibus paſſibus; in quibus ſi auferatur neceſſitas citò eundi,prius remmittitur frequentia. Secundo velocitas. Tertio magnitudo paſſuum;itaut valeant hæ conſequentiæ ,pulſus ſunt minores, nempè eſt amiſſa magnitudo ergo eſt amiſſa frequentia & celeritas, ergo pulſus minores erunt ex neceſſitate tardiores, & rariores contra id quod dicit Galenus in hoc loco.

Reſpondemus ad difficultatem, pulſum, dupliciter conſiderari, vel ratione vſus; vel ratione inſtrumenti ideſt arteriæ, ſi conſiderentur pulſus minores ratione vſus:valet hoc argumentum: pulſus ſunt minores, ergo amiſſa eſt magnitudo; ergo eſt amiſſa crebritas & celeritas; ergo

ergo pulſus minores ex neceſſitate erunt tardiores, & rariores: ſed non valet ratione inſtrumenti ideſt arteriæ quia in ſenibus pinguibus, & mulieribus valde humidis pulſus ſunt minores; ſed non neceſſariò tardiores, & rariores ratione molliciei arteriarum, pauca enim virtus requiritur in mouendis arterijs in mulieribus.

CAPITIS XXXI.

De ſignis cordis ſiccioris.

Tex. 38. *Cor autem ſiccius pulſus efficit duriores, & iram non promptam quidem, ſed feram & quæ non facilè ſedari queat: magnaque ex parte vniuerſum corpus ſiccius exiſtit, niſi hepar obſtiterit.*

IN hoc c. proponit Gal. tria ſigna cordis ſiccioris têperato: quorum primum ſunt pulſus duriores: cordi enim implantatæ ſunt arteriæ, ideò eius ſiccitas arterijs communicatur, & per earum pulſationes ſiccitas cordis animaduertitur.

Argenterius in hoc loco importunè Gal. reprehendit dicens, arterias non oriri à corde: quia arteriæ ſunt inter partes ſpermaticas, cor verò inter ſanguineas. Obiectio eſt ridicula: quia ſuppoſito, cor eſſe principium generationis arteriarum & non diſtributionis tantum, ſicuti cum Galeno arbitramur, dicimus tamen, non eſſe inconueniens, partem ſpermaticam oriri à ſanguinea: quandoquidem ſi à cerebro oriuntur nerui, ab hepate venæ, quæ inter ſpermatica ſunt: poſſunt quoq; arteriæ à corde gigni.

Cęterum negamus ſm doctrina Galeni cor eſſe principium generationis arteriarum; imò ſuperius probauimus ex Gal. lib. de formatione fætus, cor nô generare arterias. Præterea Gal. 6. de placitis c. 3. & Hipp. lib. de alimêto dicunt cor eſſe principium radicationis arteriarum, & iecur venarum, & non generationis: principiû generationis cordis & arteriarum, iecoris & venarum eſt inſtrumentum formatricis quod eſt calidum innatum ortum immediatè à ſemine parentum: taceat igitur Argenterius cum ſuis nugis.

2 Dubitatio Gal. primo de differentijs febrium c. 7. cenſet, pulſus duros non inueniri in omni hectica febre; quomodo igitur inuenientur in hominibus ſanis, de quorum ſignis hic agitur?

Argenterius neſciens ſoluere hoc dubium mordet Galenum, & eius doctrinâ vt chimericam reijcit. Sed ſi diligenter animaduertiſſet, quæ de pulſibus à Gal. tradita ſunt, non ita temerè fuiſſet locutus: libro enim primo de præſag. ex pulſibus cap. 4. aſſerit, pulſum durum ex leuiſſimis cauſis aduenire hominibus ſanis: immo docet ex intempeſtiua vini potione, ex potione frigidæ, ex eſu pomorum, & ex balneo frigido fieri pulſus duros: ecce quod in ſanis hominibus accidere ſolent pulſus duri, quod miſer non animaduertit.

Præterea ſciendum, Galenum hic loqui de duritie pulſus connaturali, & non aduentitia: primo enim de differentijs febrium cap. 7. loquens de aduentitia ait, ſiccitatem aduenire arterijs ob tres cauſas, ob congelationem videlicet, quæ fit à frigore, ob tenſionem, quæ fit ob inflammationem, vt in pleuritide, in qua pulſus non ſolum duri, ſed etiam ferrini fiunt, & ob ſiccitatem, quæ oritur poſt nimias euacuationes in hecticis, & alijs ſimilibus intemperaturis ſiccis.

Par igitur erat, vt prius Argenterius totam Galeni doctrinam perluſtraret, & deinde æquo animo expenderet, an aliquid veritati illius reluctetur; quod cum ab illo prætermittatur, non eſt mirum ſi obcęcatus contradicendi libidine, tam ſępè illidat vadis, & præcipuè in hoc loco, dum ait durum pulſum fieri non poſſe, niſi prius calor in arterijs ſiccitatem pariat: quomodo poteſt infringi, quod dicitur à Galeno de pulſus duritie non audita, aut præuiſa eius doctrina de pulſibus? nullum ſanè eſt maius oſcitantiæ crimen, nullaque eſt maior diſputantis inanitas. Quod verò Argenterius diſputans côtra Galenum de pulſibus non viderit tractatus de pulſibus, patet; quia ſupponit Galenum credidiſſe duritiem arteriarû ſolum fieri à calore, quod Galenus libro de præſag. ex pul. capite 4. & alibi contrarium docet, duritiem ſcilicet pulſus non à calore, vel à ſiccitate ſola, ſed etiam à

potu

potu frigidæ,ab eſu pomorum & lotione frigidi balnei oriri poſſe: collige quãtum errent illi,qui in pleuritide,& in qualibet membranarum inflammatione dant frigida, quibus denſantur membranæ; in pleuritide denſatur pleura: vnde impeditur tranſumptio puris:vnde rũpitur pleura, & fit empyema: cum igitur ob vſum frigidæ & ob vſum pomorum pulſus dureſcant,damnandus eſt in pleuritide vſus pomorum etiam coctorum, cum ab eſu illorum ex Galeno pulſus dureſcant;quomodo igitur durities ſolum proueniet à calore? non ne primo de differentijs feb. loco citato aſſerit duritiem vel fieri ob congelationem à frigore, vel ob tenſionem ab inflammatione prodeuntem, vel ob nimiam euacuationem? Quare nunc & vbiq;ſpernendus eſt Argen. tamquam ματολόγος, quia dum carpit Gal.id inconſideratè & ſine præcedenti aliquo ſtudio, ſed vanitate motus effecit.

Secundum ſignum; ira eſt fera, quæ non facilè ſedari poteſt; non tamen eſt prompta; neque hoc iræ genus mulieribus conuenit; quia non propter calorem ſunt in irã pronæ, ſed propter humiditatem; conuenit tamen illis iracundia,quæ facilè ſedatur;à Gal.varijs in locis vocantur ὀξυθυμώδεις, qui leui de cauſa & cito iraſcuntur, & citò ſedantur; qui verò ira fera afficiuntur vocantur θυμώδεις, ideſt irati,qui tardè iram deponunt.

2 Dubitatio non videtur,quod ira fera, quæ eſt illa,quæ non facilè poteſt ſedari, indicet cor ſiccum; quia hoc ſignum pertinet non ad ſiccam ſolum, ſed ad calidã & ſiccam temperaturam. Hoc argumentum aliquantulum Argenterium torſit, diximus aliquantulum, quia ſi ſtatim illi non occurrit ſolutio, ad hanc ſacram anchoram confugit, quod. ſ. Gal.errauerit.

Reſponſio eſt, quod ira conuenit temperaturæ calidæ & ſiccæ hoc modo: ira à calore primò excitatur, deinde eius perſeuerãtia pendet à ſiccitate, ratione enim caloris ira facilè accenditur,ratione verò ſiccitatis difficilè accenditur, & accenſa diu durat; diutius tamen durat in corde ſicco,quam in corde calido & ſicco;quia vbi calor eſt immoderatus, paſſio facilè abſumitur, vbi verò eſt moderatus, & iunctus cum ſiccitate immoderata, vt eſt in hac temperatura, de qua loquimur, difficilè accenditur, & diu durat. Pro intelligentia huius ſolutionis ſupponenda ſunt hæc duo tanquã axiomata, quæ nũquam intellexit Argent. Primum in hoc lib.dum tractat de ſimplici temperatura, Gal. intelligere ſecundum alias qualitates cor, vel aliud viſcus eſſe temperatiſſimum; ſecundum vnicam verò temperaturam excedere; hinc agens de corde ſicco ſupponit,cor in calore, & in alijs qualitatibus eſſe temperatiſſimum; in ſiccitate verò ſe excedere; nulla enim corporis particula inuenitur, quæ non ſit quattuor primis qualitatibus donata. Secundum eſt ſupponendum, quod vnum ſignum in dignoſcendis viſcerum temperaturis non ſit proprium & conuertibile, quia cætera,quæ proponuntur à Galeno fuiſſent ſuperflua.

Tertium Signum; totum erit ſiccum, niſi hepar obſtiterit, quaſi dicat, ſi videris corpus totum eſſe ſiccum, ſiccitatemque non prouenire ab hepate,certò colliges illam à corde prouenire.

Omnes expoſitores interpretantur,niſi hepar obſtiterit, ideſt niſi hepar ſua humiditate impediat totius corporis ſiccitatem, quæ expoſitio menti Gal. quoque cohæret. Ego tamen nouam meditatus ſum expoſitionem diſcrepantem à communi,quę eſt niſi hepar obſtiterit ſua ſiccitate; poteſt enim contingere, quod totum ſit ſiccum ob hepar ſcilicet ſiccum, corde exiſtente temperato;ecce quod nõ ſolum debemus animaduertere, an hepar obſtet ſua humiditate, ſed etiam an obſtet ſua ſiccitate; quia ſæpiſſimè accidit, vt cor ſit temperatum ab ortu naturæ, tamen totum redditum ſit ſiccum, quia hepar tale ſit.

CAPITIS XXXII.

De signis cordis humidioris.

Tex. *Cordis verò humidioris ſigna,pulſus mol-*
39. *les,& mores ad iram quidem procliues,ſed*
talem,qua facilè ſedari poſſit, & vniuerſũ
Tex. *corpus humidius exiſtit, niſi hepar obſti-*
40. *terit. Secundum verò coniugationem qua-*
litatum primarum vitioſa cordis tempe-
ratura ita ſe habent.

TRia ſigna proponuntur indicantia cor humidum; facilè enim cognoſcuntur contrariæ paſſiones, quia contrariorum ex Ariſt. 1. topicorum cap. 8. eadem eſt diſciplina.

Primum ſignum: ſunt *pulſus molles*.

Secundum, *ad iram procliues, ſed facilè ſedantur*: vocantur enim oxythymodes; iſtique ita fera non uexantur; tales ſunt ut plurimum mulieres, & pueri, qui natura humidi ſunt.

1 Dubitatio, non videtur, quod propẽſio in iram (ut nos docet Galenus) conueniat cordi humido; quia de ratione illorum, qui ſunt in iram procliues, corde calido ſunt inſigniti.

Argenterius, ut ſui moris eſt neſciens ſoluere hoc dubium, mordet Gal. omiſſa igitur illius innanitate, & contradicendi libidine; Reſpondeo, iram illorum, qui ſunt calido corde, nõ facilè ſedari, ut hęc de qua in hoc capite loquitur, ſed eſſe furibundam cũ audacia, & temeritate coniunctam, ut ſuperius auctor docuit. Præterea ut Gal ab Argenterij morſibus vindicetur, iecimus ſuperius hoc fundamentum, ſigna temperaturarum ſolum indicare, dum in ſyndromen cocunt; ſeorſum uerò conſiderata ſæpiſſimè eſſe vana, de ratione enim ſyndromes eſt, ut multa ſigna vnita demonſtrent, ut docet Ariſt. 2. poſteriorum; immo ſi vnum ſignum pro declaratione vnius temperaturæ cordis, vel cerebri eſſet proprium illud ſufficeret, & Galenus in tot proponendis fuiſſet auctor ineptiſſimus.

Præterea hoc erratum fuit fatale Argenterio, quod nõ intellexerit huius tractus axioma, quod eſt dum Gal. agit de ſimplici temperatura, ſupponat alias qualitates eſſe temperatas; quare humidi cũ caliditate temperata poſſunt eſſe ad iram proni; ſed ad irã, quæ facile ſedari poſſit.

Tertium ſignum cordis humidioris eſt, quod totum corpus ſit quoque humidum, niſi hepar obſtet, ideſt niſi hepar ſua humiditate reddat totum corpus humidum, corde in humiditate non excedente temperatum.

Omnes Expoſitores ſic interpretãtur, totum corpus humidum indicare cor humidum, niſi iecur obſtiterit, ideſt niſi iecur ſua ſiccitate impediat, ne cor humectet totum corpus: quæ expoſitio cohęret Galeni menti, tamen illa, quam nos attulimus, eſt quoque rationi cõſentanea; immo ſæpius accidit, vt hepar potius humiditate totum impediat, quam ſiccitate.

CAPITIS XXXIII.
De ſignis cordis calidioris, & ſiccioris.

Calidi, & ſicci cordis, pulſus duri ſunt, & magni, & veloces, & frequentes, & reſpirationes magnæ, & veloces, & frequentes, & multo magis ad velocitatem, ac frequentiam vergunt, thorace cordi non aucto proportionaliter. Hi verò præ cunctis pectus habent maximè hirſutum, & hypocõdria; ad actiones autem prompti ſunt, & iracũdi, & impudentes, & mores tyrannicos habent, ad furorem faciles, nõ facile verò placabiles. De totius autem corporis temperatura, & thoracis amplitudine, his quæ ante diximus proportionaliter eſt diſtinguendũ.

POſtquam Gal. docuit ſimplices temperaturas cordis. Nunc incipit aggredi ſigna temperaturarum compoſitarum, in hoc capite verò agit de ſignis indicantibus cor calidius, & ſiccius temperatiſſimo.

Proponit hic ſex fontes, unde ſigna indicantia cor calidum, & ſiccum deſumũtur, quorum primus deſumitur a pulſibus, ſecundus a reſpiratione, tertius ab iis, quæ accidunt Thoraci, & hypocondrijs, veluti ſunt pili, quartus ab actionum promptitudine, quintus a moribus, et ſextus a temperatura totius.

In primo ſignorum fonte ſunt pulſus duri, magni, veloces, & frequentes, qui indicant cor calidum, et ſiccum.

1 Dubitatio Gal. in tex. ait, cordis calidi et ſicci pulſus eſſe duros, et magnos, quod implicat, quia, ſi duri ſunt, ergo non magni, Galenus enim primo de cauſis pul. ait, magnitudinem pulſus tria indicare, robur facultatis, caloris abundantiam, et mollitiem arteriæ, vbi igitur pulſus eſt durus, arteria quoque eſt dura, et ideo pulſus non poteſt eſſe magnus.

Reſpondet Oddus, Galenum propoſuiſſe pulſum magnum, et durum a corde calido, et ſicco prodire, ut oſtenderet caliditatem vincere ſiccitatem: caliditas enim

enim magis poteſt ad dilatandum, quam ſiccitas ad prohibendam dilatationẽ,quo fit,vt pulſus & duri,& magni ſentiantur.

Sed facilior, & accommodatior eſſet reſponſio,ſi diceremus,magnum dupliciter conſiderari vel abſolutè, prout ſcilicet eſt maximum;vel reſpectiuè, ideſt reſpectu pulſus cordis frigidi, & ſicci, qui eſt longè minor.

Argenterius contradicit Gal. dicitque eſſe impoſſibile, vt pulſus ſimul ſint duri & magni: nihilominus Gal. 2. de criſibus c. 10. dicit quoque in pleuritide inueniri pulſus veloces, frequentes, magnos & ſerrinos; pulſus enim ſerrinus inter duriſſimos collocatur:ecce quod ſimul ſtare poteſt pulſus durus,& magnus, concedimus tamen quod dictum eſt à Gal. 1. lib. de dignoſcendis pulſibus cap.5. quem locum ſi vidiſſet Argenterius, non contradixiſſet Gal. quia ibi habet hanc ſententiam : pulſum durum & maximum ſimul nunquam reperiri:ecce quod negat,maximum cum duro reperiri, & non magnum:maximus enim ſupponit robur virium, abundantiam caloris & mollitiem arteriæ: magnus verò non ſupponit hanc arteriæ mollitiem.Qui igitur vult reijcere Gal.niſi ſit inſanus,debet prius eius loquendi modum, & doctrinam in tot voluminibus ſparſam videre:cauſa verò,cur Argenterius in explicatione huius doctrinæ mentem habeat lymphatam, eſt, quia non perluſtrauit omnia huius diuini Auctoris volumina. Præterea vel doctrinam Ariſt.non intellexit Argenterius,vel huius fuit oblitus: non ne magnũ & partium ſunt relatiua,non ne dici poteſt formica magna & mons paruus?Itidem pulſus magnus dici poteſt reſpectu minoris: in corde enim calido & ſicco ſanorũ hominum, de quibus hic agitur, pulſus dici poteſt magnus reſpectu cordis frigidi & ſicci ſanorum,& longè maior dicetur reſpectu cordis calidi & ſicci hecticam febrem laborantis ecce quod Galenus ſumma cum ratione protulit in corde calido & ſicco ſanorum hominum pulſus duros & magnos inueniri.

1 Dub. videtur ſuperfluum hoc ſignum deſumptum à pulſu: quia Gal. lib. de introductione ad pulſus dicit pulſus proprios cognoſci experientia,dũ in ſanitate conſtituti tanguntur; ergo pulſus ægri non antea viſi non cognoſcentur.

Reſpondetur quod Gal. nos admonet puſus an ſua natura ſint veloces vel frequentes colligi poſſe ex Thorace quia ſi thorax eſt latus & non ſit temperamenti calidi,pulſus tẽpore ſanitatis eſſe tardos. Si anguſtus & temperatura ſit calida pulſus tempore ſanitatis eſſe velociſſimos & ſic de alijs pulſibus, ita vt pulſus naturales ægrorum non viſorum tempore ſanitatis nos poſſe dignoſcere.

4 Dub. Gal. lib. de fœtus formatione c. 4.& 5. docet, arterias prius eſſe factas, quam cor: additq; arterias & venas omniũ primas ex ſemine generari: ergo arteriæ non indicabunt cordis temperaturem.Pręterea poſito, prius arterias fieri, quam cor, vt nos docet Gal. oſtendemus virtute quoq;analytica, arterias non indicare naturam cordis: docet enim Ariſtoteles 2.poſter.ſi cauſa eſt temporis momento prior effectu,nec effectum explicare naturam cauſæ,nec viceuerſa; ratio eſt, quia cauſa de illo effectu non prædicatur de omni,quare neq;per ſe;ergo arteriæ naturam cordis non indicabunt.

Solutionẽ huius dubij facilè inueniet, qui animaduertet Gal. modum artificioſum in dignoſcendis tẽperaturis, qui cõſiſtit in componenda multorum ſignorũ ſyndrome,ita cõpleta, vt ſubrogetur vnico proprio & conuertibili: ſi pulſus durus eſſet ſignum proprium indicans cor calidum & ſiccum, cætera idem indicãtia eſſent ſuperflua. Præterea qui in philoſophia & logica verſati ſunt, & ſciũt vnius rei vnicũ eſſe propriũ & non plura. Sindrome, qua in hoc c.vtitur Gal.ex ſex ſignorũ fontibus conſtat, ex pulſibus videlicet: quia inter pulſus & cor,magnus eſt nexus & magna generis ſympathia: ex reſpiratione, quia neceſſitas euentandi calorẽ cordis efficit reſpirationem magis & minus frequentem; ex pilis,quia calor cordis efficit multas fuligines;ex actionibus prõptis: ex moribus tyrannicis, quia animales ſpiritus nutriuntur vitalibus: quare ſi nutrimẽtũ fuerit calidũ, nutritũ quoq;edet actiones calori reſpondentes, & demũ ex totius tẽperatura: ecce quod Gal.per ſignorum communium ſyndromen nos mirificè docet viſcerum tempe-

raturas ? Hinc ſigna propoſita ſeorſum expenſa nullum nexum cum corde neceſſarium habent, dãtur enim pulſus duri,& magni,corde non exiſtente ſua natura calido.Hinc pleuritici,eſto,quod natura habeant cor ſummè frigidum habẽt pulſum durum : ſimiliter reſpirationes magnæ,& frequentes ab alijs cauſis præter naturam,quã à corde ſua natura calido,& ſicco oriuntur. Itidem piloſi fiunt non ſolum ratione cordis, ſed etiam ratione hepatis calidi,ecce quod nullum ſignum ex propoſitis eſt proprium,ſi tamẽ multa eſſent,vnita, ut ſcilicet pulſus eſsẽt duri,magni,veloces, frequentes, taleſq; eſſent reſpirationes, pili circa pectus, eſſent iracundi, impudentes,moreſque tyrannicos haberent; & totum calidum,& ſiccum,tunc haud dubiè cor eſſet calidiſſimum,& ſicciſſimum : quamuis ſigna propoſita minus intenſa indicarent cor minus intensè calidum,& ſiccum;omnes enim qualitates ſuſcipiunt magis, & minus , danturque varij gradus caloris, & ſiccitatis:ecce quam facile poteris ex huius dubij ſolutione,aliorum innumerabilium ſolutiones penetrare.

Secundum ſignum: *reſpirationes magna veloces,et frequentes*:ratio huius ſigni eſt, quia velocitas, & frequentia reſpirationis facta in auxilium caloris cordis: quod enim multis inſpirationibus fit in thorace anguſto , in amplo paucioribus fiet.

Finis reſpirationis ex Ariſtot.lib.de reſpiratione eſt cordis refrigeratio ex Hipp. lib.de nutritione,ex Gal.l. de ſalubri diæta,& lib.11.methodi c.8.tres ſunt reſpirationis vſus; primus eſt cordis refrigeratio: Secundus, quem non admittit Ariſt. loco citato , eſt nutritio ſpirituum vitalium,quæ ab aere inſpirato fit : Tertius eſt expurgatio fuliginum : conueniunt tamen Peripatetici, & Medici,quod vſus præcipuus reſpirationis ſit refrigeratio caloris cordis, vnde fit, vt quo intenſior ſit calor, eo maior, velocior, & frequentior reddatur reſpiratio.

Tertium ſignum:*pectus,& hypocondria ſunt hirſuta:* ſeu pilis referta.

3 Dub.non videtur,quod pili hypocondriorum indicent temperaturam cordis, ſed potius hepatis; quia paulo infra Gal. inquit, pilos hypocondriorum ab hepatẽ prodire, ergo vel malè hic,vel ibi.

Argenterius ſpreta omni ſolutione inuehit contra Gal. dicitque hypocondria pertinere ad hepar,& non ad cor ; ideò infert, hypocondriorum pilos non indicare cordis temperaturam.

Cæterum in Argenterio,dum Galenũ interpretatur,hoc eſt ei fatale,vt non intelligat quod ſtudioſi Tyrones facilè percipiunt : nemo enim eſt qui neſciat,illo excepto,Galenum non de proprijs,& cõuertibilibus temperaturarum ſignis inſtituiſſe ſermonem, ſed de communiũ ſyndrome. Quod verò hypocondria maximum habeant conſenſum non ſolum cũ hepate, verum etiam cum corde, patet; quia in dextro, & præcipuè in ſiniſtro,in liene videlicet innumeræ ſunt arteriæ, quæ calefaciunt, vnde fuligines, & pili ſunt : Quinimmò Vlmus Pictauienſis libro ſuo de liene videns , tot arterias in liene, arbitratus eſt ſanguinem arterioſum non præparari in dextro ventriculo cordis,vt plurimi putant, ſed in liene,ſicque præparatum deferri per arterias ad ſiniſtrum cordis ventriculum, vt inde in ſpiritum vitalem conuertatur : Hæc opinio eſt falſa, & à nobis reiecta, eam tamen recitauimus, vt intelligatur quam ſit maxima ſympathia inter lienem, hypocondria,& cor.

Quartum ſignũ:*ad actiones ſunt prõpti.* Per actiones intelligit non ſolum vitales & animales,ideſt ſenſum, & motum, ſed etiam vt explicat Argenterius,naturales: quia etiam expultrix eſt actio, quæ in tẽperamento calido eſt ualde prompta : ſimiliter attractrix eſt prompta , ergo per actiones Auctor intelligit non ſolum animales, ſed naturales,& vitales.

Et præcipuè vitales: quia ab ipſa carne cordis facultas vitalis dependet. Hinc Galenus primo ad Glauconem in curatione ſyncopes ait , ſpiritus deficere ob magnas cordis intemperies, at ex Gal. 1. de v. p.9. qui dicit temperamentum dicit carnem, ergo ſpiritus fient à temperatura ſiue à carne cordis. Hinc dicimus ſpiritus vitales non fieri à ventriculis; quia cauitates habent vſum, & non actionem. Præterea patet experientia obſeruata à Realdo Colum. qui in ſua Anatomia refert

fert ſe in quodam cadauere non inueniſſe ſiniſtrum ventriculum cordis,ſignũ eſt quod non à ventriculo, ſed à carne cordis facultas vitalis proueniat; Hinc Galenus 4. de v.p.12. dicit carnem viſcerum eſſe auctorem operationum.

Quintum ſignum; tales *ſunt iracundi, impudentes, habent mores tyrannicos, ſunt faciles ad furorem, & non facile placabiles.*

Ratio eſt,quia iracundia oritur à calore, & à bile;non ſunt tamen facilè placabiles ob ſiccitatem; quia vbi eſt ſiccitas, diu calor perſeuerat intenſus: ſiccitas enim eſt lima caloris. Sunt imprudentes,quia calor reddit homines mutabiles, vnde imprudentia.

Argenterius mordet Galenum, quod non propoſuerit alios cordis calidi & ſicci mores, cum tales ſint audaces, immiſeri cordes,confidentes,temerarij,crudeles, iracundi & contemptores. Dignus ſanè reprehenſione eſt Argenterius;quia non vidit, quomodo Gal. omnes dictas paſſiones vnico verbo diuinitus comprehendat: dum ſcilicet dicat, tales habere mores tyrannicos: Tyranni enim ſunt audaces,immiſericordes,crudeles,temerarij, &c.

Ego valde miror,quod Argenterius nõ reprehendat Galenum, qui loquens de iratis qui non facile ſunt placabiles, eos vocauerit ὀξυθύμους, et non θυμώδεις; clariſſime enim Gal. 1. epid.com.2.docet oxythymodes opponi thymodis;oxythymodes enim vocantur iracundi, facile placabiles, & qui ſunt corde frigido; thymodes vocantur irati, qui ſunt corde calido, & difficile placabiles. Huic inſtantiæ magni momenti reſpondemus mutatum fuiſſe ab aliquo verbum thymodes pro oxythymodes; quod res ita ſe habeat patet, quia Galenus paſſim declarat oxythymodes eſſe facile placabiles, thymodes difficilè: ſimiliter Hippocrates 6.epid. ſect.4. & Gal. in com.vocant eos,qui ſunt frigidi habitus oxythymodes, id eſt iracundos & facilè placabiles: Quare in hoc loco Gal. non poteſt eſſe oblitus ſignificati iſtius verbi, ideò error eſt in codice, ob aliorum & non Galeni incuriam; Hinc tamen colligere poſſumus. Argenterium omninò caruiſſe græca eruditione, & Galeni doctrina, quia ille,qui erat totus in contradicendi libidine uolutatus non omiſiſſet hanc inſtantiam: hinc nos colligimus, quod ſi Gale. uolumina perluſtraſſet, tot futiles dubitationes non propoſuiſſet:ſed miratus Galeni ſapientiam ea, quæ primo aſpectu friuola, & nullius prætij illi uiſa ſunt, arcana obſeruaſſet.

Sextum ſignum deſumitur à caliditate, & ſiccitate totius corporis; ualet enim conſequentia, totum corpus eſt calidum et ſiccum, ergo, niſi hepar obſtet, cor erit calidum et ſiccum. Hepar poteſt obſtare dupliciter, primo, ut diximus ſuperius, quatenus poteſt efficere totum corpus calidum et ſiccum corde exiſtente temperato, quæ expoſitio eſt noua, et à nobis ſolum propoſita;Secundò hepar poteſt obſtare ſua humiditate et frigiditate, ne cor calidum et ſiccum reddat totum corpus tale; et hæc expoſitio eſt communis.

Admonet demum in fine capitis ut uideamus, an thorax ſit amplus ob magnitudinem capitis, et ſpinæ; quia ſi ob hanc cauſã fuerit magnus non neceſſariò thorax latus indicabit cor calidum; ualebit tamen neceſſariò hæc; thorax eſt latus, et caput eſt paruum, ergo cor eſt calidum, quia à capite paruo latitudo thoracis effici non poteſt, ſed ſolum à neceſſitate euentandi calorem.

CAPITIS XXXIV.

De ſignis cordis calidioris & humidioris.

Tex. 21. *Si verò caliditas vnà cum humiditate dominatur, minus quidem his quos antea diximus, hi ſunt hirſuti ad actiones verò nihilominus prompti, non tamen ferus eſt animus, ſed ad iram procliuis tantummodo:pulſus verò magni, ac molles, & veloces, & frequentes exiſtunt. Et reſpiratio, cum thorax cordi fuerit proportionalis, eandem pulſibus formam ſeruabit. Si verò minor extiterit, tanto illis velocior erit, & frequẽtior,quãto & thorax minor extiterit. Si autẽ multa facta fuerit euerſio in tẽperatura, ac ſi hoc præſertim in humiditate cõtigerit, præter ea quæ diximus;cõtingens etiã ex putredine morbi his qui in ipſis fuerint humoribus corruptis, ac putrefa-*

ſtis. Expirationes autem maiores ſunt, ac velociores inſpirationibus, & ſubmiſſio arteriæ in pulſibus velox.

SIcuti ſanguis ob ſuam humiditatem eſt frænum caloris, ſic bilis ob ſuam ſiccitatem eſt lima caloris; Hinc eſt, quod ſigna oſtendentia cor calidum, & ſiccum ſint intenſiora, quam ſigna indicantia cor calidũ, & humidum; humiditas enim obtundit, & contemperat; ideo ſigna hìc tradita a Galeno ſunt mitiora, quam in capite ſuperiori.

Primum ſignum: qui habent cor calidum, & humidum *ſunt minus hirſuti*: ſeu piloſi, quam qui calidum, & ſiccum. Ratio facilis eſt; quia materia propria, & immediata pilorum ſunt fuligines, ut oſtenſum eſt ſuperius, præterea fuligines ſunt calidæ & ſiccæ, & vbi maior eſt caliditas, & ſiccitas, ibi abundantiores fiunt fuligines, & pili, ideò magis ſunt hirſuti qui calido & ſicco, quam qui calido & humido ſunt corde: plura alia dicta ſunt ſuperius, vbi egimus de temperaturis ſimplicibus cordis, quæ non ſunt repetenda.

Secundum ſignum: *ſunt ad actiones prompti*. Expoſitores dicunt in corde calido, & humido actiones eſſe promptas, ſed non ſicuti in corde calido, & ſicco. Hæc expoſitio non cohæret uerbis Galeni: quia poſtquam in primo ſigno dixit, minus piloſos eſſe qui calido, & humido corde ſunt; addit, nihilominus ad actiones prompti ſunt, ideſt ad actiones non ſunt minus prompti, illud uerbum nihilominus oſtendit æqualem promptitudinem in corde calido & ſicco, ac in calido, & humido.

Dicimus igitur, calidos, & ſiccos eſſe magis promptos in animi, & corporis motu, & in ſenſibus; calidos uerò & humidos magis in cóncoquendi officio; Hinc hæmatoſis ſeu ſanguificatio, ſimiliter chilificatio, & omnes aliæ concoctiones promptiores ſunt in calido, & humido, quam in calido & ſicco. Præterea calidi, & ſicci promptiores ſunt in actionibus habentibus principatum, quam calidi & humidi: primo enim de natura humana comm. 39. & alibi Galenus docet, animi aciem, & intelligentiam a corpore calido, & ſicco ſeu bilioſo humore prodire; conſtantiam, & firmitatem a melancholico; ſimplicitatem, & ſtoliditatem ab humore ſanguineo; ſanguis eſt calidus, & humidus, & efficit ſtoliditatem, ergo a calido, & humido corde non proueniet animi acies, & intelligentia. Hinc Galen. loquens de corde calido, & humido, ne uerbum quidem de moribus fecit.

Tertium ſignum, *animus non eſt ferus, eſt tamen ad iram proclinis*; quod accidit ratione caliditatis, obtunditur tamen ratione humiditatis.

Quartum; *pulſus ſunt magni, molles, veloces, & frequentes*. Sunt magni in calido & humido; quia nullum cor, temperato excepto, eſt robuſtius calido, & humido in gignendis ſpiritibus uitalibus. Sũt magni ob caloris abundantiam, quæ eſt in corde calido, & humido. Sunt magni quo ad ſyſtolem ratione expirationis, quia vbi maior eſt fuligo, ibi maior eſt expiratio; ſunt magni quo ad diaſtolem ratione inſpirationis, quia maior eſt neceſſitas aeris pro generatione ſpiritus, & pro euentatione. Demum ſunt magni, quia arteriæ ſunt molles: Galenus enim primo de cau. pulſ. c. 4. & alibi habet, hæc tria eſſe magnitudini pulſus peculiaria, robur facultatis, caloris abundantiam, & mollitiem arteriæ, inde ſequitur, quod in corde calido & humido pulſus ſint molles, quia arteria humida eſt mollior, quam ſicca, sũt quoque veloces, & frequentes ratione virtutis pulſatilis, ratione inſtrumenti, ideſt arteriarum, & ratione vſus, ideſt ratione caloris, qui maiorem euentationẽ expoſtulat. Præterea ſunt ueloces, & frequentes ratione uirtutis, quia in corde calido, et humido eſt maior uirtus, et melior coctio, et generatio ſpirituum: ratione arteriæ, quia mollior arteria eſt aptiſſima ad frequentiam, et uelocitatem, demum ratione vſus, quia adeſt quoq; propter calorem maior euentãdi neceſſitas.

Quintum ſignum; reſpiratio, ſi thorax fuerit proportionalis cordi, erit uelox, et frequens, ſi uerò thorax fuerit minor ob cerebrum, et ſpinam paruam, reſpiratio erit uelocior, et frequẽtior; natura enim vbi deficit in magnitudine thoracis, in auxilium intendit uelocitatem, et frequentiam, ſed de frequentia et uelocitate

reſpi-

reſpirationis ſuperius egimus.

Sextum: ſi cor calidum ſit quoque humidũ in exceſſu tunc ſunt obnoxij morbis putredinoſis, habentque reſpirationes & ſyſtoles maiores, & velociores expirationibus & diaſtole; idem dicit Gal. 11. metho. c. 8. & Auicennas, vbi agit de corporibus præparatis ad febres putridas.

Ratio vero, cur cor calidum cum exuberantia humiditatis ſit obnoxium putredini, ex verbis ſequentibus colligitur; quia expiratio ratione humiditatis debet eſſe maior, quam inſpiratio; cauſa verò, cur expiratio ideſt ſyſtole debeat eſſe maior, eſt, quia vbi eſt humiditas, ibi ſiunt multi vapores, qui niſi per ſyſtolem, ideſt per compreſſionem arteriarum expirẽt, retinentur, & ſtatim naſcitur adiapneuſtia, & putredo. Quo pacto verò per prohibitam perſpirationem fiat putredo, facilè intelligetis, ſi legeritis Galenum 11. methodi cap. 8. & librum noſtrum de ſtatica medicina (quem Deo fauente, vel breui in lucem promemus) in quo non coniectura, ſed certiſſimis & euidentiſſimis ſtaticis experimentis intelligetis quando, & quantum plus, vel minus quotidiè perſpiratio inſenſibilis fiat.

Quod verò expirationes & ſyſtoles in corde calido, & humido ſint maiores, & velociores, quã ſint inſpirationes & diaſtoles, patet ex Gal. 1. de cauſis pulſuum capite 2. vbi dicit, dum adeſt occaſio expurgandi vapores, qui generantur ob humiditatem, tunc arteriam contrahi, & fieri ſyſtolem, & expirationem maiorem & velociorem; vbi verò eſt occaſio refrigerandi cor calidum, tunc diſtendi arteriam, & diaſtolem & inſpirationem fieri maiorem, & velociorem, quod calido & non humido cordi euenit.

Nos inuenimus inſtrumentum, quo dimetiri poſſumus. Expirationem, inſpirationem Syſtolem & diaſtolem pulſus de quo egimus in comm. primę fen. cognito quomodo expiratio ſit maior inſpiratione ſtatim cognoſcimus ſyſtolem eſſe maiorem diaſtole, & inde eſſe procedendum exſiccantibus; ſi verò diaſtole ſit maior, refrigerantibus.

1 Dubitatio non videtur, quod in corde calido & humido expirationes (vt ait Gal. in tex.) ſint maiores, & velociores inſpirationibus: quia ſi cor ratione humiditatis requirit multam expirationem, ratione caliditatis requiret tantundem inſpirationis, ita vt in corde calido & humido æqualis ſit expiratio inſpirationi, & ſyſtole diaſtoli.

Reſpondetur, Galenum, dum dicit, ſi multa facta ſit euerſio in tẽperatura, ratione humiditatis intelligere de exceſſu humiditatis, & non de æqualitate caliditatis & humiditatis: meritò igitur dixit, expirationem & ſyſtolem eſſe maiorem, & velociorem inſpiratione, & diaſtole.

Hinc errat Haly qui putat, Galenum, dum dicit, expirationes eſſe maiores, intelligere in febribus putridis; quia in hoc loco Auctor non loquitur de corporibus ægrorum; ſed ſanorum habentium tamẽ propenſionem ad putredinem. Errat ſimiliter, quia non putabat in febribus putridis inſpirationes eſſe minores, quia calor innatus factus ſit ita diminutus, vt egeat minori refrigeratione, quã corda ſanorum. Primò fallitur, quia ſupponit, calorem innatum & febrẽ eſſe duos calores realiter diſtinctos; ſecundò ſupponit calorem innatum tantummodo indigere refrigeratione per inſpirationem factam: febrilem verò nequaquam: quæ ſuppoſita ſunt adeo falſa, vt ſint confutatione indigna; Galenus enim libro de cauſis pulſuum, & de differentijs, & vbique ſupponit, calorem febrilem egere maiori refrigeratione, quam calor innatus temperatus: Hinc pulſus in febribus ardentibus magni, veloces, & frequentes inueniuntur; Qui deſtrueret hoc principium totam artem de pulſibus euerteret.

CAPITIS XXXV.

De ſignis cordis humidioris & frigidioris.

Tex. 24. *Humidioris verò, & frigidioris cordis, pulſus quidem molles, moribus autem nequaquam audaces, ſed timidi, & ſegnes exiſtunt. Tales etiam glabrum pectus habent, minimeque iram retinent, ſicuti, & ad iram non admodum ſunt prompti. Quæ vero ad thoracem, & vniuerſum attinent corpus, diſtinguere oportet, ſicuti ea quæ ante diximus.*

POſtquam Galenus egit de calido & ſicco corde, & de calido, & humido. In præſenti cap. agit de ſignis cordis frigidi, & humidi: iſtæ enim ſunt combinationes reſpondentes elementis; combinatio calida, & ſicca reſpondet igni, calida, & humida aeri, tertio loco eſt frigida, & humida, quæ conuenit aquæ, & demum frigida, & ſicca terræ.

Diuidi poteſt hoc cap. in quinque particulas; quia quinque genera ſignorum oſtendentium cor frigidum, & humidum proponuntur.

Primum, eſt deſumptum à pulſibus; dicitque *pulſus molles* indicare cor frigidius & humidius temperato.

Secundum deſumitur a moribus; dicitque qui ſunt frigido, & humido corde *non eſſe audaces ſed timidos, & ſegnes*: immo paulo infra animaduertit, ſi externa occaſione iſti iraſcātur, irā non retinere, neque eſſe ad iram admodum promptos.

Tertium ſignū deſumit a pectoris glabritie, in quibus *circa ſternum nō ſunt pili*.

Quartum ſignum deſumitur ab anguſtia thoracis; valet enim conſequentia, thorax eſt anguſtus, ergo cor eſt frigidum; non tamē valet viceuerſa, ideſt cor eſt frigidum, ergo thorax eſt anguſtus; poteſt enim contingere, quòd latitudo thoracis nō à calore cordis, ſed a magnitudine capitis, & ſpinalis medullæ effecta ſit. Quare valet hæc, cerebrum eſt paruum; & thorax anguſtus, ergo cor eſt frigidum, ſed non eſt conuertibilis.

Quintum ſignum deſumitur à frigiditate, & humiditate totius: niſi igitur hæc totius frigiditas, & humiditas orta ſit ab hepate, dicendum eſt, dictam frigiditatem, & humiditatem totius indicare cor frigidum & humidum: omnes exponunt, niſi iecur obſtiterit ſuo calore; quia iecur calidum reddere poteſt totum corpus calidum, quamuis cor frigidum ſit; nos verò interpretamur, niſi iecur obſtiterit ſua frigiditate; poteſt enim contingere vt iecur frigidum, quamvis cor ſit calidum, refrigeret totum corpus.

1 Dubitatio, pulſus durus, & mollis ex Gal. 2. de præſag. ex pul. cap. 5. non fiunt, niſi a validiſſimis cauſis; ideo durus, & mollis non conuenient pulſibus ſanorū, de quibus hîc agitur; ſimiliter primo de differentijs feb. cap. 7. ait, pulſus duros non inueniri in omni hectica febre, ſed in peiori. Quomodo igitur pulſus mollis, & durus conuenient cordi frigido, & humido ſanorum hominum, de quibus Gal. in hoc loco agit?

Hæc dubitatio ſatis trita, fuit ante Argenterium centenis annis ab Expoſitoribus propoſita, & ſoluta: putat tamen Argenterius, eſſe inſolubilē, & Gal. propterea dignum crimine hoſcitantiæ condēnari; ſolutio tamen eſt illis facillima, qui ſemel tractatus Gal. de pul. legiſſent, quia lib. 1. de præſag. ex pul. c. 9. docet, pulſum mollem dupliciter conſiderari, vel ſecundum naturam, vel præter naturam; dicitque, mollem pulſum ſecundum naturam fieri a cibo frequenti, a frequentiori balneo, a ſomno, & à molliori uita; mollem uerò præter naturam fieri in comate, lethargo, & in hydrope, quando igitur Gal. dicit, pulſum mollem, ſeu durum fieri à cauſis validiſſimis, dicimus, intelligere de molli præter naturam; idem dicēdum eſt de duro. Præterea dum dictū eſt ex Gal. 2. præſag. citato loco fieri pulſum durum, & mollem à validiſſimis cauſis, & durum non inueniri in omni hectica, per durum, & mollem dicimus Gal. intelligere duriſſimum, & molliſſimum fieri .ſ. à validiſſimis cauſis; ſimiliter, & duriſſimum non inueniri in omni hectica febre; pulſus verò mollis de quo loquitur Galenus in hoc loco non eſt molliſſimus ſed mollis moderatus; quia Gal. lib. de cauſis pulſuum c. 9. ait, humiditatem efficere mollitiem, frigiditatem uerò impedire, ne fiat mollis, quare in corde humido, & frigido rectè dictum eſt inueniri moderatam pulſus mollitiem.

2 Dubitatio, nō uidetur, quod in corde frigido, & humido pulſus poſſint eſſe molles; quia ex Gal. lib. de pulſibus ad Tyrones cap. 8. & 1. de cauſis pulſuum 9. ait, pulſus molles fieri ab humiditate; duros verò à frigiditate; quomodo igitur in corde frigido, & humido erunt molles, ſi frigiditas efficiet pulſum durum?

Reſpondetur, humiditatem naturalem, quæ eſt in corde frigido, & humido ſano, de quo loquitur Galenus efficere pulſum mollem; frigiditatem uerò in ſano nō eſ-

ſe

ſe tanti,vt humiditatem ſuperet; quia vita in humido fundata eſt. Si hæc ſolutio tibi non placet, dicas, per mollem Galenum intelligere moderatè mollem. Hinc Gal.1.de cauſ.pul.c.9.quærens, quem pulſum efficiat mollities, & frigiditas; habet hæc verba, *magnus pulſus eſt mollitudini peculiaris, paruus frigiditati*, addit inde naſci moderatum & vtriuſque extremi participantem; quare pulſus ſaltem moderatè molles oriéntur ex frigido & humido pulſu ſanorum.

3 Dubitatio; Gal.videtur mutilus,quia omittit præcipuas cordis frigidi differentias;nam cor frigidum habet pulſum paruum,rarum, & tardum. Præterea ſicuti caloris abundantia indicat auctum vſum, ideſt auctam neceſſitatem euétandi cordis calorem,efficitque pulſus magnos,celeres, & crebros; ſimiliter frigiditas indicat vſum imminutum, ideſt imminutam neceſſitatem euétandi calorem, vnde neceſſario pulſus parui, rari, & tardi fiunt,de quibus in hoc capite Galenus ne verbum quidem fecit.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Galenum breuitatis gratia omiſiſſe has pulſuum differentias indicantes cor frigidum.Quare reſponſio mihi probatur;ſi enim Gal.de omnibus differentijs pulſuũ cuiuslibet temperaturæ in hoc loco egiſſet, libellus nimiũ creuiſſet, non omiſit tamẽ quæ neceſſaria ſunt huic doctrinę, cum igitur pulſus proprius humidæ temperaturæ ſit mollis, propterea illum non ſubticuit. Hinc perperam Argenterius mordet Galenum;quia non fecerit mentionem de paruo, raro, & tardo in capite de corde frigido & humido. Præterea ſi ex ſignis propoſitis nos mirificè docet cordis temperaturam frigidam & humidã ſanorum;non ne ſi alia addidiſſet fuiſſet ſuperfluus? Inſuper dicimus,quod Galen. loquatur hic de corde frigido & humido ſano,in quo rarò inueniuntur pulſus parui,rari, & tardi; Ideò Galen.omiſſis, quæ raro eueniunt, mentionem fecit de illa pulſus differentia, quæ propriè conuenit humiditati arteriæ ſanorum. Prętcrea ſciendum eſt in toto hoc tractatu de ſignis temperaturarum, Galenum ſupponere viſcera recedentia à temperato eſſe ſecundum exceſſum vnius qualitatis, vel vnius combinationis intemperata, ſecundum tamen alias qualitates eſſe temperatiſſima, & optimè conformata; qui vero non intelligit hoc Galeni ſuppoſitum nunquam percipiet artificium huius tractatus de ſignis temperaturarum.

4 Dubitatio, videtur Galenus diminutus, quia in hoc c.de corde humido, & frigido nil dicit de reſpiratione:de qua in cæteris capitibus ſemper mentionem fecit; par eſt, vt de medio tollamus hæc leuiſſima dubia, quia Argenterius hic fabellis Gal. vellicat & falſo ignorantiæ, & oſcitantiæ iniurioſè eum inſimulat.

Reſponſio eſt facillima, quia Galenus ſuperius, dum declarauit ſimplices temperaturas frigidi cordis, egit de reſpiratione; neque par erat, vt in doctrina definitiua acta toties agere,& ea fruſtra repeteret.

Res enim clariſſima eſt ex ſignis traditis ſimplicium temperaturarum,quia ſi cor eſt frigidum,inſpiratio,& pulſus diaſtoles, ideſt dilatatio arteriarum erit minor, quam ſi expiratio & ſyſtole, ideſt conſtrictio arteriæ. Similiter ſi cor fuerit humidum, tunc augebitur vſus expirationis; quia, vbi eſt humiditas, ibi eſt maior expiratio,ideſt euaporatio: ſimiliter erit maior ſyſtole, ideſt conſtrictio arteriæ.

5 Dubitatio oritur circa ſecundum ſignum deſumptum à moribus; videtur Galenus omittere mores proprios cordis frigidi & humidi; tales enim ſunt clemẽtes, pij, humani, verecundi, & in aduerſa fortuna deſperantes, & demum animum muliebrem ſortiuntur: ergo diminutus.

Reſpondetur, quod iſti mores omiſſi ſint à Galeno ſummo artificio; quia omnes conſequuntur illos, quos proponit: nam ſi ſint timidi, neceſſariò ſunt in aduerſa fortuna deſperantes, animumque muliebrem habentes;deinde ob timorem redduntur humani,pij, clementes, & verecundi;quare dubitatio nulla eſt.

6 Dubitatio dicit Galen. in tex. qui habent cor frigidum & humidum, eſſe timidos & ſegnes, quod ſibi ipſi & veritati reluctatur; primo enim de vſu partium c. 2. ait, animalia timida eſſe velociora alijs

alijs animantibus, ergo ſegnities non conueniet animalibus timidis.

Reſpondet, timorem inſequi frigidam temperaturam: ſegnitiem verò humidã; Hinc animalia timida, eaque velocia in motu non ſunt frigida & humida, ſed frigida & ſicca, vt ſunt cerui & lepores.

7 Dubitatio, Gal. 2. de temperamentis cap. 6. docet in temperamento frigido & humido eſſe plura alia ſigna, quę hic non recitantur: ſicuti ſunt venæ paruæ, cutis mollis, & alba, ſuntq; adipoſi; neruos & muſculos habent imbecilles, ergo vel diminutus hic, vel ſuperfluus 2. de temperamentis.

Solutio facilis eſt, quia in hoc loco agit de frigiditate, & humiditate cordis: in libro verò de temperamentis de frigiditate & humiditate totius corporis, ideo dubitatio nulla eſt.

8 Dubitatio; timor ex Gal. 3. de humoribus com. 2. generat melancholiam, & melancholia timorem, ergo vbi eſt timor nõ poterit eſſe temperamentum frigidum, & humidum cordis, ſed frigidum, & ſiccum: hęcque ſunt Galeni verba, *ſic etiam timor & animi demiſſio melacholicum humorem efficiunt, & humor ipſe melancholicus, timorem, animiq; demiſſionem.*

Reſpondemus: timorem duplicem eſſe: alterum naturalem, quem dicimus prodire à frigido temperamento: talemque eſſe in homine ſano: alterũ verò eſſe præter naturam, qui ſi diu & nimium vexat, generat illam melancholiam præter naturam, quæ eſt temperamenti ſicci, & nõ humidi, & de hoc timore non intelligit Galenus: Quare argumentum à timore ad temperamentum eſt à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis, quod non ſequitur; eſt enim in ſecunda figura ex affirmatiuis: quoniam timor ex quo volumus concludere temperamentum frigidum & humidum eſt quid vniuerſalius temperamẽto frigido & humido ſanorum; conuenit enim vtriſque, frigido ſcilicet & humido, & frigido & ſicco. Hinc Galenus 3. de locis affectis 7. dicit, quod mæror, timor, & mæſtitia nunquam deſerunt melancholicos: non tamen cõuertitur hæc: omnes qui ſunt melancholici timent non timenda; quia etiã qui ſunt frigido, & humido corde, qui non ſunt melancholici timent non timẽda: ecce quomodo Galenus pro indagandis temperaturis aſſumpſit ſigna communia (vt nos toties diximus) quæ vnita ſummam habent efficaciam; ſicuti in hoc capite, in quo ex timore, pulſus mollitie, ſegnitie, nuditate pilorum, in pectore & alijs propoſitis colligit, cor eſſe frigidum & humidum.

9 Dubitatio proponitur ab Expoſitoribus, an homines frigido & humido corde ſint iracundiores, quam qui frigido & ſicco.

Reſpondent multi, inter quos eſt Oddus, quod ſi loquamur de promptitudine ad iram, frigidos & ſiccos minus in iram labi, quam frigidos & humidos: ſi verò loquamur de iræ perſeuerantia, & pertinacia dicunt, frigidos, & ſiccos diutius iram conſeruare.

Errant valde, quia facilius frigidi & ſicci in iram incidũt: quam frigidi & humidi, inter ſymbolica enim ex Ariſt. 2. de gener. facilior eſt trãſitus: ſic ex terra facilius fit ignis quam ex aqua. Præterea experientia nos docet, frigidos & ſicos facilè iraſci, vt canes: ſimiliter pueri ſicci facilè in iram labuntur; quare non ſolum frigidi & ſicci iram diutius conſeruant, quam frigidi & humidi; ſed etiam citius in iracundiam labuntur.

Tertium ſignum cordis frigidi & humidi eſt glabrum pectus, idem docet Gal. 1. de humoribus comm. 8. ratio eſt, quia vbi multa adeſt humiditas, ibi non fiunt fuligines, vbi non ſunt fuligines, ibi neq; pili. Similiter vbi non eſt caliditas, ibi non ſunt pili: quare in temperatura frigida & humida cordis circa pectus non poſſunt eſſe pili. Hinc Gal. 2. de temper. capite 5. ait, temperaturam frigidam & humidam ad ſummum eſſe glabram ſeu ſine pilis.

Circa quartum ſignum notandum, dũ dicit Gal. ſi totum fuerit frigidum & humidum, etiam cor eſſe tale, niſi hepar obſtiterit. Omnes exponunt, niſi hepar obſtiterit ſuo calore reducendo totum habitum corporis ad calidam temperaturã. Quæ expoſitio, quamuis ſit communis caret tamen artificio, & aliquando mihi viſa eſt ridicula: quia ſi temperamentum totius corporis proponitur à Galen. tamquam

quam ſignum indicans cordis temperaturam, ſicuti conſentiunt omnes expoſitores, quomodo temperatura totius, quæ non eſt, neque eſſe poteſt, quando obſtaret iecur, poſſet indicare præſentem cordis temperaturam? non entis enim non eſt ſcientia ex Ariſt. 1. poſter. tex. 5. exempli gratia, à toto frigido & humido eſt deſumendum ſignum indicans cor frigidum & humidum: dum dicimus, niſi iecur obſtiterit, intelligimus, niſi à iecore in totum hæc hnmiditas, & frigiditas introducatur, & non à corde: ſi vero intelligeretur, quod iecur obſtaret calefaciendo totum, tunc totum non eſſet frigidum & humidum, & non poſſet à totius humiditate, & frigiditate deſumi ſignum indicans cor frigidum & humidum: quamuis veriſſimum ſit, quod iecur poſſit ſuo calore impedire, ne totus habitus frigidus & humidus fiat: attamen hæc expoſitio in præſenti conſideratione non facit ad rem: quia hìc agitur de ſigno deſumendo à toto, quod poteſt eſſe calidum & frigidum ob iecur, vel ob cor: hæc igitur caliditas, ſeu frigiditas eſt percipienda, quando à corde, & quando à iecore pendeat; quare accipienda eſt hæc noua noſtra expoſitio, niſi hepar obſtiterit, id eſt niſi hepar, & nõ cor auctor ſit frigiditatis & humiditatis totius; quare ſic valet, totum eſt frigidũ & humidum, ergo & cor, niſi illa humiditas & frigiditas in totum habitum introducta defluxerit ab hepate frigido & humido; ſicuti aliquando experientia obſeruatur, calidos ſcilicet corde habere totum corpus frigidum ob hepar cachexia correptum, vel ob alium frigidum affectum. Simili modo de thorace valet, thorax latus indicat cor calidum, niſi cerebrum obſtet, id eſt niſi à cerebro pendeat latitudo, & non à corde; idem dicimus, ſi totum eſt calidum, ergo & & cor, niſi hepar obſtet, id eſt niſi hepar ſit auctor illius caloris.

CAPITIS XXXVI.

De ſignis cordis frigidioris, & ſiccioris.

Tex. 43. *Frigidius verò cor, & ſiccius, pulſus quidem duriores reddit, & paruos: reſpirationem autem, ſi quidem thorax paruitatem cordis frigiditati proportionalem habuerit, moderatam, ſi verò maior extiterit, raram ac tardam. Hi vero præ omnibus minimè ad iraſcendum prompti. Cum autem coacti fuerint iraſci quibuſdam, retinent iram. Habent autem maximè omnium nudum pilis pectus. De paruitate autem thoracis, ac præterea totius corporis frigiditate ſimiliter diſtinguendum. Vnum illud commune in hiſce omnibus memoria repetentibus, quod quæcunq; de moribus, ſiue nunc, ſiue quouis alio ſermone explicata ſunt ad temperaturæ cognitionem, non de optimis moribus, & vitioſis, qui ex philoſophia hominibus adueniunt, ſed de inſitis, ac naturalibus nos expoſuiſſe.*

IN hoc cap. Gal. agit de temperatura cordis frigidi & ſicci. Diuiditur hoc cap. in duas partes, in prima tradit quinque ſigna indicantia cor frigidum & ſiccum. In ſecunda admonet, dum de moribus indicantibus temperaturas agit, ſe intelligere de moribus inſitis & & naturalibus, & non de ijs, qui adueniunt hominibus ob conſuetudinem, vel ob philoſophiæ exercitium.

Primum ſignum cordis frigidi & ſicci ſunt *pulſus duri, & parui*, ratio eſt, quia finis pulſus eſt euentatio caloris cordis; dũ igitur paucus eſt vſus, ſiue neceſſitas euentandi, pulſus fiunt parui, & duri, parui, ratione exigui vſus, duri, ratione frigiditatis, & ſiccitatis arteriæ.

Decipiuntur valdè qui putant, pulſum in corde frigido & ſicco eſſe paruum ob debilitatem: quia hæc duo, quæ in hac doctrina ſunt ſupponenda, non intelligunt: primum quod Galenus agat de temperaturis ſanorum, qui eſſe poſſunt robuſti, quamuis eorum corda ſint frigida & ſicca. Secundum non intellignnt, quod Gal. in corde etiam frigido & humido ſupponat cor in reliquis omnibus eſſe temperatum, & egregiè conformatum. Quare poteſt contingere, vt cor in omnibus ſit temperatum, habeatque ſolum exceſſum aliquem in frigiditate, & ſiccitate, & hunc hominem non ſolum eſſe ſanum, ſed bene ſanum; quia nulla extra animã datur ſanitas punctualis, & quæ non ſit cõſtituta cum aliquo exceſſu, vel defectu à temperamento æquali ad pondus, quod tan-

tantum eſt in imaginatione, & non extra animam.

1 Dub. Gal. videtur valdè inſufficiens, quia præter pulſus paruos, & duros non propoſuit raros & tardos.

Expoſitores dicunt, & rectè, pulſus eſſe duros, quia arteria ob frigiditatem, & ſiccitatē eſt dura; & quia in frigido corde non eſt tanta neceſſitas euentandi, vt arteria dilatetur, & deinde pulſus fianr rari & tardi; ſed quia ſuperius plenius de duritie pulſus egimus: ideò non eſt, vt acta repetantur. Sciendum tamen circa pulſus paruitatem ex Gal. 1. de cauſis pulſuum c. 4. quod ſicuti in calore primò apparet magnitudo pulſus, ſecundò celeritas, tertiò crebritas, ſimiliter vbi eſt frigiditas in pulſu, primò apparet paruitas, ſecundo tarditas, & tertio raritas.

3 Dub. ex Gal. 3. de cauſis pulſuum c. 3. habetur, calidos habere pulſum maiorem, celeriorem, & crebriorem temperatis; attamen primo de cauſis pulſuum 3. clariſſimè docet, quod ſi caliditas parua augeatur, efficiat pulſum magnum, ſi magis augeatur celerē, ſi adhuc magis, crebrum, ergo non eſt verum, quod omnes calidi poſſint habere pulſum maiorem, celeriorem, & crebriorem; poteſt enim eſſe in corde calido pulſus magnus, & non celer, & creber.

Reſpondetur, quando dixit Galenum pulſum eſſe maiorem, celeriorem; & crebriorem intelligere in calore valde aucto; quia ſi calor non eſt auctus, pulſus poteſt eſſe magnus, & non celer, & creber; ſemper enim magnitudo in calore eſt prior.

Secundum ſignum cordis frigidi, & ſicci eſt reſpiratio moderata, ſi thorax erit proportionatus frigiditati cordis, id eſt ſi thorax non ſit magnus redditus ob magnitudinem capitis, & ſpinæ; quia in hoc caſu reſpiratio fit rara, & tarda, & non moderata; per moderatam reſpirationem non intelligit mediocrem inter magnam & paruam; quia hæc moderatio indicaret cor temperatiſſimum, & non frigidum & ſiccum; immo capite de corde frigido Galen. ſuperius dicebat, pulſus frigidi cordis eſſe minores, quam modo naturæ conueniant, & reſpirationem eſſe pulſibus proportionalem: quare & hic per moderatam reſpirationem intelligit reſpondentem, proportionalem, & conſimilem pulſibus.

Tertium ſignum, *ad iram præ omnibus minimè ſunt prompti: tamen dū iraſcuntur, iram retinent*. ratio eſt, quia ira eſt feruor ſanguinis circa cor; vt affirmat quoque Gal. 2. de tuenda valetudine; vt igitur excitetur feruor in corde frigido, admodum difficile; dum tamen ad iram impelluntur, illam ob ſiccitatem diu retinent; ſiccitas enim eſt paſſionum prę omnibus tenax.

3 Dubitatio; ſenes ſunt frigido & ſicco corde tamen ſemper iraſcuntur; ergo ſignum hoc non eſt verum.

Reſpondetur, ſenes eſſe moroſos non iracundos; differt ira à moroſitate; quia ira eſt accenſio ſanguinis; moroſitas non eſt accenſio; ſenes ſunt moroſi, quia ſentiūt approximari morti; ſenes vocat ſenilem ætatem quærulam.

4 Dub. Gal. ait, frigidos & ſiccos præ omnibus minimè ad irā eſſe promptos: videtur falſum, quod præ omnibus; quia etiam frigidi & humidi habent eandem impotentiam, & ineptitudinem ad iram, quod probatur, quia Gal. ſuperius dicere videtur, quod ad iram proni ſint calidi & ſicci, & calidi & humidi, ergo dicendum eſt, æquè ineptos eſſe ad iram frigidos & ſiccos, ac ſunt frigidi, & humidi.

Solutio facilis eſt; quia licet calidi & ſicci, & calidi & humidi ſint in iram procliues, non ſequitur, eſſe æquè procliues: hæc enim promptitudo in iram eſt qualitas, quæ ſuſcipit magis & minus; quare dicimus, maiorem promptitudinem in iram habere calidos, & ſiccos, quam calidos & humidos; humiditas enim eſt frenum caloris & feruoris ſanguinis, in quo reſidet ira. Hæc dubitatio ab Argenterio relinquitur inſoluta, eo fine, vt Galenum mordeat: & miſer his fabellis, & nugis volutatus omittit grauiora, & interim non penetrat Galeni arcana.

4 Dubitatio, videtur mutilus in hoc tractatu Galenus, quia ſolum agit de temperaturis cordis, & aliorum viſcerum; de conformatione verò cordis, hepatis, & cerebri ne verbum quidem facit; nihilominus Gal. in ijs quæ de placitis, & alibi ſemper conſiderat conformationes: loco enim

enim citato ait, cor paruum efficere homines animoſos, & audaces: ſimiliter Ariſt. 3. de partibus animal. cap. 4. ait, cor magnum ineſſe pauidis: audentiora uerò & fidentiora minus & mediocre habere ibidem quoq; dicit, cor magnum corporis proportione eſſe lepori, muri, Aſino, & reliquis omnibus animalibus, quę ſunt timida; ecce quod actiones & paſſiones uariæ inſequuntur magnitudinē cordis, quare nihil dicēs de cordis magnitudine reddidit opus imperfectum. Hæc inſtantia proponitur ab Argenterio, eam tamē, ut carpat Galenus relinquit inſolutam.

Solutio tamen facilis eſt iis, qui Galeni doctrinam, & ueram philoſophiam poſſident; quia Gal. 2. methodi 6. & multis in locis docet, omnes actiones à ſimilaribus partibus pendere, & non à diſſimilaribus; in ſimilaribus uerò ſunt temperaturæ, & non magnitudines, uel conformationes; & de hac re altioribus principijs in quæſtione propria egimus; particulæ enim inſtrumentorum, remota temperatura propriæ carnis, non præbent actiones, ſed tantum uſus; ideò Galenus in hoc tractatu ſolum de temperaturis, à quibus primò actiones inſtrumenti dependent, & non de conformationibus agit; Dum uerò dictum eſt, cor paruum efficere homines animoſos, dicimus, animoſitatem primò & per ſe prouenire à temperatura calida & ſicca cordis, & non ab eius conformatione; quibus non animaduerſis ab Argenterio non eſt mirum, ſi arcana medicinæ non intelligat. Præterea animoſitas à corde paruo procedit; quia ſpiritus in paruo ſunt magis uniti, & illorum ſpirituum auctor eſt temperatura, & non conformatio.

Quartum ſignum frigidi & ſicci cordis eſt *pectus maximè omnium nudum pilis*: Ratio eſt, quia pili fiunt à fuligine, fuligo uero eleuatur à calore; quare ubi calor deficit, neque fiunt fuligines, neque pili. Præterea fuligines fiunt à uaporibus, ubi uerò eſt ſiccitas, uapores non fiunt, ideò non fiunt pili. Pluſquamcommentator uerò ait, non fieri pilos in his ob defectum caloris, & materiæ: quia ubi eſt ſiccitas non eleuantur uapores; ſicuti ubi eſt humiditas.

5 Dubitat. non ſpernenda proponitur; quia Gal. hic dicit, in frigidis & ſiccis pectus maximè omnium eſſe pilis nudum; ſecundo uerò de temperamentis cap. 5. uidetur ſibi contradicere, ibi enim habet hæc uerba, *ad ſummum glabra eſt frigida, & humida temperies: minus ac quæ frigida eſt, ſed in altera contrarietate temperata adhuc minus, quam frigida & ſicca*: ergo falſum eſt, quod hic dicit, cor ſcilicet frigidum & ſiccum efficere pectus maximè omnium nudum pilis.

Soluitur dicendo, Galenum hic agere de temperatura frigida & ſicca cordis; in ſecundo uerò de temperam. c. 5. de temperatura totius. Præterea reſpondemus, Gal. intelligere frigidos & ſiccos eſſe maximè omnium pilis nudos facta comparatione inter illos, qui habent pilos, ideſt inter illos qui pauciores habent, quam alij, ſicq; nulla eſſet in Gal. contradictio, quia poſſet adhuc defendi, frigidos, ſcilicet & humidos eſſe ad ſummum glabros, ut docet ſecundo de temperamentis, & frigidos & ſiccos inter illos, qui habent pilos, maximè omnium eſſe nudos.

Tria demum Gal. pro intelligentia propoſitorum ſignorum in hoc cap. animaduertit; primum ne thorax ſit magnus ob capitis magnitudinem; ſecundum ne obſtet iecur; quomodo uerò obſtare poſſit, ſuperius ueram, & nouam expoſitionem præter communem attulimus; Tertium quod illi animi mores indicent temperaturas, qui ſunt inſiti a natura, & non acquiſiti ob philoſophiam, uel conſuetudinē; multi enim ſunt audaces, qui ob philoſophiam, uel religionē mites facti ſunt; multique ſunt temerarij, iracundi, & implacabiles, qui ſi ſemel pęnas facinorum luant, inde fiunt placabiles & prudentes. Nos cognouimus quēdam iuuenem implacabilem, temerarium, & omninò irrationalē, qui poſt inflictum uulnus in eius capite cū deperditione ſubſtantię cerebri miraculo uixit ſuperſtes; inde factus eſt adeò placabilis, adeò prudēs & cautus, ut in ſuarū rerū regimine in agēdo, in prudēter loquēdo, paucos habeat pares: quaſi quod ante inflictū uulnus cerebrū copia peccaret, quaſi dempta parte aliqua cerebri redundante propterea factus ſit ſapiens, prudens, & in omnibus actionibus ſuis moderatiſſimus: quaſi quod

debita cerebri quantitas requiratur vt aliquis ſit ſola calida, & rationalis, quaſi quod cerebrum duobus modis incendi poſſit vel nimis, vel diminuta quantitate. Similiter multi temerarij, & iracundi, qui ſi ducant vxorem, & filios habeant, inter quos eſt quidam meus amicus, placantur, & prudentes fiunt. Pluſquamcommentator per philoſophiam interpretatur ſcientias ſpeculatiuas, ſed leges & omnes modos, quos homines adipiſcuntur: ſed vt vno verbo complectar quid ſit intelligendum per philoſophiam, dicimus vel intelligi optimam conſuetudinem, quæ longo vſu, & periclitatione intromittitur in animos hominum malorum bonos mores.

6 Dubitatio, dicit Gal. in tex. ex philoſophia hominibus aduenire mores vitioſos: quod eſt contra Ariſtotelem dicentem in lib. de mundo, & alibi, philoſophiam eſſe rem diuinam: ergo ex ipſa vitioſi humores oriri non poſſunt.

Reſpond. vitioſos mores non ex philoſophia, ſed ab vſu philoſophiæ hominibus aduenire poſſe, vt in pluribus noſtri temporis philoſophis obſeruatur.

7 Dubitatio: Galen. ait in tex. ſe intelligere de moribus natura inſitis, ideſt de moribus inſequentibus corporis temperaturam: idem teſtatur lib. quòd animi mores inſequantur temperaturam corporis: nihilominus lib. de placitis Hipp. & Platonis, ait, illos eſſe animoſos, & audaces, qui habent cor paruum: ſimiliter Ariſt. 3. de par. animal. c. 4. dicit, animoſos habere cor exiguum.

Reſponſio tradita eſt ſuperiùs: Dicimus tamen, mores animi per ſe, & immediatè inſequi temperaturam: Gal. enim 2. meth. c. 6. & alibi docet, à temperatura partium actiones oriri; mediatè tamen inſequi partes organicas: in corde enim exiguo ſpiritus ſunt valde vniti, potentiùs calefaciunt, temperaturam conſeruant, & animoſitatem inducunt.

QVÆST. LXIII.

An reſpiratio ſit motus voluntarius, ideſt animalis, vel naturalis.

AVerroes, Pluſquamcommentator, & alij cenſent, reſpirationem eſſe motum omninò naturalem: Rationes, quibus mouentur, quæ præcipuè ſunt: altera eſt, quia in dormientibus, in quibus omnis actio voluntaria ceſſat, perpetua eſt reſpiratio, & inſpiratio; altera ratio eſt, quia illa cauſa, quæ eſt cauſa pulſus, eſt quoque cauſa reſpirationis, & cauſa efficiens pulſus eſt neceſſitas euentandi calorem, & euacuandi fuligines, quæ ex omnium conſenſu non eſt voluntaria: ergo cauſa, quæ efficit reſpirationem, & inſpirationem, erit naturalis.

Præterea Pluſquamcommentator volens oſtendere reſpirationem non eſſe voluntariam, & pertinere ad cor, non ad cerebrum, committit quatuor errata. Primum eſt, dum dicit reſpirationem fieri propter ebullitionem factam in vena arterioſa, quæ eſt in pulmone.

Secundum erratū eſt, dum confirmat primum errorem alio errore fortaſſe maiori, dum dicit: ſicuti in corde, & arterijs fit ebullitio, & motus ſyſtoles, & diaſtoles, ſic in pulmone fieri ebullitionem, à qua ſyſtole, & diaſtole pulmonis fit: vel à qua inſpiratio, & reſpiratio fit.

Tertium erratum eſt, dum reddit rationem, cur inſpiratio, & reſpiratio non ſit ita frequens, vt pulſus, dicendo ebullitionem pulmonis non fieri à ſanguine ita calido, vt eſt ille, qui eſt in corde, & arterijs.

Quartum erratum eſt, dum dicit, quòd voluntas non ſit cauſa principalis reſpirationis; ſed ſit cauſa adiuuans motum diaphragmatis, & pectoris, quibus alligatus eſt pulmo.

Primò reijcitur, quia ſi ebullitio moueret pulmonem virtute ſanguinis exiſtentis in vena arteriali, ſequeretur, quòd vena arterialis pulſaret: Sed ſic eſt, quòd ex omnium conſenſu non pulſat, & id in anatomia viuorum brutorum non ſemel vidimus non pulſare, ergo neque pulmo pulſabit: magis enim poteſt aſtopſia, quam quælibet potiſſima ratio.

Secundò, ſi ſanguis quò calidior, & frequentiorem pulſationem efficeret, vt ipſe tenet; ſequeretur, quòd pulmo citius pulſaret, quàm aliqua pedis arteriola, in qua ob cordis diſtantiam ſanguis non eſt ita calidus.

Errat quoq; Auerroes, dum dicit, motum

tum pulmonis fieri à carne propria pulmonis & non ab ebullitione: primo patet quod caro pulmonis caret motu quia ex Galeno locis citatis & experiētia ipſa patet, quod vulneraro thorace ſtatim ceſſet motus pulmonis, quamuis nulla ſit læſio in pulmone: quia per vulnus ingreditur aer per illam partem ne detur vacuum.

Secundo parer quia quando pulmo patitur phthiſim vel alium morbum, thorax æquè bene reſpirat, ac ſi pulmo nullam haberet lęſionem: quare pulmò mouetur vacui per motum thoracis & non à propria carne.

Secunda opinio eſt quorundam qui putant, reſpirationem eſſe omninò voluntariam. Fundamentum iſtorum eſt quia, dum volumus, reſpirarionem facimus rariorem, tardiorem, & frequentiorem. Gal. verò 2. de motu muſculorum cap. 1. & 6. proponit hiſtoriam cuiuſdam ſerui, qui obſtinatè cohibens inſpirationem voluit è viuis decedere: immo & Plutarchus refert, plurimos eodem modo voluntariè ab hac vita demigraſſe.

Verior opinio eſt, quod reſpiratio ſit motus, vel actio mixta ex animali & naturali. Hæc opinio uidetur eſſe ueritati, & Galeni principijs magis cōſentanea: Gal. enim 6. de locis affectis cap. 4. ait, errare qui putāt, fæcum, uel urinæ deiectionem eſſe totam uoluntariam, cum ſit mixta ex naturali, & uoluntario motu, ut reſpiratio; uerum ne quis diceret, deiectionem fæcum, uel urinæ differre genere à reſpiratione Galen. ſecundo de motu muſcul. c. 6. dicit, eandem eſſe rationem reſpirationis, & deiectionis urinę: reſpiratio igitur eſt actio naturalis ratione finis, ideſt uſus, ideſt neceſſitatis euentandi, & expirandi fuligines: Hac ratione Gal. 3. aphoriſ. 23. dixit, reſpirationem eſſe naturalē, & neminem poſſe eam cohibere: ſimiliter lib. 2. de anat. ad. & lib. de ijs, quæ fiunt in medicatrina dixit, reſpirationem eſſe actionem naturalem; eſt quoq; animalis, & voluntaria, quia thorax mouetur à muſculis, & muſculi à neruis, & nerui à facultate animali, ac voluntaria.

Ad Auerrois, ac Pluſquamcommentatoris primam rationem Scaliger dixit duplicem eſſe motū voluntarium; alterum, qui ſit κατὰ προαίρεσιν, ideſt ſecundum præelectionem, & diſcurſum, qui in vigilia fit: alterum κατ' ὁρμὴν, ideſt ſecundum inſtinctum, qui in dormientibus fit: poſità hac diſtinctione, dicit, quòd motus voluntarius thoracis, & motus progreſſiuus dormientium fit κατ' ὁρμὴν, ideſt ſecundum inſtinctum, & non electionem.

Hæc Scaligeri diſtinctio licèt multis probetur, non mihi ſatisfacit: quia non datur motus voluntarius ſine pręelectione: quare & dormientes, dum ſe mouent pręeligunt, ſed prępelectio eſt adeò velox, vt rarò animaduertatur. Præterea quæ fiunt ab inſtinctu naturæ, vel fiunt cum præelectione, vel ſine: ſi cum præelectione, pertinent ad voluntatem, ſi ſine præelectione nullo modo poſſunt pertinere ad voluntatem. Sed non tollit dubium: quia ad hoc quęritur, an motus thoracis κατ' ὁρμὴν fiat à cerebro, vel à corde: quare non ſatis eſt inuenire verba illuſtria, ſed par eſt inuenire verba ſignificātia rerum naturas, & auferentia difficultates.

Reſpondemus igitur nos ad rationem Auerr. cum Galen. lib. de ſympt. cauſ. c. 8. quòd neq; in ſomno profundo omninò ceſſat motus voluntarius: ideo dicimus, motum thoracis eſſe voluntarium. Preterea in ſomno ſunt qui per ſtadium ambulant, in quibus dicimus, motū progreſſiuum eſſe voluntarium, & non naturalem; fieriq; cum præelectione; ſed adeò veloci, vt non animaduertatur.

Ad ſecundam rationem dicimus inter pulſum, & reſpirationem ratione cauſæ efficientis maximam eſſe differentiam, quamuis ratione vſus, ideſt finis, ideſt neceſſitatis euentandi nulla ſit differentia: ratione efficientis maxima eſt differentia; quia arteriæ mouentur à virtute vitali; thorax verò à muſculis, muſculi à neruis, & nerui à facultate animali: conueniunt tamen ratione finis, qui eſt gratia euentandi calorem, & expurgandi fuligines, & nutriendi ſpiritum vitalem: dum igitur dicunt Auerroiſtæ, quòd eadem cauſa, quæ mouet arterias, moueat thoracem, rectè dicunt, ſi intelligant de cauſa finali, & non de cauſa efficiente.

Dicimus igitur nos ratione cauſę efficientis reſpirationem eſſe actionem voluntariam, reſpectu verò finis eſſe vitalem, ſeu naturalem: dicimus naturalem, pro-

prout diſtinguitur ab animali. Hinc ſtrangulati non reſpirant, quia facultas animalis, cùm ſit intercepta, ad thoracem non poteſt tranſmitti: Hinc hyſtericæ mulieres non reſpirant, quia non indigent reſpiratione; non enim habent neceſſitatem euentandi calorem, cum ab vtero cor redditum ſit frigidum.

CAPITIS XXXVII.

De ſignis Hepatis calidioris.

Tex. 44. *Hepatis calidioris indicia, venarum latitudo, ruffa bilis abundantior; in conſiſtenti verò ætate etiam atra: Calidior ipſis ſanguis: Atq; eadem ratione corpus vniuerſum, niſi obſtiterit cor. His venter, & hypocondria hirſuta.*

POſtquam Galenus egit de temperaturis cordis recedentibus à temperatiſſimo: Nunc agit de temperaturis hepatis.

Incipit tamen à ſimplicibus, ſcilicet à temperatura calida, ſicuti fecit agens de corde; & meritò, quia cognitis his ſimplicibus, facilè compoſitæ temperaturæ innoteſcent. Non egit verò de temperatiſſimo corde, nec cerebro; nec aget de temperatiſſimo hepate; quia cognita temperatura calida, & frigida, quæ ſunt oppoſita, medium, quod eſt regula iſtorum ex ſe elucet.

Diuiditur hoc cap. in tot particul. quot ſunt ſigna; ſigna ſunt quinque, particulæ quoq; erunt quinque.

Primum ſignum hepatis calidi eſt *venarum latitudo*.

1 Dubitatio, non videtur, quòd latitudo venarum indicet caliditatem hepatis; quia venæ à ſemine, & iecur à ſanguine menſtruo factum eſt; iecur enim poſt genitas venas ex Galeno lib. de formatione fœtus, atque 2. de temperamentis adnaſcitur ipſis venis, tanquam parenchyma, ideſt tanquam ſanguis concretus, qui eſt veluti ſtebe, ac ſirmamentum venarum; quare venæ, cum non oriantur ab hepate, non indicabunt hepatis temperaturam.

Argenterius ait, non poſſe reſponderi huic dubitationi; fallitur primo, quia etiã ſuppoſito, uenas non oriri ab hepate, ut nos quoque credimus, negamus tamen, quod uenæ ob maximum conſenſum nõ indicent ſtatum & conditionem iecoris: non ne uenę ſunt refertæ ſanguine genito in hepate? non ne ſi ſanguis eſt calidus habebit uim dilatandi uenas? calidi enim eſt dilatare; quare uenarum latitudo indicare poterit caliditatem hepatis.

Quo ad originem uenarum dicimus cum Hipp. lib. de alimento: ſi cum Gal. lib. 1. de plac. c. 3. iecur eſſe principium radicationis venarum, & cor arteriarum, ac non proprium generationis; aut dicimus venas oriri à iecore quòad operationem, ac ſanguinis diſtributionem, non quòad ſubſtantiam. Arbitramur erraſſe Veſalium dicentem ex Hipp. lib. de carnib. & de locis in homine venas oriri à corde; quia ibi Hippocr. per venas intelligit arterias; Antiqui enim arterias vocabant venas.

Secundo fallitur Argenter. quia ſupponit, quodlibet ſignum ex propoſitis eſſe proprium, quod conueniat ſoli, ac conuerſim: quod ſuppoſitum fuit in cauſa, quod Argenterius, ac nonnulli alij interpretes intelligentiam huius partis de ſignis temperaturam non ſint conſecuti; Galenus enim pro cognitione temperaturarum vtitur multorum ſignorum ſyndrome; quia per vnum ſignum nulla dignoſcitur temperatura; Galen. ſanè fuiſſet vecors, ne dicam nebulo, ſi potuiſſet vnico ſigno nos docere temperaturam iecoris, ac quinque propoſuiſſet.

Nos reſpondemus, latitudinem venarum iunctam cum abundantia bilis flauę cum hirſutis hypocondrijs, ac totius habitus caliditate exoriente à ſanguine, et non à corde indicare iecur calidum; quo pacto verò latitudo venarum indicare poſſit hepar calidum, paulò infra declarabimus.

2 Dubitatio; non videtur, quod latitudo venarum indicet temperaturam iecoris, immo neq; vllam aliam temperaturam; quia latitudo eſt magnitudo, ac magnitudo ex Galeno 2. de temperamentis cap. 8. inſequitur formatricem, cuius munus eſt condere partes diſſimilares, ac non ſimilares; in quibus fundatæ ſunt temperaturæ.

Sol-

Soluimus hanc inſtantiam dupliciter, quamuis ab Argentetio vt inſoluta relicta ſit: primum dicimus, magnitudinem inſequi immediatè virtutem formatricē, mediatè verò alteratricem: nulla enim magnitudo conueniet organicis partibus quæ non oriatur à ſimilaribus: quantum enim non fit ex non quanto: patet igitur inter latitudinem venarum, & alteratricem, ſiue partes ſimilares eſſe conſenſum mediatum, ex quo vtriuſque ſtatus comprehenditur. Secundò dicimus, ſigna, quę conficiunt ſyndromen, cum multa ſint ex neceſſitate eſſe mediata: quia immediatum eſt, quo non eſt aliud prius, prædicaturq; in ſecundo modo dicendi per ſe, & eſt conuertibile, & vnum ſufficit, quod ſi haberetur ſyndrome eſſet vana: Hæc igitur ſunt principia, quibus non ſemel oſtendimus, cur Galenus non per propria, ſed per communium ſignorum ſyndromen in hoc tractatu progrediatur.

Præterea ipſemet Galenus putat ſecūdo de temperamentis capite quarto, aliquando calidam temperaturam vſu frigidorum mutari in frigidam, eamque in latitudine ſanitatis conſeruari, ecce quod etiam, dum mutatur temperatura calida in frigidam, non ſit dicendum, venas latas fieri anguſtas, quare non valebit hęc, venæ ſunt latæ, ergo temperatura eſt calida; quia illa calida eſt mutata in frigidam, ergo latitudo venarum non erit ſignum proprium calidæ temperaturæ hepatis.

Secūdum ſignum calidi hepatis eſt bilis flaua abūdātior. In codice Græco legitur ἡ ξανθὴ χολὴ idest flaua bilis, & non ruffa, quę differt à flaua; Galenus enim 1. de criſibus c.12. ait, colorem ruffum vergere magis ad album: flauum verò magis ad ſplendidum, deinde dicit, & amaram bilem aliquando ruffam apparere, & aliquando flauam.

Notandum per bilem Gal. intelligere flauam non pallidam quia pallida conuenit iecori frigidiori, & non calidiori tēperato, de quo Gal. agit in hoc loco. Neque per bilem intelligere vitellinam, rubram, porraceam, æruginoſam; quia iſtæ conueniunt ægris, & non ſanis, de quibus agitur in hoc tractatu.

Pro declaratione ſciendum ex Galeno libro de atra bile cap.2. ſeptem biles proponi, quarum prima eſt pallida, ſecunda flaua, tertia vitellina, quarta porracea, quinta æruginoſa, ſexta cærulea, quæ dicitur iſatodis, ſeptima rubra, quæ eſt ſerum ſanguineum, ex qua fiunt eryſipelata.

Notandum, has biles differre inter ſe ſecundum magis, & minus; quoniam ex maiori, & minori hepatis calore variæ biliosorum humorum differentiæ cōſurgunt: Hæc doctrina eſt Gal. 4. præſag. 47. vbi dicit, flauus color fit ſeroſo torrefacto, pallidus fit ex miſtione flauæ bilis cū ſeroſa humiditate: æruginoſus fit ſeroſo valde torrefacto; ecce quod ſecundum maiorem, & minorem ſeri torrefactionem variæ bilium differentiæ oriantur; Hinc, cum dictæ biles differant tantum ſecundum magis, & minus, aliæ quoque à Galeno bilium differentiæ multis in locis numerantur; quæ enim differunt ſecūdum magis, & minus ſunt maximè diuiſibilia: quæ verò differunt ſpecie, cum ſpecies ſint ſicuti numeri, ita diuidi, & multiplicari non poſſunt. Hinc Gal. 10. de ſimplici med. capite de felle diuidit quoque bilem iſatodem in duplicem differētiam, & primo de natura humana proponit biles, quæ nomine carent. Biles verò, quæ differunt inter ſe ſpecie ſunt hæ tres flaua rubra, & cærulea; iſti enim tres colores faciunt itidem, & ſunt omninò independentes; quia nec flauus, nec ruber, nec cæruleus color fiunt ex alijs coloribus; ſicut fiunt virides, & violacei colores: viridis enim fit ex flauo, & cæruleo; violaceus ex rubro, & cæruleo; ideo flauus ruber, & cæruleus ſunt independentes, & inter ſe ſpecie differunt.

Conſtituamus igitur cum Gal. libro de atra bile, primam differentiam bilis, quæ ſit omnium mitiſſima, eſſe bilem pallidā, quæ (vt dicit Galenus quinto in ſextū de morbis vulgaribus tex.13.) conſtat ex humiditate, & flaua bile, & eſt eiuſdē generis cum vrina, & ſudore. Poſt pallidā ſequitur flaua bilis, quam hic Galenus nominat, quæ eſt calidior, & craſſior pallida vt docet Galenus, de qua ſecundo de ratione victus in ac. tex.31. habet hanc ſententiam, flauam fieri ex ſanguine plus iu-

ſto calefacto; & primo de natura humana tex.35.ait, flauam à pallida bile nõ differre ſpecie. A pallida bile vſque ad flauam obſeruantur quinq; gradus colorum bilium: primus eſt ὠχρός.i. pallidus. Secundus eſt ὑπόπυῤῥος.i. ſubruffus. Tertius eſt πυῤῥός.i. ruffus. Quartus eſt ὑποξανθός.i. ſubflauus. Quintus ξανθός.i. flauus, & de his gradibus colorum agit Plato in Timæo. Quot verò ſint biles, & de bilium generatione ſatis ſuperq; egimus quæſt. 82. in commentarijs noſtris in primam ſen Auicennæ.

3 Dubitatio exoritur, Galen. enim lib. de atra bile cap.2. proponit multas bilium differentias, quæ fiunt iecore calido, & non flauam ſolummodo; quia præter flauam proponit pallidam, vitellinam, porraceam, æruginoſam, & rubram; de quibus in hoc loco nullam mentionem facit, ergo.

Solutio videtur facilis: quia ſi loquamur de pallida, hæc non indicat hepar eſſe calidius temperato, de quo agit Galen. in hoc capite; pallida enim bilis eſt mitis, & indicat iecur temperatum: ſi verò loquamur de alijs, vt de vitellina, porracea, & cæt. dicimus, dum iſtę biles exuberant, hepar eſſe extra latitudinem ſanitatis, quod eſt contra Galeni intentionem: agit enim hic de ſanorum temperaturis, quæ recedunt à temperatiſſimo, & non de ægrotantibus.

4 Dubitatio, dum Galenus proponit inter ſigna calidi hepatis abundantiam bilis flauę, videtur, quod proponat ſignum improprium: quia bilis non ſolum indicat hepatis caliditatem, verum etiam ſiccitatem, vt docet Galenus primo ad Glauconem capite 9. quare cùm in hoc capit. ſolùm agat de caliditate hepatis, & non de ſiccitate, flauæ bilis abundantia non erit ſignum proprium caliditatis, ergo malè Galenus.

Solutio eſt difficilis illis; qui putant, quodlibet ſignum propoſitum à Galeno in hoc capite ſeorſum acceptum eſſe proprium, & conuertibile: nobis tamẽ eſt facilis: quia intelligimus Galenum pro cognoſcendis temperaturis compoſuiſſe ſignorum communium ſyndromen artificioſiſſimã, quæ conſtat non ex vnico, ſed ex pluribus: quorum aliqua ſunt antecedentia, aliqua cõſequentia, quæ ſimul vnita ſubrogantur ſigno alicui proprijſſimo, & conuertibili; Hinc ſi de ſignis hepatis calidi loquamur; antecedentia ſunt venarum latitudines, quæ ante iecoris generationem indicant eius futuram caliditatem; ſed hoc ſignum non eſt ſufficiens, atq; æternæ veritatis, vt oſtendimus, ideò requiruntur ſigna conſequentia, inter quæ ſunt abundantia bilis flauę, venter, & hypocondria hirſuta, & totum corpus calidum, quæ omnia mirabilem ſyndromen, eamque æternæ veritatis, & conuertibilem efficiunt.

5 Dubitatio; bilis flaua nõ videtur, quod indicet caliditatem hepatis exiſtentis in latitudine ſanitatis, de quo hic agitur; quia ex Galeno cap.9. dicit, flauam bilem abundantem efficere tertianam, quare erit ſignum corporis inſalubris nunc, ideſt ægrotantis, & non ſani.

Reſpondetur, bilem flauam eſſe mitiſſimam, quando verò Galenus ait efficere tertianam, dicimus, bilem eſſe excalefactam, & hanc non eſſe flauam; patet, quia loco citato dicit Gal. tertianam fieri à bile flaua, ſed commota, & alterata.

Præterea ſecundo de facultatibus naturalibus c.9. habet hæc verba; *bilis flaua in ægrotante fit vitellina, ita vt ægritudo incipiat à vitellina, & non à flaua, vel ruffa.* Demum obſeruatur experientia in ſaniſſimis infantibus, qui quotidie bilem flauiſſimam excernunt.

Itidem homines ſanitate prædití flauas fæces excernunt, & meritò, quia vbi eſt flauities, ibi nulla poteſt eſſe aduſtio. Hinc dum mel eſt optimum, & perfectiſſimum eſt flauum, dum verò aliquantulũ ab igne calefit, ſtatim amittit colorem flauum, & inſeriorem colorem acquirit.

6 Dubitatio dictum eſt ob bilem flauã corpora non ægrotare; ob vitellinam verò ægrotare, quod videtur falſum; quia veſica fellea ſemper referta eſt vitellina bile, quod quoque teſtatur Oddus in ſuis commentarijs; attamen non ægrotant omnes; ergò.

Soluitur dubitatio, quia ex Gal.2. de facultatibus naturalibus, cap.9. habetur, bilem flauam, & non vitellinam colligi in veſicula; habet enim ferè hæc verba; bilis flaua per ſuam veſicã repurgatur; hepar enim

enim per proprios riuulos mittit in veſicam bilem, & à veſicula attrahitur,& inde à veſicula ad duodenum;immo obſeruatum eſt innumeros ramulos cyſtis felleæ cum ramulis venæ portæ in hepate facere anaſtomaſim, quia bilis defertur ad cyſtim,& inde ad duodenum : Hinc meritò Falopius refellitur, dum putat nõ mitti ab hepate ad cyſtim felleam bilem, ſed cyſtim eſſe tamquam diuerticulum, quod tunc ſolum recipiat bilem tranſmiſſam ad ventrem quando nimio cibo refertus eſt.

Tertium ſignum : *in ætate conſiſtentiæ etiam atra bilis dominatur.*

Declarauimus ſuperius;ætatem conſiſtentiæ eſſe à 35. vſque ad 49. ſicut docet Galen.3.apho com.30.vbi dicit,Iuuenum ætatem terminari quinta ſeptimana;Galenus per quintam ſeptimanam intelligit annos 35. ætatem verò conſiſtentiæ à 35. vſque ad 49. produci.

Notandum in hac ętate,ſi iecur eſt calidius temperato dominari præter atram bilem etiam flauam, vt optimè Auerroes 4.colliget cap.4. interpretatur ; quamvis Auicennas lib.3.fen.14.tract. 1.cap 5. loquens de ſignis calidi hepatis non dicat dominari bilem flauam in ætate conſiſtentiæ,ſed ſolum nominat atram ; nihilominus, cum iecur ſit calidum, credendum eſt etiam flauam dominari; quia in tex. Gal.vtitur his verbis,*in conſiſtenti vero ætate etiam* atra dominatur: dum dicit etiam atra,ſupponit præter atram dominari flauam.

7 Dub.non videtur quod atra bilis abũdet in hepate calido ſanorum, de quibus hic loquitur Gal. quia atra bilis eſt toto genere præter naturam, exedit, & ſymptomata ſæuiſſima facit.

Solutio facilis eſt;ſi diſtinxerimus cum Galeno libro de atra bile,& 3.de locis affectis cap.7.atram bilem uidelicet, triplicem eſſe aliam quę eſt fęx ſanguinis fęcibus uini haud abſimilis non adusta , de qua Gal.2. de facultatibus naturalib. c.9. & 3.aph.3.& lib. de tremore, & palp. c.7. loquens dicit,eſſe frigidam,& ſiccá, quæ autumno reſpondet, & quæ in autumno fit. Secunda ſpecies melancholiæ eſt bilis flaua ſupra modum aſſata, quæ eſt furioſa,& exedens: Tertia eſt melãcholia,quæ eſt fæx ſãguinis,ſed aduſta, poſita hac diſtinctione reſpondemus ad dubium, Galenum non intelligere de illa ſpecie melancholiæ,quæ facta eſt ex flaua ſuperaſſata,quia hæc ex Gal.3.de ſymptomatum cauſis c.2. ſi peccat in toto facit elephantiaſim,ſi in parte,cancrum,ita vt hęc nũquam ſit in corpore ſanorum hominum. Neque intelligitur per atram,melancholia, quæ ſua natura eſt frigida, & ſicca, quia hęc adeo eſt temperata vt peccet ſua qualitate, & non copia, hinc dum copia peccat,habitus ille dicitur melancholicus & non bilioſus. Relinquitur ergo vt per atrã intelligamus melancholiam,quæ ſua natura eſt frigida,& ſicca, eſtq; omnibus naturalis,quę tamen in hepate calido aliquantulum aduritur, & præcipuè in cõſiſtenti ætate , quæ vel qualitate calidà, uel copia peccare ſolet. Quo pacto verò melancholicorum ſuccorum differentiæ poſſint dignoſci, nos fusè egimus lib.6. uitandorum errorum cap.8.

Quartum ſignum, ſanguis in ipſis eſt calidior,eademque ratione totum corpus eſt calidius,niſi cor obſtiterit.

Hoc uidetur eſſe vnicum ſignum,quia ea ratione, qua totus ſanguis eſt calidior eadem quoque totum corpus eſt calidius temperato,niſi cor obſtiterit, cor eo modo, quo obſtet, ne totius corporis caliditas proueniat ab hepate , eodem modo obſtat, ne calor ſanguinis ab hepate pendeat, ſed à corde.

Nota omnes Expoſitores , & ipſum Auicennam lib.3. fen.4 tractat.1. cap.5. interpretari niſi obſtet cor, ideſt niſi cor contraoperetur ſua frigiditate. Quæ expoſitio ſanè non eſt ita artificioſa,ut illa, quam propoſuimus,quia cor,ſi iecur fuerit calidum,non refrigerabit totum.Præterea debemus hic deſumere ex temperie calida totius corporis argumentum, quod probet, an iecur calidum ſit, quare ſi totum eſſet frigidum, iecur non poſſet eſſe calidum,& cum iecur ſit calidum,totum non poteſt eſſe frigidum , ergo qui exponunt,niſi cor obſtet,ideſt niſi cõtraoperetur refrigerando totum, deſumunt ſignum ab eo,quod non eſt. Dicant mihi quæſo,quando Galenus dicit, latitudinem thoracis indicare cor calidum , niſi obſtet cerebrum magnum, an putent cerebrum

rebrum contra operari? minimè gentiũ, quia ſtare poteſt cerebrum magnum, & calidũ cor: vera igitur expoſitio eſt quod latitudo thoracis poſſit prouenire, tum à corde calido, tum à cerebro magno: Ideo quãdo dicit, niſi obſtiterit cerebrum, intelligimus, niſi latitudo proueniat à magnitudine cerebri. Similiter quando dicit, totum corpus calidum indicare iecur calidum, niſi cor obſtiterit, exponamus oportet, niſi cor ſua caliditate, & nõ ſua frigiditate, (vt omnes alij exponunt) fuerit cauſa; cur totum ſit calidius: immo ſæpè accidit, vt iecur ſit temperatum, & totum corpus calidius, qui caliditatis exceſſus non à iecore, ſed à corde dependeat.

Notandum ſanguinem reddi poſſe calidiorem, quamuis cor ſit temperatum; quia ex ſentẽtia Galeni hęmatoſis eſt in Hepate: ex ſententia vero Ariſtotelis, Auerrois, Pluſquamcommentatoris, & Veſalij eſt in corde: Hi enim cenſent dari quattuor concoctiones, primam in ventriculo, ſecundam in hepate, tertiam in corde, vbi dicunt ſanguinem recipere formam & vltimam perfectionem, quartam verò in cæteris corporis partibus gratia nutritionis: ſed quia hanc opinionem ſuperius reiecimus, non eſt vt de hac amplius loquamur.

8 Dubitat. ait Gal. iecur calidum reddere totum corpus calidum, niſi cor obſtiterit; videtur mancus: quia debebat dicere non ſolum niſi cor, ſed etiam niſi teſticuli obſtiterint, tum quia ex Gal. lib. de ſemine teſtes ſunt fontes caloris, qui communicatur toti corpori, tum, quia abiectis teſticulis, virtus corporis hebeſcit, & totum corpus frigeſcit.

Reſpondetur, Gal. loqui de calore, qui influit immediatè à corde per arterias, & ab hepate per venas: a teſtib. verò nihil influit, niſi mediatè ideſt per venas, & arterias ad cor & iecur, & deinde ab his viſceribus & ad totum, ita vt tandem immediatè cor teſtium communicatus toti ſit à ſolo corde, & hepate: ideo Gal. dixit, niſi obſtet cor, vel iecur, quia ab his duobus viſceribus immediatè pendet calor vniuerſi corporis.

Reſpondent nonnulli, calorem communicatum à teſtibus ad totum non influere σωματικῶς, ideſt corporaliter & per canalia; quibus influit calor cordis, & Hepatis, ſed ἐνεργητικῶς, ideſt virtute quadam, quæ non eget canalibus, & conceptaculis.

Hęc reſponſio non facit ad rem, & eſt falſa; quia virtus teſtiũ etiam σωματικῶς, ſiue corporaliter influit per venas, & arterias: non ne ſeminis materia ſi abijciãtur teſtes retrocedit per vaſa præparantia à pudẽdis ad arteriam aortam, & venam cauam? & inde ad cor & ad iecur? vbi aliquando per ſuffocationem minuitur calor vtriuſq; viſceris: ſimiliter dum excitatur coitus, calefiunt vaſa præparãtia, & inde per venas & arterias calefit cor, & iecur, & poſtremò à iecore communicatur vniuerſo corpori calor à teſtibus deductus: ecce quomodo calor teſtium per cor & iecur communicatur, toti, & cur non ſit dicendum, niſi obſtiterint teſticuli.

Quintum ſignum: *venter & hypocondria hirſuta.* Ratio eſt, quia in ventre inferiori dominatur iecur, quod ratione caliditatis eleuat multas fuligines, quę ſunt materiæ pilorum. Quanto igitur plures pili, tanto iecur erit calidius; Venter enim diuitur in tres regiones, in epigaſtricam, vmbilicalem, & ypogaſtricam, pili quanto plures fuerint circa ypogaſtricam partem, tanto iecur extiterit calidius.

9 Dub. multa corpora inueniuntur pilis referta ſecundum totum ventrem, & ſecundum omnes partes infernas, in quibus nullus obſeruatur in hepate caloris exceſſus, ergo pili non indicabunt caliditatem.

Soluitur dubium, hoc ſolo ſuppoſito principio à nobis non ſemel declarato, Galenum ſcilicet in declaratione temperaturarum nõ propoſuiſſe ſigna propria, quę conueniant vni ſoli; quia non multa ſed vnicum ſolũ in quolibet capite propoſuiſſet; etenim vnius rei vnicum ſolũ datur ſignum proprium, & non plura; Qui verò non intelligit hoc principium, iterum analyticam artem addiſcat: quia de hac re non amplius dubitabit. Hinc Gal. non ſolum vſus fuit ſignorum ſyndrome pro notitia harum temperaturarum, ſed etiam, dũ agit de internis morbis;

bis: nonne dum perquirit, an aliquis vera afficiatur pleuritide 1. ſect. aph.12. vtitur ſyndrome quatuor ſignorum? quorum primum eſt dolor lateris pũgitiuus, ſecundum tuſſis, tertium difficultas reſpirandi, quartum febris: Si vnum eſſet proprium conuertibile, nonne hæc quatuor ſignorum ſyndrome eſſet vaniſſima; Demũ nonne omnes practicantes, dum de morbis agunt proponunt ſyndromen ſignorum; Hac ratione dicimus, quod niſi concurrent plura ex propoſitis ſignis, incerti eſſemus de hepatis caliditate. Hinc dicimus, tunc iecur eſſe calidum, quando aderit latitudo venarum, bilis flaua abundantior, & venter, & hypocondria ſaltem ſint hirſuta.

10 Dub. videtur, quod Gal. omiſerit plura alia ſigna indicantia caliditatem hepatis; ſicuti colligitur ex Auicenna lib. 3. fen. 14. tract. cap. 3. vbi dicit longitudinem digitorum magnitudinem hepatis, & eius calorem indicare: ſimiliter Raſis 2. ad Almanſorem cap. 11. docet, appetitum cibi & potus indicare hepatis caliditatem: proponitque alia plura ſigna.

Solutio deſumitur ab Auerroę 4. colliget cap. 4. qui irridet Auicennam, quod neſciat, vel fingat ſe neſcire vbi fundetur virtus formatrix, cuius munus eſt cõponere magnas vel paruas partes, & non efficere temperaturas calidas, vel frigidas; quia hoc ſpectat ad alteratricem. Quo ad Raſim dicimus, appetitum cibi & potus eſſe actionem pendentem per ſe ab ore ventriculi, & non ab hepate; ideò & Auicennas, & Raſis decepti ſunt.

Hinc miror Argenterium, qui in hoc cõ. reprehendit Galenum; quia non deſumpſerit ſigna indicantia caliditatem hepatis à cibo & potu, à concupiſcentia, à caliditate volæ manus, & à iuuantibus, & lædentibus.

Decipitur, vt deceptus eſt Raſis, eumque irridere debemus, vt Auerroes irriſit Auicennam, quia cõcupiſcentia à praua conſuetudine, & prauo diſcurſu, & ab excuſſu humidæ qualitatis, optima exiſtente in cæteris qualitatibus temperatura oriri ſolet. Similiter volæ manus caliditas eſt ſignum vaniſſimũ; quia ſi iecur ſit calidum, oportet, vt non ſolum vola manus, ſed totum corpus ſit calidum: Galenus enim deſumpſit à caliditate totius ſignum calidi hepatis: Amplius iuuantia & lædentia propoſita ab Argenterio non ſunt ſigna deſumpta à natura rei: alibi .n. oſtendimus, iuuantia & lædentia eam proportionem habere ad cognoſcendas temperaturas, quam habet lydius lapis ad cognoſcendum obryzum: Aurifices, dum de certiſſima cognitione auri tractant, igne vtuntur, & non lydio calculo; ſic Gal. ſolum ſigna deſumpta à natura rei proponit, & amittit aliena parũ conferentia. Demum ſi quinque ab illo tradita ſufficient, cætera erunt vana; fruſtra enim fit per plura quod per pauciora & æquè bene fit; ſed quod hoſcitantiã Argenterij patefacit eſt caput 64. vbi Galenus clariſſimè admonet exemplo ventriculi locum à iuuantibus & lædentibus pro dignoſcendis temperaturis eſſe omnibus communem; neque voluit in quolibet cap. breuitatis gratia illũ repetere; ecce quam inconſideratè Galenum reiecerit, & quot verba, & rationes vanas ille miſer ventis profuderit; nemo videbit illud caput, qui non deſpiciat eius temeritatem, & crimine apertæ falſitatis Argenterij opinionem non damnet.

11 Dubitat. Gal. cap. 8. propoſuit methodum perquirendi, conſtitutiones, quæ deſumebatur à ſubſtantialiter inhærentibus, ab operationibus neceſſariò conſequentibus, & ab ipſis caſibus; ſubſtantialiter inhærentia ſunt, quę tactu, & proprijs oculis, perſpiciuntur: cæterum cum hepar nec tangi, nec videri poſſit, methodus propoſita erit vana, quia hepati eſt inapplicabilis. Præterea neq; in perquirenda hepatis caliditate procedit per operationes conſequentes; quia in quinq; ſignis in hoc cap. propoſitis non eſt collocata operatio aliqua hepatis immediatè inſequens eius caliditatem, quod non poteſt dici de tractatu, quem fecit de corde, & cerebro; quia cordis operationes neceſſariò conſequentes ſunt pulſus: cerebri verò operationes neceſſariò conſequentes ſunt operationes habentes principatum, vt memoria, imaginatio, & diſcurſus, & deinde operationes ſenſitiuæ, & motiuæ.

Solutio eſt, quod licet ſubſtantialiter inhærentia, quæ hepati conueniunt in-

mediatè non percipiantur, tamen mediatè, ideſt per quinque ſigna indicātia eius caliditatem, quæ ſunt à Galeno propoſita nō ſolum penetrantur ſubſtantialiter inhærentia, ſed etiam operationes neceſſario conſequentes: Hinc Gal. miram artem compoſuit, qua penetrare quiſque poteſt propriam viſcerum conſtitutionem: primò proponit ſubſtantialiter inhærentia, quæ ſi objiciantur ſenſibus, nos non indigemus proprijs operationibus; ſi verò ſubſtantialiter inherentia oculorū obtutum effugiunt, docet tunc eſſe procedendum per operationes neceſſariò cōſequentes; ſi demum operationes propriæ nos quoque latent, docet eſſe per caſus, & ſymptomata incedendum; ſicuti Gal. in perquirenda hepatis temperatura exequitur; flaua enim bilis abundantior, & ſanguis calidior pertinent ad caſus, ideſt ad accidentia inſequentia propriam hepatis calidi operationem, quæ eſt prompta ſanguificatio.

CAPITIS XXXVIII.

De ſignis hepatis frigidioris.

Tex. 45. *Frigidioris verò, anguſtia venarum. Pituita abundantior, Sanguis frigidior, & totius corporis habitus, niſi à corde calefiat, Venter illis glaber eſt, atque hypocondria.*

SI vera eſt Ariſt. ſententia 1. topicorum cap. 8. quod oppoſitorum eadem ſit diſciplina; merito Gal. eſt breuiſſimus dum de ſignis iecoris frigidi agit; ſatis enim eleganter, & doctè nobis ſuperius declarauit ſyndromen ſignorum indicantium caliditatem hepatis. Nunc his paucis tradit quinque ſigna iecoris frigidi.

Primum eſt *anguſtia venarum*.

Secundum eſt *pituita abundantior*.

Ratio horum ſignorum argumento à contrarijs confirmatur; ſi enim in calido iecore flaua bilis eſt abundantior; in frigido pituita erit abundantior.

1 Dubitatio: non videtur, pituitam eſſe ſignum iecoris frigidi; quia fit à ventriculo, ideo indicabit conditionem ventriculi, & non iecoris.

Reſpondetur ab Argenterio, duplicem eſſe pituitam, aliam ventriculi, & aliam iecoris: dicitque Galenum in hoc loco loqui de pituita iecoris, quæ eſt illa, quæ componit maſſam ſanguineam. Quæ reſponſio nōn eſt improbanda; improbamus tamen Argenterium, dum probat contra Galenum, propoſita ſigna nō eſſe propria: cauſa erroris illius fuit, quia putabat quod ſigna proponenda hic deberent eſſe propria, & conuertibilia; quod erratum eſt inexcuſabile, & radix plurimorum errorum: Rudiores enim Tyrones ſciunt vnius rei vnam eſſe proprietatem, & non plures, atq; dum plures proponuntur, illas non eſſe proprias; itaque qui in hoc lib. non ſupponit Galenum proceſſiſſe per ſyndromen ſignorum communium, poſt eius lectionem longè indoctior erit, quam antea.

Similiter Auicennas lib. 3. fen. 14. tract. 1. cap. 6. agens de ſignis hepatis frigidi proponit pituitam abundantiorem, & dicit ſe intelligere per hanc pituitam ſanguinem aquoſum, ibi enim habet hæc verba, *ſanguis in iſtis eſt ſubtilis, et aquoſus, & virtus eius eſt debilis, & multoties in ipſo accidunt febres*.

Præterea à Gal. 3. de locis affectis cap. 7. & lib. de plenitudine numerātur quattuor ſpecies pituitæ, dulcis, ſalſa, acida, & vitrea; dulcis tamen duplex eſt, alia manifeſtæ dulcedinis, alia inſipida, & aquoſa; credimus Galenum per pituitam intelligere aquoſam, quæ eſt ſemiſanguis, vel ſanguis ob frigiditatem hepatis malè coctus; omnia enim malè cocta ſunt aquoſa, & tenuia; Ariſt. enim 4. meteororum capite de coctione, & Gal. 4. de ratione vic. 4. docent, coctionem fieri incraſſando; ideo omnem ſanguinem, antequam perfectè coctus ſit, tenuem, & aquoſum eſſe; hoc genus pituitæ ex Gal. lib. de atra bile, ſi redundet in venis, eius redundantia ex vrina aquoſa dignoſcitur, ſi in ventriculo, ex præcedenti vſu ciborum pituitoſorum.

Notandum tamen eſt, vrinam interdum reddi aquoſam licet hepar ſit calidiſſimum, ex nimio coitu, vel ex nimia vigilia, vel ex nimio potu.

Notanda eſt differentia inter pituitam aquoſam, & crudum ſuccum; quia pituita

poteſt

poteſt vel aliquando potuit conuerti in ſanguinem: ideo dicitur pituita quaſi vitam peres: crudus ſuccus,nec poteſt,neq; vnquam potuit conuerti in ſanguinem.

Tertium ſignum eſt *ſanguis frigidior:* ratio frigiditatis eſt, quia ſanguis in hepate frigido ex Auicenna, vbi de hac re tractat, eſt tenuior, & aquoſior; fit tenuior ob imbecillitatem,& frigiditatem.

Pluſquamcommentator fallitur, dum cenſet ſanguineam maſſam conſtare ex tribus humoribus pituita ſcilicet, melancholia,& bile: negatque dari ſanguinem purum diſtinctum ab his tribus: reluctatur Galeno in hoc loco, & primo de natura humana comm.27.vbi cenſet preter tres humores dari ſanguinem purum ab alijs humoribus diſtinctum. Præterea aduerſatur Hippocrati, & Gal. in proœmio primi libri de morb. vulg. & multis alijs in locis, vbi docent,ſanguineam maſſam proportione reſpondere quattuor elementis, quattuor anni temporibus, & quattuor diei partibus:quare ſicuti quattuor elemẽta, quattuor anni tempora,& quattuor diei partes ſunt inter ſe diſtincta; ſimiliter 4. humores in maſſa ſanguinea erunt inter ſe ſua natura diſtincti: Itaq; puriſſimus ſanguis,quamvis ſit compoſitus ex 4. elementis, tamen eſt temperatus, & purus; immo natura, ne diſſoluatur,ſed conſequetur,inuenit craſſos, & tenues humores, ideſt pituitoſos melancholicos, & bilioſos, qui a contrarijs iniurijs eum defenderet: quaſi quod natura modularetur maſſam ſanguineã, ponendo in venis graues, & acutos humores, & meritò, vt inde mirabilis concentus, & harmonia conſurgeret.

Decipitur quoque Pluſquamcommẽtator, vt probauimus ſuperius, dum cum Ariſt. cenſet,ſanguinem nõ perfici in iecore, ſed in corde; putabatque, naturam efficere quatuor cõcoctiones,primam in vẽtriculo, ſecũdã in iecore,tertiã in corde,quartã in reliquis corporis partibus.

Quartum ſignum; *totius corporis habitus frigidior redditur, niſi à corde calefiat:* Gal.de hepate calido ſuperius dicebat,totum habitum corporis eſſe calidum, niſi cor obſtiterit. Propoſuimus communem expoſitionem,quæ erat,niſi cor obſtiterit contraoperando, ideſt niſi cor ſua frigiditate impedimento fuerit,ne totum corpus calefiat. Aliam tamen nos meditati ſumus expoſitionem, quæ erat habitum totius corporis calidum indicare iecur calidum,niſi obſtet cor, ideſt niſi illa caliditas totius pendeat a corde, & non ab hepate: tunc enim caliditas totius non poteſt indicare hepatis caliditatem. In hoc loco tamen intelligit habitum eſſe frigidiorẽ, niſi cor obſtet, ideſt niſi à corde calor totius oriatur: ſæpiſſimè enim contingit calorem totius à corde potius, quam hepate pendere: & admodum rarò accidit,vt cor ſua frigiditate impediat,ne iecur calidum efficiat totum corpus calidum.

Argenterius hic aſſerit, nõ dixiſſe Gal. omnes corporis partes à ſanguine frigidiori refrigerari, ſed totius corporis habitum,quia inter partes corporis ſunt inteſtina,& ventriculus,quæ (vt ait) excluduntur à partibus,quæ efficiunt corporis habitum, illæ enim partes quæ chylo, & non ſanguine nutriuntur, vt eſt ventriculus, & inteſtina, nõn inſequuntur hepatis temperaturam, ideo non dicuntur contineri inter illas,quæ conſtituunt habitum corporis, & quæ indicant ſtatum, & conditionem hepatis.

Decipitur ſummopere, eò quia ventriculus, & inteſtina nutriuntur ſanguine, & non chylo, vt oſtendemus in propria quæſtione poſt explicationem capitis 63.

Quintum ſignum; *eſt venter, & hypocondria glabra.* ſiue ſine pilis: Ratio huius ſigni eſt manifeſta: quia vbi frigiditas prædominatur,non fiunt fuligines: vbi non fiunt fuligines, non oriuntur pili,vt in digreſſione de pilis probatum eſt.

2 Dub. exoritur, quia proponuntur ab Auicenna, & ab alijs Auctoribus alia ſigna frigidi hepatis, quæ omittuntur à Gal. ergo diminutus. Signa verò, quæ omittuntur à Galen. ſunt hepate frigidos eſſe voraces,carere concupiſcentia: non tentari coitu, & demum iuuari à calidis, & lædi à frigidis.

Reſpondetur, Galenum ſolum propoſuiſſe quinque ſigna, quia illa ſufficiunt pro declaratione frigidi hepatis hominis ſani, de quibus intelligit, quare ſi viderimus anguſtiam venarum, abundantiorem

rem pituitam, ſanguinem frigidiorem, habitum totius corporis frigidiorem, & carentiam piloſum circa ventrem, & Hypocondria, certiſſimè colligere poterimus, hepar eſſe frigidum, ideſt minus calidum, quam temperatum.

CAPITIS XXXIX.

De ſignis hepatis ſiccioris.

Tex. 46. *Siccioris autem, ſanguis quidem craſſior, & minus abundans, venæ duriores, & totius habitus corporis ſiccior.*

Quattuor proponit ſigna, quæ indicant hepat ſiccum: Quorum.

Primum eſt *ſanguis craſſior*, (ſupple) quam ſit, hepar exiſtẽs temperatum: Ratio huius ſigni eſt; quia in hepate ſicco facultates expultrices, & attractrices ſunt diminutæ: eius enim fibræ ſunt duræ, ideo ineptè ad attrahendum, & expellendum; parum enim eſt quod attrahitur, illudq; tardè expellitur: Hinc ſanguis diu detentus craſſior redditur: nec mirum eſt, quia in calore moderato liquidi humores nõ ſolum craſſeſcunt, ſed etiam duritiem lapideam aliquando ſibi conciliant: Dicimus in calore moderato, quia Gal. tractans de hepate ſicco ſupponit eſſe in calore, & in alijs qualitatibus moderatiſſimum, & temperatiſſimum, habereq; ſolum aliquem exceſſum in ſiccitate. Qui enim hoc Galeni ſuppoſitum in toto hoc tractatu de temperaturis non percipit, ſi illum centies quotidie perlegeret nihil omninò de viſcerum intemperatus intelligeret.

Ex hac theorica primo colligimus in habitu ſicco, in quo febræ ſunt duræ non eſſe danda medicamenta acria quia inde febræ magis dureſcunt: hac ratione Gal. 1. de tuen. ſani. c. 9. dicit aloem non eſſe dandam ſenibus. Hinc in renibus ſenum facilè fiunt lapilli: cauſa eſt quia habent fibras ſiccas: at ſic eſt, quod vbi fibræ sũt ſiccæ expultrices ſunt debiles, & vbi ſunt debiles excrementa retinentur, & tandem in lapillos conuertuntur. Argumẽtum eſt à minori; quia ſi ſanguis nutritioni deſtinato in ſicco craſseſcit, quanto magis excrementa inepta plus iuſto detenta craſſeſcent. Inde animaduertimus quoque errorem multorum medicorum, qui referunt calculi generationem in nimiam renum caliditatem, qui reluctantur rationi experientię, & ipſi Galeno: an ne ſenes in vltimo ſenio patiuntur lithiaſim? certè non ob caliditatem: an ne ex Gal. 14. meth. cap. 16. incidunt ex victu craſſo in generationem calculi dũ meatus renum ſunt lati; ergo meatuum laxitas, & latitudo in his, qui habent, renes frigidiſſimos erit in cauſa lithiaſis.

Argenterius, qui nunquam huius libelli artificium penetrauit, qui Galeni arcana non intellexit, qui ſuppoſita nõ animaduertit; ideò in ſexcenta errata lapſus eſt: mordet in hoc commento Galenum, quia dicat, ſiccitatem hepatis ſanguinem craſſum efficere; putat enim, quod in viuentibus nec ſiccitas, nec frigiditas, nec humiditas habeat vim agendi, ſed ſola caliditas, indeque infert, omnem craſſitiem non à ſiccitate, ſed ab aduſtione fieri, primo decipitur quia ſupponit hoc, quod falſiſſimum eſt; temperaturarum ſigna à Galeno propoſita eſſe proprijſſima, quod non ſemel ſuperius reiecimus; ſi enim vnicum ex propoſitis eſſet proprium, cætera omnia eſſent ſuperflua: fatemur, & nos craſſitiem ſanguinis non eſſe ſignum proprium ſiccę temperaturę, dicimus tamen cum alijs ſignis vnitum vnicè conferre ad dignoſcendam ſiccam iecoris temperaturam. Secundò fallitur, dum ait in viuentib. ſolum calorem, & non alias qualitates habere agendi virtutem: Affert enim Gal. 5. ſimpl. cap. 5. tres cauſas, quibus in viuente corpora dureſcunt; prima quarum eſt ſiccitas; ſecunda eſt frigiditas, qua glacies dureſcit, & dureſcunt perniones; tertia eſt abundantia humorum. Prætereà nullus eſt Medicus rationalis, & Philoſophus, qui neget præter calorem dari alia agentia naturalia. Demum nos oſtendimus in propria quæſt. contra Cardanum, non ſolum caliditatem eſſe qualitatem poſitiuam ſed frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem.

1 Dub. non videtur, quod ſiccitas hepatis ſanguinem craſſum efficiat: quia, qui ſcyrrho hepatis opprimũtur, ſanguinem tenuem, & aquoſum accumulant: ſimiliter

ter ſenes ſicciſſimi ſanguinem aquoſum faciunt.

Argenterius propoſuit hoc dubium, non vt illud ſolueret, ſed vt moderet Galenum, putatq;, argumentum eſſe inſolubile: Nec miſer animaduertit in quot errata incidat; primò tranſit de genere in genus; quia in hoc loco Galen. agit de intemperaturis ſanorum, & non ęgrorum, corpora enim quæ opprimuntur ſcyrrho non ſana, ſed inſalubria nũc, ſeu ęgra vocantur; ſecundò ſenum corpora ſicciſſima, quę aſſeruant ſanguinem ichoroſum ſunt extra latitudinem ſanitatis, & pertinent ad partem Gerocomicã, ſeu ad corpora decidentia, vel ad ægrotantia; tertiò decipitur, quia hoc Auctoris arcanum non intelligit, videlicet Galenum de hepate ſicco, vel de alia corporis temperatura recedente à temperatiſſimo loquẽtem ſupponere illud corpus in reliquis omnibus qualitatibus eſſe temperatiſſimum; quo ſuppoſito inſtantia de ſenibus eſt vana, & puerilis, quia in ſenibus præter exceſſum in ſiccitate adeſt calor diminutus, & plurimæ aliæ qualitates à temperatiſſimo deflectentes; ideo ſub his temperaturis, de quibus agit hic Galenus non continentur ſenes.

Secundum ſignum eſt *ſanguis paucus.* Ratio paucitatis dependet ex dictis: quia facultas attractrix, cum in ſicco ob fibrarum duritiem ſit diminuta, ſequitur vt ſanguis paucus ſit.

Tertium; *venæ ſunt duriores*: nimium vacillat Argenterius, dum hic dicit contra Galenum, quod ſciri non poſſit, an venæ ſint duræ, nec ne, quia ſub cute ſũt: ſi diligenter animaduertiſſet, dum venæ à chirurgis ſecantur, non ſemel ab illis fuiſſet admonitus, quibus corporibus duræ, vel molles ſint: Ratio, cur in hepate ſicco, & duro venæ quoque duræ ſint eſt cõmunis cõſenſus inter hepar, & uenas.

Quartum ſignum eſt habitus totius corporis ſiccior, (ſupple) quam ſit in temperato; eſt animaduerſione dignum, cur non addiderit, niſi cor obſtiterit, omiſit ſanè optima cum ratione; quia humiditas cordis nunquam poteſt ita excedere, vt vincere poſſit ſiccitatem hepatis; cor enim ſua natura eſt calidiſſimum, ideo ſiccum, & non humidum, intelligendo de humiditate, quæ ita excedat mediocritatem, vt ſuperet hepatis humiditatem. Ideo hoc ſupponitur in hoc tractatu de corde, quod cor humidiſſimum ſit longè ſiccius hepate ſicciſſimo.

CAPITIS L.

De ſignis hepatis humidioris.

Tex. 47. *Humidioris autem, ſanguis quidem abundantior, atq; humidior, venæ autem molliores, ita verò, & vniuerſum corpus, niſi partes ad cor attinentes obſtiterint.*

QVattuor hic proponuntur ſigna indicantia hepar humidum: Primum eſt ſanguis abundantior (ſupple) quam ſit in temperato; Ratio abundantiæ eſt, quia agentia magis multiplicant ſemetipſa, quam alia: Hepar, de quo agitur hic, habet aliquem exceſſum in humiditatẽ: in caliditate verò ſupponitur temperatiſſimum; multiplicabit igitur ſuam ideam generando multum, & abundantem ſuccum calidum, & humidum, quippe qui eſt ſanguis. Quinimo facta comparatione inter hepar calidum, & humidum, & hepar dumtaxat humidum, dicimus generari ſanguinem abundantiorem in hepate humidiori, quam in calidiori, & humidiori, ratio eſt, quia temperatura calidior, & humidior, quam ſit temperata, magis reſoluit, quam humidior ſola, quæ ſemper ſupponitur, quod iuncta ſit cum temperatiſſimo calore; vbi enim eſt maior calor, ibi ſemper eſt maior reſolutio: Dum Galen. agit de hepate humido, ſibi proponit agendum de hepate temperatiſſimo habente ſolum aliquem exceſſum in humiditate.

1 Dubitatio: non videtur, quod iecur cum exceſſu humiditatis gignat ſanguinem abundantiorem, ſed humores pituitoſos, & crudos.

Hæc inſtantia eſt allata ab Argenterio contra Galenum, ſed vaniſſima quidem; immo ex illa conijcimus, hunc virum intimius non penetraſſe artificium huius tractatus de temperaturis, tum quia ſupponit humiditatem iecoris, de qua hic loquitur Galenus, cõſiderari ſecundum illum

lium magnum exceſſum, qui extra latitudinem ſanitatis continetur, quod eſt falſiſſimum, vt ſuperius probatum eſt; tum quia non penetrauit Galeni mentem, quę in hoc conſiſtit, quod, dum agit de intemperaturis hepatis, vel aliorum viſcerum, ſupponat hepar, vel alia viſcera in aliis qualitatibus omnibus, de quibus nō agit, eſſe temperatiſſima; quibus fundamentis non intellectis, non eſt mirum, ſi in errores inexcuſabiles inciderit.

Secundum ſignum; *ſanguis eſt humidior:* (ſupple) quam in hepate temperato, ratio clariſſima eſt, quia iecur temperatum cum exceſſu humiditatis generabit ſanguinem humidiorem, quam iecur omnino temperatum.

Tertium: *venæ ſunt molliores:* vbi enim eſt ſanguinis multitudo, humectantur, tunicæ venarum, & molles fiunt.

Quartum; *vniuerſum corpus erit molle, niſi partes ad cor attinentes obſtiterint.* Ratio eſt quia cū omnes particulæ ſanguine alantur; ſi ſanguis eſt humidus, totum erit humidum, & molle, niſi cor obſtiterit ſua ſiccitate; poſſet enim contingere quod cor eſſet adeo ſiccum, vt impediret, ne hepar humectaret totum corpus. Inſtrumenta vero quibus cor impedit, ne totum molle fiat, ſunt arteriæ, per quas à corde in totum ſpiritus influit; ſi igitur arterialis ſanguis, & virtus cordis admodum calida & ſicca influxerit in totum ab humiditate hepatis totum non efficietur humidum.

2 Dub. deſumitur ab Argenterio, qui mordet Galenum, quia loquens de hepate humido omiſerit præceptum neceſſarium, quod ſcilicet ſit obnoxium putredini.

Nulla reuera in toto opere Argenterij, dum Galenum lacerat, inuenitur inſtantia, quę clariſſimè non indicet, illum non percepiſſe intimum ſenſum huius tractatus. Tollitur igitur facillimè inſtantia: quia Gal. hic agit de ſignis indicantibus temperaturam admodum vicinam temperatiſſimo. Præterea hepar humidum eſt adeo ſalubre, vt inter ſalubria nō inueniatur ſalubrius; quia ſecundum humiditatem recedit à temperatiſſimo, & ſecundum reliquas omnes ſupponitur a Galeno eſſe æquale ad iuſtitiam. Poſtremò Argenterius, dum exponebat hoc caput, oſtendit ſe non legiſſe capita ſequentia: quia in c. 42. Galenus loquens de ſignis hepatis calidi & humidi inquit, hoc eſſe obnoxium morbis ex putredine, & merito ibi, & non hic de propenſione ad putredinem egit, quia non hepar humidum, de quo hic agit, ſed hepar calidum & humidum habet hanc propenſionem ad putredinem. Hinc Auicennas lib. 4. vbi agit de corporib. preparatis ad febrem & Galenus 11. meth. 4. dicunt corpora calida, & humida, & non humida tantum eſſe obnoxia & præparata ad febres putridas ſed quod pateſacit; omnimodam huius viri ignorantiam eſt, quia non animaduertit, Galenum, dum agit de exceſſu vnius, vel duarum qualitatum, ſupponere in reliquis omnibus, membrum eſſe temperatiſſimum.

CAPITIS XLI.

De ſignis hepatis calidioris, & ſiccioris.

Tex. 48. *Calidioris verò ſimul, ac ſiccioris hepatis indicia, hypocondria plurimum hiſpida, ſanguis craſſior ſimul, ac ſiccior, flaua bilis plurima eſt: conſiſtente autem ætate, & atra venarum autem latitudo, & durities: ſic verò & vniuerſum corpus ſe habet.*

POſtquam Galenus egit de ſimplicibus temperaturis hepatis; par eſt, vt modo de compoſitis agat; incipit prius à temperatura calida & ſicca; hæc enim eſt maximè omnium actiua.

Diuiditur hoc caput in duas partes. Prima continetur in hac particula; in qua ſex ſigna hepatis calidioris, & ſiccioris proponuntur. In ſecunda, quæ poſterius declarabitur, aget quomodo quatuor téperaturæ cordis, & hepatis ſe obtundant inter ſe, reagant & compatiantur; ſed accedamus ad primam partem.

Primum ſignum hepatis calidioris & ſiccioris temperato ſunt *hypocondria plurimum hiſpida*. Ratio huius eſt, quia vbi eſt temperatura calida & ſicca, plurimę quoq; ſunt fuligines, vbi abundant fuligines, ibi pili multi: & quia hepar occupat hypocōdria, ideò hiſpida ſeu piloſa ſunt.

Dub.

1 Dub. ſtatim occurrit: quia hepar eſt in hypocondrio dextro, & non ſiniſtro: ideò ab Auctore erat proponenda hiſpiditas ſolius dextri hypocondrij, & nõ vtriuſq;

Solutio facilis eſt; quia hepar re vera eſt in parte dextra; ſed exporrigitur aliquantulum vltra mucronatam cartilaginem verſus læuam partem; vnde fit, vt in ſiniſtro quoq; hypocondrio oriantur pili. Omnes tamen Expoſitores conſentiunt in hepate calido hypocondrium dextrum eſſe magis hiſpidum ſiniſtro. De hac re egimus lib. 3. methodi vitand. ibiq; quendam noſtratem Medicum ęnobarbũ reprehendimus: quia admouebat calida pro corroboratione oris vẽtriculi, vbi eſt mucronata Cartilago, credens ibi eſſe os vẽtriculi, quod quidẽ reluctatur anatomiæ; ibi enim re vera eſt iecoris portio; quinimo Gal. 13. methodi c. 17. in oris ventriculi inflammatione docet, vbi ſint topica admouenda, habetq; hæc verba, *cataplaſma imponetur ſuper ſpinam dorſi: ibi enim cum locus ſit vicinior, maiorem fructum os ventriculi conſequetur.*

2 Dub. multi habent ventrem & hypocondria piloſa; tamen non habent in hepate hunc caloris exceſſum; quia neque abundant flaua bile, nec venas latas habent; ergo hypocondria plurimum hiſpida non indicabunt iecur calidius, & ſiccius temperato.

Reſponſio facilis eſt; quia iam probauimus hæc ſigna temperaturarum tradita, ſeorſum conſiderata non eſſe propriſſima & cõuertibilia; vnita tamen eſſe neceſſaria, atque æternæ veritatis; dum igitur hypocondria erunt hiſpida, & fuerit bilis copia, venæ latæ, & duræ, haud dubiè hepar erit calidum & ſiccum, ſed hæc dubitatio eſt quoque à nobis ſoluta; ſed longiori diſcurſu c. 37. in declaratione quinti ſigni.

Secundum ſignum: *ſanguis in his eſt craſſior, & ſiccior.* Ratio huius eſt; quia caliditas reſoluit tenuiorem ſanguinis partem, & relinquit craſſiorem & ſicciorem: accedit, quod ſiccitas, licet in agẽdo ſit minimæ actiuitatis, non tamen eſt deſtituta ſiccandi virtute.

Argenterius conſiderans hoc ſignum, putat eſſe legẽdum, ſanguinem eſſe craſſiorem & parciorem, & non ſicciorem, nõ tamen hãc nouam expoſitionem ex græca dictione deſumpſit: græca enim dictio eſt ξηρότερον ideſt ſiccior; ob quam oſcitantiam ſuſpicor græca eruditione omninò caruiſſe; quamuis in ſuis commentarijs forſitan oſtentationis gratia textus græcus inſertus ſit.

3 Dub. non videtur, quod ſanguis in hepate calido & ſicco poſſit eſſe craſſior; quia in illo abundet bilis flaua, quæ ſanguinem tenuiorem, & nõ craſſiorem facit; vbi verò eſt ſanguis craſſus, ibi abundat melancholia; & non bilis flaua.

Solutiõ facilis eſt; quia Galenus non dicit abſolutè, ſanguinem eſſe craſſum, ſed eſſe craſſiorem, ſupple, quam in temperatiſſimo hepate, in quo ſanguis tenuior eſt; concedimus in melancholicis, ſanguinem eſſe craſſiorem & ſicciorem: dicimus tamen hoc non auferre, quin ſanguis in bilioſis ſit craſſior, quam in temperato.

Falluntur qui putant Gal. per ſanguinem craſſiorem & ſicciorem intelligere melancholiã quæ eſt fęx ſanguinis, inter quos fuit Cardanus, qui putabat ſanguinem craſſum formaliter non differre à fæce ſanguinis. Maxima eſt differentia inter craſſitiem ſanguinis & fęcem illius. Sic tartarũ formaliter differt à vini craſſitie; amurca a craſſitie olei; ſedimentum vrinæ à craſſitie vrinæ; quia craſſities pertinet ad ſubſtantiam: fęx verò ad contenta; ideo Gal. 2. de facul. pul. 9. dixit melancholiam ex aduſtione craſſi ſanguinis differre à melancholia facta ex aduſtione fæcis ſanguinis.

Tertium; *bilis flaua plurima eſt:* ratio eſt; quia temperatura calida & ſicca generat humorem ſibi ſimilem; humor verò ſimilis temperaturæ calidæ & ſiccæ eſt bilis flaua, quæ eſt calida & ſicca. Hinc fit, quod idem cibus, qui in temperatura calida conuertitur in bilẽ, in frigida conuertitur in ſanguinẽ; & qui in calida conuertitur in ſanguinem, in frigida in pituitam. Hinc Gal. 2. de fac. naturalibus, c. 8. & alibi docet mel in Iuuene conuerti in bilem, in ſene in ſanguinem.

4 Dubitatio videtur, quod in hepate calido, & ſicco accumuletur potius plurima atra bilis, quam flaua; atra enim eſt calidior, & ſiccior flaua; ideo potius atræ abun-

abundantia conueniet hepati calido, quam flauæ.

Reſponſio eſt facillima; quia Galenus hic loquitur de hepate adhuc perſeuerante in latitudine ſanitatis; bilis atra illa ſæuiſſima, & calidiſſima non poteſt in corpore ſano colligi, excitat enim ſæua ſymptomata, & reddit corpora valde ægra.

5 Dubitatio; videtur Gal. mutilus, dum in hepate calido & ſicco mentionem ſolum facit de bile flaua, & non de alijs ſpeciebus bilium; à Galeno enim lib. de atra bile c.2. hæ biles numerantur; pallida, ſcilicet, flaua, vitellina, porracea, æruginoſa, & rubra.

Reſpondetur, ſi loquamur de pallida, dicimus hanc bilem non indicare hepar calidius, & ſiccius temperato, de quo hic ſermo eſt; hęc enim bilis pallida eſt mitiſſima, & ab hepare temperatiſſimo fit. Neque locutus eſt de porracea, vitellina, æruginoſa, & rubra; quia dum tales biles aliquantulũ abundant, corpora ſtatim ęgrotant. Hinc abundantia porraceæ cardialgiam, vitellinę capitis dolorem, æruginoſæ febrem malignam, & rubræ eryſipelata facit. Ideò locutus eſt de flaua, quę licet aliquo modo abũdet, cõuenire poteſt hominibus ſanis quorum hepar aliquantulum recedat ab hepate temperatiſſimo.

6 Dubitatio, ex Gal. 1. ad Glauc. c.9 ait, flauam bilem abundantem excitare febrem tertianam, quare etiam flaua indicabit hepar ægrum, & extra latitudinem ſanitatis conſtitutum.

Soluitur primò, quia Galenus loco citato ait, bilem flauam excalefactam efficere tertianam, ideſt alteratam, & cum maiori gradu caloris, quam par ſit. Secundò concedimus, quod in exceſſu abũdãtiæ, quilibet humor ſuauiſſimus, & mitiſſimus poſſit efficere aliquem morbum; Hinc apoſtemata ſæpè fiunt ex polięmia, ideſt ex abũdantia optimi ſanguinis. Hinc ob ſanguinis plenitudinem rumpuntur venæ, & hæmorrhagiæ plurimæ ſuboriuntur; quæ cum ita ſint, reſpondemus ad dubium, per plurimam bilem flauam Galenum intelligere plurimam reſpectu temperati; quaſi dicat in hepate calido & ſicco eſt illa bilis abundantia, quæ eſſe poteſt in homine adhuc perſeuerante in latitudine ſanitatis.

Addit Galenus, *conſiſtenti autem ætate & atra dominatur:* Auicennas lib.3.fen 14.tract.1.c.5. agens de iecore calido accumulante atram bilem videtur diſcrepare à Gal. mente, vtitur enim his verbis, *multitudo generationis choleræ in ætate iuuentutis; & melancholiæ in fine eius:* nihilominus inter ſe non differunt; quia dum dicit Gal. conſiſtẽti ætate & atra dominatur, particula (*&*) ſignificat in iecore calido primo flauam, ideſt in iuuentute, deinde etiam atram, ideſt in fine iuuentutis, dominari. Eandem Galeni opinionem ſecutus eſt Auerroes 4. coll. 4. vbi ait, in ætate conſiſtentiæ illorum qui habent iecur calidum & ſiccum, flauam, deinde in ætate conſiſtentiæ atram dominari; quæ opinio rationi eſt cõſentanea; quia ſicuti, adueniente autumno, atra melancholia colligitur, ſic adueniente conſiſtente ætate poſt æſtum iuuentutis ſequitur atræ melancholiæ dominium.

Notandum præterea, ætatem conſiſtentiæ eſſe ab annis 35. vſq; ad 49. vt docet Galenus 3. aphor. comm. 30. ſed de his alibi fusè egimus.

7 Dub. non videtur, quod in hepate calido & ſicco hominis ſani, de quo ſermonem habet Gal. poſſit prædominari atra bilis; quia atra bilis eſt toto genere præter naturam, eſt excedens, & furioſa, eſtq; in latitudine ægritudinis, & non ſanitatis.

Solutio deſumitur à Galeno, qui libro de atra bile & 3. de loc. aff. c.7. dicit, quod atra bilis triplex ſit; alia eſt fæx ſanguinis, quę ſua natura (vt docet Gal. 2. de fac. nat. c.9. & 3. aph. 30. & lib. de tremore & palp. c.7.) eſt frigida & ſicca; ſecunda eſt atra bilis furioſa de qua hic nõ loquitur, quia hæc ſanis non conuenit; Tertia eſt fæx ſanguinis cum aliqua aduſtione, & talis vt plurimum conuenit hominibus bilioſis ſanis, dum ſunt in ætate conſiſtentiæ; hæcque in autumno dominari ſolet, & de hac intellexit in hoc c.

Quartum, eſt *venarum latitudo*. Ratio huius eſt; quia de ratione calidi eſt dilatare. Addit Achachias in hepate calido, & ſicco eſſe ſanguinis multitudinem; ratio, quæ illum mouit, eſt, quia venæ ſunt latæ; aitque quod niſi multus ſanguis eſſet in venis latis, daretur vacuum; cum non detur, multus eſt: quomodo vero deceptus

ſit hic vir, in ſequenti dubitatione declarabitur. Ratio Acachiæ non probat multum, ſincerum, & purum ſanguinem in venis latis eſſe, quia poteſt quoq; vena dilatari à ſanguine multa bile permixto, poliẹmia enim ſiue multitudo ſynceri ſanguinis non in hepate calido & ſicco, ſed in calido & humido accumulatur.

Pręterea dum dicit niſi eſſet copia ſanguinis in venis latis daretur vacuũ eſſet verum, ſi venæ eſſent factæ ex cupro ſed cum venæ ſint molles & ſubſident, ratio Achachiæ redditur ridicula.

8 Dubitatio inillioſis venæ apparent maiores, quam in ſanguineis, ergo in illis erit maior copia ſanguinis.

Reſpondetur bifariam; primò concedimus ob copiam bilioſi ſanguinis venas magis extendi, quam ob copiam ſanguinis ſynceri; quia calidi eſt attrahere, & inde dilatare. Secũdò reſpondemus in bilioſis venas apparere magis latas, quia ipſi ſunt excarnes: ſanguinei verò huberes & carnoſi, vnde venæ occultantur, & in ipſis non ita conſpiciuntur.

9 Dubitatio: latitudo venarum ſequitur formatricem, vel copiam materiæ, & non temperiem, ſeu alteratricem; ergo latitudo venarum erit ſignum omnino improprium calidi hepatis.

Reſpondetur, virtutem formatricem egere alteratrice, & optima temperatura: ideo ſaltem remotè temperaturam conſpirare ad efficienda venarum latitudinẽ.

Præterea virtus formatrix non eſt intelligentia aliqua ſeparata, vt ait Auicen. qui putabat eſſe Colcodeam: vel Temiſtius qui intelligentiam ab agentibus particularibus ſeiunctam, vel Plato, qui ideã quandã vniuerſalem; quia formatrix eſt in agentibus particularibus, quæ ex Ariſtotelis, & Galeni opinione eget inſtrumento; quod deinde ratione alteratricis, ſeu temperaturæ alicius principalis particulæ agat, vt tandem formatrix egeat quoque temperatura, quæ ſi optima ſit, optimè efformat.

Demum eſto, latitudinem venarũ eſſe ſignũ improprium, dicimus ſeorſum cõſideratam non indicare temperaturã calidã & ſiccã, ſed cum alijs ſignis vnitam.

10 Dubitatio, venæ non ſunt factæ ab hepate, ergo (vt putat Argenterius) non indicabunt iecoris ſtatum & temperaturam; imò ipſemet Gal. libro de formatione fætus, & ſecundo de tempetamentis ait, ex venis fieri iecur, ibi enim protulit hanc ſententiam: venis adnaſcitur iecur, tamquam parenchyma, & ſanguis concretus, qui eſt tanquam ſtebe, & venarum firmamentum.

Argenterij opinio eſt vaniſſima; quia eſto, quod venę ſint cauſę iecoris, non ne valet cọnſequentia à cauſa ad effectum? non ne aliquãdo cauſa eſt notior effectu in medicina, & philoſophia? valebit ergo progreſſus à venis ad iecur.

Quintum ſignum; ſunt *venæ duræ.*

11 Dubitatio, ſi venæ ſunt latæ, ergo non duræ; quia, quod durum eſt non poteſt dilatari; Hæc dubitatio eſt Argenterij, & ab illo, quamuis ſit puerilis, relinquitur inſoluta.

Soluitur facillimè; quia non valet ſunt latæ, ergo non duræ: oſſa enim ſunt duriſſima & lata; in prima enim generatione & in pueris ex Gal. 2. de temp. 2. oſſa ſunt cerea, mollia, & ſimilia caſeo, qui modo ſit coagulatus, quæ deinde mira proportione augentur, & dureſcunt.

Sextum ſignum; totum corpus eſt calidum & ſiccum: niſi cor obſtiterit caliditati iecoris; poteſt enim cor eſſe minus calidum, quam ſit temperatum; tunc a corde non defluerent ſpirituum radij calidi, ſed frigidi, ideſt minus calidi, quibus iecur tandem refrigeraretur.

12 Dubitatio, cor frigidiſſimum ex omnium conſenſu eſt calidius, quam ſit hepar calidiſſimum: ergo frigidum cor, cum ſit calidius omni hepate, non poterit refrigerare vniuerſum corpus.

Reſpondetur, quando dicimus totum refrigerari, intelligimus totum reddi minus calidum, quam ſit temperatum; totũ temperatum oritur à calore cordis, & hepatis temperato. Dum igitur cor erit minus calidum, quam temperatum, tunc totum corpus dicetur frigidum, ideſt minus calidum, quam temperatum. Præterea poſſumus ſic exponere; dum dicimus totum corpus eſſe calidum, niſi obſtet cor, intelligimus, niſi caliditas totius habitus corporis pendeat à corde, & nõ ab hepate, agitur enim in hoc loco de temperaturarum ſignis; quare, ſi totum corpus eſt ca-

calidum,& ſit ſignum caliditatis hepatis, oportet prius videre, an obſtet cor, ideſt an caliditas totius pendeat à corde, quia tunc caliditas illa non indicaret hepatis temperaturam calidam.

13 Dubitatio,Galenus dũ ſuperiùs egit de tẽperatura hepatis, ſemper deſumpſit ſignum à temperatura totius,hac ſeruata lege vt cor nõ obſtet; attamen in hoc capite omiſit hanc cõtraoperationem cordis;quia dixit,ſi hepar eſt calidum,& vniuerſum corpus erit tale; neque addidit, niſi cor obſtiterit, ergo diminutus.

Reſpondemus, Galenum nihil dixiſſe de contraoperatione cordis:quia(vt infra ipſemet docebit) cor in viuente nũquam poteſt eſſe ita humidum,ut poſſit obſtare ſiccitati hepatis; cor enim humidius omni corde eſt ſiccius hepate ſicciſſimo.

CAPITIS XLI.

Particula II.

Nam quæ ex corde caliditas originem habet, poteſt obtundere eam,quæ ab hepate naſcitur frigiditatem: ſicuti,& frigiditas caliditatem. Siccitatem verò non poteſt humidius cor ad contrarium habitum transferre. Media verò inter has, quæ dicta ſunt, eſt ea,quæ ab hepate humiditas oritur. Magis enim à cordis ſiccitate ſuperatur, quã ſiccitas ab humiditate: minus autem caliditate,adhuc vero multo minus frigiditate. Hæc enim inter omnes qualitates, quæ ab hepate eueniunt,facillimè vincitur. Liquet autem,quod cum in vnum conuenerint vtriuſque principij temperatura, totum exquiſitè ſecundum illas afficitur corpus, paulò verò inferiùs ipſius dicentur indicia.

IN hac 2.particula agit Galenus quomodo qualitates cordis,& hepatis ſe obtundant: ex hac igitur particula colligemus quando,& quantum obſtet cor,& quando hepar; ſciemuſque certiſſimè, quando vniuerſi corporis tẽperatura inſequatur temperaturam cordis, uel hepatis.

Breuiſſima, & luciaiſſima declaratio huius particulæ eſt,ſi dicamus, quatuor à Galeno hìc præcipuè conſiderari.

Primò,quod dicat, caliditatẽ, quæ diffunditur à corde per vniuerſum corpus obtundere, & refrangere frigiditatem, quæ ab hepate prouenire poteſt; ſi igitur fuerit cor calidum, & hepar frigidum, tunc corpus vniuerſum ad calidum uerget, & non ad frigidum, quia ita obtundetur frigiditas hepatis à caliditate cordis,ut in toto dominetur caliditas,& non frigiditas.

Ratio eſt,quia ex Gal. lib.de ſemine,& alibi ſolum cor in corpore uiuente tranſmittit calorem actualem in totum corpus, iecur verò ſolum potentialem calorem tranſmittit, uidelicet per alimentũ, per quod augetur calor dum actuatur à calido influente à corde tranſmiſſo.

Neque obijciãt, quod hepar frigidum corde exiſtente calido aliquando ita refrigeret totum corpus, ut in cachexiam, & hydropem labatur;quia reſpondemus, Galenum loqui hìc de corporibus permanentibus in latitudine ſanitatis, & non de cachexia, & hydrope correptis, qui non in ſanitatis,ſed in ægritudinis latitudine collocantur.

Secundò ait Gal. frigiditatem, quæ à corde prouenit, ſuperare caliditatem hepatis: Notandum per frigidum cor intelligere Galenum minus calidum, quam temperatum. Ponamus igitur,hepar eſſe calidiſſimum, & cor minus calidum,quã ſit temperatum,tunc dicimus ex Galeno, totum corpus nunquam reddi calidum à prædominio; magis enim poteſt cordis frigiditas in alterando totum, quam hepatis caliditas.

Tertiò dicit Auctor,ſiccitatem hepatis efficere totum corpus ſiccum; quia non datur cor ita humidum, ut poſſit ſua humiditate hepatis ſiccitatem obtũdere, & reddere corpus humidius temperato, valet ergo, hepar eſt ſiccum, ergo & totum corpus eſt ſiccum; quia quodlibet cor in ſua ſpecie humidiſſimum eſt ſiccius quolibet hepate ſicciſſimo.

Quartò ait,humiditatem corporis prouenientem ab hepate eſſe mediam reſpectu aliarum qualitatum,quia vinci poteſt à ſiccitate cordis;& eſt in medio ſtatu reſpectu extremorũ: ſeruatur enim hic ordo.Frigiditas hepatis facilè vincitur à caliditate cordis; caliditas uerò hepatis minus facilè; humiditas hepatis adhuc minus facilè vincitur à ſiccitate cordis; Siccitas

citas hepatis non poteſt vinci ab humiditate cordis:iecur enim poteſt ſua humiditate vincere ſiccitatem cordis, ſed cordis humiditas non poteſt vincere ſiccitatem hepatis:ecce quod humiditas eſt in medio extremorum: alterum extremum eſt frigiditas hepatis;quæ facilè vincitur à caliditate cordis:alterum vero eſt ſiccitas hepatis, quæ non poteſt vinci ab humiditate cordis: humiditas vero eſt media inter extrema;quia minus facile vincitur.

Similiter caliditas cordis à frigiditate hepatis difficile vincitur: frigiditas cordis non facilè vincitur:ſiccitas cordis facilius ab hepatis humiditate vincitur:humiditas verò cordis facillimè vincitur à ſiccitate hepatis:Cor igitur poteſt primò in calefaciendo, ſecundò in refrigerando: Tertiò in exiccando: Quartò in humectando, quamuis in reddendo totum corpus humidum nullum habeat dominium.

Hinc ait,humiditatem ortam ab hepate minus vinci poſſe à ſiccitate cordis: quia cor factum ſiccius minus poteſt, quam factum frigidius: frigiditas enim eſt qualitas actiua; ſiccitas verò paſſiua.Notandum cor dici frigidum reſpectu temperati cordis: quia frigidiſſimum cor ſemper eſt longè calidius, quam cætera alia viſcera calidiſſima.

Ait Galenus, *adhuc vero*, ideſt humiditas hepatis multo minus ſuperari poteſt à ſiccitate cordis, quam frigiditas hepatis ſuperetur à caliditate cordis: quia frigiditas hepatis magis vinci poteſt à caliditate cordis, quam humiditas à cordis ſiccitate:Demum concludit Gal.ſi cor & hepar conuenerint in temperatura,tunc totum exquiſitè fore tale: quia totius habitus corporis temperatura ab his duobus viſceribus, corde ſcilicet, & hepate regitur,conſeruatur,fouetur,& aliquando in contrarium alteratur.

1 Dubitatio occurrit,quia dicit Gal.humiditatem cordis non poſſe obtundere ſiccitatem hepatis: hoc videtur contra Ariſtot. libris de generatione, vbi habet omnes patiens patiendo reagere, & omne agens agendo repati.

Solutio facilis eſt, ſi diſtinxerimus reactionem patientis in reſiſtentem, & cõtraoperantẽ: qua poſita diſtinctione, nos concedimus, cor ſua humiditate reagere reſiſtẽdo ſiccitati hepatis, & hepar ab illa aliquid repati:negamus tamen cor ita reagere, vt vincat & ſuperet virtutem hepatis humectantis: vel reſpondemus, virtutem patientis duplicem eſſe vel diminuentem,& obtundentem aliquantulum virtutem agentis, vel illam ſuperantem, & ducentem in contrarium: quo ſuppoſito dicimus,humiditatem cordis non reagere ſuperando & ducẽdo in contrariũ habitum totum corpus, ita vt ſuperet ſiccitatem hepatis, ſed reagere obtundẽdo, & aliquantulum minuendo ſiccitatẽ introductam ab hepate in vniuerſum corpus:& ſic nihil eſt contra Ariſtotelem.

2 Dubitatio,ſi cor calidum,frigidum & ſiccum ſemper vincit, cur dũ agit de cor. de calido frigido,& humido dicit niſi obſtet iecur?

Reſpondemus, quod cor vincit data paritate; quia dum iecur habet temperaturam in exceſſu, & cor non habeat exceſſum, tunc iecur vincit cor; ideò dum loquitur de reſiſtentia iecoris dicit niſi ragdæos,ideſt vehementer reſiſtat.

3 Dubitatio,videtur Auctor in hoc capite dim nutus, quia omiſit animi affectus, & præcipuè concupiſcentiam inteſam, quæ mirificè indicare videtur iecoris caliditatem & ſiccitatem: ex omnium enim philoſophorum conſenſu concupiſcibilis in hepate reſidet.

Hæc inſtantia allata quoque eſt ab Argenterio,ſed quam ſit leuis & puerilis facilè patet:primò, quia concupiſcentia reſidet in calido & humido, & nõ in ſicco; ſecundò concupiſcentia à diſcurſu deprauato, vel à mala conſuetudine trahit originem:poſtremò mens Gal.eſt ſyndromẽ ſignorum ſufficientem proponere; cum igitur ſigna à Galeno propoſita ſufficiant pro declaratione hepatis calidi & ſicci, non erant alia proponenda:quare inſtantia Argenterij eſt vaniſſima.

CAPITIS XLII.

De ſignis hepatis calidioris, & humidioris.

Tex. 48. *Humidius autem, & ſimul calidius hepar minus quidem quam calidius, & ſiccius hypocondria reddit hiſpida. Plurimum vero ſanguinis,& venas amplas,habitum*

bitumque calidiorem, atque humidiorem facit, niſi obſtiterit cor. Si verò amplius in ambabus qualitatibus à natura modo recedat, à morbis qui ex putredine, & vitioſis humoribus ſunt facillimè capitur. Adhuc autem magis ſi plurimum augeatur humiditas, caliditas verò non ita: ſi autem contra, parum quidem humiditas creſcat, plurimum verò caliditas, minimè vitioſis humoribus laborant.

IN hoc c. Gal. proponit quinque ſigna hepatis calidi & humidi.

Primum ſignum: ſunt *hypocondria hiſpida*: non tamen vt in corporibus calidis & ſiccis: fuligo enim, ex qua fiunt pili, eſt calida, & ſicca: pili igitur à caliditate oriuntur, & non humiditate: quinimo humiditas impedit, ne affatim gignantur fuligines.

1 Dubitatur hic, an corpora calida, & humida ſint magis piloſa, quam temperata: quod non videtur: quia humiditas obſtat generationi pilorum.

Reſpondemus ex omnium quoque expoſitorum conſenſu plures pilos fieri in calido, & humido, quam in temperato: quia in calido, & humido adeſt exceſſus caloris de cuius ratione eſt generatio fuliginũ: dicimus adeſſe exceſſũ, quia corpus quod dicitur calidum eo dicitur, quia eſt calidius temperato quamuis vero humiditas impediat, magis tamen poteſt hic caloris exceſſus, quam impedimentum humiditatis.

Præterea etiam in temperato adeſt humiditas, quæ impedit: non tamen adeſt exceſſus caloris, de ratione cuius eſt fuligines efficere.

Secundum ſignum; habent *plurimum ſanguinis*. Ratio huius eſt: quia coctio fit à calido & humido: vbi igitur melior coctio, ibi plus ſanguinis adeſt. Præterea omne agens ex Ariſtotele primo de generatione quantum poteſt effici ſibi ſimile; quare cum ſanguis ſit calidus & humidus; ſequitur quod à temperamento calido & humido multus efficiatur. Poſtremò multum erit ſanguinis; quia humiditas impedit reſolutionem.

1 Dubitatio, videtur, quod hoc ſignum conueniat potius hepati temperato, & non calido & humido; quia in temperato eſt melior coctio; vbi enim eſt melior coctio, ibi maior copia ſanguinis.

Reſpondetur, temperatum efficere perfectiſſimum ſanguinem, ſed non plurimum; temperamentum verò calidum & humidum plurimum, ſed non ita perfectum.

Tertium ſignum: *venæ ſunt amplæ*, ratio eſt; quia ſanguis multus eſt. Præterea humiditas efficit venas molles, calor verò eas latas, & amplas facit.

Quartum, *totum corpus eſt humidius, & calidius, niſi obſtet cor* ſua videlicet ſiccitate.

Quintum, ſunt *obnoxij morbis ex putredine*. Intelligit Galenus quod temperamentum calidum & humidum iecoris ſit obnoxium putredini, ſi adſit exceſſus humiditatis & caliditatis: Idem docet Galenus 6. de tuenda valetud. & 11. methodi cap. 4. Addit in tex. ſi in his maior ſit exceſſus humiditatis, quam caliditatis; magis adhuc illos eſſe obnoxios morbis ex putredine.

Præterea animaduertit, dum humiditas paulo maior ſit, quam in temperato, & multa ſit caliditas, nullo modo eſſe obnoxios vitioſis, & putridis humoribus. Ratio eſt: quia tunc fit putredo, quando paſſiuæ qualitates prædominantur arctius: ideo ſi humiditas maior ſit quam caliditas, tunc corpus maximæ eſt putredini obnoxium. Siccitas verò dominatur dum calor natiuus ab ambiente calore auocatur à mixto: ſed calor nõ mouetur ſine ſuo humido: ideo ſeparato humido mixtum exſiccatur, & ſiccitas prædominatur. Euocatio caloris eſt cauſa efficiens putredinis; ſeparatio verò humidi à ſicco eſt eſſentia ipſius putredinis ad differẽtiam combuſtionis quæ non ſeparat humidum, ſed illud abſumit.

In hoc loco obſeruamus quam oſcitanter Argenterius ſuperius capite de hepate humido reprehenderit Galenum, quia non dixerit, humidos hepate eſſe obnoxios morbis ex putredine: ecce quod in quinto ſigno aduertit Galenus, calidos & humidos hepate eſſe propenſos ad morbos ex putredine, neque hoc dixit in capite de hepate humido, quia corpus humidum, niſi habeat annexam caliditatẽ, non eſt putredini obnoxium: immo hepar, quod in omnibus eſt temperatiſſimũ

præterquam in humiditate, eſt inter ſaniora collocãdum:ſed Argenterius quam temerè lapſus ſit, & quam cæco, & incõſiderato impetu inuehatur aduerſus Galenum; quis non percipit? expoſuit enim caput de hepate humido,antequam videret caput de hepate calido & humido, quod ſi vidiſſet coactus Galen. ſummis laudibus exornaſſet,neq; par erat,vt Argenterius aggrederetur tantam expoſitionem, antequam ter & quater quodlibet libelli verbum ſumma cum diligentia perpendiſſet.

Ratio verò cur calida & humida temperatura ſit obnoxia putredini, non eadem ab omnibus proponitur. Acachias putat, eſſe obnoxiam putredini: quia natiuus calor in humido diſſipetur, & alienus intromittatur.

Reijcitur Acachias, quia putredo non eſt intromiſſio caloris; ſed eſt (vt dicit Ariſtoteles 4. meteororum capit.2.) corruptio pertinens ad prædicamẽtum ſubſtantiæ. Primò patet ex Ariſt. 4. meteororum vbi dicit,putredinem opponi ſimplici generationi: ſed ſimplex generatio eſt ſubſtantiæ generatio; ergo putredo & corruptio ſubſtantiæ. Secundò patet ex Gal. 11. meth. 8. vbi ſic definit putredinem, putredo eſt corruptio ſubſtantiæ putreſcentis.

Neque Gal. diſcrepat ab Ariſt. Gal. .n. 2. de diff. feb.9. laudat definitionẽ putredinis traditam ab Ariſt.dicente eſſe interitum proprij caloris, Gal. per proprium calorem intelligit temperamentum ſubſtantiale mixti vt optimè tenet Eraſtus: ecce quod ex Ariſt.& Gal. quod putredo eſt corruptio ſubſtantiæ cuius cauſa efficiens eſt auocatio caloris facta à calore ambiente. Id probatur per ipſam practicam: quia illa remedia quæ tollunt alienam caliditatem, ſeu ambientem amotam præſeruant à putredine; at ſic eſt, quod tollẽdo obſtructiones tollimus alienam caliditatem: ergo tollendo obſtructiones præſeruamus à putredine parimodo phlebotomia præſeruat a putredine quia & tollit obſtructiones, & alienã caliditatem quæ eſt illa, quæ auocat calorem proprium ab ipſo mixto. Similiter ſcordeum, hiacinthum, & cætera bezoartica aperiẽdo sũt in cauſa vt propellant ad criſim exhalationes putridæ alienam caliditatẽ extra corpus dimouendo.

Præterea ex Ariſtotele loco citato concluditur, putredinem tunc eſſe, quando paſſiuæ qualitates (vt diximus) dominantur actiuis:dominãtur vero,quando calor naturalis ab ambiente calore euocatur: omne enim mixtum dicitur mixtum,quando calor proprius continet vnitas duas paſſiuas qualitates, humiditatem ſcilicet, & ſiccitatem: dum verò calor naturalis non eſt tantæ virtutis, vt poſſit continere humidum cum ſicco, humidum à calore ambiente ſeparatur à ſicco, & hæc ſeparatio eſt putredo.Cauſa vero,cur calor ambiens euocet calorem miſti,eſt;quia omne ſimile trahit ſimile;Quæ cum ita ſint, falluntur qui cenſet eſſentiam putredinis eſſe euacuationem caloris miſti; quia putredinis eſſentia eſt humidi ſeparatio à ſicco; euocatio vero caloris non pertinet ad cauſam formalem,ſed ad efficientem putredinis.

Putredo reſpicit calorem mixti, & nõ animati: miſti interius duæ differuntur cauſæ ab Ariſtotele, putredo ſcilicet & combuſtio: Argenterius qui auſus eſt cõtra Galenum & Ariſtotelem diſputare incidit in errorem inexcuſabilem dicens non eſſe duas cauſas ſolas interitus miſti, ſcilicet putredinem, & combuſtionem, vt docet Ariſtoteles, quia gladio ſuſpendio,& morbis varijs miſta intereunt:Tyrones enimuero tam puerilia non afferrent: quia gladius,ſuſpendium, & morbi varij non interimunt miſtum, vt miſtum eſt, ſed vt animal, & vt viuens: Hic vir dum Ariſtotelem, vel Galenum mordet, adeo apparet ſtupidus, vt videatur illius generis pędagogus qui philoſophiæ, vel medicinæ limina non attigerit.

CAPITIS XLII.

De ſignis hepatis frigidi & humidi.

Tex. 50. *Humidius autem & frigidius hepar habet hypocondria glabra, ſanguinem verè ad pituita naturam accedentem generat, cum venarum anguſtia, ſic & reliquum efficit corpus, niſi à corde ad contrariam naturam transferatur.*

PRimum ſignum, ſunt *hypocōdria glabra:* Ratio huius petenda eſt ab vtraque qualitate: à frigida, quia fuligines eleuantur à calore, & non à frigiditate: ab humiditate quia humiditas obtundit calorem.

Secundum ſignum, hæc temperatura *generat ſanguinem pituitoſum*: ſicuti enim temperatura calida & ſicca generat bilem, ſic frigida & humida pituitam.

Per pituitam non intelligit crudum ſuccum, ſed pituitam naturalem, differt crudus ſuccus à pituita; quia pituita poteſt cōuerti in ſanguinem vel aliquando potuit, crudus ſuccus non eſt capax coctionis: poteſt generari in ventriculo, in iecore & in cerebro defectu, vel exceſſu caloris: dum defectu caloris in ventriculo generatur, vel ita crudus euacuatur, vel retētus ad cachexiam diſponit, vel in ſedimentum vrinæ cedit, vt aduertit Galenus 1. præſag. vltim. quod ſedimentum vocat corpus medium inter humorem & pus per negationem extremorum. Exceſſu caloris fit crudus ſuccus in vētriculo dum fiunt ciborum corruptellæ, & nidores: ſimiliter in iecore generari ſolet crudus ſuccus defectu vel exceſſu caloris. Defectu fit aqua hidropicorum exceſſu ſunt deiectiones bilioſiſſimæ. Parimodo cerebrum defectu vel exceſſu caloris facit crudū ſuccum; per defectum fit mucus, de quo Galenus 2. de facul.nat.vlt. dicit mucum nō eſſe pituitam, ſed crudam ſuccum: vel fit catarrhus tenuis ortus à vaporibus. Itidem cerebrum efficit exceſſu caloris crudum ſuccum ideſt catarrhum mordacem qui eſt crudus ſuccus qui obſeruabatur in matrona Romana à Gal. quinto meth. 13.

Tertium, *venæ ſunt anguſtæ:* ſi enim in calida & ſicca temperatura venæ ſunt amplæ: in oppoſita temperatura erunt anguſtæ; oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina ſecundum Ariſtot. 1. top. cap.8.

Quartum ſignum: *hepar frigidum et humidum niſi cor impediat* reddit vniuerſum corpus ſimile, Cor impedit, dum eſt calidum, & ſiccum, quia tunc reddit totum corpus calidum & ſiccum; quamuis hepar ſit frigidum & humidum, ſi igitur agnoueris ex propoſitis ſignis cor eſſe calidum & ſiccum, inde ſtatim inferre poteris, totum corpus quoque eſſe calidum & ſiccum, quamuis hepar eſſet ſua natura frigidiſſimum & humidiſſimum.

CAPITIS XLIV.

DE SIGNIS HEPATIS frigidi & ſicci.

Tex. 52. *Frigidius autem, & ſiccius hepar cum pauco ſanguine efficit corpus, & venarum anguſtia, atq; totum frigidius, & hypocōdria glabra, niſi & hic cor dominetur.*

PRimum ſignum eſt *paucus ſanguis*: ſi hepar calidum & humidum efficit plurimum ſanguinis, temperatura contraria efficiet oppoſitum, videlicet paucum; oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina. Cur verò temperatura calida & humida efficiat multum ſanguinis, in capite de hepate calido & humido dictum eſt.

Secundum ſignum *eſt venarum anguſtia:* ſuperius dictum eſt, cur latæ, & anguſtæ fiant venæ, & in quæſtione de latitudine venarum dicetur.

Tertium ſignum: *totum corpus eſſe frigidius*, ſupple, quam ſit temperatum, ideſt minus calidum, quam temperatum.

1 Dubitatio: exoritur, quia agens Gal. in hoc capite de hepate frigido & ſicco dicit, vniuerſum corpus, niſi cor obſtiterit, fore frigidius: nihil verò dixit de ſiccitate, ergo diminutus: ſi enim hic agitur de frigido & ſicco, debebat dicere, & totum corpus eſt frigidius & ſiccius, niſi cor dominetur.

Reſpondetur, dum Gal. loquitur de temperatura totius, reſpicit duo viſcera, cor ſcilicet & iecur, quæ ſunt illa quæ alterant totum corpus; & quę ſæpiſſimè ſe obtundunt, ita vt modò vnū, modò aliud dominetur: exēpli cauſa, ſi iecur erit frigidum, & cor calidum, temperatura totius erit calida; quia magis poteſt cor in calefaciendo totum, quam iecur in refrigerando; ſi vero iecur erit ſiccum & humidum, temperatura totius erit ſicca, & non humida, quia magis poteſt iecur in exiccando totum, quam cor in humectando; cor enim ſua humiditate nō poteſt

teſt obſtare ſiccitati iecoris;ratio eſt,quia humidiſſimum cor eſt adhuc ſiccius, quã ſicciſſimum hepar; hæcque eſt cauſa, cur Galenus dicens in tex. iecur frigidum,& ſiccum introducere in totum corpus tẽperaturam frigidam, niſi cor dominetur omiſerit temperaturam ſiccam;quia nũquam cor, quamvis humidiſſimum poteſt impedire, ne iecur ſiccum inducat ſiccitatem in vniuerſum corpus.

Quartum ſignum; *hypocondria ſunt glabra*; niſi cor dominetur; quaſi dicat Galenus, poteſt contingere, dum hepar eſt frigidum, & ſiccum, cor eſſe calidum, & ſiccum; quo caſu magis poſſet cor in calefaciendo totum, quam hepar in refrigerando, vnde totum corpus eſſet calidum,& pectus,& hypocondria hiſpida.

Ratio,cur hypocondria ſint glabra,eſt frigiditas, & ſiccitas, quæ prohibent eleuationem fuliginum. Curtius cenſet, ſiccitatem concurrere ad generationem pilorum; ſed dicit magis poſſe frigiditatem in prohibendo pilos,quam poſſit ſiccitas in illis generandis. Fallitur; quia ſiccitas neque materia, neque efficiens pilorum eſſe poteſt; non materia, quia materia eſt fuligo,quę à calore prouenit; accidit tamen, vt ſicca ſit; non efficiens, quia efficiens eſt calor.

2 Dubitatio ex omnium medicorũ conſenſu,dum hepar eſt calidius temperato, ferè ſemper ventriculus eſt frigidus,quomodo ergo erit vera ſententia Galeni dicẽtis,dum hepar eſt calidum, totum corpus eſſe calidum? quando quoque cor non obſtat; ſi totum corpus fuerit calidum, ergo & ventriculus; quare falſum eſt, quod Medicorum vulgus putat, caliditatem inſignem hepatis obtundere refrangere,& minuere caliditatem ventriculi.

Reſpondetur, Gal. per totum corpus intelligere muſculos circumdantes totũ corpus,& non partes internas,vt ventriculum,inteſtina, & cerebrum; quia hæ internę partes ſunt exangues,& illis non ita promptè communicatur caliditas iecoris; Nos tamen fusè declarauimus libro ſecundo methodi vitand. cap. 5. quomodo iecur calidum refrigeret ventriculum; ibique propoſuimus Galeni loca,& præcipuè locum ſecundi aphoriſmorum 35. vbi docet, hypocondria tenuia eſſe mala vt ſigna, & vt cauſæ: vt ſigna,quia indicant imbecillitatem,& eliquationem partium, quæ circumdant ventriculum; vt cauſæ; quia hypocondria tenuia efficiunt diminutam ventriculi coctionem; cauſa igitur, cur iecore exiſtente calido, ventriculus ſit frigidus, eſt,quia caliditas iecoris colliquat hypocondria,eaque reddit tenuia, vnde calor exhalat, & venter inde frigeſcit.

QVÆST. LXIV.

An latitudo venarum, vel anguſtia per ſe indicent iecoris temperaturam.

IN capitibus ſuperioribus Galenus declarans temperaturas iecoris, inter ſigna collocauit latitudinem, & anguſtiam venarum; dixitque latitudinem indicare hepatis caliditatem, anguſtiam verò frigiditatem.

Hinc Medicorum vulgus, dum videt latas venas, infert, iecur eſſe ſua natura calidius; dum auguſtas frigidius temperato.

Fallitur multis modis; primò,quia cõfundit ſigna oſtendentia ſtatum primigenium cum aduentitio;eſto enim latitudinem venarum in vtero matricis indicare iecoris caliditatem,negamus tamen in iuuentute, in ætate conſiſtentiæ,& in ſenectute,quod neceſſariò indicet caliditatem; mutantur enim plurimorum annorum curſu naturæ ex frigida in calidam, & viceuerſa.

Secundò fallitur, ſi putat,ſolam latitudinem venarum indicare propriiſſimè iecoris caliditatem,quia Galenus non ex vnico ſigno, ſed ex multorum ſyndrome temperaturas explorat; docet enim iecoris caliditatem colligi non ex ſola venarum latitudine, ſed ex abundantia flauæ bilis,ex ventre,& hypocondriis hirſutis, & ex aliis.

Tertiò fallitur; quia magnitudo venarum non pertinet ad temperiem, ſed ad conformationem:quare latitudo non indicabit per ſe iecoris caliditatem. Præterea ex Galeno 2. de temperamentis, & libro de formatione fœtus, primo venæ generantur, & deinde hepar tamquam

parenchyma venis adnaſcitur. Inſuper experientia idem confirmatur in formatione fœtus parui pulli: fracto enim ouo primis diebus conſpicitur prius venula, ante aliquod hepatis veſtigium; ergo venæ latæ non indicabunt propriè,& per ſe caliditatem; neque anguſtæ hepatis frigiditatem.

Præterea quod latitudo venarum non indicet temperaturam,patet; quia annorum curſu temperatura poteſt mutari ex calida in frigidam: latitudo ſi ſemel amplæ ſunt,annorum curſu non mutantur, ſed vſque ad obitum conſeruantur, ergo nihil habent cum temperatura; epilepſia poſt 25.annum,ſi inuadat,non eſt ſanabilis:cur? quia conformationes non mutātur,ſicut mutantur temperaturæ:vtinam cauſa epilepſiæ eſſet intemperies, & non mala conformatio; ante 25. annum conformationes mutantur,quia augumentū non eſt confectū; ſed confecto augumēto conformationes non mutantur;quare latitudo venarum, & ſi qua alia ſit conformatio per ſyndromen aliorum ſignorum indicare poteſt,& non alio modo.

Poſtremò idem cōfirmatur altiori philoſophia deſumpta ab Ariſt.2.poſt.vbi docet, ſi cauſa eſt temporis momento prior effectu,illam non eſſe cauſam efficientē, quam vocant nō veram, ſi effectus enim non erit ſemper in ſua cauſa non indicabit illius naturam; quia non prædicabitur de illo effectu perpetuo,& vniuerſaliter; ſi igitur venæ ſunt horis, & diebus priores hepate, non indicabunt, per ſe, ſeu propriè caliditatem, vel frigiditatem hepatis. His principijs ab altiori ſchola deſumptis motus Galenus inquiſiuit hepatis temperaturas, non per ſolam latitudinem, vel anguſtiam venarum, ſed per ſyndromen ſignorum communium,quæ multa, & varia ſunt.

Accedit,quod neque philoſophi,neque Medici exiſtimarunt,iecur eſſe principiū generationis venarum; Ariſt. enim 2.de gen. animal. Auicennas, & Veſalius putant, cor eſſe principium venarum, arteriarum, & neruorum; quorum opinionem ſuperius reiecimus. Aliqui, vt refert Ariſt.3.de hiſt.animal.cap.2.dicebant cerebrum eſſe venarum principium;Gal. 6. de placitis cap.2. refert Pelopem credidiſſe, cerebrum eſſe venarum,& aliorum omnium vaſorum originem.

Auicennas refert, Theſeum Perſeum ſecutum fuiſſe hanc ſententiam Pelopis dicentis, venas oriri à ſinu duplicaturæ duræ matris, in quo eſt ſanguis extra venas,ibiq;tamquā in fonte cōtinetur quod in alijs corporis partibus nō uidetur quo fit,ut crediderint uenas inde oriri. Syenenſis Medicus Cyprius,& Blemor Arabicus ab oculis uenas oriri putarunt;ecce quod ex Antiquis pauci inueniantur,qui dicant iecur eſſe venarum generationis principium; Ego autem cum Galen. & Hipp. & alijs plurimis præſtātiſſimis Auctoribus cenſeo iecur eſſe principium nō generationis, ſed diſtributionis uenarū; Hippocrates uidetur docere,nullam corporis partem oriri ab alia, ſed omnes ſimul inchoare, quāvis non omnes eodem tempore appareant; legitur in Hipp. lib. de diæta,& lib.de locis in homine,omnes partes in prima generatione ſimul inchoare,ſed non ſimul apparere, & vnam non generare aliam; quam amplectimur opinionem, & dicimus iecur eſſe principium non generationis, ſed diſtributionis cauæ,& portæ: Quod uerò cor nullo modo poſſit eſſe principium uenarum, ut putabant Ariſtoteles, Auicennas, & Veſalius,vnico,& efficaciſſimo argumēto confirmari poteſt,quod eſt; quia venæ in piſcibus non ingrediuntur cor; quare in animali cor non erit venarum principium: quia quod eſt uerum,& proprium principium generationis debet eſſe per ſe tale,uel ſaltem de omni ideſt in omnibus animalibus, uenas ſcilicet ab intima ſubſtantia cordis ſaltem prodire quod de uena caua piſcium dici non poteſt; quare cor nec principium generationis,nec diſtributionis uenarum eſſe poterit; Iecur uero, cum ab eius centro uenæ omnes diſtribui incipiant, dici poterit principiū diſtributionis uenarum,uenę tamen non indicabunt naturam diſtribuentis; quia diſtribuens non prædicatur per ſe de re diſtributa. Interim tamen eligemus ſententiam Hippocratis dicentis, nullam partem oriri ab alia, ſed omnes ſimul inchoare.

Poſtremò patet uenarum magnitudinem non indicare per ſe temperaturam ieco-

Iecoris:quia partium magnitudo non ſequitur per ſe primo qualitates primas; ſed formatricem, ſeu multitudinem materiæ:hæc ſententia deſumitur à Gal.2.de temperamentis cap. 8. vbi dicit, partium magnitudinem ſequi virtutem formatricem,& multitudinem materię;Hinc Galenus ſemper ſibi cohęrens ſuperius dixit caput fieri magnum,vel à formatrice,vel à multitudine materiæ. Denique experiētia fauet noſtræ opinioni:adſunt enim Germani qui proceres ſunt, & ſimul frigidi temperamenti;ex altera parte homines paruæ ſtaturæ obſeruantur, qui ſunt caloris feraciſſimi;non erit igitur dicendum magnas, & latas partes per ſe à calore prodire.

QVÆST. LXV.

De indicijs humorum quantitate, ſeu qualitate peccantium.

QVoniam Galenus dixit, flauam bilem indicare iecur calidum, pituitam frigidum, melancholiam ſiccum, & ſanguinis abundantiam humidum: par eſt, vt agamus de ſignis, quibus ſciri poſſit, quando peccant iſti humores.

De humoribus igitur acturi valde conuenit,vt hic acta,& probata à Galen.ſupponamus, & inde ad alia magis conferētia mētis aciem dirigamus. Supponimus in primis cum Galeno, quattuor eſſe ſuprema humorum genera, pituitam videlicet;melācholiam, bilem, & ſanguinem: deinde ſub his eſſe quindecim famoſas humorum ſpecies; Gal. enim 2. de differentijs feb. cap. 6. proponit quattuor pituitæ differētias,acidam ſcilicet,vitream, ſalſam,& dulcem; lib.de atra bile c. 2. ſeptem videtur proponere biles, pallidam primam,quæ eſt omnibus mitior, ſecundam flauam, tertiam vitellinam, quartā porraceam, quintā ęruginoſam, ſextam cæruleam, & ſeptimam rubram, ex qua fieri ſolent eryſipelata exquiſita: lib.3.de loc.aff.7. & lib. de atra bile citato ait Galenus, tres eſſe humores melancholicos, quorum prima ſpecies eſt fæx ſanguinis; ſecunda eadem fex ſanguinis aduſta,tertia eſt atra bilis illa furioſa.

Sed ſcitu dignum eſt, quod quælibet ſpecies humorum ex Gal. 6. epid.2. com. 37. habet proprium ichorem, quippe qui dum peccat,non eodem modo lædit, ſicuti eius humor: Hinc Gal. lib. de tum. præter naturam cap.10. dicit, cauſam eryſipelatis eſſe bilem flauam ichori ſanguineo mixtam; bilis enim ſine ichore ſanguineo nō efficit eriſipelas: ſimiliter porrigo facta ab ichore bilis eſt omninò diuerſa ab illa,quæ fit ab ichore melancholiæ; ſi igitur quindecim erunt humores, quindecim quoque erunt ichores.

His ſuppoſitis,duas methodus indagandi vitia ichorum, & humorum peccantium proponemus, quarum prima erit deſumpta à ſignis proprijs, de qua in hoc cap. Secunda à ſyndrome communium. Hic de ſignis proprijs agemus, ſed paucis, quia de eadem re fusè egimus lib. 5. & 6. methodi noſtræ vitand.& longè diſtinctius & fuſius in commentarijs noſtris Auicennæ cap.de humoribus.

Signa propria, quæ ſingula ſeorſum ſumpta indicent vnum humorem aliquo modo peccantem,ſunt tria, ſapores ſcilicet colores, & motus morbi, ſeu Typi; quando verò humores interni peccantes, neque ſapore, neque colore, vel periodis comprehenduntur, tunc confugimus ad ſignorum communium ſyndromen, de qua inferius.

Si de ſaporibus loquamur,ſex inueniūtur genera, quæ humorum conditiones indicare poſsūt;Dulcis ſcilicet,inſipidus, qui ex Galeno 2. de differentijs feb. cap. 6. indicat pituitam aquoſam, ſapor dulcis manifeſtus, qui indicat ſanguinem; Galenus enim 2. de fac. naturalibus cap. 9. ait, dulcedinem eſſe proprietatem ſanguinis; ſapor amarus, qui indicat bilem; ſalſus pituitam ſalſam, acetoſus melancholiam, & pituitam acidam; ponticus verò ſapor indicat non ſolum melancholiam aduſtam, ſed etiam vitream pituitam.

1 Dubitatio exoritur; quia enarrati ſapores non vidētur propriiſſimè indicare humores propoſitos; quia dulcis ſapor poteſt indicare duo,videlicet ſanguinem, & eius ichorum; quare dulcis ſapor non erit collocandus inter ſigna propria:ſimiliter acidus ſapor indicat pituitam acidā, & me-

& melancholiam, ergo non erit ſignum proprium.

Reſpondetur, quando duo humores habent eandem qualitatem:illam vni per ſe, & alteri per accidens,ſiue per participationem conuenire,Hinc ſi dulcedo per ſe conueniet ſangu'ni,vt omnes conſentiunt, per participationem conuenient ichori ſanguineo & aliquando pituitæ, ſi ichor ſanguineus illi permiſcetur.

Si vero loquamur de acetoſo ſapore vidēdum eſt, quænam ſit acetoſitatis natura,& cui primo cōueniat, dicimus igitur ex Gal.8.de ſimp.med.c.de aceto,naturam,ſeu temperaturam aceti eſſe frigidam & ſiccam;cui vero conueniat natura frigida & ſicca facile colligi poteſt ex Gal.2.ad Glauc.cap. 10. & libro de trem. & palp. cap.7. vbi cōcludit melancholiā, quæ eſt fæx ſanguinis, eſſe frigidā & ſiccā:huic igitur melancholiæ naturali,quæ eſt fęx sāguinis per ſe cōuenict humorū internorum ſapor acetoſus: alijs igitur humoribus acetoſitate præditis per accidens, ſeu per melancholiæ participationem:ſicuti accidit pituitæ acidæ,quæ acida ſit per miſtionem melancholiæ, vel eius ichoris:occaſio permiſtionis eſt quia quotidie melancholia fæcalis ad ventriculum tranſmittitur gratia cibum retinendi,& incidendi: eſt enim tāquam primæ coctionis fermentum; nullus enim chylus ſit ſine præcedente mixtura huius melancholiæ: cum igitur ventriculus ſit ſedes pituitæ, non eſt mirum, ſi melancholia demandata in ventriculum permiſceatur pituitæ.

Si de humorum peccantium coloribus verba facimus, breuiter dicimus (de his enim fuſè egimus li.5.& 7.noſtræ meth.) decem dari colores, qui indicāt internos humores, quorum primus eſt color albus, qui pituitam indicat;ſecūdus ruber, qui ſanguinem, & bilem rubram;tertius pallidus color, qui pallidam bilem; quartus qui citrinam; quintus vitellinus, qui vitellinam; ſextus viridis color, qui porraceā: ſeptimus æruginoſus, qui praſſinā bilem;octauus cęruleus,qui iſatidem;nonus niger color,ſed turbidus,qui melancholiam, vt docet Gal. 3.de loc.aff.cap.7. quæ eſt fæx ſanguinis: decimus eſt niger color ſplendidus, qui atram bilem aduſtam indicat.

Humores tamen ſæpè permiſcentur, vel illorum ichores alijs humoribus, vnde facilè Tyrones decipiūtur, niſi diſtinguant cauſas ſaporis per ſe, ab illis, quæ ſunt per accidens; quod præceptum Gal. lib.de conſt.ar.med.cap.14.his verbis tradidit literis, *maxime ſpectare ad Medicū, ne in illum illabatur errorem,vt non diſtinguat per ſe ab illo quod per accidens operatur*(addit)*ſæpè calida per accidens refrigerare, et frigida calefacere*: quo pacto vero omnia diſtinguantur, nos fuſè lib.5.6. & 7. methodi vitand. docuimus.

Præterea ſciendū, pallidum colorē non ſolū indicare pallidam bilem, ſed calorē in corpore eſſe temperatiſſimū:Flauū vero indicare temperaturā parū recedentē a temperato: Vitellinā bilem,cū ex Gal. 5.in 6.de morb.vulgar.tex.13. fiat ex flaua reddita a calore craſſiori indicare calorem adhuc magis recedentem: Hinc Gal.2.præſag.47.loquēs de gradibus aduſtionum humorum habet hæc verba, *flauus color fit ſeroſo abſumpto:pallidus fit immixto: æruginoſus fit ſeroſo valde torrefacto: Niger fit ſeroſo ſupramodum torrefacto, qui tunc atra bilis peſſima efficitur*.

Si de motu morbi, ſeu periodis loquamur dicimus, ſi craſſi humores valdè peccant neceſſariò inſultus & motiones tardas effici, & ex his motionibus melācholiam peccare conijcimus:ſi motus sūt veloces biliosſus dominari. Similiter periodicatio de tertio in tertium indicat bilem; de quarto in quartum melancholiā: ecce quomodo ex motione quoque tarda,aut veloci,& ex periodicatione dominantes humores percipiuntur.

1 Dubit. exoritur, quia aliquis obijcere poſſet,motū velocē,& tardū,& periodicationē nihil conferre ad præſentē cōtemplationem: quia Galenus loquens de hepatis tēperatura propoſuit bilis flauæ abundantiam, quatenus indicare poteſt temperaturam permanentem in latitudine ſanitatis: periodi verò & motus indicant humores putridos, qui pertinent ad corpora ægrorum,& non ſanorum.

Inſtātia facilè tollitur: quia periodi nō ſolū in putridis,ſed in affectibus,qui non recedūt a ſanitatis limitibus,obſeruātur: ait.n. Galenus 2. de different. feb. capite vlti-

vltimo, dari lippitudines leuiſſimas, quæ alternis diebus aliquãtulũ vexãt. Inſuper experientia patet, qui gallica lue ſunt coinquinati veſperi magis grauari, quia illis horis humor melancholicus mouetur, cui lues adhæreſcit; ſimiliter qui nephritide, & dolore articulari infeſtantur certis temporibus, periodicè male habent.

Audias caſum à Gal. propoſitum 5. de loc. aff. c. 2. cuiuſdam qui verno tempore per tres annos corripiebatur palpitatione, qui eſt affectus grauis, huic Gal. conſulebat antequam illum palpitatio inuaderet, phlebotomiam quæ eum liberabat.

Demum dantur periodi in corporibus ſaniſſimis, ſicuti dum in mulieribus mouentur menſes. Præterea in quoq; menſe corpora ſanorum hominum perinde ac mulieres expurgantur, vel per vrinam, vel per alias regiones: ſicuti in ſtaticis obſeruationibus (quas breui in lucem promemus) oſtendemus.

2 Dubitatio videtur, quod periodicatio, ſeu velocitas, vel tarditas motus conueniat morbis: & non humoribus: periodus quidem de tertio in tertium febri tertianæ conuenit, de quarto in quartum quartanæ. Augetur dubitatio, quia in Gal. 3. de criſibus c. 4. habetur, quod de ratione morbi ſint quattuor, idea ſcilicet, magnitudo, motus, & mos; ergo motus velox, vel tardus & periodicatio conueniet morbis, & non humoribus.

Solutio facilis erit, ſuppoſitis duobus principijs certiſſimis; quorum alterum deſumitur à Gal. ex primis libris methodi, quod eſt, omnem morbum vt morbus eſt, eſſe in facto eſſe; ſecundum eſt Ariſtotelis tertio phyſicorum, tex. 6. & Galeni, quod motus ſit actus entis in potentia vt in potentia, ideſt (vt ego interpretor) in fieri: quibus poſitis, dico periodos, & motus veloces, vel tardos non indicare primo & per ſe morbos, ſed humores, qui morbos efficiunt. Dum vero Galenus loco citato docet, motum eſſe de ratione morbi, dico per morbum intelligere affectum, qui ab humoribus adhuc fit, & nõ eſt plenè factus: hectica verò febris, & omnes morbi, qui facti ſunt, & non amplius fiunt, neque periodos; nec motum velocem vel tardũ habent, nec augumẽtum, nec ſtatum, nec declinationem. Ad dubium dico, periodum de tertio in tertium per ſe indicare bilem peccantem, quæ deinde facit tertianam: de quarto in quartum melancholiam putridam, quæ efficit quartanam.

3 Dubitatio iterum augetur; quia non videtur, quod humores ſint cauſæ periodorũ, corpora enim noſtra perpetuis vexarentur inſultibus, non valet, peccat bilis quantitate, vel qualitate, ergo inſultus ſunt de tertio in tertium; peccat melancholia, ergo de quarto in quartum.

Tollitur dubitatio; quia humores peccantes dignoſci poſſunt ex periodis dupliciter, vel quo ad humorum exiſtentiã, vel quo ad eſſentiam. Dicimus ex periodis nos dignoſcere exiſtentiã; valet enim, eſt inſultus de tertio in tertium ergo bilis, ſed non è contra, quia cauſæ, quæ dant ſolum exiſtentiam, vel ipſum quod, non ſunt proximæ, ſe remotæ; ſimiliter dicimus, eſt reſpirans, ergo eſt animal ſed non viceuerſa.

Hęc doctrina eſt Ariſtot. 1. poſt. tex. 30. quod ſcilicet cauſa remota det ſolũ quod, & non propter quid; nõ dat propter quid; quoniam omne propter quid eſt affirmatiuum, & omne affirmatiuum ex cauſa remota eſt in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis, quod argumentum nihil cõcludit. Hinc eſt, quod valet, ſunt periodi, ergo humores peccantes, ſed non viceuerſa: dantur enim humores peccantes in venis, qui ſine ordine mouentur. Idcirco Galenus 2. de differentijs feb. loquens de hac re, non refert periodum originem in humores, ſed in membrorum diſpoſitiones.

Hinc qui putant humores eſſe cauſas proximas, & immediatas periodicationũ non ſunt adepti penitiora huius contemplationis initia.

Fernelius, qui ait periodos oriri ab illa inſita & propria humorũ qualitate, quã vocat ἰδιοσυγκρισίαν, valde decipitur.

Itidem Gentilis, & Arculanus dicentes periodos à proprietatibus occultis prodire aberrarunt toto cælo.

Parimodo Capiuaceus, dũ ait, cauſam periodi eſſe naturam humorum, decipitur: omnes enim iſti in petitionis principij vitium euidentiſſimum illapſi ſunt, quia Auditor ſtatim petet, quænam ſit

hæc proprietas, quæ efficiat periodum, & quænam ſit hæc humoris natura.

Neque Valeſij opinio accipitur, dum ait cauſam periodorum eſſe quãtitatem, bilis enim pauca & multa in tertianis efficit eandẽ periodum de tertio in tertiũ.

Sed quia omnes iſtæ opiniones ſunt à me fusè eiectæ lib. 5. c. 5. methodi vitand. non eſt vt acta iterum agantur, ibi enim defendimus, humores eſſe cauſas remotas, & non proximas periodicationum: proximas vero eſſe membrorum diſpoſitionem & ſitum: interim colligemus indicia propria exiſtentiæ peccantium humorum eſſe colòres, ſapores, & periodos.

QVÆST. LXVI.

An vrina, & Pulſus ſint propria inditia omnium prædominantium humorum.

PRobatum eſt ſuperius, quod tria ſint ſigna propria indicãtia peccantes humores: Quæritur modo de vrina, & pulſu. Quantum ſpectat ad vrinam non videtur, quod ex illa æternæ veritatis indicia colligantur. Gal. enim loquens de pythione, qui duplici affectu vexabatur, febre ſcilicet, & pectoris affectione, aut iudicationem factam fuiſſe in pythione die decimo; ſed cum vrinis crudis, videns igitur Galen. poſt coctum morbum vrinas crudas perſeuerare, ſubdit, coctionem, vel cruditatem humorum in pectore reſidentium non dignoſci per vrinas; ſed per ſputa; ecce dum humores ſunt cocti in pectore, vrinam non coctam, ſed crudam eſſe; ergo vrina non ſemper erit certum indicium cruditatis, vel coctionis humorum: in multis enim morbis vrina poteſt eſſe cocta & humor crudus, & verſauice.

1 Dubitatio; videtur, quod vrina ſit certiſſimum & proprijſſimum indicium coctionis, vel cruditatis humorum in venis ſaltem exiſtentium, & non extra venas; quia Gal. 3. aphor. 77. & 4. de tuen. ſanitat. in principio habet hanc ſententiam, *quæ intra venas ſunt nullum, ſanè nec manifeſtum, nec euidens ſignum habemus præter ſolam vrinam*, ergo non ſolum ſapores, colores & motus, proprijſſimè indicabunt, vt dictum eſt.

Reſpondetur, Galenum intellexiſſe, nullum ſignum ex ijs, quæ indicant humores exiſtentes intra venas eſſe euidẽtius, quam ſit vrina; neq; tamen abſolutè putabat, vrinã eſſe ſignum certiſſimum, quod verò vrina imperfectè quoq; indicet, quæ intra venas ſunt, legamus Gal. 2. præſag. com. 26. vbi habet hæc, *contingere poteſt, vt aliquis vrinam, quæ reprehendi nõ poteſt, emittat, attamen ſequenti nocte aliã reprehendendam reddat, et rurſus ſequenti die mane bonam, veſperi malam, quæ vrina oſtendit partem humorum in venis reſidentium eſſe coctam, et partem crudam:* ſubdit, & docet quæ vrina verè bona ſit; *ſi inter coctas vrinas nulla cruda inciderit, ea optima vrina eſt:* ecce quod qui colligunt ex vrina cocta ſemel viſa coctionẽ & morbi victoriam facile in errorem labuntur. Ratio verò, cur vrina aliquando inexpertum medicum fallat, eſt, quia humor crudus non totus ſimul coquitur, ſed prius vna pars; deinde alia. Hinc loquens Galenus de hiſtoria Cleonactidis ait ab illo vrinam modò coctam, & modo crudam redditam eſſe, quia humores aliqui coquebantur, & aliqui manebant crudi: quare nunquam totò ſic inferimus, vrina eſt cocta, ergo cocti ſunt humores, & morbus eſt in declinatione, niſi ſic cocta multos dies perſeueret.

Præterea videtur, quod vrina non indicet quæ ſunt in omnibus venis, ſed ſolũ quæ ſunt in vena caua, in renibus, & veſica, vt docet Gal. 4. aphor. 77. & in hiſtoria mulieris decumbentis apud Pantimidem, vbi dicebat vrinas crudas oſtendere humores crudos eſſe in iecoris gibba, euacuationes vero tenuium indicare humores crudos eſſe in venis meſerei; addimus tamen nos, vrinam indicare, quæ in vena caua, & in gibba iecoris, & in renibus ſunt; hac ſeruata lege, vt perſeueret talis multos dies.

Demum experientia docet, vrinam reddi quoque crudam in fine morbi multorum dierum ſpacio poſt omnimodam victoriam; ratio eſt, quia cruditas nõ modo conſequitur putredinem, ſed nimias potationes, vigilias, coitum, & alia, quæ perturbant primam, & ſecundam coctionem; vaniſſima enim eſt conſequentia,

vrina

urina eſt cruda, ergo morbus eſt in principio; uana quoq; eſt, urina nunc eſt cocta, ergo morbus eſt in declinatione; argumenta hæc ſunt in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis; cruditas .n. eſt quid uniuerſalius, quàm putredo; coctio verò inſequitur victoriam non ſolùm totius, ſed etiam unius portionis putredinis; ualet tamẽ urina cocta, perſeuerat ergo natura victoriam conſecuta eſt, & morbus eſt in declinatione.

Si verò de pulſu ſermo fiat, dicimus, quòd neq; pulſus determinatum humorem peccantem indicare poſsit, neque an cõcoctus, uel crudus humor ſit; Hinc Galenus non ſemel habet hanc ſententiã, coctionẽ colligi ex pulſu non certa ſcientia, ſed probabili quadam coniectura.

Preterea ex pulſibus, an peccet pituita uel bilis nemo intelliget; aliquãdo enim pulſus ſunt molles, & inde eſſet colligendum pituitæ dominium, attamen poteſt peccare bilis, ſicuti contingit in ijs, qui ardore pulmonis opprimuntur, qui pulſum habent mollem. Similiter pulſus ſerratilis indicat bilem in pleuritide exquiſita, nihilominus aliquando ſerratilis ſit à potu frigidæ ſine vllo bilis prædominio; ecce quod neq; pulſus, neq; vrinæ ſint ſigna propria peccantium humorum; vera igitur via, & methodus perquirendi humores in corporis latebris detentos, eſt unica, eaq; eſt ſyndrome multorum ſignorum, de qua ſtatim agemus.

QVÆST. LXVII.

De ſyndrome locorum indicantium dominium peccantium humorum.

QVia Galenus ſuperiùs docuit, ſignum hepatis calidi eſſe bilis flauæ abundantiam, & atram in conſiſtenti ætate dominari; docuitque hepatis frigidi ſignum eſſe pituitæ copiam; humidi eſſe polyæmiam, ideſt multitudinem ſanguinis; ideo egimus de aliquibus ſignis proprijs, quę indicant an peccet vnus, vel alter humor; ſed quia ob humorum mixturam, & farraginem ſapores, colores humorum, & periodi occultari ſolent, reſtabat, ut nos inueniremus aliquam vniuerſalẽ viam, quę non aliquando, ſed ſemper nos doceret quando abundet vnus, vel alter humor, ſecus tractatus iſte Galeni de hepatis temperaturis eſſet à Tyronibus imperceptibilis.

Hæc vniuerſalis via procedet per ſignorũ ſyndromen, quæ adeo aperit, vt ſemper hac via penetremus ad humores in profundo latentes; ſic imitabimur Ariſt. 2. poſt. vbi docet, quando deficiunt ſigna propria, eſſe incedendum per ſignorum communium ſyndromen.

Horum communium ſignorum, quæ ſyndromen artificioſam componunt, aliqua ſunt neceſſariò antecedentia, aliqua verò neceſſariò conſequentia: neceſſariò antecedẽtia deſumuntur à ſex rebus non naturalibus, & à ſubiectorum diſpoſitionibus. Neceſſario conſequentia a quattuor deſumuntur, vt infra dicetur.

Cauſæ nõ naturales ſine ſubiecti diſpoſitione nihil agunt: nõ .n. ſequitur in medicina, aer feruidus, victuſque & potus calidiſſimus præceſſerunt, ergo bilis abũdans eſt; ſæpè enim iſti in anaſarcã incidunt, in qua humor frigidus dominatur. Similiter non ſequitur, aer præceſſit frigidus, victuſque frigidiſſimus, ergo prædominatur pituita; quia aliquando videmus ſenes hyberno tempore poſt vſum quoque frigidorum in cauſonem, ſeu ardentiſſimæ bilis generationem prolabi; requiritur igitur ſubiecti diſpoſitio: Hinc Galenus lib. de cauſis morb. 2. ait, ſine ſubiecti aptitudine nec ignis combureret, nec gladius abſcinderet: Ariſtoteles verò 2. de anima tex. 24. ait actum actiuorum eſſe in patiente diſpoſito: de hac re fusè egimus libro ſexto, method. noſtræ, ideo preſſius hic.

Neceſſariò cõſequentia ſigna ſanorum corporum ad duos fontes reducuntur; hique iuncti cum alijs ſignorum fontibus conſtituent ſufficientiſſimã ſyndromen; quando enim ex quolibet fonte antecedenti, & conſequenti vnicum colliges indicium, credas te adeptum eſſe peccantis humoris dignotionem; primus ſignorum fons continet ſex res non naturales; Secundus diſpoſitionem ſubiecti; Tertius caſus ſeu accidentia conſequentia; Quartus iuuantia & lædentia; Quilibet tamen ex his quattuor fontibus ſub ſe habet mul-

multos locos, à quibus quiſque vberrimam doctrinam deſumet, ſed de his diſtinctè egimus libro ſexto, meth. vitan. neque opus eſt, quod ſemel ſcriptum eſt, eadem prolixitate iterum tractetur.

QVÆST. LXVIII.

De locorum ſyndrome indicante bilis abundantiam.

DIximus, quod ſigna, quæ colliguntur à neceſſariò antecedentibus, ſunt res non naturales, & diſpoſitiones ſubiectorum: quare ſi de ſex rebus non naturalibus indicantibus bilem loquamur, ex Galeno lib de cau. morb. cap. 2. dicimus tres eſſe locos, adhæſus ſcilicet ſeu vicinitatem rei calidæ, motum, & alimentum.

Adhæſus rei calidæ generantis bilem deſumitur ab aere calido, qualis eſt æſtiuus, & feruidæ regionis, vel igne paratus, vel à balneis, & vnguentis, vel à medicamentis calefacientibus.

Motus bilem generans continet ſub ſe quattuor locos: quorum primus ſumitur à coitu, qui ex Gal. 5. de morb. vulg. 23. corpora calefacit: quare moderatus bilem pallidam naturæ vtilem efficere poteſt; immoderatus porraceam, & æruginoſam, quæ malignas febres efficit. Hinc Hippocrates de adoleſcente Melibeæ loquens ait, hunc incidiſſe in febrem maligniſſimam ob nimij coitus vſum; ſimiliter lib. 8. de morb. vulg. 38. ait, Hipp. Satyrum ob nimium coitum fuiſſe factum tabidum.

Secundus locus, ſumitur ab animi paſſionibus: ita enim ex Galeno 1. de differentijs feb. cap. 3. calefacit ob duas cauſas: prima ob ſanguinis feruorem ab illa excitatum; ſecunda quia cum impetu mouet ſpiritus ad circumferentiam; Mæſtitia verò, & timor mouent ſpiritus cum impetu ad cor: pericharia verò ſeu nimia lætitia calefacit effundendo ſpiritus ſine interna ſanguinis efferueſcentia, ideò in nimio gaudio interiora frigent, & exteriora incaleſcunt.

Tertius locus ſumitur à vigilia, quę calefacit, quia conſeruat ſpiritus cum perenni motu, vnde calor.

Quartus ſumitur à nimio exercitio.

Quintus ab alimento, quod vel calefacit per ſe, vel per accidens: per ſe vt cibus calidus, ſeu aromatis refertus, vel potus meraci copioſè hauſti; quia moderata meri potio, vt admonet Dauid Propheta, cor lætificat: per accidens, cibus quoque frigidus vt viſcoſus, qui impediat perſpirationem, calefacit: Præterea adeſt cibus ſua natura temperatus, qui tamen eſt huius conditionis, vt in temperaturis calidioribus in bilem conuertatur, ſicuti de melle ait Galenus 2. de fac. naturalibus capit. 8. quod in iuuene calido vertatur in bilem, in ſene in optimum ſanguinem.

Inſuper potus, quamvis frigidus, ſi non habeat tranſitum, in bilem conuertitur; Hinc Hippocr. 3. de ratione vic. in ac. 39. & 3. de fracturis ait, aquam potam, niſi liberum habeat tranſitum, in bilem verti. Poſtremò alimentum vertitur in bilem ratione paucitatis.

Hinc Galenus aduerſum Eraſiſtratum ait, nimiam inediam carnes eliquare, & bilem reddere amariorem, & 2. aph. cōm. 22. inediam bilioſis febrem inferre; 8. meth. cap. 4. inediam pichrocolos interficere; ecce quod ſub alimento quinque ſunt loci, ex quibus colligimus, quando alimentum calefacit. Primus continet quæ per ſe calefaciunt. Secundus quæ obſtruendo calefaciunt. Tertius, quæ accenſibilia, ſicuti de melle docuit Galen. Quartus continet quæ non tranſeunt, ſicuti aquam potam non habentem liberum tranſitum docuit Hippoc. conuerti in bilem; Quintus deſumitur ab alimenti paucitate.

Cæterum in perfecta ſyndrome requiruntur quoque loci qui deſumuntur à diſpoſitione ſubiecti; Galenus in Hiſtoria Sileni dixit, quod Silenus ob errata in procatarcticis non incidiſſet in grauiſſimum, & mortalem morbum, niſi antea eius corpus fuiſſet præparatum ad accenſionem: ideo proponendi ſunt loci indicantes diſpoſitionem corporis generantis bilem: quorum aliqui ſunt antecedentes, & aliqui conſequentes; antecedentium quinque ſunt; quorum primus deſumitur à parentibus, & quæritur an parentes fuerint bilioſi; generant enim

vt

vt plurimum filios ſibi ſimiles. Secundus locus eſt ab ætate; ætas enim iuuenilis facilis eſt ad procreandam bilem. Tertius deſumitur ab habitu corporis; quia macilentus habitus bilem; obeſus pituitam indicat; ſub hoc duo loci continentur, alter eſt à phyſionomicis ſignis deſumptus, de quibus aliquid diximus lib. 6. methodi noſtræ vitand. Altera venis latis. Quartus à uirtute; quia ſi corpus eſt optima uirtute donatum magis eſt procliue ad bilis, quam ad pituitæ generationem. Quintus eſt à ſuppreſſa bilis euacuatione, & eſt omnium locorum certiſſimus.

Loci conſequentes quinque ſunt, qui deſumuntur ab actionibus animalibus, vitalibus, naturalibus, exeuntibus, & immodicè retentis, & qualitatibus tactilib.

Ab actionibus animalibus colligimus, admodum uigiles indicare bilem; ſimiliter ſi per ſomnum loquuntur, & gradiãtur; Galenus enim 2. de motu muſc. 4. refert, ſe tali affectu præditum dormiendo integrum ferè ſtadium confeciſſe, hoſque ait aggredi omnia, & intrepidè conſcendere tecta, & adire periculoſa, quia imaginatrix ita corrumpitur à bilioſis vaporibus, ut pericula non dignoſcant; Præterea tales ſunt mutabiles in ſententia ſuntque ingenio celeri, ut notat Galenus in capite de cerebro calido, & illis in ſomnijs prælia & fulgura offeruntur.

A vitalibus hæc deſumimus; ſunt in iram præcipites; in uenerem furioſi, ſed poſt factum ualdè pœnitentes; pulſus ueloces, & duriores, ut docet Gal. 3. de diffe. pul. cap. 10.

A naturalibus colligimus hoc, quod expultrices facultates ut plurimum irritentur.

Ab excrementis ſimiliter deſumimus uaria; in primis excrementa apparent plus iuſto bilioſa, aures magis abundant bile: Præterea carent ſaliua.

Locus à qualitatibus tangibilibus eſt caloris mordacitas totius corporis.

Si uero corpora ægrotantia ſe offerent nobis conſideranda ex quattuor locis à morbo deſumptis colligemus, an in ęgrotante prædominetur bilis; primus deſumitur à morbi periodicatione, omnis .n. periodus de tertio in tertium diem indicat bilis dominium, ſecundus locus à motus velocitate, omnes enim acutæ febres ex bile fiunt; Galenus enim præcognouit in philiſco uelocitatem, ſeu breuitatem morbi ex uelocitate, ſeu breuitate principij morbi illius; ibi enim leguntur hæc uerba, quæ tanquam arcana nos colimus *vbi tertius, & quartus dies habent grauia ſymptomata citò expectabis iudicium:* vbi igitur citò iudicium fit, morbus acutus eſt, & ut talis bilem indicat; Tertius locus deſumitur ex horis diei; etenim in meridie ſi mouentur humores, dicendum eſt bilem dominari, hic locus deſumitur ab Hipp. & Galeno 12. meth. cap. 5. & multis in locis. Quartus ab idea morbi, ſicuti ab inflammatione membranarum, ut in pleuritide, & phrænesi peccat bilis, ſola enim bilis eſt illa, quæ membranas inflãmare poteſt; quia illa & non alij humores membranarum denſitatem penetrant. Ideo Hippocrates 6. aph. 33. ait, qui acidum eructant non fiunt pleuritici, quia iſti ſunt pituitoſi: Hinc eryſipelata ſine tumore indicant bilem; Galenus lib. de plenitud. cap. vltimo ait, ſolam bilem nec tumorem, nec pondus producere, antequam enim pondus faceret, exulceraret, variæ igitur ſunt ideæ morbi indicantes bilem, ſed præcipua intentio eſt, ut hic agamus de corporibus permanentibus in latitudine ſanitatis, ideo paucis hanc conſiderationem de morbis expediuimus: latius tamen actum eſt in 1. & 6. lib. meth. noſtræ uitand.

Loci, qui colliguntur à iuuantibus, & lædentibus, præbent nobis ferè certitudinem: Primus locus iſtorum deſumitur à ieiunio; Galenus enim 2. de ratione uic. 32. ait ieiunium bilioſis officere, ſi igitur nocebit, & alij loci non obſtiterint, inferre inde poteris illud corpus bile eſſe refertum: confirmatur hic locus Galeni auctoritate 6. de morb. vulg. 3. tex. 28. vbi dicit, bilioſi paucitate cibi adaugent ſitim, & laſſitudinem.

Inde oritur ſecundus locus, qui eſt à laſſitudine, ualet enim ieiunium laſſitudinem parit, ergo bilis dominatur, pituitoſis enim ſumopere confert.

Tertius locus colligitur ex Galen. 3. de ratione uic. 33. & eſt à genere ciborum; ibi habetur, acetum prodeſſe quibus ama-

ra bilis exuberat, ſimiliter ſi frigida eſculenta iuuabunt, credendum eſt, bilem prædominari: quando tamen præter hos locos à iuuantibus,& nocentibus deſumptos alij loci ennarrati conſentient, credas, te per locorum dictorum ſyndromē ad certitudinem,& exquiſitam cognitionem,an peccet bilis,eſſe peruentum.

Q V Æ S T. LXIX.

De locorum ſyndrome ex qua colligimus pituitæ dominium.

SEx cauſæ refrigerantes, & pituitam gignentes à Gal. proponuntur lib. de cau.morb.cap.3. Prima eſt adhæſus,ſeu vicinitas corporis frigidi Secunda cibus, vel potus frigidus. Tertia ſtipatio nimia. Quarta rarefactio nimia. Quinta ocium; Sexta motus immodicus,qui nimium reſoluendo refrigerat: Ex dictis ſex cauſis quattuor colliguntur loci pertinentes ad procatarcticas cauſas, quorū primus eſt vicinitas corporis frigidi; ſecundus,cibus & potus frigidus. Quod cibus frigidus pituitam gignat, immo, & aliquando hydropim, patebit quoque ex caſu Heracliti philoſophi de cuius vita agens Laertius ait,Heraclitum hominum tedio in montes ſeceſſiſſe,ibique oleribus frigidis veſcentem hydropicum fuiſſe factum,& ob id è viuis deceſſiſſe. Tertius, ocium,& præterea motus nimius;hę cauſæ externæ ſi vehementiſſimæ fuerint generabunt pituitam vitream:minus frigidæ acidam; adhuc minus frigidæ inſipidam.

Diſtinguamus tamen ſemper oportet, frigida per ſe,ab ijs,quæ per accidens frigida ſunt; Galenus enim lib. de conſt. ar. med.cap.14.habet hæc verba: ſpectare ad medicum oportet, vt rectè videat, ne in eum illabatur errorem, in quem, qui putant frigidam aquam in omnibus, quæ egent refrigeratione,conuenire:quia ſępè frigida ex accidenti calefaciunt,& calida refrigerant: Similiter Galenus 10. meth.cap.8.ait, aerem frigidum inſpiratum refrigerare, denſare, & prohibendo humorum effluxum calefacere, aliquando verò ob nimiam condenſationem calorem natiuum ſuffocari, & extingui, ſicuti docet Ariſt.4.meteor.cap. de aſſatione, ſimiliter nimia caliditas reſoluendo refrigerat, immoderati enim maluatici hauſtus intemperies frigidas, pituitam vitream efficiunt,& paralyſim inducunt, non ſolum calorem naturalem ſuffocando,ſed etiam reſoluendo, moderata verò vini potio calefacit, & exhilarat; Hinc Plato primo de legibus ait, vinū eſſe datum hominibus ad timores depellendos, & ad hilaritatem efficiendam, & Poeta apud Atheneum vinum vocat curarum iugulatorem; Dauid uero Propheta ait, uinum cor lætificare, quæ omnia de moderata uini potione ſunt intelligenda.

Loci indicantes diſpoſitiones corporis ad pituitam generandam deſumuntur ab antecedentibus,& conſequentibus,antecedentium cauſarum quinque ſunt loci.

Primus an parētes fuerint pituitoſi,filij enim mores animi, & corporis parentū facillimè ſuſcipiunt,immo refert Plutarchus, Romanorum filios ex parentibus tabidis ortos, ne talis mali labe quoque contaminarentur, conſueuiſſe pedes in aqua euſque detinere, donec defuncti parentis oſſa concremata fuiſſent.

Secundus locus ab ætate,in ſenili enim ætate ut plurimum pituita congeritur.

Tertius locus à corporis habitu obeſo, uel ab illo,qui habet uenas anguſtas,oculos albos;ut dicit Auer.& maxillam inferiorē magnam,iſti .n. ſunt pituita referti.

Quartus locus à virtute debili, uirtus enim robuſta, uel ſanguinem, uel bilem gignit, debilis uero pituitam.

Quintus locus, qui eſt omnium certiſſimus,deſumitur ab intermiſſa aliqua pituitæ euacuatione per uomitum,per ſputa,per nares &c.

Conſequentium quinque ſunt loci uidelicet actiones animales,uitales,naturales,immodicè excreta & retenta,& qualitates tactiles. Ab actionibus animalibus uaria colligimus, ſūt enim ſomniculoſi, ſiti non uexantur, deiectumque habent appetitum, niſi tamen acida reddatur pituita,quæ famem excitet: Ab actionibus habentibus principatum colligimus pituitæ dominum, quando ſcilicet ſunt ingenio retuſo, firmantur in illo, quod ſemel apprehendunt, ſuntque diligentiſſimi, ut Germani in ſuis operibus: Si

de

de animi moribus illorum loquamur paucos, uel nullos mores habent; Galenus enim primo de natura humana comment.39. ait, acumen ingenij à bile, prudentiam à melancholia; ſtoliditatem à ſanguine, à pituita verò nullos mores proficiſci.

A vitalibus colligimus pulſus eſſe molles, tardos, & ſuffocatos: Præterea non ſunt in ira proni, neq; in venerem furioſi.

A naturalibus; expultrices, & alteratrices ſuorum munerum officia tardè explent, ſentiunt cibum in ſtomacho ſæpè eſſe moleſtum.

Ab excrementis; videmus per os, per tuſſim per nares eorum corpora plurimis ſcatere excrementis.

A qualitatibus ſenſibilibus; habent in toto calorem mitem, ſæpèque actu frigidi ſunt, & pili citò cani fiunt.

Si uerò huiuſmodi corpora in morbos incidant, duo loci præcipui conſurgunt, qui certò indicabunt, ſi alij non obſtiterint, pituitæ dominium, primus locus deſumitur ab idea morbi, quæ duplex eſſe ſolet, altera ſpectans ad ſimilares partes, quæ eſt intemperies frigida, & humida, quæque indicat pituitæ dominium; altera ad diſſimilares, ut eſt inflammatio cum pondere, ſicuti enim inflammatio ſine pondere indicat bilem, ſic cum pondere indicat pituitam, ſi vero aliquis hæret ſcrupulus, aliorum locorum ſyndrome exactiſſimè expurgari poteſt. Secundus locus ſumitur à motu morbi, motus enim duplex eſt, alter vniuerſalis, alter particularis; ſi conſiderabimus vniuerſalem motum, dicemus, motum chronicum indicare pituitam: niſi loci indicantes melancholiam obſtiterint. Si uerò conſiderabimus motum particularem ideſt periodicationem, dicemus motum quotidianum pituitam indicare.

Notandum, quod vnus locorum ſupra propoſitorum ſeparatus, & non iunctus alijs pertinentibus ad corporis diſpoſitionem ſit nullius roboris, non enim ualet, motus morbi eſt longus, ergo pituita peccat, uel melancholia, quia ex Galeno ſecundo de differentijs febr. capite 11. habetur, acceſſiones fieri lõgas ob has quattuor cauſas, ob multitudinem materiæ, uel ob craſſitiem, & lentorem, uel ob imbecillitatem potentiæ, vel ob meatuum anguſtiam; ſimiliter Galenus 3. præſag. 28. loquens de longis febribus ait, longam febrem fieri ob tres cauſas, uidelicet propter aliquam particulam malè affectam, cui ægrè curatio adhibetur: Secunda ob crudos, & craſſos humores; Tertia ob errorem commiſſum: Hinc fit, quod Medicus pro dignoſcendis humoribus prædominantibus non ſolum debet eligere multos locos in vnum conſpirantes, ſed in conſilij anguſtia, vti argumento ex ſufficienti partium enumeratione, quo probare poſſit non eſſe longum morbi motum ob errorem commiſſum, non ob particulam curatu difficilem, neque ob craſſitiem melancolicam, ſed ob pituitoſum lentorem.

Demum adeſt locus ab horis deſumptus, in meridie enim mouetur bilis; veſperi melancholia, media nocte pituita: Hinc Galenus libro 12. methodi capite 5. ait, qui ex crudis ſuccis laborant, quotidie acceſſiones patiuntur, præcipueque ad veſperam, & noctu non manè, nec uſque ad meridiem: per crudos ſuccos intelligit craſſos, ideſt melancholiam, & uiſcoſos ideſt pituitam. Hæc ſunt illa, quæ in morbis indicare poſſunt pituitam, plura alia à nobis proponuntur libro ſexto methodi, quem librum quiſque perluſtrare poterit.

Loci verò, qui deſumuntur à iuuantibus, & lædentibus, ſunt quinque. Primus ſumitur ab euacuatione, ſi enim iuuabit pituitæ euacuatio pituita dominabitur. Secundus ab alteratione, ſi enim corpus iuuabitur à calidis, & ſiccis, & læditur a frigidis, & humidis, pituita peccabit; Tertius à ieiunio, quod ſi facilè fertur, phlegmatis dominium oſtendit; Galenus enim ſecundo de ratione uic.32. ait, dum ieiunio tollitur laſſitudo, & ſitis, indicatur pituita; Eandem protulit ſententiam 6. de morb. vulg. com. 3. tex. 28. Quartus locus à ſomno, ſomnus enim ſi tollat ſitim, ſanguis pituitoſus dominatur. Quintus locus a febre ſiue à morbis calidis ſumitur, ſi enim corpus iuuatur a calidis morbis ſiue à febre, tunc dicimus pituitam redundare; Galenus enim 6. aphor. 44. habet hæc uerba, nouimus febrem illis tantum morbis conferre, qui ex frigidita-

ditate ſunt ſola, vel cum humoribus crudis: ſimiliter 4.aphoriſmorum 57.Hippocrates habet, febrem ſoluere ſpaſmum, & tetanum,quæ ægritudo à frigidis, & pituitoſis humoribus fit. Iſti ſunt loci, quorum aliqui tantum vniti poſſunt demonſtrare, an peccet pituita: Quinimo vnicus ſolus,niſi obſtet loci aliorum peccantium humorum certiſſimè indicare poteſt pituitæ dominium.

QVÆST. LXX.

De locorum ſyndrome indicante Dominium melancholiæ.

MElāncholiæ ſunt tres,vt docet Gal. 3.de loc.aff.c.7. & libro de atra bile, & alibi. Prima ſpecies eſt melancholia,quæ eſt fæx ſanguinis, quæ ſua natura eſt frigida & ſicca, vt docet Gal.libro de tremore & palp.c.7.& 5. vſu par.c.4.& libro de inæquali intemp. cap. vlt.2.præſag. 47. & in ijs quę ad Glauc. c. de melancholia. Secunda ſpecies eſt hæc fæx ſanguinis,ſed aduſta. Tertia eſt bilis flaua; ſed adeo aduſta, vt atra fiat dantur & aliæ quibus alibi.

Suppoſitis his tribus ſpeciebus melancholicorum ſuccorum dicimus, quod loci deſumpti à rebus non naturalibus inter ſe genere differant; quia illi externi errores, qui præparant corpus ad melancholiam aduſtam, quæ dicitur atra bilis furioſa, differunt genere ab ijs, quæ efficiunt melancholiam, quæ eſt fæx ſanguinis.

Loci indicantes atram bilem furioſam ſunt illi propoſiti in capite de bile; ſunto; tres. Primus eſt motus, ad quem referuntur animi paſſiones, coitus, vigiliæ, & exercitiū, quod vero inter animi paſſiones non ſolum ira excitet calorem,ſed etiam mæror, & mæſtitia, quæ ſunt affectus contrarij, patet ex Galeno primo de differ.febrium cap.3.& in famoſa illa Hiſtoria relata ab Hippocrate de muliere Tetrica,quę ob animi mętores auxit humores aduſtos. Modus vero, quo mærores, & mæſtitiæ adurant humores, traditur à Galeno quarto de cauſis pulſ.capite quarto, & primo de hum.comment.1. ibi enim dicit mæſtitiam calefacere, quia cōtrahit calorem ad interna, qui contractus fortius calefacit,& exurit.

Quo ad locos deſumptos ab erroribus externis indicantes melancholiam frigidam & ſiccam dicimus tres eſſe.

Primus eſt ab alimento craſſo deſumptus; hinc Galenus 3.de loc.affec.c.7.ait, cibum craſſum,vt eſt caro bubula,aprina, limaces,braſſica, lens, gignere melāncholiam,quæ eſt fæx ſanguinis frigida,& ſicca, ſubdit præterea, vinum nigrum, & craſſum aptiſſimum eſſe ad generandam melancholiam.

Secundus à nimia quiete, & à nimio ſomno ſumitur; Galenus enim libro de cauſ.morb.c.3.ait nimiam quietem refrigerare; quod vero nimia quies Melancholiam frigidam præcipuè aggreget,ſic probatur in nimio ſomno & quiete multus ſanguis fit,vbi eſt multus ſanguis, ibi multa fæx.

Tertius locus eſt nimia coitus abſtinētia;habemus enim ex Galeno 6.de loc.aff. c.5. nimiam coitus abſtinentiam reddere homines melancholicos, quod vero iſti ſint præditi melancholia frigida, & ſicca, quæ eſt fęx ſanguinis patet, quia dum ſemen retinetur, augetur ſanguis, & per conſequens augetur ipſius fæx.

Loci vero indicantes melancholiam, quæ ex fæx aduſta tres ſunt.

Primus eſt cibus & potus craſſus,dummodo calida procatarctica anteiuerint; hinc Galenus 2.ad Glaucon.cap.10.dicit, in Alexandria & Germania homines vti cibis craſſiſſimis, attamen in Germania non pati elephanticum,vt in Alexandria: ſubdit Galenus, vt gignatur elephanticus, duo requiri, alterum, vt aer ſit valdè calidus; alterum vt cibi ſint craſſiſſimi; aer quidem in Germania non eſt calidus, vt igitur fiat aduſta melancholia, quæ eſt fæx ſanguinis, requiritur præter cibum craſſum,aer calidus, vel aliud genus calefacientium;dicimus aliud genus, quia admonet Auicennas, homines ſæpè fieri melancholicos ob vſum pharmacorum calidorum; dicit ſæpè; quia loquitur de illis, qui habent multam fæcem, non enim omnes abundant fæce ſanguinea.

Secundus locus eſt męſtitia ſine cauſa; valet mæſtus eſt ſine cauſa, ergo melancho-

cholicus; ſed quæ melancholia corpori inſit adhuc non apparet: dicas igitur ſi mæſtitia diu anteiuerit edulijs craſſis, aduſta fæx prædominabitur: quia ex Galeno quarto de cauſ.pulſ. cap. 4. mæſtitiæ exurunt cõtrahendo ſpiritus,ſi verò mæſtitia ſecuta ſit melancholicum affectum, & non præceſſerit calida, dicas eſſe copiam fæcis ſanguineæ,quæ ſua natura eſt frigida & ſicca;ſi verò flaua bilis collecta ſit, & deinde audacia & mæſtitiæ ſecutæ ſint, dicas eſſe atram bilem illam furioſam,& excedentem.

Tertius locus, eſt autumnus, qui indicare poteſt dominium duplicis melancholiæ aduſtæ, ideſt fæcis ſanguinis aduſtæ,vel atræ ex aduſtione flauæ prodeuntis: quia ob æſtatem, præcedentem non frigidæ,ſed calidæ melancholiæ accumulantur: Quæ verò illarum peccet, diſtinctè cognoſcetur, facta hoc modo aliorũ locorum conſideratione,ſi præceſſit abũdantia flauæ, & in autumno mæſtitiæ ſine cauſa fiant,dicendum eſt,atram bilem dominari:Si verò præceſſit cibus craſſus, & copia ſanguinis,tunc dicendum eſt,fæcem aduſtam dominari. Ex horum locorum ſyndrome quiſque etiam licet retuſo ingenio ſit, ſpecies humorum melancholicorum colligere poterit.

Si verò de locis indicantibus corporis diſpoſitionem ad melancholiam ſermo fiat, quinque proponemus locos antecedentes, & quinque conſequentes: Sed quia melancholiæ ſunt duum generum, aliæ calidæ, & aliæ frigidæ: ſimiliter duũ generum erunt diſpoſitiones illas generantes,calidæ ſcilicet,& frigidæ.

Primus locus antecedentium ſumitur ab hæreditate:parentes enim melancholici melancholicos filios generant.

Secundus locus deſumitur ab ætate,iuuenes primariò atra bile furioſa vexantur:qui verò ſunt in conſiſtenti ætate primariò atra,quæ eſt fæx ſanguinis aduſta, ſecundario atra ex flaua aduſta anguntur: ſenes autem melancholia frigida, & ſicca redundat. Pueri verò & adoleſcentes non poſſunt eſſe melancholici: quia humiditate abundant: de ratione enim omnium humorum melancholicorum eſt ſiccitas.

Tertius eſt locus à venis latis:Gal.enim 3.de loc.aff.c.7.ait,quibus latæ ſunt venæ aptiſſimi ſunt, vt humor melancholicus in ipſis cumuletur.

Quartus ſumitur à corporis habitu, ideſt à gracilitate,& à corpore nigriori & hirſuto: habet enim Gal. 1. de hum. hæc verba,*graciles,nigriores,hirſutos,quique latas venas habent eſſe aptiſſimos ad gignendos humores melancholicos*: legitur in Timæo Platonis hæc ſententia, quæ antea fuit Hippocr.lib.de carne:dum floret lien corpus tabeſcere:ratio eſt, quia dum lien alitur melancholia, & quod relinquitur expellit, tunc lien non intumeſcit, nec corpus malè ſe habet; quia quod expellitur & vincitur à liene, facile à qualibet corporis particula ſuperatur, & expellitur; lien enim eſt pars imbecilla: ideo quando bene ſe habet,corpus quoq;bene ſe habebit, & vber erit. Dum verò tuber eſt lien, corpus gracile fit, quia per vniuerſum corpus humor melancholicus, qui à liene deberet recipi, tranſmittitur, & vitiat alteratrices omnium partium corporis.

Quintus omnium certiſſimus deſumitur à ſuppreſſa aliqua ſanguinis, vel melancholiæ euacuatione: dicimus ſanguinis, quia vbi multus colligitur ſanguis, homines paulò poſt fiunt melancholici.

Loci conſequentes, qui indicant corpora diſpoſita ad melancholiam, deſumuntur ab actionibus, & excuntibus, & retentis immodicè.

Primus locus, qui indicat melancholiam frigidam, & ſiccam deſumitur ab actionibus animalibus:ſunt videlicet cogitabundi, taciturni, non furioſi. Hinc Gal. loquens de vxore Dealcis, quia nimium tacebat, dixit, eam fuiſſe melancholico humore oppreſſam: ſimiliter primo de natura hum. 39. ait Galenus, melancholicos eſſe firmos in ſententia. Denique ex Hippocrare melancholicos eſſe voraces. Putat verò Auicennas,hunc humorem melancholicum excitare voracitatem, quia fertur in os ventriculi plus iuſto per venam ſteffanicam, antequam ingrediatur ſplenem.Demum ſemper timent ſine cauſa. Ariſtoteles autem 7. ethic.c.14.ait,melancholicos ob timorem ſemper verſari cum medicis, & ab illis poſtulare medelam.

Se-

Secundus locus ſumitur à vitali, quia iſti habent pulſus tardos,& raros.

Tertius locus ſumitur à ſputis, namq; Galenus lib.de plenitudine c.12.& 3. de loc.aff.c.7.ex ſententia quoq;Dioclis cenſet, melancholicos eſſe ſputorum abundantes, & à potu abſtinentes cauſa eſt ſanguinis ſeroſitas: quo fit vt Galenus 6. epidem. 2. tex. 38. dicat ſanguinem melancholicorum eſſe ſeroſum, & Ariſtoteles 9.problemat.tex.5. melancholicos humores delectari ſeroſitate: Hippocrates libro de genitura melancholiam vocat aquam, & libro de internis affectibus ait remedia pro lienoſis eſſe diuretica, ſecundo vero epi. 2. citat Hiſtoriam Bionis habentis ſplenem elatum, & durum, ait Bionem, quia multum minxit, à tumore ſplenis fuiſſe liberatum. Et Hippocrates ſecundo epidemior. ſectio. tertia dicit, quartanas iudicari quoque ſudore: Modus verò, quo lienoſi expurgentur per vrinam, eſt quia arteria emulgens habet nexum,& conſenſum cum arterijs lienis.

Species melancholicorum ſuccorum per alia ſigna diſtinguuntur:nam ſi fęces eijciuntur per aluum nigræ ſine morſu, erit melancholia aduſta: an verò ſit atra furioſa, vel fæx aduſta ex alijs colliges; tãta enim eſt à nobis propoſita locorum abundantia, vt quilibet in omni conſilij anguſtia poſſit ad huius cognitionis apicem peruenire: a ructibus enim acidis ſine nidore melancholiam naturalem colliges, ſi cum nidore aduſtam, & præter naturam.

Quartus locus ſumitur à retentis immodicè: ſicuti quando hæmorrhoides ſunt ſuppreſſæ; ſi pauco tẽpore ſunt ſuppreſſę credendum eſt, melancholiam naturalem non qualitate,ſed copia peccare; ſi diu manſere ſuppreſſæ,aduritur, fitque melancholia fæcalis aduſta: Galen. enim ſecundo de differentijs febr. c. 5. hæc aurea verba protulit: *nullum humorem permanere in viuente ſicut erat prius, dum igitur ſupprimuntur, expedit illico aperire: quia breui temporis ſpatio ſit longè ſanior, quam ante.*

Quintus locus ſumitur à qualitatibus tactilibus,ſunt enim colore plumbeo, ſed ſi præterea calido ſunt corpore melancholia erit aduſta,ſi frigido, terreſtris frigida,ſicut colligitur ex Gal.lib.de atra bile cap.6.

Poſtremò multos alios propoſuimus locos indicantes melancholiam deſumptos a morbis, a ſymptomatibus, a locis affectis,& a iuuantibus & lædentibus: de quibus ne verbum quidem hìc fecimus, quia agimus hic de ſanis, & non ægris. Qui tamen hanc methodum perquirendi humores vult abſolutè adipiſci legat ſextum librum noſtræ meth.vitan.in quo de omnibus exactiſſimè egimus.

QVÆST. LXXI.

De ſyndrome indicante Polyæmiam.

PErfectus ſanguis in viuente ſolum ſua vbertate peccare poteſt, quia dum valdè alteratur, & qualitate peccat tenuior pars in bilem, craſſior in melancholiam vertitur. Hanc doctrinam deſumpſimus a Gal.3.de cauſis ſym.pto.2.de differentijs febr.c.9.& 2.de criſibus c.12.& ab Auicen.lib.1.doctr.4.cap.1. Cum igitur ſanguis quantitate peccet frangit venas, & hæmorrhagias periculoſas efficit: vnde cachexiæ,& mortes ſuboriuntur. Occaſio tractandi de polyæmia,ideſt de ſanguinis multitudine inde oritur, quia Galenus loquens de hepate humido ait,ſanguinem eſſe abundantiorem: nunquam igitur ſciemus, quando hepar fuerit humidum,niſi ſciamus quãdo ſanguis valdè abundet.

Dubitatio ſuboritur magni momenti; quia non videtur, quod detur ſanguis diſtinctus a tribus humoribus, a bile ſcilicet, melancholia, & pituita: probat enim Pluſquamcommẽtator com.41.& 44. huius libri quam plurimis argumẽtis, quod tres tantum ſint humores;ſanguinẽ verò eſſe ſolum aggregatum ex tribus; eius præcipuum argumentum, omiſſis alijs, eſt; quia ſanguis quantumcunq; depuratus reſoluitur ſolũ in tres humores,ergo.

Reſpondetur, argumentum propoſitum eſſe cum manifeſtiſſima principij petitione; quia aſſumit ſine probatione ſanguinem ſolum in tres humores reſolui. Quod vero reſoluatur in quattuor, patet,

patet; quia poſt phlebotomiam in quattuor reſoluitur maſſa ſanguinea, in melancholiam, quæ in fundo reſidet, in pituitam quæ ſupernatat, in bilem flauam ſpumoſam, & in ſanguinem.

Pręterea fiũt quattuor genera tumorũ phlegmon à ſanguine; ædema à pituita, ſcyrrhus à melãcholia, eryſipelas à bile.

Poſtremo Hipp.lib.de nat.hum.18.& 4. de morbis ponit quattuor humores: Ariſ. 2.de par.anima.c.3.locutus eſt de bile flaua,de atra lib.de ſomno & vig.& in problematibus de pituita, & paſſim de ſanguine. Plato in Timæo de ſanguine, de atra bile,'& pituita mẽtionem fecit. Gal. 2. de natur. fac. 9. libro de humoribus Auic.c.de humor.& Auer.lib.1.coll.cap. 12. faciunt mentionem de quattuor humoribus inter ſe omninò diſtinctis: quare opinio Pluſquamcommentatoris vt vaniſſima eſt relinquenda: accedamus igitur ad locos indicantes polyæmiam.

Loci igitur indicantes ſanguinis abundantiam primò deſumuntur à procatarcticis: Primus quorũ deſumitur ab aere calido & humido,qui tempore veris præcipuè dominatur: quiq; multis in regionibus inuenitur,ſed præcipuè vbi humiditas eſt temperata:refert Iulius Alexandrinus libro ſalubrium loquendo de aere Veneto huius aeris humiditatem eſſe valde temperatam, & propterea ſenes ſalubres & robuſtos hic inueniri;refertq; ſimiliter de ijs,qui incolunt propè Benacum, qui ob humiditatem temperatam diutiſſimè viuunt.

Medici tamen Priſci,& Moderni cenſent dari clyma temperatiſſimum; ſed quodnam ſit,diſcrepant adeo inter ſe,vt quæſtio reddita ſit apud me ridicula:Audite,Ariſtoteles enim 2.meteororum, & Gal.2. de tuenda ſanit. c.7. putant quartum clyma eſſe omnium tẽperatiſſimũ, ſub quo eſt ſuã Græcia: Auerroes 2. coll. cap.vltimo ait, quintum clyma, ſub quo eſt ſua patria: Manardus Ferrarienſis dicit ſextum,ſub quo eſt Ferraria: Albertus Magnus,cuius patria eſt Ratisbona, alijs præferebat ſeptimum, ſub quo eſt patria ſua; ecce quomodo quiſq; laudet patriũ aerem ſibi proportionatum. Ego autem arbitror, quod ſi inuenirentur Medicinæ ſcriptores,quorum patriæ non longè ab arctico iacerent,putarent aerem temperatiſſimum eſſe illum Scriffiniæ, vel Noruegiæ: merito quidem, quia illarum Regionum aer eſſet illis proportionatus. Sed quia ſuperius in propria quæſtione fusè de clymate temperatiſſimo diximus, non conuenit vt acta repetamus.

Secundus locus colligitur à cibo & potu antecedente, qui fuerit boni ſucci, & facilis digeſtionis: Galenus 3. de alimen. fac. agens de his laudat panem, & inter volatilia perdices,ibidem capite 4. ait,vina rubra eſſe accõmodatiſſima generationi ſanguinis:Verum ſicuti omnia clymata poſſunt eſſe temperata,& intemperata reſpectu diuerſorum corporũ;ſimiliter alimẽta reſpectu diuerſarum naturarum poſſunt in ſanguinem, & in malos humores conuerti; Hinc Gal. 2. de naturalib.fac.capit.8.ait,mel in ſene verti in probum ſanguinem, in iuuene in bilem: itaque quilibet locus ſeorſum ab alijs conſideratus cõtingens eſt:expurgatur tamen eius contingentia ab aliorum locorum ſyndrome.

Tertius locus à ſomno moderato ſumitur:Gal.enim 12.meth.cap.3.ait, ſomnus moderatus cruditatem leuat:ſubdit,ſomnus concoquit, vigiliæ digerunt; cauſa verò,cur ſomnus conferat concoctioni, traditur à Gal.4. in 6. de morb. vulg. tex. 14.his verbis: *in ſomno calor ad internas partes reuocatur, & melior coctio fit*: & 4. de tuend.ſanitat.capite 4. dicit, ſomnum & quietem ſemicoctos humores optimè coquere & perficere.

Quartus locus indicans polyæmiam ab vſu balnei aquę dulcis colligitur;cauſa eſt, quia balnea inducunt ſomnum, qui deinde cruditates tollit: cauſa vero, cur balnea ſomnum excitent, eſt, quia trahunt ſanguinem ad nutriendas partes corporis, & fit melior coctio; Præterea virtus ſenſitiua in ſomno diuertitur & trahitur ad interiora, vnde fit, vt coctio ſit melior.

Quintus locus à lætitia moderata: Galen.enim lib.de hum.com. 2. tex. 31. ait, lætitiam diffundere & dilatare natiuum calorem, & dum dilatatur ferri ſanguinem ad nutriendas partes: Præterea ob dilatationem caloris inde moderari vi-

ſcerum incendium, ex qua moderatione facilè oritur polyęmia; Immoderata verò lætitia contrarium efficit, adeo .n. dilatat calidum natiuum, vt illud diſſiper, & deſtruat. Hinc Gal. 12. meth. c. 5. ait, ob vehementem timorem, & exceſſum lętitiæ aliquos homines periſſe. Idem dicit 1. libro de ſemine cap. 16. Præterea legitur occaſione nimij gaudij Dionyſium Tyrannum, & Sophoclem accepto nuncio tragicæ victoriæ perijſſe. Similiter Romana Mulier prius intelligit filium in Canario prælio eſſe occiſum; deinde cum poſt tot lachrymas eum videat redire domum præ nimio gaudio ſtatim animam exhalat.

Si verò de locis indicantibus corporis diſpoſitionem ad polyęmiam loquamur, dicimus ſex eſſe antecedentes, & tot conſequentes.

Primus antecedentium deſumitur à parentibus ſanguineis; ſæpè enim filij ſimiles ſunt parentibus.

Secundus locus ab ætate florida, in qua homines vt plurimum ſanguine abundant.

Tertius locus ab habitu corporis: ſi corpus eſt carnoſum non pingue & obeſum indicatur ſanguinis multitudo; Carnoſi erant Athletæ, qui ob ſanguinis plenitudinem ſæpè in hæmorrhagias incidebant; pinguedo enim ex Galeno 2. de temp. cap. 4. fit à ſanguinis frigiditate, carnoſitas vero à ſanguinis copia.

Quartus locus à venis latis, primo enim de hum. 1. & 6. de morb. vulg. 3. tex. 29. dicit Gal. non poſſunt ſanè venæ eſſe anguſtę, & flacidę, & ſanguinem copioſum continere.

Quintus ſumitur ab optima virtute corporis; niſi .n. facultates animales fortitudine donatæ ſint, ſanguinem augere non valent.

Sextus locus omnium certiſſimus ſumitur à conſueta ſanguinis euacuatione intermiſſa per nares; hæmorrhoidas, per vterum, & per alias partes.

Loci conſequentes corpora diſpoſita ad polyæmiam ſunt ſex; primus deſumitur ab actionibus animalibus; hinc ſãguinei vocantur à Gal. 2. de humoribus tex. 30. & 1. de natura humana 39. ſtolidi; habent enim virtutem diſcurſiuam, imaginatiuam & memoratiuam retuſam.

Secundus locus deſumitur à nimio riſu; Auer. enim & Auic. in cantica dicunt, riſum indicare ſanguinem; Hinc Hipp. 6. aph. 53. & Gal. in comm. aiunt deſipientias cum riſu eſſe tutiores; quia à ſanguine, & Gal. 6. epid. in fine tertij ait affectus ſanguineos eſſe tutiſſimos.

1 Dubitatio exurgit; in Sileno enim, vt ait Hipp. aderat deſipientia cum riſu; tamen perijt; quomodo igitur ex Gal. affectus ſanguinei erunt tutiſſimi? Præterea Gal. ait, Sileni deſipientiam fuiſſe exortam à bile aduſta & ſaturata; quomodo ergo affectus cum riſu erit tutiſſimus, ſi ex illo perijt Silenus? quomodo riſus indicabit ſanguinem, qui ſemper generat affectus ſalubres?

Reſpondetur, quod riſus Sileni non pendebat ab aliquo obiecto intrinſeco immediatè mouente animum; ſed à conuulſione & tremore diapragmatis; dũ .n. diaphragma contineri non poteſt, fit riſus. Quod uerò diaphragma tremore affectũ riſum moueat, colligitur ex Hiſtoria ab Hipp. relata 5. epid. non longè à fine de Pſychone, qui in quadam obſidione ciuitatis accepit uulnus in pectore à lancea, & paulo poſt incidit in riſum à cuſpide in ſepto relicta; Similiter Ariſt. 3. de par. animal. cap. 10. idem confirmat; ait enim læſo diaphragmate ſequi riſum: Quod uero riſus à diaphragmate prouen iat, declaratur à Valerio Maximo lib. 9. de Philemone, qui uidens aſinum comedentem ficum adeo riſit, ut in ſepti conuulſionem inciderit, & uitam illicò cum morte commutauerit. An uerò riſus ſedes poſſit eſſe etiam in liene ut dicebat Democritus, referente Alexandro 1. problem. 136. & Plinio lib. 11. uel in cerebro ut plurimi putant; de hac re differere non eſt huius loci, atque temporis.

Tertius locus deſumitur à uitali, & hęc actio eſt pulſus inęqualitas, ut docet Gal. 2. de cau. pul. cap. 2. quę ſanguinis miſſione ſtatim tollitur; ob copiã ſanguinis pulſus aliquando uenit ad ἀσφυξίαν, ideſt pulſus ablationem, dicit Galenus lib. de cauſis morb. cap. 3. in polyæmia arterias ſanguine adeo impleri, ut nullum in ipſis ſuperſit ſpacium uacuum, in quod aer ingredi poſſit, unde ceſſat caloris uitalis gene-

generatio, & fit ἀσφυξία, quo caſu, niſi ſtatim ſanguis mittatur, actū eſt de uita.

Quartus à naturalibus, dum ſcilicet rectiſſimè cōcoquunt; Alexander Aphrod. 2. problem. 10. ait, primo ſanguinem habere uim alendi corpus; ſecundo pituitam; ualebit ergo, rectiſſimè alitur, ergo polyæmia, niſi alia ſigna diſcrepent.

Quintus locus ab exeuntibus deſumitur; omnia enim exeuntia ſunt rubro colore reſperſa, & præcipuè lotium. Præterea ſemen, & lac copioſum indicant polyæmiam; Galenus enim 16. de uſu part. c. 10. ait, ſanguineos omnes ſemen, & lac copioſum efficere.

Sextus ſumitur à qualitatibus tactilibus; oculos enim & linguam rubram habentes habent multum ſanguinis, immo ex Galeno lib. 1. de hum. comm. 1. habetur, ſi corpus uergat ad rubrum colorem ſignificari polyæmiam; Demum ex duritie & denſitate carnis, idem colligitur; quia ſicuti caro flaccida indicat pituitā, & malum habitum, ſic dura bonum & ſanguineum; denſitas enim ſignificat optimam coctionem; quia dum multum alimentum aſſimilatur parti nutriendæ, pars bono ſucco ualdè impletur, & inde fit denſa et dura; Hinc iuuenes quo robuſtiores, eo ſunt carne duriores.

Quod ad malas diſpoſitiones, in quas ſanguinei ſunt inclinati, ad tres affectus prçter naturam prçcipuè eas reducimus ad ſynochum videlicet, ad legitimū apoſtema, et ad hæmorrhagias; ſed quia ad hunc tractatū non pertinet conſideratio de ægris, ſed ſolum de ſanis; ideo affectus præter naturam conſultò omittimus.

CAPITIS XLV.

De ſignis temperaturæ calidæ Teſticulorum.

Tex. 52. *Temperatura verò teſticulorum calida quidem ad venerem procliuis. Et maſculorum generatrix, & fœcunda, celerrimèque genitale. partes obſepit pilis, ſimul autem & circumiacentes attingit partes.*

AGit in hoc tex. de ſignis ſimplicis temperaturæ calidę, proponitque quattuor ſigna.

Primum ſignum eſt, quia tales ſunt *ad venerem proclines*; Ratio cur calidi teſtes reddāt homines procliues ad coitum eſt, quia ob calorem teſtium ſemen redditur acre, et ſtimulans; præterea ad teſtes ratione caloris concurrit ſanguis, et ſpiritus; vnde appetitus et imaginatio, quæ excitatur ob conſenſū, qui eſt inter teſtes et cerebrū per ſurculos nerueos, et dein de mouet concupiſcentiā; Hinc Albertus Magnus de animalibus lib. 22. tract. 1. c. 1. dicit, coeuntia tria neceſſariò habere, appetitum ſcilicet imaginatiuum, ſpiritum, et humorem, quibus Auicennas addit quartum, ſcilicet ventoſitatem.

1 Dubitatio, videtur inſufficiens Galenus, quia tria omiſit pertinentia ad calorem teſticulorum, primum eſt, quia tales pluries vtuntur coitu, ſecundum citò ſemen emittunt: tertium ardentius appetunt.

Reſpōdent Expoſitores et rectè, quod freqūes vſus coitus non pertineat ad tēperaturam calidam, ſed ad calidam et humidam; egent enim multa humiditatę ſubſtantifica, qui multoties in die vtuntur coitu. Quo ad ſecundum, quod eſt cito ſemen emittere, dicimus indicare caliditatem et ſiccitatem; ſimiliter de illis, qui magno ardore appetunt, dicimus indicari caliditatem et ſiccitatem teſticulorum; in hoc capite verò Galenus ſolum de temperatura calida, et non calida et humida, vel calida, et ſicca verba facit.

2 Dub. exoritur, quia Gal. in tex. agit de ſola calida temperatura teſtiū, non enim videtur quod dari poſſit temperatura teſtiū calida, ſine ſiccitate, vel humiditate.

Reſpondetur, dum Galenus ait, teſtes eſſe calidos, intelligere de caliditate recedenti à temperatiſſimo, ſupponendo ſiccitatem, humiditatem, et reliquas omnes qualitates adeſſe, ſed ſine receſſu à temperatiſſimo; dum loquitur de temperatura calida et ſicca intelligit de calore ſimul cum ſiccitate recedente, ſuppoſica aliarum qualitatum mediocritate. Ad argumentum reſpondemus concedendo caliditatem non conſiſtere ſine ſiccitate, vel humiditate; dicimus tamen, illam humiditatem, vel ſiccitatem non eſſe recedentem à temperatiſſimo; ſicuti eſt illa teſtium caliditas, de qua Gal. agendum proponit.

3 Dubitatio exoritur, quia multi poſ-

ſunt eſſe ad venarum procliues & promptì, quamuis teſtes ſua natura frigidi ſint, ſi formoſiſſimæ puellæ amore capiantur: Ergo promptitudo ad coitum non ſemper indicabit temperaturam calidam teſtium, vt docet Galenus.

Reſponſio facilis erit, ſi dixerimus, hoc ſignum non eſſe conuertibile, & meritò: quia ſi hoc eſſet conuertibile, ſyndrome aliorum ſignum eſſet irrita & vana, vel dicimus Galen. conſideraſſe promptitudinem naturalem, & non accidentalem: accidit enim hominibus, vt amore capiantur: vel dicendum amore captos (vt ego puto) eſſe ęgros & extra latitudinem ſanitatis: amor enim eſt delirij ſpecies, fitque ab imaginatione deprauata: vel poſtremò dicimus, quod qui amore facilè capiuntur, habeant quoque à natura teſticulos calidos.

4 Dub. qui habent ſeroſum ſemen, vt mulieres, ſunt admodũ procliues ad coitum, tamen habent teſtes frigidos; ergo de ratione teſticulorum calidorum non eſt promptitudo ad coitum.

Reſpondetur, ſeroſum ſemen, ſi careat acrimonia, non reddere homines procliues ad Venerem; ſi verò habeat acrimoniam, & ſit ſeroſum, dicimus eſſe calidũ caliditate, quæ extra latitudinem ſanitatis ſit, de qua hic non loquitur Galenus.

5 Dub. non videtur, quod calida reddant homines procliues ad coitum; ut dicit Gal. ſed frigida, vt oſtrea marina, & plura alia flatulenta & frigida.

Reſpondetur, oſtrea & ſimilia frigida ex accidenti reddere homines promptos ad venerem, quatenus ſcilicet horum viſciditas ad renes & pudenda diſluit, & in flatus conuertitur, qui primò inflat neruum ſpõgioſum, deinde in locis per quos trãſit fit acris, & excitat venerem, ſed re vera hæc flatulenta potius tentiginem, quam promptitudinem ad coitum efficiunt; tardius enim ſperma excernitur iſtorum vſu; quam dum erigitur penis à teſtium calore. Hinc flatulenta faciunt priapiſmum ob quem morbũ ad coitum certè non reddimur prompti. Quod verò cibi, vt acres excitent venerem: nos docet Ariſt. 7. de hiſtoria anima. c.2. vbi hæc dicit, ſemen præparari vſu ciborum humidorum, & acrium. Hinc acria cum flatulentis excitant venerem ſicuti ſunt cantarides cum criſocola: zingiber, galãga cum paſtinaca; gariophylis, piper cum oſtreis, diaſatirium, oleum formicę ſtinchus hæc cum melle compoſita non fallunt.

Secundum ſignum; ſunt *generatrices maſculorum*; Ratio verò cur temperatura calida teſticulorũ ſit generatrix maſculorum, eſt, quia calor ſeminis & vteri diſtendit partes genitales fetus, & extra mittuntur; dum verò nõ eſt tantus calor ſeminis & vteri, vt partes genitales in fętu poſſint dilatari, fæminæ fiũt; Quod verò res ita ſe habeat, patet ex Galeno 14. de vſu par. c.6. & 7. & 2. lib. de motu muſc. cap. penultimo, vbi dicit, partes genitales eędem ſunt, ſed in fæmina intus, in viro verò extra; additque loco citato 14. de vſu part. cap. 6. virum à fæmina ſolo ſitu differre; eandem ſententiam amplectuntur Auicennas, & Raſis.

Hinc aliquando accidit (vt ferunt Hiſtoriæ) fæminam ob internum calorem conuerſam fuiſſe in virum, extra ſcilicet pellendo genitalia; legitur enim apud multos, quod exiſtentibus Licinio craſſo & Caſſio lõgino cõſulibus, virgo femella conuerſa fuerit in marē; ſimiliter Mutianus Licinius refert, ſe vidiſſe fęminã vocatam Areſcuſam viro nuptã conuerſam eſſe in virum Areſcõtem vocatum, ac deinde fauſtè duxiſſe vxorem. Inſuper Plinius lib. 7. cap. 4. refert, ſe in Aphrica vidiſſe P. Coſſitium, qui antea fuit fæmella. Volateranus Cardinalis ſub Alexandro Sexto Pontifice ſcribit, ſe uidiſſe Romæ fæmellam, cui nuptiarum die mentula erupit; Demum Hipp. 6. epide. 8. de Phætuſa ſcribit, quod pulſo marito in exilium eius corpus factum ſit uirile & barbatum.

Tertium ſignum; calida temperatura teſtium *eſt fœcunda*. Ratio eſt, quia de ratione fœcundi animalis duæ ſunt conditiones; prima, ut ſemen ſit bene coctum; ſecunda ut ſit multum; in calida quidem temperatura eſt benè coctum & multum.

6 Dubitat. non uidetur, quod in calida temperatura ſemen ſit multum; quia calor reſoluit tenue unde relinquitur craſſum, quod paucum eſt, & non multum.

Reſpon-

Reſponſio facilis eſt, ſuppoſito hoc, quod Galenus, dum loquitur de calida temperatura, intelligat omnes alias qualitates eſſe temperatiſſimas, ideſt humiditatem, & alias; caliditatem verò ſolam recedere à temperato; quo ſuppoſito, non ſequitur, quod à calore reſolutum ſit tenue, & relictum ſit craſſum; quia humiditas impedit hanc reſolutionem; ſicuti enim caliditas ex Auer. eſt lima caloris, ſimiliter humiditas eſt caloris frænum, quod prohibet, ne calor reſoluat.

Quartum ſignum; in temperatura calida teſticulorum, *celerrimè in partibus genitalibus, & circumiacentibus generantur pili*. Ratio facillima eſt; quia vbi eſt temperatura calida, ibi multæ fuligines fiunt, vbi fuligines, ibi pili. Superius abundè egimus de generatione pilorum, ideo hic nihil dicimus: Quid verò intelligat per celerrimè, an ſcilicet in iuuentute vel adoleſcentia, dicimus celerrimè generari pilos, ſi in principio adoleſcentiæ apertè generentur, ideſt in ætate 13. vel 14. annorum.

CAPITIS XLV.

Particula II.

Frigidior verò contraria efficit. Et humida quidem multo, & humido ſemine abundat. Sicca paucum, & modicè craſſum generat ſemen.

IN hoc textu Galenus breuibus declarat tres ſimplices temperaturas teſtium, frigidam ſcilicet, humidam & ſiccam.

Quo ad frigidam, quia ex Ariſtotele 1. top. c. 8. contrariorum eadem eſt diſciplina, ideo ſi calida temperatura teſtium reddit homines procliues ad coitum, frigida eos à coitu abducet; ſimiliter ſi ob calidos teſtes homines ſunt fæcundi, ob frigidos erunt infęcundi, ſi ob calidos generabunt maſculos, ob frigidos fæminas, vel nihil.

Cauſa verò, cur ob frigidam temperaturam genitalium mulieres nunquam, vel raro, & fæminas concipiant, traditur ab Hipp. 5. aph. 62. vbi dicit, mulieres, quæ frigidos, & ſpiſſos vteros habent, non concipere: Gal. in commento ait, mulieres, quæ habent vteros valdè frigidos, illos quoque ſpiſſos habere, & præterea ora vaſorum illarum anguſta: vnde fit, vt ſecundę ad orificia non adnaſcantur, aut ſi adnaſcantur conceptus nō poſſint nutriri, tum ob anguſta orificia, tum ob ſanguinem viſcoſum, & frigidum ineptum huic nutritioni: accedit quod viſcoſitas pituitæ detentæ circa orificia refrigerat ſemen viri, & illud aquoſum, & ſterile reddat: Hinc Ariſt. 2. de generatione animal. cap. 2. dicit, ſemen refrigeratum ad aquæ ſpeciem reddi.

Quatuor rationes proponuntur à Gal. in com. cur vterus frigidus nō concipiat.

Prima; quia habeant ora vaſorū ita anguſta, ut ſecundinę ad orificia non adnaſcātur, in hoc caſu medici fruſtra vexant medicinis mulieres, vt reddātur fæcūdæ.

Secunda cauſa ſterilitatis eſt, quia aggregant ſanguinem viſcoſum, & frigidū nutritioni ineptum. Tales mulieres fruſtra vexātur à medicis aquis thermalibus & alijs medicinis; quia uera cura eſt imponere in vterum noſtram mitrechitam cuius iconem habebitis in comm. noſtris in 1. Fen. Auic. & per ipſam immittere aquas thermales obluentes, & vterum calefacientes, uel poſita canula vti inſeſſioni quod melius eſt.

Tertia cauſa eſt ſanguis aquoſus ineptus nutritioni conceptus.

Quarta cauſa eſt ~~vterus~~ frigidus, vel alia in temperiē affectus.

De humida temperatura ait Galenus, quod abundet copioſo, & humido ſemine; copioſo, quia ſupponit in caliditate teſtes eſſe temperatos; de ratione enim tēperati caloris eſt ſperma multum efficere; accedit quod etiam eſt copioſius, quā in temperato; quia humiditas impedit, ne calor reſoluat humiditatem ſeminis; eſt quoque parum fæcundum; quia eſt nimium dilutum, dicit enim Ariſt. 3. probl. 4. ſemen ebrioſorum eſſe infæcundum, quia præhumidum eſt.

De ſicca temperatura teſtium ait, quod generet ſemen paucum, & modicè craſſum; cum contrariorum eadem ſit diſciplina; etenim ſi humidi teſtes generant multum ſemen; ſicci generabunt paucum; ſi humidi generant tenue, humidum, & fluidum; ſicci generabunt craſſum, ſiccum, & conſiſtens.

QVÆST. LXXII.

De Maſculorum generatione.

QVæſtio eſt difficillima, indigeretque examine ſolertiſſimo: Cæterum, quia quã plurima ſunt tractanda in hoc libello, ideo ne volumen in immenſum creſcat, breuiſſimè aliorũ opiniones, & deinde noſtrã proponemus.

Prima opinio eſt quorundam dicentium maſculos fieri à ſemine dextri teſticuli: fæminas à ſiniſtri. Reijcitur, quia reluctatur experientiæ; non pauci enim ſunt, quibus euellitur dexter teſticulus, qui tamen mares gignunt.

2 Opinio eſt nõnullorum dicentiũ mares fieri, dum prædominatur ſemen viri, fæmellas, dum ſemen fęminæ. Falluntur iſti, quia ſæpè illę mulieres concipiunt, quamvis in coeundo ſemen non emittãt. Prætereà inueniuntur mares valde debiles & ſenes, qui ſolum mares generant.

Tertia eſt quorundam, qui putant ſemen actu, & formaliter tale decidere à qualibet corporis parte, quo ſuppoſito dicunt, ſi ſuperauerit illa ſeminis portio, quæ decidit ab illa parte, qua mas differt à fęmina, ideſt à pene, maſculus fiet; ſi ab illa, qua fęmina differt à mare, fæmina concipietur. Quæ opinio reluctatur principijs anatomicis; iamque eſt in ſcholis ab omnibus reiecta. Præterea non ne in vtero calido uel frigido fit interdum mas & fæmina ſimul ergo non ab vtero. Addimus temperaturam calidam vel frigidam non eſſe inſtrumentum formatricis; ſed alteratricis; ergo formatrix maſculorum non erit vteri temperatura.

Quarta opinio eſt nonnullorum, qui putant vterum calidum efficere mares; frigidum fæminas, negantq; ſemen concurrere ad efficiẽdos mares, vel fęminas. Hæc repugnat naturæ feminum: fœmina enim ferunt quod illis intus eſt reconditum, & non aliud. Præterea ſi effectrix, & formatrix maſculorum eſſet in vtero, quo modo efficeret priapum? cum fæmina illo orbata ſit?

Quinta opinio eſt Ariſt. 4. de gen. animal. c. 1. dicentis fæminam fieri ob inopiam caloris non ſuperantis, nec concoquentis; dum vero ſuperat, & coctio perfecta ſit, mas gignitur; refert igitur Ariſt. generationem maris, vel fæminæ in actionem, & paſſionem.

Sexta opinio videtur eſſe Hippocratis, & Gal. Galenus enim 14. de vſu par. cap. 7. & multis in locis ait, caliditatẽ efficere maſculos, frigiditatem fæminas, laudatque loco citato ſententiam Hippocratis dicentis 5. aphoriſmorum 48. in latere dextro mares; in ſiniſtro fęminas; probatque in dextra parte vteri, & in dextro teſticulo eſſe intenſiorem calorem, eo quia vaſa ſeminaria partis dextræ oriantur à vena, & arteria magna; vaſa uero partis ſiniſtræ vteri, & teſticulorum à vena, & arteria emulgenti, quo fit vt ad dextram partem ſanguis concurrat calidior, ad ſiniſtram tenuior, & frigidior. Interim accipiemus Galeni, & Hippocratis ſententiam, quod ſcilicet mares fiãt à teſticulo dextro, ſiue à parte dextera viri & fæminæ; quia vaſa exporrecta ad dextrã partem ferunt calidiorẽ, & perfectionẽ ſanguinem; Hippocrates hanc ſententiam confirmat libro de diæta; dicitq; in vtroque ſexu duplex eſſe ſemen, alterum maſculeum, quod eſt calidius, alterum fęmineum, quod eſt frigidius; addit, ſi à patre, & matre maſculeũ ſemẽ effundetur fieri mares egregios, & illuſtres: ſi à patre maſculeum, à matre fæmineum, & ſuperet maſculeum fieri mares, ſed non ita egregios: ſi vero à matre maſculeum, & à viro fæmineũ eijciatur, ſuperet autem maſculeũ, generari mares molles, & effęminatos, qui ducuntur ἀνδρόγυνος: ſi vero a matre & patre ſuccedat ſemẽ fęmineum, fieri mulieres debiliſſimas, quas Hippoc. 6. epidem. ſect. 1. vocat ὕδατα νόσας, ideſt aqueſcentes; ſi à Patre fæmineum, & à Matre maſculeum, ſuperet tamen fæmineum, audaces, & feroces, quę vocantur viragines, ἀνδ, ιας.

CAPITIS XLVI.

De ſignis calidæ & ſiccæ temperaturæ teſtium.

Tex. 53. *Calidior vero, ac ſiccior craſſum ſemẽ habet, & fœcundiſſima eſt, quæ celeriter ab initio protinus ad coitũ exiccat animal.*

Sed

Sed,& his genitales partes citiſſimè hiſpidæ ſiunt, atque omnes quæ circumſtant ſupra quidem vſq;ad vmbilicum,infra verò vſque ad media fœmora. Petulca igitur eſt, & ad libidinem prona huiuſcemodi temperatura,ſtatim verò ſatiatur, & ſi cogatur offenditur.

QVinque ſigna temperaturæ calidæ, & ſiccæ proponuntur.

Primum quorum eſt *ſemi craſſitamum*. Ratio huius eſt,quia caliditas,& ſiccitas abſumunt tenuiorẽ ſeminis partem,& deinde craſſius relinquitur.

1 Dubitatio: vbi eſt maior caliditas, & ſiccitas, ibi magis attenuatur ſanguis, vt patet de ſanguine arterioſo, ergo in temperatura calida, & ſicca teſtium ſemen non debet eſſe craſſum,vt docet Gal. ſed tenue.

Reſpondetur, quod non eſt par ratio de calore cordis, & teſticulorum; poteſt enim cordis calor attenuare, quod non poteſt calor teſtium. Præterea ſemen ex Ariſt.2.de gen.animal.c.2.& alibi conſtat ex aere, ſpiritu, aqua,& terra,ſpiritus tamen eſt qui colligat, & vnit aerem cum aqua,& terra: dum vero exit ſpiritus ſiue aer,cætera ſtatim ſeiunguntur, & liqueſcunt: miſta enim quæ ſunt à prædominio aerea nullo modo congelantur:Hinc Ariſt.loco citato ait,ſemen non congelari; quia aer eſt incongelabilis.

Præterea ſemen in hac temperatura eſt craſſum; quia eſt bene coctum;coctio vero ex Ariſt.fit incraſſando. Hinc Ariſt. 1.de gen.animal.18. dicit ſenes, & ægros carere ſemine; quia ob imbecillitatem non coquitur.

Eſt craſſum;quia eſt fęcundũ;ex Ariſt. 2.de Hiſt.animal.cap.1. ait ſemen fœcundum grandinis ſpeciem præ ſe ferre.

2 Dubitatio; non videtur, quod ſemen craſſum ſit fœcundum; quia ex Hipp.lib. de conceptu habetur, quod ſemen fœcũdum extendatur per totum vterum; ſed ſic eſt quod ſemen craſſum non poteſt extendi; ergo non debet eſſe craſſum.

Reſpondetur,quod dicitur craſſum reſpectu tenuis, ſed non quod ſit ita craſsũ vt non poſſit extendi per totum vterum; immo craſſum eſt valde ſpumoſum, & quatenus eſt magis ſpumoſum magis extenditur ad quamlibet partem vteri.

Secundum ſignum temperaturæ calidæ,& ſiccæ teſtium eſt *ſemen γονιμώτατον, idest fœcundiſſimum*.

3 Dubitatio;videtur Gal. ſibi contradicere; quia contrarium dicit 5. aphoriſm. comm.52. & alibi, temperatam .ſ. complexionem teſticulorum eſſe omnibus fęcundiorem; ergo ſi temperata eſt fœcundiſſima, calida & ſicca non erit fœcundiſſima,vt inquit textus.

Reſpondet Haly.Gal.dixiſſe calidos,& ſiccos eſſe omnium fœcundiſſimos ſolum tempore puberratis, quo habent ſemen coctũ, quod temperatiſſimæ cõplexioni non conuenit; citius enim calidi, & ſicci perueniunt ad pubertatem,quam temperati; neque hæc expoſitio eſt reijcienda.

Aliqui exponunt,quod ſcilicet dicatur fœcundiſſimi ratione virtutis celeris, & promptæ in generando; etenim reſpectu aliarum temperaturarum hæc temperatura calida,& ſicca citius generat. Hæc expoſitio colligi poteſt ex ſequentib. verbis: neq; hæc ſimiliter eſt improbanda.

Curtius exponit hoc modo; temperaturam calidam, & ſiccã teſtium eſſe omnium fœcundiſſimam ob mulieres, quæ vt plurimum frigidæ ſunt,quarum frigiditas nimiam caliditatem contemperat; addit præterea,hanc temperaturam calidam,& ſiccam eſſe fœcundiorem temperata;quia magis generat mares,quam tẽperata. Hæc expoſitio repugnat Galeno loco citato;deinde rationi;quia fœcunditas viri non eſt maior, vel minor ratione aliquarum mulierũ,ſed ratione ſui. Præterea non intelligimus per fœcundiſſimũ ſemẽ,quod ſolum mares, ſed etiam quod fœminas multas gignere poſsit.

Acachias ait, ſemẽ in temperatura calida, & ſicca teſtium dici fœcundiſsimũ; quia ex illo facilè formari poſſunt partes ſpermaticę.Quæ expoſitio quatenus reſpicit celeritatẽ generationis admitti poteſt.

Argenterius qui putat cum Ariſtotele, ſemen habere ſolum rationem efficiẽtis, & non materiæ, iniuſtè reiecit hanc opinionem; patebit enim in diſputatione, quam inſtituemus, an ſemen habeat rationem ſolum efficientis, vt ait Ariſtotelis, uel rationem materiæ; & efficientis (vt Galen. & Hippocrates)Argenterium

à veritatis ſcopo valdè recedere.

3 Dubitatio non uidetur, quod temperatura calida, & ſicca teſticulorũ efficiat ſemen craſſiſſimum,& fæcundiſſimum; quia complexio temperata magis coquit, & magis ſpiritum,& aerē in ſemine permiſcet,quā calida,& ſicca; quo uero melior eſt concoctio,eo craſſius ſemen reddi ſolet; & quo craſſius, eo fæcundius; quod uerò de ratione optimæ concoctionis ſit craſſities,nos docet Ariſt.4.meteororum cap.2. vbi ait, coctionem ſemper procedere incraſſando, & 2. de gen.animal.c.5. concoctum eſſe quod ſpiſſum,& craſſum eſt,& 1.de gen.animal.c.18. ait, ſenes, quia non poſſunt concoquere, ſemine carere; ſimiliter ægros carere ſemine(ait)propter imbecillitatem: Addas tu, ſed temperata complexio eſt fortior, & coquendo muneri magis apta, quam temperatura calida, & ſicca, ergo ſemen craſſius,& ſpiſſius efficiet,contra id quod dixit Gal. in tex.

Solutio eſt,quod dum Gal.dicit,ſemen calidæ,& ſiccæ temperaturæ teſtium eſſe fæcundiſſimum, & craſſiſſimum, intelligat celerrimè fieri tale, ideſt in principio pubertatis; temperati enim non ita citò coeunt. Alia affertur reſpõſio,quod dum Gal.inquit,teſticulos calidos,& ſiccos eſſe fęcundiſſimos,ſupponat & iecur,& totũ corpus eſſe tēperatiſſimum;exceſſumque ſolum eſſe in calore, & ſiccitate teſtium:quo caſu cum temperatiſſimũ corpus ut tale multũ ſanguinis ſubminiſtrare poſſit teſtibus calidis, & ex alia parte teſtes ut calidi magis attrahant pabulum, quam temperati; inde ſequitur primò, quod teſtes calidi ſint fęcundiores, ſecũdò,ut ſicci ſemen efficiant craſſiuſculum.

4 Dubitatio: videtur adhuc, quod temperatura calida, & ſicca teſtium ſit fæcũdior, quam temperatura mediocris: ex Ariſt. enim habemus 7. de hiſt. anim.c.1. ſemina infæcunda eſſe tenuia, fęcunda ita craſſa,vt grandinis ſpecimen præſeferant: Præterea Ariſt.2. de gen.animal.c. 5. ait, calidum ſemen eſt quod concoctum,& tale eſt quod ſpiſſum,& craſsum eſt. Inſuper 3.de Hiſt. anim. c.22. ait, ſemen calore,& non frigore coire,& craſſeſcere; ergo quo calidius eo craſſius, quo craſſius eo fæcundius; accedit quod Galenus in hoc text.ſemen temperaturæ calidæ, & ſiccæ appellet craſsiſsimum, & fæcundiſsimum.

Reſponſum eſt ſuperius, quomodo ſit intelligendus Gal.dum dixit,ſemen temperaturæ calidæ; & ſiccæ teſtiũ eſſe craſſiſsimum,& fæcundiſsimum, diximus ob celeritatem; ideſt in principio pubertatis,quo tempore temperatiſsimi teſtes adhuc non efficiunt fæcundiſsimum ſemē; ſed diximus,fæcunditatem non conſiderari ratione celeritatis, ſed ratione diuturnæ perſeuerantiæ, in calida enim, & ſicca temperatura non ita diu durat fæcunditas, ſicuti in optima, & mediocri. Quo ad authoritates Ariſt. reſpondemus illam nobis non obſtare, quia aſſerimus etiam optimæ temperaturę teſticulorum conuenire ſpiſſitudinem, craſsitiem, & optimam coctionem ſeminis; neque valet hæc conſequentia; eſt calidius,& craſſius, ideo fæcundius; quia ad fæcunditatem requiritur mediocris craſsities; ſemina enim ſæpiſsimè ob eorum immoderatum calorem ſunt infæcunda: Hinc Ariſt.3.de hiſt.animal.c.22.ait,ſemē quod fæcundum eſt,in aquam dilabi: addimus nos,ſed ſic eſt,quod ſemen complexionis moderatæ magis poteſt in aquam dilabi, quia magis participat humiditatem, quā ſemen temperaturæ calidæ,& ſiccæ,ergo erit fæcundius.

Tertium ſignum; *celerrimè ad coitum excitantur etiam in prima adoleſcentia:* Ratio eſt, quia in temperatura calida, & ſicca ſemē eſt acre, ideo ualdè,& celerrimè ſtimulat.Prǽterea ob caliditatem citò fit,ideo celerrimè ad coitum calidi & ſicci mouentur.Demum,dum Gal.loquitur de tēperatura calida,& ſicca teſtium ſupponit totum corpus,& reliqua omnia uiſcera eſſe temperata, quo ſuppoſito dicimus, teſtes ratione caloris optimum, & temperatum ſanguinem corporis celerrimè in optimum ſemen conuertere.

Notandum,quod ſicuti celerrimè adoleſcentes calidi & ſicci ad coitum excitari incipiunt, ſic dum coeunt, ob ſeminis acrimoniam celerrimè ſperma emittunt.

Quartum ſignum; *Non ſolum genitales partes celerrimè fiunt hiſpidæ, ſed circumſtantes vſque ad vmbelicum,& infra vſque ad media fæmora piloſæ ſunt.* Ratio eſt ſuperius

perius allata: quia pili fiunt à materia fuliginoſa, & fuligines non fiunt, niſi à caliditate, & ſiccitate.

Quintum: *citò ſatiantur; ſi vero repetant coitum læduntur*: Ratio cur lædantur à repetito coitu eſt, quia in temperatura calida, & ſicca multum reſoluitur, accidit illi Satyro, de quo loquitur Hipp. lib. 6. de morb. vulg. 8. qui nominabatur Grypalopix: qui ob nimiā ſeminis eiectionem, ita fuit reſolutus ut factus tabidus è uiuis deceſſerit, erat enim 35. annorum temperamenti calidi, & ſicci, cauſa verò cur calidi & ſicci à repetito coitu lædantur, dicit Acachias inde euenire, quia maiori uoluptate afficiuntur, quam aliæ temperaturæ, in nimia enim uoluptate conquaſſantur omnia. Non accipitur hæc ratio Acachiæ, quia voluptas animum conſolatur, & ex ſe non lędit, ſatius eſt, ut dicamus in temperatura calida, & ſicca eſſe paucum ſemen, ideo in repetitione coitus deficiēte ſemine plurimum ſpiritus euolare maximo cum virium diſpendio.

5 Dub. ſi à reprehenſione coitus calidi, & ſicci lædantur, quomodo erunt fęcundiſſimi?

Reſpondent nonnulli, hos citò ſatiari, & à repetito coitu lędi, ſi præter teſtes calidos, & ſiccos, totum corpus ſit tale: dum enim totum corpus eſſet calidū, & humidum, vel temperatum, ac teſtes eſſent calidi, & ſicci, neque citò ſatiarētur, neque à repetito coitu læderentur, colligunt ex Gal. hanc reſponſionem 6. de tuenda ſanit. vbi dicit, citò ſatiari, & à repetito coitu offendi, intelligi quando teſtes, & totum corpus eſt calidū, & ſiccū, quia totum corpus non abundat ſanguine, vbi uero totū ſanguine plenū eſt, tunc licet teſtes ſint calidi, & ſicci poſsūt coitū repetere ſine aliquo virium detrimento.

Hæc reſponſio eſt uériſsima, ſed non facit ad rem, quia dictum eſt: temperaturam calidam & ſiccam teſtium eſt celerrimè fæcundiſſimam, ſemenq; craſſiſſimum efficere idest in principio pubertatis, in ætate ſcilicet 13. aut 14. annorum, quod temperatiſsimis non accidit: neque Gal. intellexit calidos, & ſiccos teſtes abſolutè eſſe fęcundiores, ſed tantum tempore principij pubertatis.

Reſpondemus igitur nos, non implicari contradictionem, dum dicit Galen. ſemen eſſe fæcundiſsimum, & citò ſatiari, & à repetito coitu lædi, quia ut ſit fæcundiſsimum ſatis eſt, vt ſemel in die, vel in menſe quoque emittat ſemen, dummodo ſemper ſequatur conceptus.

Notandum circa verba, dum ait Gal. hanc temperaturam calidam, & ſiccam, eſſe petulcam, petulcam dici à petendo: meretrices dicuntur petulcæ, quia ſunt pronæ ad libidinem, & quia petunt ſimul pecuniam, & Penem.

CAPITIS XLVII.

De ſignis calidæ, & humidæ temperaturæ teſtium.

Tex. 54. *Si autem caliditas humiditati coniūgatur, hirſuti quidem tales minus, plus verò ſemine abundant: non tamen plus teris appetunt; ſed minori detrimento præter modum venereis indulgent; Quod ſi ſatis excreuerint, & caliditas, & humiditas, non ſine detrimento à venereis abſtinent.*

Qvinque ſigna indicantia temperaturam calidam, & humidam teſticulorum proponit.

Primum ſignum *minus hirſuti*, ſeu piloſi ſunt qui habēt temperaturam calidam & humidam, quam qui tēperaturam calidam & ſiccam, vel temperatam: Ratio eſt, quia humiditas obtundit caliditatem, qua obtuſa, non ita fuligines eleuantur: ſicuti enim ſiccitas ex Auerroe eſt lima caloris, ſic humiditas eſt frænum caloris.

Secundum ſignum: *plus abundant ſemine*. Ratio eſt, quia coctio ex Ariſt. 4. meteororum eſt elixatio, & elixatio fit à calido & humido: ſimiliter Ariſtoteles loco citato ait, coctionem fieri ab eo igne, qui eſt in humido; quare temperatura calida, et humida teſticulorū magis apta erit ad generandum ſemen, quam aliæ temperaturæ: vbi verò eſt melior coctio, ibi eſt ſemen copioſius, quo fit vt dicat Ariſt. 1. de generatione animal. c. 18. ſenes, et ægros carere ſemine, quia eorum naturæ non rectè coquunt.

Tertium ſignum; *non tamen plus cæteris appetunt*: Calidi et ſicci magis appetunt; quia ſemen eſt magis acre, ſiccitas enim eſt lima caloris, et humiditas eius fręnum; cum igitur humiditas obtundat calorem, non fiet tanta acrimonia, et

per conſequens non irritabitur natura ad coitum,vt in calida & ſicca.

Quartum ſignum, *minus læduntur à coitu:* Ratio cur calida & humida temperatura minus lædatur à coitu,quam aliæ, hæc eſt potiſſima, quia calida & humida plus abūdat ſemine,quam aliæ;quare vbi eſt maior copia ſeminis,ſibi coitus minus lædit. Quod vero ſemine abundet, patet,quia vbi eſt temperatura calida & humida, ibi melior coctio fit,vbi melior coctio,ibi ſeminis plus fit.

Quintum ſignum, *ſi multa fuerit humiditas & caliditas teſtium,ait, quod nō ſine detrimento à coitu abſtineant.* Ratio eſt,quia nimia abſtinentia tollit animantibus motum ſalubrem, impeditque, ne craſſa excrementa diſſipentur.

Galen.6.de loc.aff.c.5.ait,ſex mala oriri ex nimia coitus abſtinentia, grauitatem capitis; cibi faſtidium, febris periculum, coctionem diminutam, torporem, & timorem. Addit præterea, viduas,quæ antea purgarentur,ac parerent, & virorum concubitu gauderent,in apneas,& ſuffocationes incidere, magiſq; ob retentum ſemen,quam ob menſes.Recitat quoque Hiſtoriam Diogenis Cynici continentiſſimi, qui vt noxam retenti ſeminis amoueret, manu pudendis admota ſemen proiecit; ſimiliter Hiſtoriam viduæ, quæ paſſionibus hiſtericis liberatur, dum eius muliebria à manu obſtetricis tractantur, quia ob voluptatem inde ſubortam, plurimum ſeminis excreuit.

Quod hæc nimia abſtinentia coitus lædere poſſit, probatur non ſolum auctoritate propoſita loco citato, ſed ratione & experientia. Patet ratione,quia cibi faſtidium,coctio diminuta,& capitis grauitas oriuntur à coitus abſtinētia ob duas cauſas. Prima ob conſenſum ventriculi, hepatis capitis & teſtium per ramum ſexti paris. Secunda per auras eleuatas à ſemine retento,quæ vt acris perturbat omnia viſcera. Hinc ob acrimoniam retenti ſeminis fit febris periculum; & timor ob conſenſum magnæ arteriæ,& magnæ venæ cum pudendis. Topor fit ob conſenſum neruorum ſpinæ: quia à vertebra 22. mittitur neruus ad penem. Patet per ipſam practicam, ex ſem. retento fieri hyſtericas paſſiones; quia illa remedia quæ exſiccant ſemen amouent ſymptomata hyſterica,ſicuti ſunt mitridatica cō fectio ad drachmam vnam, pilulæ de aſſa fætida & opponaco ad drachmam; enema ex decocto hederę terreſtris cum media vncia mitridaticæ confectionis; vel vrgente morbo ceratnm mercuriale in parte hypogaſtica; vel idem ceratum diſſolutum cum prædicto decocto per enema iniectum.

Colligas coitum minus omnibus officere temperaturæ calidæ & humidæ,magis omnibus frigidis & ſiccis; deinde calidis & ſiccis magis nocere,quam frigidis & humidis.

CAPITIS XLVII.

De ſignis frigidæ, & humidæ temperaturæ teſtium.

Tex. 55. *Si verò frigidiorem, & humidiorem temperaturam teſticuli habuerint, partes circumpoſita glabra ſunt,& tardè rem venereā exercere incipiunt.Neq;proni ad actum huiuſmodi ſunt. Aquoſum verò, & tenue ipſis eſt ſemen & infæcundum, & fæminarum generatiuum.*

PRoponit Gal. quinque ſigna temperaturæ frigidæ, & humidæ teſticulorum.

Primum; *partes circumpoſita glabræ ſunt:* non ait Galenus, quod partes genitales ſint glabræ,ſed ſolum circumpoſitę,quę ſunt hypogaſtrica pars ventris, fæmora & inguina. Ratio deſumitur ab ijs,quæ dicta ſunt temperatura calida & ſicca; vbi enim non fiunt fuligines, neque fiunt pili; ſed in frigida & humida temperatura non fiunt fuligines,ergo neque pili.

1 Dub.non videtur,quod vllo modo genitalia temperaturæ frigidæ, & humidæ poſſint eſſe piloſa, quia hæc temperatura frigida, & humida non efficit fuligines, quæ pilos efficiunt.

Reſpondemus,Gal.per temperaturam frigidam & humidam intelligere temperaturam hominis ſani, quæ eſt calida, ſed quia eſt minus calida,quam temperatiſſima, dicitur frigida; quare non ſequitur, eſt frigida; ergo omninò nō generantur fu-

fuligines; adeſt enim in hac temperatura tantus calor, quantus poſſit aliquas fuligines efficere.

Secundum ſignum; *tardè rem venereā exercent, et non ſunt proni ad actū venereū*: Ratio eſt, quia vbi non eſt acrimonia, ibi non eſt proptitudo ad venerem. Præterea vbi eſt frigiditas & humiditas; paucū ſemen fit, quia ibi eſt coctio diminuta.

2 Dub. mulieres ſunt frigidæ & humidæ, tamen & citò rem veneream exercent, & ſunt pronæ ad actum venereum; ergo falſum eſt, quod temperatura frigida & humida tardè exerceat coitum, & non ſit prona ad coitum.

Reſpondemus primò falſum eſſe, quod mulieres citò exerceant coitum, & ſint pronæ ad libidinem, vt ſunt viri; concedimus, mulieres quam maximè appetere viros, ſed vt plurimum non ob libidinem ſed eo fine, vt illis dominentur, vel pecuniam rapiant, huneque finem conſequēdi deſiderio, ſūt amore perditę, & inſanire non deſinunt donec ſummo virorum imperio potitæ ſint. Secundo reſpondemus ad dubium, comparationem eſſe faciendam inter viros & nequaquam inter mares & fęminas; quare dicimus, mares frigidos & humidos reſpectu marium calidorum tardè rem veneream exercere, & non eſſe pronos ad coitum; ſimiliter faciendam eſſe comparationē inter mulieres, dicendo fęminas frigidiores & humidiores tardius exercere actum venereum, & minus pronas eſſe ad libidinem, quam calidiores.

Tertium, *aquoſum & tenue eſt ipſis ſemen*. Ratio eſt, quia ſicuti temperatura calida, vt dicit Ariſtoteles 2. de gen. animal. c. 5. efficit ſemen ſpiſſum, & craſſum, ſimiliter dicimus cum Gal. temperaturam frigidam efficere ſemen tenue, & aquoſum. Præterea tanto tenuius, & aquoſius fit, quanto frigiditati iūgitur humiditas; tenuitas enim ſequitur ambas qualitates.

Quartum, *ſemen eſt infœcundum*. Ratio deſumitur à ſigno ſuperiori, ideſt ab aquoſitate, & tenuitate ſeminis. Idem docet Ariſtoteles 3. probl. 4. ibi enim ait, ſemen ebrioſorum eſſe magna ex parte infœcundum, quia habitus corporis eorum præhumidus eſt, ſemen verò non humidum, ſed craſſum fœcundum eſt, ſimiliter lib. 7. de hiſt. animal. cap. 1. ait, fœmina in fœcunda eſſe tenuia; fœcūda vero eſſe, quę grandinis ſpeciem referunt, & hæc mares generāt, tenuia fœminam. Poſtremò, non eſt prætereundus modus dignoſcendi ſperma fœcundam ab Ariſt. traditus li. 3. de hiſt. animal. c. 22. vbi habet hæc, *ſemē quod fœcundum eſt, delabitur in aqua. atque ſubſidet: at quod infœcundum eſt, diffunditur, atque exoleſcit*.

Quintum eſt, *fœminarum generatiuum, vel omninò non*; generans ſuperius dixit eſſe infœcundum: hic verò ſubdit, quod ſi eſſet generatiuum, eſſet fœminarum generatiuum, vel omninò non generans, quod magna ex parte accidit. Ratio, cur ſemen frigidum, & humidum aliquando eſt generatiuum fœminæ, & nunquam maris, facilè patet, eo prius ſuppoſito, quod Hippocr. & omnes Græci, & Arabes, & Gal. 14. de vſu par. c. 6. putant virū, ſcilicet à muliere ſolo ſitu differre; eadem enim vaſa, quę habet vir, habet & fœmella: vaſa enim præparantia, & deferentia, & teſtes æquè ſunt in fœmina, ac in viro; ceruix vteri inuerſa figuram penis, & fundum vteri figuram ſeroti præſefert. His ſuppoſitis, & authoritatibus propoſitis confirmatis dicimus, imbecillum calorem ſeminis, vel eius temperaturam frigidam, & humidam impedire, ne hæc vaſa in prima formatione adeo propellantur & dilatentur, vt promineāt: quia propellendi & dilatandi munus pertinet ad caliditatem, non ad frigiditatem.

3 Dub. non videtur, quod fœmina differat à viro ſitu, vt docet Gal. 14. de vſu par. c. 6. quia fœmina nō habet paraſtatas, nec proſtatas, in quibus conſeruatur ſemen: nec inuerſa ceruix vteri aſſimilatur peni: penis enim habet quatuor muſculos; denique plura alia ſunt in fœmina, quæ in viro non ſunt.

Reſpondetur Gal. intelligere præcipuam differentiam eſſe deſumendam ex ſitu; neque negat alias eſſe poſſe differentias in magnitudine, ſtructura & figura; non ne inter ipſos mares quamplurimæ ſunt differētiæ in magnitudine, & figura? ideo nimium ſeuerè nonnulli oppugnarunt Galeni ſententiam; quia dixerit ſitu differre: nonne ipſi mares inter ſe ſunt differentes in penis figura, in teſtium

ma-

magnitudine, & in alijs plurimis differentijs? Quo verò ad id, quod dicunt, ceruicem vteri inuerſam non aſſimilari peni, quia non habet quatuor muſculos, vt penis. Reſpondemus, quod Clitoris exiguum corpuſculum Falopij habet duo ligamenta, & quatuor muſculos, & aſſimilatur peni; quare videtur quod fæmina ſitu ſolum in pudendis à viro differat.

CAPITIS. XLIX.

De ſignis frigidæ; & ſiccæ temperaturæ teſticulorum.

Tex. 56. *Frigidior verò, & ſiccior temperatura ſimilis quidem in reliquis eſt antedictæ. Craſſius verò ſemen in ipſa exiſtit, atque omninò paucum.*

SIgna quæ conueniunt frigidæ & ſiccæ temperaturæ teſticulorum ſunt ſimilia iis, quæ cõueniunt frigidæ, & humidæ temperaturæ. Præterea Gal. addit duo per quæ diſtinguitur frigida, & ſicca à frigida & humida.

Signa, quæ conueniunt frigidæ & humidæ; & frigidæ, & ſiccæ ſunt hæc.

Primum partes circumpoſitæ ſunt ſine pilis, ſecundum tardè coire incipiunt.

Tertium tardè excitantur ad actum venereum: quartum vel nihil generant, vel fæminam.

Signa verò propria huius temperaturę frigidæ & ſiccæ ſunt hæc duo; alterum ſemen eſt craſſius; alterum omninò paucum.

Præterea differunt hæ duæ intemperaturæ; quia ſi de pilis loquamur, dicimus in frigida & humida non eſſe pilos; in ſicca vero aliquos eſſe. In frigida & ſicca eſſe maiorem promptitudinem ad coitum, quam in frigida & humida. In frigida & humida eſſe copioſius ſperma, & magis tenue, quam in frigida & ſicca.

QVÆST. LXXII.

An mulier ſit calidior mare.

ARiſt. cum Empedocle libr. 4. de gen. animal. c. 1. reprehendit Parmenidem dicentem, mulieres eſſe calidiores viris cap. 6. eiuſdem probat Ariſt. fæminas eſſe frigidiores, tum ex veloci effloreſcentia, & ſenectute; tum ex vita ocioſa, & ſedentaria, & lib. 5. de gen. anim. c. 19. inquit, fœminam eſſe debiliorem mare, quia frigidior; idem colligitur lib. de lõg. & breu. vitæ c. 3. & 1. politic. c. 1. Immo 4 ſect. probl. 29. quæritur cur hyeme viri, æſtate fæminæ ad venerẽ ſint procliuiores: Reſpondet, quia viri ſunt calidiores.

Ante Parmenidem fuit Horus Ægiptius magnus Rex Philoſophus, & Medicus, qui putauit fæminas eſſe calidiores viris; contra hunc diſputauit Symachus (vt refert Macrobius 7. ſat.) Omnes tamẽ præcipui auctores putant viros eſſe calidiores.

Sed antequam Hippocratis & Gal. ſententiam afferamus, lubet afferre auctores qui mediam viam tuentur, inter quos eſt Curtius, qui dicit contingere poſſe, quod aliqua mulier ſit calidior mare. Rationẽ præcipuam deſumunt à pulſu, Gal. enim lib. de pulſibus ad Tyrones cap. 9. & 3. de cauſis pul. & alibi docet, pulſus frequentiores indicare maiorem calorem, addũt, mulieres habere pulſus frequentiores, ideo eſſe calidiores.

Reijcitur propoſitum argumentum, quia peccat in forma, & in materia, in forma, quia eſt in ſecũda figura ex duplici affirmatiua: namque medius terminus eſt latior prædicato concluſionis; medius eſt pulſus frequentia, dicimus, quod frequentia prædicatur de complexione calidiori & frigidiori; de frigidiori quando arteriæ ſunt anguſtiores; peccat in materia, quia frequentia eſt quid æquiuocum: alia enim eſt frequentia, quæ fit in lata & profunda arteria, quę ſolum indicat calorem, & alia in anguſta: negamus frequẽtiam pulſus anguſtæ arteriæ indicare calorem.

Curtius ait, mulieres in prima generatione quo ad genitalia non poſſe eſſe calidiores maribus, poſſe tamẽ quo ad alias corporis partes: imò poſt primam generationem tractu temporis ait, quod poſſint eſſe quoq; calidiores quo ad genitalia: reddit rationem; quia aliquando obſeruantur mares cum pulſu tardiſſimo, cum vrina alba, & cruda: ex aduerſo obſer-

ſeruatur aliqua mulier calidiſſima cum vrina rubra, quare ait, poſſe accidere, vt aliqua mulier poſſit eſſe calidior mare.

Reſpondetur, neminem negare, mulierem aliquam eſſe poſſe calidiorem frigidiſſimo homine; ſed dum quæritur, an mulier ſit calidior mare, facienda eſt cõparatio inter temperatam mulierem & temperatum virum: quia nemo vnquam dubitauit, quod dentur innumeræ mulieres calidæ, quæ calidiores ſint hominibus frigidioribus. Ad dubium reſpondemus eſſe impoſſibile, vt aliqua inter mulieres temperatior ſit calidior mare temperato. Accedit, quod mulieres temperatæ ſunt minus calidæ, quã viri temperati: debet enim conſtitui fæmina temperatiſſima reſpectu cuius cæteræ omnes debent dici frigidæ, vel calidæ: dicimuſque hominem temperatiſſimum reſpectu cuius cæteri dicuntur frigidi, vel calidi eſſe longè calidiorem, quam fæmina temperatiſſima, quod quidem probatur ratione, & authoritate: ratione quia nulla inuenitur fæmina calidiſſima, quę non gignat excrementum menſtruale, quod indicat hepatis frigiditatem, & humiditatem.

Deinde auctoritatibus, & rationibus deſumptus ab omnibus auctoribus præcipuis probari poteſt, fæminas eſſe minus calidas viris: Gal. 14. de vſu par. c. 6. habet fæminas eſſe frigidiores viris; probatque triplici ratione.

Quarum prima eſt, ſi fæmina eſſet exquiſitè calida, ita coqueret, & conficeret alimentum, vt careret menſtruis.

Secunda ratio, quam ibi tradit eſt, ſi fæmina eſſet calidior mare, genitalia non remanerent intus.

Tertia, ſi fæmina eſſet exquiſitè calida non haberet teſticulos minores, ſperma parcius, frigidius, ac humidius: ſubdit deinde Galenus, mas quanto eſt calidior, tanto ipſius teſticuli maiores ſunt.

Præterea 2. de ſem. c. 5. ait, in calidiore, & ſicciori craſſi mas fit: in frigidiori & humidiori fæmina; idẽ colligitur ex Gal. 5. aph. 16. 4. de v. p. & 2. de temp.

Eandem opinionem ſecutus eſt Auic. prima primi doct. c. 3. c. de complexionibus, & Auer.

Demum ex Hipp. (vt probauimus mulieres generantur à parte ſiniſtra, & non à dextra, ideo frigidiores.

Nec credant lectores Hippocratem intelligere partem ſiniſtram ciuitatis vteri, vel viri ſiniſtrũ teſticulum intelligit enim partem ſiniſtram eſſe frigidiorem dextra, quia vaſa ſpermatica dextri lateris, per quę fluit ſemen ad teſtes in maribus, & fæminis deducuntur ab aorta: vas quoddam ſiniſtrum deducitur ab emulgente, quod vas eſt longè frigidius.

Dum verò Hipp. lib. de ſuperfætatione inquit, quãdo fæmellam generare voles, dextrum teſtem obliges, quando marem ſiniſtrum, dicimus intelligendam eſſe ligaturam omnium vaſorum dextri lateris ad teſtes peruenientium: cauſa verò, cur ligatura dextri teſtis nihil iuuet, duplex eſt, prima quia ob ligamentum non impeditur omninò tranſitus: ſecunda quia ſemen aſſeruatur in glandulis aſtatis, ſeu veſiculis, quę in hunc finem effectæ ſunt, vt ſemina pro vſu generationis conſeruent, qui igitur impediret, ne per vaſa præparantia ſiniſtri lateris tranſiret ſeminis pabulum, haud dubiè ſolum mares generarentur.

Hipp. deniq; lib. de diæta habet, mares eſſe calidiores fæminis deniq; dum Hipp. 7. aph. 43. dicit mulierem non eſſe ambidextram: Gal. in comm. reddit rationem dicens, quia eſt frigidior.

Decipiuntur quoque qui dixerunt, fæminas eſſe poſſe calidiores maribus quo ad alias corporis partes, non quo ad genitalia, probatum enim eſt cum Galeno 14. de vſu par. cap. 6. & 2. de ſemine cap. 4. & 5. fæminas habere hepar frigidius, & humidius, quia ſanguinem excrementorum efficit. Poſtremo ex eo patet, fæminas ſecundum totum eſſe frigidiores viro, qui earum hepar ſua frigiditate, & humiditate obſtat, quominus cæteræ corporis partes fiant calidiores maribus.

1 Dubitatio ex Hipp. lib. de morb. mulierum in principio habetur, mulierem habere ſanguinem calidiorem.

Reſp. dupliciter: primò cum Vegha locum illum eſſe mendoſum: ſecundò cum Gordeo, & Rorario contrad. 38. intelligendum eſſe fæminas per accidens ſanguinem calidiorem habere, quatenus ſcilicet

licet caliditas ob anguſtiam vaſorum excitetur.

QVÆST. LXXIV.

A qua parte ſemen decidat.

QVæſtio eſt difficillima. Ab Ariſtot. enim primo de generat. animal. c. 18. a Gal. lib. de ſemine ſubtiliſſimis argumentis tractatur. Nos aliorum opiniones proponemus & demum noſtram paucis explicabimus.

Prima opinio eſt Empedoclis, qui (vt refert Ariſt. loco citato, & Gal. 2. de ſem. c. 3. & fusè Philoponus) dicebat partem ſeminis nobiliorem, ideſt caput, cor, iecur & alia viſcera à Patre pendere; alias verò partes ignobiliores, ideſt manus, brachia, pedes, & coxas à matre.

Reijcitur ab Ariſtotele, & à Gal. locis citatis fuſiſſima oratione.

Præterea falſa eſt, quia incidit Empedocles in opinionem Anaxagoræ, qui negabat tranſmutationem ſubſtantiæ, dum enim ex ſanguine ſemen fit, nihil ſanguinis, & viſcerum efficientium ſanguinem in ſemine continetur: generatio enim ſeminis eſt tranſmutatio totius, nullo ſenſibili remanente. Denique ſi in ſemine eſſent particulæ reſpondentes patri, & matri, ſuperflua eſſet virtus formatrix, cuius virtus eſt partes efficere, ordinare & diſponere: eſſent enim antè effectę, ordinatæ, & diſpoſitæ; quod quidem eſt inconueniens.

Secunda opinio eſt quorundam antiquorum dicentium, ſemen ſolum prodire à ſolidis ſpermaticis partibus, quæ albę ſunt, dicuntque ſemen virtute teſtiũ trahi à venis minoribus ad maiores, & ab his tandem in teſtes confluere. Reijcitur hæc opinio & à Gal. & ab Ariſt. locis citatis: repugnat etiam rationi, quia ante ſeminis generationem ſanguis arterioſus venoſus confluit in teſtes per vaſa præparantia, et ibi conuertitur, et accipit nouam formam; quod qui negaret, ſimiliter incideret in opinionem Anaxagoræ, qui negabat tranſmutationem; in corpore quidem viuente nihil mouetur de loco ad locum ſine noua alteratione, et ſubſtantiæ tranſmutatione; quare ridiculum eſt, quod deducatur ſanguinea ſubſtantia tranſmutationi maximè obnoxia à vaſis maioribus ad vaſa præparantia vſque ad teſtes ſine alteratione et tranſmutatione.

Tertia opinio eſt Auicennæ, vbi agit de ſemine, qui ait, materiam ſeminalem à tribus principijs prodire, à cerebro, corde et hepate. Quæ opinio ſi in hunc ſenſum accipiatur, quod ſcilicet concurrant virtutes horum viſcerum, eo fine, vt ſemen tandem in teſtibus perficiant, non poteſt improbari.

Quarta opinio eſt, quod ſemen ſecernatur ab omnibus corporis partibus, eſtque antiquiſſima; fuitque Democriti, vt colligitur ex lib. de hiſtor. philoſophica, et creditur eſſe Hippocratis libro de genitura, libro de morbo ſacro, et libro de aere, aquis et locis, videtur quoque eſſe Ariſt. 4. ſectio. probl. 21. et 32. et Aue. lib. 1. de generatione anim. c. 17. ſimiliter Lucretius lib. 4. ſuorum carminum eandem ſequitur opinionem. Eius fundamentum præcipuum deſumpſerunt à ſimilitudine parentum. Præterea lib. de aere, aquis, et locis refert duas hiſtorias, quę videntur perſuadere, quod ſemen à toto ſecernatur, altera eſt macrocephalorum; altera ſcytarum. Macrocephali erant, qui caput oblongum habebant; iſti, quia apud Europęos erant in pretio, nutrices capita mollia infãtium cæperunt faſcijs comprimere et elongare, euenit deinde quod ex macrocephalis orirentur macrocephali. Hac poſita hiſtoria ſic argumentatur; ſi ex capite quoq; non ſecerneretur ſemen, non fieret ex macrocephalo artificiali filius talis.

Præterea Scythę, vt ſe liberarent coxēdico dolore, quo ob nimias æquitationes, vt plurimum, vexabantur, ſecabant ſibi venas iuxta aures, ob quarum ſectionem ſteriles fiebant. Hinc colligebant à capite ſemen quoque prodire; poſtremò Auer. 1. de gen. anim. cap. 17. refert de ſuo filio quod haberet in mammis veſtigium ani. Hæc ſunt verba Aue. *vidi in filio meo maiori, qui habebat veſtigium in mammis ſuis, quod ſignum habebat auus ſuus ex matre: verum in eo erat paruum, neque ſcio vtrum efficietur maius vel ne.*

Reijcitur hæc opinio ab Ariſtotele 1. de gen. anim. c. 17. et 18. ibique proponit pro con-

confirmatione dictæ opinionis plurima argumenta, eaque mirificè ſoluit & omnem dubietatem tollit; nos qui profitemur breuitatem quattuor tantum magis præcipua, & eorum ſolutiones proponemus.

Primum argumentum eſt. Filij aſſimilantur parentibus ſecundum omnes partes: ergo ſemen ab omnibus partibus decidit.

Secundum, ex mutilatis mutilata generantur.

Tertium in coitu eſt adeo vehemens voluptas, vt totum cõquaſſetur & flaccidum fiat: ergo ſemen ab omni parte ſecerni debet.

Quartum ex ſemine totum fit: ergo ex toto ſecretum eſt.

Primum argumentũ tollitur ab Ariſt. loco citato: quia ſeruatur quoq; ſimilitudo vnguium, pilorum, & vocum, à quibus ſemen non decidit. Præterea ſi in animalibus ab omni parte decideret ſemẽ: ſequeretur etiam idem in plantis, quod euidentiſſimè falſum eſt.

Secundum argumentum tollitur, quia non mutilati vt plurimũ à mutilatis fiũt, homo ſine digitis generat filios cũ digitis, idem de alijs partibus mutilatis dici poteſt: ergo nõ ſecernitur à toto ex eo enim quod non eſt, nihil ſecernitur.

Tertium eſt nullius roboris: quia nulla eſt corporis pars ſenſu prædita, cuius læſio non poſſit totum corpus reddere flaccidum; non ne hæmorrhagia reddit corpus flaccidum? attamen ſanguis à toto non ſecernitur. Præterea dicit Ariſt. ſi ſemen ex toto excerneretur, non ſimul ſentiretur voluptas, ſed alijs partibus prius, alijs poſterius.

Quartum ex ijs quæ infra proponemus facilè tolletur: ſimiliter reſpondebimus hiſtorijs de macrocephalis, & ſcythis & in bonum ſenſum reducemus opinionem H'pp.

Quinta opinio eſt nonnullorum credentium ſemen coqui & perfici non in teſt'bus, ſed in Epididymide: Gal. lib. 1. de ſem. c. 15. & 16. ait, Epididymida eſſe particulas adhærentes capiti teſtium; putant iſti ſemen perfici in Epididymide, & non ingredi ſubſtantiam teſtium; dicunt officium teſticulorum eſſe, vt exurgant ſeroſum ſeminis excrementum, quia teſtes ſunt glandes, quæ in hunc finem factæ ſunt, vt recipiant ſeroſa excrementa.

Reijcitur hæc opinio; quia reluctatur inſpectioni propriæ; quia in teſtium ſectionibus inuenitur ſemen perfectiſſimè coctum, & album, & non ſeroſum.

Sexta opinio ex Ariſt. & omnium peripateticorum, qui cenſent, virtutem ſeminariam, & cæteras omnes virtutes à corde tamquam ab vnico & ſolo Rege & Gubernatore prodire; putantque proprium organum in quo ſemen perficitur eſſe vaſa inuoluta, & non teſtes, vt nos docet Gal.

Fundamentum peripateticorum deſumitur a 5. lib. de hiſt. anim. c. 5. 4. de part. anim. c. 13. & 1. de gener. anim. cap. 4. vbi ait, teſtes nihil cõferre ad generationem maris, vel fœminę: addit ſi eſſent neceſſarij, omnibus animalibus ineſſent; ſed nec piſces, nec vllum genus, quod pedibus caret, vt ſerpentes, teſtes habent præter binos meatus, qui coitus tempore ſemine fætifico implentur & lacteum quendam humorem emittunt. Ne verò videantur teſtes fruſtra à natura facti tradit Ariſtoteles 3. de hiſtor. animal. capite primo, & 1. de gen. animal. cap. 4. triplicem teſtium vſum. Quorum primum ait eſſe, vt appendantur vaſis inuolutis, cauſa reddendi ea patentiora; ſintque veluti pondera, quæ telis textorum appenduntur, quibus exectis ait, contrahi vaſa, & occludi meatus.

Reijcitur hic teſtium vſus, quia vaſa inuoluta adeo adhærent, vt nullo modo à teſt'bus, quamuis eſſent magnæ molis poſſent diſtendi; ſecundus vſus eſt ſuo pondere cor tendere, & tendendo roborare, quod quidem probat, quia teſtibus exectis illico laxantur vaſa, & exoluitur cordis robur, vaniſſimus eſt hic vſus; quia ſequeretur, quod ſenes, qui maiores habent teſtes iuuenibus, haberent cor robuſtius, quod eſt ridiculum. Præterea antequam cor poſſet tendi, inter cor & teſtes ſunt adeo plurimæ vaſorum reuolutiones, vt ante cor prius vaſa pedum tenderentur. Tertium vſum proponit ſect. 4. probl. 14. qui eſt, vt pondere ſuo iuuet penis erectionem. Reijcitur hic vſus, quia erectio penis fit ſpiritu implente eius caui-

uitates, & ab appetitu mouente muſculos huic tenſioni dicatos, & nequaquam à pondere teſtium.

Neque omninò reprehendi poteſt opinio Ariſtotelis, quamuis vſum teſtium ab illo propoſiti optima cum ratione explodantur, non poteſt inquã abſolutè reprehẽdi, quia locutus eſt in communi, an teſtes ſint neceſſarij omnibus animalibus, argumentum enim philoſophi, quo vtitur dum dicit, ſi eſſent neceſſarij, ergo omnia animalia illos haberent, eſt efficaciſſimum; & non poteſt infringi; non concludit tamen de hominum teſtibus; quia re vera ſine illis homo non generat: neq; quod ab Ariſtotele affertur de tauro caſtrato, quod coiuerit, & generauerit, aliquid roboris habet contra Gal. quia in caſtratis ſemper tantum ſeminis in paraſtatis conſeruatur, quantum ſatis eſſet pro vnica coitione.

Septima opinio eſt nonnullorum dicentium ſemen gigni in vaſis inuolutis, & teſtibus; hacque ratione confirmant ſuam ſententiam: ſicuti hæmatoſis conuenit hepati, & venis ſimiliter ſeminis generatio pertinebit ad vaſa inuoluta, & teſtes.

Decipiuntur: quia ſumunt pro principio, quod eſt maximè controuerſum, Ariſt. enim vult ſanguificationem fieri à corde. Veſanus à venis: Argenterius & multi alij cum Galeno à parenchymate hepatis. Alij primò ab hepate, deinde à venis, non erat igitur ſupponendum, ſanguificationem, ſeu hæmatoſim fieri ab hepate, & à venis; credimus nos vnam actionem ab vnico principio prodire; quia vnum inquantum vnum dat ſolum vnum; ſi rueret hoc principium, actum eſſet de logica, phyſica, & medendi methodo; Ruit igitur opinio credentium, quod ſemen à teſtibus, & vaſis inuolutis perficiatur.

Octaua opinio videtur eſſe Platonis in Timæo, vbi ait, ſemen non ex toto, ſed ex capite per ſpinalem medullam ad teſtes excurrere: ideò definit, ſemen eſſe ſpinalis medullæ defluxum. Eandem opinionem ſequi videtur Alcmæon, qui, vt citatur in hiſtoria philoſophica, dicebat, ſemen eſſe cerebri particulam. Hæc opinio videtur confirmari ab Hippocrate lib. de genitura, qui videtur aſſerere duas eſſe vias, per quas ſemen à cerebro ad teſtes perueniat, de prima loquitur lib. de genitura, vbi dicit, primam eſſe è cerebro in lumbos per ſpinam, & ad renes, & à renibus ad teſtes; de ſecunda loqui videtur libro de natura oſſium, vbi dicit à capite ad venas iuxta nares procedere, & ab his venis tandem in teſtes; eandem ſententiam ſequi videtur Ariſt. 19. ſect. probl. 58.

Hæc opinio videtur falſa, & ridicula, ſed cum fuerit tantorum virorum, credendum eſt aliquid reconditi continere, quod altitudini animi Hippocratis, Ariſtotelis, & Platonis conueniat. Dicimus igitur, cum ſemen ex Gal. 1. de ſemine c. 1. ſit plenum ſpiritu vitali, qui per vniuerſum corpus diffunditur, ex Ariſt. ſimiliter 2. de gener. animal. c. 2. ſit compoſitum ex ſpiritu & aqua, propterea non eſſe mirandum, ſi ſemen ratione ſpiritus, qui vagantur per totum corpus à toto procedere dicatur.

Hinc Hippocrates libro de genitura habet, corpora mutilata continere omnia membra in virtute cordis, in quo fiunt illi ſpiritus, qui poſt aliquam tranſmutationem recipiunt in ſemine vim formatricem: ſi verò ſemen conſideretur vt viuens, trahit ortum à corde, ſi vt potentia ſenſitiuum, ſic ſolum à cerebro per ſpinalem medullam ad teſtes corriuat.

Hac ratione poteſt defendi opinio Platonis dicentis, ſemen ſolum à capite prodire; vt ſenſitiuum ſcilicet; neque par eſt, vt ita ſubito ſententię pręſtantiſſimorum philoſophorum reijciantur.

Habita enim varia conſideratione ipſe Ariſt. vario modo de ſemine loquitur: modo enim inquit, ſemen à corde prodire, quod intelligitur ut viuens, & vt ſenſitiuum; quia putabat ſenſum quoque à corde prodire; modo ab inuolutis vaſis, quatenus ibi recipiat vltimam perfectionem: modo, vt 2. de generat. animal. in fine quinti capitis ait à diaphragmate; quia inſtrumenta inſpirationis efficiunt ſpiritum vitalem, quatenus ob ſepti motum in arterijs ſpumeſcit.

Mirabilis enim obſeruatur ſympathia non ſolum inter cor, et teſtes, ſed inter cerebrum, ſeptum, et teſtes.

In-

Inter cerebrum & teſtes adeſt ſympathia virtute ſpinæ, quæ à lumborum vertebris ad quattuor muſculos erigentes penem neruos mittit.

Inter ſeptum, & teſtes per venas, arterias, & neruos, mirus eſt conſenſus: per venas,quia vena orta à vena ſine pari penetrat ſeptum,& deinde deſinit ad renalem,& ſpermaticam venam:per arterias, quia arteria venoſa penetrat in ſiniſtrum ſinum cordis, & inde in aortam, & ab aorta in canales,qui ad renes,& ad teſtes perueniunt: per neruos, quia neruus excurrens per coſtas mittit quoque ſurculum ad teſtes: vnde fit vt dum Adoleſcentes ſperma emittere incipiant, mutent vocem: eadem ratione Hippocrates 2. epid. ſect.1. ait, tuſſes diuturnas ſuperueniente teſtium tumore ceſſare: ecce quam admirabiles conſenſus inter teſtes & præcipua viſcera obſeruentur, vt propterea non ſit mirum, ſi percelebres viri habita varia conſideratione varia, & diuerſa dixerint.

Nona opinio eſt Gal. lib. de ſem. quod in teſtibus generetur, & perficiatur ſemen, præcipuum eius fundamentum eſt, quia in vaſis inuolutis in anatome inuenitur ſanguinolentum quidpiam, quod indicat ibi fieri ſeminis præparationem pro forma ſeminis acquirenda in teſtibus, in quibus ſemper inuenitur ſemen album,& perfectè coctum. Hæc demonſtratio deſumpta ab αὐτοψία vnicè perſuadet ſemen formaliter ſumptum non à toto ſeparari, ſed ſolum à teſtibus: relinquuntur ſolum duæ dubitationes ſoluendæ:altera eſt de macrocephalis artefactis, qui macrocephalos gignunt: altera eſt de ſterilitate Scytharum à ſectione venarum pone aures prodeunte, quæ oſtendit ſemen à cerebro prodire.

Quoad macrocephalos, dicimus,in teſtibus repræſentari totius corporis imaginem; tum quia à partibus principibus ad illam efformandam mittuntur organa, nerui ſcilicet à cerebro, & à ſpinali medulla, arteriæ à corde, & venæ ab hepate, quæ omnia vaſa, cum habeant conſenſum cum qualibet corporis parte, non erit mirum, ſi macrocephali artefacti gignant macrocephalos; tum quia teſtibus a Natura inſerta eſt virtus formatrix ſeminis, in quo potentia omnes corporis partes continentur,vnde non eſt mirum, ſi ſtigmata parentum aliquando in filijs appareant.

Quòad Scytharum ſterilitatem dicimus, neminem referre poſſe ſterilitatis cauſam in ſectionem venarum retro aures;quia illæ venulæ nullam habent ſympathiam cum teſtibus: cauſa verò ſterilitatis Scytharum fuit illorum virorum, & mulierum obeſitas; dum verò dicunt eſſe ſententiam Hippocratis in libro de genitura, quod ab illarum venarum ſectione ſuboriatur ſterilitas; reſpondemus illum librum non eſſe Hippocratis, vt teſtatur quoque Galenus; quare miror Valeſium libro ſecundo controuerſ. cap. octauo, & Veſalium, & quamplurimos alios dicentes, a ſectione illarum venarum ſequi poſſe ſterilitatem, eo quia inciditur neruulus quidam; quoties in magnis vulneribus inciduntur nerui, attamen non ſequitur ſterilitas? Præterea dum ſecantur venulæ, non ſupponitur, & neruum ſimul ſecari cogitent igitur diu, noctuque numquam ex anatomia, non dicam neceſſariam, ſed neq; probabilem rationem oſtendentem ſterilitatem ab illa ſectione fieri inuenient.

QVÆST. LXXIV.

An ſemen ſimul ſit efficiens, & materia primi conceptus.

Pluſquamcommentator, & Argenterius in hoc loco; Auerr. 2. collig. & Fernelius, vbi agit de ſem. putant ſemen eſſe cauſam efficientem, & nullo modo materiam primæ delineationis conceptus.

Rationes, quibus id probant, variæ ſunt; a Pluſquamcommentatore in hoc loco tres præcipuè afferuntur; quarum prima hæc eſt; ſi ſemen eſſet agens, & materia, ſequeretur, quod idem eſſet actus, & potentia, agens, & patiens forma, & materia, quod eſt impoſſibile. Secunda ſemen plantæ eſt tantum efficiens, materia eius eſt terra, ex qua planta fit; ergo ſolum ex ſemine virtus actiua deſumitur, & paſſiua ex terra, quia ſe-

ſemē poſt motus principium putreſcit, & reſoluitur. Tertiam deſumit ab ouo dicēs adhuc autem gutta ſeminalis in ouo inuenta eſt efficiens pullum, non quidem cadens in materiam pulli, ſignum cuius eſt, quia inuenitur adherens in conuexo oui,& non commiſta cum ouo:ex his cōcludit,ſemen non vt materiam,ſed ſolum vt efficiens concurrere: Ab alijs proponuntur aliȩ duȩ rationes,quarum prima, quȩ erit quarta pro hac opinione,hȩc eſt: ſi ſemen eſſet agens & materia, ſequeretur quod mas in ſe ipſo aliquid generaret, quod eſt abſurdum. Quinta ſi ſemen eſſet agens & materia, in vnum numero coinciderent cauſa efficiens, & materialis,quod reluctatur Ariſt.2.phy.cap.de cauſis: hæc ſanè poſtrema ratio coincidit cum prima.

Ad primum,dum dicit, quod ſequeretur,idem eſſe actum & potentiam,& formam & materiam: reſpondemus, in ſemine eſſe ſpiritum & humorem,ſpiritum verò eſſe cauſam agentem:humorem eſſe cauſam materialem nutrientem ſpermatica ſpartes: quare non eſt inconueniens, quod idem reſpectu diuerſarum partium ſit actus & potentia, forma & materia. Deinde dicimus, ſemen eſſe principium actiuum ratione virtutis formatricis,quȩ eſt in ipſo:paſſiuum ratione partis corporeæ.

Ad ſecundam reſpondemus, quod ſemen plantarū ſit agens,& materia:hancque opinionem ſequuntur Ariſt. & Gal. quod neq; Pluſquamcommentator, neq; multi alij peripatetici intellexerunt: Gal. enim 1.de ſem.c.9. circa medium refert ſententiam Ariſt. dicentis in ſemine plātarum duo principia contineri materiale ſcilicet, & fabricatorium: ſi aliquis verò Peripateticus negaret,quod Ariſt.admittat in ſemine plantarum principium materiale, legat cap. 18. poſt medium primi libri de generatione animal. vbi ponens differentiam inter genituram, & ſemen habet hæc verba, *genitura id vocatur quod à generante proueniens cauſa eſt quæ prima obtineat principium generationis:* ſubdit,*ſemen autem eſt quod ex ambobus coeuntibus illis originem trahit, quale ſemen plantarum omnium eſt, & animalium nonnullorum, in quibus ſexus diſtinctus non eſt, veluti eſt id quod ex mare ac fæmina primum miſcetur:* ecce quod in ſemine plantarum ex Ariſtot. adeſt materia, & forma ſiue agens, & patiens; Præterea cap. 20. ante medium eandem confirmat ſententiam his verbis, *in quibus ſexus maris & fæminæ diſtinctus non eſt, in iis ſemen veluti conceptus iam eſt, conceptum appello primam ex mare, & fæmina miſturam:* ecce quod in ouo, & omni ſemine plantarum, vbi non diſtinguitur mas à fœmina, eſt materia & agens, & actus & potentia, ſed reſpectu diuerſarum partium; quæ Ariſtotelis loca ſi vidiſſet Pluſquamcommentator, & multi alij non abſolutè negaſſent in plantarum ſemine eſſe materiam, & formam, agens & patiens, & actum & potentiam.

Ad tertiam reſpondemus Ariſt. ſtatim occurrere poſt citata verba primi libri de gen.anim.c. 20. propoſito argumento his verbis: *quamobrem ex vno ſemine vtrum gignitur corpus verbi gratia ex vno tritici grano vna radix,& ex vno ouo vnum animal: conceptum appello, ideſt primam miſturam ex mare, & fæmina:* ecce quod Ariſt.ouum & omnia plantarum ſemina appellat conceptum, ideſt primam miſturam ex agente & patiente: imno dictio Græca idem ſignificat conceptus dicitur *κύημα* quaſi vnio agentis & patientis: dum verò dicit Pluſquamcommentator, guttam genitalem eſſe in conuexo oui,& nō commixtam cum ouo,aberrat: quia in candido oui natat,& deinde candidum vitellum circumdat: quod vero candidum oui ſit materia generationis nos docet Ariſtoteles 2. de gen. animal. cap. 3. vbi loquitur contra Alcmeonem Crotoniatem aliter ſentientem, & alijs in locis.

Ad quartam,dum inquit ſi ſemen maris haberet partem materialem, in ſe generaret. Reſpondetur præterea requiri locum generationis,qui eſt Vterus.

Ad quintam, dum ait, quod conuenirent in vnum numero agens & materia: Reſpondemus, quod valeret argumentum, ſi illud vnum conſideraretur reſpectu vnius eiuſdem, & non haberet varias partes, de hoc enim vno intelligitur philoſophi præceptum, quod ſcilicet non

poſſit

poſsit eſſe agens, & materia.

Ariſtoteles quærit de ſemine, quod inijcitur in uterum, an ſolum eſſet purum agens, uel ſimul cauſa materialis primæ delineationis conceptus: apud Veteres erat controuerſum quia Gal. 1. lib. de ſem. cap. 3. enarrat duas antiquorum Peripateticorum diuerſas expoſitiones; aliqui enim dicebant Ariſtotelem uoluiſſe ſemē in uterum iniectum illico generationis principium ſanguini menſtruo præbere: mox ſtatim totum excerni; ideò ſemen ſolum agens, & non materiam eſſe.

Alij uerò putabant, Ariſtotelem uelle ſemen non ſolum eſſe agens, ſed etiam partem materialem primi conceptus.

Ibi Galenus dixit hos nō intellexiſſe Ariſtotelē, eoſque propterea nomine peripateticos appellat: quia vera, & Germana opinio Ariſt. (vt putat Gal.) eſt quod ſemen, iniectum in vterum ſit purum agēs ad differentiam ſeminum plantarum, & ouorum, quæ (vt ſuperius oſtendimus cum Ariſtotele) continent cauſam agentem, & materialem.

Quod verò ſemina omnia iniecta in fœmellam ſint ex Ariſtotele ſolum agentia, & nō patientia legamus c. 3. 2. de gen. animal. vbi ex profeſſo tractat hanc quæſtionem, hiſque verbis concludit ſeminis nullam conſtitutæ magnitudinis fœtus partem eſſe: & 1. de gene. c. 20. ait, quemadmodum ex fabro, & ligno fit lectica, & ex cera, & forma globus, ita ex menſtruo & ſemine fit fœtus: ecce quod ex Ariſtotele ſemen eſt ſolum agens, & forma, & non materia conceptus. Quod hæc ſit opinio Ariſtotelis patet, quia omnes ferè Peripatetici eam ſic intelligunt: quamvis non deſint, qui alio modo verba propoſita interpretentur. Sed hic non eſt locus differendi de opinionibus Peripateticorum.

Galen. 1. lib. de ſemine contra Ariſtotelem proponit decem argumenta quibus probat, ſemen non eſſe ſolum cauſam agentem conceptus. Tria argumenta continentur cap. 4. primi libri.

Quorum primum eſt: ſi ſemen totū in vero conuerteretur in ſubſtantiam ſpirituoſam, tūc venter in prima conceptione intumeſceret, quod non ſolet euenire.

Secundum ſi ſemen veniēs in vterum, ſolum præberet principium generationis ſanguini menſtruo, tunc accideret, quia occurreret ſanguini aggregato in vtero, quod non eſt dicendum, quia ſanguis in quovis ventre in thronbum vertitur, & mox corrumpitur: aut occurrit ſanguini exiſtēti in vteri acceptabulis, quod neque dici poteſt, quia ſemen diuideretur in quamplurimas partes, & cum, neque ex ſe, neque ab alio poſſit diuidi, non occurret omnibus acceptabulis vteri.

Tertium deſumit ab Hippocratis experimento deſumpto à Pſaltria Hippocratis ancilla, ob ſaltus abortiēte, ſemen ſex dierū, quod obductū erat membranula: vnde Hippocrates collegit ſemē in vtero totum conſeruari, & non in ſpiritus diſſolui, vt putat Ariſt. Quartum autem, Quintum, & Sextum in 5. cap. proponit; Quartum verò tale eſt; omnia membra gubernantur per venam, arteriam, & neruum: ſed hæc cum ſint exanguia, non à ſanguine, ſed à ſemine debent cōſtitui, ergo non eſt dicendum, naturam permittere, vt ſemen foras egrediatur.

Quintum, quod eſt ſpirituoſum, eſt cuiuslibet operis inſtrumentum, ergo abſurdum eſt dicere, quod natura ſemen reſpuat, & foras exire permittat.

Sextum, illud eſt conuenientius principium materiale generationis, quod eſt perfectius, & appetibilius, ſed ſemen eſt huiuſmodi: quia ad eius attractionem vterus valdè concitatur, & in eius amplexu ſummoperè lætatur, ideò illud non expellet.

Neque eſt dicendum poſt virtutem ſeminis communicatam vtero, à natura deinde expelli: quia propter quod vnumquodque eſt tale, & illud magis eſt; ſi ſanguis retinetur propter ſeminis qualitatem, tanto magis retinebitur ſemen; cum igitur non reijciatur, fiet materia ſpermaticarum partium.

Septimum, quod eſt in cap. 9. ſi ex Ariſt. in ſeminibus plantarum eſt virtus agens & materia, cur etiam in ſeminibus animalium non aderit cauſa agens, & materialis? non ne in vtroque ſemine adeſt virtus generandi?

Octauum ex cap. 11. deſumitur, & tale eſt, omnia membra ſimilaria præter carnem, & adipem, cum abſciſſa ſunt, nō

regenerantur, quia ex ſemine,& non ex menſtruo facta ſunt;ſi ex ſanguine facta eſſent, regenerarentur.

Nonum argumentum deſumptum ex cap.12.tale eſt: ex ijs nutrimur ex quibus conſtamus, ſed membra ſpermatica nutriuntur ſemine, ergo ex ſemine tamquam ex materia facta ſunt. Hæc ſunt argumenta Galeni contra Ariſtotelem, quibus probat in ſemine non ſolum eſſe virtutem actiuam, verum etiam paſſiuam, ſeu materialem.

Auicennas verò, & Auerroes videtur laxare Galenum, quia non intellexerit Ariſtotelem: Hi enim negant,quod Ariſtoteles dicat, ſemen,poſtquam communicauerit generationis principiũ, ab vtero egredi; quia ait Philoſophus, ſemen totum in ſpiritum conuerti,& nihil ſeminis egredi; Auicennas enim lib.9.de animal.c.1.circa finem habet hæc verba, *& putant homines, quod Ariſtot. putauerit, quod ſperma viri non eſſet pars pueri,neq; immiſtum cum materia pueri: ſed hoc nõ fuit eius conſilium,ſed ſuum conſiliũ fuit, quod inuoluatur cum materia, & profundetur cum materia,ſcilicet ſanguine menſtruo,vt ſit operator membrorum,vt ducat idoneam materiam ad membra,& erit illud ſperma materia ſpiritus in creatura:* ecce quod ſemen,vt Auicennas interpretatur,retinetur, & non egreditur; quia eſt cauſa efficiens totius embrionis.

Auerroes ſimiliter ſecundo coll. c.10. habet hæc verba: *non habet reprehenſionẽ Ariſtoteles ab Hippocrate,& Gal. de muliere, quæ ſexta die ob ſaltus abortiuit, quod fuit inuentum ſperma inuolutum pãniculo,* quaſi dicat,ſi Hipp. vidit ſexto die illam genituram hoc non eſt contra Ariſtotelem, qui nõ aſſerit ſemen euaneſcere,vt putant nonnulli,ſed paulatim ſpirituificari,& in ſanguinem operari.

Quod verò philoſophus legerit hiſtoriã Hippocratis de ancilla ſua, patet,quia eã confirmat l.7.de hiſtoria animaliũ c.7. vbi habet hæc: *ſemen inſinuatum in vtero,diuq; contentum membrana obduci*, ait ſemen obduci membrana,aitq;deinde ſemen antequã diſcernatur .i.antequam in partes diſtinguatur ſi fortaſſis abortire contingat exire vt ouum in ſua membranula contentum detracto putamine.

Ecce quod Philoſophus primo innuit hiſtoriam Ancillæ Hippocratis,& deinde concludit ſemen membrana obuolui, & ſpirituificatum totum obduci membrana, quæ eſt ſeminis ſuperficies,vi caloris vteri incruſtata, vt docet quoque Galenus primo de ſemine capite quarto, hæcque membrana vocatur chorion:mox ob inſuflationem factam à ſpiritibus incipiunt in chorio apparere venæ, & arteriæ,quæ vmbelicum cõſtituunt, per quas deinde attrahitur ſanguis menſtruus,qui efficit deinde embrionem.

Differentiæ inter Ariſtotelem,& Galenum variæ ſunt:Ariſtoteles putat ex craſſiori parte ſeminis fieri tanquam ex materia chorion,non tamen partes ſpermaticas embrionis.

Galenus vult ex ſemine tamquam ex parte ſpermatica non ſolum fieri chorion,amion, & allantoidem; ſed omnes partes ſpermaticas embrionis.

Ariſtot. vult ſemen à maſculo tantum.

Galenus, & Hippocrates à fœmina quoque dicunt ſemen fæcũdum prodire.

Ariſtot. vult virtutem ſeminariã cordi eſſe attribuẽdã,& deinde vaſis inuolutis.

Galenus uerò teſtibus tantum.

Ariſtoteles dicit, ſemen eſſe ſolum principium efficiens.

Galenus,& Hippocrates efficiens,& materiale.

Ariſtoteles putat totum ſemen in vtero conuerti in ſpiritum,& membranam; Galenus vnam partem in ſpiritum,aliam in materiam ſpermaticarum partium.

Neque optimi Peripatetici à Galeno diſſentiunt; primo enim aphoriſmorum Com.15. & lib. aduerſus Lycum capite ſeptimo ait,tria eſſe quæ ſubſtantiam noſtram complent, ſpiritum,aereã ſubſtantiam,& ſanguinem menſtruum: ſpiritus autem eſt in ſemine atque eſt anctor generationis, & vt remanet fit calor innatus,deinde verò nutrit,auget,& uſque ad vitæ finem animal perducit: hic in Iuuenibus multus eſt, in ſenibus paucus, quia ad conſumptionem iſtius ſubſtantiæ animalia ſeneſcunt: quanto igitur in fætu plus eſt de hoc, tanto animalia fiunt fortiora, & longioris vitæ; de hoc dixit Ariſtoteles, proportione reſpondere elemẽtõ ſtellarum: hic ſpiritus non ſolum eſt in

ſe-

ſeminibus,ſed eſt diſperſus in toto elemẽtorum globo, hic in terra, & aqua cauſat rerũ generationẽ;de hoc Ariſt.3.de Gen. animal.c.11.habet hæc verba,*generantur autem in terra, humoreque animalia, & plantæ, quia humor in terra, ſpiritus in humore,calor animalis in vniuerſo ineſt, ita vt quodammodo omnia plena ſint anima:* paulo infra ait calorem ſeminis agẽtem in menſtruum,& calorem aeris,terræ, vel maris agentem in miſtum facere conceptum, & motum imponere; quia hic ſpiritus calorificus eſt primum, & proprium naturæ inſtrumentum.

Dubit.dictum eſt partes omnes ſimilares (carne, & adipe exceptis) ex ſemine factas eſſe,tamen Gal.ſecundo de elemẽtis c.2. habet ex ſanguine matris omnes partes animalium ſanguineorum eſſe generatas;ſimiliter 8. de placitis Hippocratis, & Plat.cap.4. idem dicit de cartilagine,oſſe,& membrana;& primo de facultatibus naturalibus c.6. poſt medium ait, ex menſtruo ſanguine tunicas ventris, gulæ, inteſtinorum, atque arteriarum ab alteratrice fieri,lib.verò 2. eiuſdem cap.3. dicit cartilaginem, os, arteriam,venam, neruum, membranam, medullam,exanguia quidem eſſe ex ſanguine tamen facta fuiſſe.

Solutio colligitur ex Gal.lib.de hominis natura,vbi habentur hæc verba,*monſtratum eſt in commentarijs de ſemine, quod quam multæ corporis partes ex ſemine generantur, cũ ſolæ carneæ ex ſanguine formentur. Verũ, quia exiguum eſt id ſemen quod in vterum proijcitur, alitur autem ipſum ex ſãguine, & augetur. Propterea parũ abeſt, quin ex ſãguine particulæ formari videantur, quatenus autem ſemẽ ex ſãguine generationẽ accepit, eatenus ſiquis dicat, fœtum ex ſanguine, generari, verum dicere videatur:* ex his verbis colligitur ſolutio difficultatis;nõne ſemẽ fit ex ſanguine,quatenus ſãguis prius in ſemẽ cõuertitur?quo pacto verò ſanguis in ſemẽ vertatur nobis declarat Gal.1. de potentijs naturalibus cap.3. his verbis; *cum in omnem ſeminis partem ſanguis veluti ros ſit attractus, nunquam ſui ſpeciem repræſentat, ſic namque fiet, vt, & facile eũ vincat ſemen, & celeriter aſſimilet; & ſibi nutrimentum faciat:* ecce quod ex ſanguine omnia ſpermatica alantur,quare,prius in ſemen conuertitur, quod Eraſiſtratus nõ animaduertebat; putabat enim omnia ſpermatica ex ſãguine primariò nutriri.

Solutio igitur dubij in hoc conſiſtit, quod duplici modo intelligantur nutriri ſpermatica, vel primariò, & immediatè ideſt abſq; eo quod ſanguis prius in ſemẽ conuertatur, & ſic negamus ſpermatica ali ſanguine: uel mediatè,& ſecundario, quatenus neceſſariò pro nutritione requiratur ſanguis,hac tamen lege,ut prius abeat in ſemen.

QVÆST. LXXVI.

De Virtute Formatrice.

NVlla res mortalis oſtendit maius ſuæ compoſitionis opificium, quã animalium fabrica; Gal.n.lib.de uſu partium, & alibi teſtatur, Auctorem huius opificij eſſe aliquem Deum ſapientem, & potentem,qui intellexerit prius,quam uniuſcuiuſq; animalis corpus eſſet fabricandum,& deinde quod propoſuerat,potentia fuerit aſſecutus; huncque, qui effecit omnia,quæ uoluit uirtutis,ait,eſſe inuictæ,& inſuperabilis.

Agens de hac potentia formatrice Gal. 1.libro de fœtus formatione cap.6. proponit octo opiniones, eaſque omne reijcit. Deinde fatetur ſe ignorare huius diuinæ uirtutis ſubſtantiam:addit tamen, omnes dictas opiniones ad aliquem bonum ſenſum poſſe reduci præter primã, cuius Auctores contendebant omnia caſu, & fortuna fieri. Nos ſubnectemus paucis omnes Antiquorum opiniones: quia Galenus fusè,& ſummo dicendi ornatu ſummaque eloquentia illas ita explicauit, ut nil addi poſſit.

Prima opinio fuit Aſclepiadis, & Epicuri,qui putabãt,omnia fieri caſu,& fortuna; ideſt ex motu aliquo irrationali, & inartificioſo, fætum in optimum finem deuenire: Galen. his uerbis eam reijcit; *verum hanc primam opinionem refellere mihi non eſt opus, cum ab his ipſis,aduerſus quos mihi diſputatio eſt, damnata iam ſit: cum dicant hi à natura tale opus fieri, & ideo non caſu,& fortuna; quæ enim* à na-

à Natura fiunt, ratione facta ſunt.

Secunda opinio erat quorumdam, qui putabant hanc diuinam formatricem exhibere motionis principium: deinde nihil amplius agere: ſed ſuccedere alias cauſas quæ immediatè omnia efficiant: ſicuti dũ Horologijs exhibetur motionis principium tendendo ſpiram calybeam: aliæ .n. rotæ virtute primę mouentur: Sic dicunt Deos, vbi plantarum, & animalium ſemina, ita præpararunt, vt ad tantam motuum ſucceſſionem ipſamet eſſent idonea, nihil amplius agere. Aliqui putant hanc opinionem fuiſſe Ariſtotelis ponentis primum Motorem, à quo ex 2. de gen. c. 1. & 4. & 1. de Cœlo tex. 100. omnibus tributum eſt eſſe, & viuere: Sed re vera aliter ſentit Philoſophus, quia iſti ponunt multos Deos; Ariſtoteles vnicum, iſti dicunt hos Deos exhibere principium motionis, & deinde nihil amplius agere; Ariſtot. verò vult primum motorem continuò mouere, & omnia continuo ab illo gubernari, & viuere.

Reijcitur tamen hæc ſecunda opinio à Galeno dicente, quod eſſet impoſſibile, vt conformatio tantorũ membrorũ ex tot tantis motibus ſe inuicem ſuccedentibus ſemper perueniret ad bonũ finem: cũ omnia continuo ſint in perenni agitatione.

Tertia opinio eſt quorundam, qui putabant animam rationalẽ in ſemine exiſtentem ſibi corpus formare. Aliqui dicunt hanc opinionem eſſe Temiſtij 1. de anima comm. 22. ſed aberrãt, quia Temiſtius de formatrice, quæ format, & præparat organa non eſt locutus.

Galenus diſputat cõtra hanc tali pacto: ſi anima ſibi corpus, & omnia mẽbra fabricaret; tunc membra, & membrorum actiones, & vſus ſine diſectione cognoſceret: Infantesq; eſſent Anatomici peritiſſimi: addit Galenus, peritiſſimos quoq; Anatomicos infinita propemodum pertinentia ad Anatomiam neſcire: & inter cætera proponit exemplum de lingua, ait enim profeſſores Anatomicos inter ſe eſſe diſcordes de numero muſculoũ linguæ, & qualis muſculus exerat linguam, ait, adhuc eſſe incognitũ. Gal. recitat opinionẽ ridiculã cuiuſdam credentis vnum quemque muſculũ eſſe quaſi animal voluntatem noſtram perſentiens, quod attrahat, ac circumducat linguam in conuenientem figuram ad vocem exprimẽdam: aitq; hanc opinionem eſſe abſurdiſſimã, quia ſi quilibet muſculus eſſet vnũ animal, quod perſentiat noſtram voluntatem, nos quoq; hęc animalia cognoſceremus, additque cum multi ſint muſculi, & omnes ſint animalia, unum animal conſtaret ex pluribus: numerus .n. muſculorũ totius corporis aſcendit ad 409.

Quarta opinio eſt nonnullorum, qui ponebant duas animas, aliã, quæ membra embrionis efficiat; aliam verò, quę motus & functiones membrorum voluntarias incitet, ideſt aliã eſſe animã, quæ animal generat, & aliam, quæ illud gubernat.

Reijcit hanc Galenus, quia hæc anima quæ generat, uel permanet in animali, uel poſt genitum animal recedit: non eſt dicendum, quod permaneat, quia eſſet ocioſa, & ſuperflua; ſi dicerent, quod anima generans, quæ eſt formatrix membrorum recedat, actum eſſet de anima gubernante; quia non poſſet ſcire quę futura ſint ex ordine generatricis, ſeu formatricis membrorum, niſi dicamus, quod formatrix, ſeu generatrix membrorum prius quam recedat, diligentem inſtructionem, ſeu memoriale omnium, quæ futura ſunt in corpore, animæ gubernatrici præbeat, quod eſt ridiculum.

Quinta opinio eſt Platonis, dicentis materiam animatam, quæ ab æterno eſt, in Ideas reſpiciendo, ſe ipſam excolere, & informare. Contra iſtam Gal. defert hoc argumentum; ſi materia ſiue in anima in ipſa exiſtens efformaret ſe ipſam, deberet dignoſcere membra ab ipſa formata, ita ut infantes cognoſcerent, quod neque peritiſsimi Anatomici percipiunt.

Sexta opinio proponitur à Galen. 1. de fœt. format. c. 4. quæ eſt Cryſipi, & multorum philoſophorum Stoicorum, & Peripateticorum, qui putabant, ſeminis paterni virtute cor ſolum gigni; quod poſtquam ſit genitum, omnia membra formet, & gubernet; in ipſo enim anima iraſcibilis, concupiſcibilis, & rationalis reſidet, & ab ipſo dependet.

Contra, Galenus ait, iſtos in multa errata incidere; primò errant, quia nec ſenſu, nec ratione inueniri poteſt, cor primum omnium generari.

Se-

Secũdo falluntur, dum dicunt à corde omnia membra ſpiritalia formari, quaſi quod opifex qui id conſtituat quicunque ille ſit, iã receſſerit, neque amplius adſit.

Tertiò negat Gal. in corde eſſe omnes potentias, rationalem ſcilicet, iraſcibilem & concupiſcibilem, vt putabat Ariſt. 2. de generatione animalium, cap. 1.

Quo ad primum erratum ait Galenus c. 3. formationis tempus prius conuenire corio, arterijs, & venis vmbelical. lib. & iecori, quam cordi vt nos in fractione ouorũ, quę tertio, vel quarto die ſub glocienti gallina parmanſerint, cognouimus; cor igitur non prius formatur, nec alia membra ab eo generantur vt putabat Ariſt.

Quo ad ſecundum; neque cor eſt principium membrorum ſpiritalium; quia eodem tempore, quo formatur cor, formatur thorax, & omnia mẽbra ſpiritalia, vt docet Gal. c. 3. quare ſi ſpiritalia non fient à corde, tãto minus cętera membra quę minorẽ cũ corde connexum habent.

Pręterea Gal. clariſſimè oſtendit, arterias, & venas à ſemine, & nõ à corde oriri: redditque hãc rationem capite citato, *in omnibus artibus eundem Artificem; tã primam partem rei, quam fabricatur, quam quæ ſequuntur, reliqua omnia vſque ad conſumationem operis conſtituere*: ecce quod ille Artifex qui efficit venas, & arterias vmbelicales, debet vſque ad conſumationem totius operis in opere ſuo perſeuerare, vultque cor eſſe principium diſpenſationis arteriarum, & non generationis; addit Galenus *Alij extruunt vrbes; Alij adminiſtrant; Alij ſunt qui fabricant; Alij qui fabricatis rectè vtuntur:* vultque his verbis oſtendere, nec cor arteriarum: nec iecur uenarum; nec cerebrum neruorum principium generationis eſſe; ſed ſolum gubernationis, & diſpenſationis, ut in quæſtione propria probauimus.

Tandem ad aliud erratum Ariſt. ſtoicorum, & Cryſipi aſcendit, quod ſcilicet nerui non à corde, ſed à cerebro diſpenſentur per vniuerſum corpus, ſed de hac quæſtione nihil dicimus; quia fusè de ipſa ſuperius egimus.

Septima eſt illorũ, qui dicunt, quod facultas formatrix ſit anima uegetatiua: hanc quoque reprehendit Gal. quamuis non omninò eam reijciat: eam .n. reprehendit, dum profert hæc verba: *nam cum ſummam in horum fabrica, & ſapientiam & potentiam videam, non poſſum exiſtimare eam, quæ in ſemine eſt, animam ab Ariſtotele vegetalem, concupiſcibilem à Platone, à Stoicis ne animam quidem prorſus, ſed naturam appellatam, fœtum ipſum formare; cùm non modò ſapiens non ſit: ſed omni prorſus ratione carere videatur*, in hanc tamen ſententiam inclinat, dum profert hæc verba: *cùm tamen rurſus ſimilitudinem, quam filij habent cum parentibus ſpecto, ab hac opinione non longè diuerſus ab eo.*

Octauam refert, dicitq; ſe didiciſſe a quibuſdam Platonicis magiſtris, animam quæ per totum mundum eſt diffũſa, quam mundi animam vocant, eſſe formatricem fætus.

Has opiniones refert lib. de fętus formatione c. 6. Ad has poſſunt referri omnes opiniones Antiquorum de hac re differentium. In octauam opinionem incidit Anaxagoras, qui putabat, mentem ſeparare, & congregare. Similiter Auicennas, qui putabat formatricem eſſe cholcodeam.

Quòd verò nec anima mundi, nec mens Anaxagoræ, nec cholcodea poſſint eſſe formatrices, colligitur ex his Galeni verbis prolatis loco citato contra octauam opinionem, *dignam quidem eam eſſe exiſtimabam, vt ſcilicet talis ars, ac facultas aſcriberetur, nunquam tamen adduci potui, vt crederem ſcorpiones, phalangia, muſcas, culices, viperas, vermes, lumbricos, teretes, aſcarideſq; ab eadem anima mundi formari prope ad impietatem accedere hanc opinionem ratus: neq; præterea materiæ animam tantam artem aſſecutam fuiſſe credibile videtur.*

Galen. verò, cum reiecerit dictas opiniones aſſerere videtur, facultatem formatricem eſſe imperceptibilem; proponit enim hæc verba, *tantum igitur hoc habeo, quod de cauſa animalium formatrice aſſerere poſſe confidam, quod ſumma in ea pars, ſummaque ſapientia ineſſe conſpicitur, quodque poſtea quam formatum fuerit corpus vniuerſum id in toto vitæ curriculo tribus motuum principijs ex cerebro per neruos & muſculos: ex*

orde per arterias: è ſecore per venas gubernetur.

Ariſt.ſimiliter 4.meteor.c.vlt. loquens de virtute formatrice non audet determinare quænã ſit hæc virtus formatrix; ſolum dicit, *eſſe naturam, vel aliam aliquam cauſam,* quod verò Ariſt.fuerit dubius de origine formatricis nos quoque admonet Gal.2.de temp.c.6.vbi habet hęc verba, *de virtute formatrice Ariſt. dubitauit, nunquid diuinioris originis ſit,atq; à calido,frigido,humido & ſicco res diuerſa.*

Nos tamen colligimus ex Ariſt. virtutem formatricem non eſſe quid extrinſecum:habet enim 2.de gen.anim.c. 1. poſt mediũ hæc verba, *ſed ab aliquo extrinſecus agente effici queq;,aut viſcera,aut alia membra remotum a ratione videtur, fieri enim non poteſt,vt moueat quod non tagit, & quicquam ab eo quod nõ moueat,afficiatur.* Ecce quam clarè Ariſt.oſtendat & probet, formatricẽ facultatem eſſe quid corporeum,& non incorporeum,ſeu diuinum: quia vult,vt tangat,eo axiomate motus, quod omne agens naturale agat per contactum, & omne tale ſit corporeũ; quare vis formatrix erit aliqua pars corporea in ſemine inſerta.

Quod verò formatrix non ſit ſeparata à ſemine,Ariſt.his verbis probatur,*ſed aliquid quicquam eſſe abiunctum, irrationabile eſt:etenim id abiunctum,generato completoq; animali,aut corrumpitur,aut manet:* ſed addit *non videri aliquid in animali, vel planta genita,quod ſit ſeparatum, ſed ſolum, quod totius pars ſit, aut planta, aut animalia:* quaſi dicat,non eſt,vt natura in nauí:ſi vero quis diceret,quod poſtquã omnes partes genitæ ſint,formatrix corrumpatur, ait Philoſophus, hoc eſſe abſurdum; dicit enim qui efficiet reliqua? ideſt quale agẽs efficiet reliqua, ideſt nutriet, augebit, & cætera officia adminiſtrabit? ergo remanebit, eritque pars: & cum agat,tanget & corporea erit:contributaque ſemini à Patre vt dicit Philoponus.

Concludit tandẽ loco citato Ariſt. virtutem formatricẽ,nec animam, nec animæ partem eſſe, ſed eſſe quid animatum & mixtum; quod vero mixtum ſit patet, quia actionem præcipuam habet: omne enim habens aliquam actionem mixtum eſt:ideo Ariſt.2.de anima concludit intelligere,& alias actiones quę videntur eſſe animæ,eſſe corporis animati, & non animæ; Similiter Ariſt.1. poſteriorum, vult proprias actiones, ſeu paſſiones conuenire ſubiectis in ſecundo modo dicendi per ſe, & non differentijs;quodnam verò ſit hoc mixtum habens actionem formãdi, vel in quo inſerta ſit virtus formatrix cum Ariſt. & Gal.putamus eſſe calidum natiuum pendens tum à ſemine patris, tum à calore vteri.

Quod verò calidum natiuum ſit mixtum, patet ex Gal.multis in locis & præcipuè lib.de rigore c.6.vbi dicit, calorem innatum eſſe ſubſtantiam per ſe, & ſemper mobilem & ſua ſponte,ideò ex ſe, & non ab alio moueri,quare non accidens, ſed ſubſtantia, non ſimplex, ſed mixtum habens in ſe ſui motus principium.

QVÆST. LXXVII.

De ſimilitudine filiorum.

AVicennas lib.5. de animal. Arabes omnes,& demum Fernelius 7.ſuę phyſiologiæ putant, cauſam ſimilitudinis effigiei eſſe imaginationem; mouentur auctoritatibus Ariſt. & Gal. Ariſt. enim ſect.10.probl.12. quærens; cur hominum partes inter ſe ſint diſſimiles, reſpondet ob cogitationum velocitatem, & ingenij varietatem imprimi multiformes notas: Galenus verò libello de Theriaca ad piſonem ait,ſe conſuliſſe Æthiopi, vt ad lecti pedes formoſam, albamque figuram collocaret, ne filij orirentur deformes: quod cum præſtiterit,fuit voti compos.

Hæc opinio reijcitur ab Eraſto,eo quia pater cæcus à natiuitate generare poteſt filios ſibi ſimiles. Quare non omnes ſimilitudines natorum orientur ab imaginatione: cæcus enim à natiuitate nullam faciei pulchritudinem imaginatur.

Secunda opinio eſt Eraſti,qui dicit cauſam ſimilitudinis filiorum nõ eſſe imaginationẽ,ſed virtutem formatricẽ,quæ eſt in ſemine; ait enim lactucam efficere ſemen,quod generat lactucam ſibi ſimilem ſine vlla imaginatione,& ſic de alijs.

Reijcitur,quia dum negat,imaginationem non poſſe aliquando concurrere ad

alterandam effigiem naturalem, deſtruit alterationem, quam inferunt in corpus vehementes animi motus, quod aduerſatur experientiæ: motus enim vehemens animi ex Platonis ſententia in Charmide, dum etiam corpus iacet, magis corpus agitat & alterat, quam vehemens corporis motus, quod cum ita ſit; poteſt quoque facile contingere, vt fixa imaginatio per medios ſpiritus in primo fætus ſtamine effigiem & figuram animo conceptam imprimere poſſit.

Præterea credendum eſt Galeni hiſtoriæ de Æthiope relatæ lib. de theriaca ad Piſonem, & Ariſtot. Sect. 10. probl. 12. & experientiæ, quod dum mulieres grauidæ tempore primæ fætus delineationis appetunt carnem porcinam, vel ficus, & alia eorum veſtigia, in infantibus impreſſa conſeruari.

Tertia opinio eſt Gal. qui explicatur lib. 2. de ſemine, vbi ait, cauſam ſimilitudinis eſſe temperaturam, & variam permiſtionem ſeminis maris, & fęminę: ſupponitque tria principia: quorum primum eſt, quod omne agens agat ſibi aſſimilando; cenſet enim, ſemẽ fęminę habere vim actiuam, quod negauit Ariſtoteles: ſecundum, quod augeatur virtus actiua ſeminis mulieris, quia menſtrua per nouem menſes aſſidenr ſemini fæminæ; ſed duo ſupponit, primum, virtutem actiuam ſeminis fæminæ eſſe minorem, quã viri; Secundum ſupponit contra Ariſtotelem menſtrua quoque habere aliquam vim actiuam, quæ fauet ſemini mulieris & non viri; Tertium ſupponit triplicem eſſe figuram, aliam ſpeciei, vt homo generat hominem, aliam ſexus, qui à calidiori, vel frigidiori ſemine pendet, & aliam indiuidui, & eſt dum præualet ſemen maris, vel fæminæ, quia ſi præualeat ſemen maris fit mas; ſi fæminæ, fit fæmina.

Quarta eſt Ariſtotelis lib. 4. de Gen. animal. cap. 3. quę ſatis obſcurè eſt prolata; eamque credimus eſſe probabiliorem; ponit philoſophus in ſemine varios motus, .i. virtutes aſſimilãdi; dicitque horũ alios eſſe actu in ſemine, alios potentia, alioſque vniuerſales; alios particulares: motus autem qui ſunt actu in ſemine, & qui ſunt particulares eſſe virtutes generandi marem patri omnino ſimilẽ, ſi verò huiuſmodi motus impediantur, vel ab vteri intemperie, vel ab aliqua forti imaginatione, vel à ſeminis inconcoctione, motus ſuæ virtus aſſimilãdi patri ait deficere, & tunc ſtatim ſuboriri motum, qui proximus eſt, videlicet qui retinet virtutem aſſimilandi auo, quæ ſi impediatur, ſequi illã, quæ ab auo: & deinde, quæ maioribus aſſimilet; quos motus ſeu virtutes ait, eſſe in ſemine potentia, & non actu. Hinc Niceus poeta Bizantius à candidis parẽtibus genitus in Auum Aetiopem degenerauit. Si verò accideret, quod iſti motus Auorum quoque impedirentur, dicit Ariſtoteles, tunc fieri tranſitum in motum contrarium, ideſt in motum matris, & tunc filij matri aſſimilarentur: vocat modum contrarium: quia de ratione ſeminis eſt efficere quod perfectius eſt, & tales ſunt mares: fæminæ enim ſũt tanquam contraria priuatiua: ſi verò accideret, quod exoluerentur motus matris, tunc tranſitus propriè fiet in motum Auiæ, & Abauiæ, & maiorum. Si demum hic motus quoque interciperetur, fieret tranſitus in motum vniuerſalem, orirenturque mares, vel fæminæ omninò diſſimiles ſuis parentibus: Hæc eſt opinio Ariſtotelis breuibus explicata, quam vt probabiliorem ſequimur.

1 Dubitatio exurgit magni momenti, quia ſuppoſita opinione Ariſtotelis, quod ſemen muliebre non concurrat ad generationem: quomodo in ſemine uiri erunt motus potentiales aſsimilandi matri?

Reſpondetur ex Ariſtotele, mulierem præbere ſolum alimentum, & materiam pro alendo fætu: tamen quia omne agens agendo repatitur, ſic omne patiens patiendo reagit: poteſt igitur contingere, quod ſanguis menſtrualis ſpatio nouem menſium, quamuis ſit materia alimentalis notabilem introducat vim aſsimilandi. Præterea non ſolum alimentum habet vim introducendi ſimilitudinem: ſed venena quoq; aſſumpta, vt docet Galenus lib. de ſimplici med. in hiſtoria illius vetulæ, quæ cicuta nutriebatur: poſt cuius vſum facta fuit ſibi adeo familiaris, & ſimilis, vt quotidie in nutrimentum illam conuerteret. Demum cauſæ extrin-

ſe-

ſecæ,ſicuti eſt aer diuerſorum clymatum effigiem mutare ſolent;quod experientia probatur; ſi enim Germanus moretur in Italia, poſt duos, vel tres annos faciem Italam ſibi conciliat; ſi in Hiſpania Hiſpanicam; ſi in Gallia Gallicam; quare ſi aer diuerſarum regionum effigiem mutat, quantò magis alimentum maternum & virtus vteri poterit introducere maternas effigies.

2 Dub. exoritur, quia videtur contradictio in Ariſt. 10. enim de hiſtoria animal. inquit ſemen fæminæ, & viri concurrere ad conceptum; libris verò de gener. animal. negat.

Reſpondetur ex Ariſt. mulierem non habere ſemen, quod actiuè concurrat ad conceptum; non tamen tolleret philoſophus à ſemine fæmineo varios vſus conſpirantes ad facilitandam cōceptionem, de quibus paulò infra ex Galeno tractabitur. Hippocrates verò libro de genitura,& Galenus lib.de ſemine aiunt,non ſolum ſperma maſculeum, ſed etiam fæmineum actiuè concurrere, ſed non illo modo, quo dixit Valeſius, quod ſcilicet ſi mulier ſit calidior poſſit ſemen per ſe,fęcundum emittere, & aptum generationi ſine viri conceptu;deficeret tamen(dicit) ob reliquias alimenti; quod quidem eſt erratum inſigne, & experientiæ repugnans; ſaltem enim ſine viro paterentur abortum genituræ, in qua videri poſſent partes ſpermaticæ diſtinctæ. Quo ad vſus ſeminis fæminei ex Galen. 14. de vſu partium cap. 11. tres ſunt; primus ex ipſo tanquam ex materia fiunt membranæ inuoluentes fætum; Secundus eſt pro alimento ſeminis viri; Tertius latera vteri irrigat; quem non negat Ariſt.

Hic tamen notatur Argenterij erratum, dum contra Galenum inuehit dicens,vterum mulierum non habere cornua,vt in quadrupedibus; ideò mulierem non emittere ſemen in vteri cauitatem per latera; Oſtendit autem anatomiæ magnam imperitiam; quia illi proceſſus mamillares, qui dicuntur cornua in quadrupedibus, in mulieribus extenduntur per vteri latera,illaque a ſemine irrigantur.

CAPITIS L.

Particula I.

De habitu totius corporis.

Tex. 57. *Totius autem corporis habitus diximus, & ſuperius quomodo & hepatis, & cordis naturam ſequātur,ei autem magis aſſimilātur,quod vnam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habuit,quas & effectiuas appellant. Totius verò corporis habitus in illis maximè dicitur partibus quæ primæ oculis ſubijciuntur. Sunt verò hæ,muſculi, qui omnia ambiunt oſſa, carnes quædam compoſitæ ex prima & ſimplici carne, & filis quibus innaſcuntur, propria enim muſculorum ſubſtantia his duabus conſtat: quæ verò ad ipſos,vaſa pertingūt, veluti riui quidam ſunt: qui non ſubſtantiam complent, ſed eis ſubminiſtrant, vt in vita permaneant.*

PRopoſuit Gal.in exordio libri agendum de corporibus, ſignis, & cauſis ſalubribus,inſalubribus, & neutris. Egitque de corporibus ſalubribus, & de ſignis in cōmuni; demum de ſignis quatuor principiorum cordis ſcilicet, Hepatis,cerebri, & teſticulorum. In præſentia agere vult de ſignis in communi totius corporis habitus, & meritò,quia cognitis principijs, totus habitus, qui ab illis dependent, facilius dignoſcitur, quomodo curandus & præſeruandus.

Diuiditur hic text. in duas partes; in prima repetit quod ſuperius dictum eſt, videlicet habitum totius corporis inſequi hepatis,& cordis naturas, ideſt temperaturas; & præcipuè temperaturas effectiuas, ideſt calidam,vel frigidam.

In ſecunda parte tria docet;primū per habitū totius corporis intelligere muſculos ambientes omnia oſſa;ſecundum,per muſculos intelligere carnes, quæ oculis noſtris ſubijciuntur, & quę cōponuntur ex carne ſimplici & fibris; Tertium negat, quod vaſa, quæ ſubminiſtrant alimentum,& vitam,quæ ſunt venæ, & arteriæ pertineant ad muſculi ſubſtantiam.

1 Dub.non videtur,quod habitus totius corporis inſequatur cordis, & hepatis temperaturā; quia ſæpiſſimè accidit corde

de & iecore exiſtentibus calidiſſimis, ventriculum eſſe frigidum; ergo totius corporis habitus non inſequetur temperaturam iecoris, vel cordis.

Reſponſio facilis eſt; quia Gal. per habitum totius corporis non intelligit viſcera, quæ ſunt in cauitatibus, vt eſt ventriculus, pulmo, lien, renes, veſica, & vterus, de quibus in hoc libro ſeparatim agit; ſed muſculos totius corporis: Hinc ſæpè cõtingit, quod vterus ſit frigidus: cor verò, & iecur calida. Idem dicimus de renibus, & veſica: videmus multos hydropicos renum ardore vexari, corde & hepate frigidis exiſtentibus; valebit tamen, totus habitus .i. muſculi omnes ſunt calidi, ergo cor eſt calidum, niſi hepar obſtiterit, vel viceuerſa; ſimiliter ſi hepar ſit frigidum, niſi cor obſtiterit, totius habitus corporis muſculi omnes erunt frigida temperatura correpti. Idem dicendum de alijs qualitatibus eo modo, quo ſuperius declarauimus.

Vultis videre quod alia viſcera, vel aliæ partes non conſentiant cum iecore & corde: quot ſunt Hyppocondriaci, qui cor, & iecur habent calida, tamen ventriculus eſt frigidus? deinde ſunt multæ aliæ cauſæ, cur iecur & cor ſint calida & ventriculus ſit frigidus: inter præcipuas eſt illa à Galen. propoſita 2. aphoriſmor. comm. 35. vbi dicit ob calidum iecur pinguedinem hypocondriorum liqueſcere: proptereà ventriculum illa deſtitutum frigeſcere.

Similiter multi ſunt qui aliquando vexantur dolotibus collicis à cauſa frigida: quia collum inteſtinum ab ortu naturæ ſit frigidum, iecore & corde calidis exiſtentibus.

Similiter quot ſunt aſthmatici pulmone frigido, qui habẽt cor & iecur calidũ. Quot ſunt mulieres quæ habent vterum frigidum, iecur & cor calida & vice verſa. Colligimus ergo ſolum inter carnem, cor & iecur obſeruari hanc neceſſariam ſympathiam primarum qualitatum.

Vnde quoque colligimus, cur affectus confirmati in cute, & in habitũ carnoſo nõ poſſint auferri niſi corrigãtur iecoris & cordis intemperaturę; ſicuti eſt ſcabies confirmata lepra, elephantiaſis, pſora, caua vlcera, & alij cutaeni affectus: quia ſtatim affectus cutis confirmati communicantur iecori, & cordi. Hinc eſt quod ſcabies confirmata ſine cordis & iecoris refrigeratione, & ſine totius corporis euacuatione non poſſint auferri: immo omiſſa interna curatione per externa vnguenta ſæpè incidunt in febres lethales & moriuntur; ratio eſt quia quę tollunt ſcabiem externam ſunt ita acria & ſicca vt meatus cutis conſtipent & conſtipatis multo magis viſcera inflamment.

Quod vero vnguenta auferentia ſcabiẽ externã ſint valde calida patet per ipſam practicam, quia & ſulphur cũ ſucco limonũ vel ſulphuris oleum cum aqua roſarum, vel therebentina cũ ſtaſiſagria ſulphure & butyrrho vel ranunculi laſifolij ſuccus cum aqua roſarum, quæ è veſtigio tollunt ſcabiem ſunt & acria & valde calida. Ideo ante iſta corpus prius eſt euacuandum & refrigerandum; mox cum balneo aquæ dulcis, humectandum, & poſtremò faciendæ ſunt inunctiones.

2 Dubitatio videtur hic tractatus de ſignis habitus corporis omninò ſuperfluus: quia ex ijs quæ dicta ſunt de ſignis temperaturarum cordis, vel hepatis facilè cognoſcitur, quãdo totius corporis habitus ſit frigidus, vel ſiccus; valet enim hæc conſequentia, iecur eſt calidum, & cor non obſtat, ergo totum corpus eſt calidum: ſimiliter dicendum de alijs temperaturis cordis, vel hepatis: quare ſi à temperatura cordis vel hepatis colliguntur temperaturæ totius, vanus erit iſte tractatus de corporis habitu.

Reſpondetur, hunc tractatum nos docere modum non cognoſcendi, quando vincit cor, vel hepar: ſuperius.n. nos docuit Galen. ſi cor fuerit calidum, & hepar non obſtiterit, tunc totum corpus fore calidum. Sed hic proponit ſigna, quæ indicant ſtatum, & temperaturam totius corporis habitus, vt ex his ſignis poſſimus penetrare temperaturas iecoris, vel cordis, & an contra operantia ſit ex parte hepatis, vel cordis.

3 Dubitatio, ait Galen. temperaturam totius corporis habitus inſequi cor, & hepar; nihil tamen de teſtibus, & cerebro, quæ ſunt principia, & quæ immutare totum poſſunt, dixit: ergo vel Gal. eſt diminutus; vel duo erunt vocanda principia, cor

cor & iecur, & non quatuor, vt ſuperius docuit. Quod verò teſtes ſint principia totius corporis patet, quia illis exectis calor totius hebeſcit: pili non naſcuntur: corpus pingueſcit, vox fit prætenuis, & habitus redditur muliebris, caro quoq; ritu caſtrati odorem & ſaporem diuerſum acquirit: ecce quod teſtes temperaturam totius immutant. Similiter cerebrum eſt principium; quia illius languore omnia membra languent. Præterea ſi per totum corpus intelligat muſculos, non ne muſculi contexti ſunt neruis, qui à cerebri ſubſtantia prodeunt? ecce igitur, quod temperatura totius non ſolum inſequi debet cor, & iecur, ſed etiam cerebrum, & teſtes.

Reſpondetur, teſtes, & cerebrum eſſe principia corporis; immo cerebrum propter neruos magis componere muſculos, quam cor, & iecur; verum hìc non quæritur de compoſitione totius habitus corporis, ſed de eius temperatura, quæ continuò ab hepate; & corde fouetur, conſeruatur, intenditur, vel remittitur, eo quia venæ, vt ab hepate prodeuntes alimentum, arteriæ vt à corde vitam toti ſubminiſtrant: hacque de cauſa Gal. dixit, habitum totius inſequi naturam cordis, & hepatis: Dum verò dictum eſt, teſtes habere vim alterandi, & permutandi totum corporis habitum, dicimus id euenire, quia primariò, & immediatè alterant cor & hepar, ſecundariò verò, & mediatè totum corpus; immo ſecundum hunc ſenſum nulla eſt corporis pars in cauitate exiſtens, quæ non eſſet principium: cui dubium; ſi lien, qui non numeratur inter principia, poſſet auferri, quod corpus magis alteraretur, quam exectis teſtibus; ſimiliter ſi brachium, vel lingua abſcinderetur, vel oculi eruerentur, quod totus habitus valdè alteraretur; quare non valet conſequentia, teſtibus euulſis flos ſanguinis hebeſcit, corpora hubera fiunt, ergo teſtes ſunt corporis principia; diximus tamen, teſtes à Galeno vocari principia non indiuidui, ſed prolis.

Quarta dubitatio: Galenus in hoc tex. definit muſculum quod ſit compoſitus ex carne ſimplici, & ex filis; tamen lib. de motu muſculorum, definit muſculũ quod ſit inſtrumentum motus voluntarij: videtur Galenus reprehendendus, quia vnius rei vnica eſt definitio.

Reſpondetur definitionem traditam in hoc tex. traditam eſſe per cauſam materialem lib. vero de motu muſculorum eſſe traditam per cauſam finalem: quare nullum eſt incõueniens quod plures ſint definitiones prout ſunt plures cauſæ. Neque audiendus eſt Auerroes, dum contra Galenum probat, motum voluntarium non prouenire à muſculis.

Primum Auerrois argumẽtum eſt tale. Vermes mouentur & carent muſculis: ergo motus voluntarius non prouenit à muſculis.

Reſpondemus ad hoc argumentum in vermibus reperiri quodam proportionale muſculis.

Secundum argumentum pro Auerroe tale eſt: lingua mouetur ad omnes dimẽſiones: tamen lingua eſt caro ſine muſculis. Reſpondemus linguam moueri ratione muſculorum, qui ſunt in radice linguæ.

5 Dubitatio, Gal. lib. 1. de motu muſculorum & 2. de temperamentis capite 3. dicit muſculum fieri, quia nerui orientes à cerebro, & ligamenta orientia ab oſſibus diſſeminata in filos tenuiſſimos efficiunt veluti rete, cuius ſpatia carne implentur: dicitque tandem omnes filos deſinere in tendinem, qui virtute cerebri mouet membrum, quod cum ita ſit, ſequitur habitum totius corporis, id eſt muſculos ſaltem æquè inſequi naturam cerebri, ac iecoris, & cordis.

Reſpondetur, muſculos magis inſequi ratione compoſitionis cerebrum: quia muſculorum ſubſtantia componitur ex neruis; nihilominus ratione temperaturę dicendum eſt, quod inſequantur iecur, & cor: quia ab his duobus temperatura propria perpetuò conſeruatur per venas & arterias ſubminiſtrantes ratione cordis vitam, ratione iecoris alimentum; per neruos verò, nec vita muſculorum conſeruatur, nec nutrimentum tranſmittitur, nec temperatura illorum refocilatur.

6 Dubitatio: non videtur, quod temperatura totius habitus corporis pendeat à corde vel iecore, vt dictum eſt; Galenus enim lib. 2. de temperamentis docet, temperaturas proprias & innatas non pendere

dere à corde, vel iecore; neruus enim habet temperaturam frigidam & ſiccam, caro verò calidam & humidam, in prima conſtitutione acquiſitam, quæ temperaturæ à corde, vel ab hepate non effluere: ergo cor, & iecur non immittent temperaturas toti.

Reſpondetur temperaturam totius habitus conſentire cum corde; & iecore in prima generatione, habitumque non poſſe eſſe humidum, corde & iecore ſicco exiſtente; iecur enim conſeruat temperaturas muſculorum, & aliarum partium ſubminiſtrando per venas alimentum: & cor per arterias ſpiritum, vt totum in eodem ſtatu conſeruetur.

CAPITIS L.
Particula II.

Tex. 58. *Dicentur igitur, & horum temperaturæ indicia, in benè temperata habitatione. Nam quæ malè temperaturæ ſunt, cutem permutant ex ſe ipſis formantes, & quædam ex indicijs corrumpunt: ita & in benè temperata regione, ſi quis ſe tempore æſtatis nudum ſoli expoſuerit, permutabit indicia quæ ex colore, & duritie, & mollitie ſumuntur: ſi verò quemadmodum bonam temperiem obtinet locus: ita & ipſe bene temperato victu vſus fuerit, vt qui neque ſe plurimum ſingulis diebus in ſole torrefaciat, neque ſicuti plerique more puellarum continuè in vmbra degat, hic certa atque exquiſita temperaturæ indicia præſeferet; tamquam igitur de hoc futuro ſermone nunc ad ipſum accedemus.*

IN hoc tex. Gal. tradit duas conditiones, quibus verificantur ſigna, quæ indicant temperaturas totius corporis habitus: prima, vt ſint vera in temperata habitatione; ſecunda in temperata regione. Meritò igitur diuiditur tex. in duas particulas; in prima agit de prima conditione: in ſecunda de ſecunda.

Ratio, cur requiri debeat temperata habitatio ad hoc, vt ſigna, quæ deſumuntur à cute verificentur, eſt, quia in habitatione intemperata cutis adeo alteratur, vt nullo modo indicet temperaturam internam; poteſt enim contingere, vt corpus quo ad partes internas ſit temperatũ, quo ad cutim intemperatum: ſi enim temperatum corpus in æſtate ſoli ſe expoſueris, cutis fiet dura & nigra, quæ intemperiem calidam oſtendunt. Si verò more puellari in vmbra degerit, fiet albidior & mollior, quam requirat cutis corporis tẽperatiſſimi: requiritur igitur bona habitatio. Hinc Gal. 2. de temperamentis c. 6. & 3. aphor. 14. loquens de Germanis incolentibus Regionem frigidam, & de Æthiopibus dicit, partes cutaneas quo ad tẽperaturas eſſe diſſimiles internis partibus; ideò aſſerit, intemperatam habitationem permutare cutim, & corrumpere cognitionem: Gal. enim docet ex colore, duritie, mollitie, calore, frigore, & humiditate quænam ſit temperatura muſculorum; dum verò habitatio eſt intemperata corrumpitur hæc doctrina; quia cutis vnam temperaturam obſidet, muſculi verò aliam longè diuerſam.

In ſecunda particula agit de ſecunda conditione, quæ in hoc conſiſtit, vt ſigna indicãtia temperaturas muſculorum deſumpta à duritie, mollitie, & colore cutis ſint valida in Regione temperata, & non in Regione intemperata; cutis enim & muſculi inſequi ſolent temperatam Regionem ob aerem continuò alterantem corporis ambitum.

Addimus tertiam conditionem, quæ eſt, quod humores non regurgitauerint; quia quando regurgitant; tunc ſigna totius habitus corporis ſunt fallacia. Hinc Hipp. 1. de humoribus tex. 1. dicit, color ſimilis effloreſcit humoribus, niſi humores regurgitauerint, regurgitare ſolent præcipuè ob animi paſſiones, & ob nimium coitum.

Quærenda in hoc loco duo ſunt; primum quænam ſit temperata Regio, in qua ſigna, quæ deſumuntur à cute indicare poſſint temperaturas muſculorum, vel habitum totius corporis, quod vt dicit Galenus, in idem recidit. Secundum, quænam ſit muſculorum temperatura.

Quo ad primum abundè egimus in declaratione particulæ tertiæ cap. 13. & diximus omnes fuiſſe Patrio aeri, & meritò; quia Italus, vel Græcus temperatiſſimus extra ſuum clima ex neceſſitate redditur intemperatior. Hinc Ariſt. 2. meteororum ſumma 2. cap. 2. Gal. 2. de ſanitate tuenda capite 7. ex Hippocrate cen-

ſent

ſent quartum Clima eſſe alijs tẽperatius; quia Grçcia eorum patria ſub quarto Climate continetur: Auerroes & multi alij dixerunt, quintum clima, quia ſub illo erat eius patria. Manardus Ferrarienſis lib.7.epiſt.1.putat ſextum,ſub quo eſt Ferraria ſua patria,eſſe tẽperatius. Albertus Magnus dixit ſeptimum clima eſſe omnium temperatiſſimũ, ſub quo eſt Ratiſbona ſua patria, nos diximus omnia climata præter frigidiſſima,& remota à mari,vt nos docet Galen.4.aphor. 14. vocari poſſe temperatiſſima; quia conſiderantur per relationem ad hominem; prout eſt mixtum æquale ad iuſtitiam & non ad pondus,quod non datur, vt probauimus.

Quo ad ſecundum, quænam videlicet ſit temperatura muſculorum, variæ ſunt opiniones;Ariſt.2.de gen.animal.c.4.ait, muſculos eſſe frigidæ temperaturæ; quia caro muſculoſa coagulatur a frigore.

Medici omnes putãt,& rectè muſculos à prędominio eſſe calidos: ratio eſt, quia cutis eſt temperata: cui dubium,quod caro muſculoſa eſt calidior cute.Quidã volentes Ariſtotelem tueri aiunt per carnẽ intellexiſſe pinguedinem, quæ re vera à frigore congelatur. Quidam alij tuentur Ariſtotelem,quod ſcilicet dixerit, carnes congelari à frigido,ideſt à minori calido, quam ſit ſanguis venalis & arterialis ad carnem tranſmiſſus: hæc à multis ſuſtinentur: quia non videtur rationi conſonũ,quòd Ariſt. crediderit, carnẽ eſſe frigidam, poſtquã nõ vno in loco ſuſtinuit, pinguedinẽ eſſe calidam:ſi enim pinguedo eſt calida, eo magis caro erit calida. Quod verò Ariſt. putauerit, pinguedinẽ eſſe calidã patet 3. de hiſtor. anim.& 2.de partibus,& alibi. Immo Veiga,Argenterius, & Laurentius Iobertus Philoſophi, & Medici noſtri tẽporis arbitrantur pinguedinẽ eſſe calidã,& non frigidã.Quidquid ſit de pinguedine, certum eſt Ariſt. conuenire eum medicis, quod cutis ſit temperata, & quod omnia calidiora cute dici debeant calida, frigidiora frigida, & quod caro ſit calidior cute. Quando verò Ariſtoteles dicebat carnem muſculoſam eſſe frigidiorem, tunc conferebat carnem cum ſanguine arterioſo, & venoſo qui eſt calidior carne & non cum cute.

CAPITIS LI.

Particula I.

De ſignis moderatæ temperaturæ.

Tex. 59. *Moderata temperatura indicia ſecundum totum animalis habitum.Color quidem ex rubro,& albo commixtus, capilli verò flaui, & vt plurimum mediocriter criſpi. Carnoſitatis autem mediocritas in qualitate & quantitate.*

IN hoc cap.duo facit Gal.in 1.particula proponit tria ſigna indicantia moderatam temperaturam totius habitus corporis, ideſt muſculorum:per habitum enim totius Gal.in tex. ſuperiori dixit, ſe intelligere omnes muſculos, qui oculis ſubijciuntur. In ſecunda part. ait, omnia corpora dici magis & minus temperata, prout magis & minus accedunt ad moderatum, quod reſpectu omnium temperaturarum eſt tamquam regula Polycleti.

In hoc tex.proponit tria ſigna indicantia moderatiſſimum corpus.

Primum ſignum eſt *cutis color ex albo & rubro commixtus*: ex albo: quia cutis eſt alba: ex rubro, quia moderata temperatura ex optimo ſanguine nutritur.

Notandum quod color ex albo & rubro commiſtus non ſolum in moderata temperatura obſeruatur in facie, ſed etiam in qualibet corporis parte.

Sed ſi de facie loquamur notandum, quod nõ ſit talis color in facie ob pulmonem alteratum: ſicuti accidit ijs, qui ſunt proclines ad phthiſim,qui habent in ſummitate genarum colorem roſeum communicatum ab arterijs carotidibus, quæ aſcendunt per latera aſperæ arteriæ & & mittunt quandam propaginem ad faciem: vnde color roſeus eſt factus ab alteratione pulmonis.

1 Dub. hoc primum ſignum nõ videtur certum; quia plurimi poſſunt eſſe in muſculis temperatæ naturæ: tamen in illis color poteſt eſſe niger, vt in Æthiopibus: vel nimius albus, vt in Polonis.

Solutio videtur eſſe Gal. qui ſuperius nos docuit; duo requiri vt ſigna deſumpta à cute verificentur: primum vt ſit

tem-

temperata habitatio;ſecundum,vt Regio ſit temperata:quando enim alterum horum deficit, muſculi poſſunt habere moderatam temperaturam ſine cutis colore albo, & rubro commiſto.

Præterea dicimus,hoc ſignum à cute deſumptum non ſemper inſequi moderatum: eſt enim accidens ſeparabile moderati habitus:mens Gal.eſt per ſyndromen quatuor ſignorum nos docere moderatam temperaturam, & non per vnum ſignum proprium: quia hæc propria, quæ vni ſoli & ſemper conueniunt, raro philoſophi, & medici inuenerunt.

Ratio verò, cur habitus moderatiſſimus, qui degat in habitatione, vel Regione intemperata non conſetuet colorem ex albo & rubro cõmixtum,eſt,quia vel regurgitant humores, vel quia aduritur cutis. Quod vero humorem regurgitatio huius rei cauſa ſit, nos docet Gal. 1.aphor. 2. 4.de tuenda val. & Hippoc. & Gal. 1.de humoribus comm.1. vbi legitur hæc ſententia, *color ſimilis effloreſcit humoribus, ſi non regurgitauerint.*

2 Dub. cum in moderata temperatura maſſa ſanguinea mira proportione conſtet ex bile, melancholia, pituita & portione ſanguinea,& bilis ſit flaua, melancholia nigra; cur non dixit colorem potius eſſe commixtum ex citrino & nigro colore: ſicuti dixit ex rubro & albo?

Solutio facilis eſt,quia in maſſa ſanguinea maxima eſt portio ſãguinis & pituitæ: minima verò melancholiæ & bilis; ideò cutis temperaturæ moderatæ magis participat de rubro & albo, quam de citrino & nigro. Præterea bilis quę eſt in habitu temperato non eſt flaua, ſed pallida, & melancholia non eſt valde nigricans. Demum cutis, dum nutritur conuertit alimentũ in colorem ſibi ſimilem; ſub cute ſunt venæ, & carnes ſua natura rubræ; hinc fit quod facilè rubra, & alba ſimul commixta obſeruentur.

Secundum ſignum *capilli ſunt flaui, & vt plurimum mediocriter criſpi.*

Ratio ex eo dependet, quia capilli fiũt ex fuliginibus; fuligines verò ſunt calidæ & ſiccę,& nigrę, ideo capilli facilè nigri euadunt;verum, quia habitus temperatiſſimus non habet vim adurendi, ideò facit fuligines minimè aduſtas,vnde non nigri, ſed flaui fiunt. Eadem ratione dicimus,flauos non eſſe valde criſpos; quia criſpitudo à calore prouenit; rectitudo vero pilorum à frigiditate & humiditate; mediocritas in criſpitudine fiet à moderatiſſima temperatura.

3 Dub. videtur quod Gal. aberret dum modo inquit, pilos eſſe ſigna indicantia cerebrum, & hepar: modo habitum totius; vnum enim ſignum vnum debet indicare, & non plura. Argenterius videns hunc nodum reprehendit Gal.quod dixerit pilos cerebrum & iecur, & muſculos indicare. Solutio facilis eſt, & Argent. dũ inuehitur in Gal. non ſolum errat,ſed vacillat & lymphatur;quia ſigna à Gal.in hoc libro non proponuntur vt propria, quæ vni ſoli conueniant; ſi enim quodlibet ſignum eſſet tale, Gal. in declarandis temperaturis per plura alia fuiſſet inſanus; ad quid refert alia, ſi vnicum eſt proprium, quod vni ſoli & ſemper conueniat? Ad dubium reſpondemus, quod capilli cum cæteris ſignis propoſitis in hoc tex. indicabunt moderatam muſculorum temperaturam, capilli verò cum ſignis propoſitis in cap. de temperatura cerebri iecoris indicabunt temperaturam cerebri & iecoris.

Tertium in hac moderata temperatura eſt, *carnoſitatis mediocritas in qualitate & quantitate.*

Ratio cur ſit hæc mediocritas in habitu temperato proponitur à Gal.in tex.ſequenti, vbi ait, medium & tempetatiſſimũ nec durum, nec molle, nec craſſum, nec tenue; ſimiliter 1. de vſu par. c.9. 1. de facultatibus naturalibus c.6. enumerantur quindecim qualitates,quę primas inſequuntur;quę ſunt durities,mollities, lentor,friabilitas,raritas,denſitas, aſperitas, lenitas,grauitas, leuitas, craſſitudo, tenuitas,odores,colores,& ſapores; dicimus itaque habitum moderatum neque aſperum,vel lenem, neq; rarum,vel denſum, neque in alijs enarratis excedere, ſed mediocritatem obtinere.

Argenterius negat mollitiem,vel duritiem carnis poſſe dignoſci ob ambientem cutem;addit,decipimur,quia tenſum pro duro & flaccidum pro molli ſumimus, addit, neque in cadaueribus, quid molle,quid durum ſit percipi poteſt.

Quæ

Quæ Argenterij innanitas primò ex eo patet quia ſupponit,quodlibet ſignum à Galeno propoſitum eſſe propriſſimũ, & nõ indigere aliorũ ſignorũ ſyndrome.

Secundò miſer non animaduertit,quo ex Ariſtot. omnes; qui ſunt molles carne tactu dignoſcantur, inquit enim Ariſt.2. de anima molles carne aptos eſſe ingenio:Si igitur cętera ſigna indicantia moderatiſſimam temperaturam aderunt; ſi tactu caro mollis & non dura obſeruabitur, dicemus eſſe mollem, & non flaccidam. In iuuene caro erit mollis, & non flaccida, quia cætera ſigna reſpondent, ideſt calor commixtus ex albo & rubro, capilli flaui, & reliqua,quæ in ſene non deprehenduntur.

CAPITIS LI.

Particula II.

Medium eſt enim exquiſitè huiuſmodi corpus inter omnes exceſſus, vt qui ad ipſum dicantur, & cognoſcantur: nam & craſſum corpus ad hoc comparatum dicitur craſſum, & tenue ad hoc eodem modo, & carnoſum, & macilentum, & pingue, & durum, & molle, & hiſpidum, & glabrum; nullum igitur horum corpus eſt mediocritatem habens: ſed qualis Polycleti regula ad ſummum totius peruenit mediocritatis, adeò vt neq; tangentibus molle videatur, neque durum, neq; calidum, neq; frigidum, inſpicientibus verò, neq; hirſutum, neq; glabrum, neq; craſſum, neq; tenue, aut aliquem alium habens exceſſum, vel defectum.

IN hoc text.duo facit:primò ait,omnia corpora habentia aliquem exceſſum dici talia habito reſpectu ad temperatiſſimum. Secundo Gal.definit per negationem corpus exquiſitè temperatum.

Quo ad primum dicit, corpora craſſa, vel tenuia, carnoſa, vel macilenta, pinguia,dura, mollia, hiſpida, vel glabra dici talia reſpectu temperatiſſimi: & meritò quia hoc corpus temperatiſſimum tale, eſt,qualis erat regula, ſeu ſtatua Polycleti: erat enim hæc ſtatua erecta in memoriam Helenæ, quæ adeo erat perfecta, vt inde ſumpta fuerit pro norma omniũ ſtatuarum: illæ enim quę magis erant ſimiles, hinc ſtatuæ exiſtimabantur digniores:quæ verò erant diſſimiles imperfecti.

Quo ad ſecundum, Gal. tradit per negationem definitionem corporis temperatiſſimi:dicitque corpus mediocritatem habens tangentibus nõ videri molle, nec durum,nec calidum,nec frigidum: inſpicientibus verò nec videri hirſutum vel glabrum,nec craſſum,vel tenue:quia tale corpus nullum habet exceſſum, vel defectum: ſitque veluti ſtatua Polycleti, & aliorum omnium μετριότης, & regula.

1 Dub. Gal.videtur mutilus, dum proponit ſolum tria ſigna moderatæ temperaturæ:Auic.enim ſecunda primi doct.3. cap. 3. & 4. plura alia ſigna proponit deſumpta ab extrinſecis alterãtibus, à ſomno, & vigilia,ab operationibus naturalibus, &c. ergo vel Auicennas ſuperfluus, vel Galenus diminutus exiſtimandus eſt.

Reſpondetur, Gal. propoſuiſſe ſigna indicantia habitum totius, ideſt temperaturam muſculorum: quamuis verò in bono & temperato habitu muſculorũ neceſſariò concurrãt bonę viſcerum temperaturæ, dicimus Gal. egiſſe ſuperius de ſignis pertinentibus ad interna viſcera, vnde quiſque mediocritatem ſignorum colligere potuit. Præterea ex ijs à Gal. propoſitis ſufficienter bona & mediocris temperatura comprehenditur: quare non mutilus.

Notandum,quod ſicuti moderatus habitus corporis ex Galen. in cap. ſuperiori inſequitur temperaturã cordis,& hepatis moderatam: ſic ſi nos cognouerimus ex ſignis propoſitis habitum totius eſſe moderatum, ſtatim dicemus, cor quoque & iecur eſſe moderatiſſimę temperaturę,& eorum actiones eſſe moderatas. Immo omnia ſigna oſtendẽtia intemperiẽ cordis,vel iecoris,ſi abſque exceſſu,vel defectu conſiderentur, poſſunt quoque indicare optimam temperaturam muſculorum, ſeu habitus totius corporis.

Errarent tamen valdè qui ex optimo habitu muſculorũ neceſſariò vellent colligere perfectionem actionũ animalium principium: quia optima muſculorum temperatura non inſequitur optimã cerebri vel teſtium temperaturam, ſed ſolum cordis & iecoris, vt ſuperius oſtenſũ eſt;

eſt; poteſt enim contingere vt temperatiſſimus homo quo ad muſculos ſit intéperatiſſimus in ratiocinãdo, & coeundo; nunquam tamen continget, vt aliquis habeat muſculos temperatiſſimos, & cor, vel iecur ſint intemperata.

CAPITIS LII.

De ſignis calidæ temperaturæ habitus corporis.

Tex 60. *Quacunque autem in caliditate à medio recedunt, non tamen in humiditate, & ſiccitate, hæc quantum ad carnoſum genus attinent, de hoc enim præſens eſt ſermo, videntur quidem tangentibus calidiora tantum quantum, & eorum temperatura calidior. Tanto verò magis hirſuta ſunt quanto & calidiora, & minus pinguedinis habent, colorem autem rubrum, & capillos nigros habent.*

GAlenus in hoc cap. proponit quatuor ſigna indicantia habitum totius corporis calidiorem; per habitum totius intelligens carnoſum genus, ſiue muſculos, qui oculi ſubijciuntur, vt Galenus ſuperius docuit.

Primum ſignum. Hæc temperatura totius tantum calidior erit, quantum tactu calidior percipietur.

Ratio eſt, quia agitur hic de calore muſculorum, qui ſtatim ſub cute iacent, quare tactu actualis, & naturalis eius caliditas percipietur; diximus, quod naturalis caliditas percipietur; quia ſi quis per accidens, vel ob cauſas procatarcticas veluti ob motum, vel cibum qualitate, vel quantitate peccantem incaleſceret, ex illo calore non colligemus habitum corporis eſſe calidiorem habitu moderato.

1 Dub. Galenus proponit octo temperaturas; quatuor ſimplices, & quatuor compoſitas; Auerroes tamen in colliget; immo Gal. lib. de temperamentis negat, dari quatuor ſimplices ſeparatas; quia ſimplex non datur ſola, ergo.

Reſponſio facilis eſt; quia medicus vocar ſimplicem dum vna ſola excedit moderatum temperamentum; quod cum Gal. dicat dari ſimplicem temperaturam cal dam, intelligit ſecundum caliditatem ſolam excedere; reliquas verò qualitates eſſe temperatas, & non excedere; quare omnes philoſophi, & medici conceduut non dari ſimplices qualitates ab alijs omnibus ſeparatas.

2 Dub. Gal. videtur diminutus; quia ſuperius nos docuit habitus totius corporis eſſe tactu præcognoſcendos, non ſolum ex calore, ſed ex duritie, mollitie, craſſitie, vel tenuitate, de quibus ne verbum quidem in hoc cap.

Argenterius neſciens hunc nodum ſoluere Gal. reprehendit, dicitq; eius doctrinam eſſe inſufficientem.

Reijcitur, quia Gal. in hac re eſt laudãdus, & ad ſydera extollendus; quia mira arte procedit; loquitur enim in hoc cap. de exceſſu ſolius caloris, ſupponendo aliorum omnium qualitatum mediocritatem. Quare cùm ad duritiem efficiendam concurrat etiam ſiccitas, & ad mollitiẽ humiditas; ita vt ſolus caloris exceſſus, neque duritiem, neque mollitiem, neque craſſitiem, vel tenuitatem efficere poſſit, maximè erraſſet, ſi de illis ſecundis qualitatibus mentionem feciſſet; dum enim agit de calidiori habitu, ſupponit quo ad ſiccitatem & humiditatem, habitum eſſe moderatiſſimum; Hinc Galen. loquens cap. 56. de temperatura calida & ſicca ait, habitum eſſe durum & tenuem; in 57. de calida, & humida ait, habitum eſſe molliorem, & carnoſiorem; eadem obſeruantur in alijs capitibus. Demum durities per ſe inſequitur ſiccum, & non calidum, & mollities humidum; non erat igitur opus, vt Gal. vllo modo de his ſecundis qualitatibus in hoc capit. mentionem faceret.

Secundum, *tanto magis erunt hirſuta, quanto & calidiora.*

Ratio eſt, quia à caliditate per ſe fuligines fiunt; fuligines ſunt materiæ pilorum. Hinc corpora calida neceſſaria piloſa ſunt, quomodo autem fiant pili, ſuperius diſputauimus.

Tertium, *calidi minus pinguedinis habent.*

Ratio eſt, quia Galen. 2. de temperamẽtis c. 4. ait materiam pinguedinis, quæ eſt quoddam oleoſum, tenue, & leue, quod in ſanguine reperitur, a temperamento calidiori conuerti in alimentum;

quod non accidit frigidioribus. Cauſa igitur, cur calidi non ſint pingues, eſt quia materia pinguedinis conuertitur in alimentum.

3 Dubitatio; uidetur, quod habitus calidiores debeant eſſe pinguiores; quia oleoſum,& tenue, quod eſt in ſanguine, promptius à calidioribus muſculis attrahitur, quam à frigidioribus.

Reſpondent nonnulli, materiã pinguedinis in calidis eſſe abundantiorem; quã in frigidis; ſed dicunt, cauſam efficiẽtem deficere, ideſt frigiditatem, quæ congelat pinguedinem. Galenus tamen 2. de temperamentis cap. 4. uidetur reſpondere, illud oleoſũ, quod eſt materia pinguedinis, in calidis reſolui in alimentum; in frigidis uerò concreſcere & conſeruari.

Quartum, *habent colorem rubrum*.

In habitu temperatiſſimo muſculorum color erat ex albo & rubro commixtus; in habitu uerò calidiori color ruber apparet in cuti; quia muſculi ratione caloris attrahunt ſanguinem tenuiorem, ſeu bilem rubram, quæ promptè confluit ad partes calidas, ideò iſti ſunt rubicundiores, quam ſint temperati.

4 Dubitatio; in habitu calidiori magis abundat bilis; ſed bilis eſt flaui coloris, ergo calidi potius flaui, quam rubri eſſe deberent.

Solutio facilis eſt ex Gal. lib. de atra bile, ubi multæ enarrantur ſpecies bilium, pallida ſcilicet, flaua, uitellina, porracea, æruginoſa, rubra, & nigra exedens; his ſuppoſitis reſpondemus, Galenum hic loqui de habitu calido ſanorum, & non ægrorum; in ſanis ſolum pallida bilis, & rubra dominantur, quæ colorem rubrum efficiunt; ſi uerò flaua inſideat corporibus ſanis, illa eſt in cyſti fellea, & inde per ductus à natura inſtitutos ad pilorum præcipuè excurrit, gratia expurgandi fæces inteſtinorum.

Quintum, *capillos nigros habent*.

Ratio eſt, quia habitus quo calidior, eo copioſiores & aduſtiores fuligines in ipſo fiunt; Hinc nigri capilli.

5 Dub. Galen. repoſuit capillos nigros in numero ſignorum cerebri, iecoris, & cordis calidi: ſimiliter in hoc loco vult capillos nigros indicare temperaturam calidam muſculorum, ergo per ſigna communia incedens labitur in paralogiſmum ſecundæ figuræ ex duabus affirmatiuis: Ratio eſt, quia medius terminus eſt nigredo capillorum, quæ eſt vniuerſalior, quam ſit temperatura calida muſculorum: nũquam enim in rectà argumẽdi forma medius terminus poteſt eſſe vniuerſalior prædicato concluſionis.

Solutio facillima eſt; quia ſigna tẽperaturarum à Galeno propoſita ſolum valẽt dum collecta per ſyndromen ſunt: ſeorſum verò expenſa, vel ſunt communia, & ex his nihil inferri poteſt, quia fit paralogiſmus in ſecunda figura ex duabus affirmatiuis, vel conueniunt ſecundum partem, & fit argumentum in prima figura cum maiori particulari.

QVÆST. LXXVIII.

De pinguedine.

SVb nomine pinguedinis amplectimur quoque adipem, ſebum, & omnia ex his parata: hæc enim non forma, & natura, ſed qualitate accidentali inter ſe differunt. Ariſt. 1. de hiſt. animal. c. 17. ait, adipem differre à ſebo, quia eſt liquidior, ſimiliter 2. de partibus animal. cap. 5. ſebum fieri à ſanguine craſſiori: ideo adipem eſſe liquidiorem.

Gal. verò loquens de pinguedine 3. de facultatibus naturalibus cap. 11. ait, adipem eſſe tenuiorem pinguedine: idem dicit 11. de ſimplici med.

Dicas igitur ſebum eſſe craſſius omnibus, deinde ſequi adipem, & vltimo pinguedinem, quæ eſt alijs liquidior: adeps enim mediam naturam inter pinguedinem & ſebum conſeruat: neque in his Gal. differt ab Ariſt.

Præterea conuenit Gal. cum Ariſtotele, quo ad materiam, ex qua pinguedo fit: putant enim oleoſum & aerem quod eſt in ſanguine, eſſe pinguedinis materiam, Ariſt. 2. de generatione animal. c. 2. docet, pinguedinem non ex aqua & terra; ſed ex aere fieri; quia ſupernatat: ecce quod ex Ariſtotel. pinguedo fit ex parte oleoſa ſanguinis; ſimiliter tertio de hiſtoria animal. capite 16. ait, ex ſanguine carnem fieri: ex parte tamen oleoſa pinguedinem: eãdem opinionem ſequitur

tur Galenus 2. de temperamentis cap. 5. vbi ait, pinguedinem fieri ex eo quod in ſanguine eſt oleoſum, fluxile, pingue, tenue ; & leue : ſimiliter 2. de temperamentis habet hæc verba, cum oleoſum, quod eſt in ſanguine, peruenit ad frigidum locum, veluti circa membranas, concreſcit & fit pinguedo.

Colligimus itaque conuenire Galenum cum Ariſt. in materia pinguedinis, quod ſcilicet ſit quid oleoſum, & aereum in ſanguine, quod ſanè non poteſt dici frigidum; ideſt frigidius temperato: quia oleoſum & aereum eſt temperatiſſimũ.

Cæterum difficultas non eſt de materia pinguedinis: quia eſto, quod ſit calida, vel frigida, non propterea ſequitur, quod forma quæ educitur, neceſſariò ſit calida, vel frigida: oportet enim videre, an cauſa efficiens pinguedinis ſit calida, vel frigida: quia forma genita ſequitur naturam generantis, & non materiam: qui enim non admittunt hæc, adeant iterum libros phyſices, & deinde huc accedant: Hinc Gal. 2. de differentijs febrium reſpiciens ad materiam pinguedinis, ait à parte pinguiori ſanguinis fieri bilem: Ariſt. verò primo de generatione animal. ait, eandem eſſe materiam pinguedinis & ſeminis: non tamen ſunt eiuſdem temperamenti cum pinguedine: immò inter ſe natura, & qualitate valde differunt.

Difficultas igitur eſt: an cauſa efficiens, & forma pinguedinis ſit calida, vel frigida: non enim valet conſequentia, materia ex qua fit pinguedo eſt calida, ergo & pinguedo: quia ex Gal. 2. de differentijs febrium cap. 12. bilis flaua fit à parte pinguiori ſanguinis, & eſt calidiſſima: pinguedo verò, quæ ſimiliter fit ex parte pinguiori ſanguinis non eſt huiuſmodi; quia bilis flaua eſt calida ratione efficientis, & non ratione materię: non valet igitur materia eſt calida, ergo, quod ex illa generatur eſt calidum, requiritur enim efficiens diſponens, & introducens formam in materiam.

Quando igitur probabitur, cauſam efficientem eſſe calidam tunc quoque liquido conſtabit, pinguedinem eſſe calidam. His conſtitutis, videamus quid dicant Ariſt. & Galenus.

Ariſt. 3. de par. animal. cap. 9. lib. 2. cap. 6. & 3. de hiſt. animal. cap. 19. putat adipem, ſiue pinguedinem eſſe calidam, & fieri ab efficiente calido: vtiturque tali argumento: finis probæ concoctionis eſt adeps, & ſebum; ſed ſic eſt quod concoctio proba ab agente calido ſit; ergo & pinguedo calida erit: genitum enim ſemper inſequitur naturam generatis. Præterea 2. de partibus animal. cap. 2. ait, pinguia omnia calida eſſe: quia celeriter in actum ignis mutari poſſunt.

Argenterius in hoc loco, & Veiga, Valeſius, & Laurentius Iobertus in Parado: ſimiliter ſuſtinent, adipem eſſe calidum, & non frigidum. Rationes, quæ illos mouent, hæ ſunt. Concretio fit à frigido actuali, at nullũ eſt frigidum actuale in viuentibus: ergo pinguedo non per concretionem, ſed per concoctionem craſeſcit: quod verò in uiuente nullum ſit frigidum actuale, probant; quia oſſa ſua natura frigida, ſunt actu calida in viuente. Secunda iſtorum ratio eſt: ſi pinguedo à frigido fieret, in valde ſenibus quam maximè generaretur, quod non videtur. Tertia ratio; ſi à frigido generaretur pinguedo, non fieret circa cor & renes, quæ loca calidiſſima ſunt. Quarta ratio pinguedo eſt pars animata, quæ non à frigido, ſed à calido fieri debet. Poſtremo probant auctoritate Galeni 2. aphoriſm. 35. & libris de vſu par. vbi loquens de pinguedine ait, pinguedinem, & hypocondria pinguia iuuare ventriculi coctionem: inde inferunt, ſi pinguedo eſſet frigida, coctionem iuuare non poſſet.

Gal. opinio videtur eſſe omninò contraria opinioni Ariſt. & iſtorum Neotericorũ: quia 2. de temperamẽt. cap. 4. ait, quicquid in ſanguine pingue, leue, & tenue eſt in calidioribus eſſe alimentum; in frigidioribus ſeruari & cum trãſmittitur ad membranas, quia frigidæ ſunt, concreſcere: ecce quod pinguedo à frigiditate membranarum fit. Hanc opinionem ſequuntur Fernelius, & alij percelebres medici, Veſalius, ſcilicet Falopius, Valuerde & omnes Anatomiſtæ: rationes quibus illam confirmant breuibus ſubnectendæ ſunt.

Ratio potiſſima, cur pinguedo ſit frigida, ideſt minus calida quã temperatũ,

eſt, quia pinguedo debet eſſe eiuſdē naturę cū cauſa generante: ſi igitur mēbrana eſt frigida, & generat pinguedinem, frigida quoque erit pinguedo; dū portio ſanguinis aerea & oleoſa, quę ſua natura calida eſt, exudat, & peruenit ad mēbranam, quæ eſt frigida, & ex rubra fit alba, & in omnibus qualitatibus inſequitur non ſolum membranarum albedinem; ſed etiam earum frigiditatem; Hinc fœminæ, vt plurimum ſunt pinguiores viris ob frigiditatem; Hinc vbi membrana eſt fortior & dēſior ibi potentius in pinguedinem portionē ſanguinis oleoſam conuertit: Quo fit vt Ariſtot. 4. de partibus animalium cap. 3. loquens de omento dicat, circa omentū generari pinguedinem, quia denſas habet membranas.

Præterea ex omnium cōſenſu hæc tria concurrūt ad generandam pinguedinē; materia quę eſt pars aerea & oleoſa ſanguinis; membrana circa quā generatur; & calor proprius ſeu temperatura propriæ membranæ, quæ eſt cauſa efficiens pinguedinis. Omnes concedunt calorem proprium membranæ eſſe inferioris gradus, quam calor temperatus; quādo dicimus membranam eſſe frigidam ex omnium philoſophorum & medicorum conſenſu intelligimus eſſe minus calidam, quam ſit temperatiſſimus calor; ideò optima ratione dictum eſt a Gal. pinguedinem immediatè fieri à cauſa efficiente frigida, id eſt minus calida, quam ſit temperatiſſimus calor.

Ad primam rationem, quæ erat quod Ariſtoteles dicat, pinguedinem & ſebum eſſe finem probæ coctionis; probamque coctionem fieri à calido, & per conſequens pinguedinem eſſe calidam.

Reſpondemus nihil concludere; primò, quia dū Gal. eſt ab Ariſ. diuerſus non decet diſputare contra Galenum, argumēto deſumpto ab auctoritate Ariſtotelis; quia Galen. fortaſſe negaret finem coctionis eſſe pinguedinem; ſecundo argumentum non eſt contra Galenum; quia ille quoque admittet, pinguedinem fieri à calido; oportet probare hoc calidum, quod eſt opifex pinguedinis eſſe calidius temperato, vel æquè calidum, quod negatur à Galeno, calor enim proprius membranarum pinguedinis auctor eſt minoris intenſionis, quam calor temperatus. Demū proba coctio poteſt fieri in animalibus & plantis frigidiſſimis; cui dubium, quod dum plantæ frigidæ, vt papauer, & mandragora nutriuntur, fit in ipſis optima coctio; attamen in illis coctio fit ab efficiente calido, ſed adeo diſtante à temperato, vt in eius comparatione dicatur frigidum in quarto gradu.

Ad ſecundum argumentum deſumptū ab Ariſt. 2. de partibus animal. vbi ait, quod omnia pinguia ſint calida; quia celerrimè in ignem mutantur, nō reluctatur Galen. quia ipſe quoque cenſet, pinguia eſſe calida, ſed non ita, vt quæ ſunt temperatiſſimi caloris. Præterea omninò negamus quæ in ignem celerrimè mutantur eſſe calida; quia palea, pili, ligna, quæ frigida ſunt, celerrimè quoque igneſcunt.

Ad tertium, dum dicit Argenterius, concretionem nō poſſe fieri in viuente; quia in ipſo nō eſt frigidum actuale: additque in Comm. concretionem neque à tepido calore, neque à leni frigore, ſed à vehementi fieri. Reſpondetur, pinguedinē eſſe adeo craſſam, vt à tepido calore quoque concreſcat, quod patet experientia, dum enemata ex ſebo hircino liquefacto iniiciuntur in rectum inteſtinū; ibi enim ſtatim concreſcit, & ita concretum excernitur; nemo ſanè negabit in recto inteſtino tepidum adeſſe calorem; ecce quod pinguedo etiam ob tepidum calorem concreſcit, & non ob vehementem; dicimus tamen, tepidū calorem parum recedere à tēperatiſſimo, & eius collocatione tepidum eſſe frigidum. Præterea in viuente pinguedo non eſt concreta, vt multi putant; videtur enim cōcreta ob membranulas, quibus ſecundum quamlibet particulam obuoluitur; Hinc dum ſecatur vena, aliquando in pinguioribus corporibus egreditur è foramine liquidæ pinguedinis pauxillum.

Ad quartum, quod ſi pinguedo à frigido fieret, in valde ſenibus quam maximè generaretur. Reſpondetur in primo ſenio præcipuè generari, quia in eius generatione requiritur illa frigiditas perexigua, quę dicitur calor proximè accedens ad temperatiſſimum, qui à membranis ſenum exhalauit.

Ad

Ad quintum argumentum, quod non fieret circa cor, ſi à frigido fieret. Reſpondetur, quod vbicunque ſunt membranę, ſeruatur earum natura, quæ eſt frigida; ideo cum cor ex membranis plurimis conſtet, ſecundum partes ſolidas erit frigidæ temperaturæ.

Præterea non vident, frigiditatem dupliciter conſiderari, ſcilicet, vt eſt potentialis, vel actualis; ſuppoſito hoc dioriſmo, aſſerimus, quamlibet corporis viuētis partem carere actuali frigiditate, non tamē potentiali; exempli cauſa vera proprietas aquæ eſt interna frigiditas, quæ dum aqua calefit, non amittitur, quia nō eſſet eius proprietas; quod illam non amittat, patet, quia ex ſe actualiter frigida redditur, qua de re ſuperius fusè egimus; ſed ne ab argumento reuellamur, dicimus, membranam non ſolum in viuente eſſe frigidam facta collocatione ad calorem temperatiſſimum, ſed etiam cerebrum, oſſa, & cartilagines.

Ad ſextum, dum dicunt, pinguedinem eſſe animatam, & ideò calidam, eſt omnium argumentorum ineptiſſimū; quia falſiſſimum eſt, omnia animata eſſe calidiora temperatiſſimo calore; quæ enim ſunt minus calida temperatiſſimo appellantur frigida ſecundū communem medicorum, & philoſophorum loquendi vſum. Præterea falſiſſimum eſt, pinguedinem eſſe animatam; ratio eſt, quia vertitur in alimentum; Gal. verò, dum ſexto de placitis cap. 8. dicit, adipem edere actionem, & quæ edunt actionem, uiuere; Reſpōdemus per actionem intelligere uſum, quem ſæpè cum actione cōfundit; ſimiliter in capite de differentijs partium, dū collocat adipem in numero earum, quæ à ſe ipſis gubernantur; omnes boni Interpretes reſpondent lato modo uſurpaſſe nomen partis; ſicuti Galen. alibi uocauit corporis partes pilos, ungues, & ſanguinem; neque ualet dum dicunt, pinguedinem eſſe partem proprio modo ſumptam, quia nutritur; negamus enim pinguedinem nutriri, & quamuis creſcat, dicimus eo modo creſcere, ut ſanguis, pili, & ungues, quæ per iuxta poſitionē, & nō ueram nutritionē creſcunt.

Ad ſeptimum, quod pinguedo ſit calida quia ex Gal. 3. aphoriſ. 35. & libro de uſu partium iuuat coctionem. Reſpondemus iuuare coctionem intelligi dupliciter, uel per ſe, uel per accidens; concedimus pinguedinem per accidens; quatenus ſcilicet prohibet, ne calor exhalet, iuuare coctionem; uel iuuare quatenus pinguedo eſt ſimilis tunicæ uentriculi, quæ ſimiliter eſt membranoſa. Itaque concludimus, pinguedinem fieri à temperamento membranarum, quod eſt inferioris caloris, quam temperatiſſimum; ideò uocari frigidam; errareque Argenterium, qui putabat ob membranæ denſitatem, & non ob temperaturam pinguedinem concreſcere.

CAPITIS LIII.

De ſignis frigidæ temperaturæ totius habitus corporis.

Tex. 61. *Frigidioris autem temperaturæ indicia ſunt pilorum carentia, pinguedo, & frigiditas, quæ tangentibus obuiat. Color autem vna cum capillis ruffus, & vbi frigiditas exceſſerit, liuidus quodammodo exiſtit, quem nonnulli medici colorem plumbeum appellant.*

QVinque proponit ſigna indicantia frigidam temperaturam totius habitus corporis.

Primum ſignum eſt *pilorum carentia*. Ratio huius eſt, quia à temperatura frigida, non eleuantur fuligines, quæ immediatè efficiunt pilos; fuligines enim à temperatura calida & ſicca fiunt; ſuperius fusè egimus de cauſa pilorum.

Secundum ſignum eſt *pinguedo*. Ratio huius eſt, quia portio ſanguinis pinguis & oleoſa in temperatura calida muſculorum reſoluitur; in frigida uerò affigitur mēbranis, & inde à calore proprio membranæ uertitur in pinguedinem, quæ eſt eiuſdem coloris cum membrana; cum igitur calor proprius membranarum ſit mitior, quam ſit temperatiſſimus, qui eſt regula calidorum & frigidorum, ideò dicitur frigidus, & pinguedo, quæ à membranis ſimiliter generatur, frigida, per frigidum intelligendo minus calidum, quam ſit temperatum.

Tertium; *tangentibus frigida ſentitur*. Verus Iudex tangibilium qualitatum eſt

ſenſus tactus ex Gal. 2. de tēperamentis c. 2. vola enim manus tēperata eſt paulò calidior pinguedine: ideò à manu poteſt ſentiri frigidiuſcula, idest minus calida.

1 Dubitatio Gal. videtur mancus, quia debebat addere habitū corporis tangentibus ſentiri durum; habitus enim frigidus duritiem indicit.

Solutio facilis eſt: quia durities à ſimplici frigida temperatura, de qua hic agitur, non fit ſed à frigida & ſicca. Notandum hic Galenum vſurpare frigidū loco frigidioris: quo loquendi modo ſæpè vtitur, præſertimque libris de pul. vbi ſumit pulſum magnum, velocem, & frequentem pro maiori, velociori, & frequentiori: ſimiliter, dum ait, ſentiri corpora frigida, intelligimus frigidiora, quam illa quæ habent habitum calidum.

2 Dub. non videtur, quod per tactum poſſit cognoſci habitus calidior, vel frigidior, vel temperatus; quia vel manus noſtra erit calidior, vel frigidior temperato; ſi calidior partem corporis temperatam iudicabit frigidam; ſi frigidior partem temperatam iudicabit calidiorem temperata. Si manus fuerit temperata, veteres hactenus non inuenerūt artem, qua poſſimus cognoſcere, an aliqua pars ſit temperata. Præterea ex Ariſt. 2. de anima tactus non cognoſcit niſi exceſſum.

Nos per inſtrumentū vitreum quo dignoſcimus tēperamenta; exceſſus & medium cognoſcimus hoc modo; ſpheræ inſtrumēti vitrei niuē applicamus vt aqua aſcendat ad vltimum exceſſum. Deinde flamma cādellæ curamus vt aqua deſcēdat ad vltimum terminum. Cognitis extremis ſtatim dignoſcimus medium & temperatum, à quo quantum quælibet pars recedat, erit cognitu facilis.

Quartum ſignū; *habent colorem totius cum capillis ruffum*. Color ruffus eſt fuluus color, & eſt pallidior, quam flauus; ecce quod qui ſunt frigidæ temperaturæ ex Gal. ſunt fului coloris; in Græco enim codice legitur πυῤῥοτέρα quod de ruffo colore intelligitur, qui non eſt obſcurior flauo, vt plurimi interpretantur, ſed pallidior; vnde frigidum crinis dicitur, πυῤῥότριχες, qui magis ad album vergit, quam flauus.

Quintum; *vbi frigiditas exceſſerit color liuidus, et plumbeus erit*.

3 Dub. nō videtur, quod in ſanis, de quibus hic agitur, poſſit inueniri color liuidus, ſeu plumbeus; quia Gal. in hiſtoria adoleſcentis decumbentis in foro mēdacij habet, colorem liuidum duorum alterum ſignificare, vel inflammationem internorum viſcerum, vel extinctionem natiui caloris; quare videtur quod liuiditas non conueniat his corporibus.

Reſpondetur in tex. Galenum non abſolutè aſſerere liuidum colorem his conuenire, ſed quodammodo tantum; quia color abſolutè liuidus extinctionem caloris indicat; quodammodo liuidus indicat exceſsū frigiditatis, ſed in latitudine ſanitatis adhuc contētæ. Ratio verò, cur intemperies valde frigida liuorem inducat eſt, quia ſpiritus influentes, & natiui non poſſunt rarefacere, & effundere ſanguinē, qui frigidus & craſſus eſt, vnde plumbeus color redditur.

Quòd uerò frigida intemperies liuorē inducat, docet Hippocrates 6. ſectione aporiſ. 17. ubi dicit, frigidum conuulſiones, tetanos, & liuores adferre; in eadem ſectione 2. frigidum ait ulceribus mordax; quo infert tādem nigrorem inducere; 2. prognoſticorum 8. Hippocrates habet hæc uerba; *ſi corpus adeo eſt graue, vt vngues quoq; ac digiti liuidi ſint, expectanda mors continua eſt*: Gal. in comm. habet, liuorem ſignificare uirtutis extinctionem; adde quod dicitur à Galeno in caſu Adoleſcentis decumbentis in foro mendacij, mortem à liuore prænunciatam oriri, uel ab inflammatione uiſcerum, uel ab extinctione caloris natiui.

CAPITIS LIV.

De ſignis ſiccæ temperaturæ.

Tex. 62. *Siccior autem temperatura tanto gracilior eſt, & durior bona temperatura, quanto maior eſt ſiccitas In reliquis autem eodem modo ſe habet.*

Siccitas eſt duū generū; alia iungitur frigiditati; alia uerò caliditati; ignis eſt ſiccus, & terra eſt ſicca; tradit Gal. ſigna ſiccioris temperaturæ in cōmuni: dicit igitur temperaturam

turam ſiccam tanto gracilius & durius reddere corpus, quanto magis in ſiccitate recedit à bona temperatura, notandū in hoc habitu ſicco paucam carnem, & perexiguam pinguedinem generari.

1 Dubit. non videtur, quod gracilitas ſit ſignum ſiccioris: quia gracilitas ſequitur paucitatem carnis, pinguedinis, & oſſium: oſſium autem paruitas ſequitur paucitatem materiæ: quare malè facit dum per gracilitatē vult nos manuducere ad dignoſcendam ſiccā temperaturā.

Argenterius hanc dubitationem proponit contra Galenum, ſed eſt valde inſulſa: putat enim, quodlibet ſignum temperaturarū cōuenire temperaturę per ſe primo; neque vnquam animaduertit Galeni propoſitū quod conſiſtit in explicāda exactiſſima ſignorum communium ſyndrome temperaturas indicante. Præterea dubitatio facilè tolli poteſt: quia dum dicit, gracilitatem ſequi paucitatē carnis, & oſſium: peto, vnde oriatur paucitas carnis; neceſſariò reſpondebit, vel à ſicca temperatura, & ſic habeo quòd volo; vel à gracilitate parentum, quæ gracilitas neceſſariò reſpondebit ſiccitati. Demū eſto, gracilitatem per accidens quoque conuenire ſiccæ temperaturæ: nonne hoc accidens inſpirabiliter temperaturæ ſiccæ conuenit? quod cum non poſſit negare, cogitur fateri, gracilitatem perpetuò indicare ſiccam temperaturam. Sed quod ſuperat omnem admirationem eſt, quia non videt, accidentia quoque communia per ſyndromem artificioſām collecta habere vim indicādi temperaturas; neque videt Galenum ſummo artificio in quolibet c. ſyndromem ſignorū communium propoſuiſſe.

Preterea maximè decipitur Argenterius, dum negat, ſana corpora eo nō poſſe vocari dura, quia nō poſſent flecti; putat, Galenum intelligere de duritie lapidea, vel ferrea; dura enim dicuntur & mollia facta collatione ad temperatiſſimum, quod eſt in medio, eſtque aliorum corporum regula; nec dicat, Galenum vſurpaſſe durum pro tenſo; quia tenſum eſt in habitu plethorico, in carne ſcilicet humoribus plena; durum verò eſt vbi pars caret plenitudine.

In reliquis autem; in his verbis Galenus docet in reliquis qualitatibus hanc temperaturam ſiccam, de qua loquitur, ſupponere ſtatum temperatiſſimum: tangit enim ſolum exceſſum ſiccitatis, ſuppoſita in omnibus alijs qualitatibus ſymetria: ecce quod Galenus dum de vnica qualitate ſermonē habet, ſemper ſupponit ſecūdum alias qualitates, corpus eſſe temperatiſſimum, quod ſuppoſitum qui mente conceptum non poſſidet, ab hac cōtemplatione recedit; ſicuti receſſit Argenterius qui neque hoc ſuppoſitum, neque hunc tractatum de ſignis temperaturarum vnquam intellexit.

2 Dubitatio, ait Galenus gracilitatem ſequi temperaturam ſiccam, quod videtur falſum: quia qui eſt quoque temperaturæ humidæ, vel frigidæ, vel calidæ, ſi inſigni mærore fuerit vexatus, vel nimio coitu vſus, vel nimio exercitio reſolutus fieret gracilis: quare gracilitas non indicabit temperaturam ſiccam.

Reſpondetur, ſi humidæ naturæ fient graciles ob coitum, vel alias cauſas, dicimus ex humida in ſiccam illas eſſe conuerſas, neque amplius humidas eſſe; deinde dicimus in iſtis, qui ob coitum fiunt graciles, illorum gracilitatem pertinere ad corpora decidentia, vel eſſe morboſam, quę conuenit ægris, & non ſanis, de quibus hic agitur. Demum reſpondere poſſumus, vnum ſignum pro declinatione temperaturæ non ſufficere; ſed multa requiri: quia præter gracilitatem requiritur quoque durities, ſed talis, quæ in latitudine ſanitatis ſit; quare dubitatio eſt nulla.

CAPITIS LV,

De ſignis humidæ temperaturæ.

Tex. 63. *Et humidior etiam in reliquis quidem eodem modo ſe habet: melius autem carnoſa, & mollior, & quidem ſecundum coniugationem qualitatum primarum facta intemperatura compoſitam habent indiciorum formam.*

IN hoc cap. duo facit; primo tradit duo ſigna humidæ temperaturæ. Secundo dat regulam inſeruientem omnibus temperaturis compoſitis.

Primum ſignum temperaturę humidę eſt *habitus carnoſior*, Galenus hoc ſignum etiam proponit 2.de temp.cap.4.vbi ait; ſi calor ſit temperatus, & humiditas ſanorum ſit acuta; tunc multo liberalius adaugere carnem, quam pinguedinem.

Secundum ſignum, habitus *eſt mollis*; oppoſitorum enim ex Ariſtot.1.topic.c.8. eadem eſt diſciplina; ſi durities indicat ſiccam temperaturam; mollities indicabit humidam.

1 Dub. videtur Galenus mancus, vt putat Argenterius, quia omittit ſignum à iuuantibus & lædentibus; hæc enim temperatura humida, cum ſit naturalis, à ſiccis læditur; ſimiliter color albus, & pili recti indicant humiditatem; de quibus ne verbum quidem.

Reſpondetur, Galenum breuitatis ſtudentem propoſuiſſe pauca ſigna, ſufficiẽtiſſima tamẽ: ideò ſi cætera tetigiſſet, fuiſſet ſuperfluus; valet enim hæc conſequẽtia, habitus eſt mollis, & carnoſus: ergo temperatura muſculorum eſt humida; cauſa erroris Argenterij fuit; quia non penetrauit Gal. mẽtem, quæ erat perquirere temperaturas per ſignorum ſyndromem ſufficientiſſimam breuiſſimamque: Demum vt omninò Argenterij temeritas conuellatur, dicimus Gal.c.59. propoſuiſſe quædam loca communia, inter quę ſunt iuuantia, & lędentia, eo fine vt vbiq; non repetantur, quod caput ſi animaduertiſſet Argenterius, non ita temerè in Galenum inuexiſſet.

Quo ad ſecundam partem dicimus, Gal. tradere regulam obſeruatione dignã pro dignoſcendis compoſitis temperaturis; quę eſt, quod omnia ſigna ſimplicium temperaturarum ſimul conſiderata nos facilè docere poſſint compoſitas temperaturas; exẽpli gratia ſigna frigidæ tẽperaturæ, & ſigna ſiccæ indicabunt temperaturam compoſitam ex frigida, & ſicca temperatura: idem de alijs.

2 Dubitatio; ſi ſigna temperaturarum ſimpliciũ vnita facilè indicant compoſitas; ergo ſuperfluus eſt tractatus de temperaturis compoſitis, de quibus Galen. hic agit.

Reſpondetur, quod licèt ſigna ſimplicium vnita indicent temperaturas compoſitas; attamen temperaturæ compoſitæ alia edunt ſigna diuerſa, quæ ab vtraque ſimul oriuntur; ideò de illis erat agẽdum. Hinc Ariſt.7.metaph.tex.60. dicit ſillaba ba non eſſe ipſa elementa: nec idem quod B & A: ſed aliquid aliud: ſimiliter 8.metaph. tex. 15. totum non eſſe quaſi coaceruationem partium, ſed aliquid aliud præter partes, & 12.metaphyſ. 22. ait formas ſimplicium eſſe alias à formis compoſitorum; hæc ſunt principia, quæ nos docent, cur à partibus ad totum non valeant conſequentiæ; quæ ſi Argenterius intellexiſſet, non fuiſſet ita facilis ad reprehendendum Galenum.

CAPITIS LVI.

De ſignis calidæ, & ſiccæ temperaturæ.

Calidior ſimul, ac ſiccior eſt hirſuta magis; ac calida; & dura exiſtit, & pinguedine caret: tenuiſque eſt, & capillos nigros habet. Si verò multum in caliditate excedat color niger quoque illi adeſt.

IN hoc c. quinque ſigna à Gal. proponuntur. Primum ſignũ eſt *corpus hirſutum*, ſiue piloſum. Quod hoc ſignum inſequatur temperaturam calidam & ſiccam facilè patet: quia fuligines, ex quibus pili fiunt, ſua natura ſunt calidæ, & ſiccæ, dum igitur viderimus vniuerſum corpus eſſe piloſum, dicemus, muſculos omnes, vel totum corporis habitum eſſe calidum & ſiccum.

2 Dubitatio: videtur Galen. ſuperfluus, dum agit de ſignis totius corporis: quia egit ſuperius de corde, & hepate, quæ totum corpus gubernant, docuitque quando, & quomodo totum corpus poſſit eſſe calidum & ſiccum propter cor, vel iecur: quare non erat hic agendum de ſignis totius.

Reſpondetur, Galenum clarioris doctrinę gratia egiſſe de ſignis habitus corporis; immo Ariſtot. imitatione 8.phyſicorum cognito primo principio, ſeu primo Motore, iterum à primo Motore ad motus æterni declarationem ſe tranſtulit: vnde enim conuenit Philoſopho, vt ab effectu ad cauſam procedat; quia cognito propter quid, poſt factam aliquam men-

mentalem conſiderationem, exactius penetrat effectus: hunc philoſophandi modum Galen. hic obſeruat: in primis docet principia, per quæ habitus totius corporis alteratur; mox meditatur hunc effectum, & poſt quandam mentalem contemplationem exactiſſimè dignoſcit, cur habitus totius corporis talis ſit. Non erat igitur hoc arcanum, Argenterio tamen incognitum, à Gal. omittendum.

Secundum ſignum, tactu *cutis calida, & dura ſentitur*. Hæc duo ſigna ſunt ſimplicium; caliditas cutis prouenit immediatè à temperatura calida; durities verò à temperatura ſicca.

Tertium; *carent pinguedine, & ſunt graciles*.

Ratio eſt, quia caliditas abſumit materiam pinguedinis, quæ eſt illud aereum, & oleoſum, quod eſt in ſanguine: abſumit, vel in alimentum conuertendo, vel illud liquefactum in fæces exercêdo, vel inſenſibiliter perſpirâdo. Ratio verò, cur temperatura ſicca efficiat homines graciles, & excarnes deſumitur ab argumêto à contrarijs: nam ſicuti humiditas concurrit ad carnis generationem, ſic ſiccitas oppoſitum efficit. Præterea tanto magis ſunt excarnes & graciles, qui præditi ſunt temperatura calida & ſicca, quanto calor iunctus ſiccitati magis abſumit, & reſoluit carnis pabulum.

3 Dubitatio: non videtur in temperatura calida, & ſicca homines eſſe ſemper excarnes, experientia enim obſeruatur, homines eſſe piloſos cum maxima cutis duritie, qui carent pinguedine; tamen tâtum abeſt, vt ſint excarnes, vt totus habitus ſit carnoſus.

Reſp. ſigna propoſita per ſyndromen expenſa ſolum eſſe perpetuæ veritatis; ſeorſum vero conſiderata vt plurimum eſſe vera, ſed non ſemper, cauſa verò, cur aliquando calidi & ſicci ſint carnoſi, & non pingues, eſt, quia pinguedo facilius reſoluitur, quam ſanguis alens carnes; portio enim ſanguinis carnis generationi dedicata, vt alteretur, & exiccetur, magnæ debent præcedere alterationes, & magni labores; quia pabulum carnis non eſt aereum, vt pinguedinis; ſed terreum, ſolidum, & viſcidum.

Quartum; *habent capillos nigros*: ratio eſt, quia aduruntur fuligines: quæ enim ex aduſtis fiunt nigra ſunt.

Quintum ſignum, *ſi in caliditate excedant, cutis quoque redditur nigra*. Vt cutis fiat nigra, nô requiruntur fuligines aduſtæ, ſed aliqua in humoribus alimentalibus aduſtio; cutis enim illis nutrita refert humorum aduſtorum colorem.

Argenterius reprehendit Galen. quod præter hæc propoſita ſigna non propoſuerit ſanguinem craſſum & ſiccû abundantiam bilis, latitudinem venarum, pulſus magnos, veloces, & frequentes, & ſigna à iuuantibus & lædentibus: hi enim læduntur à calidis, & ſiccis, & iuuantur à frigidis, & humidis; illum quoq; reprehêdit, cur non dixerit, hos genitos eſſe à calidis & ſiccis parêtib. & ſub aſtris calidis.

Hic vir, dum verbum contra Gal. profert, ſtatim in quamplurimos incidit ſcopulos. Errat enim primo: quia non videt turpe, & indignum eſſe philoſopho procedere per plura, dum pauciora, & æquè bene effici poteſt. Declaraturus enim Gal. ſigna intemperaturæ calidæ & ſiccæ propoſuit ſignorum ſyndromen, quæ ſubrogatur ſigno proprijſſimo quod conuerſim de calida & ſicca temperatura prędicatur; ideò valet hęc, corpus eſt hirſutum, cutis calida, & dura ſine pinguedine gracile, capilloſque nigros habet & cutim ad nigredinem vergentem, ergo illius habitus eſt calidus & ſiccus; ad quid ergo alia erant adiungenda ſigna? Præterea ſanguis craſſus & ſiccus, abundantia vtriuſque bilis, latitudo venarum, pulſus magni pertinent ad ſyndromen ſignorum indicantium hepar, & cor, & non muſculos, de quorum temperaturis agitur hic. Demum ſigna à iuuantibus, & lędentibus deſumpta cum alijs quibuſdam communibus ſignis conferentibus ad cognitionem temperaturarum propoſuit c. 59. eo fine ne in omnibus capitibus repetantur, quod caput non obſeruauit Argenterius. Dum verò proponit, an ſub aſtris calidis quis genitus ſit, ad hoc vt cognoſcatur temperatura muſculorum, videtur lymphari; non ne ſub aſtris calidis oriuntur temperaturæ calidæ, frigidæ, humidæ, & ſiccæ? non erant igitur contra Gal. hæc ineptiſſima proferenda.

CA-

CAPITIS LVII.

De ſignis calidæ, & humidæ temperaturæ.

Tex. 64. *Calidior autem, & humidior temperatura mollior, & calidior, & carnoſior tanto eſt bona temperatura, quantum & vtriſque qualitatibus aucta fuerit, quod ſi plurimum augeatur, cito à putridis corripitur morbis, quoniam & humorum vitio promptè laborat. Si verò parum quidem humidior ſit, multo verò calidior, molliores quidem parum huiuſmodi ſunt his, qui bonam habent temperaturam, & magis carnoſi non parum verò hirſutiores, & tangentibus, non parum calidiores; nigri verò eis capilli, & caro pinguedine caret, ſi verò paulò quidem calidior multo verò humidior, mollis his caro eſt, & multa: & color commixtus eſt ex albo, & rubro, & tangentibus paulo calidiores. Et vt ſummatim dicatur, in omnibus temperatura coniugationibus ſemper ſuper excedentis qualitatis indicia eminebunt.*

PRimum ſignum huius temperaturæ calidæ, & humidæ eſt *habitus mollior, & calidior tẽperatiſſimo*. Ratio huius eſt, quia mollities pendet ab humido & calido.

Secundum ſignum: *tanto carnoſior eſt bona temperatura, quantum erit calidior & humidior*. Ratio eſt, quia vbi eſt calor naturalis adauctus cum humido proportionato fit multus ſanguis, & multa caro: à caliditate enim attrahitur alimentum, & facilè concoquitur, & in ſanguinem facilè cedit non ſolum ratione caliditatis, ſed etiam humiditatis.

1 Dubium eſt aucta caliditas, multa bilis, & non ſanguis generatur, quomodo ergo multa bilis reddet homines carnoſiores? Reſpondetur, dum iungitur copioſo calori multa humiditas, tunc multum calorem non generare bilem: quia humiditas eſt frænum caloris: coctio enim fit à calido & humido; ſi humidum non eſſet calori proportionatum, non concoctio, ſed aſſatio, ſeu bilis generatio ſuccederet.

(*Quod ſi plurimum*) docet in his verbis Galenus, ſi multum augeatur humiditas, & caliditas, ita vt valde recedant à temperatiſſimo neceſſariò in morbos putridos hanc temperaturam prolabi. Idem ſuperius Gal. loquens de corde & hepate calido & humido protulit: idem quoque confirmat 6. de tuenda ſanitate, & 11. methodi c.8.

Si vero parum, hic vtitur mirabili diſtinctione dicens, ſi humiditas erit pauca, & caliditas multa, habitus erit paulò mollior, & carnoſior quam ſit bona temperatura, erit tamen magis piloſus, & tactu ſentietur non parum calidior temperato: ratio diſtinctionis ex dictis ſuperius patet, mollitiem ſcilicet, & multam carnem ab humiditate prodire; pilos verò, & caliditatem cutis à calida temperatura.

Tertium ſignum: *nigri capilli*.

2 Dub. nigri capilli à calido, & ſicco fiunt, & non calido & humido, vt hic dicit Galenus.

Reſpondetur, Galenum hìc loqui de multa caliditate, & de pauca humiditate, vbi enim æquè abundat caliditas, & humiditas, pili non poſſunt eſſe valde nigri.

Quartum: *caro caret pinguedine*. Ratio deſumitur à Galeno 2. de temperamentis cap.4. dicit portionem oleoſam, & pinguem, quæ eſt in maſſa ſanguinea, ſi peruenerit ad membranas, quæ ſua natura frigidæ ſunt, concreſcere in pinguedinem: ſi peruenerit ad carnes, quæ calidæ ſint, reſolui, & non concreſcere: Hinc ſi temperatura carnis erit calidior, erit etiam ſine pinguedine.

Quintum ſignum: *ſi fuerit paulo calidior, quam ſit temperatus habitus & multo humidior: caro erit mollis, et multa*. Si calor eſſet multus, caro nec mollis, nec multa fieri poſſet; quia à multo calore, ſãguis abſumitur, & reſoluitur. Præterea multus calor reddit ſanguinem acrem, qui excitat expultricem muſculorum ad expellendum, & non concoquendũ. Demum vbi caliditas eſt multa, ſanguis fit amarus: ex Galeno, omne concoctum eſt dulce & omne dulce, ſi nimium calefit, amareſcit. Hinc fit quod multa caliditas turbat coctionem, & impedit, ne multa caro fiat.

Sex-

Sextum ſignum: *co lor eſt ex albo & rubro commixtus.*

3 Dub. non videtur, quod huic temperaturæ calidæ, & humidæ conueniat color commixtus ex albo, & rubro: quia hoc ſignum conuenit temperaturæ moderatæ, quæ eſt aliarum omnium regula.

Reſpondetur, vbi traduntur multa ſigna illa non eſſe propria, quæ conuerſim dicantur: quia non multa proponerētur, ſed vnum tantum. Præterea color commixtus ex albo, & rubro, cum ſit qualitas, ſuſcipit magis & minus, quare dicimus, in hac temperatura calida & humida nō poſſe eſſe colorem æquè commixtum ex albo & rubro; ſed magis ex albo, quam ex rubro; quia proponit in hoc loco temperaturam multo humidam, & parum calidam: ab humido enim albus, à calido verò ruber color fit.

Septimum ſignum tangentibus, *ſentiuntur calidiores:* ſupple, quam ſit bona temperatura. Poſtremò dat regulam cōmunem alijs temperaturis compoſitis, quæ eſt, quod qualitatis ſigna, quæ ſunt in maiori exceſſu, ſint quoq; magis eminentia, & ſenſibus noſtris clariora.

CAPITIS LVII.

De ſignis frigidæ, & humidæ temperaturæ.

Tex. 65. *Frigidior autem & humidior temperatura, ſi parum quidem vtraque augeatur pilis nuda eſt, & alba, & mollis, & craſſa, & pinguis. Si verò magis exceſſerit, reliqua quidem ſunt ſecundum proportionem augmenti qualitatum; Color autem vnà cum capillis ruffus, quemadmodum ſi plurimum vtraque augeatur, liuidus. Si verò qualitatum augumentum fuerit inæquale eius, quæ ſuper exceſſerit indicia eminebunt.*

Acturus de ſignis frigidæ, & humidæ temperaturæ tria facit in hoc cap. In prima parte tradit quinque ſigna frigidæ; & humidæ temperaturæ parum recedentis ſecundum vtranq; qualitatem, ideſt frigiditatem, & humiditatem à temperatiſſima. In ſecunda parte admonet quando vtraq; qualitas, ideſt frigiditas, & humiditas multum recedunt à temperatiſſimo dicens, tunc ſigna augeri ſecundum proportionem; dum enim parum augetur ait, colorem capillorum, & cutis fieri ruffum. Dum multum augetur fieri colorem cutis liuidum. In tertia parte inquit, ſi receſſus à temperatiſſimo non eſt ſecundum vtramque qualitatem ita vt frigiditas multum, & humiditas parum recedat, tunc ſigna indicantia illam qualitatem, quæ excedit, ait eſſe intenſiora, & magis dominantia. Hęc eſt huius capitis expoſitio.

Quò ad temperaturam parum, & ęquè recedentem à temperatiſſimo ſecundum frigiditatem & humiditatem quinq; ſunt huius temperaturæ ſigna.

Primum ſignum: *cutis eſt pilis nuda.*

1 Dub. non videtur, quod in habitu frigido cutis ſit pilis nuda; omnes enim in capite, & ſupercilijs habent pilos.

Reſpondemus, Galenum loqui de illis partibus, in quibus pili ex natura loci generantur, non autem prouidentia Creatoris: hæc diſtinctio traditur à Gal. 11. de vſu par. cap. 14. & diffusè declaratur; ibi enim diſputat, cur in fronte non generentur pili, proponitque opinionem Moſis, & Epicuri, magiſque laudat opinionem Moſis; reprehendit tamen Moſem, quia nulla facta conſideratione diſpoſitionis materiæ ſemper dicebat, ſic Deo placuit, in fronte ſcilicet, vel naſo pilos non gigni, in palpebris verò gigni ſed rectos: putabatque quod Deus, ſi vellet efficere equum, & bouem ex cinere, id repentè poſſet. Hanc ſapientiam nunquam eſt adeptus Gal. quia nō Hipp. vel alius humanus intellectus fuit auctor; ſed Spiritus Paraclytus ęternus & immortalis, qui ex nihilo extemplò ſexcentos Mundos creare poſſet, cuius altiſſimam ſapientiam ſolus qui lege Euangelica, ſeu diuino ſpiritu eſt afflatus capere poteſt. Miſeri Hippocrates, Ariſtoteles, & Galenus hoc diuino lumine orbati, locuti ſunt de Deo, ac de aliquo probo viro, qui regimini totius vniuerſi aſſiſteret.

Galenus enim loco citato duo attribuit Deo; alterum quod ſemper faciat quod melius eſt; alterum, quod materiæ delectum

ctum habeat; ideò dixit, Creatorem feciſſe pilos palpebrarum rectos, quia illos affixit corpori cartilaginoſo, quod durum eſt; additque *ſi molli ſubſtantiæ infixiſſet non Moſe modo, ſed etiam malo Imperatore eſſet inertior, qui murum in palude erigeret.*

Excuſandi planè ſunt Hippocrates, Ariſtoteles, & Galenus; quia non per rationes naturales; ſed per fidè, quæ eſt donum Dei intelligimus eſſe illius potétiæ, quia dixit & ſtatim facta ſunt omnia.

Sed redeuntes vnde digreſſi ſumus, dicimus, cutem carere pilis intelligendo in illis partibus, quæ non à Creatore ſed à natura factæ ſint tales.

Secũdum ſignum, *cutis alba*. Ratio eſt, quia in frigida & humida temperatura abundat pituita, quæ eſt albi coloris.

Tertium ſignum *cutis mollis*. Hęc mollities non à frigiditate, ſed ab humiditate prouenit: quamuis hæc frigiditas, de qua hic agitur, parum recedat à temperato, cum non habeat vim indurandi.

Quartum, *craſſa et pinguis*: Ratio eſt, quia vbi eſt humiditas, ibi craſſities. Præterea eſt quoque craſſities, vbi eſt frigiditas, quæ prohibet corpora diffari. Similiter dicimus in hac temperatura abũdare pinguedinem; quia pingue & aereum, quod eſt in ſanguine, vt dicit Gal. ſecundo de temperamentis capite quarto, facilè peruenit ad membranas, & ad carnes, & non reſoluitur, ſed concreſcit; magis tamen concreſcit circa membranas; quam circa carnes, inſpiſſantur tamẽ carnes, & incraſſantur; quia multum humoris, quod reſoluitur in calida temperatura, in frigida detinetur, & craſſities efficitur.

Quo ad ſecundam partem ait, ſi frigiditas, & humiditas fuerint in aliquo exceſſu, color cutis, & capillorum ruffus fiet; ſi verò in maximo exceſſu, tunc color non ruffus, ſed plumbeus, vel liuidus apparebit.

2 Dubitatio, color liuidus ex Gal. in caſu adoleſcentis decumbentis in foro mẽdacij ſignificat vel inflammationem internorum viſcerum, vel calidi natiui extinctionem: quare hoc ſignum deſumptũ à liuido colore non pertinebit ad hunc locum, vbi de ſanis agit, & non de ægris.

Reſponſum fuit huic dubitationi in expoſitione capitis 53. vbi Gal. dixit colorem quodãmodo liuidum conuenire frigidæ temperaturæ. Eodem modo in hoc c. dicimus, Galenum per colorem liuidũ intelligere colorem vergentem ad liuidum: quot ſunt homines ſani, qui vel circa oculos, vel vngues, liuorem aliquem patiũtur? liuidus enim color ſuſcipit magis, & minus; dum verò ſignificat inflammationem viſcerum, vel mortem caloris natiui, liuiditas eſt valdè intenſa; dum temperaturam frigidam, & humidam, parum intenſa.

Gal. in epid. in hiſtoria adoleſcentis decumbentis in foro mendacium dicit colorem liuidum partium extremarum alterum de duobus ſignificare, vel inflammationem viſcerum, vel emori natiuum calorem. De hac liuiditate non intelligit Gal. quia hæc fit à calido adurente non à frigiditate poſitiua, neque à membro ſanguine deſtituto; à frigiditate poſitiua dũ ob frigus externum pellitur calor ad intus & pars externa redditur liuida; à mẽbro ſanguine deſtituto fit liuiditas, in vt menſtruatis in quibus circa oculos apparet quædam liuiditas; differentia eſt inter liuiditatem morbificam, & non morbificam quia morbifica durat, non morbifica facile tollitur.

Propoſita diſtinctio de duplici liuiditate proponitur à Galeno 2. præſag. 42. dicente liuiditatem fieri vel à frigiditate poſita, vel a calido adurente.

3 Dubitatio, ait in hac temperatura frigida & humida, cutim, & pilos eſſe ruffos, quod non videtur; quia ruffus color pertinet ad bilem.

Reſpõdetur per ruffum in codice græco legi πυῤῥὰ quod ſignificat fulgidum colorem, qui eſt remiſſior, quam flauus; vergit enim ad album; quare non eſt præter rationem, quod in temperatura frigida & humida pituitoſa, colores capillorum & cutis ſint fulgentes, vergentes ſcilicet ad album.

Quo ad tertiam partem attinet, Galenus dat normam, quam in fine capitis ſuperioris quoque propoſuit; eſtque dum vna qualitas magis altera recedit à temperato, eius ſigna eſſe intenſiora, & fortiora.

4 Du-

4 Dubitatio, Auctor videtur diminutus: quia omittit potiora ſigna temperaturæ frigidæ & humidæ; veluti dum omittit, hanc temperaturam eſſe obnoxiam morbis pituitoſis: lædique à frigidis & humidis: iuuari à calidis & ſiccis habere venas paruas, & pulſus paruos & raros.

Argenterius proponit hanc dubitationem: eamque non ſoluit, ſed Galenum valdè reprehendit, quod propoſita ſigna non propoſuerit. Nos dicimus, Galenum illa non propoſuiſſe: quia fuiſſet ſuperfluus: ea enim ſuperius propoſuit in declaratione temperaturarum iecoris, & cordis. Præterea ſupponitur quando iecur eſt frigidum & ſiccum, habitum totius quoque eſſe frigidum & ſiccum. Inſuper mens Galeni eſt ſyndromen ſignorum ſufficientem perquirere non diminutam, non ſuperfluam. Probat Argenterius, ſigna propoſita à Galeno non ſufficere: quod tunc eius argumentum videbitur efficax, dicimus videbitur, quia in hoc libro non ſemel Galen. admonuit, ſigna eſſe deſumenda à iuuantibus, & lædentibus pro qualibet temperatura dignoſcẽda: cauſa verò cur inſulſis & vaniſſimis argumentis in Galenum ſępè inuehatur, eſt quia nunquam intellexit mirum huius tractatus artificum conſiſtere in colligendis ſignis cõmunibus: quare quoties Argent. probat aliquod ſignum à Galeno propoſitũ pro dignoſcendis temperaturis non eſſe proprium, toties vacillat. Præterea quis Philoſophorum vnquam fuit, qui tã vanam & ſtultam opinionem habuit, quod ſyndrome, de qua hic agitur ſit conflata ex ſignis proprijs? dum enim habetur vnicum proprium, vanæ redduntur omnes ſyndromes.

CAPITIS LIX.
Particula I.

De ſignis frigidæ, & ſiccæ temperaturæ.

Tex. 66. *Si autem frigiditas vna cum ſiccitate æqualiter augeatur, natura durum ac tenue, ac glabrum corpus habens, & tangentibus frigidum; pinguedo tamen ipſis (& ſi graciles ſint) per carnes diſperſa. Capilli autem, & color frigiditas modum, ac proportionem ſequuntur.*

IN hoc tex. proponit ſeptem ſigna temperaturæ æquè frigidæ & ſiccæ. Primum ſignum eſt *corpus natura durum.* Ratio eſt, quia non ſolum corpus frigiditate induratur, verum etiã ſiccitate: frigiditas autem indurat cogendo, vt in pernionibus obſeruatur. Siccitas verò exſiccat fibras, quæ deinde diminutè attrahunt; vnde pars exſiccata dura tactu ſentitur.

Argenterius inuehitur contra Galenum: quia dicat corpus à temperie ſicca fieri durum, negatque, ſiccum in corpore viuente habere virtutem indurandi: reddit rationem, quia partes omnes abundant humoribus, quibus flectuntur, & molles ſunt.

Vacillat hic vir: quia durities quæ eſt in parte viuente non conſideratur reſpectu ferri, vel lapidis; ſed corporis temperatiſſimi; molle enim & durum ſunt relatiua: oſſa reſpectu corporis viuentis sũt duriſſima, ſed reſpectu ferri, ſeu adamantis ſunt molliſſima: parietes ſimiliter ſunt duriſſimi reſpectu lignorum; ſunt tamen molliſſimi reſpectu adamantum, vel bombardarum impetus: dum igitur Galen. ait, temperatura frigida, & ſiccã corpus eſſe durum, dicimus intelligere reſpectu corporis temperatiſſimi, quod mollius eſt. Quod enim in Argenterio mouet riſum, eſt, dum dicit in corpore nos accipere tenſum, & ſolidum pro duro; & flaccidum pro molli: negatque durum tangi poſſe, de tenſo verò id concedit; videtur aliam non concipere duritiẽ quam tenſi penis; ille enim non durus, ſed tenſus, & tenſior aliquando, quam par ſit, quod alijs partibus non ita euenit, cenſetque, duritiem eſſe paſſionem partis ſimilaris. Nos verò dicimus, ſimilarem partẽ non tangi, ſed ſolum multas ſimul vnitas; cæterum ſi perpendantur verba Argenterij dicimus quot ſunt, tot eſſe errata; negamus enim durum cõuenire ſolum ſimplici, & ſimilari corpori, non ne habent cauitatem? non ne craneum, & dentes tangi poſſunt? ergo durum conuenit diſſimilari, & tangi poteſt? ſed vt exactè intelligatur quid ſit durum, con-

ſtu

fugiendum eſt ad Ariſtotelem 4. meteor. ſumma cap. 1. vbi dicit, durum eſſe quod non cedit in ſeipſum ſecundum ſuperficiem; ergo dentes, cum ſint huiuſmodi, erunt duri. Similiter Ariſtoteles eodem cap. ait, durum & mollia ad tactum determinantur, excedens enim ipſum dicitur durum, deficiens molle; ecce quod cutis ſi excedet tactum, dicetur dura, ſi deficiet, mollis; durities igitur eſt quid commune tenſioni, repletioni, & congelationi. Hinc Ariſtoteles ſecundo de gener. tex. 13. ait, durum eſſe, quod congelatum eſt; congelatum verò ſiccum eſſe, cutis duri ſpecies in pernionibus obſeruatur; erat igitur probandum ab Argenterio, duritiem eſſe paſſionem ſolius corporis ſimplicis ſimilaris, & non id ſumere ad concludendum, cuius illi nihil conceditur. Quod verò durities à tribus cauſis fieri poſſit, nos docet Galenus 5. ſimplic. capite quarto; vbi dicit, duritiem fieri vel à Scyrrho, vel à congelatione, vel è plenitudine. Si igitur Auctorum loquendi modum imitari conueniet, ex dictis colligemus durum tum ſimilaribus tum diſſimilaribus partibus conuenire poſſe.

1 Dub. ab Expoſitoribus proponitur, eo quia 2. de temperamentis c. 6. ait Gal. ſi à principio habitus eſt frigidus, & ſiccus, habitum corporis eſſe mollem; in hoc c. verò oppoſitum dixit.

Reſpondetur, & rectè Gal. loco citato reijcere quorundam opinionem; qui dicebant, excrementa eſſe ſimilia naturali temperiei; ibique Galenum ſubnectere temperaturam frigidam & ſiccam, quia non rectè concoquit, pituitam generare, quæ eſt actu humida & non ſicca; pituita enim ex cibis, tanquam ex materia, & non ex corpore noſtro generatur. Dum dixit eſſe molles, intellexit id per accidens, id eſt ratione pituitæ euenire; dum verò in hoc loco docet, eſſe duros, intellexit facta comparatione inter temperamenta; frigidum enim, & ſiccū reſpectu tēperatiſſimi, & aliarum temperaturarū erit corpus durum: frigidum verò & humidum facta comparatione cum frigido & ſicco erit molle.

Secundum ſignum, *corpus eſt tenue*, id eſt gracile. Ratio eſt, quia vbi eſt ſiccitas, ibi pauca caro: pauca verò eſt caro; quia fibræ ſiccæ parum attrahunt.

2 Dubitatio, non videtur, quod vbi eſt ſiccitas, ibi corpus ſit tenue & gracile, quia oſſa ſunt ſicca; attamen poſſunt eſſe craſſa, & non tenuia; hæc inſtantia eſt Argenterij contra Galenum.

Solutio facillima eſt, quia Gal. hic loquitur de temperatura frigida & ſicca ab ortu natiuæ, vt omnes fermè interpretantur: fac igitur vt ſit ſiccitas in prima generatione, ſine dubio oſſa non erunt craſſa, ſed tenuia; poteſt tamen contingere, quod ab intemperie frigida & ſicca aduentitia corpora fiant ſecundum carnem gracilia; ſed de primigenia (vt dictum eſt) Galenus intelligit.

Tertium ſignum *corpus eſt glabrum*, id eſt ſine pilis. Ratio eſt, quia vbi corpus eſt frigidum & ſiccum, non fiunt fuligines, ex quibus pili immediatè oriuntur.

3 Dub. non videtur verum, quod à frigiditate, & ſiccitate corpus reddatur glabrum; habet enim Galenus in iis quæ de temperamentis, vbi de pilis loquitur, ſiccitatem concurrere ad generationem fuliginum, ex quibus pili fiunt.

Reſpondetur, ſiccitatem dupliciter conſiderari vel iuncta cum caliditate, vel frigiditate, primo modo dicimus, concurrere ad faciendas fuligines; ſecundo modo negamus; frigidum enim, vbi dominatur, ſit quantauis ſiccitas, impedit ne fuligines fiant.

Quartum ſignum; *corpus tangentibus frigidum ſentitur.*

4 Dubitatio; non videtur hoc ſignum vniuerſaliter verum; quia ſi (cauſa exempli) fuerint duo homines frigidæ temperaturæ; ſemper frigidior ſentiet alium calidum; quomodo igitur ab illo frigidum ſentietur.

Reſpondetur ſignum eſſe verum, facta comparatione ad temperatum hominē, ſi igitur temperatus tanget hominem frigidæ temperaturæ ſentiet illum actu frigidum; ſimiliter qui eſt calidior temperato, ſi tetigerit temperatum illum perſentiet actu frigidum.

Quintum; *habent pinguedinem per carnes diſperſam.* Ratio eſt, quia in frigida tēperatura ob caloris paupertatem pinguedo neceſſariò concreſcit; corpus enim ca-

lere

lore ſpoliatum non attenuat, vel reſoluit portionem pinguẽ, quæ eſt in ſanguine.

5 Dubitatio, videtur Gal. ſibi contradicere ſupra enim dixit, corpus eſſe gracile: hic vero dicit, in carne eſſe ſparſam pinguedinem, quomodo igitur corpus frigidum, & ſiccum erit gracile, & pingue?

Reſpondetur, Galenum non dixiſſe frigidos, & ſiccos eſſe pingues; ſed pinguedinem ſolum eſſe per carnes diſperſam, quod ſignificat pinguedinem eſſe in pauca quantitate; quia ita pauca ſemper comitatur ſanorum hominum gracilitatem, de quibus hic agitur.

6 Dubit. dicit Galenus, aliquam pinguedinem per carnes diſperſam indicare habitum frigidum & ſiccum; hoc ſignum videtur vanum; quia quis eſt ille qui penetrare poteſt, an corpus gracile habeat hãc pinguedinem per carnes diſperſam? nemo ſanè: quia hoc non poteſt videri, niſi viuens ſecetur.

Reſpondetur, muſculos corporũ gracilium, ſi ſint aliquantulum teretes, habere pinguedinem per carnes diſperſam, vt experientia anatomiæ percipitur; ſi verò nullo modo ſint teretes, ſed exiles, & flaccidi, nulla per carnes pinguedo inſpicitur.

7 Dub. dantur in aliquibus qui ſunt frigidi & ſicci carnes, quæ nullam habent pinguedinem diſperſam. Quare Gal. inter ſigna habitus frigidi & ſicci potius debebat collocare carnes flaccidas & ſine pinguedine, quam cum pinguedine.

Reſpondetur illos qui habent carnes ſine vlla pinguedine non collocari in ſanorum numero, de quibus agit hic Gal. ſed in numero corporum conualeſcentium, vel decidentium, de quibus non agitur hic.

8 Dub. debebat aſſerere in temperatura frigida & ſicca, multam eſſe pinguedinem non ſolum in carne, verum etiam circa membranas, vbi enim eſt maior frigiditas, ibi eſt copioſior pinguedo; quia à frigiditate fit.

Reſpondetur, falſum eſſe aſſumptum, quod ſcilicet vbi maior eſt frigiditas, ibi copioſior fiat pinguedo; immo in valdè ſenibus ob nimiam frigiditatem pinguedo amittitur; ex Galeno enim 2. de temperamentis, portio ſanguinis pinguedinem efficiens eſt aerea, & temperata, calida ſcilicet & humida; ideo homines quo magis ſeneſcunt, eo magis hac portione aerea & pingui priuantur. Ad argumẽta dicimus, in frigidis & ſiccis paucam eſſe pinguedinem; quia eſt pauca portio ſanguinis aerea quæ calida & humida eſt; quęque in his magis concreſcit in carne, quam in membrana; quia membrana ob eius nimiam frigiditatem impedit ne fiat coctio, & pinguedo; omne enim quod fit a ſimile fit; pinguedo eſt calida & humida; ideò in membranis frigidioris & ſiccioris corporis non ita fiet, ſicuti in carne quæ in omni habitu ſua natura magis participat de calido & humido, quã membrana. Similiter ſicut in valde ſenibus, ſeu in parte nimium frigida non fit pinguedo ob diſſimilitudinem generantis, & rei genitæ, ſic in ijs qui nimium calidi ſunt, fieri non poteſt. Hinc Gal. quinto de temperamentis circa finem ait, pinguedinem, in parte præcalida non coire.

Sextum; *capelli, et color ſequuntur proportionem frigiditatis.* Nonnulli arbitrantur, frigidos, & ſiccos, quia ſunt melancholici, eſſe brunos quo ad cutem, & pilos; quod repugnat Galeno 2. de temperamentis cap. 6. vbi ait, frigidorum, & ſiccorum corpora eſſe alba, mollia, ac debilia, quia in ipſis ob coctionem diminutam, dominatur pituita; in omni enim corpore debili ſit ſiccum, vel calidum, vel humidum, multa pituita accumulatur quæ deinde efficit colorem album; licet vbi multa ſit frigiditas color albus fiat liuidus, vbi pauca, pili (vt ſuperius dixit Galenus,) et cutis ruffi coloris; legitur enim in codice Græco πυῤῥότερα, quod verbum ſignificat fulgidum colorem, qui nõ eſt albus, vergit tamen magis ad album, quam vergat flauus. Pręterea in frigidis, et ſiccis totum corpus eſt glabrum: in partibus tamen, vbi pili generantur ex Galeno cap. de temperatura frigida & ſicca cerebri pili pauci, & ruffi ſunt.

CAPITIS LVII.

Particula II.

Tex. 68. *Vbi verò calida, & ſicca temperatura in tempore decrementi, & in frigidum, & ſiccum*

ſiccum labitur habitum, tunc hi graciles fiunt,& duri,atq;atra bilis in eis dominatur,& ob id nigri ſimul,& hirſuti euadũt: vbi igitur altera qualitas plurimum dominatur,altera verò parum à mediocritate recedit,ſuperabunt eius,quæ dominatur, exilia autem erunt alterius qualitatis indicia.

IN hoc tex.duo facit: primo tradit ſigna temperaturæ frigdæ & ſiccæ, quæ talis facta ſit tempore decrementi ex permutatione calidæ & ſiccæ temperaturę:ſecundo dat pręceptũ commune inſeruiens cæteris temperaturis compoſitis:hocque eſt;vbi altera qualitas temperaturæ compoſitæ multum prædominatur, ideſt multum à temperatiſſimo recedit, & altera parum, ſigna prædominantis qualitatis ait ſupetare: quia intenſa & magna ſunt; ſigna verò qualitatis non dominantis eſſe exilia.

Primum ſignum temperaturæ frigidę, & ſiccæ ex permutatione calidæ, & ſiccæ *habitus ſiunt graciles.*

Temperatura frigida & ſicca illorũ ſenum qui in iuuentute fuerunt calidi, & ſicci efficit corpora magis gracilia,quam ſi fuiſſent temperaturæ frigidæ & ſiccæ: ratio eſt: quia caliditas, & ſiccitas impedit,ne generetur pinguedo:frigiditas verò nullo modo impedit: ſed fauet: non enim poteſt fieri pinguedo ſine proba coctione: quo fit vt rectè dicat Ariſt.3.de hiſt.animal. 19. pinguedinem eſſe finem probæ coctionis; at quomodo poteſt fieri proba coctio in corpore frigido & ſicco, quod antea calidum & ſiccum fuerit?

Secundum ſignum,*ſunt duri*,ratio eſt, quia frigiditas, & ſiccitas ad efficiendam duritiem concurrunt.

Quæritur tamen, qui nam ſint duriores; an illi qui natiuitate frigidi, & ſicci ſint, vel illi qui ex permutatione tēperamenti calidi, & ſicci in ſenectute facti ſint frigidi & ſicci?Reſponderi poteſt hoc modo; qui ſunt tales ex permutatione temperamenti calidi in frigidum, eſſe duriores quam frigidi & ſicci à natiuitate; in ijs enim qui natura frigidi & ſicci ſunt, pituita multa generatur, quæ deinde mollitiem aliquam præbet, vt docet Galen.5. de temperamentis circa finem, quod alijs non accidit.

Tertium ſignum:*in his dominatur atra bilis:* Per hoc ſignum diſtinguuntur illa corpora frigida & ſicca, quæ in iuuentute fuerint calida,à corporibus frigidis,& ſiccis ab ortu naturæ, in quibus atra bilis non dominatur.

1 Dub.oſtendimus ſuperius ex Gal. lib. de atra bile;3.de locis,affectis c.7.& alibi, quod melancholia ſeu atra bilis ſit trium generum,alia eſt naturalis,quæ eſt frigida,& ſicca; quæque eſt fæx ſanguinis,diciturq;à Gal.humor niger;alia eſt melancholia naturalis,ſed aduſta;alia verò atra bilis,quæ fit ex aduſtione bilis flauæ; non videtur quod intelligat de hac atra bile furioſa exedente,quæ fit à bile flaua aduſta;quia hæc in ſenibus, de quibus hic loquitur, non dominatur; neque videtur quod intelligat melancholiam naturalē; quæ eſt frigida & ſicca, tum quia Galen. hanc non appellat atram bilem,ſed nigrũ humorem; tum quia hæc corpora frigida non diſtinguerentur ab illis, quæ ab ortu naturę frigida,& ſicca ſunt; neque videtur intelligere melancholiam naturalem aduſtam, quia in corporibus frigidis & ſiccis hæc aduſtio non viget.

Reſpondetem, Gal. hic per atram bilē intelligere illam, quæ ex fæce ſanguinis aduſti fit;nullum viuens caret melancholia naturali, quæ eſt pars craſſior ſanguinis; immo ſi animal ea horæ tractu careret,non viueret,vt ex Hipp.lib. de natura humana alibi probauimus; hæc tamē naturalis melancholia in calida, & ſicca tēperatura adnritur; inueniturque ſemper in illis corporibus frigidis & ſiccis à permutatione,& non illis, qui ab ortu naturæ talia ſunt: hæcque longo tempore cōſeruatur; quæ eſt illa quæ homines hypocondriacos facit, à quorum corporibus difficillimè eradicari poteſt, vidi multoties ſenes factos frigidos & ſiccos, qui in iuuentute erant calidi & ſicci,qui hac fęce aduſta quam maximè vexabantur.

Quartũ ob id *nigri,& hirſuti euadunt.* Hoc ſignum inſequitur atram bilem, ideſt fæcē ſanguinis aduſtam: hæc eſt ſua natura nigra: efficitq; cutim nigram, & pilos multos & nigros; huiuſmodi ſunt, qui in carceribus diutiſſimè degunt;portio enim ſanguinis craſſioris ob mærores,

res,& timores,& ob perſpirationes veritas aduritur, vndè fuligines copioſæ, à quibus pili multi, & nigri fiunt.

(Vbi verò) Gal. repetit hìc præceptum ſuperius traditum pro dignoſcendis qualitatibus remiſſioribus, & intenſioribus compoſitarum temperaturarum dicens, qualitatem valdè recedentem à temperato prædominari, & omnia ſigna qualitatis parum recedentis ſuperare.

CAPITIS LIX.

Particula II.

Tex. 68. *In omnibus verò de quibus ſupra diximus, & poſtea dicemus, commune eſt temperatura inditiū, ſi membrum facilè frigeſit, vel frigiditatis, vel raritatis. Si vero non facilè vel caliditatis, vel denſitatis. Si verò à deſiccantibus offendatur, & aridum, & ſiccum & non facilè mobile fiat ſiccitatis quemadmodum & ſi ab humectantibus grauiter ſe habeat, humiditatis.*

IN hoc tex. docet, quomodo poſſint dignoſci temperaturæ per iuuantia, & lædentia; diuiditq; textum in duas particulas; in prima oſtendit quomodo corporis partes refrigerentur, vel calefiant; in ſecunda quomodo exſiccentur, & humectentur.

Quo ad primam partem ait, corporis partes bifariam poſſe facilè frigefieri, vel calefieri; primò ob temperaturam frigidam illius partis: ſecundò ob raritatem: poteſt enim contingere, quod corpus calidum ſit adeo rarum, vt facillimè ab externo frigore refrigeretur: ſimiliter ait, aliquam partem difficilè frigefieri, vel ob caliditatem illius partis, vel ob denſitatem; poteſt enim eſſe pars temperaturæ frigidæ adeo denſa, vt frigus illam non penetret. Hinc piſcatores tempore frigidiſſimo ob illorum cutis denſitatem ab externo frigore vix læduntur; ſimiliter, qui in delitijs viuere conſueuerunt, ſi fiāt hæremitæ, nudiſq; pedibus incedant, primis diebus, antequā cutis calor obducatur frigore torquentur: aſſueti tamē nullum frigus amplius patiuntur: eandem cauſam refert Gal. libro de aſſuetudine dicens, frigus aſtringere, & adeo denſare poros, vt calor, qui è corporibus viuentibus exhalare ſolet, detineatur, & detentus creſcat, vndè pars primò calefiat, deindè à calore exſiccetur. Eadem eueniunt ijs, qui diu ſub ſole degunt; calore enim radiorum prius exſiccantur, quo fit, vt non ita ab externo calore calefiant; tota hæc doctrina eſt Galeni loco citato. Similiter carcerati quorum pedes igne ſunt torrēdi, ne ita ſentiant igneum ardorem tota nocte nudis pedibus incedāt vt duri calli fiant; vel vtuntur emplaſtro diacadmia quod maximè valet ad indurandas cicatrices. Nos quoque de hac re fusè egimus lib. 4. methodi noſtræ vitandorum errorum cap. 6.

His hunc in modum conſtitutis non valebit amplius dicere, pars corporis facilè frigeſit, ergo eſt temperaturæ frigidæ: quia pars rara, quæ vt plurimum calida eſt, facilè frigeſcit; ſimiliter non valebit, pars corporis difficilè frigeſit, ergo eſt temperaturæ calidæ; quia poteſt eſſe temperatura frigida cum pororum denſitate: quod diximus de frigiditate, idem dici poteſt de caliditate. Ex his colligimus locum à iuuantibus & lædentibus pro dignoſcendis temperaturis non eſſe inter propria, ſed cōmunia ſigna collocandum.

Similiter hìc animaduerti poteſt, quam inexcuſabilis ſit Argenterij temeritas, dum in quolibet capite Gal. reprehendat, quia non propoſuerit locum à iuuantibus & lædentibus. Nec miſer animaduertit, Galenum his, & alijs in locis admonere in omni temperatura dignoſcenda eſſe obſeruandum locum à iuuantibus, & lædentibus tamquam communem omnibus intemperaturis: ſi Galenus hæc loca ita communia in quolibet capite propoſuiſſet, non ne fuiſſet hæc tam frequens eiuſdem rei repetitio vana? voluit tamen in hoc poſtremo capite colligere hæc cōmunia præcepta, inter quæ eſt locus à iuuantibus, & lædentibus, neque amplius de illo mentionem facere.

Præterea erat rationi conſonum, vt Galen. antequam de iuuantibus, & nocentibus verba faceret, diſtingueret iuuantia, & nocentia per ſe, ab ijs quæ iuuant & nocēt pér accidens, quod facit in hoc cap. docet enim Ariſtotel. 1. Cæli tex. 110. & Galen. 2. de differ. pul. cap. 3. omne

ne multiplex prius eſſe diſtinguendum, quam definiendum. Similiter lib.de conſtitutione artis medicæ cap. 14. ait Galenus, medicos plures errare, dum non diſtinguunt quæ per ſe, ab iis quæ per accidens calefaciunt; habet enim ibi hæc verba, ſpectabit ad medicum ne in eum illabatur errorem, in quem, qui putant frigidam aquam in omnibus quæ refrigeratione egent conuenire, & calidam in iis, quæ calefactione, ignari ex accidenti fieri ſæpè, vt frigida calefaciant, calida verò refrigerent.

Ex dictis à Galeno in tex. colligimus, has duas concluſiones, primã, ſi quis facilè ſentiat frigus, & corpus non ſit rarũ, corpus eſſe temperaturæ frigidæ; ſecundam, ſi corpus facilè ſentiat calorem, & ſit denſum, eſſe temperaturæ calidæ.

Quo ad ſecundam partem, duo dicit, primum, quomodo corpus lædatur ab exſiccantibus: ſecundũ, quomodo ab humectantibus. Ait, primò, ſi particula aliqua corporis ab externis exſiccãtibus facilè lædatur, illam eſſe temperaturæ ſiccæ: docenſq; quomodo cognoſcatur, quãdo ab externis exſiccantib. aliquod membrum lædatur, ait, tunc lædi, quando in motu corporis particula ita exſiccetur, vt acquirat hanc læſionem, vt difficilè flecti poſſit. Valebit ergo hæc conſequentia, ab externis exſiccantibus membrum aliquam læſionem in motu acquiſiuit, ergo illius partis temperatura facta eſt ſiccior. Præterea in hoc tex. docet, quando corpus ab externis humectantibus lædatur: aitque, ſi pars aliqua grauabitur ab humidis externis, inde colligendum, corpus eſſe humidæ temperaturæ.

QVÆST. LXXIX.

Cur aqua calefacta citius congeletur.

Qvod aqua calefacta citius ab externo frigore congeletur eſt ab omnibus receptum, & præcipuè ab Ariſt. qui primo meteor. ſumma 3. cap. 2. ait, aquam præcalefactam citius congelari; quia citius infrigidatur; ſimiliter in eodem capit. ſubdit: aqua ſi prius ſoli expoſita fuerit, citius deinde infrigidatur; cauſa verò iſtius quæ ſiti non eſt ita facilis; Ariſtot. enim ait, citius congelari; quia citius infrigidatur, ſed quæſtio eſt, cur citius infrigidetur.

Alexander Aphrodiſæus libro 1. naturalium queſt. c. 6. habet hęc verba, aquam calefactam, & poſtea frigefactam eſſe magis tenuem, & ſubtilem quam antea; putat igitur tenuitatem eſſe cauſam, cur frigus citius penetret.

Albertus Magnus de paſſionibus aeris cenſet, aquam calidam facilius congelari quia frigus facilius ingrediatur.

Curtius ait, aquam calidam facilius cõgelari, quam frigidam; quia poſtquam æquè frigida reddita eſt, & æquè denſa fiant poroſitates, per quas aer facilius ingreditur, & citius congelet. Reijcitur hęc opinio; quia aqua non eſt poroſa.

Oddus in hoc comm. ait, aquam calidam citius congelari; quia dum eſt calida, aer frigidus ad interiora aquæ ſtatim penetrat, quod non conueniet aquæ frigidæ non antea calefactæ.

Ego autem puto, aquam frigidam antea calefactam fuiſſe redditam tenuem, & minus reſiſtentem, & oppugnantẽ externo frigori; citiſſima enim eſt agentis victoria ſi patiẽs parum reſiſtat: quod verò aqua cocta ſit tenuior, patet ex citiſſima penetratione, & ex leuiori pondere.

CAPITIS LIX.

Particula IV.

Tex. 89. *Inſpicere autem oportet ſi eandem omnes muſculi ſeruant temperaturam, vel minimè eandem, atq; in omnibus oſſium quantitatem. Nonnunquam enim gracile videtur membrum, cum tamen non ſit gracile, quo ad muſculos attinet, ſed propter oſſium tenuitatẽ tale videtur, ſic & craſſius quibuſdam plerumq; apparet, non ob oſſium amplitudinẽ, ſed ob multitudinem carnis, qua vel aucta, vel comminuta, vel durior aut mollior effecta, ſiccius, aut humidius membrũ oſtendit. Pauca igitur ac dura ſiccius: multa autem, & mollis, humidius. Sic, & intermedia ſpacia ſimilarium corporum, vel plus, vel minus humida ſubſtãtia in ſeipſis continent & vel craſſius, vel tenuius, vel humidius, vel ſiccius membrũ oſtendunt. Humidus quidẽ vbi ſubtilior, & plurima eſt humiditas, ſiccus, verò*

ybi

vbi craſſior, ſimul, & minor: Ipſa enim ſolida corporis partes quæ verè ſolida ſunt, ac prima, nullo modo poſſunt effici humidiores; at ſatis eſt, ſi quis eas celerius exiccari prohibeat. Intercepta autem in ipſis ſpacia, hac vel illa humiditate complere poſſibile. Hæc verò eſt proprium partium ſimilarium alimentum, quod ex appoſitione fit, & non per vaſa attrahitur. Communis autem hæc ratio, & omnium partium exiſtit. Et iterum inſalubrium, atque inſalubrium cauſarum doctrina repetetur; nunc autem ea quæ ordine ſequuntur attingamus.

HActenus Galen. tradidit ſigna pro cognoſcendis omnibus totius corporis habitibus, vel muſculorum temperaturis. In hoc text. verò dat nobis quatuor documenta obſeruanda, ne in dicta contemplatione decipiamur. Primum eſt deſumptum ab vniformitate, & proportione muſculorum omnium. Secundum ab oſſibus. Tertium à duritie, vel mollitie carnis; dura enim indicat ſiccitatẽ; mollis verò humiditatem. Quartum ab humiditate quæ eſt in ipſa carne.

Primum documentum, quod pertinet ad muſculos, eſt, vt videamus, an omnes muſculi ſeruent eandem temperaturam, ideſt proportionatam, & alijs reſpondentem; Ratio, cur Galenus tradat hoc documentum, eſt; quia non licet ex temperatura aliquorum muſculorum, totius corporis habitus temperaturam colligere: non enim valet conſequentia à parte ad totum; argumentum enim eſt vitioſum, exploſumque ab Ariſtotele ſecundo perihermenias, vocaturque à diuiſis ad coniuncta; quod argumentum eſt in prima figura cum maiori particulari, reijcitur ab Ariſtotele ſecundo priorum: quia in ipſo medius terminus continetur à minori extremo, quod eſt monſtruoſum.

Hinc Galenus ſecundo de temperamentis c.6. reprehendit nonnullos, qui ex temperatura vnius partis, ex caluitio ſcilicet inferebant temperaturam totius eſſe ſiccam; aliquando enim contingit pericraneum eſſe ſiccum, totũ vero corpus humidum; non valet igitur Socrates habet caluitium, ergo ſecundum totum habitum eſt ſiccus: meritò igitur Diuiniſſimus Galenus, cui nihil deficit, admonet in prima parte textus inſpiciendam eſſe temperaturam & ſimilitudinem, ſeu proportionem omnium muſculorum: quia partes, quæ ſunt diſſimiles non indicant totum temperaturum: multi enim habent crura ſicca, & faciem, & collum craſſum; vel manus, & brachia carnoſa, & cætera gracilia, ex his ſanè quomodo ſe habeat totum non addiſcimus; ſed ex conſenſu, & proportione omnium muſculorum.

Secundum documentum, quod pertinet ad quantitatem oſſium, eſt dum pars aliqua corporis eſt gracilis ob tenuitatem oſſium; & non ob muſculos, ab oſſibus non impediri cognitionem temperaturarum muſculorum. Admonet igitur hic Galenus, eſſe diſtinguendam gracilitatem, quæ pendet ab oſſibus, ab illa quæ à muſculis; gracilitas enim pendens ab oſſibus non indicat ſiccitatem; ſimiliter contingere poteſt, aliquam partem eſſe craſſam, & magnam ob carnis copiam, & non ob oſſium magnitudinem; quo caſu magna humiditas indicatur. Inde colligit Galenus pro tertio documẽto quomodo pauca, vel multa caro indicet tẽperaturas; dicitque carnẽ imminutam, vel duriorem effectam ſiccum indicare temperamentum; carnem vero multam, & mollem, temperamentum humidum.

1 Dubitatio; Galenus videtur diminutus; quia dixit, paucam & duram carnem indicare ſicciſſimum temperamentum, multam verò, & mollem humidiſſimum; nihil tamen dixit, quid indicet multa, & dura caro.

Reſpondent Expoſitores, quod repugnat dari multam, & duram carnem; quia de ratione carnis eſt mollities. Reſponſio hæc non probatur; tum quia, ſi de ratione carnis eſſet mollities, nihil dixiſſet de pauca, & dura carne, tum quia experientia comprobatur, carnoſos aliquando ob aliquam ægritudinem fieri duros carne.

Reſponſio verior eſt, quod Galenus loquatur de corporibus in latitudine ſanitatis permanentibus; ideò negamus dari carnoſos ſanos exſiccatos; eſto igitur, quod ob ægritudinem carnoſi duras car-

nes acquirant, dicimus, quamdiu duritie præditi ſunt, illorum corpora extra latitudinem ſanitatis contineri, de quibus hic non eſt agendi locus.

Tertium documentum explicat, dum dicit intermedia ſpatia ideſt meatus internos ſimilarium corporum ideſt carnis, & partium ſpermaticarum, prout in ipſis humiditas in maiori, vel minori copia continetur, indicare omnes muſculos ſeu habitum totius corporis, quod idem ſignificat, eſſe craſſiorem, vel tenuiorem, humidioremque, vel ſicciorem: quare docet, tunc muſculos, vel habitum totius eſſe humidiorem, quando partes ſimilares omnes plurima tenuique humiditate erunt imbibitæ: eſſeque ſicciorem quando partes ſimilares erunt craſſioris, & paucioris humiditatis. In hoc loco duo ſunt notatu digna: primum, quod per partes ſimilares intelligat carnes & ſpermatica omnia. Secundum, quod Galenus per humiditates non intelligat ſanguinem, quia in ſpatijs carnium non eſt, ſed in vaſe communi: ſed humiditates primigenias, quæ quatuor humiditatibus fouentur: de his Auicennas prima primi, & Galenus in methodo mentionem faciunt, & vocantur ſecundæ humiditates, quæ quatuor ſunt; prima exiſtit in extremitatibus capillarium; ſecunda eſt ros, ideſt humor, qui iam eſt egreſſus è venis capillaribus: tertia cambium vocatur: quarta gluten. Notandum per rorem intelligi humiditatem, quæ à venis capillaribus exudat, & recipitur in medijs ſpatijs ſiue in meatibus internis ſimilarium partium; deinde partes ſolidæ hoc rore implentur, tuncque non rorem, ſed cambium vocari; demum cambium fit gluten, dum aſſimilatur: ſed de his paulo infra diſputabimus.

Quartum documentum deſumitur nō ab humiditate, quæ eſt in meatibus ſiue in ſpatijs, quæ humiditas vocatur ros, ſed ab humiditate quæ eſt in carne, & in partibus ſpermaticis: loquendo igitur de hac humiditate, valet dicere, humiditas eſt tenuior, & multa in ſpermaticis, ergo temperatura eſt humida: ſimiliter humiditas hæc eſt pauca, & ſpiſſa, ergo temperatura eſt ſicca.

2 Dubitatio, videtur quod Galenus incidat in manifeſtiſſimam principij petitionem; quia probat temperaturam eſſe humidam per medium ignotiſſimum ideſt, quia in ſpermaticis humiditas eſt tenuior & multa: at ſic eſt, quod quando eſt talis humiditas in internis partibus, an ſit tenuis, & multa eſt ignotiſſimum, ergo. Probat ſimiliter ex ignotis temperaturam eſſe ſiccam: quia in partibus humiditas ſit pauca, & ſpiſſior, quod ſimiliter eſt ignotius quæſito.

Solutio facilis eſt, quia facilè dignoſcimus multam eſſe humiditatem in ſpermaticis, quando non leui de cauſa, & citò exſiccantur: ſunt nonnulli, qui ſunt huberes, & craſſi, attamen leuiſſima de cauſa fiunt graciliores; iſti non dicuntur humidi quo ad ſolidas, & ſimilares partes, ſed potius ſicci. Aliqui quoq; ſunt, qui videntur graciles, tamen poſt multos labores non exiccantur, ſed in eodem ſtatu perſeuerant; tales humiditatem intrinſecam in ſpacijs (ſicuti eſt ros, & cambium) multam, & ſpiſſam habent: hæc igitur eſt illa humiditas, quę indicat humidam muſculorum temperaturam; humiditas verò externa, quæ reddit hominem tuberē, non indicat temperaturam muſculorum humidam; ſicuti accidit hydropicis, quorum carnes ſunt humiditate externa refertæ, ſunt tamen ſicciſſimæ quo ad humiditatem ſubſtantificam.

Notandum, Galenum loqui hìc de partibus corporis, quæ verè ſolidæ ſunt, & primæ; per verè ſolidas, & primas intelligere omnes ſpermaticas, & non oſſa tantum, vt Curtius interpretatur: de his igitur partibus Galenus ait, non poſſe effici humidiores, intelligendo de humiditate primigenia acquiſita in prima cōſtitutione, quæ radicalis dicitur. Prudens Medicus poterit prohibere, ne hæc humiditas radicalis celerrimè exſiccetur conſeruando & retinēdo in tenuiſſimis meatibus radicalem humiditatem, (quæ vt dictum eſt) non eſt ſanguis, qui per venas transfertur ad has partes ſpermaticas, ſed ros, cambium, & gluten, quod eſt harum partium ſimilarium proprium, & immediatum alimentum: Qui igitur diutiſſimè viuere cupit prohibeat, ne hoc pabulum reſoluatur, id enim efficiet roborantium

tium vſu. Quod verò diutiſſimè protrahi poſſit vita, patebit ex mirabili hiſtoria à Galeno relata libello de macie, vbi refert ſuis temporibus fuiſſe Philoſophum ſummæ exiſtimationis, qui librum edidit de admirabili Ageraſſia, in quo docebat, quomodo humana corpora non ſolum reddi poſſint maximè longæua, ſed etiam immortalia, & inſeneſcentia, neque Galenus illum irridebat, ſed ſummis laudibus extollebat, quinimò tātum abeſt, vt putaret quæſitum eſſe chimericum, vt dicat ſe in libris de demonſtratione probaſſe hoc principium, omne genitum eſſe corruptibile non eſſe neceſſarium, ſed inter limites probabilitatis cōtineri. Scopi quibus præcaueri, & præſeruari poſſint corpora, ne moriantur, vel ſaltem, vt diutiſſimè viuant duo ſunt; primus, vt quod amittitur quotidiè reſarciatur ab humiditate contenta in ſpatijs, de qua re Galenus libro ſequenti aget: Secundus, vt prohibeatur, ne celerius exſiccetur humiditas natiua, de quibus ſcopis fuſius agemus in libro de ſequenti.

3 Dubitatio, Galenus in tex. appellat quaſdā partes verè ſolidas, & has inquit eſſe ſpermaticas: quare caro & pinguedo, quæ inter ſpermaticas non collocantur, non erunt verè ſolidæ: relinquitur ergo, vt ſint humores, vel ſpiritus: quia ex Hippocrate 6. epid. & Galeno 12. methodi cap. 2. omnes partes corporis ſunt, vel continentia, ideſt partes ſolidæ, vel contenta, quæ ſunt humores, vel vt ait *ὁρμῶντα*, ideſt impetum facientia, quæ ſunt ſpiritus.

Reſponſio eſt facilis: quia Gal. dum in tex. dicit, ſolidas verè partes (addit) & primas: at ſic eſt, quod ſpermaticæ ſolæ ſunt verè ſolidæ & primæ: caro verò, & pinguedo ſunt partes ſolidæ, ſed non primæ: quia poſt primas generantur.

4 Dubitatio: Galenus inter ſpatia ſimilarium ait, dari humiditates: hoc videtur ſuis principijs repugnare: quia lib. 7. methodi cap. 2. concedit tantum quatuor humiditates: primam eſſe in capillaribus; ſecundam eſſe inſtar roris. Tertiam, cambium: Quartam vt gluten. De his Auicenna 1. 1. cap. de humoribus fuſè quoque loquitur. Quod hæc humiditas, quam Galenus ait eſſe in ſpatijs, non ſit aliqua ex quatuor, patet, quia non eſt prima; hæc enim eſt in venis capillaribus, non ſecunda, tertia, & quarta, quia hæ ſparſæ ſunt per ſimilarium ſubſtantiam; ergo vel Galenus fallitur; vel dabitur quinta humiditas.

Argenterius propoſuit hanc dubitationem, eamque, vt carpat Galenum, reliquit vt inſolubilem, ſed non parum vacillat: quia dicimus, hanc humiditatem eſſe illam, quæ inſtar roris eſt: roremque eſſe diſperſum per ſubſtantiam ſimilariū, eſſeque in meatibus, & poroſitatibus illarum partium: ſpatia enim ſimilarium ſunt earum poroſitates; quia partes ſimilares non habent alia ſpacia præter poroſitates.

QVÆST. LXXX.

An moderata temperatura ſemper edat operationem perfectiorem alijs temperaturis, & magis reſiſtat.

MVlti putant eſſe Gal. ſententiam, quod moderata tēperatura edat operationes perfectiores, & magis externis offenſionibus reſiſtentes quā ſingulæ aliæ octo intemperantiæ. Fundamentum illorum eſt deſumptum à cap. 8. huius libri, & à lib. de conſt. art. med. vbi ex perfectione operationum Galen. colligit optimam, & moderatam temperaturam. Quomodo vero ſit intelligēdus Gal. inferius declarabitur.

Reijciuntur, qui ita communiter, & ſine aliqua limitatione de hac re loquuntur; quia eorum opinio aduerſatur experientiæ, rationi, & Galeno. Experientiæ, quia bruta, quæ ex Galeno non ſunt ita temperata, vt perfectiſſimus homo, perfectiores edunt operationes; ſi enim de viſione loquamur, Aquila acutius videt; ſi de odoratu, ſunt vultures qui vt refert Auerr. 2. de anima olfecerunt corpora occiſa in bello Troiano procul ad quingenta milliaria: ſimiliter canes mirabili olfaciendi virtute venantur ſuos dominos; ſi de fortitudine loquamur, Leones ſuperant omnia animantia, ergo perfectiores operationes non conueniunt homini temperatiſſimo.

His experimentis in cõtrarium adductis ſunt qui reſpondent, quod Aquila, quamuis acutius videat, & Vultures, & canes melius olfaciãt, tamen nec Aquilam, nec Vultures perfectiori modo videre,& olfacere. Quid verò intelligant per hunc modum perfectiorem neſciunt ſe explicare. Qui tamen clarius loquuntur dicunt, Aquilam non videre in omni diſtantia, & cum pauco, & multo lumine, vt vident homines: ſed ſolum cum quodam lumine ſibi proportionato. Hęc reſponſio eſt mera fuga: immo aduerſatur Galeno, vt infra patebit.

Ex altera parte ratione comprobari poteſt temperamentum æqualis aliquando minus reſiſtere externis offenſionibus, quam intemperatiſſimum; age, non ne temperamentũ æquale eſt vicinius calori ardenti & febrili, quam frigida temperatura? ergo temperatiſſimũ erit magis diſpoſitum ad febrẽ, quam frigida intẽperies. Quod diximus de diſpoſitione ad calidos affectus, idẽ dici poteſt de diſpoſitione ad frigidos: nõ ne temperatiſſimũ eſt vicinius frigidæ intẽperiei, quam calida intemperies? quare temperamentũ, quod eſt in medio extremorum nõ rantum reſiſtet, quantum extrema inter ſe.

Demum eſt Galeni, Hippocratis, & Ariſtotelis auctoritas, Gal. enim 8. meth. cap. 8. ait inter octo temperamenta inæqualia quatuor promptius in febrem illabi, quam æquale, & quatuor multo minus: quia temperamentũ frigidũ & humidum non tam promptè febre corripitur, quam æquale: idem etiam dicit de temperamento frigido & ſicco. Similiter lib. de optima corporis conſtitutione ait temperamentũ ſiccius moderato ab humectãtibus minus offendi, quam æquale & moderatum: temperamentum verò humidus moderato minus quoque lædi à ſiccis, quam moderatum Hippocrates parimodo libro de aere, locis, & aquis dicit, homines degeneres inter Aſiã & Europam eſſe tẽperatiſſimos, quia regio illa eſt temperatiſſima; ſed ait non eſſe veriſimile vt virilitas, laboris tolerantia & audacia illis innaſcantur; ecce quod temperatiſſimo homini nõ conueniunt plurimæ operationes in eſſe perfectiori: immò videtur, quod ſi vnica cõueniat perfectiſſima, cæteræ imperfectiori modo conueniant. Ariſt. quoq; videtur referre perfectiores operationes ad exceſſum, quam ad moderatũ, ait enim lib. de mẽ. & re. benè illos memorari, qui in exceſſu ſunt ſicci; benè apprehendere, qui ſunt in exceſſu humidi: ecce quod perfectiores operationes videntur potius cõuenire intemperatis, quam temperatis. Idem confirmatur auctoritate Gal. text. 12. huius, vbi habet, ſiccos magis valere memoria, quam temperatos; atq; primo de ſanitate tuend. cap. 6. ait, operationes naturales eſſe perfectiores in ætate diſtemperata, vt in pueritia, quam in temperata, vt in adoleſcentia.

Hugo Senenſis videns tot difficultates meditatus eſt reſponſionem, quæ deinde in ore ſtudioſorum ſæpè auditur: dicebat enim operationes in homine tẽperatiſſimo conſiderari dupliciter, vel collectiuè, ideſt multas ſimul, vel diuiſiuè, ideſt vnicam ſeorſum ab alijs; poſita hac diſtinctione inquit in homine temperatiſſimo operationes collectiuè eſſe perfectiores, ſed non diuiſiuè.

Impugnatur hęc opinio Hugonis à Iacobo de partibus; Nos ſimiliter eam reiecimus, eo quia negamus, plures operationes collectiuas eſſe abſolutè perfectiores in tẽperatiſſimo; quia ex dictis ſuperius patet in recedentibus à temperatiſſimo plures operationes collectiuè ſumptas gradum perfectiorẽ obtinere.

Nos pro reſolutione dicimus, duo hic quærẽda eſſe; primũ an temperatiſſimũ magis reſiſtat alijs: Secundũ, an temperatiſſimũ edat operationes perfectiores. Quo ad primũ an ſcilicet magis reſiſtat externis incurſionibus, dicimus faciendam eſſe comparationem inter ea quæ ſunt eiuſdẽ generis, ideſt extrema inter ſe, & media inter ſe; quo poſito dicimus, temperamenta, quæ non ſunt in medio, parum reſiſtere cauſis eiuſdem generis; temperamẽtum verò quod eſt in medio multum reſiſtere; exempli cauſa temperatura frigida, cum qua vita minimè ſtare poteſt, ſit A, maxima caliditas, cum qua homines non viuunt ſit B, dicimus temperamentum medium inter A & B. magis reſiſtere, quam intemperaturæ, quæ vergunt verſus A & B. Conceditur,

facta

facta illa conſideratione, an magis temperatura media reſiſtat A, ideſt calori, quam reſiſtat B, ideſt frigus ipſi A, quod tunc tantum intemperaturæ magis reſiſtant; ſed paruum iuuat; quia qui ſunt frigida temperatura à frigidis, qui calida à calidis facilè vita priuantur; ſola enim temperatura æqualis maximè omniũ reſiſtit extrinſecis offenſionibus, inæquale enim paucis; æquale pluribus reſiſtit: ecce quod temperatiſſima magis reſiſtunt, quam corpora vergentia ad aliquod extremorum.

Quo ad ſecundum, an ſcilicet tẽperatiſſima edant operationes perfectiores, facilè à Galeno declaratur 1. lib. de temperamentis cap. vltimo, vbi ait, in homine temperatiſſimo, & in Leone tẽperatiſſimo nõ eſſe omnes & ſingulas operationes perfectiſſimas, ſed illas quę cõueniunt ſpeciei; ſubdit Galenus homini temperatiſſimo conuenire ſapientiam, Leoni temperatiſſimo ſummum robur, Oui temperatiſſimæ cõuenit vt ſit mitiſſima; non conueniet igitur temperatiſſimo homini vt ſit velociſſimus, ſicuti ſunt cerui, fortiſſimus ſicuti leo, & calidiſſimus, vt cantharis. Similiter dicimus conuenire Aquilę acutiſſimam viſionẽ; Vulturi acutiſſimum olfactum: Cantharidi temperatiſſimę, vt cito comburat; ecce quod operationes multæ perfectiſſimæ, ſeu collectiuè ſumptæ, vt dicebat Hugo, non poſſunt conuenire homini temperatiſſimo, & meritò, quia vnius rei vnica eſt proprietas, & non plures. Hac ratione Galen. loco citato dicebat, homini tẽperatiſſimo, vt talis, conuenire ſapientiam & non alias operationes: his igitur ſuppoſitis dicimus hominem temperatiſſimum ſemper eſſe ſapientiorem, quam ſit homo intemperatus.

QVÆST. LXXXI.

An temperamentum æquale ſit longioris vitæ, quam alia temperatura.

GAleni eſt ſententia 6. de tuenda valet. temperamentum calidum, & humidum eſſe longioris vitæ, quam temperamentum æquale: quia dicit, qui maximè ſunt humidi eſſe maximè lõgæuos.

Primum argumentum eſt tale, mors naturalis ſuperuenit, dum reſoluitur caliditas, & humiditas naturalis; ſed tardius reſoluitur in temperamento calido, & humido; ergo temperamentum calidum & humidum proportionatum, de quo eſt quæſtio, erit longioris vitæ, quam temperamentum æquale.

Secundum deſumitur à Plantis & animalibus; ſunt enim multæ arbores longioris vitæ quam homines temperatiſſimi; ergo longæuitas non proficiſcitur ab æquali temperatura. Similiter multa animalia vt Elephãtes, Cerui, & Corui diutius viuunt, quam homines; ergo temperatiſſimum corpus non erit magis lõgæuum, intemperatis. Conueniunt Galen. & Medici omnes, humanã ſpeciem eſſe abſolutè mediam, & in ipſa dari aliquod indiuiduum temperatiſſimum, quod alijs animalibus, & plantis nõ cõcedatur.

Vt igitur veritas breuibus eluceſcat, confugiendum eſt ad Ariſtotelem lib. de longitudine, & breuitate vitę, vbi docet corpora, quæ magis contrarijs conſtant, & magis ſunt excrementoſa minus eſſe longæua. Cæterum nemo eſt, qui neſciat, temperamentum calidum, & humidũ eſſe magis excrementoſum, & per conſequens magis conſtare contrarijs; quia vbi eſt exceſſus humiditatis, ibi plurima excrementa; temperamentum verò æquale certũ eſt carere omnibus excrementis, & minus conſtare contrariis, quia cum ſit in medio, eſt ęquale, & non eſt extremorum particeps; calidum verò & humidum habet duo contraria, frigidum ſcilicet, & ſiccum, quæ medio tẽperato nõ conueniunt. Quod verò temperatiſſimum careat excrementis patet, quia Galenus in hoc libro c. 85. & 2. de tuenda ſanitate cap. 7. ait, quod temperatiſſimum corpus non indigeat præſide, & tantum appetat, quantum cõcoquat; quare tale corpus excrementa colligere non poteſt, & per conſequens magis erit longæuum quam cætera omnia temperamenta, quæ non ita concoquunt, vt moderatum, & æquale.

Aſtrologi cenſent, longitudinem & breuitatem vitæ inſequi Cæli influẽtias, & non temperaturas. Horum opinio eſt omniũ vaniſſima, quia nec auctoritate,

neque ratione, neq; experimentis cõfirmatur. Repugnat .n. Ariſtot. 2. Cęli tex. 42. qui docet, Cæleſtia corpora agere in hæc inferiora ſolũ lumine, & motu. Repugnat rationi, quia ſupponit quædam principia, quæ rationi auctoritati & experientię reluctantur; dicunt enim figuram, ſeu aſpectum quadratum, & oppoſitum ſtellarum eſſe malos: trigonum & ſextilem eſſe bonos; quis illis hoc dixit?

Pręterea dicunt, primã domũ vitę conuenire, ſecundã lucro, tertiam fratribus, quartam parentibus, quintam filijs, ſextam valetudini, ſeptimã vxoribus, octauam morti, nonam religioni, decimam regno, vndecimã benefactoribus, & duo decimam carceribus, & ęrumnis; Hęc & alia plura vaniſſima aſſumunt principia quorũ his nihil conceditur, & experientiæ non reſpondent; Ego enim multorũ annorum curſu, dũ his fidem pręſtarem, omnia Aſtrologorum principia eſſe falſiſſima, & à veritate alieniſſima poſt diutinam experientiam agnoui; ſed ex mille argumentis afferam contra illos hoc ſolum; non ne duo mares ex matre eadem, vel diuerſa eodem tẽpore orti ſortiuntur contrarios fines? non ne ſæpè obſeruatur duorum alterum poſt annũ quinquageſimum poſſe creari Papam? alterum verò laqueo ſuſpendi, quod cũ experientia obſeruetur, nõ erit amplius dubitandum de Aſtrologorum ſtultitia; Verum, quia hic non eſt locus reijciendi Aſtrologos, ideò eos mittamus; qui tamen cupit argumenta contra illos videre perlegat Piccum Mirandulanũ & fra trem Hieronymum Sauonarolam, & noſtrum tractatum contra Aſtrologos, in commentarijs noſtris Auic. prima fen q. 11. ibi enim videbit plurima argumenta efficaciſſima & inſolubilia.

Ad primum argumentum, quod oſtendit, temperamentum calidum & humidum eſſe longioris vitæ, quam temperatiſſimum, eo quia mors naturalis fit per refrigerationem, & exſiccationem; Reſpondetur, calorem facilius extingui, dum reſoluitur per putredinem, quod contingere ſolet temperamento calido & humido; hoc enim magis eſt obnoxium putredini, quam temperamentum æquale. Præterea temperamentum calidum & humidum, quod eſt magis excrementorum ferax, quam temperamẽtum æquale facilè per ſuffocationem ab excrementis extingui poteſt. Dum verò Galen. loco citato dixit, calidos & humidos eſſe maximè longæuos, rectè dixit, ſuppoſito hoc, quod humidum & calidum temperamentum non corrumpatur ab excremẽtis, vel à putredine, quod quidem, cum ſit impoſſibile, vt in exceſſu humiditatis nõ congregentur, erit quoque impoſſibile, vt calidi & humidi ſint magis longæui, quam temperatiſſimi,

Pręterea temperamentum ęquale non ſolum eſt magis longæuum temperamento calido & humido; ſed etiam magis longænum calido & ſicco, & frigido & ſicco; quia temperamenta ſicca citius exſiccantur, & tabeſcunt Demum æquale eſt magis longæuum, quam frigidum & humidum, quia facilè per refrigerationem hoc extinguitur.

Ad ſecundum reſpondemus, comparationem eſſe faciendam in eadem ſpecie; longæuitas enim, vt dicit Aſtriſtoteles ſecundo poſt. de illa auium, pedeſtriũ, & plantarum ęquiuocè dicitur; ibi enim Ariſtoteles ait, longæuitatem auibus accidere ob paucitatem excrementorum; pedeſtribus ob vires; plantæ ob denſitatem fibrarum quæ impediunt calidi & humidi exhalationem.

QVÆST. LXXXII.

De ſecundis humiditatibus.

QVoniam Galenus locutus eſt de humoribus, qui ſunt in ſpatijs carnium; ideò de his paucis in hoc loco agendum eſt.

Auicennas prima primi cap. de humoribus ait præter quatuor humores dari alios quatuor, quos vocat ſecundas humiditates; quarum prima eſt ſanguis tenuiſſimus, qui in extremitatibus venarum capillarium continetur; ſecunda eſt ſanguis tenuis iam ègreſſus à capillaribus, qui dicitur ros, quia inſtar roris ſolidas partes madefacit; tertia eſt cambiũ; quod eſt humor magis congelatus rore, & eſt imbibitum in ipſis carnibus; quarta humiditas eſt glutẽ, quod aſſimilatur,

& per

& per quod partium continuitas conſeruatur.

Multi putant, Auicennam fuiſſe primum inuentorem harum ſecundarum humiditatum;ſed errant toto Cęlo; quia à Gal.& ab alijs philoſophis,quamuis nõ nominentur iiſdem nominibus, proponuntur;Galenus enim 7.Methodi ſecundo, & ſexto præcipuè loquitur de quatuor ſpeciebus ſiccitatis, & de quatuor humoribus ipſis reſpondentibus; Auicennas ait,primam humiditatem eſſe in extremitatibus exilium venarum;Galenus verò definit ſiccitatem reſpondentem primæ humiditati dicens, aliam eſſe ſiccitatem, quæ in exilibus venis, & arterijs conſiſtit; Auicennas dicit ſecundam humiditatem eſſe inſtar roris; de qua loco citato ſimiliter Gal. mentionẽ facit; Auicennas ait, tertiam humiditatem eſſe cambium, idest humorem congelatum, Galenus verò loquens de hac humiditate, quę dicitur cambium, definit eſſe humiditatem in humore cõcreto conſiſtentem, vt pinguedo, & adeps. Demum eſt humiditas, qua conſeruatur continuitas partium,hęcque ab Auicenna & Galeno appellatur gluten.

Argenterius reprehendit Galenum, quod præter quatuor humores propoſitos lib.7. methodi cap. 2. proponit quintam humiditatem omninò diuerſam à ſanguine capillarium tenuiſſimo, à rore, à cambio, & glutine; probatque in commentarijs ar. med. comm. 59. dari hunc quintum humorem; quia ſi daretur,eſſet illa ſecunda humiditas, quæ eſt inſtar roris;ſed ſic eſt(ait) quod hæc non poteſt eſſe; Quia ros non continetur inter ſpatia ſimilarium, ſed eſt diſperſus per ſubſtantiam; ergo erit quintus humor.

Reijcitur Argenterius; quia negatur, quod ros non ſit inter ſpatia ſimilarium; per ſpatia enim intelligere debemus poros inſenſibiles; quando igitur dicetur, quod ros ſit diſperſus per ſubſtãtiam, intelligemus eſſe in poroſitatibus & meatibus inſenſibilibus ſimilarium partium.

CAPITIS LX.

De ſignis ventriculi ſicci.

Tex. 60. *Ventriculi indicia eius quidem, qui natura ſiccior exiſtit ſi celeriter ſitibundi fiant & paucus ei ſufficiat potus à plurimo autem aggrauentur: Fluctuationibus infeſtentur, aut ſuperfluitet quod abundat, & cibis delectentur ſiccioribus.*

INcipit Gal. agere de ſignis eorum viſcerum, quæ non pendent à quatuor Principijs ſuperius declaratis; prius tamen agit de ventriculi, deinde de pulmonis temperaturis; hæc enim viſcera ex ſemetipſis, gubernantur, & exercent publica officia; ventriculus enim parat alimentum iecori, & vniuerſo corpori; Pulmo verò parat aerem cordi pro generatione ſpirituum vitalium inſeruientium vniuerſo corpori.

Exorditur à temperaturis paſsiuis idest, à ſicca;quia pręcipuum accidens ventriculi eſt ſitis, & per ſe conuenit temperaturæ ſiccæ; ideò prius de ſignis ſiccæ temperaturæ, vel dicimus prius & paſsiuis, vltimo loco de actiuis; quia actiuæ temperaturæ ventriculi cõueniunt cum ſignis actiuarum temperaturarum pulmonis,de quibus ſtatim loquetur Gal.

Tria proponit ſigna indicantia ſiccum ventriculum, & non quatuor; Tertium enim ſignum reddit rationem, cur, qui ſunt ſicco ventriculo, pauco potu indigeant.

Primum ſignum ſicci ventriculi; *eſſe ſitibundos*;Ratio eſt,quia ſitis ex Ariſt.2. de anima tex. 28. & Gal.lib.de temperamẽtis eſt appetitus humidi & frigidi: lib. de inæquali intemperie ait,ſitim fieri ex defectu ſubſtantiæ humidæ;vbi verò ſtomachus eſt ſiccus prõptius excitatur appetitus humidi,quam ſi eſſet frigidus,vel humidus: intus enim apparens ex Ariſt. 3. de anima prohibet extraneum.

1 Dub. ſi ſitis fieret,vt dicit Gal.locis citatis, ex defectu ſubſtantiæ humidæ: & fames ex defectu ſiccæ, ſequeretur quod ſitis ſemper antecederet famẽ: quia ſubſtantia humida citius conſumitur, quam ſubſtantia ſolida & ſicca; ſed hoc repugnat

gnat experientię: ergo falſum erit aſſumptum, quod ſcilicet ſitis fiat ex defectu humidi.

Nonnulli medicorum neſcientes ſoluere hoc dubium dixerunt, ſitim fieri ob intemperiem ſiccam, & non ex defectu humidi; dixeruntque Galen. libro de inæquali intemperie eſſe locutum ſecundum opinionem Antiquorum: quia 1. de cauſis ſympt. cap. 7. vbi ex propria ſententia loquitur de ſiti, ait, ſitim ab intemperie ſicca prouenire. Quæ reſponſio eſt vaniſſima: tum quia Gal. libro de inæquali intemper. loquitur ex propria ſententia; tum quia libro de cauſis ſympto. loquitur de ſiti, vt eſt ſymptoma, quod ſine dubio ſupponere ſolet ſiccam vel calidam intemperaturam. Præterea Galenus loquitur hic de corporibus ſanis in quibus ſitis nullam ſupponit intemperiem.

Conciliator differẽtia 118. videns propoſitam dubitationem ait, quamvis humida ſubſtantia facilius diſſoluitur, quam ſicca: tamen quia humiditas eſt multo plus, & in viuente ſemper ad ventrem confluit: ideò prius excitatur fames, quam ſitis: Quæ reſponſio eſt longè accommodatior, quam ſuperior.

Valleſius lib. 5. cap. 7. controuerſiarum ait, prius excitari famem, quia potus ad nullius ſubſtantiæ corporeæ reparationem eſt, niſi id ex accidenti eueniat, eo quod in qualibet ſubſtantia, quæ ingeritur eſt cibus, & potus; ſed potus eſt vehiculum ferens nutrimentum, in vino enim eſt cibus, & potus, immo nullus cibus appetitur, in quo non ſit potus, ideſt non ſit aliquod vehiculum ferens corpoream ſubſtantiam.

2 Dub. non videtur, quod ſitis indicet ventriculi ſiccitatem; quia Gal. 1. de ſimp. med. cap. 3. ait, ſitim partim ab humoris inopia, partim à caloris copia prouenire, ergo non indicat ſolam ſiccitatem.

Reſpondetur, hoc argumentum nullius eſſe roboris: quia Gal. in declarandis temperaturis proponit ſignorũ ſyndromen, ita vt vnicum ſignum nullum ſufficiat; ſed ſolum omnia ſimul vnita.

3 Dub. actio celeris non prouenit à qualitate paſſiua; ergo ſicci ventriculo non ſient celeriter ſitibundi.

Reſponſio facilis eſt, ſi animaduertatur Galeni artificium, dum tractat de exceſſu vnius qualitatis; ſupponit enim reliquas qualitates non excedere, & ſummè temperatas eſſe. Hinc dum dicit, ſiccos eſſe ſitibundos intelligit ſiccos in exceſſu cum temperato calore celeriter eſſe ſitibundos, celeritas enim à calore temperato cum exceſſu ſiccitatis prouenire facile poteſt.

4 Dub. non videtur, ſitim indicare ventriculum ſiccum: quia ex Hipp. in Epidemicis ſitis ſignificat caliditatẽ pulmonis.

Reſpondetur, ſigna iſta omnia vnita indicare temperaturam ſiccam, & non vnum ſeorſum conſideratum. Præterea dicimus quod ſitis ſit in ſanis, vel ægris, ſemper indicet penuriam humidi in ore ventriculi: hæc verò penuria modò eſt in ore per eſſentiam, modò per conſenſum à pulmone, vel ab alijs partibus; ſed de hac re hic non eſt agendi locus: tractauimus tamen hanc materiam exactius lib. 2. methodi noſtræ cap. 7.

Dub. Sed quomodo ſiccitas reddet homines ſitibundos? Nonne Gal. 1. de ſimp. med. cap. 30. ait; Acetum ſedare ſitim, attamen ſiccum eſt?

Reſpondetur ex Gal. 1. de ſimp. med. cap. 29. Acetum aquæ mixtum ſedare ſitim, & acetum, vt aquæ vehiculum, ſedare ſitim, vt ibidem Gal. animaduertit, & rectè quidem, quia aqua non tranat imas partes. Accedit, quòd ſitis, non ſit in ſuperficie oris ventriculi.

Præterea, Acetum ſedat ſitim in febre ardenti; ratio eſt, quia acetum conuertit bilem in pituitam, quæ eſt illa quæ ſedat ſitim.

Hinc illa, quæ citò ſedare poſſunt ſitim, ſunt acida, quæ ferunt humiditatem ad partes imas; cuius generis ſunt: Berberi; Acidum Citri; Oxyacantha: Iulapium Granatorum; Rob de Ribes; Tamarindi; & id genus alia.

Porrò inſtrumentum noſtrum vitreum, vel argenteum, cuius Iconem propoſuimus in Commentarijs noſtris primæ Fen. quod quiſque intueri pro libitu poterit, illud miro modo ſedat ſitim.

Secundum ſignum; *& paucus eis ſuffi-*

ciat

ciat potus. Ratio eſt, quia qui ſunt ſicco ventriculo ex pauca conſumptione humidi paucam humiditatem requirunt; fibræ enim oris ventriculi, cum ſint natura ſiccæ, non poſſunt multa imbibi humiditate; ideò pauca imbibita facilè abſumitur, & iterum excitatur appetitus humidi; ſed paucus potus ſufficit, quia os ventriculi pauco imbibitur: hæcque eſt cauſa cur à plurimo potu grauentur, fluctuationibus, & clydone infeſtentur, & ſupernatent excrementa.

5 Dub. non videtur, quod in ventriculo ſicco paucus ſufficiat potus, quia in cauſone ventriculus eſt ſiccus, tamen Galen. 3. in tertium epid. 34. ait, ſitim ob exurentem calorem potationibus non poſſe ſedari, & 1. de ſympto. cauſis cap. 6. refert his verbis hunc caſum: noui quendam ardenti febre laborantem, qui aquam frigidam liberaliter bibens ſanari non potuit, donec moreretur; ecce quod neque multus potus aliquando pro tollenda ſiti ſufficiens eſt.

Reſponſio facilis eſt; quia Galen. loquitur in hoc loco de ijs, qui ſunt in latitudine ſanitatis. Præterea non loquitur de ſiccitate ventriculi pendente à febre, vel ab alia cauſa externa, ſed de ſiccitate ventriculi ab ortu naturæ acquiſita.

6 Dub. non videtur, quod paucus ſufficiat potus in ſicco ventriculo; quia ſupponitur in hac temperatura, calorem eſſe temperatum; quare calor temperatus cum exceſſu ſiccitatis maximè reſoluit, eo quia ſiccitas ſolet eſſe lima caloris; quare non ſufficiet paucus potus.

Reſpondetur, paucum ſufficere potum pro vice; ſed ob citam reſolutionem celerrimè iterum fieri ſitibundos; ſiccæ enim fibræ humore rorido citò priuantur, ideò ſæpè, & pauco potu ſunt reſtaurandi.

7 Dub. ait Galen. multum potum ſicco ventriculo valde nocere; non videtur rationi conſonum; quia agitur hîc de intemperie ſicca, quæ ſi debeat tolli, vel ſaltem moderari, id non pauco, ſed multo potu fiet; contraria enim contrarijs curantur.

Nos pro ſolutione dubij diu cogitauimus; quia alij nobis non ſatisfecerunt, dicimus igitur in primis, hanc temperaturam ſiccam, quatenus recedit à temperatiſſimo, eſſe contrarijs transferendam ad æqualitatem; ſuſtinemus quoque (vt alibi probauimus) illam ſententiam, ſimilia ſimilibus conſeruanda, ſolum intelligi in temperamento æquali; cætera verò temperamenta recedentia ab æqualitate cõtrarijs eſſe tractanda; ſed hæc contraria in parte præſeruatrice (vt ait Galenus) in libro ad Traſyb. ab illis, quibus vtimur in curatrice differunt ſecundum magis, & minus; vtitur enim Galenus his verbis (differunt in quanto, & non in quali) infra oſtendemus, omnem mutationem fieri ex contrario in contrarium; ſi ventriculus ſiccus ſitiat, non liberabitur ſiti exſiccantibus, ſed humectantibus; differunt tamen ſimilia; quia non ſunt contraria ita euidentia, quinimò ventriculus temperatiſſimus dum ſitiet, recedet quoque ab æquali, & tunc eius ſitis non poterit niſi contrarijs tolli.

Ad argumentum reſpondemus, multũ potũ valde nocere ſiccis, non ratione ſiccitatis, ſed ratione ventriculi ſicci inepti ad concoquendum, arctèque amplectẽdum cibum: fibræ enim in ſicco ventriculo ſunt debiles, & non attrahunt ad intima multum potum. Præterea non attrahunt potum ad ima, quia ſicci malè concoquunt: ex Ariſtotele enim 4. meteororum concoctio eſt elixatio, fitque à calido, & humido; quare nulla qualitas magis coctioni eſt rebellis, & reſiſtens, quam ſiccitas. Hæcque eſt cauſa cur potus paucus, & repetitus ſæpè ventriculo ſicco dandus ſit. Hincque eſt, quod Galenus dixit ſiccos celeriter fieri ſitibundos, & pauco potu ſcilicet pro vice indigere.

Tertium ſignum, *cibis delectentur ſiccioribus.* Ratio deſumitur ex communiſſimo illo principio, ſimilia ſimilibus conſeruantur; Galen. enim 6. de tuenda val. habet hæc verba, *ſi temperamentum ſeruare ſtudes dabis naturis humidis humidum cibum, ſiccis ſiccum.* Ratio verò, cur ſimilia iuuent ſanos, eſt, quia quæ ſanis dantur, eo dantur, vt concoquantur, & deinde conuertantur in ſubſtantiam nutriti; ſed ſic eſt, quod inter ſymbolica facilior eſt tranſitus, quam inter ea quę ge-

nere

nere differunt, ideò euenit, vt ſicci ſiccioribus, & humidi humidioribus delectentur; ijs, tamen qui præter naturam ſicci ſunt, non dantur ſimilia; quia non dantur vt coquantur, ſed vt expellant, & inter hæc non debet ſeruari ſymbolum: quia inter ſimilia non excitatur pugna, quam deſiderat pars curatrix.

QVÆST. LXXXIII.

An ſimilia ſimilibus conſeruentur.

DVbitatio magna exoritur ex dictis Galeni, ait .n. ventriculum ſiccum gaudere cibis ſiccioribus; quod ſibi ipſi, rationi, & experientiæ videtur aduerſari. Sibi ipſi, quia in hoc libro cap.23. loquens de oculis ſanis habet hæc verba, *à ſimilibus cauſis ſua temperatura facilè offenduntur, iuuantur autē à modico contrariorum vſu:* additque, *hoc quidem commune in omni temperatura cuiuſq; partis oportet meminiſſe:* ecce quod in oculis ſanis, & in omni temperatura partis ſanę vult eſſe procedendum contrarijs, & non ſimilibus; quomodo igitur ventriculus gaudebit cibis ſiccioribus?

Præterea Gal. lib. ad Traſyb. ait, *partem conſeruatricē differre a curatrice in quāto, & non quali*, quaſi dicat vitia ſanorum ſunt perexigua; ægrorū verò maxima: itaque poſſunt quoque ſani pati intemperies malas cōpoſitiones, & ſolutas vnitates: quāvis non ita magnas, vt ęgrorum; ſani tamen dicuntur; quia operationes non ſunt euidenter læſæ. Similiter Ariſt. 10. probl. 58. ait, animalia natura ſicca humidum magis concupiſcunt, & quæ ſunt humida ſiccum appetunt. Demum Gal. paulò infra loquens de pulmone habet, pulmonem offendi ab aere inſpirato, ſi ſimilis ſit; pulmo enim calidus gaudet aere frigido: frigidus calido; ęcce igitur quomodo ex Gal. & Ariſt. non ſolum in curatrice, ſed etiā in cōſeruatrice medicinę parte cōtrarijs ſit incedendum.

Rationi quoque aduerſatur; quia id appetimus, quo caremus; ſed hæc non ſunt ſimilia, ſed contraria, quare contrarijs, & non ſimilibus ſana conſeruabuntur. Præterea ex Ariſt. Platone, & Galen. omnis mutatio eſt è contrario in contrarium: Ariſt. enim 3. phy. tex. 47. & 5. phy. tex. 6. & 19. ait, omnem mutationem eſſe è contrario in contrarium: 8. phyſ. text. 16. dicit, mutationis termini neceſſe eſt vt ſint contrarij in quibus fit; nihil enim in infinitum mouetur: Porro 1. phy. ſtatuit, tria eſſe principia generationis; materiam ſcilicet, & duo contraria. Similiter Plato in Lyſide vult, in omni generatione tria eſſe neceſſaria, appetens, appetibile, & eius contrarium; dum verò conſequimur appetibile, pellitur contrarium. Itidem Gal. 1. de temp. cap. 2. & alibi habet, generationem, & alterationem eſſe mutationem ex contrarijs in contraria; conſtat igitur auctoritate, & ratione, illud medicinæ principium, quod ſimilia ſimilibus conſeruentur, eſſe à libris quoque de tuenda ſanitate omninò reijciendum.

Experientia confirmatur, ſana corpora contrarijs, & non ſimilibus eſſe cōſeruanda. Dum enim frigeſcimus non gaudemus frigidis, ſed calidis, niuemque, & glaciem abhorremus; neque, dum caleſcimus appetimus calefacientia, ſed refrigerantia. Simili modo qui ſunt frigido ventriculo non debent, vt docebit Gal. in ſequenti cap. gaudere refrigerantibus, niſi vellint ſe ipſos deſtruere, neque qui eſt humido debet appetere humida; ſequitur ergo quod nullo modo videatur vera Gal. ſententia in hoc cap. propoſita, quod ventriculus ſiccus delectetur cibis ſiccioribus, & humidus humidioribus.

Argenterius non ſoluit, ſed auget propoſitum dubium; reprehenditque Galen, quia dixerit ſiccum ventriculum gaudere cibis ſiccioribus; negat enim hoc famoſum principium, ſimilia ſimilibus cōſeruanda; putatque in omni mutatione, quæ fit tam in ijs, quæ ſunt ſecundum naturam, quam præter naturam, medicum, & naturam debere contrarijs, & non ſimilibus progredi.

Solutio propoſiti dubij colligitur ex varijs locis; Adeſt locus pulcherrimus 8. meth. c. 9. vbi ait, duplex in ijs, qui ſani ſunt, nobis proponitur finis, vel corpus ſanum in priſtina temperie tueri, quod fit ſimilibus, vel etiam hanc temperiem meliorē reddere, quod non ſimilibus ſed contrarijs fit; ibi citat Hippocratē de victu

ctu acutorũ dicentem, naturam gaudere conſuetis: ſi igitur cognouerimus, priſtinam ventriculi temperaturam eſſe ſiccã, & ſanam, nos ſiccis vtemur, ſi verò viderimus eam recedere à temperatiſſimo, voluerimuſque temperaturam meliorem reddere, tunc vtemur contrarijs, ſed interim Hipp. loco citato nobis conſulit, ſatius eſſe, vt ſanam temperaturam ſimilibus conſeruemus, quam eam ad meliorem ſtatum transferamus; quia natura gaudet conſuetis.

Adeſt pro ſolutione alter Galeni locus 1. de ſanitate tuenda c. 15. vbi ait, omnem mutationem aut quantitate, aut qualitate fieri, qualitate vt dum animal incaleſcit, aut frigeſcit, aut ſicceſcit, aut humectum redditur: in quantitate, dum alitur, repletur, aut inanitur: mutationem factam in qualitate dicimus fieri per contraria poſitiua, mutationem verò in quantitate, vt dum fit nutritio & inanitio, fieri per ſimilia.

His poſitis dum dicunt ex Ariſt. Platone, & Gal. omnem mutationem fieri è contrario in contrarium, reſpondemus eſſe intelligendum de contrario priuatiuo & non poſitiuo; ſicuti dicitur ex non muſico fit muſicus.

Adeſt alter Galeni locus 6. de tuenda ſanitate, vbi habet, ſana corpora poſſe conſiderari dupliciter, vel vt alteranda, vel vt conſeruanda, primo modo dicimus per contraria eſſe tractanda; ſecundo per ſimilia; qua poſita diſtinctione; dum Gal. dixit pulmonem, & oculos calidos lædi à calido aere. Reſpondemus has partes conſiderari quatenus ſunt alterandæ, & non nutriendæ & conſeruandæ. Quod verò probatur de vna parte, de toto quoque probatum eſſe, intelligitur; Ariſt. enim primo Cæli tex. 19. ait, quod probatur de parua gleba terræ; de tota terra intelligitur eſſe probatum: ſi igitur oculi ſani contrarijs tractantur id fieri dicimus, quia indigent alteratione, ſeu expulſione alicuius malæ qualitatis, contentę tamen inter ſanitatis limites.

Ad locum Ariſt. deſumptum à problematibus reſpondemus locutum eſſe philoſophum de corpore ſano, vt alterandum, non vt conſeruandum.

Poſtremò, dum dicunt, ſi caleſcimus, gaudemus frigore, &c. admittimus omnia eſſe vera intelligẽdo de qualitate aduentitia in contrarium alteranda, & non de naturali: dum verò Gal. ait, ſiccam tẽperaturam ventriculi gaudere ſiccioribus intelligit de temperatura ſanorum non aduentitia, ſed primigenia, quæ eſt ſimilibus conſeruanda: Hinc dicimus cum Gal. ventriculum ſanum frigidum ab ortu naturæ nulla facta qualitatis aduentitiæ cõſideratione gaudere cibis frigidioribus, ſupple quam requirantur in ventriculo temperato. Ratio deſumitur ab Ariſt. lib. de gen. quia in ſymbolicis facilior eſt trãſitus; propterea ex terra ignis promptius fit; quia terra eſt ſicca vt ignis, ſola frigiditas eſt ſuperanda: Hinc Gal. 3. de alim. fac. c. vlt habet hæc verba, *animalibus naturalem temperiem inculpatam quidem ſeruantibus ſimilia ſuis naturis cibaria conueniunt; ijs verò quæ paruam temperiem, aut ab initio ſunt ſortita, aut poſt acquiſiuerunt non ſimilium, ſibi ipſis eſus, ſed contrariorum eſt vtilis.*

Ad obiectionem Argenterij, quod pars præſeruatrix medicinæ æquè ac curatrix procedat per contraria, & non per ſimilia, oſtendit ſe non intelligere quid per ſimile intelligant Ariſt. & Gal. ſi enim ſe verè ſumatur ſimile, eſt veriſſimum, ſimile non agere in ſimile, quod enim eſt omninò ſimile in gradu ſeu in eſſentia non agit in ſimile; Hinc Ariſt. 1. de generatione, & corruptione 48. ait, ſimile non agit in ſimile, intelligendo de omnimoda ſimilitudine, nec diſſimile patitur à diſſimili intelligendo de omnimoda, ſeu generica diſſimilitudine; quo fit vt Ariſt. text. 53. dicat agentia & patientia eſſe ſimilia in genere; ſi enim eſſent genere diſſimilia, eſſent inter ſe impaſſibilia.

Adeſt alter locus apud Ariſt. 10. metaphyſ. tex. 11. vbi declaratur quid intelligat per ſimilia, *ſimilia dicuntur, quæ non ſunt ſimpliciter eadem nec ſecundum ſubſtantiam ſubiectam in differentia, ſed ſecundum ſpeciem eadem, ſunt & quæ eandem ſpeciem qualitatis habent:* ecce quod ſimile multipliciter dicitur aliquod habens eandem ſubſtantiam, ſeu eſſentiam, ſicuti quartus gradus caloris non aget in quartum gradum caloris, quia habent eandem ſpeciem qualitatis, & conueniũt

in

in eſſentia; hocque ſimile non agit in ſimile. Cætera verò ſimilia agentia ſi agãt, & patiantur, differunt natura ſpecifica, & gradu, vel manſione qualitatis: conueniunt tamen genere, quia niſi conuenirent inter ſe, eſſent impaſſibilia.

Hinc Simplicius in prædicamentis habet, ſimilia ſub eadem communitate reducuntur, quamvis non eandem habeant naturam.

Albertus Magnus libro de morte, & vita loquens de hoc ſimili, quod eandem habet eſſentiam, ait, ſimilia non agere, & pati, ſed contraria, eo quod non eſt eis potentia vna agendi.

Galenus verò paucis declarat quid ſit ſimile, & quid contrarium lib. de inæquali intemperie cap. 6. aitque ſimilia ea vocari, quæ ſunt amica, contraria verò inimica.

Nos tamen per ſimilia intelligimus ſimilia ſecundum eãdem ſpeciem qualitatis ſeu gradum vt nos docuit Philoſophus ſuperius; quia ſimilia genere, & nõ ſpecie, ſeu gradu ſunt contraria; immo omnia contraria eo ſunt contraria, quia ſunt in eodem genere, vt docet Ariſtoteles 1. phyſic. & ſimplicius in prædicamẽtis; ſic albus color aduerſatur nigro, in genere tamen coloris conueniunt, ſuntque ſimilia; differuntque, & ſunt diſſimilia, quatenus in eodem genere ualde diſtant, & ſecundum ſpeciem qualitatis oppoſita ſunt.

CAPITIS LXI.

De ſignis humidi ventriculi.

Humidioris autem, ſi neque ſitibundi ſiant, & ſuperabundans humidum facilè tolerent, & cibis gaudeant humidioribus.

AGit in hoc cap. de ventriculo humido; quia ſupra egit de ſicco: oppoſita enim iuxta ſe poſita magis eluceſcũt. Tria proponuntur ſigna indicantia humidum ventriculum.

Primum ſignum eſt, non eſſe ſitibundos. Ratio eſt, quia os ventriculi humidi, ſemper eſt rorida humiditate irrigatum; ex Ariſt. enim 3. de anima in principio intus apparens prohibet extraneum.

1 Dub. hydropici ſunt humidi ſecundum omnes corporis partes; attamen ſunt valde ſitibundi; ergo non conueniet humido ventriculo, vt non ſint ſitibundi.

Reſpondetur, Gal. hic loqui de ſanis, & non de ægris: Præterea in hydropicis humor aquoſus, ita imbibitus non eſt naturalis, ſed extraneus: propterea ob moram fit ſalſus, & vt ſalſus excitat ſitim: ex Galeno, & Auicenna probauimus in libro noſtro de humorum miſturis, humores aquoſos extraneos ob moram ſalſos facilè fieri: humor enim proprius, & internus, qui roridus dicitur ob moram, non fit ſalſus, ſed maiorem gradum dulcedinis ob coctionem acquirit: fit enim ex rore cambium, & ex cambio gluten, de quibus humiditatibus in quæſtione ſuperiori egimus.

Secundum ſignum, ſuperabundãs humidum facilè tolerant. Ratio eſt, quia in ſymbolicis facilior eſt tranſitus; tunc enim aliquis facilè tolerat, quando facilè concoquit: humida temperatura melius potum concoquit, quam ſicca; tum quia concoctio eſt elixatio, quæ fit calido, & humido; tum quia humida potio eſt ei familiaris.

2 Dub. ſuperius diximus, temperamentum æquale, vſu ſimilium gaudere; quomodo igitur, qui ſunt humido ventriculo facilè tolerabunt humidum ſuperfluum?

Argent. neſciens ſoluere hunc nodum, Gal. lacerat: cuius audacia, ſeu potius inſolentia non eſt ferenda: ſi quis vellet in leuiſſimis Auctores reijcere, poſſet quodlibet Ariſtotelis, & omnium Philoſophorum verbum reijcere: inſulſe tamen: ſed dum hoc præſtant, neque interpretis, neque probi viri officium agunt.

Pro ſolutione, dum Gal. loquitur de humida temperatura dicimus, quod argumento ex oppoſitis miro artificio perquirit ſigna temperaturæ humidæ; quia infert, ſi in ſicca temperatura ſunt ſitibũdi, in humida nequaquam; ſi in ſicca à plurimo potu grauantur; in humida plurimum potum facilè tolerabunt. Præterea Galen. ſupponit in temperatura humida cæteras qualitates eſſe æquales, & tem-

temperatiſſimas: ideò ſi ſimilibus gaudet, poſſet hoc defendi, id fieri ratione æqualitatis trium qualitatum. Nos tamen dicimus cum Galeno non ſolum æqualem temperaturam ſimilibus tractandam eſſe, ſed etiam inæqualem ſanam, quæ ab ortu naturę fuerit talis: Gal. enim 8. met. cap. 9. habet hæc verba, *duplex nobis proponitur finis in ijs, qui ſunt ſani, vel corpus ſanum in priſtina temperie tueri, vel hanc temperiem meliorem reddere:* primo modo fit ſimilibus: ſecundo contrarijs, ibique laudat Hippocratem dicentē lib. de ratione victus, naturam gaudere conſuetis: ecce quod non ſolum temperatura æqualis, ſed etiam illa quæ eſt cum receſſu, dummodo ſit ab ortu naturæ talis, & ſana ſimilibus tractanda eſt, non negat tamen, ſi quis vellet eam meliorē reddere, quod contrarijs poſſit efficere: laudat tamen, vt conſeruetur ſimilibus: ſi igitur Argenterius perpendiſſet hæc diuina Gal. præcepta, non ita celeris fuiſſet in reijciendis eius arcanis.

5 Dub. dicit Gal. ventriculum humidū tolerare potum facilius, quam ventriculus ſiccus: quod videtur reluctari Hipp. 2. aph. 34. vbi habet in morbis minus periclitari, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis cōgruit morbus, quam quibus nihil iſtorum cōgruat: quare ventriculus humidus non ſolum facilè tolerabit humidum ſuperabundans ſed magis lædetur, quam ſi ventriculus ſiccus eo vteretur.

Pro ſolutione dicimus, Gal. intelligere humidum eſſe ſuperabundans non reſpectu ventriculi humidi, de quo loquitur hic, ſed ſuperabundans reſpectu illius, quod conueniret temperamento æquali: quicquid enim dicitur à Gal in his capitibus de temperaturis intelligitur cum relatione ad temperatiſſimum.

Tertium ſignum, *ventriculus humidus gaudet cibis humidioribus:* Ratio eſt, quia natura gaudet conſuetis; notanda duo ſunt; alterum, Galenum declarare temperaturas ab ortu naturæ tales; quia humidæ temperaturæ aduentitiæ, ſi humidis tractarentur, inciderent in cachexiam; humida ea de cauſa iuuant; quia ſunt cōſueta, & natura gaudet conſuetis, quæ à prima generatione inceperunt: alterum quod per humidiora intelligat humida ſubſtantifica, quæ in ſubſtantiam nutriti conuertuntur; humiditas ſubſtantifica differt ab aduentitia quia colligitur in ſpecijs, & meatibus inſenſibilibus: aduentitia verò in cauitatibus; ſubſtantifica nutrit: aduentitia, ſi multa ſit, cachexiam & hydropem facit.

4 Dub. Gal. in temperatura ſicca dixit, temperaturam ſiccam reddere homines ſitibundos: debebat ergo dicere, temperaturam humidam reddere homines famelicos; oppoſitorum enim ex Ariſt. 1. top. 8. eadem eſt diſciplina: cum igitur nihil dixerit, videtur diminutus.

Reſpondetur primo famēm, & ſitim nō eſſe oppoſita, ſunt enim appetitus naturales pro indiuidui conſeruatione. Præterea de ratione oppoſiti eſt vt ſit tale reſpectu vnius, & eiuſdem, ad idem ſecundum idem eodem modo, & eodem tempore: omnes conditiones deficiunt: ſitis enim fit ex conſumptione humidi roridi; fames ex ventriculi euacuatione: ita vt, & affectus, & eorum ſubiecta diuerſa ſint.

CAPITIS LXII.

De ſignis calidi ventriculi.

Tex. 71. *Calidior verò natura ventriculus melius, quidem concoquit, quam appetat, & multò magis quacunque dura ſunt, & non facilè alterationem ſuſcipiunt, namque facilè alterantur in ipſo corrumpuntur, gaudetque calidis potibus, ac cibis: neque à frigidis vllam percipit noxam, ſi medicè ipſis vtatur.*

PRoponit quatuor ſigna, quæ indicant ventriculi caliditatem; & licēt ab alijs plura alia proponātur, ſunt omnia ſuperflua; quia hæc quatuor à Gal. propoſita ſufficiunt, & ſimul vnita ſunt conuertibilia. Primū ſignum eſt, quod ventriculus calidior (ſupple) quam ſit temperatus, *melius concoquit, quam appetat:* Ratio cur melius concoquat deſumitur ab Ariſt. 4. meteo. vbi dicit, coctionem eſſe opus calidi; eam ſic loco citato definit: concoctio eſt perfectio à naturali proprio calore: ſecundo de anima tex. 5. ait calidum operari con-

coctionem; quare temperatura ratione caloris concoquit.

Notandum tamen, Galenum hic non intelligere ventriculum calidiorem melius concoquere, vt cenſet Oddus, quam ventriculum temperatum; ſed addit melius concoquere, quam appetere: quia calidus ventriculus parum appetit; omnes enim cum Galeno conueniunt, frigidum ventriculum magis appetere, quam concoquere; temperatũ verò æquè appetere & concoquere; calidumque magis concoquere, quam appetere; Ratio verò, cur non poſſit dici, quod calidior ventriculus magis concoquat, quam temperatus, vt dicit Oddus, & multi alij, eſt, quia concoctio fit à ſymetria quatuor qualitatum; ex Ariſt. 4. meteororum concoctio eſt elixatio: requiritur igitur ad probam concoctionem, vt tantum ſit de calido, quantum de humido: Hinc Philoſophus 4. meteororum ait, coctionem fieri ab eo igne, qui eſt in humido; quare quo temperatius fuerit humidum cum calido, eo melior fiet coctio; quo fit, vt temperatura calidior non poſſit melius concoquere, quam æqualis, & temperatiſſima.

1 Dub. Gal. 2. præd. 35. 6. de tuenda ſanitate in principio, & primo de alimentis capitis 1. dicit, qui ſunt calidiores melius concoquere, quod eſt contra noſtram concluſionem, quæ eſt: temperamentum æquale melius coquere, quam temperamentum calidum.

Reſpondetur cum Galeno, concoctionem dupliciter ſumi, vel pro conuerſione alimenti in ſubſtantiam nutriti: vel pro digeſtione: quod cum ita ſit, dicimus, digeſtionem non ſignificare tranſmutationem in ſubſtãtiam: ſed alimenti tranſmiſſionem ex vna in aliam partem; dum igitur dicit Galenus, calidiores melius coquere, intelligit per concoctionem digeſtionem, & non conuerſionem in ſubſtantiam; quod verò hæc diſtinctio ſit Galeni, ſufficit ex multis locis vt proponamus locum 12. meth. c. 13. vbi recitat hanc ſententiam: ſomnus concoquit, vigilia digerit; concedimus igitur, calidiores melius digerere, quam temperatiſſimos, ſed non melius concoquere.

2 Dub. ſi ventriculus calidus melius cõcoqueret, quam appeteret, vt dixit Galenus, ſequeretur, quod ventriculo calido eſſet quoque aliquid cibi dandum quando non appeteret, alioquin totum animal quam citiſſimè deſtrueretur; viuentia enim donec appetunt, comedunt, & nihil vltra.

Reſpondetur, Galenum, dum dicit, ventriculum calidum melius concoquere quam appetere, comparationem facere inter coctionem, & appetitum; ideò dixit calidum ventriculum plus concoquere, quam appetere, & non tantum appetere, quantum opus eſt; frigidus enim ventriculus plus appetit, quam opus ſit; ex his Medici colligunt, plus cibi eſſe dandum in ſtomacho calido reſpectu appetitus, quam in ſtomacho frigido; iſti enim poſt ſufficientem aſſumptionem cibi appetere quoque ſolent. Prætetea apud Galenum, Auicennam, & omnes Medicos appetitus, ſeu fames dupliciter ſumitur; primo modo à Galen. 1. de cauſis ſymptomatum ſumitur, quando fit ob alimenti penuriã: venæ enim exinanitæ à ventriculo ſugunt, & ſuctus generat appetitum, de quo intellexit Hippocrates, dum protulit illum aphoriſmum, vbi fames, ibi laborãdum non eſt, & de hoc appetitu Galenus in tex. intellexit, dum dixit, in calido ventriculo maiorem eſſe appetitum, quàm in frigido; quia in calido citius vaſa reddũtur exinanita: Secundo modo intelligitur de appetitu, qui non à ventriculo per ſe oritur, ſed ab humore melancholico à liene in ventriculum reiecto, qui humor eſt frigidus, & ſiccus, & acidus: quo, cum magis abundet frigidus ventriculus magis appetet abſolutè, quam concoquet: de hac fame locutus eſt Galenus quinto de vſu partium quarto, & primo de ſymptomatum cauſis 7.

3 Dub. ſi eſſet verum, quod ſtomachus frigidus magis appeteret ſequeretur, quod ſenes; qui ſunt ſtomacho frigido, magis appeterent quam iuuenes robuſtiſſimi, quod eſt ridiculum.

Reſpondetur, Galenũ, dum dicit, ventriculum frigidum magis appetere, quã concoquere, comparaſſe appetitum frigidi ventriculi cum coctione frigidi, & nequaquam appetitum frigidi cum appetitu calidi ventriculi; ideò dubitatio eſt nulla. Præterea ſi aliquando inueniantur

qui

qui ſint ſtomacho frigido, debiles, qui magis appetunt,quam calidi,ſoluere poſſumus hoc modo: ventriculum frigidum appetere non ratione penuriæ alimenti: ſed quia in ventriculum à liene multus ſuccus melancholicus acidus reiectus eſt qui famem excitat immoderatam.

4 Dubitatio videtur, quod ventriculus calidus magis appetat potum,quam concoquat;ergo non eſt verum,quod ventriculus calidus magis concoquat, quam appetat.

Solutio facilis eſt, & eſt ferè communis,quod Galenus intelligat de cibo, & non de potu.

5 Dubitatio,ſupra dictum eſt,temperamentum æquale edere operationes perfectiores, quam omnes alias temperaturas recedentes à temperatiſſimo, ergo Galenus non poterit defendi, dum ait temperamentum calidius, temperatiſſimo melius concoquere.

Reſpondetur cum Expoſitoribus, negando temperamentum æquale ſemper edere actiones perfectiores. Ego tamen ſuſtinui contra multos,temperamentum æquale melius concoquere,quam quodcunque aliud temperamentum; quia coctio bona,& peroptima oritur à ſymetria exactiſſima quatuor qualitatum, quæ in æquali temperamento tantummodo inuenitur.

Secundum ſignum:*ventriculus calidus multo magis concoquit dura, & quæ non facile alterantur.*

Galenus 1. de alimentis cap.1. quærit, cur nonnulli melius concoquant carnem bubulam,quam piſces ſaxatiles. Reſpondet,quod in iſtis bilis adeo copioſa à iecore ad inteſtina trāſmittatur,vt ad uentriculum regurgitet: ibi enim ſi inueniat dura, concoquit: neque lædit ventriculum: ſi verò inueniat quæ facilè alterantur,&concoquuntur,duo mala ſtatim ſequuntur: Primum,conuertuntur cibaria in bilem:agens enim potentius transmutat in ſuam naturam quod eſt debilius; ſecundum, bilis acrimonia mordet ventriculum vnde nidores,& mordicationes fiunt.

1 Dub. ſi ventriculus calidus dura facilius concoquat,quā mollia,& tenuia: ergo febricitantibus dura cibaria, & nō attenuantia, & coctu facilia danda erunt; quod eſt abſurdum omnibus conſpicuū.

Reſpondetur,cibum, qui facilè alteratur, eſſe duum generum, vel obnoxium corruptioni,vel optimæ coctioni;ſi fuerit obnoxius corruptioni,vt lac, non dabitur febricitantibus; ſi verò cibus non corruptioni, ſed optimæ tranſmutationi erit obnoxius,arbitror dari poſſe,quia mirificè conferret.

Argenterius in hoc loco maximè lymphatur,dum putat ijs,qui ſunt ventriculo calido cibum non neceſſariò eſſe exactè comminuendum,& dentibus conterrendum; quia duriora digerunt,vt dicit in tex. ſed Galenus per coctu dura non intelligit non eſſe dentibus comminuenda; nullus enim ventriculus inuenietur, qui integram amygdalam digerat,niſi dentibus illam prius comminuet; ſed intelligit perdura,quæ poſtquam dentibus comminuta ſunt, non ita facilè in chylum conuertuntur,ſicuti eſt caſeus, caro bouina, & alia id genus. Laudatur potius in hoc comm. Argenterius,dum reprehendit illos medicos,qui putant oua eſſe maximè obnoxia corruptioni; patet enim experientia,oui album,& vitellum magis,quā carnes, reſiſtere putredini: quia non videt menſium ſpatio, oua conſeruari, quod carnibus, niſi ſint ſalitæ non conuenit; Laudatur ſimiliter dum ait, febricitantibus non conferre frequentem ouorum vſum; quia craſſum exhibent nutrimentum, quod repugnat Galeno, qui in curandis febribus inter cætera præcepta laudat attenuantium vſum; errant itaq; Noſtrates, dum febricitantibus tria & quatuor oua diei ſpatio concedunt; duo tamen ad ſummum recentia non eſſent febricitantibus (me iudice)interdicenda.

Tertium ſignum, *gaudet calidis potibus,ac cibis:* ratio eſt;quia temperamentum ſanum appetit ſimilia; ventriculus ſanus pro potu magis iuſculum pulli actu calidum, quam vinum actu frigidum appetet: adde quod melius conſeruabitur potu calido,quam frigido: quia antequā potus conuertatur in alimentum eſt operæ pretium, vt prius calefiat; dictum eſt ſuperius ex Ariſt. inter ſymbolica tranſitum eſſe faciliorem.

2 Dub. in multis calido potu augetur ſitis: ergo qui ſunt calidi ventriculo non gaudebunt calido potu.

Reſpondetur, ſitim dupliciter conſiderari, vel ratione ſiccitatis, vel caliditatis, primo modo dico, potum calidũ deſiderari: ſecundo modo potum frigidum: ſitis enim naturalis humiditate tollitur, ſed longè melius potione actu calida, quam frigida. Præterea Priſci potum actu calidum ſibi parabãt ſummo cum beneficio: inualuit deinde conſuetudo potus actu frigidi, qui nullo modo iuuare poteſt, tũc quia frigidum eſt naturæ inimicum, tum quia ventriculus antequam potum frigidum digerat, prius debet laborare in expellendo actualem frigiditatem.

Quartum, *à frigidis non læditur, ſi modicè illis vtatur*. Ratio deſumitur à Gal. 8. meth. cap. 9. vbi habet, duplicem in ijs, qui ſani ſunt, nobis proponi finem: alterum eſt corpus ſanum in priſtina temperie tueri: alterum hanc temperiem reddere meliorem: qua poſita diſtinctione, dicimus, ſi velimus calidas temperaturas reducere ad æquale temperamentum, quod eſt omnium temperamentorum regula, frigidis eſſe procedendum.

Ait Galenus, quod frigidis ventriculus non læditur, ſi modicè illis vtatur. Acachias, per illud verbum (modicè) intelligit ſenſim, & non ſubito eſſe illos refrigerandos: quia in omni ſubita mutatione aliquod ſuboritur incommodum.

Argenterius loquens contra Acachiã concedit, in actionibus animalib. ſubitas mutationes eſſe omittendas, negat tamẽ in actionibus naturalibus eſſe paulatim procedendum, dicit enim, ſi quis vehementer ſitiat, ſtatim, & non paulatim eſſe bibendum, id tamen eſſe faciendum modicè, ideſt pro exceſſu caloris, ſed affatim, & non paulatim. Nos verò dicimus, ſi vellimus illum conſeruare, & tueri in priſtina temperie, modicè ideſt paulatim, & non ſubitò eſſe pro illo exceſſu, refrigerandum: ſi verò ad meliorem ſtatum vellimus illum reducere, non paulatim, ſed ſubitò, vt dicit Argenterius eſſe procedendum, neuter enim illorum conſiderauit Galeni locum 8. Meth. 9. à nobis propoſitum de duplici ſcopo in ſanis obſeruando.

QVÆST. LXXXVI.

De cauſa appetitus.

Quæritur hic, quænam ſit cauſa appetitus: Ego apud Galenum, & Auicennam duplicem appetitus cauſam inuenio: penuriam alimenti, de qua loquitur Gal. primo de cauſis ſymptomatũ; & in explicatione illius aphoriſmi, vbi fames laborandum non eſt, & primo de ſimp. med. c. 32. vbi loquens de ſiti ait, fieri vel ob humoris inopiam, vel ob caliditatis copiam, quo fit vt de fame idem dici poſſit, fieri ſcilicet vel ob alimẽti inopiam, vel ob acidi humoris copiam: alteram cauſam famis dicimus eſſe acidã melancholiam, quę nulla exiſtente penuria alimenti, famem excitare poteſt. Auicennas lib. 1. doct. 5. cap. de anatomia venarum portarum loquens de fame, quæ ab humore melancholico fit, ait, humorem melancholicum mitti à liene per venam, quæ inſeritur ventriculi orificio gratia appetentiæ: eius enim aciditate excitatur fames: quę ſi excedat, non tollitur alimentorum exhibitione; ſed vt dicit Hippocrates ſecundo aphoriſmo. 21. thorexi ideſt meri potione: quanto igitur quis fuerit calidior, tanto minus eius ventriculus hac melancholia, quæ ſua natura frigida, & acida eſt, abundabit.

A Curtio, & Leonardo Fuchſio reijcitur Auicenna: à Curtio, quia Galenus tertio de locis affectis cap. 5. ponens differentiam inter melancholiam naturalem, quę à liene ad ventriculum mittitur, & atram bilem, ait, atram bilem eſſe acidam, & non melancholiam naturalem; quare ſi melancholia naturalis non fuerit acida, non excitabit appetitum: hæc ferè ſunt Galeni verba; alia eſt melãcholia naturalis, quæ eſt veluti fæx ſanguinis, quæ eſt ſpiſſa, & fæcibus vini haud abſimilis: alia eſt tenuior, quæ vomentibus acida videtur: ecce ex Galeno, atram bilem eſſe acidam, & non melancholiam naturalem.

Reijcitur Curtius, quia Galenus lib. 5. de vſu partium cap. 4. cenſet, melancholiam ſplenis, quæ ſua natura eſt frigida, &

& ſicca, eſſe quoque acidam.

Leonardus Fuchſius reprehendit Auicennam; quia Galenus loquens de vſu melancholię naturalis quinto de vſu partium ne verbum quidem profert, quod ab illa excitetur appetitus: ibi enim habet per hanc fæcem melancholicam lienem expurgare ſanguineam maſſam; deinde eandem fæcem in ventriculum remittere; loquens verò Galenus de eius vſu habet hæc verba, *melancholia hæc fæcalis ventriculum intendit, & contrahit in ſe ipſum, cogitque cibos ad vnguem complecti, & retinere donec coquatur:* ecce quod Galenus ne verbum quidem habuit quod humor melancholicus fæcalis appetitum excitet.

Oddus hic, & Valeſius in controuerſijs tuentur Auicennam dicentem, humorē melancholicum à ſplene mitti in ventriculum, inſeruireq; non ſolum pro ciborū retentione, & coctione, verum etiam pro excitanda fame. Confirmatur Auicennæ ſententia loco illo primo de ſymptomatum cauſis c.7. vbi Galenus loquitur de canina appetentia, ibi habet hæc verba, *redundantia frigidi, & mali ſucci excitat appetentiam viciosam:* inferunt ex his, ſi redundantia frigidi, & ſicci humoris excitat famem vicioſam: ergo quantitas moderata, & naturalis huius humoris excitabit famem, & appetitum moderatum, & naturalem: quæ conſequentia eſt adeo neceſſaria, vt non poſſit negari. Oſtenſum eſt à Galeno lib. de atra bile, & alibi, tres eſſe melancholicorum ſuccorum differentias, primam eſſe fæcem ſanguinis, quæ ſua natura eſt frigida, & ſicca, & acida, quæque à liene attrahitur ex ſanguinea maſſa, & in ventriculum mittitur gratia non ſolum retinendi cibum, ſed etiam excitandi famem; ſecundam eſſe hanc fæcem aduſtam; Tertiam eſſe atram bilem factam ex flauæ aduſtione; de his ſpeciebus melancholicorum ſuccorum nos fusè egimus libro 6. Methodi noſtræ vitandorum errorum, & ſuperius in quæſtione propria.

1 Dubitatio, dictum eſt, fæcem melancholicam à liene in ventriculum miſſam excitare famē, quia ſit acida; omnia enim acida famem excitant; Quod nō videtur verum; quia ex Galeno ſexto de locis affectis cap.1. atra bilis eſt acida, excitat tamen, vt dicit Galenus, ſummam inappetentiam, immò Auicennas lib.3. fen.13. tract.1. cap.1. ait, ex atræ bilis præſentia in ventriculo magnos fieri dolores; quomodo igitur aciditas excitabit famem?

Solutio facilis eſt: quia illa aciditas famem excitat, quæ non mordet. Ad dubium dicimus, atram bilem nō ſolum eſſe acidam, ſed valde mordere; ideò ob morſum famem auferre; Galenus quinto de V.P.cap.4. ait, humorem melancholicum frigidum, & ſiccum eſſe acidum, ſed non ita, vt atra bilis: dum igitur Galenus ſexto de locis affect. ait, atram bilem ſua aciditate efficere inappetentiam; atque ex Auicenna efficere dolores in ventriculo, non intelligit de melancholia naturali frigida, & ſicca acida; ſed de atra aduſta, quæ mordet, & dolores excitat.

2 Dubitatio, Galenus lib. de inæquali intemp. loquens de fame, & ſiti, ait, famem fieri deficiente ſubſtātia ſicca; ſitim, humida. Similiter Ariſtoteles ſecundo de anima tex.28. ait famem eſſe appetitum calidi, & ſicci. Quod videtur falſum; quia effectus poſitiui habent cauſas poſitiuas, & non priuatiuas; fames, & ſitis ſunt effectus poſitiui; ergo cauſæ famis, & ſitis non debent eſſe defectus ſeu appetitus, quod idem eſt.

Quidam Neotericus reſpondet, Galenum loco citato locutum eſſe ſecundum opinionem Antiquorum, & non propriam: idcò primo de cauſis ſymp. cap. 7. referens cauſam ſitis poſuit cauſam, poſitiuam, ideſt caliditatem, vel ſiccitatē ſtomachi. Reijcitur hic uir, dum dicit, Gal. non fuiſſe locutum ex propria ſententia; qnia non profundē conſiderauit naturam famis, & ſitis. Sciendum igitur quod de fame loquendo, uel conſiderantur ſymptomata, quæ neceſſariò quodam ordine ſe conſequuntur, uel conſiderantur cauſæ famis, nunquam in medicina, (ut quoque probauimus lib. noſtro 11. Methodi uitandorum errorum) unum ſymptoma generat aliud ſymptoma, ex Ariſtotele enim 4.Meth.14. accidens non eſt accidentis accidens, ſed eius cui pri-

mo inhæret ad rem ſi cõſiderentur ſymptomata,quæ concurrunt in famis vel ſitis productione, quinque à Galeno primo de ſymptomatum cauſis cap.7. proponuntur,quæ neceſſariò hoc ordine ſe conſequuntur, primum eſt innanitio ſeu defectus alimenti; deinde ſtatim oritur appetentia naturalis, tertio ſuctus,quarto ſenſus ſuctus, & quinto appetentia animalis: ſecundum igitur hanc conſiderationem dicimus, famem eſſe defectum, & merito Galenum dixiſſe loco citato fieri deficiente ſubſtantia: quia defectus eſt primum ſymptoma, & non cauſa dixitque ſubſtantiæ defectum;quia ex Ariſtotele primo de gen. & corupt. tex.21. alimentum, vt ſubſtantia nutrit, & vt quantum auget, ideo fames eſt appetitus ſubſtantiæ. Si verò conſideremus cauſam famis, tunc dicimus eſſe frigidum ſeu acidum humorem: cauſam verò ſitis eſſe caliditatem, vel ſiccitatem, vt docet Galenus.

QVÆST. LXXXV.

Per quas vias aciditas feratur à liene ad ſtomachum.

AVicennas lib.1. doct.5. c. de anatomia pilorum dicit, mitti acidum ſuccum à liene per venam, quæ inſeritur orificio ventriculi.

Anatomiſtæ referunt non inueniri in omnibus cadaueribus hanc venam, quã Auicennas ait,in ſtomachum inſeri.Præterea,quia Galenus de hac vena nihil dixit; ideo plurimi putant eam eſſe imaginariam,& non realem.

Galenus tertio de fac. nat. cap.13. docet, per quas vias humor melancholicus mittatur à liene ad ventriculum: habetque ferè hæc verba: melancholicus ſuccus mittitur à liene in omentum, & ex hoc in lactes,& deinceps ad tenuia inteſtina, & per hæc ad pylorum,& demum ad ventriculi fundum gratia retentionis, nihil tamen dixit, quod gratia appetentiæ mittatur, quamvis id primo de ſymp.cau.cap.7.facile colligi poſſit.

Ego autem de rebus anatomicis maiorem fidem ſemper præſtiti anatomicis, quam Galeno, qui primo de anatomicis adminiſt. c. 2. ingenuè fatetur. Se toto vitæ ſuæ curſu duo tantum humana cadauera,eaque imperfecta vidiſſe.Ego tamen ex anatomicis experimentis obſeruaui ab interna ſplenis regione venas exoriri,quæ deinde excurrunt ad ventriculi fundum: moxque verſus orificium hoc fine ſcilicet vt tranſmittant ſuccum melancholicum acidum ad excitandam famem.

CAPITIS LXIII.

De ſignis frigidi ventriculi.

Frigidus verò natura ventriculus, ad appetendum quidem plurimum viget, ad concoquendum autem minimè, tales præſertim cibos qui frigidi ſunt,& non facile alterationem ſuſcipiunt. Citò itaque in ipſo aceſcunt,atque ideò acides eructationibus talis ventriculus plurimum abũdat,& gaudet quidem frigidis, ſed facilè ab eorum vſu immodico offenditur,ita,& ea quæ extrinſecus frigida occurſant, nequit tolerare, quemadmodum neque calidus, calida.

QVinque proponuntur ſigna frigidi ventriculi.

Primum eſt quia, *ad appetendum plurimum vigent,ad concoquendum autem minimè*. Explicat Gal. ſtatim, quid intelligat per cibos, qui non concoquuntur à frigido ventriculo: ait, duas habere conditiones; alteram,vt ſint frigidi; alteram verò, vt non facilè alterationem ſuſcipiant: dantur enim frigida, quæ facilè alterantur, veluti ſunt ceraſa, ptiſſana, piſces, ſaxatiles, & alia id genus de quibus non intelligit. Cæterũ, quia oppoſitorum ex Ariſt. 1.top.c.8.eadẽ eſt diſciplina, ideò ſi ventriculus calidus plurimum concoquit, & parum appetit, merito frigidus plurimum appetet, & parum concoquet, vt hic dicit Galenus. Cauſa cur parum concoquat eſt caloris penuria: ex Ariſtotele enim 4. meteororum oſtẽdimus coctionem fieri à calido: Ratio verò, cur multum appetat eſt,quia abundat humore frigido melancholico reiecto à liene ad ventriculum, qui ſua aceto ſitate famem facit. Per quos verò du-

ductus feratur ad orificium ventriculi diximus ſuperius in quæſtione de cauſa appetitus.

1 Dub. non videtur, ventriculum frigidum, qui parum concoquit, multum appetere; quia omnes conueniunt, appetitũ ſanorum excitari ob alimenti defectum, qui hoc modo fit; venæ ambitus corporis, dum ſunt alimento priuatæ, id trahunt a uena caua, hæc ab hepate, hepar a porta, & meſeraicis; hæ ab inteſtinis, & hæc a ventriculo; cum igitur orificium ventriculi non trahat ab alijs, & habeat duas propagines nerueas a ſexto pari prodeuntes, quibus animaduertit propriam diſſolutionem, ideo appetit (non potens tutò ab alijs partibus ſuccurri) cibum; dicimus non poſſe tutò ſuccurri; quia dum uentriculus eſt omninò cibo priuatus, & eſt vacuus, ſe conuertit ad meſeraicas, & trahit malos ſuccos, illiſque deindè repletur, quia quælibet corporis pars, quod optimum eſt retinet, quod eſt crudum exhibet alijs partibus; poſita hac theoria, quomodo uentriculus frigidus, qui malè concoquit, qui ſemper cibo incocto abundat, magis appetet, quam calidus uentriculus? qui plurimum concoquit, & ſemper eſt vacuus?

Reſpondent ferè omnes medici, frigiditatem ventriculi habere vim conſtringendi, & exprimendi alimentum, quod eſt in orificio, unde appetitus.

Hæc reſponſio reijcitur, & rectè ab Argenterio, quia orificium ventriculi eſt actu calidum; dum nominamus ventriculum frigidum, non intelligimus ventriculum actu frigidum, ſed minus calidum, quam ſit temperatus, omnes enim corporis viuentis partes, quæ appellantur frigidæ ſunt actu calidæ; cum igitur caliditas actualis non poſſit exprimere, & conſtringere, uana erit hæc opinio communis, quod frigidus ventriculus appetat multum ob frigiditatem expellentem, & conſtringentem.

Quare potius dicendum eſt cum Argenterio, in frigido ventriculo appetitum plurimum eſſe, quia acidis abundat; acida enim conſtringunt, & corrugant, & expellunt ab orificio ſuccum alimentalem.

Nos igitur ſuperius ex Galeno, & Auicenna oſtendimus appetitum eſſe duum generum, alterum factum ab alimenti penuria, huncque dicimus eſſe maiorem in calido, quam in frigido; calidus enim melius euacuatur ob meliorem coctionem; Alterum excitari a melancholia reiecta a liene vſque ad ſtomachum, quæ ut acida excitat famem, quamuis ventriculus cibo plenus ſit. Dum igitur Galenus ait, frigidum ventriculum magis appetere, id intellexit de appetitu prodeunte ab humore melancholico, & non ab alimenti penuria.

2 Dub. ſi ſtomachus frigidus magis appeteret calido, ſequeretur, quod ventriculus ſenum melius appeteret, quam iuuenum, quod eſt ridiculum.

Solutio tradita eſt ſuperius, facili ſque eſt, quia non facit Galenus comparationem inter appetitum ſtomachi calidi, & frigidi, ſed inter appetitum, & concoctionem; cui dubium, quod iuuenum ſtomachus melius appetit? dicit enim Galenus, ſtomachum frigidum magis appetere, quam concoquere, neque abſolutè dicit, quod magis appetat, quam ſtomachus calidus; poteſt enim contingere, ſtomachum frigidum magis appetere, quam calidum, quando eſſet melancholia naturali refertus, quæ valde famem excitat: ſi verò appetitus excitabitur non à ſucco melancholico, ſed à penuria alimẽti, dicimus, vbi in ſano eſt maior penuria, ibi maior eſt appetitus, & talem eſſe in ſtomaco calido, & in ijs, qui multum digerunt, vt ſunt Lupi, Aquilæ, & Leones.

3 Dub. ex Gal. 1. de ſymptomatum cauſis c. 10. & ex Auicenna 13. tertij tractatu 1. frigiditas excitat appetitum, quia vnit & conſtringit tunicas ſtomachi: quibus conſtrictis mouetur fames: ſitis vero fit caliditate liquefaciente humores: quo poſito ſequitur, quod caliditas mitiget, & non excitet ſitim; quia liquefaciẽdo merito liquoris, ſitis deberet tolli: frigiditas verò coarctando humorem alimentalem, famem ſedare deberet, quod reluctatur ijs quæ dicta ſunt, & experientiæ: quia caliditas facit ſitim: frigiditas vero famem.

Solutio facilis eſt, quia caliditas liquefacit humores, & ſimul eos reſoluit, ideo ſitim

ſitim facit;ſi caliditas ſolum liqueſaceret, & nullo modo reſolueret,& exiccaret,eſſet veriſſimum, quod caliditas ſedaret ſitim. Similiter frigiditas cogendo cutim exprimit, & non reſoluit : ideo ſedat ſitim; excitat vero famem,quia frigiditas vel aceroſitas ſucci melancholici cõſtringit tunicam ſtomachi, exprimitque ſuccum alimentalem,unde oritur fames;eoque maior excitabitur , quo magis conſtringetur os uentriculi;uirtus enim vnita fortior.

Secundum ſignum, eſt frequens acida eructatio; Ratio eſt,ut Galenus dicit primo de locis affectis cap.4. & alibi, quia acidæ eructationes à frigida cauſa oriuntur, & primo de alimentis cap.16. ait, ob calorem lac fieri nidoroſum, ob caloris uerò inopiam acetoſum.

4 Dub. Auicennas lib.3. fen.13. tract.1. cap.17. & Alexander Tral. lib.7.cap.14. dicunt aliquando acidam eructationem à calore prodire; dicitque Tralianus multos laborantes acidis eructationibus uſu frigidorũ aliquos fuiſſe liberatos; additque,hos à calidis ualde lædi. Hæc Traliani ſententia uidetur conſona doctrinæ Hippocratis,quia 6.aphor.1.Hippocrates ait,ructus acidi ſuperueniente lienteria, bonum : quia ſignificant aliquem calorẽ eſſe in ſtomacho,ut dicit Gal.in com.ecce igitur acidos ructus indicare calorem; quare malè Gal. dum ait, acidam eructationem indicare uentriculi frigiditatem.

Solutio colligitur à Galeno 4. de ſimplic.med.11.& capitibus ſequentibus,ubi dicit acetum fieri à caliditate, & frigiditate; ibique reijcit opinionem quorundã credentium, uinum à ſola caliditate aceſcere; ait enim acetoſitatem oriri à calore diminuto,qui mutat,ſed non uincit; à calore enim moderato fieri optimum chylũ: ab immoderato nidoroſos ructus; Dum uero Auicennas, & Tralianus dicunt, aliquando acidam eructationem à calore fieri,& uſu frigidorum auferri,nõ malè ſentiunt; quia poteſt id contingere per accidens, quatenus ſcilicet in ſtomacho imbecillo ſint materiæ bilioſæ, uel aliquis ardor præter naturam ab hepate ortus, & ſimul acida eructatio uel ab imbecillitate uentriculi orta, uel à cibis difficillimę coctionis;quibus poſitis certum eſt,non poſſe curari acidam illam eructationem, niſi uſu frigidorum moderantiũ ardorem, & euacuantium materiam bilioſam; quo circa Tralianus non malè dixit, aliquando uſu calidorum lædi, qui habent acidam eructationem. Præterea Galen.8.meth.cap.5.loquens de calido,& ſicco temperamento ait, cruditates ob uſum cibi difficillimæ coctionis in acidiſſimam eructationem mutari; in hoc caſu ſimiliter non conueniret uſus calidorum; quia ſtomachus calidus, & ſiccus eſt; prius igitur eſſet ſtomachus euacuandus, & refrigerandus, & hac ratione defendi poſſet opinio Traliani,quem Valeſius lib.controuerſiarum cap.8.ubi de hac re egit ſummopere reprehendit.

QVÆST. LXXXVI.

De Aceto.

Alexander Tralianus lib.7. c.14. videtur eſſerere; acetum à cauſa calida fieri; ructuſq; acidos tolli poſſe frigidorum uſu;cuius opinio ab omnibus Medicis reijcitur; neque poteſt defendi,niſi dicamus,ructus acidos ex accidenti à cauſa calida prodire;& hac ratione uſu frigidorum aciditatem tolli poſſe; ſicuti dictum eſt à Gal.8.meth.c.5.de calido, & ſicco temperamento cruditatibus referto,quod incidere ſolet in acidiſſimã eructationem; ſtomacho uero frigido cruditate onuſto nõ contingeret eructatio,ſed potius lienteria,quod ſymptoma eſt longè peius; quia dum ructus acidi ſuperueniunt lientericis ex Hipp.6. aphor. 1. optimum ſignum eſt; quod verò frigidorum vſus ex accidenti poſſet auferre ructus acidos,patet,eo quia cauſa efficiẽs ructus eſt calor diminutus, hicque facile tollitur, ſed maximo cum detrimento: Vidimus in Hungaria nonnullos, qui, dum paſſione collica flatulenta valdè lacerarentur hauriebant potionem frigidæ glacie paratæ: quæ extinguebat calorem diminutum, qui requiritur pro facienda ſenſatione, quo extincto, dolores ceſſabant, ſed ſumma cum illorum pernicie: eadem ratione frigida poſſent, ſed ſummo cum detrimento ructus acidos auferre.

Galenus nō improbat, acetum eſſe frigidum: primo enim de ſimpl. med. cap. 19. proponit euidentiſſimum experimentum, quo probat in aceto prædominari facultatem refrigerandi;habetq;hæc verba, *nos vt experiremur aceti potentiã, illinimus tibias multis in locis thapſia, vbi poſt quatuor, vel quinque horas inflamma ri cæpiſſent: huic parti Ego aceto; Alij roſaceo inunxerunt: Alij alia, atque alia, quę aut acrimoniam hebetare, aut refrigerare creduntur, applicarunt: eorum omnium comperimus, acetum in refrigerando eſſe efficaciſſimum:* ex quibus verbis clarè patet ex Gal. acetum non parum refrigerare. Inſuper Gal. libro de marcore cap. 8. in febribus & affectibus calidiſſimus laudat acetum cū lactuca, pauco tamē aquæ admiſſo, quod non laudaret, niſi refrigeraret;abeant ergo qui omnino acetum in febribus prohibent. Præterea lib. 14. de ſimp. med. cap. 12. laudat opinionem Ariſtotelis docentis; acetum eſſe frigidum per ſe, ibique Galenus admonet ad hypocondria ardentia ſuccum omphacij eſſe præſtantiorem aceto; ait enim acetū habere violentam frigiditatem; ſed libeat Galeni verba afferre, *etenim ad hypocondria ardentia præſtantior eſt ſuccus omphacij, quam ipſum acetum, quod nec violentam, ac ferientem habeat frigiditatem, nec eam admiſtam mordaci caliditati*, ex quibus verbis tria colligi poſſunt; primum acetum inflammatis partibus prodeſſe; ſecundum febricitantibus acetum cum lactuca cocta, & eius aquę pauxillo poſſe concedi, & præcipuè, dum valdè ægrotantes illam exoptant. Tertium in ardoribus magis conuenire omphacium, quam acetum.

Quomodo autem fiat aciditas, Galenus 4. de ſimpl. med. cap. 15. his ferè verbis declarat; aciditas fit à calido mutante, & à frigido vincēte, vt ructus acidi oſtēdunt, qui fiunt vbi cibi ſemicocti ſunt; itaque, vt fiat aciditas, requiritur vis calefaciendi, quæ moueat tantum, & vis refrigerandi, quæ vincat & ſuperet; Hinc Galenus 2. de temperamentis capite 6. ait, acidos ructus indicare calorem imbecillum, & talem, vt moueat, ſed non vincat; Hinc quoq; fit, quod 3. de ſimpt. cauſis cap. 1. docet, acidas corruptelas ex cibis frigidioribus fieri, & primo de locis affectis cap. 4. habet, cibi in nidorem tranſeant cauſam efficientem eſſe calidā, ſi aceſcant frigidam. Pręterea 4. de ſimp. med. cap. 12. docet, ſi vinum refrigeretur aceſcit, refrigeratur a calore reſoluente portionē calidam, ſed non vincente; quia tunc fieret amarum: Hinc ſi vinum igne coquatur non aceſcit, ſed potius amareſcit; quia ignis ſemper vincit: ſi vero in tepido loco conſeruetur, vt dicit Galen. libro de antidotis capite 3. promptè aceſcit; quia vinum à tepore ambiente commouetur; & non vincitur.

Experientia quoque docet, aciditatem fieri a frigiditate vincente, & à caliditate tantum mouente: quia videmus dulcia, dum vincuntur à caliditate ſemper amareſcere, dum vero vincuntur à frigiditate aceſcere; Hinc fit, quod ſucci herbarum, qui conſeruantur in officinis, niſi vaſa oleo obturentur, primo à calore tepido ambientis commouentur, deinde ebulliunt, facta ebullitione eorum calor reſoluitur, quo reſoluto refrigeſcunt, & deinde aceſcunt; itaque duo requiruntur, vt aliquid aceſcat calidum mouens & frigidum vincens: Galenus enim 4. de ſimpl. med. capite 18. ait, niſi calor moueat non fiet acidus ſapor: Hinc ait, hyeme ob frigus lac, ptiſanam, & reliqua difficilius aceſcere, quam æſtate, ſimiliter craſſa, & frigida nūquam fiunt amara; ſed acetoſa: quia frigiditas, & non caliditas in ipſis dominatur. Hinc 10. methodi capite 9. loquens Gal. de vſu aceti docet, acetum habere virtutem refrigerandi, eſſeque tenuiſſimarum partium, & habere admixtam ſibi aliquam caliditatem: additque acetum corpora ſiccare, quamuis ad imaginationem humidum ſit; quo fit (ait) vt ad eos affectus, quos humectare, & refrigerare expedit ſolo eo non vtamur, ſed tantum aquæ frigidę admiſtione, vt bibi poſſit: Demum lib. 8. de ſimplic. med. capite de aceto docet, acetum eſſe magis frigidum, quam calidum, & tenuium partium, ſiccumque in tertio gradu.

QVÆST. LXXXVII.

Aciditas cui per ſe conueniat.

Videndum eſt, quibus aciditas per ſe conueniat: quoniam aciditas non ſolum

ſolum prædicatur de humore melancholico, ſed de pituita acida, de vitrea,& de quibuſdam ventriculi cruditatibus : par igitur eſt, vt inueſtigemus à quo humore per ſe prodeat aciditas:quia vnum vt vnū ab vno, & non à pluribus per ſe prodit: hoc ſuffultus principio Ariſtoteles inuenit primo Cæli quintam eſſentiam, & 2. poſt. oſtendit quid ſolum haberi poſſe per vnicum inſtrumentum logicum, & non per plura.

Quod verò acidus ſapor per ſe non cōueniat pituitæ, patet: quia de ratione pituitæ eſt,vt per ſe humida ſit: aciditas verò,cum ſit qualitas ſicca,non poterit à pituita prodire:eadem ratione non conueniet crudis humoribus; quia cruda per ſe humida ſunt. Præterea neque conueniet aduſtæ melancholiæ : aciditas enim eſt qualitas ſicca,& frigida; conueniet ergo melancholiæ naturali, quæ eſt fæx ſanguinis: quod verò melancholia, quæ eſt fæx ſanguinis, ſit frigida,& ſicca : patet ex Gal. lib. de tremore, & palpitatione capite 7. & libro ad Glauconem, vbi agit de melancholia.

1 Dub. non videtur, quod aciditas per ſe conueniat melancholiæ naturali, quia omnia acida ſunt tenuium partium : melancholia verò eſt craſſarum.

Solutio facilis eſt: quia aciditas conſiſtit in parte ſeroſiori melancholię: nullus enim humor magis abundat ichore, quā melancholia: Hinc Gal.3.de locis affect. ex ſententia Dioclis refert , hypochondriacos eſſe ſputorum abundantes , & à potu abſtinentes: 6.verò epid.com.2.tex. 38. ait,ſanguinem melancholicorum eſſe ſeroſum: Ariſt.9.problem.5. inquit melācholiam delectari ſeroſitate, 2. de partibus animal.4. aſſerit,corpora ſanguinem dilutum habentia eſſe timidiora: quare; & melancholia: timor enim arguit melancholiæ dominium; Hippocrates 4. de morbis ait,lienem eſſe aquæ locum,& libro de genitura vocat melancholiam aquam; lib. de internis affectibus vult pro lienoſis remedia eſſe diuretica: 2. epid.2. citat hiſtoriam Bionis habentis ſplenem elatum,& durum ; refertque euaſiſſe, quia multum minxit ; ſimiliter ſecundo epidemior.3. ait, quartanas iudicari ſudore.

Hactenus patet, acidam qualitatē pituitoſis humoribus per accidens conuenire. In præſentia videndum eſt qua ratione per accidens: dicimus igitur aciditatem tribus modis per accidens humoribus conuenire poſſe, primo quia pituita eſt dulcis,& ſua natura frigida;tale enim omnia promptè aceſcunt;quia dulcia habent caliditatem mouentem, & frigiditatem vincentem;ſecundo fit acida,quādo ichor ſanguinis ſua natura dulcis permiſcetur pituitæ; Tertio aceſcit, quando ichor acidus melancholiæ in ventriculū mittitur, & pituitæ miſcetur. Sed interim duæ occurrunt dubitationes magni momenti.

2 Dub. non videtur, quod aciditas, quæ eſt melācholiæ naturalis proprietas poſſit alijs humoribus per accidens conuenire: Rerum enim proprietates, & definitiones alijs nec per ſe,nec per accidens conueniunt; hinnibilitas conuenit equo; alijs vero ſpeciebus nec per ſe,nec per accidens vnquam conueniet.

Reſpondetur , aliquando rerum proprietates eſſe communicabiles; quia eorum ſubiecta permiſcentur, & alijs communicantur ; hac ratione aciditas communicatur alijs;ſimiliter quia melancholiæ ſerum, quod eſt aciditatis ſubiectum pituitæ, & crudis ſuccis communicatur, ideo eos acidos reddit: Equus vero non commiſcetur alijs ſpeciebus, ideo hinnibilitas nec per ſe , nec per accidens alijs conuenire poteſt.

3 Dub.non videtur,quod ſemper pituita ob permiſtionem ſeri melācholici acida fiat; quia pituita dulcis, quæ eſt ſemiſanguis ob ſimplicem ebullitionem ſine alia permiſtione acida per ſe fit ; idcirco falſum eſt, quod dictum eſt ſuperius.

Reſponderi poteſt, aciditatem factam poſt ebullitionem pituitæ pendere à terreo,& ſicco humore, qui eſt melancholicus,quique ob leuem ebullitionem reſoluentem calidum, & humidum in pituita generatur, hancque pituitam participare ſuccum melancholicum, qui in ipſa poſt ebullitionem exoritur.

Hinc Gal. lib. de plenitudine capit. 10. docet pituitam acidam reddere homines famelicos: quare niſi eſſet frigida, & ſicca, & per conſequens melancholica non ex-

excitaret famem. Hac ratione non eſt Auicenna omnino improbandus, dum ait, pituitam poſſe conuerti in melancholiam, decipitur tamen, dum cenſet, melancholiam à pituita ortam eſſe quartum genus melancholiæ; mihi enim cum Galeno tria genera melancholiæ ſufficere videntur: quia melancholia diſperſa per acidam pituitam eſt eadem cum fæcali: eædem quoque ſunt proprietates; Hinc Galenus 3.de locis affect.7.refert poſt pituitoſas febres fieri quartanas: abſumpta enim pituita, quod relinquitur eſt melancholia.

Neque Argumenta Manardi libro 9. epiſtol.2. & Valeſij, quod nullo modo ex pituita poſſit fieri melancholia, aliquid roboris habent; Duo ſunt illorum argumenta; primum hoc eſt, quæ extremè diſtant non poſſunt in ſe inuicem tranſire, niſi per medias commutationes; at pituita eſt huiuſmodi; ergo non poteſt conuerti in melancholiam.

Reſpondetur, pituitam vt eſt pituita in melancholiam non conuerti; ſed in ipſa eſſe aliquas terreas portiones, quæ poſt ebullitionem, & enaporationem humiditatis, & dulcis ſubſtantiæ remanent, & prædominantur; quæ ad nullum ex quattuor humoribus reducuntur, niſi ad melancholiam.

Secundum argumentum contra Auicennam tale eſt: pituita non eſt vſtioni apta: quia ſi conijciatur in ignem, non vritur; ergo non poteſt conuerti in melancholiam.

Hoc argumentum eſt vaniſſimum; quoniam neque bilis aduſta vomitu reiecta, ſi ſtatim in ignem inijciatur, eſt vſtioni apta; omnes enim humores corporis viuentis ignem extinguerent.

Quænam igitur ſit illa ſuccorum ſubſtantia, qua abeunte, illicò ſucci aceſcunt, exemplo vini facilè percipitur; Galenus ſecundo de facultatibus naturalibus cap. 9.& 4. de ſimplici med. ait, vinum habere quatuor partes quatuor elementis proportione reſpondentes, quod in omni mixto obſeruari poteſt; prima vini portio eſt fæx; ſecunda flos, qui ſupernatat, & aeri reſpondet; tertia eſt vini ſubſtantia, quæ aquæ; quarta eſt aqua vitæ, quæ igni reſpondet, itidem in ſuccis herbarũ obſeruantur fæx, flos, propria ſubſtantia, & aqua vitæ.

Vt igitur penetremus, quomodo vinum fiat acetum, ſtandum eſt experientiæ, omnes enim deſtillatores conueniũt, in aceto fæcem vini, & aquoſam, ſeu vinoſam ſubſtantiam, & florem inueniri; aquam vitæ verò ſolum abire; ſequitur ergo, acetum fieri, quando aqua vitę euolat, patet hoc, eo quia ex aceto deſtillatores nihil aquæ vitæ hauriunt, patet ſimiliter, quia vt acetum cito bonum fiat in loco calido ponitur, quia ibi cito aqua vitæ, ſeu vini ſpiritus exhalat, & vinum aceſcit.

Ha poſita veritate colligimus, acetum eſſe frigidum, quia priuatum eſt igneo ſpiritu, habet tamen aliquam acrimoniã, quia nihil aceſcit ſine illa ebullitione, quæ fit à calore extraneo, habet tenues partes, & valdè penetrantes; quia lentor vinoſæ ſubſtantiæ à calore ebullitionis diſſecatur, habet vim aſtringendi, quia ſiccum, & terreum permixtum habet, eſtq; ſiccum, quia ob præcedentem ebullitionem abijt humiditas vitalis. Ex his facilè colligere poſſumus, quid ſit acetum, vnde fiat, & quibus humoribus per ſe conueniat; eius enim ſubiectum principale eſt melancholia fęcalis, vt probatum eſt, adæquatum verò caret nomine, quia ſiccæ, & terreæ portioni, quæ remanet poſt ebullitionem pituitæ, vel ſuccorum herbarum, imponere nomen nullus philoſophorum ſciuit vnquam.

Tertium ſignum, *gaudet quidem frigidis*.

Oſtenſum eſt ſuperius contra Argenterium ſimilia ſimilibus eſſe conſeruanda, inter cætera propoſuimus locum Galeni 8.methodi cap.9. vbi admonet, in ſanis duplicem nobis eſſe propoſitum finẽ, alterum tuendi priſtinam temperiem, qua ratione ſtomachus frigidus ſimilia frigida expoſcit, quæ tamen non excedant, ſed talia vt facilè conuertantur, alterum reducendi hominem ſanum ad meliorem temperaturam, & hac ratione non ſimilibus, ſed contrarijs procedendum eſt.

Quartum; *ab immodico vſu frigidorum ventriculus frigidus offenditur.* Ratio eſt, quia ſimilia debent eſſe in qualitate, & in

in aliquo gradu: ea enim eſculenta, quæ ſine labore à ventriculo frigido conuertuntur, ſunt ſimilia quoq; in aliquo gradu;hæcque ſunt ſymbolica,& illorum facilior eſt tranſitus; facilius enim fit ignis ex aere,quam ex aqua; quia in aere adeſt caliditas, quæ eſt igni ſimilis: relinquitur ergo in aere vna qualitas ſola ſuperanda: Hinc eſt quod,ſi frigus eſſet immodicum reſpectu temperaturæ ventriculi, ſequeretur aliqua læſio in ventriculo.

Argenterius improbat Gal. dicentem frigidum ventriculum gaudere frigidis; dicitque hoc reluctari experientiæ; quia qui acidis eructationibus infeſtantur, & frigido ſunt ventriculo, appetunt calida qualia ſunt piper,& alia aromata. Præterea, qui ſunt ventriculo frigido, refrigerantia extrinſecus in Regione ventriculi appoſita valdè lædunt; quare concludit, Galenum quam maximè erraſſe.

Soluuntur facillimè ineptiſſimæ Argenterij inſtantiæ: quia Galenus conſiderat cibos, vt ſunt vitales, & idonei tranſmutationi, & conuerſioni in chylum:& nequaquam,vt alterantes in contrarium; cui dubium, quod piper & ſimilia calida vt alterantia in contrarium frigido ventriculo iuuabunt? non tamen iuuabunt vt concoquentia & apta tranſmutationi; ſi cibus enim debet tranſire in optimum chylum, oportet, vt ſit aliquod ſymbolum, ideſt vt in cibo ſit aliqua qualitas ſimilis ventriculo tranſmutanti,aliter tranſmutatio eſſet quam maximè difficilis; piper igitur iuuabit, vt remedium curatorium, non vt vitale. Dum verò Argenterius citat Ariſtotelem in libro de reſpiratione; ſic loquentem, *qui calore excellunt, in frigido poſiti melius ſeruantur: contra qui frigore in calido*, non reluctatur Galeno, qui pro fundamento totius medicinæ poſuit contrarijs alterandum eſſe. Cæterum mirari debemus Argenterium, qui in rebus leuiſſimis & notiſſimis (non dicam) Galeno, ſed circulatoribus & tonſoribus, auſus ſit tam diuinum virum lacerare; nullus enim eſt è populo qui neſciat contraria eſſe auferenda contrarijs; ſimiliter omnes rudiores medici per Argenterium ſciunt diſtinguere indicationes vitales à curatorijs: abeat ergo cum ſuis nugis, tricis apinis, & ſi quid vilius iſtis.

Quintum, *ſed à frigidorum vſu immodico offenditur ventriculus*. Frigidus ventriculus à nimio frigidorum vſu læditur, non ſolum in parte curatrice artis medicæ,verum etiam in parte de tuenda ſanitate. Hinc Hippoc.2.ſect.aphor.51.admonet,omne nimium naturæ inimicum.

Sextum ſignum, *frigida externa ventriculus frigidus nequit longiori tempore tollerare,neque calidus calida:* cauſa, cur ventriculus gaudeat cibis frigidis, & non poſſit tollerare frigus externum, nec vẽtriculus calidus calidum externum, eſt quia cibi frigidi facilè coquuntur & conuertuntur in ſubſtantiam nutriti; frigus verò externum alterat, & non conuertitur in ſubſtantiam; ſimiliter calor externus auget calorem,quia non vincitur,ſicuti vincuntur ea quæ concoquuntur.

4 Dub. frigida difficillimè coquuntur, ſicuti cochilia, oſtreæ,& alia id genus;ergo frigidus ventriculus non poterit ijs gaudere,& iuuari.

Reſpondetur non omnibus frigidis cibis gaudere ventriculum frigidum, ſed ſolum illis, vt ſuperius dixit Gal. quæ alterationem facilè ſuſcipiunt.

Notandum: calidum ventriculum iuuari à frigido, ſed non vt frigidum, ſed quatenus à frigido concentratur calor naturalis,vnde auget & roboratur. Tempore æſtiuo in magno æſtu, quando omnia viſcera magno flagrãt calore fit quædam actualis caliditas in ore, in ſtomacho & in ventriculo, quæ tolli non poteſt, niſi ab actuali frigido: ideò Gal. dicit ventriculum calidum non lædi a frigidis ſi illis modicè vtatur. Hinc in illo magno æſtu non damnamus vinum, niue ſeu glacie refrigeratum,ſi obſeruentur quinque conditiones infraſcriptæ.

Prima conditio eſt, vt huiuſce vini niue caſtigati vſus ſolùm in maximo æſtu obſeruetur.

Secunda conditio eſt, vt vinum tale, non adeò frigidum ſit,vt guſtus eius non præſentiatur.

Tertia conditio, vt in bibendo, non excedamus tres ſeu quatuor cyatos conſuetos.

Quarta conditio, vt huiuſcemodi vinum frigidum potetur poſt aſſumptum ali-

áliquem cibum actum calidum, & boni nutrimenti.

Quinta conditio eſt, vt ſenſim & paulatim, & non affatim bibatur, nam tardè deſcendendo perfectam antiperiſtaſin facit, minuſque nocet.

CAPITIS LXIII.

Particula II.

Tex. 72. *Malæ verò temperaturæ, quæ morbi ratione ventriculum occupant hoc differunt ab his, quæ innaturales exiſtunt, quoniam contraria, non autem ſimilia appetunt, quemadmodum naturales.*

GAlenus in his verbis dat commune præceptum omnibus temperaturis; dicit igitur malas temperaturas eſſe in duplici differẽtia, aliquas eſſe morbificas, quæ lædunt propriam operationem; aliquas verò eſſe malas temperaturas naturales, quæ dicuntur malæ intemperaturæ: quia non ſunt æquales: ſed recedunt ab æquali, quæ eſt regula aliarũ; non tamen dicuntur morboſæ; quia conueniunt ſanis; operatio enim ſenſibiliter non eſt læſa; poſita diſtinctione, ait Gal. temperaturas naturales ſanorum appetere ſimilia; temperaturas verò malas, ideſt morboſas, quæ lædunt operationem propriam contraria appetere.

1 Dub. non videtur, quod intemperies morboſæ, & præter naturam appetant contraria, vt admonet Gal. in tex. quia pica eſt affectus præter naturam prodiens à redundantia prauorum humorum: nihilominus ſtomachus pica correptus appetit ſimilia, & non cruda. Similiter mulieres vtero gerentes primis menſibus appetunt edulia peſſimi ſucci præterea, qui ſunt morſi à cane rabido non aquam, quę eſt contraria ſicciſſimæ rabiei appetunt, ſed potius ſicca, quæ ſunt ſimilia.

Reſpondetur, intemperiem vel eſſe factam, vel adhuc fieri; poſita hac diſtinctione dicimus, quod intemperies dum fit, appetit contraria, vt ad ſtatum naturaliſſimum perueniat; dum verò eſt facta appetit ſui conſeruationem, quamuis ſit præter naturam. Hinc dicimus intemperiem, quæ efficit picam eſſe factã, ideò edulia cruda appetere, quibus talis conſeruari poſſit; ſimiliter grauidæ dum appetunt cruda, ſtomachus illis imbibitus effecit intemperiem; Idem dicimus de rabie, dum adeſt hydrophobia, tunc rabiem eſſe in facto eſſe, ideo rabidos non appetere contraria, ſed ſimilia; vel dicimus cum doctiſſimo Rudio rabidum abhorrere aquam, non vt contrariam, ſed vt ſimilem, & ſibi pernicioſam; quæ .n. rabidum ſanant non humida, non humida, ſed ſicciſſima ſunt; Hęc eſt noſtra reſponſio, alia tamen a Valeſio l. 5. c. 7. proponitur; ſed quia videtur omninò diſſona, huc illam afferre noluimus.

2 Dub. videtur, quod temperaturæ naturales appetant contraria, & non ſimilia; quia ſicuti pulmo calidus appetit aerem frigidum; ſimiliter ſtomachus calidus appetit potum frigidum.

Solutio dubitat. colligitur ex Galeno lib. 8. meth. c. 9. vbi docet, duplicem nobis in ſanis proponendum eſſe finem; alterũ, vt tueamur priſtinam temperaturam, quod fit ſimilibus; alterum vt temperaturam ſanam reducamus ad meliorem ſtatum, & ſic appetimus cõtraria. Ad dubiũ dicimus, pulmonẽ non deſiderare per ſe, & ratione ſui aerem frigidum; ſed ratione cordis, vt eius igneus ardor auferatur, quòd contrarijs fit; ſimiliter ſtomachus calidus, ſi eſt inter limites ſanitatis, & appetant calida, dicimus ea appetere, vt reducantur ad meliorem ſtatum.

3 Dub. famelicus & ſiticuloſus, quamuis ambo eſſent temperatiſſimi, & in puncto medio, quod eſt mẽſura cæterarum temperaturarum, appetunt tamen contraria: Siticuloſus enim eſt ſiccus, & appetit humidum: famelicus eſt frigidus, & appetit calidum; ecce quod ſani homines contrarijs conſeruantur, & non ſimilibus, vt docet Gal.

Soluitur varijs modis hæc inſtantia. Quidam dicunt cum Gal. 4 de ſimp. med. famelicos & ſiticuloſos eſſe in ſtatu præter naturam; ideò appetere contrarium, ideſt cibum & potum, vt reducantur ad ſtatum ſuum naturalem; quæ reſponſio accipi poteſt. Alij negant famelicos & ſiticuloſos appetere contrarium; quia appetunt per ſe primo non externum cibum,

bum, ſed id quod immediatè conuertitur in ſubſtantiam nutriti; dicuntque illud eſſe ſimile, & non contrarium, & rectè reſpondent, quia cambium vel gluten nobis ſunt omnino ſimilia.

CAPITIS LXIV.

Particula I.

De compoſitis temperaturis ventriculi.

Mala autem temperatura in ventriculo coniugata ex compoſitione ſimplicium cognoſcuntur.

GAl. breuitati ſtudens omiſit ſigna temperaturarum compoſitarum, neque tamen eſt diminutus: quia lectores cognitis ſimplicibus facilè intelligent compoſitarum temperaturarum ſigna. Hocque libentius omiſit; quia ſuperius nobis tradidit methodum dignoſcendi compoſitas; prius enim conſideramus caliditatem & ſiccitatem cum pari menſura, deinde cum impari & inæquali; idem dicimus de alijs temperaturis. Demum indicia debent conſiderari, an ſint mitiora vel intenſiora: quia ſic conſiderata indicant maiorem vel minorem exceſſum vnius, vel alterius qualitatis.

QVÆST. LXXXVI.

An ventriculus nutriatur chylo.

AVerr. 2. coll. 9. cenſet, ventriculum nutriri chylo, & non ſanguine: eādem opinionem ſecuti ſunt Argenterius in expoſitione cap. 38. huius libri Valeſius in quæſtione propria, Veigha, & Laurentius Ioubertus, & quamplurimi alij.

Fundamenta iſtorum deſumuntur ab auctoritate Galen. à ratione, & ab anatomia. Ab auctoritate; quia Gal. lib. 3. de facultatibus naturalibus c. 7. & præcipuè c. 13. 2. aph. 18. & 4. de tuend. ſanit. in fine libri ait, ventrem partem cibi conuenientem in chylum conuertere, apponere, vnire, & aſſimilare: ecce dicunt, ex Gal. ventriculum chylo nutriri proprijſſima nutritione, & non illa, quam vocant qualitatiuā: A ratione, quia ſi ſtomachus chylo non nutriretur, ſequeretur, quod ingeſto cibo & potu, non illicò ceſſarent fames, & ſitis: Ab anatomia Valeſius, & Veigha hoc deſumunt fundamentum, dicunt vētriculum non habere ramos venæ cauæ, ſed ſolum portæ, in qua chylus cōtinetur, & adhuc nō eſt factus ſanguis; quare inferunt ventriculum nutrito chylo intelligēdo de vera, & propriјſſima nutritione.

Reijciuntur propoſita fundamenta: quia Gal. locis citatis intelligit de imperfecta quadam nutritione, & non de perfecta, quæ fit per aſſimilationem ſanguinis & non chyli, vt paulo infra oſtēdetur: Præterea qui rectè expendet Gal. verba locis citatis non intelliget de vera nutritione, ſed de ventriculi voluptate & fruitione, quam concipit in amplexu cibi, qui coqui nullo modo poteſt, niſi tunicis vētriculi apponatur, vniatur, & aſſimiletur. Hinc ſicuti tunicæ illæ albæ ſunt; ſimiliter chylus albus fit; quare per aſſimilationem non intelligit ventriculi nutritionem: dum igitur Gal. ſecundo aph. 48. habet hæc verba, *ventriculum cibis frui, familiarem ſibi ſuccum ex illis attrahere, et ſuis apponere tunicis, mox vbi eſt ſaturatus, tunc ipſos emittere vt permeent:* ecce ventriculum frui cibis, quia quælibet pars in ſuo obeundo munere valdè delectatur: ſimiliter familiarem ſuccum ventriculum attrahere, & apponere tunicis non pro nutritione, ſed pro conuerſione: omne enim agens per contractum agit: Denique, dum dicit, vbi eſt ſaturatus, tunc ipſos emittere, vt permeēt: clariſſimè docet ventriculum nullo modo nutriri chylo, ſed illum totum emittere, vt permeat ad inteſtina, & hepar. Poſtremo ſi Gal. intelligeret, ventriculum chylo verè nutriri ſibimet aduerſaretur quia 3. de temperamentis cap. 2. vult, nutrimentum quod conuertitur in ſubſtantiam nutriti per tres concoctiones eſſe elaboratum.

Quo ad fundamentum deſumptum à ratione, quæ eſt, ſi ſtomachus non nutriretur chylo, cibus & potus ingeſtus non auferrent famem & ſitim: nihil valet, tū quia cibus vertitur in chylum, poſt quinque vel ſex horas: & vltra, & non illo tēporis momento, quo ceſſat fames ab aſſumpto cibo, & ſitis ab aſſumpto potu;

tum

tum quia rude illud alimentum, quod ſtatim ingeſtum tollit famem, eſt obiectum nutritionis adeò imperfectum, improportionatum, & remotum à ſubſtantia & natura nutriendæ particulæ, vt ſit aſſertio omninò ridicula illorum, qui putant ventriculi tunicas illicò, & ſtatim chylo eo modo nutriri, & in earum ſubſtantiam conuerti, ſed paulo infra ex Gal. auctoritate, & natura rei intelligemus quam inepta ſit iſtorum opinio.

Quo ad illud quod dicebant Veigha & Valeſius, vētriculum ſcilicet nutriri chylo, & non ſanguine quia non eſt contextus ſurculis venæ cauæ, ſed ſolum ramis portarum, in quibus chylus, & non ſanguis continetur, eſt erratum inſigne, quod meritò ab Anatomicis noſtris reijcitur quia ventriculus & inteſtina præter venas à porta prodeuntes multis ramulis venæ cauæ intertextus eſt. Poſtremo ſanguis portarum non eſt chylus, ſed ſanguis ſecundum omnes qualitates à chylo diuerſus.

Secunda opinio eſt Auicēnæ 1.1. doct. 5.tract.5.cap.2. qui cenſet, tunicam exteriorem ventriculi nutriri ſanguine; interiorem vero chylo. Reijcitur, quia ſtatuit Gal. 3. de temperamentis c. 2. nutrimentum non conuerti in ſubſtantiam nutriti, niſi perficiatur à tribus coctionibus, quarum prima fit in ventriculo; ſecunda in hepate, & tertia in qualibet parte nutrienda.

Tertia opinio eſt quorundam Arabum, qui putant, partem ſuperiorem ventriculi ali chylo, inferiorem vero ſanguine; hæc quoq; reijcitur eodem modo, quo reiectæ ſunt duæ ſuperiores opiniones, ſed addenda eſt ratio, qua audita aduerſarij nec loqui, nec hiſcere poſſunt, quæ eſt, quod ventriculus fætus exiſtentis in vtero matris, non chylo, ſed ſanguine materno nutriatur per vmbelicalem ductum; ergo omnium vaniſſima eſt opinio dicentium, ſtomachum non poſſe, niſi chylo nutriri.

Vera igitur eſt opinio communis, quod ventriculus non chylo, ſed ſolum ſanguine alatur: quod confirmatur auctoritate, & ratione: Gal. enim 3. de temperamentis c. 2. ait, nutrimentum corporis non nutrire, niſi per tres coctiones elaboratū ſit: chylus enim 1. digeritur in ventriculo: mox per ſurculos portæ ad hepar peruenit, deinde excurrit per ſurculos cauæ ad omnes corporis particulas, quæ deinde ex ſanguine perfectè cocto alliciūt quod eſt ſibi familiare. Inſuper adeſt ratio allata deſumpta à fætu, cuius ventriculus non chylo, ſed puro ſanguine delato per vas vmbilicale alitur; neque valeat quod ſomniauit Valeſius, ventriculum fætus nutriri craſſiori ſanguine reſpondente chylo; quaſi quod ſanguis craſſior non ſit ſanguis. Demum ſi ventriculus nutriretur chylo, ſequeretur, quod tranſeunte chylo à ſtomacho ad hepar, vehementior eſſet fames; quia tunc eſt maior inanitio in ventriculo, quia relinquitur vacuus.

Cauſa verò, cur ſtatim ingeſto cibo & potu ceſſet fames & ſitis, eſt inuentu difficillima; neque hactenus inueni, qui mihi ſatisfaciant quare cum diu meditarer, incidi in hanc opinionem, famen ſtatim repleto ventriculo tolli, quia repletione tenduntur venæ, quæ ventriculum nutriunt; quæ antea ob vacuitatem ſubſidebant: quibus tenſis ſtatim ſanguine replentur; vnde ſtatim nutritio & expulſio famis & ſitis; nunquam mihi illorum opinio placuit, qui dicunt ventriculum cibo rudi & indigeſto ſtatim ali, non quantitatiua, ſed qualitatiua nutritione; quia qualitas ſine quantitate eſt quid chimericum, quod non poteſt conuerti in ſubſtātiam nutriti. Alij inueniant meliorem ſolutionem, illam enim nos amplectemur, & ad ſydera laudibus extollemus.

QVÆST. LXXXX.

An chylus magis à ventriculo, quam à viſceribus illum circumſtantibus fiat.

Conueniunt Medici ad primam coctionem comparandam, non ſolum tunicas ventriculi: verum etiam membra omnia circumiacentia conſpirare, tum ſuo calore, ac ſi eſſent foci, & carbones, tum hypocondriorum craſſitie, & pinguedine, quæ ex Galen. 2. aphoriſm. 35. valdè iuuant primam coctionem; pinguedo enim, ſeu

ſeu craſſities tegit, prohibetque ne calor proprius ventriculi exiliat: deinde pinguedo cum ſit calida & humida, eſt valdè coctioni proportionata: coctio enim fit à calido & humido. Quod verò hæc membra circumiacentia ex Gal. valdè iuuenr ventriculum, patet ex 3. de facultatibus naturalibus cap.7. & 4. de vſu part. octauo, & nono, vbi inqnit naturam conſtituiſſe ventriculum vt lebetem, cui inſtar focorum circunſtantia membra ſint: Hepar in parte dextra, lien in ſiniſtra: cor in parte ſuperiori, ſeptum paulò infra omentum in parte anteriori; venæ & arteriæ maiores in parte poſteriore colũ inteſtinum, quod eſt refertum pinguedine in parte inferiori; horum igitur beneficio ventriculus efficit chylum; quare ſi ventriculus erir ſicuti lebes, & membra circumſtantia vt carbones igniti, dicendum eſt nõ à lebete, ſed à focis & carbonibus ignitis fieri coctionem. Accedit quod ſicuti Gal. voluit ventriculum eſſe veluti lebetem: ſic Ariſtot.2. de partibus animal. vult eſſe ſicuti præſepe in quo Brutia comedere ſolent, & veluti terra, vnde radices nutrimentum hauriunt, quare chylificatio non à ventriculo, qui eſt ſolum præſepe, ideſt cibi conceptaculum; ſed potius à viſceribus ipſum ambientibus fieri videtur. Hinc Gal.2. aph. 35. potius referr malam coctionem in hypocondria tenuia, quam in tunicas vẽtriculi, quare videtur quod chylificatio magis proueniat à membris circunſtantibus, quam à tunicis ventriculi.

Reſpondent nonnulli ad propoſitas inſtantias hoc modo: cibi tranſmutationem dupliciter conſiderari, vel abſolutè, vt ſcilicet eſt cibi tranſmutatio; vel vt hęc tranſmutatio cibi eſt chylificatio dicunt cibi tranſmutationem primo modo conſideratam magis fieri à membris circunſtantibus, quam à ventriculi calore; ſecundo modo magis à calore ventriculi.

Reijciuntur, quia prima tranſmutatio cibi abſolutè, & trãſmutatio cibi in chylũ idem omninò eſt, ideò non plures, ſed vnicã habet cauſam formalem, à qua prouenit tam cibi tranſmutatio, quam tranſmutatio in chylum, quod in idem recidit: ſecundo enim poſteriorum cauſa, quę dat quid, dat conſequentia quid. Præterea chylificatio non fit à calore, vt calor eſt; quia omnis calor eam efficere poſſet; ſed à calore ventriculi innato, & inſito, qui conuenit ſolo ventriculo, & non alijs; calor verò membrorum circunſtantium eſt influens, calor ventriculi eſt proprius; calor membrorum circunſtantium eſt ſicuti calor ſolis in generatione hominis: calor inſitus ventriculi eſt ſicut homo hominẽ generans; ſimpliciter impoſſibile eſt vt Cælum generet hominem ſine homine: ſed non eſt ita ſimpliciter impoſſibile, vt homo generet hominem ſine Cęlo.

Nos reſpondemus ad primam inſtantiam, ſolum concludere, hypocõdria eſſe adiuuantia coctionem, & non efficientia: oporteret prius probare, hypocondria primam coctionem efficere, & deinde chylum magis à membris circumſtantibus fieri: inſtantia igitur extra quæſtionem eſt.

Ad ſecundam inſtantiam de ſimilitudine lebetis, & præſepij. Reſpondemus, ſimilitudinem ſeu analogiam non arguere identitatem ſpecificam: ideò Ariſt. loco citato concedit, ventriculum habere calorem ſuum inſitum & naturalem, quo concoquit & conuertit cibum in chylũ, quippe qui non eſt in præſepio, ſimiliter Galenus lib. de facult. naturalibus, & alibĩ oſtendit differentiam inter lebetem, & ventriculum; quia ventriculus amplectitur cibum, mox illud atterrit, comminuit, & conuertit in albedinem ſibi ſimilem, quod lebes non efficit; idem dici poteſt de præſepio.

CAPITIS LXIV.

Tex. 73. *Oportet autem eas quæ iam ſunt dicta diligenter aduertere, eaſdem ad his quæ dicentur, diſtinguentes. Non ſolum enim ventriculos ſitibundos, & minus ſicientes facit & frigidi calidine potus appetentes; ſed ea quoque viſcera, quæ in thorace ſunt vt cor, & pulmo.*

Videns Galenus quod ſigna indicantia temperaturas non ſeorſum accepta; ſed ſolum in ſyndromen collecta habeat vim indicandi temperaturas; ideo antequam ageret de pulmone,

ne, cuius temperaturæ manifeſtantur quoque per aliqua ſigna tradita in capitibus de temperaturis ventriculi, voluit in hoc loco tradere nobis præcepta, quibus poſſimus diſtinguere ſigna temperaturarum ventriculi à ſignis temperaturarum pulmonis:ſumitque in exemplum ſitim, quæ non ſolum indicare poteſt caliditatem & ſiccitatem uentriculi: uerum etiam aliarum partium,ut cordis,pulmonis & iecoris: poteſt enim contingere: ut in habente ſtomachum frigidum, & humidum ſitis ſit intenſa, non tamen ſit à ſtomacho cauſata,ſed à iecoris,uel cordis caliditate,quod quidem ſæpè contingere poteſt: immo Galenus 6.de locis affect. cap.3. ait, ſitim magnã aliquando naſci, dum pars ſima iecoris inflammetur;quare ſi iecur eſt inflammatum,quamuis uẽtriculus ſua natura ſit frigidus, & humidus, nihilominus ſitis ſuboriri poteſt, quod dictum eſt de hepate,idem dici poteſt de corde, & alijs uiſceribus circumſtantibus.

1 Dub.ex Gal.1.de ſimpto. cauſis 7. ſitis fit à cauſa calida & ſicca ſimiliter in hoc loco ait à calore pulmonis,uel cordis ſitim oriri; Ariſt.27. ſect.probl.30.ait ſitim naſci ex caleſcente corpore. Hæc doctrina uidetur ſuſpecta, ne dicam falſa, quia hydrops, qui eſt affectus frigidus & humidus mouet intenſiſſimam ſitim; ergo ſitis non ſolum à calida, & ſicca cauſa proueniet.

Reſpondetur humiditatem in hydropico ob moram fieri ſalſam, unde oritur ſiccitas, quæ ſitim facit; immo quia hæc ſalſa humiditas tunicis uentriculi adhæret, ideò illorum ſitis potionibus auferri non poteſt. Præterea hydropici quamuis humoribus abundent,attamen partes ſolidæ ſunt omninò priuatæ humiditate rorida,& ſubſtantifica, quæ eſt illa quæ internam ſitim tollit.

2 Dub.ſitis à nulla cauſa poſitiua fit:ergo calor uel alius humor non efficiet ſitim;patet aſſumptum,quia Hipp.4.aphor. 19.ait qui purgantur, finis purgandi non fit,donec ſitiuerint;quare à ſumma uacuitate, à cauſa uidelicet priuatiua efficitur ſitis,& non à poſitiua.

Reſpondetur ex Gal. 1. de ſimpl.med. cap.32. ſitim duplici de cauſa fieri poſſe, uel ob caloris copiam, uel ob humoris inopiam; quo pacto uerò fiat ſitis, docet Gal.1.de ſimpt.cauſis dicens in facienda ſiti quinq;concurrere accidẽtia,ſeu ſymptomata;primum eſt euacuatio partium; ſecundum, poſtquam exhauſtæ ſunt particulæ,ſequitur ſuctus & tractus,qui ceſſat in ore uentriculi. Tertium poſt tractum ſequitur ipſius oris diuulſio: ex diuulſione ſenſus ex ſenſu appetitus bibendi; dum igitur abſumitur partium corpòris humiditas rorida ſubſtantifica, hæc trahitur à partibus uicinis ſtomachi; hæ uerò à ſtomacho, & ſtomachus ab eſophago, & eſophagus ab exteriori, unde ſitis; duum igitur generum eſt ſitis; alia à caliditate irritante ſenſum ſtomachi; alia uerò à uacuitate, quæ eſt naturaliſſima, cauſa tamen poſitiua in omni ſiti eſt oris uentriculi diuulſio.

3 Dubitatio, ſi caliditas eſt cauſa ſitis, ubi erit maior caliditas,ibi maior ſitis;ſed hoc non eſt perpetuò uerum; quia ſenes frigidi, & pituitoſi magis ſitiunt pueris calidiſſimis.

Reſpondetur, ſenes magis carere humido rorido,quam pueros:ideò magis ſitire. Præterea ſitis eſt duum generum, alia pendet à vacuitate humidi, alia ab humore ſalſo irritante, dicimus pituitam in ſenibus hærentem ſtomacho ob moram reddi ſalſam,vnde ſitis:poſtremò dicere poſſumus obiectum ſitis ſumi dupliciter, vel propriè quale eſt lac & ſimilia humida, vel communiter pro humore qui bibunt, qui poteſt eſſe obiectum calidum & ſiccum, ſicuti eſt vinum, vel aliæ potiones calidæ: ſic dicimus ſenes ob eorum frigiditatem magis vini potum deſiderare: quam pueros: Hinc Ariſtoteles 28. ſect. proble. 5. reſpiciens ad hoc obiectum ſitis, ait ſitim eſſe libidinem potionis & cibi,& tale eſt vinum; famem verò eſſe libidinem vnius tantum, cibi ſcilicet.

4 Dub.dãtur aues rapaces, qui nũquam ſitiunt, nec bibunt: immo expertum eſt ob aquæ potionem illis exhibitam illicò interire; quare neq; caliditas, neque humidi roridis conſumptio erit cauſa ſitis.

Reſpondetur ex Ariſtotele lib. 3. de partibus animal. c.6. aues rapaces carere ſiti: quia habent pulmonem rarum & fungoſum; ideo aere adeo refrigerari, ut

potu

potu non egeant, ſunt qui dicunt, potum non appetere, quia ex carnibus crudis abundè explentur, ideo humida & rorida ſubſtantia affluunt.

5 Dub. non videtur, quod caliditas, ſiccitas, vel conſumptio humidi roridi ſitim excitent; quia Gal. primo de ſimplici med. cap. de aceto ait, acetum aliquando ſedare ſitim; quomodo ergo ſiccitas cauſabit ſitim, ſi acetum ſua natura ſiccum tollet ſitim?

Reſpondetur, acetum tunc ſolum auferre ſitim, quando ſitis fit ab aqua inter cutim, quæ eſt ſalſa, vel à bile amara; acetum enim retundit amarorem bilis, & ſalſedinem pituitæ: Hinc Gal. 1. de ſimplici med. c. 30. ait, *at ſi quando in vnum coeant humiditas, atque caliditas eiuſce quidem ſitis optima medela acetum eſt*, addit *in aqua inter cutem, in pituita ſalſa, & in febribus ardentibus, acetum cũ aqua mixtum ſitim auferre:* tunc ſedatur, & quia acetum eſt frigidum, aqua quæ ei permiſcetur, humida.

6 Dub. non videtur, quod in ſiti & fame concurrant illa quinque accidentia propoſita à Galeno de ſympto. cauſis cap. 7. quæ ſunt venarum innanitio, appetentia naturalis, ſuctus qui deſinit in ore ventriculi; ſenſus ſuctus, & appetentia animalis; quia in athletis nunquam eſſet ſitis, quod ex contra experientiam, quod verò venæ athletarum ſint adeo plenę, vt immineat quoque periculum diſruptionis venarum, Galenus id affirmat 1. aph. comm. 3.

Reſpondetur, quinque illa acidentia propoſita inſeruire ſiti naturali, & non deprauatæ & mendoſæ; In athletis dicimus, contingere poſſe ſitim mendoſam ob malam conſuetudinem acquiſitam, & non naturalem.

7 Dub. videtur contradictio in Galeno quia libro de inæquali intemp. ait, ſitim fieri deficiente ſubſtantia humida: primo, tamen de ſimp. med. cap. 29. ait, qui vino inebriantur valdè ſitire; ſed quomodo in iis qui vino ſunt repleti dicere poterimus ſubſtantiam roridam deficere?

Reſpondetur primò ſitim naturalem fieri deficiente ſubſtantia humida; ſitim verò non naturalem, qualis eſt in ebrijs fieri, quamuis non deficiat ſubſtantia rorida. Secundò reſpondemus humiditatem roridam in ebrijs exiccari à caliditate & ſiccitate vini, ideò ſitim increſcere.

8 Dub. Ariſtoteles 2. de anima 28. ait, ſitim eſſe appetitum frigidi & humidi; famem verò calidi, & ſicci quomodo acetum ſedabit aliquando ſitim, vt dicit Gal. 1. de ſimp. med. c. 30. & quomodo iuſculum pulli & butirum humidum ſedabunt famem?

Reſpondetur, Ariſtotelem intelligere de appetitu naturali, & non morboſo; dum vero inquit famem eſſe appetitum ſicci intelligit reſpectu ſitis, quæ liquidiſſima requirit; ars enim craſſior in liquido dicitur ſicca reſpectu obiecti ſitis.

9 Dub. non videtur quod ſitis ſit appetitus frigidi & humidi, vt dicit Ariſtoteles loco citato, quia Gal. 1. de ſympt. cauſis cap. 6. refert caſum cuiuſdam habentis ſitim inextinguibilem; habetque hæc verba, *noui quendam ardenti febre laborantem, qui increſcente calido morbo aquam frigidam bibens ſatiari non potuit, donec moreretur:* quare dari poteſt ſitis, quæ non poteſt à potationibus frigidis & humidis neque extingui, neque ſedari.

Reſpondetur, duplicem eſſe famem & ſitim, aliam eſſe oris ventriculi; hancque dicimus extingui potationibus; aliam eſſe pulmonis & cæterorũ viſcerum, quorum calidæ temperaturæ, & ſiccæ talem ſitim excitant, vt potationibus illam auferre eſt impoſſibile. Hinc fit, quod qui putat febricitantibus auferri ſitim potationibus, valdè à veritate recedunt, niſi illæ rationes prius tollerent, vel minuerent intemperiem calidam & ſiccam.

QVÆST. LXXXIX.

Methodus de ſignis temperaturarum viſcerum.

ACturi de ſignis omnium temperaturarum cerebri, cordis, hepatis, ventriculi, & habitus corporis, quæ ſunt illæ partes, ſeu illa viſcera, quarum temperaturæ in qualibet conſultatione præſciri debent, par eſt, vt ante oculos veſtros collocemus methodum, quæ facilè omnia ſigna à Galen. propoſita, memoriæ commen-

mendentur, neque ex ea amplius excidant.

Nullum enim ingenium eſt adeò fœlix, quod abſque hac methodo tot ſigna memoriæ mandare poſſet, è contra, nullum ingenium eſt adeò infimæ conditionis, quod recitata hac methodo ſtatim non recordetur omnium ſignorum indicantium temperaturas cerebri, cordis, iecoris, habitus corporis, & ventriculi. Neque incidet in erratum plurimorum in ſuarum conſultationum principio ſemper ſupponunt cerebrum eſſe humidum, iecur calidum, & ventriculum frigidum, quaſi præter has temperaturas non dari alias.

Præterea hæc conſideratio omninò neceſſaria eſt, quia ſanare,& conſeruare corpora non valemus, niſi prius temperaturas naturales dictorum viſcerum præcognoſcamus: Gal.enim 9.meth.cap. 14.habet hæc verba. Quantum quis à naturali habitu receſſit, tantum opus eſt refrigerare, humectare, calefacere, vel exſiccare; ideo niſi intelligantur temperaturæ naturales,& earum receſſus; quantum debeat eſſe remedium intelligi minimè poteſt.

Methodus igitur, qua Gal. adinuenit omnia temperaturarum ſigna colligitur ex hoc tractatu, & ex lib.1. de vſu partium,cap.9.& alibi.

Methodus hæc conſtat ex ſe fontibus ſequentibus; hoc modo.

Primus fons continet ſigna ſubſtantialiter inhærentia,quæ conſiſtunt in cognitione quatuor primarum qualitatum, quatenus tactu ipſo cognoſcuntur.

Secundus Fons continet ea quæ accidunt, quæ conſiſtunt in eſſentia partium organicarum, quarum eſſentia præcipuè conſiſtit in magnitudine,& Figura.

Tertius Fons continet ſecundas qualitates, quæ neceſſariò ſequuntur primas, quæ ſunt aſperitas, lenitas, qualitas acuta vel obtuſa,craſſities,tenuitas,durities, mollities, grauitas, leuitas, lentor, friabilitas,laxitas,aſtrictio, raritas,denſitas, ſapores, colores, odores hiſpiditas, glabrities, pilorum rectitudo,criſpitudo, ſtabilitas,& defluuium.

Quartus Fons continet operationes vitales,naturales,& animales.

Quintus Fons continet excreta, & retenta.

Sextus Fons continet iuuantia, & lædentia.

De ſignis moderatæ temperaturæ cerebri.

EXordiendum eſt à ſignis moderatæ temperaturæ cerebri, reducendo omnia ſigna à Gal.propoſita ad ſuos fontes hoc modo.

Ad ſubſtantialiter inhærentia reducitur hoc ſignum calor videlicet qui tactui manus temperatæ appareat moderatus.

Ad ea quæ accidunt referuntur hæc duo.Primum.Figura capitis concinna,ſicuti ſphæra vtrimque compreſſa. Secundum, magnitudo capitis moderata, quia capita magna,& parua ſunt vitioſa.

Ad ea quæ conſequuntur, reducuntur hęc duo:Primum.Capilli medij inter planos,& criſpos.

Secundum, capilli ad flauitiem tendentes.

Ad operationes reducuntur operationes moderatæ,ſicuti,addiſcendi facilitas, ingenium,& memoria moderata.Præterea,ſenſus,& operationes motiuę moderatæ; quia ex Gal.omnis operatio immoderata, licet eſſet maxima acuties intelligendi vel ſentiendi, indicat temperaturã capitis eſſe recedentem à temperatiſſima. Similiter actiones vitales, & naturales debent eſſe moderatæ: hinc nimia attractio,nimia retentio, nimia coctio, & nimia expulſio indicant temperaturam recedentem à temperata.

Ad excreta: excrementa narium, & palati debent eſſe moderata.

Ad iuuantia,& lædentia. Iuuant moderata,lædunt immoderata.

Hæc itaque de ſignis cerebri temperatiſſimi proponuntur à Galeno.

De Signis Cerebri Calidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia reducuntur hæc duo.Primum actualis caliditas circa caput:Secundum capilli ſimiliter ſentiuntur actu calidi.

Ad ea quæ accidunt, reducitur hoc ſignum,nimirum oculorum venæ magnę & valde apparentes.

Ad ea quæ conſequuntur, reducuntur hæc ſex ſigna. Primum. Rubicunditas circa faciem. Secundum, celere caluitium. Tertium, pili nigri. Quartum, pili duri. Quintum, robuſti. Sextum, criſpi.

Ad operationes reducuntur 7. ſigna. Primum, motus velox. Secundum mutabiles in opinionibus. Tertiũ ingenij acumen; Galen. enim primo de nat. humana comm. 39. id animaduertit. Quartum: ſenſus valdè vegetes, & acuti. Quintum: ſomni breues. Sextum, velocitas attractricis, & expultricis. Septimum celerrima capillorum generatio.

Ad excreta duo ſigna reducuntur. Primum. Pauca excremẽta narium, & palati. Secundum eadem excrementa benè cocta.

Ad lędentia: hoc vnicum, Facilè grauari ab odoribus, à cibo, & à potu calido.

De Signis Cerebri frigidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia: eſt vnum ſignum, quod eſt actualis frigiditas capitis.

Ad ea quæ accidunt, ſunt duo ſigna. Primum venę oculorum non apparẽtes. Secundum thorax anguſtus.

Ad ea, quæ conſequuntur. Quinque ſunt ſigna. Primum. Faciei palor. Secundum pili ſtabiles. Tertiũ pallidi. Quartũ tenues. Quintũ aliquãdo nigri, tenues, & nunquã duri: quæ ſigna etiam in Æthiopia obſeruantur: vbi omnes pili ſunt nigri poſſunt oſtendere cerebrum frigidum.

Ad operationes ſunt quinque ſigna. Primum motus tardus in omnibus actionibus animalibus, & naturalibus ipſius cerebri. Secundum tarda generatio capillorum. Tertium ſomni longi. Quartum ſomni multi. Quintum ſomni profundi.

Ad excreta duo ſigna. Primum cerebri plura excrementa. Secundum grauedo, & diſtillatio.

Ad iuuantia, & lædentia duo ſigna. Primum læduntur à frigidis. Secundum iuuantur à calidis.

De Signis Cerebri Humidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia vnum eſt ſignũ, nempè, humiditas actualis capitis.

Ad ea quæ accidunt, hoc vnum obſeruandum; ſi cum humiditate iuncta ſit aliqua caliditas, venę oculorum valdè apparentes.

Ad ea, quæ conſequuntur, ſunt duo ſigna. Primum capilli plani. Secundum non fiunt calui.

Ad operationes, ſunt duo ſigna. Primum ſenſus ſunt turbulenti. Secundum ſomni ſunt profundi.

Ad excreta; eſt hoc vnum ſignum tantum, excrementorum multitudo.

Ad iuuantia, & lędẽtia, ſunt duo ſigna. Primum. Ab Auſtro læduntur. Secũdum ab Aquilone iuuantur.

In hoc loco eſt aliqua difficultas inter temperaturã humidam ſolam, & temperaturã calidam, & humidam; nõ in calida & humida cum exceſſu. Gal. ponit tria ſigna. Primum ſomnia plena imaginationibus. Secundum coma vigil. Tertium tales eſſe obnoxios diſtillationibus; quæ ſigna non ponuntur ab ipſo Gal. in temperatura humida tantum.

De Signis Cerebri Sicci.

AD ſubſtantialiter inhærentia, hoc vnicum ſignum, nempè. Actualis ſiccitas, ſeu omnimoda carentia humiditatis capitis.

Ad ea, quæ accidunt, eſt vnicum ſignum, videlicet oculi venis carentes ſeu non apparentes.

Ad ea, quæ duo conſequuntur ſigna. Primum capilli robuſtiſſimi. Secundum ſuperuenit caluitium.

Ad operationes ſunt duo ſigna. Primum ſenſibus vigent. Secundum parum dormiunt.

Ad excreta; eſt vnicum ſignum. Carent enim ſuperfluitatibus.

Ad iuuantia, & lædentia reducuntur duo ſigna. Primum ab Auſtro iuuantur. Secundum ab Aquilone læduntur.

Hic notatur à Galeno differentia inter temperaturam ſiccam tantùm, & ſiccam & calidam, & inter ſiccam, & frigidam; quia ex Gal. in ſicca, & frigida eſt hoc ſignum quod facies non ſit colorata, in ſicca, & calida ſit colorata. Præterea in ſicca, & frigida ex Galen. proponitur hoc ſignum,

gnum, quod nempè facies celerrimè ſenectutem oſtendat. Nos verò hæc duo alia addimus. Primum quòd tales ſentiāt capita grauiſſima. Secundum quòd interdum ſentiant capita leuiſſima.

Circa temperaturas cerebri notandum eſt Galeni præceptum propoſitum c.13. vbi docet, propoſita ſigna non indicare cerebri temperaturas, niſi obſeruatis hiſce duobus, nempè locorum temperaturæ,& an humores geniti in hepate reſpōdeant proportione cerebro, quia poteſt contingere, cerebrum eſſe frigidum, & iecur ita calidum, vt generet humores aduſtos,quippe qui in cerebro frigido efficiant capillos nigros, duros, & criſpos; vnde peruertantur omnia propoſita cerebri ſigna. Hinc obſeruanda eſt locorum temperatura,quia in Æthiopia in illis qui ſunt frigido cerebro generantur pili nigri, quamvis non ita duri, vt in calidis.

De Signis Cordis Calidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia, hoc vnum ſignum; caliditas mordax circa thoracem.

Ad ea,quæ accidunt. Latitudo thoracis,quæ facta ſit à corde, & non à cerebri magnitudine.

Ad ea,quæ conſequuntur. Pectus maximè piloſum.

Ad operationes reducuntur ſex ſigna.
Primum magnitudo reſpirationis.
Secundum Pulſus velocitas.
Tertium Pulſus frequentia.
Quartum Ira.
Quintum Audacia.
Sextum Promptitudo ad actiones.

Ad excreta. Multæ fuligines.

Ad iuuantia, & lædentia. Iuuantur à frigidis,lęduntur à calidis.

De Signis Cordis Frigidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia: hoc vnum reducitur. Actualis frigiditas pectoris.

Ad ea,quæ accidunt.Thorax anguſtus.

Ad ea, quæ conſequuntur. Pectus ſine pilis.

Ad operationes reducūtur ſigna quinq;
Primum Pulſus ſunt minores, quam conueniat naturæ modo.
Secundum reſpiratio eſt proportionalis pulſibus.
Tertium Timor.
Quartum Segnities.
Quintum ineptitudo ad actiones, ſi cum frigiditate iuncta ſit humiditas: ſi verò cum frigiditate iuncta ſit ſiccitas, non ſegnities, ſed motus velocitas obſeruatur,vt in ceruis, & leporibus.

Ad excreta. Carentia excrementorum fuliginoſorum.

Ad iuuantia,& lędentia. Iuuantur à calidis,& læduntur à frigidis.

De Signis Cordis Humidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia refertur humiditas in arterijs, & in toto corpore, niſi obſtet iecur.

Ad ea, quæ accidunt. Thorax latus, ſi humiditas iuncta ſit cum caliditate: ſi verò iuncta ſit cum frigiditate, Thorax eſt anguſtus.

Ad ea,quæ conſequuntur.Pulſus molles.

Ad operationes ſunt procliues ad iram: ſed facillimè illorum ira ſedatur.

Ad excreta: Excrementorum corruptela: ſi verò humiditas maior ſit caliditate, tunc ſolùm ſunt obnoxij morbis ex putredine.

Ad iuuantia, & lædentia. Iuuantur à ſiccis,& læduntur ab humidis.

De Signis Cordis Sicci.

AD ſubſtantialiter inhærentia reducuntur hæc tria.
Primum, ſiccitas cutis.
Secundum,ſiccitas arteriarum.
Tertium, ſiccitas totius habitus corporis.

Ad ea,quæ accidūt.Thorax latus dummodo ſiccitas iuncta ſit cum caliditate: ſi vero ſiccitas iuncta ſit cum frigiditate Thorax erit anguſtus: niſi thorax ſit factus magnus à capite magno: quia caput magnum in omni temperatura facit thoracem magnū, quoniam caput magnum facit ſpinam magnam, ſpina magna facit vertebras magnas, magnas coſtas, & ma-

magnum thoracem.

Ad ea quæ conſequuntur. Pectus maximè piloſum, ſi ſiccitas iuncta ſit cum caliditate: ſi verò iuncta ſit cum frigiditate eſt ſine pilis.

Ad operationes reducuntur ſigna ſex. Primum ſi ſiccitas iuncta ſit cum frigiditate pulſus erunt duri & parui.

Secundum ad iram non ſunt prompti: ſed dùm iraſcuntur iram retinent; quia ſiccitas eſt præ omnibus paſſionũ tenax.

Tertium ſi ſiccitas iuncta ſit cum caliditate pulſus erunt duri, magni, veloces & frequentes.

Quartum, promptitudo ad actiones.

Quintum, Facilitas ad furorem.

Sextum, Non facilè placabiles ſunt.

Ad excreta ſunt quamplurima fuliginoſa excrementa, ſi ſiccitas iuncta ſit cum calore, ſi verò iuncta ſit cum frigiditate ſunt adeò pauca fuliginoſa excrementa, vt pilos non efficiant.

Ad iuuantia & lædentia, iuuantur ab humidis, & læduntur à ſiccis.

Sequitur tractatus de temperaturis hepatis, de quibus agentes, omittemus temperaturas ſimplices: tùm quia compoſitæ nobis magis inſeruiunt: tum quia cognitis compoſitis, ſimplices facilè innoteſcunt.

De Signis Hepatis Calidi & Sicci.

AD ſubſtantialiter inhærentia reducuntur ſigna.

Primum, actualis caliditas cum aliqua mordacitate circa hypocondria.

Secundum. Totus habitus corporis actu calidus cum mordacitate: non dicit Gal. niſi obſtiterit cor, quia cor ſua humiditate non poteſt obſtare iecori calido & ſicco: quia cor humidiſſimum, eſt adhuc ſiccius hepate ſicciſſimo.

Tertium. Calor mordax volæ manus valet enim totus habitus eſt actu calidus cum mordacitate; ergo & vola manus: quia ſi totus eſt talis: ergo & pars: ſed non valet vice verſa, videlicet à parte ad totum, hoc modo: Vola manus eſt valdè calida; ergo & hepar & totus habitus corporis eſt calidus: Gal. enim 2. de temperamentis cap. 6. damnat illos qui colligunt temperaturam totius corporis eſſe ſiccam ex caluitio: quia non valet caput eſt ſiccum: ergo totus habitus corporis eſt ſiccus. Simili modo Gal. 2. de temp. citato, repræhendit illos, qui ex cutis ariditate & ſiccitate colligunt temperaturam totius eſſe ſiccam, quia dicit: oſtrea, & cancros habere cutem ſicciſſimam & eorum corpora eſſe humidiſſima.

Ad ea quæ accidunt reducuntur duo ſigna.

Primum. Venarum latitudo.

Secundum. Digiti longi quod ſignum proponitur ab Auic. lib. 3. fen. 14. tract. 1. cap. 3.

Ad ea quæ conſequuntur: duo ſigna.

Primum venæ duræ.

Secundum: Hypocondria hiſpida, & præcipuè deſtrum.

Ad operationes: ſanguinis biliosi celerrima generatio.

Ad excreta reducuntur tria ſigna.

Primum bilis flaua in excretis per aluum plurima.

Secundum bilis flaua per vomitum plurima.

Tertium in ætate conſiſtentiæ atra bilis plurima.

Ad iuuantia & lędẽtia à frigidis & humidis iuuantur: à calidis & ſiccis lædunt.

De Signis Hepatis Calidi & humidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia duo ſigna reducuntur. Primũ actualis caliditas cum madore ſine vlla mordacitate obſeruatur in toto habitu corporis. Secundũ eadẽ caliditas actualis cum madore obſeruatur in vola manus.

Ad ea quæ accidunt ſecunda ſigna. Primum venæ amplæ & magis quàm in calido & ſicco, quia humiditas facit venas molles, & caliditas ampliores. Secundum, digiti longi, ſed carnoſiores, quàm in calido & ſicco, & eſt Auicennæ loco citato.

Ad ea quę conſequuntur tria referuntur ſigna. Primum venæ molles. Secundum totus habitus corporis mollis: hæc duo ſunt indicia ſolius humiditatis. Tertium hypocondria hiſpida, ſed non adeò hiſpida vt in calido & ſicco; hoc indicium eſt humiditatis & caliditatis.

Ad operationes. Generatio ſanguinis

cali-

calidioris, & humidioris: ſi verò in ſanguine maior ſit humiditas, quàm caliditas, corpus eſt obnoxium morbis ex putredine, ſi verò maior ſit caliditas, quàm humiditas, corpus eſt ſaluberrimum.

Ad excreta. Sanguis ob nimiam copiam ſæpè erumpere ſolet per nares, vel per hæmorrhoidas, aliquando per vomitum & per aluum.

Ad iuuantia, & lædentia, iuuantur à frigidis, & ſiccis, & lęduntur à calidis & humidis.

De Signis Hepatis Frigidi, & Humidi.

AD ſubſtantialiter inhærentia duo ſigna reducuntur. Primum frigiditas, & humiditas actualis hypocondriorum. Secundum frigiditas & humiditas actualis totius habitus corporis, niſi obſtet cor ſua humiditate, an verò obſtet videndum eſt in ſignis cordis calidi.

Ad ea quæ acidunt duo ſigna reducuntur.

Primum venæ anguſtæ.

Secundum digiti breues, quod eſt Auicennæ.

Ad ea quæ conſequuntur ſunt hypocondria omninò ſine pilis.

Ad operationes, ſanguinis frigidioris generatio.

Ad excreta, duo ſigna. Primum pituita plurima in excretis per aluum.

Secundum pituita plurimum interdum per vomitum excernitur.

Ad iuuantia, & lædentia. Iuuantur à calidis, & ſiccis, & læduntur à frigidis; & humidis.

De Signis Hepatis Frigidi, & Sicci.

AD ſubſtantialiter inhærentia. Totus habitus corporis ſiccus & frigidus, & magis ſiccus: quia iecur in exſiccando totũ habitum corporis magis poteſt quã poſſit cor in humectando.

Ad ea quę acidũt tria reducũtur ſigna.

Primum, venarum anguſtia.

Secundum, digiti breues.

Tertium, digiti tenuiores & eſt Auic.

Ad ea quæ conſequuntur, hypocondria glabra.

Ad operationes duo ſigna.

Primũ, generatio ſanguinis craſſioris.

Secũdũ, generatio ſanguinis paucioris.

Ad excreta. Copioſa melancholia in illis euacuatur.

Ad iuuantia & lædentia à frigidis & ſiccis læduntur à calidis, & humidis iuuantur.

De Signis Moderatæ Temperaturæ Habitus Corporis.

OMnia ſigna moderatæ temperaturę incipient à litera C, quòd valde inſeruit memoriæ. In hoc loco non vtimur methodo propoſita, quia in doctrina, quę eſt breuior methodo, methodus ſuperflua eſt.

Primum ſignum moderatæ temperaturæ eſt calor corporis ex albo, & rubro commixtus.

Secundum ſignum quòd ſimiliter incipit per C, eſt, vt capilli ſint mediocriter flaui, & criſpi.

Tertium. Caro mediocris in quantitate & qualitate.

Notandæ ſunt tres conditiones propoſitæ à Gal. c. 13. & 50. vbi dicit. Signa verificari in habitatione temperata; in regione temperata; & quod humores proportione reſpondeant cerebro.

De Signis Habitus Frigidi.

QVinque ſunt ſigna.

Primum, cutis totius corporis frigiduſcula.

Secundum. Color cutis vergens ad liuidum, ſi frigiditas excedat.

Tertium. Capilli Ruffi.

Quartum. Carentia pilorum.

Quintum. Corpus pingue.

De Signis, ſiue Temperatura Habitus Corporis.

PRimum ſignum corpus eſt gracile.

Secundum. Cutis & caro dura.

De Signis Humidæ Temperaturæ Habitus.

PRimum. Corpus carnoſum.

Secundum. Corpus molle.

De Signis Ventriculi Sicci.

IN qualibet temperatura ventriculi Galenus tria obſeruat ſigna: ideò methodum omittimus: quia in doctrina breuiſſima eſt ſuperflua.

Primum ſignum ſunt ſitibundi, ideſt parum & ſæpè bibentes, quia ſtatim per paucum potum ſedatur ſitis, ad differentiam ſitis, quæ fit à caliditate Thoracis, quæ docente Galeno c. 64. potationibus ſtatim non ſedatur.

Secundum ſignum. Paucus ſufficit potus; nam a plurimo grauantur.

Tertium. Cibis delectantur ſicciori-bus.

De Signis Ventriculi Humidi.

PRimum ſignum, non ſunt ſitibundi, ideſt, rarò bibunt; & inter prandium & cœnam nunquam ſitiunt.

Secundum. Humidum ſuperabundans facilè tolerant.

Tertium. Gaudent cibis humidioribus.

De Signis Ventriculi Calidi.

PRimum. Hic ventriculus melius concoquit, quàm appetit.

Secundum. Melius concoquit dura, quæ non facilè alterantur, quàm quæ facilè alterantur; quia quæ facilè alterãtur in illis (vt dicit Gal. corrumpuntur) ſimiliter 1. de alim. c. 1. Gal. loquens de calido ventriculo dicit, calidum ventriculum citius concoquere carnem bubulam, quàm piſces ſaxatiles, & auiculas.

Tertium. Gaudet cibis & potibus calidis.

Quartum. A frigidis non læditur, ſi modicè illis vtatur.

De Signis Ventriculi Frigidi.

PRimum ad appetendum hic ventriculus plurimum viget & ad concoquendum minimè. Declarat Gal. in textu quid intelligat per minimè, & dicit, à frigido uentriculo minimè concoqui cibos, qui difficilem alteratione ſuſcipiunt, ad differentiam ciborum frigidorum, qui facilè alterationem ſuſcipiunt, vt ſunt piſces ſaxatiles, ptiſſana, & alia id genus.

Secundum ſignum in hoc ventriculo. Cibi citò aceſcunt, & ſemper vexantur, acidis eructationibus, quòd in ventriculo mulierum ſæpè obſeruatur.

Tertium ſignum; ab vſu frigidorum læduntur, & à calidis iuuantur.

Nota hunc fontem à iuuantibus & lædentibus ſub ſe habere quinque locos.

Primus deſumitur ab euacuatione: veluti ſi euacuatio frigidorum iuuat temperatura eſt frigida, idem de alijs temperaturis.

Secundus locus deſumitur ab alteratione; veluti ſi alterantia frigida iuuant: temperatura eſt calida.

Tertius locus deſumitur à ieiunio, & eſt Gal. 2. de ratione victus comm. 32. vbi dicit; ſi ieiunium iuuat affectum eſſe frigidum: ſi noceat eſſe calidum.

Quartus locus deſumitur à ſiti & laſſitudine hoc modo, ſi ieiunium tollat ſitim & laſſitudinem affectum eſſe frigidum, & pituitoſum; interdum indicat copiam ſanguinis, hic locus à Gal. proponitur 3. in 6. epid. comm. 28.

Quintus locus deſumitur a ſomno, & eſt Gal. 4. in 6. epid. comm. 23. vbi dicit ſi ſomnus tollat ſitim affectum eſſe frigidum, ſi augeat ſitim eſſe calidum, hæc inſeruiunt omnibus temperaturis. Et hæc de Methodo propoſita.

CAPITIS LXV.

De ſignis calidioris pulmonis.

Sed qui ob horum ſitiunt caliditatem plus inſpirant, & longius expirant, atque æſtu in thorace ſentiunt, non ſicuti qui ventriculi ratione in alijs caliditatem patiuntur, & cum potauerint non ſtatim ſedatur ſitis, & magis cum frigidum hauſerint, quam calidum nimis. Refrigerat autem eoſdem, & frigidi aeris inſpiratio, qua nihil eos iuuat, qui ventriculi ratione ſunt ſitibundi.

POſtquam Galenus docuit, ſitim non ſolum oriri à ſtomacho, ſed etiam à viſceribus, quæ ſunt in thorace id eſt à ca-

liditatē cordis, vel pulmonis: in hoc loco tradit ſigna indicantia caliditatem pulmonis, & per conſequens indicantia ſitim exorientem à pulmone calido. Quinque proponuntur ſigna calidi pulmonis.

Primum ſignum eſt *maior inſpiratio, & lōgior expiratio*, ſupple, quā ſit in temperato pulmone. Ratio, cur maior ſit inſpiratio in pulmone calido, eſt caliditas, quæ eget maiori refrigeratione; Ratio verò cur expiratio longior ſit, inde fit, quia qui ſunt calidi duo expirant, aerem ante inſpiratum, & fuligines, quę in corpore calidiori continuò generantur.

Notandū expirationem thoracis fieri contractione: quia extra mittitur aer inſpiratus, inſpiratio verò fit thoracis diſtēſione in latum & non in longum. Errant tamen plurimi ob anatomiæ imperitiam credentes in inſpiratione diaphragma deſcendere, & in expiratione aſcendere, quod quam ſit falſum ſciunt anatomici, & qui ſemel ſaltem viderit agnum vel hædum mactare: hoc animaduertere voluimus, quia nuper incidimus in medicum famoſum, qui putabat in inſpiratione diaphragma deſcendere.

Secundum ſignum: *ſentiunt æſtum in thorace* longè maiorem, quam in hypocondrijs quod accidit ob caliditatem ventriculi.

Notandum, thoracis caliditatem non ſolum ſentiri in parte interna thoracis, verum etiam in externa; iudex iſtius eſt tactus manuum. Ratio, cur maior caliditas ſentiatur, facillima eſt, quia in thorace adeſt cor, à quo vnicè pendet viuentium calor.

1 Dub. ait Galenus in tex. ventriculum poſſe inducere caliditatem in hypocondria: hoc videtur falſum: quia ventriculus ſua natura eſt frigidus, eſtque membranoſus; omnis enim membrana eſt cute frigidior.

Reſpondetur, ventriculum frigidiorem temperare calorem viſcerum circumſtantium, & præcipuè ſub diaphragmate exiſtentium; diaphragma enim ſua duritie impedit, ne ventriculi frigiditas communicetur cordi, & pulmoni; dum verò ventriculus eſt temperatus intelligimus, quod inducat caliditatem in hypocondria ex accidenti, quatenus ſua frigiditate non amplius poſſit æſtum, ſeu ardorem viſcerum circunſtantium contemperare.

Tertium, qui ſitiunt ob caliditatem thoracis *nō ſtatim potu ſedari eorum ſitis.* Ratio eſt, quia ſitis, quæ prouenit à caliditate pulmonis, aeris inſpiratione, & nō potione tollitur, niſi poſt aliquod temporis ſpatium; quia antequam potio frigida pulmonem refrigeret, oportet, vt alteretur in ventriculo, & deinde mittatur ad hepar, & tandem ad cor, & pulmonem perueniat, quod fit poſt multas coctiones, & tractu temporis; dum verò ſitis prouenit à caliditate ventriculi ſtatim potu tollitur.

2 Dub. non videtur verum, quod potu non tollatur ſitis cauſata à caliditate pulmonis; quia caliditas pulmonis, dum ſitim excitat, calefacit, & exſiccat ventriculi orificium, vbi ſitis ſedes locata eſt; ergo potus tranſiens per ſtomachum ſtatim auferet ſitim, quamuis cauſata ſit à pulmone.

Reſpondetur ſitim, quæ oritur à pulmone dum bibitur, remitti, ſed ſtatim reddere; quia tunc affectio oris ventriculi eſt in fieri, quæ non indicat, quęque inſequitur caliditatem pulmonis, vt vmbra corpus, quod.n. eſt in fieri nullo remedio tollitur, niſi illo, quod aufert cauſam. Hinc ſitis febricitantium potionibus nō poteſt ſedari; quia ſitis cauſa eſt in ſtomacho in fieri; in corde verò & iecore in facto eſſe; ideò niſi portio febris facta extinguatur, ſitis auferri non poterit.

Quartum ſignum; *cum frigidum potum hauſerint magis refrigerabuntur, quam dum calidum.* Ratio eſt facilis; quia caliditas pulmonis tollitur refrigerantibus, & non calefacientibus.

3 Dub. videtur non ſolum ſitim ortam à caliditate pulmonis tollendam eſſe refrigerantibus; verum etiam ſitim naturalem, & ſitim à quacunq; cauſa ortam; quia ſitis eſt appetitus frigidi & humidi, & non calidi; cur igitur Gal. dixit magis refrigerari potu frigido, quam calido? quaſi quod quis poſſit refrigerari potu calido.

Reſpondetur, ſitim naturalem ſedari ab humido rorido, & ſubſtantifico, quod

nũquam eſt frigidum actuale,ſed eſt frigidum potentiale ; immò potus refrigerans tantò citius refrigerabit, quantò citius conuertetur in humidum roridum ſubſtãtificum; ſed ſic eſt quod potus actu calidus citius conuertitur in humidum roridum,quam potus actu frigidus,ergo potus pro naturali ſiti auferenda conuenientior fuerit actu calidus, quam frigidus; Hinc mihi valde probatur Priſcorum conſuetudo bibendi actu calida; dũ Gal. dixit frigidum potum magis refrigerare, quam calidum, intellexit de frigido & calido potentiali, & non actuali.

Quintum,*aeris frigidi inſpiratio refrigerat calidum pulmonem:tollitque eius ſitim: ſitibundi verò ob ventriculi caliditatem aeris inſpiratione nullo modo iuuãtur*. Ratio eſt, quia frigida inſpiratio ad pulmonem peruenit ; ideò tollere poteſt eius æſtum, qui ſitis auctor eſt.

4 Dubitatio, ſi aeris inſpiratio frigida tollit caliditatem pulmonis, & eius ſitim; cur eadem aeris inſpiratio non auferret ſitim ortam à ſtomachi caliditate;non ne aer ſpiratus æquè benè per æſophagum poteſt peruenire ad ventriculum, ſicuti per tracheam ad pulmonem?

Reſpondet Oddus, paucam quantitatem aeris peruenire ad ſtomacum ; ideò eius ſitim inſpiratione non ſedari. Reijcitur,quia Oeſophagus eſt amplus & cõtinuo aer illum tangit. Ego puto hanc eſſe veram ſolutionem ; pulmo eſt rariſſimus, aerq; inſpiratus penetrat per omnes particulas pulmonis, quod non accidit ſtomacho,qui eſt valde denſus. Præterea eſt attractus cum impetu, & ſtatim aere impletur, ideò aeris frigidi beneficio tollitur ſitis, quod ſtomacho non contingit.

CAPITIS LXVI.

De ſignis frigidi pulmonis.

Ita & hi qui contrario modo ſe habent à frigida inſpiratione ſenſibilem ſentiunt affectum. Et hoc maximũ ſit frigidi pulmonis indiciũ: ut verò frigidum inſpirantes manifeſtè dolorẽ ſentiunt & frigiditatẽ, ita & caliditas eſt ipſis amica, ſed & pituita excrementa cum ſcreatu,& tuſſi expuunt.

PRoponit Galen.tria ſigna pulmonis frigidi. Primum ſignum qui ſunt frigidiori pulmone, quam ſit temperatus, *à frigida inſpiratione ſenſibilem læſionem ſentiunt* : contrariorum enim eadem eſt diſciplina;ſicuti enim calidior pulmo iuuatur à frigida inſpiratione, ſedaturque eius ſitis, ſic pulmo frigidior ab eadem inſpiratione frigida læditur.Hinc inualeſcente frigore his qui pulmone ſunt frigido ex Hippocrate ſect.3. aphoriſmorum 23. ſolent accidere tuſſes ſiccæ, pleuritides, peripneumoniæ & laterum dolores.

1 Dub. ſi frigida inſpiratio ſenſibiliter læderet illos, qui ſunt frigido pulmone, vt ait Galenus,ſequeretur,quod in regionibus frigidiſſimis non inuenirentur homines pituitoſi, qui frigido ſint pulmone, quod reluctatur experientiæ; quia in Moſcouia, & Noruegia, & vbique locorum frigidorum inueniuntur ſenes, & mulieres quæ ſunt frigidioris pulmonis.

Reſpondetur,extremum frigus conſtipare, & denſare ; quare qui denſo ſunt pulmone à frigore non penetrantur; dẽſitas enim pulmonis aeris frigidi maleficium compenſat;ſuperius enim ex Galeno dictum eſt, partes corporis ob raritatem non reſiſtere externis offenſionibus, ſicuti ob denſitatem. Ad dubium dicimus,in Regionibus frigidiſſimis pulmones fieri denſiores.

Secundum ſignum,*ſicuti frigida inſpiratione, ijs qui frigido ſunt pulmone excitatur dolor & frigiditas ſentitur: ſic caliditas eſt ipſis amica*. Ratio eſt, quia ſi frigidum nocet,calidum iuuat.

2 Dubitat. ſi inſpiratio calida erit amica ; quomodo pulmo erit cordis flabellum,ſeu ventilabrum? omnis enim inſpiratio debet eſſe frigida, & non calida, ſi cordis amica debet eſſe.

Reſpondetur Galenum intelligere de inſpiratione calida comparatiuè reſpectu, ſcilicet inſpirationis, quæ conuenit pulmoni calido, & non abſolutè.

Tertium ſignum; qui ſunt frigido pulmone *expuunt pituitoſa excrementa cum tuſſi & ſcreatu*. Ratio huius deſumitur tam à pulmonis imbecillitate, ob quam parum fuliginum reſoluitur ; tum à de-

ſtil-

ſtillationibus pituitoſorum excrementorum, quæ procumbunt ad pulmonem tamquam ad partem debiliorem. Notandum materiam pituitoſam,ſi continebitur in bronchijs pulmonis per tuſſim moueri:ſi in tracheæ principio,per ſcreatum.

3 Dub. non videtur in pulmonem,quia ſit frigidus, excrementa pituitoſa ab alijs partibus mitti; quia frigidi eſt repellere; Hinc dum volumus aliquam partem à fluxione excrementorum tueri,vtimur apocruſticis, id eſt frigidis repercutientibus.

Reſpondetur,ſi pulmo eſt frigidus,eſſe quoque imbecillum;quare vt imbecillus & rarus aliarum partium excrementa ſuſcipit. Hinc Gal.libro de cauſis morborum cap.6.habet hanc ſententiam, *naturam depellere id quod abundat in partes imbecilliores*.

Preterea pulmo redditur excrementoſus, dum frigida inſpiratio dolorem aliquem excitat, vt ſuperius docuit Galen. adeo enim partes ob dolorem redduntur imbecilles, vt dicat 5.methodi 4. nihil eſſe, quod magis profluuium excrementorum proritet, & phlegmones augeat, quam dolor.

Adde,partem omninò ſanam,quod eſt ei ſuperuacuum deponere in aliam partem debiliorem; pro qua re Gal.3. de naturalibus facultatibus cap. 13. habet hæc verba, ſicuti inter ſe particulæ altera ab altera nutrimentum trahunt, ita altera in alteram, quod ſuperuacuũ eſt à ſe deponit, & ſicuti trahentium ea vicit, quæ erat valentior, ſic à ſe deponentium:ſubdit deinde, vbi aliqua particula affectus cuiuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita, ex omnibus in illam quæ ſuperuacua ſunt confluere eſt neceſſe, namque quæcunque pars valentiſſima eſt in vicinas omnes reponit, & rurſus earum ſingulæ in alias, quæ ipſis ſunt imbecilliores, & rurſus in alias, donec omnium imbecillimam inueniant, ecce quomodo pulmo debilis permanens ob frigiditatem naturalem non ſolum eſſe poſſit excrementoſus; quia non reſoluit excrementa propria;ſed etiam, quia in ipſum, vt in cloacam partes quoque ſanæ excrementa pellant.

4 Dub. non videtur, quod tuſſis ſit de genere ſignorum indicantium temperaturam pulmonis; quia Galen.2. de ſymp. cauſis loquens de vomitione, ait, vomitionem eſſe ſymptoma facultatis naturalis; tuſſim verò ſymptoma facultatis animalis; quare Gal. in hoc loco, dum vult tuſſim indicare temperamentum pulmonis videtur errare, quia actio animalis non indicat temperaturas.

Reſpondetur, tuſſim eſſe actionẽ mixtam ex naturali & animali; eſſeque animalem, quia muſculorum opera perficitur: naturalem,quia expultrix in pulmone irritata fit; ideò Galenus loco citato ait ſternutamentum, tuſſim, ſingultum, oſcitationem eſſe affectus naturales.

5 Dub.Gal.5.de loc.aff. ait tuſſim, ſternutamentum & ſingultum eſſe affectus naturales: idem dicit 2. de ſymp. cauſis, attamen lib. de tremore & palpit.ait tuſſim eſſe affectum præter naturam.

Reſpondetur, tuſſim dupliciter conſiderari,vel ratione facultatis naturalis & ſic vocatur affectus naturalis; vel ratione cauſæ morbificæ, & ſic eſt præter naturam.

CAPITIS LXVII.
Particula I.
De ſignis pulmonis ſicci.

Tex. 74. *Pulmonis autem ſiccitates excrementis vacant, & pituita, & vocem claram efficiunt.*

IN hoc text.agit de pulmone ſicciori, quam ſit temperatus;tradit duo ſigna.

Primum ſignum eſt pulmonem ſiccum *carere excrementis & pituita*. Ratio eſt,quia ſimilia ſimilibus gaudent, pulmo eſt ſiccus,ideò nutrimento ſicciori gaudet, vnde pauca excrementa, & pauca pituita colligitur.

1 Dub.non videtur,quod parenchyma pulmonis natura ſiccũ careat excrementis; quia ſi eſt natura ſiccum,ergo imbecillum, ſi imbecillum,ergo excrementoſum. Quod verò ſiccitas ſit qualitas imbecillis, & minimè actiua nemo eſt qui neſciat. Quod verò omnis pars imbecilla ſit excrementoſa Gal.3.de fac.naturalibus

libus. cap. 13. clariſſimè docet.

Reſpondetur, pulmonem ſiccum eſſe denſiorem, & ideò excrementa aliarum partium non ſuſcipere. Præterea, dum Galen. agit de ſicco pulmone, ſupponit ſecundum omnes alias qualitates eſſe temperatiſſimum, ſolumque excedere in ſiccitate, quare neque imbecillis dici poteſt.

Secundum ſignum: *vocem claram faciant*. Ratio facilis eſt; quia excrementa pituitoſa ſunt impedimento, ne vox clara fiat: cum igitur hic pulmo ſiccus, ſit ſine excrementis, & per conſequens aſpera arteria ſit omninò peruia, neceſſariò vox clara fiet.

CAPITIS LXVII.

Particula II.

Quemadmodũ humiditates obſcuram reddunt, ac raucam: & cum vehementius aut acutius loqui ſtuduerint, tunc intercidunt excrementa.

IN hoc tex. proponit duo ſigna humidioris pulmonis. Primum ſignum eſt *vox obſcura, & rauca*. Oppoſitorum eadem eſt diſciplina: ſi in ſicciori pulmone vox eſt clara: in humidiori erit obſcura, & rauca.

Secundum ſignum eſt, quando vehementius loquuntur, excrementa pulmonis reijciuntur in tracheā. Ratio eſt, quia in pulmone humido colliguntur excrementa in ſurculis arteriarum pulmonis, & in ipſis bronchijs: dum igitur aliquis vehementius loquitur, vel canit, tunc per expulſionem reijciuntur excrementa ad tracheam. Hinc qui humido ſunt pulmone, ſi concionentur, vel alio modo vehementer, & acutè ſermocinentur, liberant ſe omnibus morbis, qui ab excrementis pulmonis oriuntur, ſicuti ſunt phthiſis, peripneumonia, & ſimiles affectus.

Hinc memini omnigenæ virtutis, ſingularíſque eruditionis præclariſſimum virum Iacobum Barozium, in iuuentute pulmonis humiditate ingenti vexatum, huiuſque phythiſis labi obnoxium fuiſſe, ſed cum inde ingenuarum artium, nobiliſſi. marumque ſcientiarum paleſtræ diuinam eloquentiam adiungeret, eamque cum admirabili facundia, & incredibili ſententiarum vbertate comitatam vehementi, & ingenti voce exerceret, ſingulíſque diebus publicè perorarer pulmonem (vt Galeni verbis vtar) ab omnibus excrementis immunem reddidit, conualuit, & ad id virium robur, eumque proſperæ valetudinis gradum conſcendit, ut omnibus (quod eſt mirabile dictu) nunc iunior appareat, quam ante 25. annorum interuallum, prout ex eius effigie tunc temporis confecta, conſpici licet.

1 Dub. pulmo ſanguine ſubtili, & calido nutritur; quomodo igitur excrementa pulmonis erunt pituitoſa, viſcoſa, & craſſa?

Reſpondent Expoſitores pulmonem quia eſt laxus, & mollis, ideò facilè fieri receptaculum excrementorum pituitoſorum.

2 Dubit. Galenus videtur mancus, quia declarans temperaturas pulmonis ſolum de rauca, & clara uoce mentionem facit; omiſitque magnam paruam, acutam, grauem, aſperam, lenem, & clangoſam.

Reſpondetur, quod in cap. ſequenti de his mentionem faciet; clara enim humiditatem; rauca uerò ſiccitatem pulmonis indicat.

QVÆST. LXXXV.

An pulmo ſit calidus, & humidus.

MVlti putant, pulmonem eſſe natura frigidum, & ſiccum. Plurimi quoque eſſe frigidum, & humidum. Nonnulli alij calidum, & ſiccũ; uera, & germana Hippocratis, Ariſtotelis, & Galeni ſententia eſt, ut infra oſtendetur, quod pulmo ſua natura ſit calidus, & humidus.

Albertus Magnus libro 12. de animal. tractat. 1. cap. 2. ex illis eſt qui cenſet pulmonem ſua natura eſſe calidum, & ſiccum. Prima ratio Alberti eſt, quia nutritur ſanguine calidiori; argumentaturque hunc in modum; ex ijs nutrimur, ut docet philoſophus, ex quibus conſtamus; ſed ex Gal. 4. de V.P. & ex Auicenna prima, primi, pulmo nutritur ſanguine bilioſo, & cholerico, qui eſt calidus, & ſiccus, ergo

ergo pulmo erit calidus,& ſiccus. Secunda ratio iſtorum eſt, quia ex Hippocrate, & Galeno in epidemicis, & in hoc libro duplex eſt ſitis focus, ſtomachus ſcilicet, & pulmo, ſed ſitis à calido, & ſicco prouenit, ergo talis quoque erit pulmo.

Ad primam rationem Alberti reſpondemus, pulmonem nutriri ſanguine tenui aere imbuto, qui eſt calidus, & humidus, & non ſiccus. Cauſa erroris Alberti, & Auicennæ eſt, quia putabant pulmonẽ nutriri ſanguine per arteriam uenalem prodeunte, quod eſt falſiſſimum; quia omnes Anatomici conueniunt per arteriam venalem reijci fumos in pulmonem, & non ſanguinem gratia ipſum nutriendi; cum igitur pulmo ſanguine alatur prodeunte à dextro uentriculo, qui nullo modo eſt ſiccus, ratio Alberti redditur inepta.

Ad ſecundam dicimus, ſitim factam à pulmone ſupponere affectum præter naturam: Nos uerò hîc tractamus de temperamento pulmonis naturali.

Auicennas fen prima, primi doct.4. cap. de temperamentis membrorum, & alibi, nihil dicit de pulmone; fuit tamen dubius, an ſit calidus uel frigidus: quia nihil de actiuis qualitatibus pulmonis dixit; conſentit tamen eſſe magis humidũ, quam ſit hepar; eſt ſanè ita uarius, ut uideatur in hac re non ſibi conſtare; quia mox ait pulmonem non eſſe humidum humiditate uehementi; quia alitur ſanguine bilioſo; demum ait, non eſſe per ſe humidior hepate, ſed per accidens; quia hepar eſt humidius, quo ad naturalem humiditatem; ex quibus uerbis colligimus, Auicennam fuiſſe uarium, & incõſtantem; comparatio enim fieri debet, an pulmo ſit humidus, uel calidus reſpectu cutis, & nõn hepatis; cutis enim eſt regula temperaturarum; quia ſi pulmo erit calidior cute dicetur calidus; ſi humidior humidus.

Tertia opinio eſt quorundam dicentium, pulmonem eſſe frigidum. Prima ratio iſtorum eſt: quia componitur pulmo ex arteria cartilaginoſa, uena arterioſa, & arteria uenoſa, quæ conſtant ex tunicis duris, & frigidis.

Secunda ratio, pulmo ſcatet pituitoſis excrementis, quæ frigida ſunt, & affectibus frigidis eſt obnoxius, ut dyſpneæ, tuberculis, tuſſi, & ſimilibus, ergo eſt frigidus.

Tertiam rationem deſumunt ab Hippocrate libro de corde, vbi dicit pulmonem eſſe frigidum, & à Galen. lib. de anatomia uiuorum, ubi habet hæc uerba, *pulmonem eſſe album ob aquæ, & frigidi predominium*: deinde ſedem aquæ appellat pulmonem.

Ad primam rationem reſpondetur, argumentum illud eſſe à partibus ad totum, quod nõ ualet, ut docet Ariſtoteles in lib. de interpretatione; Præterea ſicuti oſtendimus lib. 3. methodi noſtræ cap. 10. cor frigidis partibus conſtare, & ſecundum totum eſſe calidiſſimum: ſic dicimus de pulmone eſſe ſcilicet calidum ſecundum totum, ſecundum uerò nonnullas partes eſſe frigidum.

Ad ſecundam, quod ſcilicet pulmo uexetur frigidis Affectibus. Reſpondemus id naſci à cerebri deſtillatione, & non à pulmone.

Ad tertiam reſpondemus Hippocratẽ dixiſſe, pulmonem eſſe frigidum facta collatione cum corde; uel eſſe frigidum; quia eſt flabellum ſeu uentilabrum cordis. Ad Galeni librum de anatomia uiuorum. Reſpondemus non eſſe Galeni.

Quarta opinio eſt nõnullorum dicentium; ſi conſideretur temperamentum pulmonis innatum eſſe frigidæ, & humidæ temperaturæ; ſi uerò conſideretur pulmonis temperamentum per influentem uirtutem cordis ac innatum, eſſe calidum, & non frigidum.

Dum uerò dicunt pulmonem eſſe natura frigidum, quia eſt fungoſus, mollis albus, & exanguis. Reſpondemus reflectendo in ipſos argumentum, pulmonẽ ſcilicet eſſe fungoſum, leuem, & mollem, quia eſt temperamenti calidi; nullum enim leue dici poteſt frigidum; cerebrum enim eſt molle, non tamen leue; uocatur à Galeno pulmo ueluti ſpuma ſanguinis. Dum uerò dicunt pulmonem eſſe exanguem dicimus, errorem eſſe inexcuſabilem: Ariſtoteles enim 1. de hiſtoria animalium cap. 17. ait, *errant enim qui ſanguinis vacuum pulmonem eſſe arbitrantur decepti, ſcilicet conſpectu eorum pulmonis, quod diſectis detraxerint animalibus, quorum*

rum ſanguis illico effluit vniuerſus: ecce quod ipſe Ariſtoteles reprehendit eos, qui putabant pulmonem eſſe exanguem.

Vera opinio eſt, quod pulmo ſit calidus & humidus: prima ratio deſumitur à Gal.4.de v.p. vbi dicit pulmonem nutriri ſanguine calido, & humido elaborato in dextro cordis ventriculo, qui cum ſit ſemper aere plenus, non ſiccus, ſed humidus dici debet, ex ijs enim conſtamus, ex quibus nutrimur, & viceuerſa.

Secunda ratio, caro pulmonis eſt leuiſſima, ſimillima aeri; ſed aer eſt calidus, & humidus: quare, & pulmo.

Tertia in pulmone præparatur aer, vt ſubinde efficiatur ſpiritus vitalis; erit igitur calidior cute, ſi eſſet frigidior, natura faceret ſaltum à frigido ad calidiſſimum, quod in naturæ operibus nunquam admittitur: debetque eſſe humidus; quia ſi eſſet ſiccus, ſpiritus fierent adeo ſicci, vt animal non conſeruarent, ſed deſtruerent.

Demum Gal.2. de temperamentis c.3. ait, pulmonem eſſe humidum, & primo de temp.capite vltimo, mollitiem eius indicare humiditatem.

Neque vera eſt Auicennę ſententia prima primi doct.4.c.de complexionibus quod ſcilicet pulmo mollis ſit ex accidenti, quatenus continuo à cerebri deſtillatione madefit: quia pulmo poſt expreſſionem omnium excrementorum eſt quoque mollis, leuis, & aereæ naturæ.

QVÆST. XCI.

De motu pulmonis.

QVæritur in hoc loco quomodo moueatur pulmo. Tres ſunt opiniones quas breuiſſimè dilucidabimus.

Prima eſt Ariſtotelis, qui 3.de partibus animal.c.6. cenſet, motũ pulmonis à corde pendere: ratio quæ illum mouet eſt, quia ſicuti cor refrigeratur motu pulmonis, ſic illius motus origo, & cauſa efficiẽs eſt cor: hæc ſunt Ariſtotelis verba, pulmo ſpirandi officio delegatus eſt, qui originem ſui motus à corde accipit.

Reijcitur Ariſtoteles: quia nullum eſt inſtrumentum à corde prodiens, quod poſſit pulmonem mouere, motus enim pulſationis arteriæ eſt longè diuerſus à reſpiratione, & inſpiratione.

Secunda opinio eſt Auerrois 2.de anima tex.89.& 2.coll. vbi dicit motum pulmonis moueri propria virtute: Reijcitq; Galenum dicentem moueri à thorace ad vacui fugam: Ratio, qua mouetur Auerroes eſt, quia ſi à muſculis thoracis moueretur pulmo ad vacui fugam, ſequeretur quod daretur motus violentus perpetuus: quod eſt inconueniens.

Reijcitur Auerrois ratio, negãdo quod pulmonis motus, ſi moueretur ad motum thoracis eſſet violentus; quia quod mouetur ad motionem alterius, non eſt violentum; hac ratione poſſent dici oſſa vniuerſa moueri quoque motu violento: quia ad motum muſculorum mouentur. Demum pulmo ſi ex ſe moueretur, quo inſtrumento, quo neruo, quibus fibris? quare ineptiſſima eſt ratio, & Auerrois opinio.

Tertia opinio eſt Galeni, & Medicorum omnium, pulmonem moueri ad vacui fugam; quia dum dilatatur thorax, dilatatur pulmo: dum conſtringitur, & pulmo conſtringitur, & ſic per dilatationem thoracis attrahitur aer, & per conſtrictionem aer vnà, & fuligines expelluntur: vnde pendet vita, & eius conſeruatio.

CAPITIS LXVIII.

De Voce.

Tex.75. *Non tamen ipſa vocis magnitudo à caliditate, ſicuti neque paruitas à frigiditate ineſt, ſed altera quidem aſperæ arteriæ latitudinem ſequitur, & vehementiorem efflatum, paruitas verò à contrarijs aduenit cauſis. Quare neque ſemper, neq; primũ, ſed ex accidenti, & ſolas naturales temperaturas non autem aduentitias vocis magnitudo, aut paruitas ſequitur. Quoniam etenim talia inſtrumenta temperaturæ ratione ſunt facta, ad hæc conſequitur huiuſmodi vox. Idcirco contingit ex voce de naturali temperatura ratiocinari.*

COnnectitur hoc cap. cum ſuperiori à Pluſquam cõmentatore hoc modo: poſtquam egit Galen.de ſignis tem-

temperaturarum pulmonis, erat rationi conſonum, vt ageret de ſignis indicantibus temperaturas tracheæ arteriæ: hæcq; ſigna deſumuntur à vocibus. Reijcitur hæc continuatio vt à Galeni mente aliena,& inartificioſa: vt aliena,quia non eſt Galeni intentio agere primo,& per ſe de trachea: multæ enim ſunt partes in viuentibus nobiliores trachea; de quibus Galen. ne verbum quidem fecit. Inſuper voces non collocantur in numero ſignorum indicantium temperaturas;quia potius indicant inſtrumenti ſeu tracheæ compoſitionem: eſt quoque inartificioſum: quia qua arte, quo fine agat de vocibus, non exprimit.

Ego autem puto,Galenum in hoc loco reſpōdere tacitæ obiectioni, quia in cap. ſuperiori dixit vocem claram indicare ſiccitatem pulmonis:raucam verò humiditatem: quis poſſet ſic inſurgere contra Galenum,non ne vox conformationem, ſeu compoſitionem tracheæ indicat? quo pacto igitur vis vt voces indicent temperaturas pulmonis? ideo Galenus reſpondens huic obiectioni oſtendit in hoc cap. voces magnas,& paruas,& reliquas omnes non indicare per ſe primo caliditatem vel frigiditatem.

Quod verò Galenus eligat ſigna quæ per ſe primo non indicant temperaturas, pertinet ad huius libri artificium, in quo inquiruntur temperaturæ non per ſigna propria, quæ vel non ſciuntur, vel ſi ſcirentur pro qualibet temperatura dignoſcenda vnicum ſufficeret:ſed per ſyndromen communium ſignorum, quæ ſemper in quaque re nobis obuia ſunt. Hinc dicimus, voces indicare temperaturas, quatenus ingrediuntur artificioſam aliorum ſignorum communium ſyndromē. Quod artificium ſi Argenterius animaduertiſſet, non ita temerè in Galenum inuexiſſet:quinimo dicimus,ſi Galenus putaſſet ſigna ab illo propoſita fuiſſe propria, & multa ſimul propoſuiſſet, omnīū philoſophantium ineptiſſimus,& inſaniſſimus fuiſſet; quia vnius temperaturæ vnicum,& non plura propria dantur,elegitque communia, tum quia propria latent nos, tum quia communia ſimul vnita eandem vim, quam vnicum ſignum proprijſſimum habent.

Diuiditur hic tex. in duas particulas, in prima reſpondet tacitæ obiectioni, dum ait, non tamen ipſa vocis magnitudo à caliditate fit, quaſi dicat, licet ſuperius propoſuerimus, vocem claram indicare ſiccitatem pulmonis, & raucam humiditatem, tamen quia intentio noſtra eſt, communium ſignorum ſyndromen proponere, poſſumus quoque vti ſignis, quæ ex accidenti conueniant pulmoni ſicco; dat exemplum de voce magna, & parua; quia maximè videtur conuenire voci magnæ, & paruæ, vt indicent caliditatem, & frigiditatem: quaſi dicat ſi vox magna non primo, & per ſe indicet caliditatem, tanto minus vox clara indicabit ſiccitatem pulmonis. In ſecunda particula ait, voces indicare temperaturas naturales ex accidenti, & non per ſe: dicimus non per ſe,quia vocis magnitudo inſequitur per ſe compoſitionem.

Expoſitores nōnulli cēſent,magnitudinem vocis per ſe primo ſequi latitudinē tracheæ: latitudinemq; neceſſario ſequi tēperaturam calidam:anguſtiā verò frigidam.Reijciūtur,quia aduerſantur Gal.in hoc loco,vbi ait,*neque ſemper*:ſimiliter 1. lib.de temperamentis,c.vlt.vbi vult compoſitionem nō ſemper ſequi temperaturam,ſed aliquando rem diuinam. Præterea aduerſantur Galeno in hoc loco,quia dicit magnitudinem vocis duo indicare, latitudinem tracheæ, & vehementiorem efflationem: ergo non primo: quia quod primo indicat,vnum indicat,& non duo. Aduerſantur quoque rationi analyticæ, quia quod primo alicui conuenit, conuertibiliter prædicatur, vt docet Ariſt. 1. poſt.capite de per ſe:at non valet,magnitudo vocis indicat latitudinem tracheæ, ergo latitudo tracheæ edet vocem magnam, id enim non neceſſariò fit, niſi concurrat vehemens efflatio, quæ pulmoni, & non tracheæ conuenit.

1 Dub.Hipp.6. epid.ait,calidos maximā vocem habere,frigidos paruam: Ariſt.5. de gen. animal. & 11. particula proble.4. Auicennas 10. tertij dicunt, caliditatem eſſe cauſam magnitudinis vocis, & frigiditatem paruitatis. Ergo non latitudo tracheæ magnam, anguſtia paruam vocem efficiet.

Re-

nor efficitur vox: pro vt aſpera, vel lenis eſt trachea, vox aſpera uel lenis efficitur; ex his facilè cuiq; patebit Galenum non aduerſari Ariſtoteli.

CAPITIS LXVIII.

Particula II.

Nam & lenis vox, arteria lenitatem conſequitur, ſicuti & aſperitatem: lenitas igitur arteria moderatam ſequitur temperaturã: aſperitas verò ſiccitatem; aſperitas enim fit ab inaqualitate duri corporis. Arteriam verò duram ſimilarium partium ex quibus conſtat ſiccitas efficit; inaqualem verò diſperſa in eiſdẽ humiditatis defectus: eodem modo neque acuta vox natura ſine anguſtia faucium, neq; grauis ſine latitudine fieri poteſt: anguſtia igitur ab inſita, atque nata naſcitur frigiditate: latitudo autem à caliditate: differentijs igitur naturalium vocum ha, qua ex affectu aliquo fiunt, ſunt proportionales, qua & ipſa indicia ſunt cauſarum, à quibus oriuntur, de quibus in libris de voce ſufficienter diſtinxi.

IN hac particula duo facit Gal. primo agit de voce leni & aſpera, de acuta, & graui; oſtenditque à quibus cauſis fiant voces, & quomodo indicent temperaturas. Secundo ſe excuſat, quod hic non agat de vocibus pręter naturam: tum quia hic non eſt locus agendi de his: tum quia in libris de voce ſufficienter diſſeruit.

Dicit itaque, quod lenis vox primario conſequitur lenitatem arterię; aſpera verò aſperitatem. Declarat deinde à quibus cauſis fiat, vocis lenitas & aſperitas; inquit lenitatem ſequi temperaturã moderatam tracheę & pulmonis, cuius trachea eſt pars; aſperitatẽ verò indicare ſiccitatem, duritiem & inæqualitatem tracheæ.

1 Dub. aſperitas fit vt dicit Ariſt. in prędicamento qualitatis, dum vna pars aliá ſupereminet: aſperitaſq; vocis fit, quia humiditas tracheæ neq; vniformiter, neque æqualiter eſt diſperſa, ita vt vna pars ſit magis ſupereminens, quam alia: quo poſito, quomodo aſpera vox, quæ fit ab hac tracheæ humiditate, indicabit ſiccitatem & duritiem?

Reſpondetur, humiditatem non eſſe æqualiter diſperſam ratione inæqualitatis ortæ ab humiditate, ſed tracheæ, quæ ſua natura cum ſit aſpera, eſt ſicca, dura, & inæqualis.

Subinde de acuta, & graui voce verba faciens Galenus ait, vocem acutam indicare faucium anguſtiam: grauem non fieri ſine latitudine: quaſi dicat Galenus ſicuti diximus magnam, & paruam vocem immediatè indicare amplitudinem, ſeu paruitatem organi, & nequaquam temperaturas: idem de graui & acuta dicendum, quod immediatè ſequantur eãdem latitudinem, vel paruitatem fauciũ; Subdit, *anguſtiam, & paruitatem naturalem oriri ab innata frigiditate ſibi prima generatione comparata*, latitudinem verò à caliditate. Hìc colligimus, dari innatam frigiditatem poſitiuam; omneſque qui putarunt cum Cardano frigiditatem nõ eſſe qualitatem poſitiuam, maximè fuiſſe deceptos, quia anguſtiæ inſtrumentorum referendæ ſunt ad innatam frigiditatem, vt Gal. in tex. docet; quę non poteſt eſſe priuatiua.

In ſecundo membro particulæ, Gal. ſe excuſat, cur hìc non agat de vocibus non naturalibus; ait enim ſe egiſſe diſtinctè in libris de voce. Accedit quod hic agat de ſignis ſanorum, & non ægrorũ. Præterea dat hoc præceptum, voces omnes non naturales proportione quadam reſpondere ijs, de quibus hìc agitur: exẽpli cauſa, ſicuti vox aſpera naturalis ſignificat inæqualitatem tracheæ, & ſiccitatem: ſimiliter aſpera dependens ab affectu præter naturam indicabit inæqualitatem & humoris ſiccitatem; ſimiliter vt vox ab ortu naturæ rauca humiditatẽ naturalem tracheæ indicat; ita rauca ob morbum indicabit humiditatem præter naturam: idem de alijs dici poteſt.

2 Dub. ait Gal. vocem aſperam à ſiccitate fieri: videtur quod fiat ab humiditate; multi enim qui catarrho vexantur reddunt aſperam vocem.

Reſpondetur, vocem illorum, qui catarrho vexantur, dici raucam, vt docet Galen. libro de voce cap. 3. & non aſperam; rauca enim vox ab aſpera non valdè differt; aſpera enim opponitur planæ: rauca verò claræ voci, vox rauca eſt cum

ob-

obſcuritate; aſpera verò, quæ fit ex ſiccitate eſt cum claritate.

3 Dub. ait Gal. vocem aſperam fieri à ſiccitate: ergo lenis quæ eſt contraria, fiet ab humiditate; contrariorum enim eadē eſt diſciplina; quare ſi vox quæ fit ab humiditate eſt rauca, lenis vox erit rauca, quod eſt contra Galenum.

Reſpondetur, lenem vocem eſſe inter aſperam, & raucam, quemadmodum virtus eſt inter duo extrema; ſicuti enim liberalitas contrariatur auaritiæ, & prodigalitati; ſic lenis vox opponitur aſperitati, & raucedini: aſpera nimiam indicat ſiccitatem: rauca verò nimiam humiditatē. Hinc Gal. libro de uoce, & ſeptimo de u.par. ait, ſi humectetur membrana ambiens tracheam vel à catarrho, uel à nimio potu raucedinē fieri. Hinc eſt quod ante cibum uox ſemper clarior ſit.

4 Dub. Gal. hic ait, uocem aſperam fieri ab arteriæ aſperitate: lenem à lenitate, quod uidetur aduerſari Hippocrati 2. epid. ſect. 11. tex. 17. qui docet, cauſam uocis aſperæ eſſe linguam aſperam, & non arteriam.

Reſpondetur, Hippocratem non negaſſe aſperam uocem fieri ab aſperitate arteriæ; ſed dixiſſe, aſperam uocem fieri quoque poſſe à linguæ aſperitate. Hinc Gal. 1. epidem. comm. tex. 78. non ſolum adſcribit tracheæ aſperitatem uocis, ſed gutturi, faucibus, gargareoni, palatui, & linguæ; quinimmo dicimus nos (cum uox ab auribus ſentiatur) quod ad efficiendam uocem aſperam, magnam uel paruam nō ſolum concurrat larynx, ſed etiam medium, per quod fertur uox. Hinc Ariſt. ſect. 11. probl. 7. & 25. inquirit, cur domus nuper illita magis reſonet; ecce quod extrinſeca quoque obiecta alterent uocem quid multa? non ne dantur inſtrumenta, quæ dum ori apponuntur, uoces grauiores, & maiores fiūt? Quare non eſt mirum ſi Hippocrates dixerit uocem aſperam à lingua quoq; ſub-aſpera fieri poſſe.

5 Dub. Galenus in hoc loco docet, aſperitatem fieri à ſiccitate; Ariſt. tamen 11. ſect. probl. 22. ait aſperitatem uocis à duplici cauſa fieri, ab humiditate, & à calore; ab humiditate ueluti contingit ijs, qui noctu uigilant, quibus cruda in faucibus redundant, unde uocis aſperitas; à calore exſiccante, & exaſperante uocalia inſtrumenta: Hinc ibi Ariſt. ait, neque febricitantes rectè cantare poſſe; quia ex calore fauces redditę ſunt aſperæ; neq; ſtatim ab ingeſto cibo optimè canunt; quia ex nimia humiditate uox aſpera redditur, ecce quod uocis aſperitas non fit ſolummodo à ſiccitate; ut in hoc loco docere uidetur Galenus.

Reſpondent nonnulli, quod in hoc loco Gal. non referat omnes cauſas aſperæ uocis. Sed hæc reſponſio non accipitur, quia taxant auctorem. Alij dicunt, Galenum hic ſolum conſideraſſe aſperitatē, quæ conſequitur naturale temperamentum, & hæc nobis probatur; dicimuſque aſperitatem, quæ fit à catarrho, uel ab alijs affectibus præter naturam, non pertinere ad hunc locum; quia agitur hic de temperamentis ad ſana corpora pertinentibus, uel dicimus Galenum remittere lectorem ad librum de uoce, ubi plenè de ipſa agit.

6 Dub. habetur in tex. latitudinem tracheæ efficere uocem grauem; anguſtam & acutam; hoc experientiæ aduerſatur, quia uituli reddunt uocem grauiorem, quam Tauri.

Reſpondent nonnulli, Gal hic non referre omnes cauſas uocis grauis. Dicimus nos ex Gal. duo concurrere ad efficiendā uocem grauē, organi latitudinē, & exufflationem, ſed non omnem exufflationē, ſed illam, quę (ut ait Ariſt. 5. de gen. anim. c. 7. & Gal. de uoce c. 2.) tardè mouetur; ualet enim conſequentia, aer exijt per fiſſuram laryngis tardè, ergò grauis uox: nō poteſt fieri acuta uox cum tarda exufflatione. Ad dubium dicimus organa uocalia eſſe latiora in Tauro, quam in uitulo: dicimus tamen exufflationem in Tauro eſſe ueloci orem; Hinc Ariſt. 11. ſect. probl. 17. ait hyeme uoces eſſe grauiores, quā æſtate quia aer frigidus, dum ſit craſſior, tardius mouetur, ideò grauior uox; ecce igitur, quod una ex præcipuis cauſis, cur uox ſit grauis ſit tarditas motus, & cur acuta, eſt uelocitas: Hinc Ariſt. 11. probl. 15. non unicam, ſed tres affert cauſas; cur pueri habeant uocem acutiorem hominibus, prima eſt motus aeris uelocior; ſecunda quia ſunt calidiores: tertia quia po-

poros habent ſtrictiores: quando igitur vna cauſa ex his magis concurrit, quam aliæ, illa magis poteſt; ſicuti euenit de vitulis, qui tardius mouent aerem inſpiratum, quam Tauri.

7 Dub. ſi eſſet verum, quod vox acuta fieret, dum aer velociter mouetur, ſequeretur quod animal, quo robuſtius, & velocius moueret aerem, & acutiorem redderet vocem, quod reluctatur experientiæ; quia valdè ſenes, & valdè debiles vocem acutiorem reddunt.

Reſpondetur in debilibus exufflationem eſſe debilem, & perexiguam; ideò velociter moueri, non ratione validę virtutis, ſed ratione perexiguæ exufflationis; ſenes, dum acutam vocẽ efficere incipiunt, in ſtatum debilem ob vitalis caloris paupertatem redacti ſunt; ideò pauco egẽt refrigerio: & paucum aerẽ inſpirant: vnde fit, vt pauca exufflatio celeriter egrediatur, & vox acutior reddatur.

8 Dub. ait Gal. grauem vocem fieri nõ poſſe ſine latitudine tracheæ; quod non videtur, quia Iuuenes dum perueniunt ad pubertatem, ſpermaque emittere incipiunt, illicò reddunt grauem vocem: deinde non multo poſt iterum ſuauiorem vocem ſibi conciliant; non tamen videtur, quod tam cito trachea ſua natura dura, & cartilaginea dilatari, & conſtringi poſſit. Præterea nõ videtur, quod trachea habeat talem conſenſum cum genitalibus, vt facta alteratione in genitalibus vox ſtatim mutetur.

Pro declaratione conſenſus teſtium & vocis laborarunt Hipp. Ariſt. Gal. & Anatomici noſtrates: Hipp. 2. epid. ſect. 1. ait, quod tuſſis diuturna ſolet ceſſare ſuperueniente teſticulorum tumore, & tumor, ſuperueniente tuſſi; ſimiliter 2. epidem. ſectio. 5. tex. 3. ait vocis gracilitatem ſolum ſolui à teſticulorum varice. Ariſt. 5. de hiſtor. animal. c. 14. inquit ex vocis mutatione, & teſtium magnitudine innoteſcere tempus pubertatis: ſeptimo de hiſtor. animal. cap. 1. ait, dum Iuuenes ſemen emittunt, vocem mutare incipiunt, in aſperiorem non tamen digniorem, itidem nono de hiſtor. animal. c. 5. dicit, in gallinaceis caſtratis criſtam palleſcere; quinto de generat. animal. 5. ait eſſe venas mamarias deſcendentes per muſculos rectos abdominis, coeunteſque cum venis aſcendẽtibus ex vtero; quia per venam, cuius origo eſt ex corde, ſeruatur conſenſus inter genitalia, & vocem: c. 7. ait, exectis teſtibus laxari vires neruorũ, ſicuti in ſtamine, ſublato põdere accidit, Gal. lib. 2. de temperamentis c. 5. & 6. epidem. 4. tex. 27. habet dum incipiunt pubeſcere Adoleſcentes, teſtes increſcere & mutari voces. Anatomici noſtrates non ſolum referunt hanc vocis mutationem in venas mamarias, verum etiam in neruos ſextæ coniugationis: quia ab hac oritur ſurculus, qui peruenit ad teſtes; & alij duo qui perueniunt ad epiglotidem, qui uocantur nerui recurrẽtes, à quibus uox fit. Præterea propago illius nerui, qui per laterum coſtarum excurrit, fertur quoque ad teſtes. Similiter uena ab azygo oritur, quæ permeat ſeptum tranſuerſum, & deinde fertur ad renalem, à qua ſpermatica uena exoritur. Demum arteria uenoſa fert ſpiritum in ſiniſtrum ſinum cordis, & ab hoc in aortam, & in eius ramulos, per quos pus pleuriticorum, peripneumonicorum, & empyicorũ expurgatur aliquando per urinam; ecce quod ſeruatur conſenſus pectoris cum teſtibus, tum ratione neruorum, tum uenarum, & arteriarum; non erit igitur mirum, ſi alteratis teſtibus, alteretur uox; neque mirum uidebitur, ſi tuſſis diuturna (ut ait Hippocrates) ceſſare ſoleat, ſuperueniente teſticulorum tumore, uel ſi uocis gracilitas ſoluatur à uarice teſticulorum. Ad dubium primo negatur, quod uox aſpera, quæ accidit ijs, qui ſunt in pubertate, diei debeat grauis, ut docuit nos Ariſtoteles locis citatis; concedimus tamen poſt pubertatem uocem gràuem fieri, & tracheam quoque latiorem factam eſſe, creſcunt enim Adoleſcentes uſque ad annum 21. circiter; aſperitatem uerò à ſiccitate in pubeſcentibus fieri; ſiccitatem uerò oriri, quia humiditas recurrẽtium neruorum, & uenarum pér quas ſeruatur ſympathia inter tracheam & teſtes deſcendit ad teſtes, & ob hanc communicantiam, facta alteratione in genitalibus, ſequi tracheæ ſiccitatem.

CAPITIS LXIX.

Cur de temperaturis aliarum partium corporis nil dicat.

Tex. 76. *Reliqua verò partes animalis interiores exilia habent temperatura indicia: tentãdum tamen ea ex iuuantibus, & nocentibus agnoſcere: ac præterea naturalium potentiarum operationes. Dictum verò eſt in tertio de cauſis accidentium, quod cuiuſque potentia virtus, & vitium temperatura principalis exiſtat: temperaturarum itaque indicia iam explanauimus.*

POſtquam Gal. ſuperius egit de temperaturis omnium viſcerum, & partium principaliũ corporis. In præſenti c. inquit de temperaturis aliarum partium minus principalium, vt ſunt inteſtina, meſenterium, vterus, peritoneum, omentum, &c. ſe non velle ob duplicem rationem, ſermonem habere, altera eſt quia cum ſint interna, habent ſigna ſuæ temperaturæ exilia; altera, quia hę partes per duplicem ſignorum fontem dignoſci poſſunt; alter deſumitur ex iuuantibus, & nocentibus: alter ex alteratione naturalium operationum, de quibus, cũ diſtinctè in 3. lib. de cauſis ſymptomatum egiſſet, non erat opus, hìc acta repetere.

Operationes verò naturales, quæ cuilibet corporis particulæ conueniunt ex Galeno primo de facultatibus naturalibus c. 5. tres principes ſunt, ideſt generatrix, nutrix, & auctrix; His tribus hę quatuor famulantur, attractrix, retentrix, expultrix, & concoctrix; ex his temperaturas omnium partium exploramus; tẽperatura enim eſt cauſa principalis omnium dictarum virtutum; calida enim & ſicca temperatura cauſa eſt bonæ attractionis; calida & humida optimæ concoctionis & expulſionis; Hinc Auic. prima primi doct. 6. c. 3. dicit in pueris, quamuis melior ſit coctio, quam in Iuuenibus, attamen non ita digerunt dura vt Iuuenes, quia non retinent, ſed expellunt.

1 Dub. ait Gal. in tex. cæteras corporis particulas pernoſci ex iuuantibus, & nocentibus: quem cognoſcendi modum Auic. 22. 3. tract. 2. c. 6. reijcit; quia ex iuuãtibus & nocentibus aliquod ſignum ſtabile, & certũ colligi non poteſt; non valebit enim dicere frigida nocuerunt: ergo calida iuuabunt; quia frigida fortaſſe nocuerunt calefaciendo ex accidenti quia dum à cauſa frigida obſtruuntur, pori calor augetur: idem dicimus de calidis; quare inquiſitio per iuuantia, & lædentia nõ uidetur tuta.

Reſpondetur, Gal. non ſolum per iuuantia & nocentia docere, eſſe incedendum in dignoſcẽdis internis temperaturis; ſed etiam per operationes naturalium potentiarum, quæ non poſſunt dignoſci, niſi ab exercitato anatomico: ideo Gal. 1. de locis affectis primo habet hæc, *quæ in imo corpore latent, exercitata cognitionis virum & præſertim in arte anatomica deſiderant.* Nos in 2. lib. methodi noſtræ docuimus, quomodo virtute anatomatica poſſint penetrari internæ ægritudines omnium muſculorum, & neruorũ; ſimiliter in ſequenti lib. per decẽ conditiones partiũ, declarauimus vniuerſas alterationũ ſpecies: ad hanc artẽ tamẽ nõ accedat anatomia orbatus; quia nihil intelliget.

2 Dub. dictum eſt temperaturas cuiuſque particulæ per quatuor operationes naturales dignoſci, quod videtur impoſſibile, quia retentio eſt contraria expulſioni: quomodo igitur duo contraria eſſe poterunt ſimul in vnica particula?

Reſpondetur in quaque particula eſſe fibras rectas, tranſuerſas, & circulares; quare operationes contrarię, non ſunt in vna particula conſiderata ſecundum eaſdem fibras: rectarum enim fibram officium eſt attrahere vt dicit Gal. 4. de u. p. c. 17. & lib. 6. c. 8. officium tranſuerſarũ retinere: obliquarum exprimere. Videtur tamen Gal. aliquantulum differre ab Auicenna: quia prima, primi doct. 6. c. 3. ait fibras tranſuerſas retinere; Gal. uerò 4. de u. p. c. 17. ait expellere, ſimiliter 6. de uſu p. c. 8 ait, obliquas retinere; & Auicen. loco citato dicit retentricem fieri uirtute fibrarum tranſuerſarum.

3 Dub. dictum eſt ex Gal. 1. de fac. naturalibus c. 5. non dari, niſi quatuor facultates miniſtrantes, quæ ſunt concoctrix, attractrix, expultrix, & retentrix, ex qua rũ læſione conſurgunt ſymptomata pri-

mi

mi ordinis:nihilominus Gal.aliter ſentire uidetur 3.de cauſis ſympt.cir.fin.ubi præter quatuor propoſitas agit de facultate diſtributoria, & de ſecretoria, & de earũ ſymptomatibus: aitq; atrophiam fieri ex defectu diſtributionis; morbum regium uerò ex defectu ſecretionis,quæ ſymptomata non uidentur, quod poſſint reduci ad læſionem expultricis, uel aliarum facultatum. Præterea Gal.3.de elem.c.1.uidetur connumerare potentiam ſegregatricem inter naturales facultates. Demũ Auerr. his quatuor propoſitis facultatib. aperto Marte certat, & probat ſecretoriã facultatem differre ab expulſoria.

Reſpondetur, diſtributoriam & ſecretoriam reduci ad illas quatuor facultates propoſitas; quia diſtributotia reducitur ad attractiuam,& expulſiuam,& concoctiuam; ſic atrophia ſupponit læſam attractiuam & cõcoctiuam,addamus nos, & expulſiuam facultatem: dum enim alimentum eſt probè coctum,ſi eſt redundans expellitur,& quatenus utile ab alijs partibus attrahitur; ecce quod ſecretoria fit ab expultrice, & attractrice; idem dicimus de diſtributrice.

Quando igitur Gal. ut diuerſam proponit diſtributoriam,& ſecretoriam,dicimus eatenus eſſe diuerſam, quatenus eſt compoſita ex illis quatuor.

Quandò uerò Auerroes aperto Marte cõtra alios ſuſtinet ſecretoriam eſſe omninò diuerſam ab expultrice, dicimus à veritate recedere,vaniſſimiſque rationibus medicos inuehere, quæ non ſunt dignæ vt huc transferantur.

Nonnulli ſunt qui præter duas propoſitas potentias addunt facultatẽ affigendi alimentum partibus nutriendis, & facultatem dilatandi, & appetendi: quæ re vera non pertinent ad facultates, ſed ad quoddam naturæ munus: calidi enim eſt dilatare: quare vis dilatandi non erit facultas, ſed caloris effectus.

Eodem modo dicimus non dari facultatem affigendi: quia cera affigitur ex ſe ſine ope alterius virtutis.

Similiter ſi pars appetit, dicimus quoque grauia appetere centrum, leuia ſurſum, & cæt. amotis igitur illis quatuor,dicimus non dari alias miniſtrantes ſed ad illas vniuerſas reduci.

CAPITIS LXX.

De Signis malæ compoſitionis ſanorum.

Tex. 77. *Circa magnitudinem verò, vel formationem, vel numerum, vel ſitum,quæcunque quidem ſenſibus ſubijciuntur errata, cognitu facillima ſunt: quæ autẽ ſenſu percipi nequeunt,quædam cognitionem habẽt difficilem, quædam verò facilem. Capitis igitur magnitudo, ac figura, & cerebri ſimul in propatulo ſunt,& de his antea diximus: ſic & quæ thoracis ſunt & quæcũq; ad ſcapulas,& humeros, vel brachia, vel cubitos; vel extremas manus,vel coxas,vel femora, vel tibias, vel pedes attinent non eſt difficile agnoſcere, ſiue ſecundum formationem,ſiue ſecundum magnitudinem, ex his aliquid non rectè ſe habeat ſiuè ſecundum numerum vel partium;ex quibus conſtant compoſiturã, ſingularum etiam operationis detrimenta facilè patent.*

HActenus in hanc ſecunda ſect. libri egit de ſignis temperaturarum ſanorum corporum recedentium tamen à temperatiſſimo. In præſentia vult agere de ſignis malæ compoſitionis non ægrorum, ſed ſanorum corporum.Plurimi enim ſanitate fruuntur, quamuis eorum membra magnitudine, figura, numero, vel ſitu ab homine ſaniſſimo aliquantulum recedant.

Textus eſt adeo clarus, vt non egeat explicatione:ait enim, errata membrorũ ſecundum magnitudinem, figuram,numerum,vel ſitum, ſi ſenſibus ſubijciũtur eſſe cognitu facillima:ſicuti ſi capitis magnitudo ſolitum morem excedat: vel figuram habeat inconcinnam:vel magnitudo & figura thoracis,ſcapularũ,vel humerum non ſeruent terminos naturales. Idem de brachijs,de cubitis, manibus,de coxis, & fæmoribus, tibijs, vel pedibus, ſi mala figura, magnitudine, numero, vel ſitu à ſtatu ſaluberrimo hæ partes recedant, quiſq; facilè dignoſcet; quia ſenſibus ſubijciuntur; ſi verò hæc vitia partibus internis conueniant, vt non videantur, cognoſcentur vel ex vitijs propriarum actionum; vel ex tactu, ſi tangi poterunt vt hepar, ſplen, ventriculus, &

inteſtina; vel ex pondere ab ægrotante animaduerſo.

1 Dubitatio Galenus hic agit de ſignis malarum diſpoſitionum partium organicarum hominis ſani, & non ægri videlicet de magnitudine aucta, vel diminuta, de numero deficiente, vel ſuperfluo, de ſitu, & de mala conformatione; quomodo hæ morborum ſpecies pertinere poterunt ad hominem ſanum cum ſint præter naturam?

Reſpódetur propoſitas ſpecies morbificas eatenus dici morbos, & quid præter naturam, quatenus (vt dixit Galenus ſuperius) ſenſibiliter lædunt aliquam operationem; Hinc capitis magnitudo, quãuis excedat temperatum hominem, non vocabitur morbus; Itidẽ naſi ſimitas, vel aduncitas; oculi concauitas, vel prominẽtia, dorſum planum vel rotundum, ſextus digitus, & alij innumerabiles affectus, qui non lędunt operationes naturales, animales, vel vitales, nullo modo in morborum catalogo à Gal. collocantur.

CAPITIS LXXI.

De ventriculo paruo & rotundo.

Quæ autem intra corpus ſunt, non omnia poſſunt cognoſci. Cuiuſdam enim ventriculum adeo paruum, & rotundum, ac pronum ſecundum hypochondria ſitum habentem inſpexi, vt manifeſtè ex circumſcriptione propria, & videntibus & tangentibus appareret.

IN hoc cap. duo facit Gal. Primò dicit, quæ intra corpus ſunt, non omnia cognoſci poſſe. Secundò nos docet quando quis habeat ventriculum paruum, & rotundum.

Quo ad primam particulam ait, quæ intra corpus ſunt, non omnia cognoſci, an ſcilicet magna, vel parua ſint; an numerus partiũ ſit ſuperfluus vel diminutus; an figura, & ſitus vaſorum ſit naturalis, nec ne. Quis penetrare poterit an pulmo, inteſtina ventriculi cordis vel cerebri excedant, vel deficiant in magnitudine, numero, & figura, & an ſint in ſitu optimo & naturali? Hæc ſanè nõ poſſunt certa ſcientia, ſed ſolum quadã coniectura aſſequi, quæ deſumi poteſt tum ex his quæ dicta ſunt in hoc libro, & libro de locis affectis; tum ex optima exercitatione in anatomia, ſine cuius cognitione eſt omninò impoſſibile aliqua, quæ intra corpus ſunt, penetrare.

Galenus verò antequam perficiat hũc tractatum de mala ſanorum corporum conſtitutione, proponit nonnulla exempla pertinentia ad ventriculi paruitatem, & rotunditatem; ad veſicam paruam & prominentem. Ad hepar paruum, & ad poros felleos vario ſitu diſpoſitos: harum internarum partium imitatione excitat nos ad penetranda ſanorum vitia interna, eadem coniectura deſumpta ab Anatomia.

Quo ad ventriculum paruum, & rotũdum ſanorum hominum attinet, ſciendũ primò, rotunditatem ventriculi eſſe vitium comparatũ in prima generatione; quia perfecta ventriculi figura ex Gal. 4. de v.p.7. non eſt rotunditas: ibi enim Galenus ait, quod ventriculus ſit oblõgus referens cucurbitę longę ſimilitudinem.

Figuræ partium internarum cognitio Medico eſt omninò neceſſaria, quia modus medicandi à figura quoque ſumitur, vt docet Gal. 7. methodi capite vltimo; ex ventriculi enim figura, quæ aſſimilatur longæ cucurbitę colligimus, qua forma cerata ventriculo applicari debeant. Ex hepatis figura imitante ſemilunium, quomodo extrinſeca auxilia debeant hepati applicari; Ex figura rectorum muſculorum non ſolum addiſcimus ſi tenſi ſint, ſed etiam quomodo cerata illis ſit affigenda; non deſunt ignari anatomiæ, qui dum vident hanc oblongam duritiem in parte dextra, putant eſſe hepar induratum: in ſiniſtra ſplenem. Similiter ex figura ſplenis coniectari oportet, quomodo ſint topica ſplenetica applicãda; ſplenis enim exigua pars occupat partem ſupernam; hæcque ſola topicis tractare poteſt; interna verò nequaquã; figura partis ſupernæ ſplenis imitatur plantam pedis, ſi igitur neſciueris hanc, quomodo poteris topica applicare? Quod dicimus de his, de alijs omnibus eſt dicendum.

Si de ſitu oris ventriculi loquamur, dicimus niſi exactè præcognoſcatur, nullo modo poſſe iuuari; Medicorum vulgus

putat

putat os ventriculi ſtatim ſub mucronata cartilagine ſitum eſſe,quod quam ſit falſum, nos experientia anatomiæ & Galenus docent.

Sed quod peſſimum eſt huius rei ignari medendo valdè lædunt patientes; quia ſi vocentur pro cardialgię curatione, applicant calida fomenta ſtatim ſub mucronata cartilagine,vbi eſt iecur;illud incendunt, & inde truciorem reddunt affectum,quod erratum eſt maximè deteſtandum.

Hinc Galen. in omni re exactiſſimus præuidens hanc medicorum incuriam, lib.13. methodi cap. 17. docet, quando os ventriculi obſeſſus eſt phlegmone, cata plaſma imponendum eſſe verſus ſpinam dorſi è regione reſpondentem ſtomacho:ibiq; inquit, locum eſſe viciniorem, & maiorem fructum os ventriculi eſſe conſecuturum.

Si de ſitu ventriculi loquamur, credimus cum Anatomicis noſtris, ventriculum vergere magis ad partem ſiniſtam, quam dexteram, quod non videtur cognouiſſe Gal.4. de v. p. 7.

Sed cum dixerit libro de anato. admini.cap.2. ſe non vidiſſe niſi duo cadauera humana imperfecta; dignus eſt excuſatione: neque ab ijs qui liberè philoſophantur, & qui ſenſibus magis quam rationi deferunt,defendi poteſt.

Similiter reijcimus numerum additum à Galeno ventriculo; putabat enim circa infernum orificium ventriculi eſſe glandulam,quam nemo anatomicorum, quod ſciam, vidit vnquam: non eſt mirum igitur ſi concepta hac fictitia glandula in multa ſubinde errata incidant, qui illam admittunt; aliquos enim audiui, qui putabant illam eſſe ſedem multarum ægritudinum; quiq; pro fictis morbis pellendis varia ficta,& vana medicamenta propoſuerunt.

CAPITIS LXXII.

De veſſica parua, & prominente.

Sic & cuiuſdam veſſicam contigit intueri, ita expoſitam, ac paruam, vt ſi quando vrinam tardius excerneret, tumor quidam circumſcriptus manifeſtè cerneretur: non tamen aliud ex interioribus quicquam mihi vnquã manifeſtum præbuit inditiũ.

Dixit ſuperius Galenus, non dignoſci omnia,quæ intra corpus ſunt, quia internarum partium figurę, magnitudines,ſitus, & aliæ conditiones ſuperius à nobis propoſitę ſẽſibus nõ ſubijciuntur: ideò ſolùm coniectura eſſequi poſſunt. Verum,quia nonnulla ex internis viſceribus tactu percipi poſſunt, Gal. exemplo ventriculi parui & rotundi, & veſſicæ paruæ & prominentis voluit nos docere, quomodo in alijs perquirendis incedendum ſit; In cap. ſuperiori declarauit quomodo dignoſcatur ventriculus paruus; & rotundus; in hoc cap. verò de veſſica parua,& prominente; in his duobus caſibus Gal. notat duo ſanorum vitia, alterum eſt in magnitudine diminuta ventriculi & veſſicę:alterum in figura.

Ait Galen.veſſicam paruam dignoſci, quando in ijs, qui tardius vrinam excernunt,tumor in parte hypogaſtrica obſeruatur, qui tamen poſt redditam vrinam, repente euaneſcit; in his veſſica & parua & prominens eſt. Refert in fine capitis ex interioribus partibus non aliud quicquam ſibi manifeſtum præbuiſſe inditium.

Præterea multa digna animaduerſione de ſitu veſſicę expedi poſſent;quia aliquando Anatomiſtæ celebres lapſi ſunt in errata; ſicuti lapſus eſt Columbus lib. 5. ſuæ annotomiæ cap. 26. agens de muſculi colli veſſicæ ſitu,vbi habet hæc: aliquando à Lithotomo, qui ſitum veſſicæ ignorat, muſculum ceruicis tranſuerſim incidi, & inde nouum morbum induci, quoniam dicit ſecto hoc muſculo vrinam non amplius poſſe contineri.

Quam ſententiam licet fuerit Anotomici eruditiſſimi, pudet me refellere; quia ſi ſemel Columbus inſpexiſſet Lithotomum ſecantem, mutaſſet ſententiam; quia collum veſſicæ incidi non poteſt, cum diſtet à vulnere Lithotomi dimidij palmi interſtitio circiter.

Præterea illud vulnus ſolum peruenit ad fiſtulam,qua defertur lotium;neque penetrare poteſt;quia impeditur à ſyringa prius à Lithotomo immiſſa; quod cum non viderit Columbus non eſt mi-

rum, ſi in errorem inexcuſabilem inciderit.

Sed quod peius eſt, ex vno errato in alia labitur maiora; quia dum ſupponit collum veſicæ à lithotomo ſecari, inquirés cur dicat Hipp. ſecta veſica eſſe mortiferum, dicit ſectum collum veſicæ non eſſe mortiferum; quia eſt carnoſum, quod erratum eſt maius priori; quia in ceruice eſt maior neruorum arteriarum, & venarum implexus, quam in quauis veſicæ parte, & per conſequens maius periculum.

Poſtremò defendimus cõtra communem opinionem 3. lib. methodi noſtræ, collum veſicæ nullo modo carnoſũ eſſe, ſi aphtopsiæ ſit adhibenda fides; fateor me neque in brutis, neq; in humanis cadaueribus vnquam in collo veſicę vidiſſe carnis fimbras; vnde non potui non laudare Auerroem dicentem muſculum non eſſe adæquatum organum voluntarij motus; quia ſine carne collum veſicæ retinet vrinam: ſed de hac re egimus ſuperius in propria diſputatione.

CAPITIS LXXII.

Particula II.

Tentare autem oportet quam maximè fieri poſt virtutem, ac vitium ipſorum, & ſi non certiſſima ſcientia, artificioſa ſaltem coniectura comprehendere, veluti exempli gratia in hepate.

Galenus in tex. ſuperiori dixit, partes internas, an peccent in magnitudine, figura, numero, vel ſitu, certa ſcientia non poſſe pernoſci; quia neq; tangi, neq; videri poſſunt: Excipit tamen duos caſus, qui poſſunt videri; alter eſt de ventriculo paruo & rotundo: alter de veſica parua, & prominente: In hoc text. verò concludit quod partes internæ, quę nullo modo videri, vel tangi poſſunt, non certa ſcientia, ſed ſolum artificioſa quadam coniectura comprehenditur: qua vero coniectura ſit incedendum, in ſequentibus capitibus exemplo hepatis nos docebit.

1 Dub. non ne Galen. ſuperius docuit diſpoſitiones omnium internorũ viſcerum per ſigna certiſſima? non ne docuit temperaturas cordis, pulmonis & cerebri quæ ita internæ ſunt, vt ſenſibus nullo modo ſubijciantur? qua re nos fallere videtur, dum de internis viſceribus dicit, ſolum ventriculum & veſicam pernoſci poſſe.

Reſponſio eſt facilis: quia Galenus hic non loquitur de temperaturis, ſed de affectibus in magnitudine, figura, numero, & ſitu; Dicimus, hos affectus nõ ſciẽtia, an partibus internis conueniant, ſed artificioſa coniectura pernoſci; quia actiones, quæ indicant interna viſcera, immediatè prodeunt à temperatura & non à parte organica; quare per actiones eleuamur ad cognoſcendas temperaturas; an cor verò ſit magnum vel paruum, an renes ſint magni, vel parui, magis vel minus oblongi, an dexter ſit ſuperior ſiniſtro, non ab actionibus dependet; ideò ſola coniectura artificioſa incedendum; Quomodo verò ſit incedendum artificioſa coniectura, in ſequenti capite Galenus ſumens in exemplum hepar, nos declarabit.

CAPITIS LXVIII.

De hepate paruo.

Vidi enim aliquos, & quidem quamplures, quibus venæ erant anguſtæ, & totum corpus colore priuatum, quod ſi pluſculum cibi aſſumpſiſſet qui præſertim flatibus excitandis aptus eſſet, & craſſus, ac tenax: nonnulli quidem veluti pondus quoddam inſidẽs atque ſuſpenſum in profundo dextræ illorum partis ſentiebant: nonnulli verò quãdam cum dolore tenſionem. In his quidem veriſimile eſt hepar eſſe paruum, atque anguſtos meatus habere.

Docuit Galenus, ſuperius, quod mẽbra interna mala aliqua cõpoſitione prędita non poſſint certa ſcientia dignoſci; ſed ſolum artificioſa coniectura; in hoc capite verò exemplificat de hepate paruo cum anguſtis meatibus, atque his ſignis ſe tale hepar cognouiſſe.

Primum ſignum; venę erant anguſtę. Secundum, corpus non erat coloratum; vbi enim venę ſunt exiles paucus eſt ſanguis, & corpus relinquitur ſine colore.

Ter-

Tertium ſignum indicans paruitatẽ hepatis, & meatus anguſtos, ait dignoſci poſt aſſumptionem cibi flatulenti, uel craſſæ ſubſtantiæ, quia in his hypocondrio dextro pondus, uel dolor tenſiuus perſentitur;ualebit igitur hæc conſequẽtia, pluſculum cibi flatulenti, uel craſſi efficit quoddam pondus in regione hepatis, uel dolorem tenſiuum, ergo hepar eſt paruum, & per conſequens anguſtos meatus habet.

Dixit ex uenis anguſtis,& corpore colore priuato artificioſa coniectura, & nõ certa ſcientia cognoſci hepatis paruitatem;quia poteſt contingere,aliquem priuari colore ob alias cauſas; ſimiliter poſſunt externæ uenę,eſſe anguſtæ,& exiles ob hepatis frigiditatem, & non paruitatem. Itidem cibus flatulentus, & craſſus poteſt illud pondus & tenſiuum dolorem producere, non ob anguſtos meatus, & hepatis paruitatem, ſed ob cibi copiam, uel ob aliam diſpoſitionem; quare rectè dixit Galenus hepatis paruitatem, & anguſtos meatus, ſignis propoſitis dignoſci artificioſa coniectura,& non certa ſcientia.

Si uerò propoſita ſigna indicantia paruitatem hepatis perſeuerarent à pueritia uſque ad ſenectutem,arbitror,quod ſyndrome trium ſignorum non coniecturam,ſed certam ſcientiam de iecoris paruitate nobis afferret.

1 Dub. ait Galen. non dari ſignum indicans hepar, uel alia interna uiſcera, quod ex tactu cognoſcatur:quod quidem uidetur falſum:non ne multi ſcyrrho hepatis laborant, quorum ſcyrrhoſa durities tactu percipitur, ergo hepar durum tactu cognoſcitur,quod Galenus non uidetur admittere.

Reſpondetur, Galenum hic non agere de corporibus inſalubribus ut nunc, ideſt de ægris; ſed de uitijs ſanorum corporũ; in quibus uitia in magnitudine, figura, numero, uel ſitu internarum partium tactu non dignoſcuntur; exceptis tamen uentriculo paruo,& rotundo,ueſica parua & prominente.

CAPITIS LXXIV.

Alterum vidi cuius totus habitus pituitam per ſe ferebat, quotidie tamen bilem ruffam euomebat. Cenſui igitur aſpicienda alui excrementa, in quibus minimum bilis apparebat. Quare coniectura quadam comprehendi eum meatum qui bilioſum egurgitat humorem non minimam eiuſdem partem ad imum ventriculi locum, quem Græci pyloron, ideſt, oſtiarium vocant, effundere,vt in quibuſdam apparet animalibus. Ex quibus id conſtat, quod plurimum ad eorum quæ latent ſenſum, cõfert cognitionem, ea quæ ex ſectionis inſpectione habetur peritia, & operationum atque vtilitatum inuentio. Quicumque igitur facultatem dignoſcendi huiuſmodi corpora quæ ita lapſa ſunt conſequi cupit: oportet: ipſum in ſectionibus, ac in operationum,atq; vtilitatum inuentionibus exercitari. Scripſimus verò de omnibus ſeorſum in tractatibus alijs, de quibus in fine libri omninò propoſuimus facere mentionem; mentionem;vt diſcendi cupidi intelligant quæcumque diſcere optauerint, ex quo nam poſſint haurire tractatu, ſed tamen de hiſce ſatis.

IN præſenti cap. Galenus duo facit;primò proponit aliam artificioſiſſimam coniecturã, qua ipſe ſolitus erat agnoſcere, quando porus felleus erat delatus ad fundum uentriculi. Secũdo admonet, has coniecturas pro dignoſcendis internis diſpoſitionibus aſſequi non poſſe ſine Anatomiæ peritia, ex qua internarum partium operationes, & uſus penetrantur; de quibus, Galenus in ultimo capite huius libri fatetur ſe diligentiſſimè ſcripſiſſe in lib. de u.p.& de locis affectis.

Coniecturã artificioſam, qua Auctor dignoſcebat, quando porus felleus perueniebat ad fundum uentriculi, à tribus ſignis ſimul unitis deſumebat. Primum erat habitus pituitoſus. Secundum quotidianus uomitus bilis ruffæ ſeu pallidæ. Tertium alui excremẽta pituitoſa. Valebit igitur conſequentia; habitus eſt pituitoſus; bilemque quotidie euomit, aluique excreta ſunt pituitoſa; ergo porus felleus extenditur uſque ad fundum uentriculi. Agnoueris habitum illum eſſe pituitoſum,ſi fæces per aluum excretę fuerint pituitoſę; poſſet enim contingere, aliquem ſanum hominem euomere quotidie bilem non ob peccatum in ſitu pori fellei, ſed ob nimiam copiam bilis pro-

deuntis à bilioſo habitu.

Notandum Galenum, de hac re ſecundo de ratione victus in ac. 29. & 2. de temp. cap. 6. loquentem, vſum ſimiliter fuiſſe exemplo Pauli Rhetoris, & Eudemi Philoſophi; ibiq; oſtendit, quomodo ob varium ſitũ pori fellei ambo dici poterant picrocoli: Paulus, quia potus felleus perueniebat ad eius fundum ventriculi, & quotidie vomebat bilem, dicebatur πικρόχολοσεμέτων, erat tamen natura pituitoſus, pallidus, & alui fæces pituitoſas excernebat. Eudemus philoſophus, qui ſua natura erat bilioſus, nec vomebat bilem, nec dolore capitis tentabatur, vt Paulus; Ratio eſt quia ductus felleus perueniebat ad inteſtinum ieiunum; ideò eius fæces excernebantur bilioſæ, vocabaturq; πικρόχολοσκάτω: ecce quomodo ob varios ſitus pori fellei pituitoſus poteſt vocari bilioſus, & viceuerſa. Notandum ex Gal. 2. de temper. cap. 7. vt plurimum vnicũ eſſe ductum ſeu porum felleum: huncq; peruenire ad duodenum; aliquando tamen ait eſſe duos, quorum maior ad duodenum; minor verò ad fundum ventriculi excurrit; ait tamen in hominibus rarò contingere, quod canalis maior perueniat ad fundum ventriculi; ſolet enim eſſe maior in animalibus rapacibus tam volatilibus, quam terreſtribus; quia hæc animantia egent in prima coctione multa bile pro duris, & crudis cibis attenuandis, & concoquendis.

Argenterius inuehit in Galenum, quia dicit bilem, quæ per vomitum eijcitur a pichrocolo ferri in ventriculum per canale felleum; putabat Argenterius non per canale, ſed per venas inſertas ventriculo; nullam tamen contra Galenum affert rationem, vel experimentum certum, quod quidem eſt certum temeritatis indicium, quia non decet contra Gal. qui eſt totius medicinæ lumen inuehere ſine aliqua euidentiſſima ratione, ſeu experimento.

Præterea reijcit Gal. quia dicat in animalibus rapacibus eſſe duos canales felleos: Argenterij fundamentum eſt, quia ex aſſiduis ſectionibus boum, vitulorum, caprarum, leporum & ceruorum canalis felleus, qui peruenit ad ventriculum, non inuenitur.

Hoc fundamentum ſanè eſt vaniſſimũ, quia hæc animalia non ſunt rapacia.

Demum reijcit Achachiam, qui de accipitre, & quadrupedibus, quæ carnibus crudis veſcuntur, affirmet hos duos canales felleos inueniri. Reſpondet Argẽterius, falſam eſſe Acachię opinionẽ, tum quia Ariſt. in lib. de animal. nil dicat de duobus his canalibus felleis; tum quia nõ inueniuntur in Lupo, atque in vulpe.

Hæc ſanè neque reluctantur Galeno, neque Acachię; non Galeno, quia non dicit in omnibus animalibus rapacibus eſſe hos duos canales, ſed vt plurimum inueniri; quare ſi Argenterius illos non inuenit in Lupo, quem ſecauit non propterea abſolutè negandum eſt in rapacibus inueniri.

Poſtremo inuehitur contra Galenum, quod dicat 2. de tempe. porraceam bilem gigni ſolum in ventriculo, quod quidem eſt falſiſſimum, quia in Galeno 2. præſag. 39. duas ſpecies bilis porraceæ inueniet: quarum altera ex oleribus, herbiſq; viridibus gignitur, & hanc inquit Gal. ſolum in ventriculo gigni; altera verò fit in venis. Addimus tertiam quæ fit ex miſtione pituitæ cum bile æruginoſa, ex qua miſtura reſultat porracea, quæ non ſolum in ventriculo, verum etiam in qualibet parte corporis gigni poteſt; ſicuti nos fuſè probauimus libro 7. methodi noſtræ quem quiſque legere poteſt.

CAPITIS LXXV.

Tractatus de ſignis corporis ægrotantium.

Tex. 78. *Quæcumq; verò vt nunc inſalubria ſunt, hoc eſt, quæ iam ægritudinem patiuntur dignoſcere & hæc ipſa oportet. Quæ quidem ſubijciuntur ſenſui, ex eorum quæ ipſis inſunt, ſecundum naturam permutatione in magnitudine, colore, figura: & numero, & ſitu, & ea quæ eſt ſecundum duritiem, & mollitiem, & frigiditatem, & caliditatem differentia.*

Tex. 79. *Quæ autem viſum effugiunt, vt ſummatim dicam, ex operationum læſionibus, aut his quæ excernuntur; aut doloribus, aut tumoribus præter naturam, aut horum quibuſdam, vel omnibus.*

IN principio huius libri poſt explicationem ſecundæ particulæ tertij cap. enumerauimus omnia artis capita exorientia à medicinæ definitione: erantque ſeptuaginta duo;Tria enim capita exoriebantur à ſalubri, quæ erant ſalubre ſimpliciter,ſalubre ſemper; & ſalubre nunc; tria quoque oriebantur ab inſalubri, quæ erant ſalubre ſimpliciter,ſemper,& vt nunc;deinde quia etiam quatuor erant neutrorum ſignificata, & cuilibet ſignificato conueniebant ſimpliciter, ſemper & vt nunc, ideò reſultabant capita 18.verum quia ſalubre, inſalubre, & neutrum prædicantur de corpore, ſigno, & cauſa, conſeruante, & efficiente ſanitatem, vt docet Galenus cap.2.& Ariſt.4.metaph. tex.2.idcirco capita quater multiplicata aſcendebant ad duo ſupra ſeptuaginta.

Cum igitur Galenus egerit ſuperius de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris omnibus,& de ſignis ſimpliciter ſemper,& de ſalubri nunc.Reliquum erat vt ageret in hoc loco de ſignis corporum inſalubrium vt nunc,id eſt de corporibus actu habentibus ægritudines, relinquens tractatum de cauſis in 3. parte huius libri.

1 Dubitatio, non videtur, quod corpus inſalubre nunc ſignificet corpus actu ægrum;quia,ſi (vt dicit Galenus cap.2.)inſalubre ſimpliciter eſt σῶμα ἐπιδεκτικὸν τῆς ὑγίας id eſt corpus ſuſceptiuum ſanitatis, & quod non eſt actu ægrum; ergo corpus quoque inſalubre nunc non erit actu ægrum; quod enim eſt ſimpliciter tale, eſt etiam vt nunc tale, & non viceuerſa.

Reſpondetur, quod valeret cõſequentia à ſimpliciter tale, ad nunc tale in vniuocis, vel in ijs quæ habẽt eadem ſignificata; ſed in æquiuocis non valet; ex Ariſtotele 4. metaph. tex. 2. & in cap. de æquiuocis, ex Galeno lib.ad Traſyb.cap.8. & libro de ſectis ad introducendum capite primo, ſalubre & inſalubre ſunt æquiuoca;quare nõ valet conſequentia, inſalubre ſimpliciter eſt ſanum, ergo & inſalubre nũc eſt ſanum, quia inſalubre ſimpliciter dicit potentiam, inſalubre verò nunc dicit actum à potentia ſeparatum, quod vero inſalubre nunc ſumatur à Galeno pro corpore actu habente ægritudinem, id docuit in ſecunda particula quinti capitis huius libri.

Nonnulli, vt Acachias, cẽſent per hoc nomẽ ſalubres intelligi ſanum,& per inſalubre ægrum; vnde facilè reſpondent; quia dicunt inſalubre ſimpliciter & inſalubre nunc indicare corpora ægra; & ſic dubitatio non habet locum: ſed quia auctoritate Galeni in quæſt. propria reijcimus horum explicationem, nõ eſt,vt iterum acta agamus;ſolum dicimus,Galeni artificium conſiſtere in æquiuocatione horum trium nominum ſalubre, inſalubre & neutrum: recitata enim definitione medicinæ ſtatim recordamur duorũ capitum ſupra ſeptuaginta exorientium ab illis tribus nominibus, ita vt illorum nominum æquiuocatio conſtituet hanc doctrinam definitiuam,quæ mirificè nobis inſeruit pro recordatione omnium capitum artis medicæ.

Argenterius videns horum nominum ęquiuocationem iniuſtè reprehendit Galenum,quod non declaret,in qua ſignificatione ſumat inſalubre nunc; hæc ſunt eius verba, debebat ergo in hoc loco Galenus dicere, quæcunque inſalubria ſunt in eo ſignificatu, in quo ægra intelligimus dignoſcere,& hæc ipſa oportet; quis non intelliget ex his verbis Argenteriũ eſſe oſcitãtiæ & temeritatis crimine inurendum? non ne Galen. idem dicit quod deſiderat Argenterius? audiamus Galeni verba, quæcunque verò vt nunc inſalubria ſunt,hoc eſt quę iam ægritudinem patiuntur; non ne Galen. clariſſimè exprimit in his verbis quid intelligat per inſalubre nũc? non ne idem quoque explicauit cap. 5. huius libri? ad quid ergo in re tam clara & prænitente inuehitur in Auctorem? Rudiores Tyrrhones non incidiſſent in errorem tam puerilem.

Præterea in hoc cõm.Argen.duas alias inſtantias vaniſſimas contra Gal.propoſuit;prima quod omiſerit pro dignoſcendis internis affectibus locum à iuuantibus & lædentibus. Secunda quod Galenus omiſerit locum qui deſumi poſſit à ſimilitudine illorum affectuum, qui paſſim craſſantur.Quod ad primam inſtantiã dicimus, Argenterium non legiſſe caput 69. huius libri, vbi clariſſimè proponit, duos

duos locos communes pro dignoſcendis internis temperaturis, quorum alter deſumebatur à iuuantibus, & lædentibus: alter à proprijs operationibus. Quo ad ſecundam inſtantiam. Reſpondemus locum à ſimilitudine eſſe ineptiſſimum: nulla enim hæc conſequentia, vagantur febres malignæ, ergo, & iſta continua eſt maligna: quia hic tranſitus à ſimili eſt analogiſmus empiricorum reijciendus: Præterea locus à ſimili eſt argumentum à particulari ad particulare: caditque in tertiam figuram cum concluſione vniuerſali, quod eſt contra arcana analytica, quæ ſupponunt hoc principium, omnem ratiocinationem fieri à continentibus ad contenta: particularia, cum non poſſint aliquid continere, ex illis nihil inferri ſeu colligi poteſt: ſed de hac re egimus tum libro 12. qui eſt de analogiſmo, & falſa experientia, tum in 6. lib. methodi noſtræ cap. 1. contra hunc locum Argenterij à ſimilitudine, ideò non eſt vt acta toties repetantur.

Diuiditur hoc cap. in duas partes, in prima tradit ſigna omnium illorum affectuum, qui ſenſibus ſubijciuntur: in ſecunda proponit ſigna indicātia illos affectus qui oculorum aciem effugiunt, & nullo modo ſenſibus ſubijciuntur. Signa indicantia affectus, qui ſenſibus ſubijciuntur, ſunt magnitudo, color, figura, numerus, ſitus, durities, mollities, frigiditas, & caliditas. Quæ verò viſum effugiunt à læſis operationibus, ab excretis mutatis, doloribus, & tumoribus.

Dubitatio exoritur circa primam particulam: quia docet Galenus, ægritudines, quæ ſenſibus ſubijciūtur ex ijs agnoſci, quæ inſunt ſecundum naturam, quæ ſunt ſubſtantialiter inhærentia, operationes, & caſus; ſed ſic eſt, quod Gal. tangere ſolum videtur ſubſtantialiter inhærentia & caſus, omittendo operationes; ergo eſt mancus. Quod vero tangat ſubſtantialiter inhærentia patet, dum mentionem facit de magnitudine, numero, ſitu, & figura, quæ pertinent ad malas cōpoſitiones, & dum loquitur de frigiditate, & caliditate, quæ indicant temperaturas; ſubſtantialiter inhærentia prędicantur de compoſitione, & temperatura: Denique per mollitiem, & duritiem explicatur caſus: de operationibus ne verbum quidem, quaſi quod morbi, qui ſubijciuntur ſenſibus, qui ſunt partium externarum non lædant operationes.

Reſpondetur, ſymptomata eſſe ex Galeno diuiſa in tres ordines, aliqua eſſe primi ordinis, & ſunt operationes læſę: aliqua ſecundi, & ſunt exeuntia mutata, & immodicè retenta, & aliqua tertij ordinis, quæ ſunt qualitates mutatæ; ſuppoſito hoc, dicimus, qualitates mutatas ſupponere exeuntia, vel retenta immodicè; hæcque ex neceſſitate ſupponere operationem læſam. Ad dubium dicimus, Galenum ſub nomine coloris intelligere ſymptoma in qualitate mutata, quæ non poteſt mutari, niſi prius moueatur aliquis humor à parte interna ad externā; ſicuti euenit in ictеritia; flauities enim fit à bile diffuſa per vniuerſum corpus, quæ non diffunditur, niſi prius aliqua operatio læſa ſit: color igitur ſupponit exiens mutatum, & exiens operationem læſam. De horum ſymptomatum ordine nos cumulatiſſimè egimus libro primo Methodi cap. 6. vbi declarauimus artem, qua quiſque ex ſymptomatibus peruenire poſſit ad id quod eſt in facto eſſe, & quod primo indicat.

Quo ad ſecundam partem Galenus proponit quatuor genera ſignorum indicantium morbos partium internarum; quorum primum deſumitur à læſione operationum.

Secundum ab exeuntibus mutatis, quæ dicuntur ſymptomata ſecundi ordinis, quia omnia exeuntia mutata ſupponunt actionem retentricem diminutam, vel ablatam.

Quærendum deinde eſt vlterius, ſi radicem penetrare velimus an ſcilicet hæc retentrix diminuta, vel ablata ſit læſa per ſe, id eſt ob læſam conſtitutionem, id eſt intemperiem humidam, vel per accidēs, id eſt ob læſam expultricē: ſępiſſimè enim exeuntia mutantur, ſed non à læſione retentricis, ſed expultricis irritatæ, ſcilicet ab obiecto mordaci, quod tandem ab alteratrice vt plurimum hepatis deprauata exoritur.

Tertium genus ſignorum Galenus deſumit à doloribus; dolores enim morbos internos, & locos affectos indicare ſolēt.

Hinc

Hinc dolores pungitiui indicant affectā eſſe membranam: quia nulla eſt corporis pars ſenſu prædita, quæ denſior illa ſit, ideò humores membranas penetrantes excitant puncturas.

Dolores verò qui fiunt in carne, non ſunt pungitiui ſed laceratiui: quia humores facilè penetrant carnem, ideò non pungunt; lacerant tamen, quia fibræ ſubtiliſſimæ carnis à cauſa ſoluente continuum lacerantur, quod non accidit membranis.

Dolor verò pulſatorius fit circa arterias.

Grauatiuus fit in viſceribus exiguo ſēſu præditis, ſicuti ſunt cerebrum, hepar, lien, pulmo, & renes: pondus enim grauitatis animaduertitur à ligamentis, quæ viſcera ſuſtinent.

Dolor frangitiuus conuenit perioſtijs: quia cauſa ſoluens continuitatem oſſium, quæ ſunt duriſſima, & ſenſu priuata animaduertitur à perioſtio, quod circumvoluit oſſa.

Demum dolor cōuulſiuus indicat neruoſum genus ſolui: plenius tamen egimus de hac re lib. 3. methodi noſtrę cap. 1. vbi videri poteſt, vnde ſpecificæ differentiæ non ſolum dolorum, ſed omnium aliorum affectuum prodeant.

Quartum genus ſignorum indicantiū morbos internos, ait Galenus, eſſe tumores præter naturam, qui viſu, vel tactu agnoſcuntur; ſicuti ſunt tumores hepatis, lienis, ventriculi, inteſtinorum, vteri, veſſicæ, meſenterij, & cæt.

2 Dub. Galen. videtur diminutus: quia inter ſigna internarum ægritudinum collocauit operationes, & exeuntia; nihil tamen dixit de qualitate mutata.

Reſpondetur, qualitatem mutatam indicare morbos externos, & non internos ideò illam omiſit. Præterea poteſt reſpōderi, omnem qualitatem mutatam ſupponere exiens aliquod mutatum, vel immodicè retentum; quare cum propoſuerit exiens mutatum, non erat opus vt de qualitate mutata mentionem faceret; quia qualitas mutata ſequitur exiens, vt vmbra corpus.

3 Dubitatio, videtur mancus Gal. quia inter ſigna indicantia morbos internarū partium omiſit ſubſtantialiter inhærentia idest temperaturas, & compoſitionē, quæ prædicantur de magnitudine, figura, numero, & ſitu.

Reſpondetur, ſubſtantialiter inhærentia ex Galeno ſolum tactu, & viſu dignoſci, tactu temperaturæ: viſu auctæ vel diminutæ magnitudines, malę figuræ, malus ſitus, & numerus ſuperfluus vel diminutus; ſat igitur erat Galeno vt internas ęgritudines doceret, per hæc quatuor ſignorum genera, ſcilicet per læſas operationes, per exeuntia, per dolores, & tumores, vel per horum omnium ſignorum ſyndromen, vel aliquorum tantum.

4 Dubit. ex Raſi lib. 17. & Auicenna 2. 1. doct. 3. c. 1. & 14. ſecūdi tract. 1. ait, breuitatem manus indicare paruitatem iecoris: longitudinem verò indicare eius magnitudinem; ecce quod ex magnitudine membrorum externorū poſſumus quoque internorum viſcerum magnitudinem dignoſcere, ergo magnitudo non erat à Gal. excludenda à ſignis indicantibus internas paſſiones.

Reſpondet Auer. 4. coll. 4. irridendo Auic. qui putauit, longitudinem manus indicare magnitudinem hepatis: multi enim breues manus habent, qui iecur magnum habent; & multi lōgos, qui paruum, vt experiētia anatomica viſum eſt. Præterea Gal. non negaret, quod artificioſa coniectura poſſint penetrari interni affectus per ſigna deſumpta à ſubſtantialiter inhærentibus. Demum eſto, quod longitudo manus certò indicaret magnitudinem hepatis, quid tum? magnitudo hepatis acquiſita ab ortu naturæ non eſt internus morbus, quorum in ſecunda particula huius capitis Galenus tradit hęc quatuor ſignorum genera. Quorum primum deſumitur à leſis operationibus. Secundum ab exeuntibus mutatis. Tertium à doloribus. Quartum à tumoribus.

QVÆST. XCII.

An dolor ſit operatio læſa.

Galenus in hoc cap. proponit quatuor fontes ſignorum indicantiū internas ægritudines: in quorum primo collocat operationes lęſas: in ſecūdo exeuntia: in tertio dolores; & in quarto tumores. Alibi tamen vt primo de locis

locis affectis,& lib.de diffe. ſymp.& pluribus in locis inquit, dolorem eſſe operationem læſam,deprauatamque; quare alterum duorum ſequi videtur,vel tertium fontem hic propoſitum eſſe omninò ſuperfluum; vel, vbi docuit dolorem eſſe actionem deprauatam,ipſum fuiſſe deceptum.

Argenterio hæc dubitatio nullum faceſſit negotium;quia putat dolorem formaliter non eſſe actionem læſam; immò contra Galenum præter actiones diminutas, ablatas, & deprauatas, actionem auctam, triſtẽ, & voluptuoſam inſtituit.

Probatur primò, dolorem non eſſe actionem deprauatam: quia dum ſenſus ſentit dolorem illo modo,quo eſt, & non decipitur circa obiectum dolorificum, actio nõ poteſt dici deprauata. Poſtremò probat, dolorem non eſſe actionem auctoritate Ariſt. & ratione; auctoritas eſt lib. 10. Ethicorum,vbi Philoſophus refellit quoſdam,qui neſciebant diſtinguere actionem ab eo quod eſt in actione. Similiter 6. Topicorum ait, dolorem eſſe moleſtiam, ſeu paſſionem, quæ agendo percipitur,ergo ſi agendo percipitur;non erit formaliter ipſa actio.Probat demum ratione, quia ſi dolor formaliter eſſet actio ederet aliquod opus, ſicuti cæteræ actiones.

Reijcitur Argenterius; quia dum ait, dolorem non eſſe actionem deprauatam; qua facultas non decipitur circa obiectũ dolorificum, videtur obloqui, & vaniſſima proferre; in paſſione enim colerica, & in qualibet diarrhea expultrix irritata ad expellendum ex omnium medicorum conſenſu appellatur deprauata,tamen nõ decipitur,ſed rectè iudicat;Quare deprauatio eſt penes violentiam illatam in actionem, & non penes deceptionem. Sexcenta alia poſſent afferri exempla deprauatarum operationum, quæ circa obiectum ſuum non decipiuntur.

Dum verò ex Ariſt. 10. Ethicorum, & 6.Top.probat,dolorem formaliter nõ eſſe actionem; quia quod eſt in actione ab actione diſtinguitur,oſtẽdit ſe nõ intellexiſſe Ariſt. nemo enim Philoſoph.& medicorum eſt, quia neſciat, actionem eſſe diſtinguendã ab eo, quod eſt in actione; cui dubium,dolorem eſſe actionem, & eſſe in actione; nonne ex Ariſt. dolor eſt actio,& paſſio; paſſio enim vt paſſio non eſt actio,eſt tamen ſẽper in actione;actio dicitur ratione facultatis ſẽſitiuæ cognoſcentis; paſſio ratione partis ſenſu præditæ; eodem modo dicunt Philoſophi,ſentire, & intelligere ratione diuerſorum eſſe actionem,& paſſionem: atq; qui tandem non diſtinguent in dolore partem agentem à patiente, neque poterunt penetrare naturam doloris, neque anodyna.

Concludimus ergo, dolorem ratione violentiæ illatæ in facultatem cognoſcentem dici actionem deprauatam; ratione ſubiecti eſſe paſſionem,quę ſemper dicitur eſſe in actione.

Standum igitur eſt diuiſioni ſymptomatum vel traditę àGal.lib.de diff.ſympt. ad quam omnia ſymptomata,quę imaginari poſſumus reducuntur:hæcq; eſt;omnia ſymptomata vel ſunt actiones læſæ, vel qualitates mutatæ, vel exeuntia mutata, vel retenta immodicè; præter hæc non dantur alia genera.

Actiones trium ſunt generum: naturales, vitales,& animales.

Naturales hæ quatuor ſunt,attractrix, retentrix,alteratrix,& expultrix. Et quælibet harum poteſt deprauari, diminui, vel auferri: actiones verò triſtes, vel voluptuoſæ, vel auctę, ſi ſint pręter naturam ad deprauatas referuntur; Quod non intellexit Argenterius.

Vitales pertinent ad pulſum tantum.

Animales vel ſunt actiones quinque ſenſuum exteriorum, vel ſunt actiones motrices,vel rectrices, quæ pertinent ad memoriam,diſcurſum,& imaginationẽ; neque alia inuenientur ſymptomata, quæ non reducantur ad hæc propoſita.

1 Dubitatio ex dictis oritur, quia non videtur,quod omnis actio poſſit lędi, uel ablatè,vel diminutè,uel deprauatè; quia memoria eſt actio princeps cerebri;tamẽ dari non poteſt memoria deprauata; inueniemus homines, qui memoriam diminutam,vel ablatam,ſeu extinctam habeat,ſed deprauatam non reperiemus;ſimiliter non uidetur, quod dari poſsit ratiocinatio,uiſio, & reſpiratio deprauata, ſed ſolum diminuta,vel ablata.Ergo non omnis actio poteſt eſſe vel diminuta, vel ablata, vel deprauata. Præterea viſio eſt actio,

actio, tamen vel tollitur, vel diminuitur; ergo malè Gal. dum docuit, & in hoc lib. & de diff. ſympt. omnium partium actiones poſſe diminui, auferri, uel deprauari.

Reſpondetur, actiones læſas hoc modo diuidi, & eſt Gal. lib. de differentijs ſympt. actiones, uel uix fieri, & hæ ſunt diminutæ; uel nullo modo fieri, & hæ ſunt ablatæ; vel fieri corruptè, uel deprauatè. Ad dubium dicimus, dum aliquantulũ amittitur memoria dicitur diminuta; dum uerò ualdè diminuitur dicitur eſſe uitiata, uel corrupta, uel deprauata; de ratione deprauationis eſt inſignis læſio, fiat uel per intenſionẽ, uel remiſſionẽ; Hinc, dum aliquantulũ amittitur uiſio, dicitur uiſio diminuta; ſi ualde amittitur, quamuis ſit per remiſſionem, dicitur uitiata, ſeu deprauata: ſimiliter dum ratiocinatio parum amittitur, dicitur diminuta, ſi ualdè amittitur, ſicuti in phreneſi dicitur deprauata. Itidem uiſio ſi parum amittitur dicitur diminuta, ſi ualde uitiatur, ſicuti in ictericis dicitur deprauata; Eodem modo reſpiratio parum libera dicitur diminuta, ſi uerò multum amittatur dicitur uitiata, ſeu deprauata; cauſa erroris multorum fuit; quia non potuerunt intelligere, quod dentur actiones deprauatæ per remiſſionem. Sed ne reuellamur à prima dubitatione, videndũ eſt quid alij dicant.

Secunda opinio eſt Conciliatoris dicẽtis dolorem pertinere ad tertiam ſpeciẽ qualitatis, idest ad paſſionem, & paſſibilem qualitatem; ideò inquit, Galenum diſtinxiſſe dolorem ab operationibus læſis; quæ à paſſionibus differunt genere, & prædicamento.

Reijcitur à nonnullis, qui dicunt, dolorem nõ eſſe paſſionem, quia Ariſt. enumerãs omnes paſsiones ſenſuum noſtrorum, & obiecta ſenſus tactus nihil de dolore, & voluptate dixit: inter hos qui reijciunt Cõciliatorem eſt Oddus, qui ualde decipitur: quoniam neceſſariò admittere oportet cum Conciliatore, dolorem eſſe paſsionem; omnes enim actiones præter naturã ſunt quoque paſsiones collocãdæ in tertia ſpecie qualitatis; & in hoc ſenſu ſentẽtia Conciliatoris nõ poteſt infringi.

Tertia opinio eſt quorundam, qui dixerunt, dolorem eſſe appetitum fugiendi, uel propulſandi aduerſa; & non eſſe actionem; ideo Galenum propoſuiſſe dolorem, ut rem diſtinctam ab operationibus. Reijciuntur; quia antequam excitetur appetitus ad fugam, præcedit triſtis ſenſatio, quæ immediatè fit à ſolutione continui, quę tamen non eſt appetitus ad fugam, quamvis ſubito ferè excitetur.

Quarta opinio eſt nonnullorum, qui cum Auerroe 2. de anima com. 20. putant dolorem eſſe triſtem ſenſationem ſolius ſenſus interioris, & non ſenſus tactus; ideò differre ab actione: probãt ex Auerroe, dolorem pertinere ad ſenſum internum: quia ſi animal anuloſum in duas partes diuidatur, dicunt, vtramque partem nõ ſolum ſenſum exteriorem habere, ſed etiam interiorem, qui eſt ille qui iudicat, quid fugiendum ſit. Demum cõfirmant ex Hippocratis aphoriſmo; ſi mens ægrotat dolores non ſentiri: ecce dicunt dolorem pertinere ad ſenſum internũ, & non ad actionem. Reijcitur hæc opinio; quia dolor eſt ſenſatio deprauata ſenſus tactus; quod vero requiratur ſenſus internus, non negatur. Præterea eſto, quod dolor pertineat ad ſenſum internũ non ne dantur actiones internæ principes? ergo adhuc dubitatio remanet in ſuo robore, quod ſcilicet dolores ſint actiones, & propterea non eſſe ab illis ſeparandos, vt fecit Gal.

Quinta opinio eſt Oddi de Oddis, qui affirmat, eſſe veram hanc cõmunem ſententiam Gal. quod dolor ſit triſtis ſenſatio ſenſus exterioris; & ſit actio læſa ſenſus tactus, ſed non diminuta, non ablata, neque corrupta, quia apprehendit obiectũ dolorificum eo modo, quo eſt, & non decipitur; ſed addit, dolorem eſſe vnum læſionis modum diſtinctum ab illis tribus; ideò Gal. dolores ab operationibus ſeparaſſe. Reijcitur, quia non eſt neceſſarium ad hoc vt actio ſit corrupta, vel deprauata, vt facultas decipiatur: immo in nulla ferè deprauata actione facultas expultrix decipitur: exempli cauſa, expultrix inteſtinorum irritatur à bile mordaciſſima, inde excitatur alui fluor; cui dubium, quod facultas, apprehendat illã bilis mordacitatem, vt noxius, & hoſtilem: idem de alijs deprauatis actionibus dici poteſt.

Sexta opinio eſt Hieronymi Capiuacei vbi agit de dolore capitis; ibi enim idem du-

dubium proponit his verbis; *Obijcere autem poteſt quis ex 75. cap. artis medicæ, quod dolor omninò à læſa actione differat: actiones enim ſunt in primo fonte: dolores in tertio. Reſpondet Gal. eo loci loqui de actione propria: dolorem verò eſſe actionẽ communem.* Hęc reſponſio non tollit omninò dubitationem; quia quod vni eſt commune, eſt alteri proprium, & conuerſim de eo ſubiecto dicitur; dolor eſt paſsio propria ſenſus tactus; quare, cum ſit actio deprauata, debebat Galenus dolorem collocare inter actiones.

Ego autem puto, dolorem conſiderari dupliciter; uel ut eſt actio; uel paſſio; dicimus, quando Galenus diſtinxit dolores ab operationibus læſis conſideraſſe dolorem, ut eſt paſſio; duo enim requiruntur ad dolorem efficiẽdum, mens interna, vt optimè nos docuit Hipp. & Auer. loco citato, & par neruis inſignita; ſi conſideretur dolor ratione mentis, uel ratione radiorũ ſpirituum, quod idem eſt, dicimus eſſe actionem; ſi uerò conſideretur reſpectu partis ſenſitiuæ dicimus eſſe paſſionem. Dicere quoque poſſumus ad dubium, Galenum exempli cauſa propoſuiſſe nonnulla ſigna indicantia affectus internos, & non omnia: quia pręter quatuor fontes propoſitos omiſit qualitates mutatas, & immodicè retenta, quę ſunt admodum neceſſaria in cognoſcendis internis affectibus. Recipias igitur uel primam reſponſionem, quod ſcilicet dolor differat ab actionibus, quia reſpectu partis patientis non eſt actio, ſed paſſio, uel quod Galenus noluerit in fine huius capitis exactiſſimè de hac re verba facere, quia vtramque nos approbamus.

CAPITIS LXXVI.

De Signis Cerebri Patientis.

Tex. 80. *Particulariter autem quæ quidem ſunt in cerebro agra diſpoſitiones, aut dementia ſpeciebus, an ſenſuum, vel imaginationum læſionibus, aut actuum, qui ſecundum electionem fiunt, aut ex his quæ excernuntur per palatum, vel nares, vel aures, aut horũ, qui ei dolores eueniunt differentijs.*

IN Cap. ſuperiori tradidit methodum pro dignoſcendis internis ægritudinibus; methodus conſtabat ex quatuor ſignorum generibus: deſumebantur enim ab actionibus lęſis, ab exeuntibus à doloribus, & tumoribus; in hoc cap. incipit eã applicare cerebri ęgritudinibus; primò igitur enumerat actiones lęſas cerebri, ſecundò excrementa; & tertiò dolores omiſit tamen tumores; quia in ſpeciebus dementię, quę conſiſtunt in functionibus lęſis cerebri, contineri ſolent tumores inflammatorij.

Incipit ab actionibus lęſis cerebri, quę obtinent principatum vt ſunt diſcurſus, & imaginatio: deinde tangit actiones lęſas pertinentes ad quinque ſenſus; & demum actiones motiuas, quæ ſecundum electionem fiunt; ex his omnibus colligi poſſunt ſigna indicantia cerebri ęgritudines. Verum, quia quęlibet actio poteſt eſſe vel ablata, uel diminuta, uel deprauata, ideò omnes actiones his tribus modis læſæ oſtendere poterunt varias atque diuerſas cerebri ęgritudines.

Incipit à ſpeciebus dementię, quę ſunt actiones principes cerebri deprauatę, quę indicant calidam ęgritudinem cerebri cum tumore flammatorio membranarum. Tres ſunt ſpecies dementię; prima eſt, dum imaginatrix facultas deprauatur, ſano manente diſcurſu; hanc dementiam declarat Gal. lib. de ſymptomatum diff. c. 3. in perſona Theophili Medici, qui dũ hac phrenitide vexabatur, imaginabatur ſe videre in angulo cubiculi tibicines, & cantores, immò dum cõualuit, recitabat hęc illi appatuiſſe. Secundã ſpecies dementiæ, ſeu delirij fit, dum diſcurſus deprauatur manente tamẽ illęſa imaginatrice: hanc dementiam patiebat ille phręneticus, de quo Gal. mentionem facit lib. de locis affectis, qui cũ cognoſceret puerum, & vaſa quod eſſent uitrea, nihilominus ambo per feneſtras proiecit; lęſus enim erat diſcurſus, & non imaginatio. Tertia ſpecies eſt dum deprauantur diſcurſus, & imaginatio.

1 Dubitatio; Galenus videtur mancus, quia agens de internis actionibus cerebri tangit actiones lęſas pertinentes ad diſcurſum, & ad imaginationem; de memoria quę eſt quoque actio princeps, ne uerbum quidem.

Argenterius non ſoluit hoc dubium, ſed

ſed mordet Galenum, quod nihil dixerit de memoria; cauſa dubitationis Argenterij fuit;quia non intellexit Galeni mentem, quæ eſt in hoc libro methodum ſuperiorem applicare cerebro, neque eſt eius intentio de omnibus actionibus læſis cerebri tractare: hoc enim pertinet ad librum de differentijs ſymptomatum, vel ad methodum. Poſſumus quoque reſpondere quatenus in ſpeciebus dementię continetur obliuio, non omiſiſſe quę ad memoriam pertinent.

2 Dubitatio: ait Galenus in tex. dementiæ ſpecies indicare ægritudines cerebri: quod non videtur verum: quia ſæpiſſimè ægrotantes delirant, & ſunt dementes per conſenſum à partibus infernis, ſano exiſtente cerebro.

Solutio facilis eſt: quia intentio Galeni eſt componere ſyndromen mutorum ſignorum, quæ non ſola; ſed ſimul unita indicāt cerebri ægritudinem; quare dum Argenterius reprobans Galenum ait, delirium non ex neceſſitate indicat affectionem cerebri oſtendit ſe neque artificium huius libri, neque artem medicam penetraſſe; etenim ſi vnicum ſignum ſufficeret, non ne Galenus fuiſſet fatuus in hac breuiſſima arte multa proponere; multa verò proponit; quia ſigna proprijſſima nos latent; quare cerebri ægritudines, non ſolum ex ſpeciebus dementiæ ſed ex alijs quoque ſignis à Galeno propoſitis dignoſcendæ ſunt.

3 Dubitatio. Galenus per ſpecies dementię intelligit actiones cerebri deprauatas; quæ prædicātur de phrenitide, mania, melācholia, & vertigine; omnes enim iſti affectus ſunt actiones deprauatę omneſque vel pertinent ad diſcurſum, vel ad imaginationem deprauatam; videtur tamen Auctor diminutus; quia omiſit actiones cerebri ablatas vt caros, & apoplexia; & diminutas vt coma.

Reſpondetur, Galen. non enumeraſſe in hoc loco omnia ſymptomata; quia hoc pertinet ad libros de differentijs ſympto. Hic verò ſolum declarat methodum, qua inuenire poſſimus cerebri ægritudines ideò ait, ex læſionibus ſenſus, & motus voluntarij eſſe procedendum; neque diuidit actiones ſenſitiuas in ablatas, diminutas, & deprauatas; quia eius mēs eſt in cōmuni eas proponere, vt ſciamus ex actionibus læſis in perquirendis morbis eſſe procedendum. Alibi enim docuit ad motum ablatū pretinere catochon, paralyſim, & alios ſimiles; ad deprauatū cōuulſionē, tremorē, ſternutationē, & ſimiles.

4 Dub. ex Gal. in quolibet ſenſus organo quindecim ſunt ſymptomata exempli gratia, in oculo ſunt quatuor actiones naturales; quælibet verò poteſt eſſe diminuta, ablata, vel deprauata; deīde viſio poteſt eſſe diminuta, ablata, vel idem dici poteſt de auditu, & alijs: quare ſymptomatum quinq; ſenſuum numerus perueniet ad 75. Quo poſito videtur Gal. dignus reprehenſione, dum de actionibus naturalibus cerebri, quæ tot ſunt, quæ tam varias indicant cerebri ęgritudines, nihil dicat. Præterea augetur dubitatio; quia, ſi non omiſit exeuntia per palatum, nares, & aures, tanto minus erant ſymptomata actionum naturalium, à quibus exeuntia dependent, omittenda.

Reſpondetur, Galenum fuiſſe vſum ſummo artificio; quia ſymptomata ſecundi ordinis, quæ ſunt exeuntia ſupponunt ex neceſſitate actiones eſſe læſas: valet. n. eſt exiens mutatum, ergo retentrix eſt læſa, vel per ſe, vel per accidens: per ſe, ſi ob nimiam humiditatem membra flaccida, & laxa reddita ſint: per accidens, ſi retentrix patiatur à lęſione expultricis; quę ſimiliter poteſt eſſe læſa per ſe, vel per accidens: per ſe ratione intemperiei calidæ; per accidens ratione humoris copioſi, vel mordaci qualitate affecti, qui ſimiliter vel mordax eſt factus ab alteratrice læſa, vel ab externis cauſis non naturalibus: qui igitur in perſcrutandis morbis internis hoc examen omittunt, non intelligent Galeni arcana hic tradita.

Ad dubiū dicimus, quòd ſatis erat Galeno propoſuiſſe exeuntia per palatum, per nares, & aures: quia ab exeuntibus procedendum eſt ad actiones læſas, quæ ſunt ſymptomata primi ordinis, & ab his primas radices, quæ indicant remedia.

His ſic conſtitutis, Argenterij ineptiæ facilè ab omnibus agnoſcentur; quia dum in hoc com. reprehendit Galenum, quòd omiſerit ſigna, quæ apparere ſolent in facie, dicimus, neq; artificium, neque verba tex. intellexiſſe, non artificium,

quia

quia ſi apparuerint in facie qualitates mutatæ, vel exeuntia, dicimus omnia reſolui in actiones læſas, illo ordine, quo ſuperius docuimus.

Præterea non pertinet ad hunc locum de omnibus ſymptomatibus verba facere; quia quæ apparent in facie, vel ſunt exeuntia mutata, quæ in tex. non omiſit, vel ab exeuntibus dependent.

Dum verò mordet Galenum, quod omiſerit ſigna indicantia internos morbos ab externis cauſis deſumenda, veluti à uulnere capitis, quod indicare poteſt cerebri ægritudinem, adeo uacillat, ut non uideatur medicinæ Profeſſor; uidetur enim neſcire, quod uulnus ſit ægritudo in facto eſſe, & non ſymptoma ægritudinem indicans.

Amplius uulnus capitis uel tanget cerebrum, uel non; ſi tanget, facta eſt ægritudo, quę non coniectura agnoſcitur, ſed certitudine; ſi non tanget, erit incertum, an cerebrum læſum ſit, ergo uulnus non erit ſignum artificioſum ægritudinis cerebri.

Sed quæſo attendite quam inſulsè, & ineptè refellat Galenum, ait primò ex ſpeciebus dementiæ colligi ægritudines membranarum, & non ſubſtantiæ cerebri; ideò inter ſigna ægritudinũ cerebri dementias non eſſe collocandas; deinde reprehendit Galenum, quod inter ſigna indicantia morbos cerebri, non poſuerit ea quæ apparent in facie, & quæ ab externis cauſis caput lædentibus eueniunt.

O Argenteri quid magis indicare poteſt ægritudinem cerebri? inflammatio membranæ, an quæ apparẽt in facie, quæ ut plurimum à ſubiectorum nigrorum conſenſu fiunt; uel uulnus aliquod capitis minimè penetrans: nemo, niſi ſit inſanus dicet, dementias minus indicare cerebri morbos, quam accidentia faciei, & læſiones externæ.

Cauſa erroris Argenterij fuit: quia ab initio antequã legeret artificioſiſſimum hunc libellum ſibi conſtituit cõtra Galenum contexere nugas: ideò dum in aliquem labitur errorem, in plurimos incidit; dum enim Galenum reprehendit, quia non propoſuerit omnia ſigna indicantia ægritudines cerebri, putat in hoc loco Galenũ acturum de omnibus ſymptomatibus, & non de communiſſimis intentionibus, ut dictum eſt: ſimiliter Galen. exemplificat de ſpeciebus dementiæ, ut nobis oſtendat ex actionibus læſis eſſe incedẽdum; ille ſtatim refellit Galenum, quod non enumeret alias actiones læſas quaſi quod Galeni propoſitum ſit agere de omnibus læſis actionibus particulatim, & non de communiſſimis intentionibus. Itidem Galenus ſub nomine exeuntium declarat modum perquirendi ægritudines non ſolum per exeuntia, ſed per qualitates mutatas, & actiones lęſas, quia exeuntia ſupponunt actiones lęſas: qualitates uerò mutatæ ſupponunt exeuntia, quæ cõprehendunt omnia ſymptomata in facie apparentia; quid erant proponenda, quæ apparent in facie?

In poſtremis uerbis tex. Galenus proponit ex differentijs dolorum dignoſci poſſe internas cerebri ægritudines: alibi à nobis oſtenſum eſt, dolores pungitiuos indicare inflammationem membranarum: grauatiuum copiam humorum grauantium viſcera exiguo ſenſu prædita: pulſatiuum inflammationem circa arterias, laceratiuum indicare humores lacerantes carnoſas fibras: frangitiuum perioſtia: conuulſiuum neruos; ſtupidũ, dentes; ex his dolorum differentijs, & ex alijs propoſitis ſignis ægritudines cerebri, & aliarum partium dignoſcuntur.

CAPITIS LXXVII.

De ſignis cordis Patientis.

Tex. 81. *Quæ verò in corde ſunt ex difficilis anhelitus ſpeciebus; & tremulis motibus qui ipſi contingunt: ex pulſibus quoque eius, & arteriarum, & ab excandeſcentis iræ celeritate, aut tarditate. à febribus, & refrigerationibus: & in colore differentijs ac eis, qui eueniunt ipſis doloribus.*

PRoponit octo ſigna indicantia cordis ægritudinem.

Primum ſignum colligitur *ex ſpeciebus difficilis anhelitus.* Ratio eſt, quia anhelitus factus eſt primo eo fine ut euentetur calor cordis. Secun-

cundo, vt expellantur fuligines. Tertio, vt aer inſpiratus nutriat ſpiritus vitales: Hinc eſt, quod quocunque modo lædatur anhelitus, ſemper indicetur cor etiam lædi.

1 Dubitatio: non videtur, quod anhelitus difficilis ſemper indicet læſionem cordis; quia ex Gal. 5. methodi 1. & alibi, difficilis anhelitus fit aliquando læſis muſculis thoracis, vel neruis ſpinę, qui dictis muſculis dãt motũ, vel illis neruis ceruicis, qui ſepto tranſuerſo inſerũtur, & dãt illi motum. Aliquando læditur etiam ob læſum cerebrum, vt in epipleſia, in phrenitide, in aſthmate ob læſum pulmonem, & in angina; aliquando ob paſſiones hiſtericas ob inflammationem ſplenis, ventriculi, & hepatis; præcipuè tamen ob phrenitidẽ; ecce quod difficilis reſpiratio non eſt proprium ſignũ cordis patientis.

Reſpondetur, quod ex quacunque læſa reſpiratione ſemper lęditur cor vel per ſe, vel per conſenſum. Hinc dicimus quocunque modo, & à quacunque cauſa reddatur difficilis anhelitus, ſemper cor pati; an verò ſedes illius paſſionis ſit in corde; vel alibi, non ex hoc ſolo ſigno agnoſcemus, ſed ex quinque à Galeno ſuperius & primo de locis affectis propoſitis.

Ratio verò, cur ob tantam morborum varietatem lædatur anhelitus, ex eo pendet; quia ad expirationem efficiendam tria concurrunt. Primum eſt vſus, ſeù neceſſitas euentandi calorem, & nutriendi ſpiritum. Secundum, inſtrumenta, quæ ſunt muſculi, nerui, pulmo, arteriæ, & plura alia, quæ à Gal. 4. de locis affectis 5. enumerantur. Tertium eſt virtus animalis, ideſt cerebrum, nerui ſpinæ inſeruientes muſculis thoracis, & ſepto tranſuerſo: virtus animalis deficit læſo cerebro ob apoplexiam, incubum, &c. deficit ob læſionẽ ceruicis, & ſpinæ dorſi; ceruicis; quia ibi oriuntur tres nerui, qui vniti inſeruntur ſepto; quibus ſemiobſtructis, reſpiratio læditur; ſpinæ dorſi; quia inde oriuntur nerui, qui dant motum muſculis thoracis. Demum deficit reſpiratio; quia in ipſo diaphragmate aliqua ſit imbecillitas, de qua Gal. loquens 4. de locis affectis 4. & 1. de locis affectis recitat quoque duos caſus; alter erat de quodam homine, quem æquus in præcordijs calcitrauerat: quiq; poſtquam inciderat in ſepti inflammationem, dum ſpirabat non poterat mouere thoracem ſine muſculis intercoſtalibus: alter caſus erat de athleta ſecundo, qui in ſepto tranſuerſo ſummam percipiebat imbecillitatem; poteſt igitur contingere, quod difficilis reſpiratio eueniat ob læſam virtutem animalem in cerebro, vel ceruice, vel dorſi ſpina, vel ſepto tranſuerſo.

Secundum ſignum *ſunt tremuli motus cordis:* Gal. 5. de loc. affect. c. 1. ait, tremulos motus cordis non ſolùm prouenire à mala temperatura, & à ſanguinis feruore, ſed etiam à nimia aqua pericardij. Dum .n. nimia eſt, cor non poteſt attolli; vnde ſtatim motus tremuli fiunt, refert ibi Gal. contigiſſe cuidam ſimiæ motus tremulos; quam deinde aperuit, & inuenit multum aquæ in capſula cordis: quod vitium ſi videris in hominibus, poteris illum anteuertere phlebotomia, tenuiſſimo victu, & potu.

Argenter. hic decipitur, dum ait motus tremulos ſolùm fieri in palpitatione, quia ex Galen. 5. de loc. affect. 2. ex feruore ſanguinis, & ex nimia aqua pericardij fiunt, ſicuti experientia cognouit Galen. ſimiliter Auicennas 11. 3. tract. 2. c. 1. ait, tremulos motus cordis non ſolum à ſanguinis feruore fieri, ſed etiam ab alijs cauſis à malitia ſcilicet complexionis, ab apoſtemate, à ſanguinis reſolutione, à morſu animalium uenenoſorum, & à ſẽſu uehemẽti. Ego autem puto, quod omnia quæ ualdè lædunt cor poſſint tremulos motus efficere. Dico igitur cor tremore affici; uel ob læſam facultatem, quæ prædicatur de diſpoſitione ſimilarium, & diſſimilarium cordis; uel ob errorem externum ualde lędentem cor; uel ob diminutam uirtutem talem redditã ob quãvis intemperiem, uel ob externũ obiectum.

Tertium, *pulſus cordis, & arteriarum*, indicant affectiones cordis.

Hoc ſignum deſumitur à proprio fonte; nam pulſus immediatè proueniunt à corde: Hinc pulſus febricitantium inæqualis præclara nos docet, ſi enim pulſus inæqualis in vnica pulſatione obſeruetur ſecundum diuerſas partes nõ arteriæ, ſed illius dilatationis oſtendet, febrem eſſe putridam, ut docet Gal. 1. ad Glauconem.

c.6. & 4. de cauſ.pulſ. c.14.primo vero ad Glauc.2. ait, niſi hæc inæqualitas adſit in vnica pulſatione febris illa ex neceſſitate eſt ephimera, & non putrida; ecce quomodo inæqualitas in vnica pulſatione oſtendit cor à fuliginibus putridis alterari: in qua re, niſi medici ſe optimè exerceant, nunquam ſcient diſtinguere in prima die,vel ſecunda,an febris ſit putrida,uel ephimera.Prætérea,ſi illa inæqualitas obſeruabitur, quæ dicitur ſyſtematica,ſeu collectiua, quæ ſcilicet in pluribus pulſationib.animaduertitur,vt in magnitudine,celeritate,velocitate,vehementia, vel mollitie: ideſt ſi obſeruabitur vt vna pulſatio non ſit alteri pulſationi æqualis in magnitudine,celeritate,velocitate,vehementia, & mollitie: tunc ille pulſus indicabit,cor febre putrida eſſe correptum: ecce quam mirabilem fructum in cognoſcendis ægritudinibus cordis pariat pulſus:cæterum innumerabilia à Gal. dicuntur, quæ in proprijs libris debent addiſci. Noſtrum enim non eſt hic de pulſuum differentijs,quæ vniuerſas cordis ægritudines ſignificent verba facere.

Quartum,*magna ira celeritas, vel tarditas* indicat paſſiones cordis. Ira celeris indicat paſſiones cordis calidas, tarditas, frigidas, cauſæ calidarum paſſionum ex Gal. lib.de cauſ.morb. quinq; ſunt,motus ſcilicet,adhæſus rei calidæ,ſtipatio,alimẽtum,& putredo Nos verò l.6.met.noſtræ oſtendimus animi paſſiones calefacere ratione motus: ex nimia enim ſpirituum agitatione ab animi paſſionibus facta incanduntur. Cauſa verò, cur ira indicet paſſiones cordis,eſt,quia ex Gal.3.de loc. affect.4.& lib.de placit.facultas iraſcibilis ſuam ſedem habet,in corde.

2 Dubitatio;non videtur,quòd iræ celeritas indicet paſſiones præter naturam: ſed affectus naturales, qui ſanis conueniunt,& non ægris.

Reſpondetur, ad dignoſcendas paſſiones præter naturam requiri ſubiecti diſpoſitionem, ſine qua ex Gal. lib. de cauſ. morbor. nec gladius ſcinderet, nec ignis combureret;ideo ſi velimus internas cordis ægritudines pernoſcere, non ſolùm ſigna ſunt deſuméda ab actionibus, ideſt à pulſibus,à febribus, à motibus tremulis, & à difficultate reſpirationis, ſed etiam à diſpoſitione ſubiecti, dicimuſq; iræ celeritatem, vel tarditatem indicare cor vario modo eſſe diſpoſitum:celeritatem ſcilicet ad calidos:tarditatem verò ad frigidos morbos: Hinc dicimus, ſi quis ſolito more celerius iraſcatur, neceſſariò illum eſſe magis diſpoſitum ad morbos; & fortaſſe tunc ingreſſum eſſe limina morboſa. Hinc ſæpè videmus antequam quis in lethalem affectum incidat, paulò ante ad iram eſſe magis pronum.

Ad dubium dicimus,iræ celeritatem,ſi cætera quoq; ſigna à Gal. propoſita reſpondeant indicare morbos calidos cordis, illamq; extra rationis limites excandeſcentiam eſſe præter naturam, & non affectum naturalem.

Quintum,*febres indicant paſſiones cordis.* Ratio eſt,quia definitio febris,eſt calor extraneus accenſus in corde,vt docet Gal. lib. de ſect. venæ,& alibi. Prætérea ſicuti iecur eſt officina, in qua perficitur nutrimentum;& cerebrum,in qua virtus motiua,& ſenſitiua: ſimiliter cor eſt officina caloris,qui fit à motu ſyſtoles,& diaſtoles;à nullo enim alio membro calor de nouo fit,quam à corde: quare omnis calor accenſus ſignificat cordis æſtum.

Sextum,*refrigerationes totius corporis:* indicant cordis læſionem.

3 Dubitatio;non videtur,quod refrigerationes proueniant à corde; quia oppoſita non proueniunt ab eodem;quare ſi à corde prouenit calor;ergo non frigus.

Reſpondetur, dari duplex frigus,alterum poſitiuum (quod conceditur a Gal. & Ariſt.& hoc nos l.6.meth. noſtræ cõtra Cardan.dari probauimus) alterũ eſſe priuatiuũ. Hoc poſito,reſpondemus,Gal. in hoc loco intelligere de priuatiuo, & non de poſitiuo: à corde .n. non oritur frigus poſitiuum, ſed priuatiuum, quod accidit quando calor cordis reſoluitur: tunc.n. totum corpus cordis calore,quaſi priuatũ frigeſcit perindè ferè ac eſſe ſine corde. Notandum tamen refrigerationes aliquarum partium non indicare cordis paſſionem,ſed refrigerationes totius corporis;ita vt hæc valeat,totum frigeſcit ſecundum internas, & externas partes, ergo illius morbi radix eſt quoque cor.

Septimum, *colorum differentiæ* indicant cordis paſſiones.

Ca-

Calor cordis præter naturam efficit colorem rubrum; frigiditas cordis plumbeum. Præterea calor cordis,ſi emoritur ſimiliter plumbeum colorem efficit, & totius frigiditatem: Hinc Gal. in caſu Adoleſcentis decumbentis in foro mendaciũ ait, extrema liuida, & plũbei coloris alterũ duorũ ſignificare, vel emori natiuũ colorem, vel inflãmationem viſcerũ.

4 Dubitatio. Si color plumbeus,ſeu liuidus ex Galen.in caſu Adoleſcentis decumbentis in foro mendacium ſignificabit vel calidum natiuum emori, vel inflammationem: ergo non indicabit ſolum frigiditatem cordis,ergo ſignum eſt admodum imperfectum. Præterea colores indicant humores, & hepatis complexiones, ergo non cor.

Reſpondetur,ſigna à Gal. propoſita ſimul vnita, & non quodlibet ſeorſum expenſum habere vim indicandi cor. Præterea negamus, colores nõ indicare etiã cor: nõ ne calor cordis influit in ſanguinem, illumque viuidiorem reddit? quare colorum varietas à corde quoque pẽdet. Demum dum emoritur calidũ natiuum, id accidit, vel per reſolutionem caloris, vel per inflammationem viſcerum:vtroque modo cõcurrit cor; quia dũ reſoluitur, eò reſoluitur; quia calor influens à corde nõ ſuggerit pabulũ, vt opus eſt;Similiter ſi ob inflammationem viſcerum ſuffocatur,id accidit, quia impeditur, ne calor influens à corde nutriat natiuum; ecce quod colores nõ ſolũ hepatis cõplexiones,verum etiã cordis indicare valẽt.

Octauum,*dolores cordis* indicant eius paſſiones. Exigui dolores fiunt in corde, quia neruus irrigans cor eſt tenuiſſima propago ſextæ coniugationis. Præterea dolores cordis non poſſunt eſſe vehemẽtes;quia,cor non poteſt ſufferre magnam vnitatis ſolutionem: magna enim ſolutio antequam in corde fiat, ſequitur mors: ideò exigui dolores in corde fiunt. Hinc Gal.5.de locis affectis 1.ait,cor non poſſe pati inſignem ſolutionem continui:ſimiliter Ariſt.3. de partibus animalium cap. 4.ait,cor nullum vitium graue pati poſſe: quia ſi principium corrumpitur, nil eſt, quod cæteris,quæ inde pendent, præbere auxilium poſſit; ſimiliter 4. de partibus animal. ca.2. ait,cor nullum pati violentum; quare in viuentis corde exigui dolores & non maximi fiunt. Hinc Albertus explicans quid intelligat Ariſt. per vitium graue ait,non ſolum intelligi de ſoluta vnitate: ſed de mala compoſitione, & de intemperie graui. Plinius de corde ait, cor non diu morbis macerari.

CAPITIS LXXVIII.

De ſignis hepatis Patientis.

Tex. 82. *Quæ autem in hepate, ex defectu humorum:atque abundantia, & ad id quod præter naturam euerſione, & colore malo, ac præterea ex permutatione naturæ,in his quæ ad alimenti deductionem, aut ſuperfluitatum attinent excretionem: ſed & ex grauitatibus; & tumoribus, & doloribus non modo his qui in eo ortum habent verum & in illis qui compatiendi ratione proueniunt,quemadmodum in aliqua,vel ſpiritus grauis, vel tuſſis ſpecie.*

SEptem proponuntur ſigna à Gal. indicantia ægritudines hepatis. Primum eſt *humorum defectus, vel abundantia.*

1 Dubitat.non videtur,quod abundantia humorum, vel defectus indicent hepatis ægritudines; non abundantia, quia Athletæ cum ſumma abundantia humorum ad ſummum bonitatis temperaturæ perueniebãt: non defectus,quia aliquando ob ieiunium non minimum emolumentum hepar ſibi comparat.

Reſpondetur, Gal. ſententiam intelligi, eadem ſeruata victus ratione; ita vt neq; abundantia oriatur à nimio eſu,neque defectus à nimio ieiunio. Hæc ſolutio eſt Gal.lib.de plenitudine. Præterea abundantia, & defectus duum generum eſſe poſſunt, quia vel continentur inter limites naturales; vel non; primo modo non indicabunt hepatis ægritudines; ſecundo modo dicimus, abundantiam indicare ſuffocationẽ, vel venarum rupturam, & exitium repentinum; defectum verò præter naturam indicare maciem, & ſenium philipi.

2 Dubitat. non videtur, quod hoc primum ſignum conueniat hepati ægro, ſed ſano,ergo non eſt proprium ſignum.

Reſpondetur, quo ad faciendam ſyndromem ſignorum indicantium hepatis ægritudinem eſſe néceſſarium aliquod ſignum tradere deſumptum à ſubiecti diſpoſitione: ſicuti nos probauimus 1. lib. & 6 methodi noſtræ vitandorũ errorum.

Ad dubium dicimus, humorum defectum vel abundantiam indicare hepatis diſpoſitiones ad ægritudines: deinde verò dicimus, requiri alia ſigna, quę poſſint oſtendere ægritudinem hepatis, quæ deſumantur ab antecedentibus, & conſequentibus; nos declarauimus ſigna antecedẽtia deſumi à cauſis externis, à diſpoſitione ſubiecti, & à cauſis ægritudinum; conſequentia ſigna à ſymptomatibus, quæ ſunt actiones læſæ, excuntia, & qualitates mutatæ, & demum à locis affectis, & à iuuantibus, & lædentibus.

Secundum ſignum, *ex conuerſione humoris naturalis in humores præter naturam* ait indicari ægritudines hepatis. Si pars tenuior ſanguinis conuertitur in bilem, & craſſior in atram bilem, dicendũ eſt, hepar eſſe ægritudine calida & ſicca vexatum; ſi verò ſanguis conuertitur in humores aquoſos, dicendum eſt frigidam & humidam pati temperaturam.

Tertium, *ex colore malo* cognoſcitur hepar ægrotare. Hipp. 1. de humoribus 1. habet hanc ſententiam; color humorum, vbi non eſt humorum reciprocatio veluti efflorefcit. Gal. in comm. ait, colores externos faciei eſſe ſimiles humoribus, niſi humores ob timorem, mæſtitiam, rigores, & ſimiles externas cauſas retroceſſerint ad internas corporis partes; dum igitur ob aliquam cauſam colores non mittentur, dicit Gal. in comm. colorem pallidum ſignificare amaram bilem, candidum pituitam, liuidum melancholiam, rubrum ſeu floridum ſine męſtitia ſanguinem; rubrum verò cum męſtitia ſine cauſa indicare atram bilem: ait enim Galenus valde rubrum eſſe ad melancholiã pronum, quia vbi eſt magnus rubor, ibi eſt magnus calor, qui exurit, & exurẽdo atrã bilem facit: vel dicimus, vbi eſt magnus rubor floridusque, eſt multus ſanguis; vbi eſt multus ſanguis, ibi multa fæx, quæ eſt melancholia naturalis. Quid verò indicent colores nigri turbidi, & nigri ſplendidi, & quid colores punicei, vitellini, æruginoſi, & ſaturati, quales erant in Sileni excrementis. Ego abundè declaraui lib. 5. noſtræ methodi cap. 3. & in propria quæſtione in hoc lib.

3 Dub. non videtur qui colores ſemper indicent ægritudinem hepatis; quia aliquando ſanguis aliqua lue inficitur, nulla in hepate facta læſione; recitat enim Gal. 5. de locis affectis 7. hiſtoriam ſerui à vipera demorſi, cuius cutis ſimilis porro facta eſt, nulla adhuc læſione in hepate exiſtente.

Soluitur dubium, quia nullum ſignum ex propoſitis, ſi ſeorſum ab alijs conſideretur, habet vim ad indicandum, ſed ſolum iunctum cum alijs omnibus, vel quibus.

Quod color valde poſſit in indicando malam, vel bonam hepatis diſpoſitionẽ, docet Galenus, dum 5. de locis affectis 7. nobis proponit hiſtoriam Stephani, quem medici putabant abſceſſu hepatis afflictari; cuius hepar cognouit ex ſolo colore faciei eſſe illæſum; inuenitque abſceſſum non in hepate, ſed inter muſculos tranſuerſales, & obliquè aſcendentes factum fuiſſe.

Quartum ſignum eſt *læſa diſtributio ſanguinis per corpus*. Læditur diſtributio vel per ſe, vel per accidens; per ſe, vel ob læſas temperaturas; vel ob malam compoſitionem, id eſt obſtructionem hepatis; per accidens, vel ob lęſas temperaturas partium attrahentium ſanguinem pro ſui nutritione, vel ob alimenti prauitatem ideſt craſſi, ſeu viſcidi.

Hepar imbutum ſanguine ab eo cõcocto prius eo nutritur, deinde ad cauam venam illum diſtribuit, & inde ab omnibus corporis partibus attrahitur; diſtributio ſeu expulſio sãguinis ab hepate ad venas tripliciter lædi poteſt, vt docet Galenus lib. de cauſis ſym. vel deprauatè, vel diminutè, vel ablatè; deprauatur à nimio calore, & inde aſſatur, quo fit, vt commodè non poſſit diſtribui; diminuitur à cauſa frigida, vel à cibo ſupra modum craſſo & viſcido; unde tardè ab expultrice hepatis ad uenam cauam tranſmittitur; & ſubinde diminutè attrahitur à corporis particulis; hæc igitur mala diſtributio ſanguinis indicat hepatis ægritudinem. Si uerò auferatur diſtributio; uel alia

fun-

functio, vt eſt attractrix, vel nutrix, vt dicit Gal. in tex. tunc ſuccedit atrophia, & mors.

Quintum ſignum læſi hepatis colligitur *ab excrementis, vt ab vrina, & fæcibus*, &c. Notandū alui excrementa indicare poſſe concauam hepatis partē, & nō extimam ſeu gibbam; hæc animaduerſio eſt Galeni, vbi recitat hiſtoriam mulieris decumbentis apud Pantimidem. Similiter 13. Methodi, & alibi dicit, alui ſedimina oſtendere ſtatum meſerei, & cōcauæ partis hepatis; vrinam verò conditionem ſanguinis in gibba hepatis exiſtētis.

4 Dubitat. non videtur, quod ſigna deſumpta ab alui excrementis & vrinis, oſtendant ægritudines hepatis; exempli cauſa Gal. 5. de locis affectis 7. ait, excrementa alui ſimilia aquæ, in qua mactata caro ſit abluta, indicare imbecillitatem hepatis; quæ tamen imbecillitas nō ſemper fit à frigida intemperie, vt multi medici putant; ſed etiam à calida, & ab obſtructionibus; quomodo igitur hæc alui excrementa indicabūt hepatis ægritudines, cum modo indicent vnam, modo aliam longè diuerſam hepatis ægritudinem? Præterea poteſt contingere, quod alui excrementorū fluores fiant ob apepſiam ventriculi, & origo iſtius ſit à liene non mittente humorem melancholicum, qui eſt quoq; dicatus coctioni ventriculi; vnde tandem trahatur hepar in conſenſum eiuſdem imbecillitatis. Gal. enim lib. 8. de medicamentis localibus cap. 6. ait; ſicut in ventriculo adeſt apepſia ideſt ablata coctio, & bradipepſia ideſt diminuta, & dyſpepſia ideſt deprauata; ſimiliter in hepate hæmatoſis auferri, diminui, & deprauari poteſt: vnde fit, vt alui excrementa ſæpiſſimè, & multis modis nos fallere poſſint; ſimiliter vrina modo indicat hepatis, modo renum, modo ſplenis, & modo ventriculi affectionem.

Solutio facilis eſt; quia propoſitus nodus aliorum ſignorum ſyndrome diſſoluitur; tota enim medicina huius eſt conditionis, vt interni affectus declarentur per ſignorum ſyndromen, & non per propriiſſima, quæ nunquam, vel admodum rarò inueniuntur. Ad dubium dicimus excremēta alui ſimilia carnis lotæ indicare intemperiem frigidam, vel calidam, vel hepatis obſtructionem; facto tamē prius examine aliorum ſignorum, quæ deſumuntur præcipuè à læſis actionibus; Similiter, ſi iecur lædatur ob læſam ventriculi concoctionem, quærendum eſt, an protopathia ſit in ventriculo, vel liene; quod facilè dignoſcitur ex ijs, quæ à nobis tradita ſunt in 2. lib. methodi noſtræ, vbi tradidimus methodum dignoſcendi quales affectus ſint principales, quales proprij, & quales per conſenſum. Quomodo verò vrina oſtendat iecur laborare; & quam efficaciam habeat, diximus ſuperius in digreſſione de vrinis.

Sextum, *ex grauitate circa regionē hepatis* colligitur eius ægritudo. Hæc grauitas, vel pondus circa hepatis regionem, vel fit à tumore, vel à materia viſcoſa exiſtente in venis parenchymatis hepatis, quæ ſunt capillares, ſuntque innumerabiles; dum enim non ſunt refertæ ſuccis pituitoſis, vel craſſitie, tunc ità bene euētatur iecoris calor, & ità perfecta fit hæmatoſis, & diſtributio ſanguinis, vt tunc peroptima ſanitate iecur fruatur. Arbitror verò putredinem tunc præcipuè fieri, quando capillares venæ hepatis craſſitie, vel tenacitate, uel ſanguinis nimietate ſunt occluſæ.

Septimum, *ex tumoribus hepatis* colligitur eius ægritudo. Notandum tumores partis concauæ hepatis tactu percipi non poſſe; ſolū enim pars gibba tangi poteſt.

Notandum ſimiliter, quod ſupra iecur, & perironeum ſtatim ſequūtur muſculi tranſuerſales, in quibus aliquando fit apoſtema, quod videtur eſſe hepatis; an verò iecur patiatur; ex colore dignoſcitur; quia dum læſum eſt iecur, color valdè recedit à ſtatu naturali, quod non eueniet in apoſtemate muſculorū. Hinc Gal. 5. de locis affectis 7. per hiſtoriam Stephani affecti abſceſſu humorum muſculorum abdominis, nos docet ex colore parum recedēte à naturali nullam læſionem fuiſſe in hepate, licet eam regionem occupaſſet; ecce igitur quod Gal. non ex vnico ſigno collegit internarū ægritudinum differētias; ſed ex multis ſimul vnitis: ideò ſuperius pro internis affectibus dignoſcendis non ſolum propoſuit tumores, ſed etiam dolores, exeuntia, &

actiones læſas; valeat ergo Argenterius, dum tot verbis inuehitur cõtra Gal. quia propoſuerit ſigna non propria: quia nos hactenus defendimus, quod Galen. fuiſſet fatuus ſi habuiſſet vnicum proprium ſignum, & multa propoſuiſſet; multa tamen communia eo ordine propoſuit, quæ ſimul vnita habeant in indicando tantam efficaciam, quantam vnicum proprium conuertibile.

Octauum ſignum, *dolores hepatis per eſſentiam, vel per conſenſum eius ægritudinem indicant*. Gal.4.aphor.comm.53. ait dolores vehementes hepatis fieri vel ob inflammationem fortem, vel ob flatus; dolores verò mites cum ſenſu grauitatis ait 5. de locis affectis 6.& 7. fieri ab obſtructione parenchymatis.

5 Dubitatio; non videtur, quod dolor fortis poſſit in hepate ſentiri; quia hepatis parenchyma caret ſenſu: ſolum enim externa tunica irrigatur neruea propagine ſexti paris, quæ ob ſuam paruitatem ſenſum quoque exiguum hepati impartitur; ergo dolor fortis in hepate ſentiri non poteſt.

Reſpondetur, iecur alligari coſtis nothis mẽbranæ vinculo, cuius ratione dolor fortis fit. Accedit, hanc membranam eſſe pleuram, quæ maximo ſenſu prædita eſt; ideò in hepatis inflammatione dolores peruenire ad iugulũ, cui allegata eſt, & fieri ſimiles doloribus pleuriticorum; differunt verò, vt docet Gal.1.aph. cõm. 12. quia in pleuritide dolor eſt pũgitiuus: in inflãmatione iecoris grauatiuus, in pleuritide eſt tuſſis cũ materia, in hepatis inflammatione ſine materia, in vtraq; tamen eſt febris continua, & difficilis reſpiratio. Adduntur tamen alia ſigna à Gal.& Auicenna, quibus diſtinguitur hepatis ægritudo à pleuritide, Gal. enim 2. de locis affectis 9. ait in vinculorũ hepatis inflãmatione pulſum eſſe vndoſum, dolorem grauatiuum, tuſsim ſine ſputo, & colorem faciei citrinum, quod in iecoris ægritudine perpetuum eſt, ab Auicenna ſimiliter fen.3. lib.3.c.proprio proponuntur pulſus vndoſi, dolores grauatiui, facies citrina, tuſsis ſicca, egeſtio hepatica, & vrina ſimilis vrinæ hydropicorum.

Notandum quamvis inflãmatio non ſit in vinculo, ſed in corpore iecoris, quod ratione ponderis cõmunicatur vinculis, ſed hoc diſcrimine, quod in gibba fit maior dolor, quia vinculum eſt vicinius, ſimiliter maior difficultas in reſpiratione, & maior tuſſis, quia ibi comprimit diaphragma, quod non euenit in parte concaua, hancque hepatis partis gibbæ inflammationem patiebatur Medicus Siculus, cuius hiſtoriam Gal. 5. de locis affectis 7. recitat. In concaua verò parte inflammata ſigna propoſita ſunt longè mitiora: ſed quia pars hæc concauã eſt magis vicina ſtomacho, ideò excitatur nauſea, vomitus bilioſus, & ſitis inſignis, ratio eſt, quia ventriculi inferna pars alligatur hepati, & venula quædam valdè apparens recto tramite mittit humores bilioſos paulò ſupra pylorum, qui & nauſeam, & ſitim inſignem facit.

CAPITIS LXXIX.

De Signis Ægri Ventriculi.

Tex.83. *Sic, & ventriculi affectus cognoſcitur, vbi in concoctione delinquitur: & appetitu humidi, vel ſicci alimenti: vel ſuperfluitatum excretione delinquitur: ita etiam ex ſingultibus, eructationibus, nauſeis, & ipſis eorum, quæ euomuntur ſpeciebus, & doloribus.*

PRimum ſignum indicans læſum eſſe ventriculum eſt *læſa chylificatio:* Galen. lib.de differ.ſympt. ait, chylificationem lædi trifariam, vel quandò eſt ablata, & communiter dicitur ἀπεψία, ideſt cruditas; vel quando eſt diminuta, & uocatur βραδυπεψία, ideſt tarda coctio; vel quando eſt deprauata, quæ dicitur δυσπεψία, ideſt dum cibus corrumpitur.

Affectus verò lædentes chylificationẽ ex Gal.7. methodi cap.12. tres eſſe poſſunt, vel quando ſolidæ partes ventriculi afficiuntur quacunque intemperie; vel quando humores ſunt affixi tunicis, vel quando ſunt in ventriculi cauitate: ſubditque, aliquando primum affectum cũ ſecundo, & ſecundum cum tertio, vel omnes ſimul copulari.

Præterea chylificatio poteſt lædi vel per ſe, ideſt per proprios morbos ventriculi, vel per accidens, ideſt vitio aliorum

vi-

viſcerum; vt nos docet Gal. Congeruntur excrementa in ventriculo, quæ turbant coctionem tum eius vitio, tum vitio aliorum viſcerum, & male habente liene ſæpè ichores melancholicos fluere in ventrem, & ſymptomata melancholica inde excitare.

Similiter Gal. 1. de loc.affec.3. loquens de deprauata chylificatione, ſeu de corruptela ciborum ait, non ab vnica ſola cauſa cibum corrumpi,ſed modo ob proprios morbos ventriculi, modo ob alias cauſas; hæcque ſunt eius verba. *Tres ait dari primas, & generaliſſimas corruptionis ciborum differentias, vnam per proprios morbos ventriculi: ſecundam à vitioſis humoribus in ipſo accumulatis: tertiam ab alimentorum qualitate prodire.*

Valeant igitur,qui in qualibet læſa vẽtriculi coctione confugiunt ad imbecillitatem ventriculi; poteſt enim ventriculus eſſe ſuauiſſimus habens tamen deprauatam coctionem propter morbos ſplenis,vel alterius viſceris.

Hinc Gal.7.methodi acriter reprehendit Medicos ſui tẽporis,qui in læſa actione ventriculi vnicam putabant eſſe intẽtionem,quæ erat, ventriculum corroborare;dabant enim cibos aſtringentes,calidos,amaros,vinum de abſynthio,de cotoneo,applicabant cerata,& vnguẽta calefacientia,& aſtringẽtia perinde ac vnicus tantum eſſet ventriculi morbus; nec videbant.Nec vident noſtratum plurimi, aſtringentia, & calefacientia, dum vitio aliorum viſcerum læditur chylificatio, quam maximè nocere: quia ichores melancholici ſunt mordaces, & vt tales non indicant calefacientia, & aſtringentia, ſed refrigerantia, & laxantia.

Quare, niſi diſtinguamus affectus per conſenſum ab ijs,qui ſunt per eſſentiam; de re medica actum eſt.Gal.verò loco citato in læſa ventriculi coctione ob calidas cauſas protulit, ſe quoſdam oppreſſos ventriculi labore frigida potione liberaſſe; ecce quod,niſi diſtinguantur affectus proprij ventriculi ab ijs qui per conſenſum, eſt omninò impoſſibile, vt iuuare poſſimus ventriculum.

Quod verò chylificatio lædi poſſit ab omnibus cauſis non naturalibus, nos ſæpiſſimè admonet Galen.lib.3. de ſymptomatum cauſis cap.1.enumerans externa, quæ lædunt coctionem ventriculi, dicit eſſe cibum,excrementa retenta, pauenm ſomnum,nimium exercitium &c. ait verò cibum lædere mala qualitate, uel copia, ἀκαιρία, ideſt inordinata ciborum ingeſtione:ſimiliter 3.de ſymptomatũ cauſis cap.1. ait, excrementa calida ſi inueniantur in ventriculo, cibum corrumpere, & efficere chylum nidorulentum: ſi verò excrementum frigidum cibis permiſceatur, ait, oriri in chylo aciditatem, ſi verò non permiſceatur, ait,aciditatem non fieri;imminui tamen coctionem. Si de ſomno loquamur Gal.12.methodi cap. 3. ait, ſomnum moderatum cruditatem auferre; ſubdit deinde ſomnum concoquere,& uigilias digerere: cauſa verò, cur ſomnus concoquat, & uigiliæ digerant,traditur à Gal.4. in 6. de morbis vul. tex.14. his verbis: in ſomno calor ad internas partes reuocatur,& melior coctio fit; ſimiliter 4. de tuenda ſanitate cap.4. ait,ſomnum, & quietem ſemicoctos humores optimè coquere.

Cæterum,quia ventriculi coctio tripliciter læditur, uel quia eſt diminuta, uel deprauata, uel ablata; hæ læſiones facilè dignoſcentur;quia tunc dicemus eſſe ablatam, quando cibi nullam ſuſcipiũt mutationem; diminutam,dum tardam uel admodum imperfectam, deprauatam, quando ructus acidi,uel nidoroſi fiunt.

Hoc tamẽ ſcitu dignum nõ eſt prætereundum,quod ructus acidi tunc indicent deprauatam chylificationem, quando procedunt à chylo; quia quando à cibo tunc à coctione diminuta prodeunt.

Præterea chylificatio aliquãdo læditur non per ſe; ſed ratione læſionis aliarum facultatum uentriculi attractricis ſcilicet uel complexus,uel retentricis; attractrix fit merito fibrarum rectarum, cognoſcimus uero fibras rectas eſſe læſas, dum cibus deſcendit cum difficultate, uel ſine vlla uoluptate, læſa enim attractrice cibus ad fundum uentriculi non peruenit, ideo diminutè coquitur. Præterea læditur chylificatio ratione cõplexus: de quo complexu loquens Gal.lib.3.de facul.naturalibus cap.4. ait,ſi ſentiatur ſolum flatus,tunc complexus eſt diminutus,ſi verò fluctuatio, tunc complexus eſt ablatus;

prçuiſo prius quod,hoc ex errore in cibis non oriatur; ſi uerò uitio retentricis coctio læďatur, tunc dicimus in ablata retentrice fieri lienteriam,in diminuta fieri cæliacum affectum,in deprauata, multa ſequi ſymptomata.

Secundum ſignum læſi uentriculi eſt *læſio appetitus ſicci cibi,vel humidi.* Sicuti officium imæ partis uentriculi eſt coctio; coctioque læſa indicat uentriculi fundum eſſe læſum; ſimiliter læſus appetitus edendi, uel bibendi indicat os ſtomachi eſſe læſum, quia ad hanc partem uentriculi fames & ſitis pertinent.

1 Dub.non uidetur, quod fames, & ſitis ſint affectiones propriæ oris uentriculi;quia Gal.lib.1.de ſymptomatum cauſis cap.7.ait,in excitanda fame,uel ſiti quinque conſpirare ſymptomata,quæ ſe conſequuntur; quorum primum eſt uacuitas corporis; ſecundum appetentia naturalis illarum partium, quæ uacuæ ſunt. Tertium uenarum ſuctio, in qua,ſi iungatur caliditas,fit ſitis,ſi frigiditas fames;Quartum eſt ſenſus ſuctus, qui fit in ore uentriculi;Quintum uero eſt appetentia animalis,quæ fit in cerebro; quod uerò concurrat cerebrum ex eo patet, quia ſi quis uideret manum humanam coctam, uel caput in menſa, uel audiret loquentem horrifica,appetitum ſtatim amitteret;ecce quod fames uel ſitis non ſolum uacuitatem corporis ad appetentiam naturalem, ad ſuctum venarum, ad ſenſum ſuctus oris ventriculi, ſed etiam ad diſcurſum,qui fit in cerebro,quinq; vel per ſenſũ viſus,vel auditus,vel per alios pertinet; ergo fames, & ſitis non erunt ſolũ affectiones propriç oris ventriculi,vt innuere videtur Gal.in hoc loco.

Reſpondetur,os ventriculi eſſe cauſam immediatam appetitus;cęteras verò propoſitas cauſas mediatas & remotas:ſicuti enim homo immediatè, ſol verò remotè ad generationem hominis concurrit; ſic os ventriculi mediatè efficit appetentiã; cæteræ verò partes remotè, & mediatè; ſed quidquid ſit de cauſis remotis,omnes tamen neceſſariò concurrunt ad effectus productionem; ideoque ex Ariſt. 1. poſt. cauſæ remotæ ſemper dant quod.Præterea concedimus,læſionem appetitus non eſſe ſignum proprijſſimum malę affectionis oris ventriculi;quia cauſa ſitis,vel famis poteſt eſſe in cerebro; & poteſt eſſe in ſexto pari neruorum cerebri,qui dant ſenſum ori ventriculi; ſæpè enim vulnerato cerebro ſtatim excitatur vomitus, & tollitur appetitus ob conſenſum inter cerebrum & ventriculum per ſextam neruorum coniugationem; ſimiliter aliquãdo fames, vel ſitis ob corporis plenitudinem; aliquando ob læſam appetentiam partium, quæ egeant alimento, & aliquando ob læſos partium ſuctus:ecce igitur quod in dignoſcẽdis paſſionibus ſtomaci, vel aliarum partium, non vnicum ſignum, ſed multa ſimul vnita indicandi efficaciam habent.

2 Dub.ait Galen.ſignum læſi ventriculi eſſe appetitum humidi,vel ſicci alimenti; in hac re videtur Gal.errare;quia appetitus humidi, vel ſicci alimenti indicat ſtomachum rectè ſe habere.

Reſpondetur, Gal. in tex. intelligere de appetitu non naturali alimenti ſicci, & humidi; hic appetitus tripliciter reddi poteſt non naturalis vel quando aufertur, vel diminuitur, uel deprauatur; aufertur, dum omninò tollitur ſenſus ſuctionis,ut docet Gal.2. aphor. 20. & primo aphoriſ.11. ob ſummam aliquam intemperiem; idem Auicennas confirmat, uirtutem ſcilicet oris uentriculi auferri non poſſe, niſi à ſumma aliqua intemperie;ſimiliter à ſoluta unitate,& à mala cõpoſitione ſi inteſæ ſint; itidem poteſt auferri à morbis aliarum partium, & præcipuè cerebri,quando nõ influit,uel malè influit in ſtomachum uirtutem ſenſitiuam,ut euenit in apopleticis,& phreneticis,quorum cerebrum uel non influit,uel male influit in ſtomachum radios ſenſitiuos; Diminuitur, dum quinque motus propoſiti, qui conſpirant ad excitandum appetitum diminuti ſunt. Deprauatur, dum os uentriculi eſt imbibitum aduſtis humoribus;tunc enim appetunt calcem, carbones. Hinc Gal.1. de ſymptomatum cauſis c.7.ait,uitioſum ſuccũ excitare appetentiam ſimilium; ita ut dum quis calcem deſiderat habeat humorem imbibitum ſimilem calci,& ſic de alijs.

3 Dub. Galen. lib. de differentijs ſymptom. 4. ait, famem & ſitim eſſe actiones naturales; attamen 1. lib. de ſymp. cap.

cap.7.ait, eſſe actiones animales.

Reſponſio ex dictis ſuperius colligitur, diximus enim ex Gal.quinque accidentia concurrere ad efficiendam famem, vel ſitim. Primum, vacuitatem membrorum. Secundum, appetitum eorum naturalem. Tertium, ſuctum. Quartum, ſenſum ſuctus. Quintum, appetentiam animalem. Ad dubium dicimus, ſecundum tres motus antecedentes famem & ſitim eſſe actiones naturales; ſecundum verò duos poſtremos eſſe actiones animales.

Tertium ſignum patientis ventriculi eſt *læſa excrementorum excretio:* læſa enim eſt excretio, vel quia ſit ablata, vel diminuta, vel deprauata; facilè ablata, & diminuta agnoſcitur;ſi verò eſt deprauata in exeuntibus mutatis eam dignoſces, quia ſi videris exiens eſſe mutatum; hoc ordine originem iſtius paſſionis inueſtigabis;ſi exiens eſt mutatum,ergo retētrix eſt diminuta,vel ablata; hocq; accidit vel per ſe vel per accidens; per ſe quando fibræ transuerſæ deſtinatæ retentioni vel ſunt exeſæ, vel humida intemperie affectę;ſi per accidens,id erit ratione obiecti copia, vel mordaci qualitate irritātis expultricem, quod obiectum dein ab hepatis,vel ſtomachi alteratrice deprauata exoritur; ſimiliter dicendum eſt de immodicè retento, quod ſcilicet indicet expultricem diminutam, vel ablatam, vel per ſe, ideſt ratione fibrarum tranſuerſarum intemperatarum,vel imbecillium,vel habentium ſenſum obtuſum, vel per accidens ratione ſcilicet anguſtiæ, quæ prædicatur de obſtructione, compreſſione,conſtirpatione,coaleſcentia,ſubſidentia,& occluſione. Ego diffusè lib.1.meth. vitand.c.6. egi de methodo procedendi à ſymptomatibus ſecundi ordinis ad ſymptomata primi,& ab his ad id quod eſt in facto eſſe, quod eſt radix omnium ſymptomatum.

4 Dub.ex Gal.de vſu par.& 5.inteſtina neque attrahendi, neq; retinendi virtutē habent;3.verò de facult.naturalib. ait inteſtina nulla fibras habere præter circulares,quibus facultas expultrix vtitur;quē motum non voluntarium, ſed communi nomine periſtalticum vocant: Ex altera parte eſt Auic.prima 1. & lib. de animal. vbi tuetur non ſolum chylum expelli à ventriculo ad inteſtina; ſed etiam attrahi ab inteſtinis,quod negabat Gal.quare aut Gal.aut Auic.deceptus eſt.Preterea quomodo poterit defendi Gal.dum ait, inteſtina carere facultate retentrice,& attractrice? nonne quælibet pars viuens quatuor facultatibus prędita eſt?retentrice.ſ. attractrice,alteratrice,& expultrice?

Reſpondetur,dubitationem eſſe de attractrice & retentrice communi, & non priuata; dum Gal. aſſerit inteſtina carere retentrice, aut intelligit de priuata; quia hæ nunquam deſerunt partem viuentem;ſed de communi; Auicennas verum ponit in inteſtinis attractricem communem,quæ à Gal.negatur.

Quartum ſignum ægri ventriculi eſt, *ſingultus:* quintum erit *eructatio:* ſextum, *nauſea:* ſeptimum, *vomitus*.

Quo ad ſingultum ex Hipp. 6. aph. 39. & Gal.3.de ſymp.cauſis c.2.eſt duum generum: alter ex repletione; alter ex inanitione: ſingultus ex inanitione non eſt ſymptoma expultricis,ſed retentricis deprauatæ; quia eſt motus ſolius morbi; in hoc affectu tunicæ, ſeu fibræ ſtomachi redduntur ob inanitionem factam à nimia euacuatione,vel defectu alimēti adeo ſiccæ,vt non poſſint diſtendi; vnde ſe contrahunt circa cibos,conuelluntur que & ſingultum faciunt. Hinc Gal.7.aph. 3. ait, ventriculum in ſingultu eo modo affici, quo muſculi in conuulſione afficiūtur: Gal.ibi intelligit de ſingultu per inanitionem,quem ait Gal.3.de ſympt. cauſis cap.2.aſſimilari exquiſitæ conuulſioni ex inanitione factę,in qua ob ſiccitatem, tunicæ & fibræ conuelluntur.

Singultus verò ex repletione eſt ſymptoma expultricis,& retentricis; vocatur tamen à Gal.3.de ſympt.cau.c.2.ſymptoma expultricis; quia primaria affectio eſt in expultrice irritata; ſecundaria verò in retentrice.

5 Dub.Hipp.6.aphor. 13. ait, ſternutationem ſuperuenientem auferre ſingultum, ſimiliter Ariſt.ſectio.3.problem.1. docet ſternutationem tollere ſingultum; quia rumpit, & diſpellit ſpiritum;qui efficit ſingultum; quod cum ita reuera ſit, quomodo ſingultus erit veluti conuulſio? conuulſio non poteſt ſternutatione, vel

alio

alio motu externo tolli.

Reſpondetur, Galenum 6. aphor. 13. velle, quòd ſternutatio tollat illum ſingultum; qui ex repletione, & non ex inanitione fit: ſimiliter 3. de loc. aff. 7. ait, ſingultum, qui tollitur vomitu, non eſſe illũ, qui ex inanitione, ſed qui ex repletione fit. Pręterea ſciendum, non omnẽ ſingultum ex repletione ſternutatione tolli; ſed ſolùm illum, qui fit à materia parum adhærente tunicis ventriculi; vbi .n. tenaciter adhæret, & imbibita eſt in tunicis, ſeu fibris, dicimus, ſingultũ illum nullo modo poſſe dimoueri: tanto minus ſternutatio auferet ſingultum ex apoſtemate hepatis vel ventriculi: immo valde reprehendimus illos, qui in huiuſmodi ſingultu ad ſternutatoria confugiunt: quia ſternutatoria agitant, & pars affecta magis repletur. Diximus in tunicis, vel fibris; quia Hieronymus Capiuaceus inquit, ſingultum cõuenire fibris oris ventriculi; nauſeam verò tunicis: quę differentia ridicula ſemper mihi viſa fuit, quia tunicæ nil aliud ſunt, quàm fibrarum contextus.

6 Dubitatio, Ariſt. ſect. 33. probl. 1. ait, ſingultum aceto fieri leuiorem: quomodo poteſt fieri leuior ab aceto, quod parti neruoſæ eſt infenſiſſimum.

Reſpondetur, Ariſt. loqui de ſingultu ex repletione, & non inanitione.

7 Dubitatio augetur, quia ex omnium conſenſu ſingultus ex repletione fit, vel à mordaci qualitate penetrante ventriculi tunicas; vel à cibo frigido, vel ab aſtringente: aſtringens .n. cibus conſtringendo reddit humores tunicarum mordaciores; vnde fit ſingultus; quæ cùm ita ſint, acetum & vt mordax, & vt aſtringens non ſolùm auferet ſingultũ ex repletione, ſed illum augebit; quòd verò mordacia tunicis ventriculi imbibita excitent ſingultum, Gal. docet 3. de loc. affect. 7. ibi .n. dicit, piper contritum excitare ſingultum, quod non efficit integrũ, quia vt tale non penetrat, atq; refert ſibi ipſi piper contritũ ſingultũ aliquando promouiſſe.

Reſpondetur, acetum duum generum eſſe: alterum mordax, & acre, quod ex vino generoſo fit: alterum acetum nõ acre, ſed verè aridum, quod eſt longè temperatius. Hęc poſita diſtinctione, dicimus, hoc poſtremum aceti genus auferre acrimoniam, & mordacitatem, & iuuare biliosis. Hinc Galen. de hoc aceto loquẽs 3. de ratione vict. in ac. 38. ait, quib. amara bilis exuperat, acetum prodeſſe: quia calor bilis ab ipſo diſſoluitur, & in pituitam degenerat. Quòd verò acetum ſua natura frigidum ſit, ego lib. 7. met. vitand. ratione, auctoritate, & experientia oſtendi acetum refrigerare, & vt tale nunc dico poſſe ſingultum auferre.

8 Dubitatio, dictum eſt, Gal. 3. de ſympt. cauſ. c. 2. ſingultum eſſe ſymptoma expultricis: attamen videtur potius, quòd ſit retentricis, quia per ſingultum læditur cibi amplexus, ſeu virtus retentrix, ita vt in ijs, qui ſingultu aguntur, adeò læditur amplexus cibi, vt non poſſit digeri.

Reſpondetur, læſam eſſe retentricem, ſeu amplexum per accidens, ideſt ratione expultricis irritatæ, quamprimum enim auferri poſſet mordacitas irritans expultricem, ſtatim ceſſaret ſingultus, & inde retentrix optimè ſuum officium expleret: quare quando dictum eſt, ſingultum eſſe ſymptoma expultricis, intelligendum eſt per ſe primò, & non ſecundariò, & per accidens: quod enim eſt per ſe, ſemper prædicatur de vno.

9 Dubitatio, Gal. 6. aphor. 39. ait, ſingultum eſſe motum vehementiorem, quàm ſit vomitus, quia per vomitum expelluntur, quæ continentur in cauitate: per ſingultum verò quæ ſunt imbibita tunicis oris ventriculi: ex altera parte Auicen. 13 3. tract. 5. c. 19. reprehendit Galenum his verbis: *Et dixerunt quidam, quòd motus ſingultus eſt fortior motu vomitus:* ſubdit, *ſed ſingultus eſt motus debilior;* quia per vomitum non ſolùm euacuantur quæ ſunt in cauitate ventriculi, verùm etiam imbibita in tunicis, ergo malè Galenus, ſi vera eſt ratio Auicennæ.

Solutio non mihi videtur admodum difficilis, quamvis à plurimis vt inſoluta relicta ſit, quia vomitus bifariam conſiderari poteſt; vel vt expellens, quę ſunt in cauitate, & vnà cum ijs, quæ ſunt imbibibita in ore ventriculi, vel quæ ſunt in cauitate tantùm: ſi conſideremus vomitum primo modo dicimus, eſſe vehementiorem ſingultu: ſi verò ſecundo modo dicimus vomitum non eſſe vehementiorem ſingultu: quia, quæ ſunt imbibita difficilius

lius

lius mouentur, quàm quæ ſunt effuſa in cauitate, dum Galenus dixit, ſingultum eſſe motum fortiorem vomitu, intellexit de vomitu minus vehementi, quo, ſolum quæ ſunt in cauitate mouentur, & non de illo vehementi, quo eliduntur quoque imbibita tunicis; & ſic inter Auicennam, & Galenum nulla erit diſcrepantia.

10 Dubitatio, dictum eſt, mordacia, ut piper contritum excitare ſingultum, ſicut Galenus expertus eſt in ſeipſo, vt refert 3. de loc. aff. 7. attamen quam ſæpiſſimè comeditur piper, vel alia mordaciora, quæ ſingultum non excitant.

Solutio colligitur ab Alexan. Aphrod. probl. 1. n. 45. vbi habet hæc verba: *Qui ventriculum nudum, & ſentientem, & calidum habent, hi celeriter piperis acritudine mordentur:* quo morſu ſtomachus ad repellendam rem, quę id efficit excitatur, & ſic oritur ſingultus: qui verò ventriculo ſunt frigidiori, & pituitoſo, atque hebetiori, hi lentius ſingultiunt; adde tu, & qui abundant cibis, vel cruditatibus, horum tunicis tanquam lorica indutis, morſum mordacium non ſentiunt.

11 Dubitat. non videtur, quòd ſingultus à nauſea differat, quia vterque affectus fit ab expultrice oris ventriculi deprauata ob materiam imbibitam: ecce quod eadem eſt forma, idem ſubiectum, & idem efficiens: quare nauſea, & ſingultus in idem recidunt.

Reſpondetur, ſingultum, & nauſeam fieri ab expultrice deprauata: ſed modum eſſe omninò oppoſitum, quia in nauſea, ventriculi fundum coarctatur: os verò dilatatur, quo fit, vt nauſea vocetur ſubuerſio, in ſingultu verò ventriculi os conſtringitur, fundum verò dilatatur: ideo ad fundum ventriculi, & non per vomitum fit humorum expulſio. Præterea in ſingultu humores ſunt magis infixi, quàm in nauſea, vt Galen. & Auicennas locis cit. docent: ecce igitur, quòd nauſea & ſingultus conueniunt genere, non autem ſpecie.

Quoad quintum ſignum indicans ægrum ventriculum, eſt *eructatio.*

Eructationis cauſa materialis eſt humor craſſus, ſeu viſcidus: cauſa verò efficiẽs eſt calor moderatus, ſeu imbecillis. Galenus enim hoc docet 9. de comp. med. per loc. c. 9. ibi recitat modũ, quo fiunt flatus, dicitq; fieri ab humore craſſo, & viſcido, & à calore moderato: per humorem craſſum intelligit melancholiam, per viſcidum pituitam, ab alijs humoribus non eleuantur flatus, qui eructationes facere poſſint. Per moderatum calorẽ explicat cauſam efficientem, quæ non poteſt eſſe calor inſignis, quia reſolueret inſenſibiliter, neq; omnino diminutus, quia vt talis non eleuat vaporem, & flatum facit. Hinc Gal. 3. de ſympt. cauſ. c. 2. ait, flatulentias fieri in ventriculo, dum non admodum frigidus eſt. Hinc fit, quod nonnulli amentes tamen, vt dolore colico inſigni liberentur, confugiunt ad aquæ frigidiſſimæ hauſtus. Hi licèt dolore repentè liberentur, poſt diem, vel paulò poſt in paralyſim incidunt: hac ratione Gal. lib. de plenitudine habet hanc ſententiam, humores calefactos eſſe, qui vertuntur in flatus, & 12. meth. c. 8. ait, craſſa, & glutinoſa cum calefiunt, flatuoſum ſpiritum gignere. Hinc obiter illorum erratum notatur, qui pro flatibus curandis prius vtuntur calidis, quàm humores craſſos, & viſcidos euacuent, vnde longè plures efficiunt flatus. Modus generationis flatus colligitur ab Auicenna l. 3. fen 14. tract. 2. cap. 7. ubi habet hęc verba: dum retinentur vapores inſpiſſantur, & conuertuntur in flatus: ecce quod vt fiant flatus, uapores retinentur, qui cùm ſint aliquantulum craſſiores, non poſſunt à calore diminuto ita diſcuti, & attenuari, ut inſenſibiliter perſpirent. Hinc fit, quod retenti magis inſpiſſantur, vnde in craſſos, & flatuoſos ſpiritus conuertuntur. Quomodo verò ſit inquirendum, an ventriculus ſit cauſa eructationis per ſe, uel per accidens, egimus de hac re tum in methodo noſtra in fine ſexti libri, tum ſuperiùs.

12 Dubitatio, dictum eſt, flatus, & eructationes fieri à calore non inſigni, ſed diminuto; attamen experientia contrarium docere videtur, quia caſtaneæ, & poma igni ſuppoſita ſpirant flatus; ergo non calor diminutus eſt cauſa flatus.

Reſpondent recentiores, calorem dici diminutum, uel reſpectu obiecti, uel abſolutè; dicunt ignem, vel quemvis alium calorem intenſum animalis reſpectu obiecti, ſiue edulij difficillimæ coctionis, vt

ſunt

ſunt caſtaneæ,& ſimilia dici diminutum. Hæc reſponſio eſt ridicula: quia ſi neque reſpectu glaciei debet dici ignis diminuti caloris; tantò minus dicetur reſpectu caſtanearum, ſeu pomorum; locutio enim eſt nimis impropria; omnes enim fateri debent, ignem abſolutè, & reſpectiuè eſſe ſummi caloris.

Ego reſpondeo,aliā eſſe cauſam generationis flatuum, aliam expulſionis: quo poſito dicimus,ignē,vel calorem ventriculi intenſum eſſe cauſam expulſionis,& non generationis flatuum. Hinc intensè calida, quæ flatus expellunt, à medicis vocantur carminatiua, quæ,vt talia non gignūt flatus,ſed genitos,& incluſos repellunt:in pomis, & caſtaneis plurimi,& craſſiſſimi ſunt vapores,ſeu flatus incluſi, qui ab igne, vel à calore intenſo non generantur, ſed geniti expelluntur.

13 Dubitatio, non uidetur, quod cauſa materialis adæquata flatuum ſit materia craſſa, & viſcida: quia in ventriculo debili excitantur flatus ex cibis quoque tenuiſſimi ſucci.

Reſpondetur, cibum tenuiſſimi ſucci reſpectu caloris admodum diminuti ſubrogari cibo craſſi ſucci: in his enim ob caloris paupertatem cibus quoq; tenuis ità malè diſcutitur, & attenuatur, vt per inſenſibilem perſpirationem, perflare non poſſit:ideò inſpiſſari,& in flatus degenerari; flatus enim nihil aliud eſt, quam vapor caſſus impermeabilis per foramina inſenſibilia.

14 Dubitatio, ait Galen. eructationem indicare ventriculum patientem, quod non uidetur: quia ſæpiſſimè uentriculus eſt ſanus,& robuſtus, ructus tamen à copia, vel mala ciborum qualitate in ipſo eleuantur: ſi à copia,fiunt acidi,& hi ructus ex Gal. 3.de ſympt. cau. in principio indicant dominium pituitæ; ſi à ciborum corruptella,fiunt nidoroſi, lutoſi,piſcoſi, uel alterius ſaporis pro uarietate corruptellæ;de quibus Gal. loco citato egit;omnes tamē in ſano ſtomacho gigni poſſūt.

Reſpōdetur,omnia ſigna propoſita indicare ventriculi paſſionem; ſed duo reſtant examinanda;alterū,an uentriculus cū his eructationib. dici debeat æger, uel ſanus;alterum, an uētriculus ægrotet uitio proprio, uel alieno; primū deciditur, an ſit æger ex læſa operatione propria;ęgritudo enim primo & per ſe indicatur læſione ſenſibili propriç operationis;dum igitur chylificatio in aliquo fuerit diminuta,uel deprauata ſenſibiliter, ille æger uocabitur;ſecundum cōfugiemus ad Galenum 1.de loc.aff.c.3.ubi ait,tres primas generaliſſimas differentias corruptionis ciborum dari; primā, per proprios morbos uētriculi;ſecundam, à uitioſis humoribus in ipſo accumulatis; tertiam,ab alimentorum qualitate:ſi uiderimus ab aliqua corruptella ex his lædi ſēſibiliter chylificationem, uentriculus erit æger, ſin minus patiēs dici poterit,nō quidē æger.

Quo ad ſextum ſignū patientis uentriculi eſt, *Nauſea*; Ex nauſea,quæ uomitu tollatur,colligimus humorem infeſtantē ſtomachum eſſe in cauitate,ſi uomitu nō tollatur, humor acris eſt imbibitus tunicis oris uentriculi, ut nos docet Gal. 2. ad Glauc.c.2. Ex nauſea uerò cū anxietate, & ſyncope dicēdū eſt in tunicis oris uētriculi humorē imbibitū eſſe acerrimum.

15 Dubitatio; non uidetur, quod nauſea indicet uentriculi paſſionem,quia ob cibos laxantes, cuilibet hominum accidere poſſet; quare non erat ponenda nauſea in numero ſignorum indicantium paſſiones uentriculi.

Reſpondetur,unū ſignum ſeorſum ab alijs conſideratum nullam habere efficaciam, niſi methodo præcipuè diuiſiua cōfirmetur; Gal.enim 1. ad Glauc. in principio celebrat Mneſitheum Athenienſē, quia à generaliſſimis ad ſubalternas, & ab his ad ſpecificas differētias deſcendebat: ſic nos nauſeam perueſtigabimus; dicemus, nauſeam,uel fieri ab alimentorum qualitate,uel à ueneno,uel à uitioſis humoribus in uentriculo accumulatis, uel à proprio morbo uentriculi, uel à læſione ſexti paris neruorum cerebri;ſimiliter dicemus,humores accumulatos,uel pendere ab hepate; uel à liene, uel ab errore externo; excluſis demum omnibus, facilè ad proprijſſimam differētiam perueniemus, quæ indicabit, an uentriculi uitio, uel aliorum,nauſea facta ſit; quæ autem, & quot ſint uentriculi uitia pertinentia ad partes ſimilares, & diſſimilares, hic non eſt agendi occaſio.

Quo ad ſeptimum ſignum patientis uen-

ventriculi eſt *vomitus* qui eſt motus eius deprauatus; differt verò à nauſea ſecundum magis, & minus.

16 Dub. vomitus non videtur indicare paſſionem ventriculi; quia aliquando excitatur, vt dicit Hipp. & Gal. 6. aphor. 50. à vulnere cerebri, nulla tamen ventriculi ægritudine exiſtente; quare non magis indicabit ventriculum patientem, quã cerebrum. Præterea vomitus fieri poteſt ob illas cauſas, ob quas fiunt ciborum corruptelæ, quæ ex Gal. 1. de locis affectis 3. fiunt vel à proprijs morbis ventriculi; vel à vitioſis humoribus in ipſo aecumulatis; vel ab alimentorum qualitate: ecce igitur, quod vomitus non ſolum indicabit ventriculi morbum, ſed etiam alimenta laxantia, vel quæ in bilem côuertuntur. Inſuper lib. 5. de locis affectis 1. admonet ventriculum lædi eius, vel aliorum viſcerum vitio; ibique ſubdit ſæpè ventriculum lædi, quia à ſplene confluãt in ipſum ichores melancolici; ſimiliter alibi dicit, ab hepate bilioſa excrementa in ventrem colligi, & vomitum excitare nulla in ventriculo mala conſtitutione exiſtente; quare inter ſigna ventriculi patientis vomitus non videtur eſſe certum ſignum.

Reſponſio facilis eſt, quia oſtendimus ſuperius, Gal. non compoſuiſſe hunc librum, vt ſignis proprijs nos doceret artẽ medicam, ſed nominibus æquiuocis, & ſignis communibus, quæ alijs ſignis declarata ſummam efficaciam habent in temperaturis, & alijs affectibus tam naturalibus, quam præter naturam indicandis. Ad dubium dicimus, vomitum per ſe ſolum non indicare ęgritudinem ventriculi, ſed ſolum iunctum cum alijs ſignis.

17 Dub. Gal. 6. de morbis vul. comm. 1. tex. 5. ait, renes, & collum inteſtinum colligari à peritoneo; & ob hanc ſympathiã vomitum materiæ pituitoſæ dolori renũ valdè conferre: quo poſito, quando vomitus, qui excitatur à paſſione nephritica indicabit paſſionem ventriculi?

Dubitatio ſtatim alia exoritur, quia apparet contradictio in Galen. 1. enim de humoribus comm. 12. ait ſolum ea, quæ in ventriculo continentur eſſe per vomitum euacuanda, nihilque dicit de jis, quę in inteſtinis; quomodo ergo vomitus iuuabit collo inteſtino, & nephritidi?

Reſpondetur, vomitum mediatè conferre poſſe renibus, & inteſtinis; renibus, quia depleto uentriculo laxatur peritoneum, unde ceſſat dolor, & renes, & collum facilius deplentur. Ad ſecundam dubitationem dicimus cum Galen. 1. de humoribus 12. vomitum conferre pro expellendis excrementis inteſtinorum, & locorum magis diſtantium, ijs qui ſoliti ſunt euomere cum uirium tollerantia; quia, niſi iuuet immediatè, ſaltem mediatè non leue adfert beneficium.

18 Dub. non ſolum uidetur, quod uomitus indicet uentriculi paſſionem; ſed neque ſingultus. Hippoc. enim 7. aphor. 3. habet hunc aphoriſmum, à uomitu ſingultus, & oculorum rubor, malum: Galen. in comm. habet hæc uerba. *Quaſi paſſio eſt conuulſio muſculis, talis eſt ſingultus ſtomacho*, ſubdit *ſi ſingultus & oculorum rubor non ceſſant per vomitum, alterum duorũ indicari, vel cerebrum neruorum principium, vel ventriculum magnam pati inflammationem; rubor namq; oculorum vtramq; diſpoſitionem ſequitur.* Ecce non ſolũ uomitum, ut probauimus, ſed etiam ſigultum indicare cerebri paſſionem; quomodo igitur indicabit affectum uentriculi?

Reſpondetur, affectus pręter naturam ex Gal. 1. de locis affectis in principio, dupliciter conuenire poſſe læſis particulis, uel per idiopathiam, uel per ſympathiã; ubi paſſiones conueniunt per idiopathiã, ibi ſunt in facto eſſe; ubi uerò per ſympathiam ſunt in fieri, & nihil indicant; quia illa pars ex ſe ſana eſt.

Ad dubium dum ſingultus prouenit à cerebri inflammatione, dicimus in cerebro affectum eſſe idiopathicum, ideſt proprium, & in facto eſſe, & quo ablato ſtatim euaneſcunt affectus per ſympathiã, ſiue per conſenſum quod idem eſt; in uentriculo uero eſſe per ſympathiam, & in fieri, & uentriculum ex ſe ſanum eſſe; Hæc tamen ſigna à Galeno hic propoſita non ſola, ſed ſimul unita habent uim ſignificandi paſſiones proprias membrorum non ſemel probauimus.

Nota in Antiquis codicibus præter propoſita ſigna addita eſſe hæc duo, dolorem, & tumorem uentriculi, quæ re

uera

vera ſunt indicatiua paſſionum uentriculi: ſed quia in aliquibus præcipuè in Leoniceno non inueniuntur, ideò de illis mentionem non facimus; paulo infra tamen,& ſuperius de doloribus,& tumoribus non pauca diximus.

CAPITIS LXXX.

Particula I.

De Signis Patientis Thoracis.

Tex.84. *Ita, & thoracis agnoſcuntur affectus expirandi difficultatibus,tuſſibus, & doloribus, qui in ipſo fiunt, & ex eorũ qua ex*
Tex. 73. *puuntur differentia: Sic,& aſpera arteria ægritudines,difficiles anhelitus,& tuſſes,& dolor in loco, & qua expuuntur, & vocis offenſiones oſtendunt.*

IN hoc tex. duo facit: primo proponit quatuor ſigna patiẽtis thoracis, quæ ſunt difficilis reſpiratio,tuſſis, dolores,& ſputamina. In ſecunda parte proponit ægritudines aſperæ arteriæ, quæ agnoſcuntur per quatuor ſigna propoſita, & per læſiones uocis.

1 Dubitatio, non uidetur, quod ſigna propoſita, idest difficultas reſpirandi,tuſſis, dolor, & ſputamina indicent ægritudines thoracis: quia ex Gal.2.de locis affectis,c.9.& alibi habetur,hepatis uincula tenſa, & inflammata agnoſci per tuſſim,lateris dolorem,& difficilem reſpirationem, ergo hæc ſigna non erunt propria thoracis patientis.

Reſpondetur, quatuor ſigna propoſita ſimul unita,& in ſyndromen collecta habere uim indicandi thoracis ægritudines: quia licet in hepate inflammato ſint difficiles reſpirationes, tuſſes, & dolores, deficiunt tamẽ ſputamina,quæ cum tuſſi excernuntur. Præterea hæc ſigna propoſita, dum iecur eſt inflammatum, ſunt ualde diuerſa,quiaGal.5.de locis affectis, cap.3.& 1.aphor.12. & 2. de locis affectis 9.ait, ſicut in inflammatione pleuræ dolor eſt pungitiuus, & tuſſis eſt cum putro colorato, ſic in iecoris inflammatione dolor erit grauatiuus, & tuſſis ſicca, & ſicuti in pleura læſa pulſus eſt durus, & color faciei ruber,ſic in iecoris ægritudine pulſus erit undoſus, & color faciei citrinus: ualebit igitur hæc conſequentia, eſt difficultas reſpirandi,tuſſis non ſicca, dolores pungitiui, ſputamina colorata, ergo ægritudo eſt in pleura, quæ eſt membrana circumambiens omnes internas thoracis partes.

2 Dubitatio: non uidetur, quod qualibet ægritudo thoracis dignoſci debeat quatuor propoſitis ſignis: quia neque muſculi externi thoracis læſi excitant tuſſim,uel ſputamina,neque ægritudines cordis ut ſyncope, & palpitatio agnoſcuntur per tuſſim: neque caro pulmonis vllum excitat dolorem, ergo quatuor illa ſigna unita in omni paſſione thoracis non aderunt.

Reſpondetur, Galenum propoſuiſſe omnia ſigna, quæ concurrere poſſunt in thoracis affectibus præter naturam, quæ tamen non omnia vnita in quolibet affectu inueniuntur:ſed modo vnicum ex illis, modo duo, & modo omnia, quare nulla redditur dubitatio.

3 Dubitatio,ait Gal.ægritudines thoracis agnoſci ex difficili reſpiratione, quod non uidetur,quia reſpirationis organum ex Gal.6.de v.p.cap.2. eſt pulmo, & non thorax, ergo pulmonem, & non thoracem indicabit.

Reſpondetur cum Galeno lib. de vtilitate reſpirationis cap.5. pulmonem conſiderari dupliciter:uel ut cordi copulatus & ſic eſt primum organum reſpirationis: uel conſideratur, ut mouetur à muſculis thoracis,& ſic pulmo eſt inſtrumentum ſecundarium,& à thorace dependens: in quo ſenſu thorax eſt primarium organum reſpirationis.

4 Dubitatio,non uidetur,quod læſa reſpiratio indicet ægritudinem thoracis: quia tollitur reſpiratio in apoplexia, quæ eſt affectus cerebri, & in paſsione hyſterica,quæ eſt vteri: Præterea ab articulatione quartæ, & quintæ uertebræ ceruicis prodeunt duo nerui, & tandem ſe inſerunt in partem neruoſam diaphragmatis: ſi igitur alicui contingeret, ut læſio eſſet in collo circa illas uertebras,reſpiratio ſtatim maximè lęderetur,nulla tamen ægritudine in thorace exiſtente, quomodo igitur læſa reſpiratio indicabit affectum thoracis?

Reſpondetur,non per ſolam læſionem re-

reſpirationis agnoſci thoracis paſsiones, ſed per alia ſigna, & ſimul vnita, provt varie ſunt illius paſsiones: Gal. enim 1. aphor.cõm.12. ſyndtome quatuor ſignorum ait indicari pleuritidem, uidelicet dolore lateris pungitiuo, difficili reſpiratione, tuſsi, & febri, ait, ſi vnicum ex his deficiat, non eſſe pleuritidem. Quod diximus de pleuritide, de alijs quoque thoracis affectibus intelligendum. Ad dubium, concedimus læſam reſpirationem indicare poſse in apoplexia morbum cerebri, in paſsione hysterica uteri, ſed hoc dicimus non eſse contra Galenũ, qui in paſsionibus thoracis cognoſcendis nõ ex uno, ſed ex pluribus ſignis uult eſse procedendũ.

5 Dub. ait Galenus, paſsiones thoracis agnoſci per tuſsim, hoc non uidetur uniuerſaliter uerum, quia dantur plurimi affectus thoracis, in quibus non fit tuſsis, ſicuti in affectibus cordis, ideſt in palpitatione ſyncope, & in intemperiebus ſine materia, & pluribus alijs, nulla tuſsis fit, tuſsis enim fit ſolum ab illo affectu, qui prohibet dilatari, uel conſtringi thoracem, ſicuti eſt pleuritis, catarrhus, peripneumonia, empyema, & alij ſimiles.

Reſpondetur, Gal. propoſuiſse quatuor genera ſignorum indicantium paſsiones thoracis: quorũ modo omnia, modo aliqua, & modo unum tantum concurrit, & ſic dubitatio eſt nulla. Sciendum tamen, tuſsim habere illam proportionem cum thorace, quam uomitus cum uentriculo, quod quidẽ docet Gal. lib. 2. & 3. de ſymptomatum cauſ. c. 3. his uerbis, qualis eſt actio expultricis per uomitum in uentriculo, talis fit per tuſsim eorum, quæ ſunt in pectore, & pulmone, diſcrepant, quia in tuſsi concurrit uehemens efflatio, in uomitu uerò ſola expultrix, quæ in tuſsi eſt imbecillima, quia ſubſtantia cartilaginea non habet talem expultricem, quæ poſsit contrahi, ſicuti habet uentriculus, qui antequam expellat facilè contrahitur: caret .n. cartilagineis fibris, dicimus tandem, quod ſicuti in omni paſsione uentriculi non concurrit uomitus, ſic in paſsionibus thoracis nõ concurrit tuſsis.

6 Dub. dictum eſt, tunc tuſsim excitari, quando prohibetur thoracis conſtrictio, uel dilatatio ob catarrhum præcipuè in pectus delapſum, quod non uidetur uniuerſaliter verum: quia Gal. 4. meth. c. 7. declarat, quãdo catarrhus in pectus prolapſus excitat tuſſim, & quando non, habetq; hæc verba. *Quoad humor vndique iuxta tunicas arteriæ, ceu iuxta murum, aqua deſcendit, tuſſim vtiq; non cit: ſi quid per mediam viam ſpiritus incidit tuſſim ſtatim excitat.* Ex quibus uerbis duo ſcitu digna colligimus; primò, modum, quo deſcendit catarrhus in pectus, duplicem eſſe, alterum per mediam viam, alterum uerò iuxta tunicas tracheæ ceu dum iuxta murum aqua deſcendit. Secundò quãdo catarrhus in thoracem prolapſus excitat tuſſim, & quando non excitat.

Reſpondetur, catarrhum, dum prolapſus eſt per tunicas tracheæ eo modo, quo aqua iuxta murum, in thorace cõſeruari ſine aliqua reſpirationis difficultate, ideò tunc naturam non tentare expulſionem per efflationem, ſeu per tuſſim; dum uerò illabitur per mediam viam, tunc ut expellatur, ſtatim uehemens, & multoties repetita conſurgit efflatio, & tuſſis.

Ad dubiũ reſpondemus, catarrhũ prolapſum per tunicas ceu iuxta murũ nullo modo impedire thoracis conſtrictionem, & dilatationem, niſi affiuxus catarrhus occupet thoracis cauitatẽ, tũc. n. ex Gal. 1. in 1. epi. cõm. 12. & 4. aph. 54. excitat tuſſim, ſed vt valde glutinoſus, vel vt adeò tenuis ut in efflatione dilabatur, & diſpergatur.

7 Dub. non uidetur, quod dolor, qui eſt tertium ſignum ægritudinum thoracis, indicet carnis pulmonis ægritudinem; quia aliquando inflammatur: aliquando ulcere magno ſine dolore corripitur: quomodo ergo dolor indicabit paſſionem pulmonis?

Reſpondetur, in pulmone eſſe ſenſum exiguum non ratione parẽchymatis; ſed membranæ pulmonem ambientis, quæ irrigata eſt neruulo ſexti paris neruorũ cerebri, exiguuſque ſenſus; quia cerebrũ per tam exiguum neruulum tantam non miſit ſenſationem, quanta eſt ſufficiens pro ſenſu euidenti; ideò pulmo non pungitiuo, ſed grauatiuo dolore afficitur.

8 Dub. ait Gal. ægritudines aſperæ arteriæ diſtingui ab ægritudinibus aliarum partium thoracis per uocis offenſiones; ita ut omnis anhelandi ſtrepitus pendeat ab humoribus lentis, & craſſis, uel ab alia

cau-

cauſa impediente liberum ſpiritus tranſitum per aſperam arteriam; quod uidetur dubium ; quia in Antipareo Medico, ut refert Gal. 4. de locis affectis erat tuberculum in arterijs, quæ lenę dicuntur, & non in trachea ; attamen non ſolum inæqualitatem pulſus in Antipatro obſeruauit; ſed etiam difficilem reſpirationem cum ſonitu; ergo ſonitus anhelandi non uidetur ſolum ab aſpera arteria proficiſci, ut ex tex. colligitur.

Reſponſio facilis eſt : quia in Antipatro, & in lenis arterijs erat tuberculum, & in aſpera arteria humor craſſus, qui ſonitum efficiebat; ſic nulla eſt dubitatio : valetque ſemper hæc : offenſio eſt in uoce, ergo paſsio eſt in aſpera arteria.

CAPITIS LXXX.

Particula II.

Tex. 86. *Secundum verò eandem proportionem, & in alijs omnibus accidit partibus : nam ex tumore, dolore, & operationum læſione, & excrementorum differentia, ſumentur indicia.* Tex. 87. *Excreſcentia autem non naturales, inflammationibus duriſque, ac laxis tumoribus ſunt exploranda.*

POſtquam Gal. diſtinctè propoſuit ſigna indicantia ęgritudines hepatis, ſtomachi, thoracis, & tracheæ. In hoc tex. tria facit, primò ait, ſecundum eandem proportionem, ſiue ſecũdum eandem methodum, qua inueſtigauit paſsiones illorum uiſcerũ dicit eſſe inueſtigandas paſſiones aliarum partium internarũ. Secundò tradit quatuor fontes ſignorum indicantiũ paſſiones reliquarum internarum partiũ, quæ ſcilicet habent inſitas, & aliunde emanãtes potentias. Primum fonte ait, continere humores: ſecundum dolores, tertium actiones læſas; quartum uerò excuntia, ex his medici internarum partium ægritudines facilè perquirere poſſunt. Tertiò tangit in hoc tex. tumorum differentias, quarum prima eſt inflammatio, ſeu apoſtema, quod ſit à ſanguine, ſecunda eſt tumor durus, qui à melancholia, tertia differentia eſt ædema, quod à pituita; de eriſipillate, quod ſit à bile, nil dicit, quia inter excreſcentias, ſiue auctam magnitudinẽ non continetur ; quæ verò ſint indicia humorum efficientium hos tumores ſuperius nos fusè egimus: dictumq; eſt, inflammationem, ſeu apoſtema internarũ partium agnoſci ex dolore pulſatili; ſyrrhum legitimum ex indolentia, œdema uerò ex grauatiuo, & obſcuro dolore.

1 Dub. Gal. in hoc loco propoſuit quatuor ſigna indicantia ægritudines internarum partium, quæ ſunt tumores, dolores, operationes læſæ, & exeuntia, attamẽ 2. de loc. aff. c. 9. proponit quinque, quorũ primum eſt actio læſa, ſecundum excrementa, tertium ſitus accidentium, ueluti ſitus doloris, caloris, tumoris, uel grauitatis, quartum propria accidentia; quintum dolorum proprietates; ergo in lib. de loc. affect. eſt ſuperfluus, uel hic diminutus.

Reſpondetur, hunc librum (ut Auctor nos docuit) eſſe ueluti compendium; nihil tamen à Gal. in hoc lib. omitti, quia quæ fuſa oratione 2. de locis affec. c. 9. protulit in hoc lib. illa omnia ſigna ad quatuor fõtes reducit, propria .n. accidentia, quæ in lib. de locis affectis efficiunt quintum fontem reducuntur ad vnum ex his quatuor, ideſt uel ad operationem læſam, uel ad ea, quæ conſequuntur operationem læſam, quæ ſunt uel exeuntia, tumores, uel dolores : reliqua omnia clariſſima ſunt.

2 Dub. tumor à Gal. vocatur ὄγκος, ideſt excreſcentiæ ſimiliter 13. meth. c. 1. uocatur magnitudo aucta, attamen lib. de differentijs morborum cap. 5. & 13. & lib. de inæquali intemperie c. 3. & 9. Gal. tumorem uocat intemperiem cum materiæ fluxione, deinde illum quoque uocat affectum in ſoluta vnitate; ergo Gal. uarius & parum ſibi conſtans eſſe uidetur.

Solutio petenda præcipuè eſt ab Auicenna 2. 1. doct. 1. c. 5. vbi aduertit, in tumore eſſe omne genus morbi; quia quatenus occupat partes ſimilares tumor eſt intẽperies, quatenus diſſimilares eſt mala compoſitio, ſeu magnitudo aucta, quæ non ſit ſine ſoluta vnitaté. Hinc nõ rectè à Falopio definitur tumor, quod præcisè ſit magnitudo aucta; quia exquiſitũ eryſipellas in tumorũ catalogo non enumeratur, ideò non magnitudo aucta, ſed potius intemperies, ut docet Gal. 2. ad Glau. cap. 1. eſt appellandum. Ego autem magis

pro-

probo hanc tumoris definitionē; tumor eſt morbus compoſitus denominandus ab eo à quo actio læditur exempli cauſa, ſi tumor eſt in ſcroto ob prolapſum inteſtinũ dicitur magnitudo aucta ſine intẽperie, quia ratione magnitudinis hoc genus tumoris officit: ſi tumor ob luxatam partem lædit, dicitur in ſitu, & nõ in magnitudine aucta; ſi lædit figuram dicitur eſſe figuram vitiatam; ſi accenditur ob eryſipellas calor, dicitur intemperies calida cũ materia; omne enim quod eſt multiplex, ſeu æquiuocum multas ex neceſſitate habet definitiones, & non vinam communem, ſi Ariſt. in anteprædicamẽtis vbi agit de æquocis eſt fides adhibẽda.

3 Dub. Gal. inter excreſcentias videtur collocare eryſipellata: nihilominus ex Gal. loco citato eryſipellata ſunt intemperies, & non excreſcentiæ.

Reſpõdetur primò, eryſi pellata exquiſita non eſſe magnitudinem auctam, ſicuti ſunt ſpuria. Secundò dicimus in codice Græco Galenum non enumerare inter excreſcentias eryſipellata, ſed ſolũ apoſtemata, tumores duros, ſeu ſyrrhoſos & œdomatoſos: in codice tamen antiquo addita fuerunt eryſipellata ab ijs fortaſſe, qui putabant genus exquiſiti eryſipellatis eſſe magnitudinem auctam.

CAPITIS LXXX.

Particula III.

Tex. 88. *Dolor autem quemcunque obſederit locum, aut continuitatis ſolutionem, aut ſubitam alterationem, oſtendit; Soluta autem continuitas inciſione, exeſione, fractione, & tentione. Alteratur verò ſubſtantia à caliditate, frigiditate, humiditate, & ſiccitate.*

TRadit in hoc tex. duas cauſas doloris; altera eſt ſolutio continui, quæ fit incidendo, vel exedendo, vel frangendo, vel tendendo aliquam partem corporis ſenſu præditam; altera verò cauſa eſt ſubita alteratio introducta cum violentia à caliditate, vel frigiditate, ſiccitate, vel humiditates. Tres enim requiruntur conditiones in generatione doloris vt docet Gal. 12. methodi cap. 7. prima, vt alteratio fiat ἀθρόως, ideſt ſubito, & ſimul tota; ſecunda, vt fiat βιαίως, ideſt cum violentia; tertia conditio additur à 1. de ſymp. cauſ. c. 6. & à Platone in Timæo, quæ eſt, quod alteratio ſit præter naturam; datur enim alteratio naturalis in coitu ſubito facta, & cum violentia, quę non ſolum eſt cum dolore; ſed eſt valde delectabilis.

1 Dub. ſtatim oritur, quia non videtur, quod alteratio facta ab humiditate dolorem efficere poſſit; tum quia 2. de comp. med. ſcilicet loc. cit. ideſt negat his verbis, dolorem fieri ab humiditate, *vehementiſſimi dolores fiunt ob caliditatem, & frigiditatem; moderati ob ſiccitatem: ad humiditatem verò nullus eſt dolor:* tum quia Gal. 1. de ſympt. cauſ. c. 6. & 12. methodi c. 7. vult de ratione doloris eſſe repentinam mutationem factam cum violẽtia; at humiditas nullam inferre poteſt violentiã: ergo Gal. hic, vel alibi errare videtur.

Reſpondemus ex Gal. 1. de natura humana com. 6. & 2. de comp. ſ. l. c. 1. & 1. de ſymp. cauſis 6. humidam qualitatem dupliciter conſiderari, vel ex ſe ſolam; vel iunctam calori, vel frigori, vel copioſæ materiæ humidæ; Hoc poſito; dicimus, humiditatem primo modo ſumptam nullum dolorem efficere poſſe; quia qualitas humida ex ſe nullam infert violentiam; ſecundo modo verò ſumptam concedimus dolorem excitare. Hanc ſolutionem attulit Conciliator differentia 76. refertque, hanc fuiſſe opinionem Alexandri Aphrod.

2 Dub. non videtur, quod caliditas, & frigiditas ex ſe dolorem excitare poſſint; quia Gal. lib. de inæquali intemperie c. 6. & 3. de fract. 34. loquens de calido, & frigido, habet hanc ſententiam; calidum & frigidum proximè accedunt ad ea, quæ diuelluntur, vt ſoluant continuum; quare ſi proximè accedunt, vt ſoluant continuũ, non actu ſoluunt, & per conſequẽs dolorem inferre non poterunt. Ego autem infra oſtendam contra Pluſquamcommentatorem, & contra Recentiores plurimos, qualitates, quæ dolorem inferunt, id, quatenus continuum ſoluant, & non alio modo, efficere.

Reſpondetur ex Gal. lib. de fract. com. 34. ſolutionem continui duplicem eſſe;

aliam euidentem;aliam verò ratione cō-templabilem; dum Galen.ait, calidum,& frigidum proximè accedere, vt diuellant & ſoluant continuum, intellexit de ſolutione euidenti,& non de ratione cōtemplabili; quaſi dicat, caliditas, & frigiditas aliquando tam ſæuos excitant dolores,vt proximè accedant ad ea,quæ diuellūtur, & ſenſibiliter continuum ſoluūt inciſione,exceſione,fractione,& tentione:immò Gal.3.de fracturis citato,ait, morbos qui inferunt dolores poſſe annumerari inter vlcera vocatque paſſionem dolorificā vlcus,mente tamē,& ratione perceptibile.

3 Dubitat. non videtur, quod ſiccitas dolorem inferre poſſit: tum quia eſt paſſiua qualitas; tum quia Gal. 1. de ſymp. cau.c.6.habet hæc verba:*humidum & ſiccum,ſi abſint calefactio, & refrigeratio, ſine violentia corpus contingunt*:quare ſicut humiditas ex ſe ſola non infert dolorem, ſimiliter neque ſiccitas:quod repugnare videtur Gal. in hoc loco, & 2. de comp.med. per loca cap. 1. vbi fatetur ab humiditate nullos reuera dolores oriri; à ſiccitate verò moderatos.

Reſpondetur,ſiccitatē dupliciter conſiderari,vel vt eſt in miſto, in quo, reſpectu actiuarum dicitur paſſiua, quamuis patiendo quoque reagat; vel conſiderari abſolutè, & ſic dicimus ſiccitatem,& humiditatem eſſe quoque actiuas qualitates; quoniam à Gal.1.de temp. cap.2.& in hoc lib. omnes quatuor qualitates vocantur effectiuæ.Præterea poteſt reſponderi,ſiccitatem ſolā adeò paruā efficere violētiam, vt propterea moderatiſſimos efficiat dolores: iunctam tamen cum aliqua ex actiuis longè maiores; ſicuti etiā caliditas, quæ fundendo humores ſoluit continuum, & truces facit dolores, & frigiditas valdè contrahendo infert moleſtiam; ſi tamen ambo conſpirent,altera ſcilicet contrahendo,& altera fundendo, vt Galenus 12. methodi capit.7. animaduertit in illis, qui in vehementi frigore iter fecerunt, & ſubito ſe calefaciunt, dicit, Hos vehementiſſimum dolorem circa vnguium radices experiri. Similiter dum à ſolis ſiccitate fit aliqua coarctatio ſoluitur continuum, ſed adeò moderatē, vt vix dolores inferat; ſi verò ſiccitas participet caliditatē, vel frigiditatē, tunc longè vehementiores dolores mouētur.

4 Dubitatio magna in hoc loco exoritur; quia ex vna parte omnes medici ſciunt, quod vnius rei vnica ſit cauſa prima,& non duę:attamen Gal. non ſolum in hoc tex.affert duas cauſas doloris ęquè primas, quæ ſunt ſolutio continui, & ſubita alteratio:ſed etiā lib.de conſt.ar. cap. 8.ait, paſſionem dolorificam pēdere à ſolutione cōtinui, & ab intemperie; ſimiliter 2.de locis affect. cap.5.4.de locis aff.7. lib.de inæquali intēperie c.3. & 1.de ſym. ptom.cauſ.c.6. ſed clariſsimè 13.methodi c. 6. poſuit has duas æquè primas cauſas doloris, intemperiem ſcilicet, & ſolutionem continui: Immo 1. de natura humana 21. non ſolum fatetur, duas dari primas cauſas doloris; ſed proponit quoque media dicens, dolorem pendentem à continui ſolutione tollli vniendo; ab intemperie alterando: quare, vel commune præceptum, quod vnius rei vnica prima ſit cauſa,falſum eſt; vel Galenus locis citatis aberrauit.

Pro reſponſione ſciendū 1.ex Gal. lib. de inęquali intemperie, cap.6. & 13. methodi cap.6.vnicam eſſe cauſam primam, & immediatam doloris, & non plures, hancq;ex Gal.& Hipp.eſſe ſolutionē continui;immò 12.methodi c.7.videns vnicam eſſe cauſam primā doloris ſubnectit hæc verba; *An quod calefacit, & refrigerat efficiat ſolutionem continui, eget longiori inquiſitione : ſubdit ad methodum curandi hoc non pertinere ; ſed ad quartum librum de Simpl.med.cap*.2. in quo lib.clariſſimè determinat vnicam ſolutionem continui eſſe cauſam doloris; ibique examinat, quomodo frigus ſit vlceribus mordax; concludit quatenuus continuum ſoluit, violenter vniendo particulas: quam continui ſolutionem, Gal.3.de fract. com. 34. appellat ratione contemplabilem, quæ ualdè differt ab euidenti ſolutione, quæ fit fractione, ſeu inciſione.

Quare ex Gal.dum calor, frigus, vel ſiccitas dolorem efficiunt, prius ſoluunt continuum,& deinde dolorem excitant: ita vt prima, & immediata cauſa doloris ſit continui ſolutio.

Quod vero hæc ſit vera, & germana Gal. opinio ex eo patet, quia omnes philo-

lo-

loſophi, & Medici, qui poſt Galenum fuerunt eandem opinionem Galeno attribuerunt.

Auerroes enim 3. coll. cap. 31. diſputans contra Galen. eandem ſententiam illi attribuit, quam nos.

Itidem Auicennas 2. 1. doct. 2. ſum. 2. cap. 19. diſputans contra Galenum illi attribuit, quod voluerit vnam continui ſolutionem eſſe cauſam immediatam omnium dolorum.

Demum Meſues cap. de pſilio ait, Galenum habuiſſe hanc ſententiam, quod qualitates primæ dolorem excitent, quatenus continuum ſoluunt.

Cauſa verò cur Gal. propoſuerit duas cauſas doloris, fuit quia Medicus eſt artifex ſenſatus; ideò placuit Galeno intemperiem violẽtam, quæ dolorem facit, vocare intemperiem, ſeu ſubitam alterationem, & non ſolutionem continui, quia nõ eſt ſenſibus manifeſtum, quod caliditas ſoluat continuum: verum dum altius Galen. erigit ſpiritum fatetur cum Hipp. omnem dolorem non ſolum eſſe ſolutionem continui; ſed eſſe vlcus; quare res clariſsima eſt, omnem dolorem immediatè pendere à ſolutione continui; diuiditur tamen ſolutio continui ab Hippocrate & Gal. 3. de fract. 34. & alibi in euidentem, & occultam; euidens fit inciſione, exeſione, fractione, & tentione; occulta verò eſt tantum ratione contemplabilis, quia fit ab alteratione quatuor qualitatum.

5 Dubitatio; non videtur, quod ſemper in parte, quam putamus dolore corripi, fit ſolutio continui, vel alteratio repentiná; audias caſum admiratione dignum; Cuidam homini miſerabili contigit, vt tota tibia ſphacelo eſſet corrupta; Chirurgus ab illo vocatus, eam totam, ne partes vicinæ inficerentur, inſcio patiente volſellá amputauit; Miſer ſeruans imaginationes præteritorum dolorum nihil ſciens de tibiæ, & totius pedis amputatione valdè conquerebatur de policis digiti dolore; quomodo igitur partis intemperies, vel ſolutio vnitatis erunt cauſæ doloris, ſi pars non ſit, ſi digiti antea abſciſi ſint?

Reſpondetur illius miſeri hominis dolorem pendere quoq; ab aliqua ſolutione continui, vel violenta alteratione, ſed nõ facta in parte, qua carebat, ſed in neruis aliquantulum ſuperioribus, quorum propagines ante amputationem deſcendebant, & ſenſum afferebant: cauſa cur deciperetur eſt, quia ſenſus non fit ſine ratiocinio; quod eſt cauſa, cur quinque ſenſus continuò decipiantur.

6 Dubitat. de ratione doloris à calida qualitate effecti duo ſunt: primum, vt qualitas calida inuadat partem ſenſitiuam ſubitò; ſecundum, vt inuadat cum violentia: quæ conditiones videntur vaniſsimæ; quia ſæpè calor febrilis inuadit ſubito, & cum violentia: attamen nullus dolor fit.

Reſpondetur de ratione doloris, vel ſolutionis continui eſſe diſpoſitionem in fieri, & non in facto eſſe; febris vt intemperies eſt in facto eſſe; quare præter has duas conditiones doloris, quod alteratio ſit ſubito facta, & cum violentia requiritur, vt dolor fiat à ſolutione, & non à ſoluta vnitate. Præterea reſpondemus, febrem eſſe intemperiem calidam æqualem; dolorem verò fieri ab intemperie inæquali; pars enim ſenſu prædita, dum à calore æqualiter læditur, non ſentit dolorem: facultas enim ſenſitiua iudicans, dum non percipit quid diuerſum à ſemetipſa non poteſt iudicare vt malum & vt doloroſum.

7 Dub. nõ videtur, quod frigiditas ſubito, & cum violentia introducta excitet dolorem: quia qui refrigerantur ob coitum non patiuntur dolorem: tamen ſubitò, & cum violentia refrigerantur.

Reſpondetus, frigiditatem dupliciter conſiderari, vel vt eſt poſitiua, vel priuatiua; primo modo excitat dolores; ſed non ſecundo modo. Ad dubium reſpondemus, corpora à coitu refrigerari; quia ſpiritus vitales reſoluuntur, quibus reſolutis relinquitur frigiditas priuatiua, ideſt relinquuntur partes calore priuatæ; concedimus nos frigiditatem poſitiuam ſubito, & cum violentia introductam ſemper dolorem efficere: qualitates enim dum introducuntur κατ' ὀλίγον καὶ κατ' μικρὸν quamuis ſint poſitiuæ nullum dolorem efficere.

QVÆST. XCIII.

De cauſa prima, & immediata doloris.

PRima opinio eſt Auicennæ 2. 1. doc. 2.ſum.2.c.19. vbi ait, duas eſſe cauſas doloris æquè primas, ſolutionem continui, & intemperiem. Auic. ſequuntur deinde Valeriola, Altimarus, Fuſchſius, Cornarius, & plures alij. Horum opinio videtur eſſe Gal. in hoc loco, vbi dicit, dolorem, vel indicare ſolutionem continui, vel ſubitam alterationem. Itidem lib. de conſt. artis c. 8. 2. de locis affectis c. 5. 13. methodi c. 6. & multis alijs in locis proponere videtur has duas cauſas doloris, ſolutionem continui, & alterationem ſubitam; ità vt omnes iſti putent, quatuor primas qualitates per ſe primo, & non ratione ſolutionis continui dolorem excitare.

Rationes, quę mouent Auicennam, & ſectatores variæ ſunt. Prima hæc eſt; dolor eſt ſimilarium partium; ſolutio verò continui eſt diſſimilarium; quare dabitur dolor in partibus ſimilaribus, non ratione ſolutionis cõtinui, ſed ratione primarum qualitatum. Secunda ratio eſt; dolor aliquando eſt vbi nulla eſt ſolutio continui: ergo duæ erunt cauſæ: probant antecedens experimento huiuſmodi; ſi pungatur aliqua particula ſenſu prædita non ſolum dolor eſt in parte ſoluta, ſed etiam vt plurimum in vicina non ſoluta, ergo dolor eſt vbi nulla fit ſolutio continui. Tertia ratio, ſi primæ qualitates dolorem excitarent ratione ſolutionis cõtinui, & non per ſe, ait Auicennas, quod ſequeretur, non totam partem frigefactam dolore, ſed ſolum in illo confinio, à quo frigus diuiditur, vbi nullum eſt frigus, quod eſt ridiculum. Præterea addi poſſunt hæ duæ rationes Pluſquamcommentatoris, quibus pro Auicenna probat, non ſolum caliditatem, & frigiditatem per ſe primo dolorem efficere; ſed etiam ſiccitatem, & humiditatem, non ratione qualitatum actiuarum, ſed ratione ſui, per ſe primo, eſſentialiter. Prima ratio Pluſquamcommentatoris, quæ erit quarta in ordine pro hac opinione, hæc eſt; membra alterari poſſunt ab humido; ergo etiam ob. humidum dolere poſſunt; probat antecedens ex Hippocr. lib. de locis in homine, vbi ait, dolorem eſſe dum membrum alteratur. Secunda ratio, quæ eſt quinta in ordine hæc eſt; ſiccitas, & humiditas poſſunt eſſe ex ſe corruptiuæ ſubſtantiæ membri; ergo poſſibile eſt, vt poſſint dolorem per ſe primo inferre. Ex his & alijs argumentis minoris roboris plurimi ſectatores Auicennæ colligunt, omnes quatuor qualitates ſine aliqua continui ſolutione poſſe dolorem excitare; ita vt duæ dentur cauſæ doloris æquè primæ; altera, quæ conueniat ſimilaribus, altera verò diſſimilaribus particulis.

Pro ſolutione argumẽtorum ab Auic. propoſitorum afferenda eſt prius illa diſtinctio à Gal. tradita lib. 3. de fract. com. 34. & alijs in locis; ſolutionem continui duplicem eſſe; aliam euidentem, quæ fit per fracturam, puncturam, & cæteras ſenſibus noſtris cõſpicuas ſolutiones, aliã eſſe ratione contemplabilem, quæ nõ eſt ſenſibus aperta, ſed occulta, quia ſi calor fundendo humores ſubito, & cum violẽtia dolorem excitat, illam effuſionem videre nõ poſſumus; ſimiliter frigus *ἀθρόως* ideſt ſubito, & *βιαίως*, ideſt cum violentia, ſi comprimat ſoluit continuum, & dolorem facit; hæc tamen continui ſolutio oculorum aciem effugit, itidem ſiccitas coarctando ſoluit, & dolorẽ facit; humiditas verò ex ſe, quia non poteſt violenter agere; ideò Gal. 2. de comp. med. per loca c. 1. ait, ab humiditate nullum fieri dolorem, niſi vt ait 1. de ſympt. cauſ. c. 6. iuncta ſit alijs qualitatibus. His poſitis facilè reſpondemus ad argumenta Auicen. quod concludant ſolum de ſolutione euidenti, & non de illa, quæ mente percipitur; ideò quo ad primum argumentum reſpondemus, ſolutionem continui contemplabilem conuenire quoque ſimilaribus partibus. Quo ad ſecundam, dicimus, dum pungitur pars, & dolor excitatur in vicina parte, fieri à ſolutione continui, quæ ratione contemplabilis eſt. Ad tertium reſpondemus, quod magis diſſiditur pars, vbi magis frigeſcit; diuiſioque fiat per compreſſionem; vbi verò diuiditur à parte ſana, dicimus nõ eſſe tantam continui ſolutionem, quanta requiritur ad efficiendam violentiam. Ad quar-

quartum argumentum Pluſquamcommentatoris reſpondemus eſſe in 2. figura ex duab. affirmatiuis quia ad cauſandum dolorem non ſufficit quod membrum alteretur; ſed requiruntur duæ conditiones propoſitæ à Platone in Timæo, & à Gal. 1. de ſymp.cauſ.c.6.& 12. methodi 7. quarum altera eſt, vt in dolore alteratio fiat ἀθρόως, ideſt ſubito, & derepente; altera vt fiat βιαίως, ideſt cum violentia; relinquitur igitur vt medius terminus ſit vniuerſalior quæſito; medius eſt membrorum alteratio; clariſſimum eſt, alterationem prędicari poſſe de membro dolente, & non dolente. Ad quintum, dum dicunt ſiccitatem, & humiditatem eſſe qualitates ſubſtantiæ corruptiuas; ideò per ſe dolorem inferre poſſe: argumentum eſt vaniſſimum; quia opiata corrumpunt ſubſtantiam: attamen non ſolum dolorem excitant, ſed mitigant.

Secunda opinio eſt Auerrois 3.col.c.31. & lib.4.c. 46. quam opinionem ſequitur Conciliator, qui putat vnicam eſſe primã & proximam doloris cauſam, & nõ duas, vt Auicennas, & eius ſectatores prodidere; haneque cauſam non eſſe ſolutionem continui, vt probauimus nos ex Gal. ſed proximam, & immediatam omnium dolorum eſſe in temperiem partis dolentis; putabat enim ſolutionem cõtinui ſtatim mutare temperaturam, illamq; mutatam immediatè dolorem efficere; conuenit tamen Auerroes cum Gal.lib.4.coll.c.46. in hoc, quod humida temperatura ex ſe ſola non poſſit alium dolorem efficere, quam grauatiuum: duaſq; præcipuas doloris cauſas immediatas retulit eſſe caliditatem, & frigiditatem; ſiccitatem verò ſolam perexiguũ dolorem poſſe excitare.

Prima ratio Auerr. quæ proponitur etiam à Conciliatore legitur 2. de anima com.107.117.118.& 119. vbi dicit, ſenſum tactus, qui eſt iudex dolorũ ſentire prius quatuor qualitates tamquam proprium obiectum; quo poſito ſequitur, dolorem non fieri, niſi quando qualitates tangibiles, quæ ſunt proprium obiectum fuerint excedentes, & improportionatæ, & per conſequens intemperatæ; quilibet enim ſenſus alteratur ab exceſſu ſui obiecti, vt docet Ariſt.2.de anima, tex.123.& non aliorum ſenſuum obiectorum: color enim neq; dolorem, neq; delectationem infert auditui, olfactui, tactui, vel guſtui. Reſpõdet tamen tacitæ illi obiectioni, dum pũgitur pars, & ſtatim dolet; ait poſt illam ſolutionem continui à punctura factam influere ſpiritum, & ſanguinem, & ſtatim partem illam ex bona in malam temperaturam mutari; à qua primo, & immediatè cenſet dolorem fieri; à ſolutione verò cõtinui, ſiue à punctura nõ immediatè, ſed mediatè dolorem euenire putat.

Secunda ratio hæc eſt, neque ſolutio continui, neq; vnitas continui eſt proprium obiectum ſenſus tactus; ergo nec ſolutio continui erit cauſa doloris; nec vnitas delectationis. Tertiam rationem deſumit à Gal. qui fatetur temperamentum eſſe obiectum tactus; dum ait, volam manus non fuiſſe factam in fine temperamenti, ſed in medio, niſi ad apprehendendum contraria: quare exceſſus temperamenti partis ſenſitiuæ erit obiectum proprium doloris, & non ſolutio continui. Quarta ratio, ſolutio continui non poteſt eſſe obiectum doloris, vt docet Galen. quia qualitates tangibiles ſunt ſenſibilia propria ſenſus tactus, & non ſolutio continui; aliqui enim reducunt ſolutionem continui ad numerum: aliqui ad motum; quę obiecta ſunt ſenſus communis, & non ſenſus tactus.

Reſpõdemus ad rationes Auer. concedendo, qualitates tangibiles eſſe obiecta propria ſenſus tactus: dicimus tamen, dũ ſẽſus tactus alteratur ab exceſſu ſui obiecti primo, & per ſe alterari à ſolutione continui; aliud enim eſt ſentire, & doloroſè ſẽtire; ſentire fit per qualitates tangibiles: doloroſè verò ſentire fit per ſolutionem, ſeu ſeparationem continui. Idem obſeruatur in alijs ſenſibus: nam color quod eſt principale obiectũ viſus: ſi fuerit valde luminoſus diſgregabit viſum, & diſgregando viſionem doloroſam efficiet: ſicuti enim color viridis vniendo ſenſorium eſt cauſa delectationis; ſic cauſa ſoluens continuum eſt cauſa doloris: ſimiliter ſanus eſt obiectum auditus: vehemẽs tamen ſtrepitus diuellendo, & ſoluendo doloroſum efficit auditum: ſimiliter ſapor eſt obiectum guſtus, ſed ſi eſt valde amarus diuidit ſenſorium, & vnitatem diuellit: idem de odore dicendum, ſed

magis propriè de tactu clara res eſt; quare ratio Auerrois conclud't de qualitatibus tangibilibus,& de temperaturis quatenus inter limites naturales continentur, quia dū qualitates excedunt patiūtur ſolutionem vnitatis, quæ eſt primum, & immediatum doloris obiectum.

Hinc obiter reprehendi poteſt Pluſquamcommentator, dum cenſet contra Gal. in alijs cenſorijs fieri ſolutionem cōtinui, non ratione propria, ſed ratione tactus: Gal. enim 10. de vſu par. c. 3. probat euidentiſſimis experimentis, viſionem diſſolui ratione propria,& non ratione tactus; quia refert hiſtoriam Xenofontis de militibus iter facientibus per niues, qui amiſerunt viſionē ob maximam diſgregationem à niue factam, tactu tamen oculorum manente illæſo; refertque Tyrannidem Dionyſij Siculi, qui vt lucem quibuſdam eriperet prius in obſcuriſſimā carcerem eos detrudebat, & deinde poſt aliquod tempus in ſplendidiſſimam, parietibuſque albiſſimis ornatam domum eos deduci iubebat. Similiter primo de ſymp. cau. cap. 6. refert, aliquos auditu priuatos ob vehementiſſimum ſtrepitum manente aurium illæſo tacto: ecce quod ſubita, & violenta alteratio ſoluit continuum non in tactu ſolo, ſed in omni ſenſorio: quamuis in ſenſu tactus propriſſima fieri ſolet ſolutio, & dolor formaliter excitetur; quia in hoc ſenſu magis propriè diſſipatur, vel diſſoluitur proprium temperamentum.

Ad ſecundam rationem Auerrois reſpondemus, conſequentiam eſſe falſiſſimam: quia ſicut obiectum proprium ſenſus facit bonum ſenſum; ſic obiectum diuidens, & diſſipans temperamentū ſenſorij efficiet ſenſum malum, & triſtem; concedimus & nos, ſolutionem continui non eſſe obiectum proprium ſenſus: imò dicimus eſſe obiectum ſoluens, & deſtruens ſenſum.

Ad tertiam de vola manus reſpondemus, argumentum procedere de obiecto ſenſus, & non de obiecto deſtruente ſenſum, quod omninò diuerſum eſt.

Ad quartam concedimus ſolutionem cōtinui pertinere ad ſenſum communē, ſed non ad numerum: quia numerus eſt in facto eſſe: dolor verò eſt in fieri, dicimus igitur ſolutionem continui pertinere ad motum; quia ex quinque obiectis ſenſus communis ſolus motus eſt in fieri; quod eſt entis actus in potentia, vt in potentia, non poteſt eſſe in facto eſſe; quia quod eſt in facto eſſe eſt actus entis permanentis in actu, & non in potentia.

Tertia eſt quorundam præclariſſimorum Virorum, defenditurque in expoſitione huius tex. à Marco Oddo: atque, cauſam formalem, & immediatam doloris non eſſe intemperiem: neque ſolutionem continui, ſed eſſe mutationē repentinam, & violentam; probat non eſſe intemperiem; quia dum aliquis pungitur, ſtatim dolor introducitur; ait, intemperiem in tam breui temporis ſpatio non poſſe introduci; infert igitur, cauſam formalem doloris non eſſe intemperiē, quod enim alicui ineſt formaliter prædicatur de illo per ſe: at ſic eſt, quod intemperies neque per ſe, neque de omni prædicatur de dolore; quia prædicatio de omni conuenit omnibus, & ſemper. Probat demū non eſſe ſolutionem vnitatis; quia dolor, qui fit per manifeſtam ſolutionem vnitatis fit per motum localem; qui verò per intemperiem, per alterationem: at ſic eſt, quod ex Ariſt. 1. phy. vbi diſputatur contra Antiquos, motus localis ſegregari poteſt à motu alterationis, & viceuerſa, ergo quod dependet à motu locali ſeparari debet ab illo, quod dependet à motu alterationis; & ob id dolor qui fit ex alteratione qualitatum, ſeparabitur ab eo, qui ex ſolutione continui proficiſcitur: cum igitur intemperies, & ſolutio continui ſint duo omninò ſeparata non poterunt neque ſimul vnita eſſe cauſas immediatas, & formales doloris, qui eſt vnica res, neque quodlibet ſeorſum ab alio poterit de dolore prædicari: cōcludit igitur cauſam immediatam, & formalem doloris eſſe mutationem violentam, & repentinam: conceditq; cauſas mutationis repētinæ, & violentæ eſſe has duas diſtinctas; ſed æquè primas, & immediatas, ſolutionem ſcilicet continui intemperiem, dixit eſſe duas diſtinctas; quia tēperatura, quæ in ſimilaribus conſiſtit; & cōpoſitio, quæ in diſſimilaribus ſunt duæ naturæ æquè diſtinctę; dicit quoq; ob has cauſas Gal. in hoc tex. & alibi, vt 1. de de cauſ. ſymp. c. 6.

12.methodi 7. 2.de loc. aff. 4.& 2.de ratio ne victus primo propoſuiſſe duas cauſas doloris immediatas, & æquè primas. Demum Oddus confirmat eius opinionem auctoritate Aetij lib. 5. c.100. vbi hoc modo dolorem definit, *ὀδυνηρὸν δ' ἐστὶν ἀθρόα μεταβολὴ κράσεως καιμελιτι λύσεως συνεχῆ*, ideſt dolor igitur eſt repentina temperamenti mutatio, & comprehenſa cum ſolutionis continuitate: ecce quod Aetius quoq; videtur comprobare dictam opinionem, quod ſcilicet cauſa formalis doloris ſit repentina mutatio.

Reijcitur iſtorum opinio, quia reluctatur Gal. & rationi: Gal. qui 12. methodi, c.7. protulit hæc verba: *An quod calefaciat, vel refrigeret efficiat ſolutionem continui eget longiori inquiſitione:* ſubdit hanc ſpeculationem non ad methodum pertinere, ſed ad 4. lib. de ſym. med. c.2. vbi determinat, ſolutionem cõtinui eſſe vnicã, immediatam, & proximam omnium dolorum cauſam, ibiq; examinat, quomodo frigidum ſit vlceribus mordax, concludit que, mordacitatem efficere, quatenus cõtinuum ſoluit, ideſt quatenus violenter vnit: ſoluitur enim continuum tam nimium diſgregando, quam nimium vniẽdo. Hinc Gal. 3. de fract. cõm. 34. ait, dari duplicem continui ſolutionem, aliam ſcilicet euidentem, & aliam ratione contemplabilem; euidentem conuenire pũcturis, fracturis, &c. ratione verò contemplabilem intemperiebus repentè, & cum violentia factis. Quod verò Gal. crediderit ſolutionem continui eſſe cauſam immediatam omnium dolorum fatetur Auic. 2.1. doct. 2. ſum. 2. c. 19. & Auerroes 5. col. c. 71. Itidem Meſues, vbi agit de pſilio. Cur verò Gal. propoſuerit duas cauſas doloris, intemperiem ſcilicet, & ſolutionem vnitatis ſuperius explicauimus, & paulò infra repetemus. Præterea hæc opinio aduerſatur rationi; quia ſi mutatio repentina, & violenta eſſet ratio formalis doloris propoſitio fieret conuertibilis, valeretq; conſequentia; eſt repentina mutatio violenta, ergo dolor, quod eſt falſum, quia febris eſt quædam mutatio, quæ repente, & cũ violentia inuadit partes ſenſitiuas, tamen non eſt dolor; quare niſi præter repentinam, & violentiam mutationem addatur ſolutio continui, nunquã cauſa proxima immediata, & conuertibilis cum dolore aſſignabitur; febris non eſt ſolutio continui; quia eſt intemperies æqualis; ſolutio cõtinui verò nõ ſtat, niſi in intemperie inæquali: non enim ſoluitur vnitas ſine euidenti inæqualitate.

Quarta eſt opinio verior, & eſt Galeni. quod proxima, & immediata cauſa efficiens doloris ſit vnica, & non duæ, hancque eſſe ſolutionẽ continui. Quod hæc ſit opinio Gal. fatentur Auic. Meſues, & Auer. quamuis diuerſam ſectentur opinionem. Pręterea Gal. 12. methodi c.7. videns intemperiem calidam, & frigidam efficere dolorem non per ſe, ſed quatenus ſoluunt continuum, habet hæc verba: an quod calefaciat, vel refrigeret efficiat ſolutionem continui, eget longiori inquiſitione; de qua agit 4. de ſimp. med. c.2. vbi apertè dicit ſolutionem continui eſſe vnicam doloris cauſam: ibique examinat, quomodo frigidũ ſit vlceribus mordax, atque quatenus continuum ſoluit; duplicem tamen continui ſolutionem eſſe nos docet 3. de fract. com 34. alteram eſſe euidentem: alteram verò ratione contemplabilem, & hanc poſtremam fieri ab intemperie calida, vel frigida, vel alijs qualitatibus. Præterea Ariſt. 5. prob. 26. & 6. top. 6. videtur aſſerere ſolutionem continui eſſe cauſam immediatam doloris. Neq; obijciant, Gal. de cuius opinione loquimur, multis in locis, ſicuti in hoc tex. 13. methodi c.6. & alibi propoſuiſſe duas, & non vnicam doloris cauſam, & has eſſe ſolutionem continui, atque intemperiem.

Reſponſum eſt ſuperius, quod vnius effectus vnica ſola ſit cauſa immediata, & non plures; quamuis mediatæ poſſint eſſe multæ; eſt Ariſt. 2. poſt. vnĩ dare vnũ, & non plura; ſimiliter eſt Gal. in methodo, vbi ait, vnum indicari ab vno, & non à pluribus; quod principium lib. 11. methodi noſtræ vitandorum errorum pleniſſimè confirmauimus. Dum verò Gal. propoſuit duas cauſas doloris, dicimus, id miro ratificatio feciſſe; quia Galeni ſcopus in hac arte medicinali eſt inuenire remedia doloris, quę debent hauriri ab indicantibus notioribus nobis: indicatio enim eſt argumentum à noto ad ignotum: quare ſi Galenus propoſuiſſet ſolam

continui ſolutionem indicantem remedium, protuliſſet doctrinam ſtudioſis medicinæ inutilem; quia datur ſolutio continui in cognita & in manifeſta, quę debet declarari per nomina notiora; quãuis indicent cauſam mediatam, & non immediatam doloris, & hanc eſſe intemperiem; ideò propoſuit ſolutionem continui euidentem; & ſolutionem immanifeſtam, quæ ſub nomine intemperiei à Galeno proponitur; recteq; hoc facit; quia de ratione indicantis eſt, vt ſit nobis notius indicato, vt docet Gal. 1. methodi c. 5. & 1. de articulis 32. vbi ait, ante morbũ curandum eſſe affectum, & locum affectum cognoſcendum. Præterea cũ indicans nos doceat remedium, niſi eſſet illo notius, committeretur illas ſpecies petitionis principij, quę ab Ariſt. 1. poſt. c. 3. & 2. poſt. in principio reprehenditur, dum probatur ignotum per ignotius: quibus ſic conſtitutis non poterat Gal. in hoc libello breuiſſimo, illam ſolutionem continui afferre, quæ eſt cauſa proxima, & immediata dolorum omnium, quæ eſt illa, quæ prædicatur de ſolutione euidenti, & ratione contemplabili, quia hæc poſtrema eſt adeò difficilis, vt prolixa declaratione indigeat; quæ in hoc libro breuiſſimo non conuenit; maluit ſub nomine intemperierum proponere ſolutiones ratione contemplabiles quia de fracturis com. 34. & 4. de ſimp. med. c. 2. hanc diſtinctionem ſolutionis vnitatis diſtinctè declarat. Modus procedendi Gal. differt ab illo Ariſt. quia finis medicinæ eſt ſanitas, philoſophiæ eſt cauſas cognoſcere. Ariſt. in ſua philoſophia incipit à materia prima, quæ eſt pars naturalis corporis; ſed quia æquè reſpicit formam hominis, ac cadaueris, ideò Gal. agens quoq; de partibus corporis ſpreuit tractatum de materia prima, & incæpit ab elementis, quæ concurrunt ad efficiendas temperaturas, à quibus haurire poteſt medicus indicata, ſeu remedia pro corporis præſeruatione, vel curatione: idem exequitur in hoc loco, & in quolibet tractatu particulari: verum indicans remedium doloris eſt ſolutio continui: dum vult reddere hoc indicans nobis facilè illud diuidit in ſolutionem continuam euidentem, & in intemperiem, & non in ſolutionem continui ratione contemplabilem, quia non pertinet ad hunc librum, qui ſolum capita clariſſima proponit, ſed alibi, vt diximus de hac ſolutione occulta egit.

QVÆST. XCIV.

An dolor ſentiatur ab aliquo ſenſu.

VAria proponuntur argumenta oſtẽdentia, dolorem non ſentiri: duo tamen ſunt præcipua. Primum horum eſt; dolor eſt ſenſus, ſed ſenſus non ſentitur à ſe, neque ab alio; non à ſe, quia ex Ariſt. 3. de anima tex. 15. intellectus ſolus ſe intelligit in ſe reflectendo; nõ ab alio, quia ſi dolor ſentiretur ab alio ille per alium ſenſum, & ille alter per alium vſq; ad infinitum, quod eſt inconueniens. Secundum arg. dolor nõ eſt proprium ſenſibile alicuius ſenſus, ergo non ſentitur ab aliquo ſenſu. Cæterum, quod dolor propriè ſentiatur à ſenſu tactus eſt quam quod certiſſimum: imò eſt ridiculum audire probantem dolorem non ſentiri, vel ſentiri, quia hoc non indiget probatione. Quæſtio eſt, an dolor à virtute ſenſitiua externa, vel interna cognoſcatur.

Hippoc. 2. aphor. 6. videtur attribuere ſentiendi officiũ Menti, ſine internæ potentię, & non externę; quia communiter profertur aphoriſmus hoc modo; quicunq; dolentes aliqua parte corporis dolores non ſentiunt, ijs mens ægrotat; neque tamen ex hoc aphoriſmo colligi poteſt, dolorẽ ſentiri; quia in Græca dictione non ſonant quicunque dolentes, ſed *'οκοσοι, πονέοντες*, ideſt quicunque laborãtes ſicuti Felicianus lib. 7. cap. 6. de placitis Hippoc. & Platonis latinè vertit: *πόνος* enim ſignificat laborem, & nõ dolorem: neque dicit in aphor. Hipp. dolorem non ſentiunt, ſed *πόνου αισθάνονται*, ideſt laborem non ſentiunt. Præterea dum Mẽs ægrotat non percipitur labor ſenſitiuæ partis; duo enim requiruntur, vt fiat dolor, particula ſenſu prædita, & iudicium; vnico deficiente ceſſat ſenſatio, ſeu dolor; quare ex Hipp. aphoriſmo neque colligitur ſenſum dolorem ſentire, nec potentiam ſenſitiuam concurrere ad ſentiendum.

Conciliator diff. 77. reſpondet, dolorẽ non

nõ eſſe ſenſum,ſed paſſionem ſenſus;immò ait dolorem eſſe paſſionẽ,& paſſibilẽ qualitatẽ,quæ eſt tertia ſpecies qualitatis.

Reijcitur, quia paſſio, ſeu paſſibilis qualitas eſt cauſa doloris, & non forma, & eſſentia doloris; ex Gal.enim 2. de locis affectis 7. dolor formaliter eſt triſtis ſenſatio,7 de placitis Hippoc.& Plat.cap. 6. eſt vehemens ſenſus alterationis.

Quidam Alij reſpondent non ſentiri dolorem,ſed cauſam doloris immediatã, quæ ſecũdum Auerroem eſt exceſſus tẽperaturæ:ſecundum Gal. uerò eſt ſolutio continui, ut probatum eſt ſuperius.

Reijcitur hæc opinio; quia dolor formaliter eſt triſtis ſenſus dependens tamẽ à ſolutione continui, uel exceſſu temperaturæ: quare formaliter ſentitur.

Alij reſpondent, dolorẽ non eſſe obiectum proprium ſenſus tactus,ſed obiectũ pertinens ad ſenſum communem; ideò à ſenſu communi ſentiri, & non ab aliquo ex quinque exterioribus. Iſti tamen,qui putant dolorem eſse obiectum ſenſus cõmunis ſunt diuiſi. Quidam enim dicunt dolorem reduci ad numerum,quia dolor ut dolor eſt ſolutio vnitatis,ex cuius diuiſione duo reſultant. Quidam uerò dolorem reducunt ad motum, quia dolor eſt continui ſolutio, & non ſoluta continuitas; quare cùm ſit in fieri, motus erit, omnis enim motus vt motus eſt in fieri.

Decipiuntur, quia non ſoluunt quæſtionem: quærimus enim nos,quodnã ſit obiectum proprium in dolore, quod ſenſus tactus percipit; quàvis enim magnitudo ſit obiectũ ſenſus cõmunis;attamen dum magnitudo inſpicitur, non inſpicitur ut magnitudo: ſed ut colorata, uel illuminata; ſimiliter dum tangitur, tangitur non ut colorata, ſed vt eſt obiectum proprium; ſimiliter admittitur, dolorem pertinere ad motum, qui eſt ſenſus com. munis obiectum; poſsumus nihilominus querere dum à ſenſu tactu ſentitur,cuius proprietatis ratione ſentiatur.

Peripatetici in 2. de anima tractant hanc quæſtionem; ſupponuntq; dolorem eſse ſenſum;ſunt tamẽ inter ſe diſcordes. Plutarchus (referente Philoſopho) dicebat,dum ſenſus ſentit ſe ſentire,id efficere meritò cuiuſdam virtutis,quæ dicitur opinatiua, quam nos vocamus cogitatiuam quæ differt ab intellectu,quia eſt organica,aliquo mòdo tamen rationis particeps: hanc putant nonnulli diſcurrere circa ſingularia.

Philoponus cenſet, ſenſum ſentire ſe ſentire non per ſenſum,ſed per virtutem attentiuam, quæ pertinet ad animam rationalem, & non eſt obligata organo; qua tamen bruta carent; ideò putat bruta non ſentire ſe ſentire.

Simplicius aſſerit, ſenſum ſentire ſe ſentire quatenus aliquo modo eſt rationis particeps: negat tamen bruta propterea ſentire ſe ſentire.

Diuus Thomas 2.de anima cenſet,ſenſum ſe ſentire; quia vt fiant ſenſus, duæ conditiones requiruntur: prima eſt apprehenſio; ſecunda iudicium: ait ratione iudicij ſenſum ſe ſentire. Hanc opinionẽ D.Thomæ ſequuntur Medici,quia dicũt phantaſma doloris prius recipi, deinde iudicari; indeque ſumpſerunt artem mitigandi dolorem, ſeu inueniendi famoſa illa tria anodyna,de quibus agit Galen. 5. ſimp. 19. aitque primum anodyni genus eſſe calidum in primo gradu digerens,& tenuium partium,quod deſumitur ab organi denſitate;ſecundum genus eſt,quod habet uirtutem emplaſticam, quod reſpicit ſpiritum, in quo eſt iudicium, illum denſando; impedit enim, ne ſpiritus, uel radij illorum non ita penetrent, & per conſequens non ità doloroſè iudicent. Tertium genus continet narcotica anodyna, quæ deſtruunt organum, & ſpiritum iudicantem.

Cæterum omittamus Philoſophos; quia nos negamus,dolorem eſſe ſenſum; hoc enim deſtructo ceſsat hæc quæſtio, an ſenſus ſentiat ſe ſentire.

1 Dubitatio tamen inde exoritur, quia videtur, quod dolor cum Philoſophis ſit ſenſus:ſic enim argumentantur,dolor eſt triſtis ſenſus; ergo eſt ſenſus.

Reſpondetur ex Ariſt.2.periher.nõ valere conſequentiam à coniunctis ad diuiſa,quando non ſeruatur idem ſenſus,veluti ſi quis diceret; pituita eſt ſanguis diminutè coctus;ergo eſt ſanguis. Ros eſt pluuia parua, ergo eſt pluuia. Similiter dolor eſt ſẽſus triſtis,ergo eſt ſẽſus, quod non valet,quia dolor eſt diſsolutio,& diſgregatio,ſeu deſtructio ſenſus. Itaque ego

go arbitror, dolorem non eſſe ſenſum: arbitror tamen, quod debeat connumerari inter obiecta ſenſus tactus.

Cenſemus tamen, obiectum proprium, & adęquatum ſenſus tactus eſſe innominatum, quod qui non animaduertit, ſæpiſſimè fallitur, ſicuti enim obiectū proprium viſus eſt innominatum; quia nec color, nec lux, ſed quod de utroque prædicatur eſt adæquatum obiectum viſus; Hinc dicimus obiectum tactus adæquatum, neque eſſe qualitates primas, nec ſecundas; ex multiſque experimentis hoc affertur; dū enim formica ſupra manum mouetur non ſentitur per qualitatem primam, vel ſecundam; ecce quod inter obiecta tactus datur aliquod, quod non reducitur ad primam, vel ſecundam qualitatem; ergo erit quid innominatum, quod deinde prædicabitur de quolibet ſub illo contento.

Nec dicant, motum formicæ pertinere ad ſenſum communem; quia oportet afferre qualitatē propriam, qua per tactum ſentitur formicæ motus: ſicuti affertur, dum videmus eam moueri; concludimus ergo dolorem non eſſe ſenſum, ſed obiectum ſenſus nō adæquatum, quia hoc eſt innominatum, ſentirique à virtute ſenſitiua, quæ conſtat ex parte recipiente, & ex parte iudicante, quæ in ſpiritibus animalibus, vel eorum radijs conſiſtit.

CAPITIS LXXX.

Particula IV.

Tex. 89. *Læditur autem operatio tripliciter: aut quia debiliter: aut quia vitiosè: aut quia nullo modo fit.*

DEclarauit ſuperius; quod ſigna indicantia ægritudines omnium partium corporis deſumantur ab his quatuor fontibus, à tumore, à dolore, à læſis operationibus, & ab excremētis: hactenus egit de tumoribus, & doloribus; in hoc tex. verò deſumit ſigna à lęſis operationibus, quæ tripliciter læduntur; vel quia ſint diminutæ, vel deprauatæ, vel ablatæ; quælibet enim actio ſit animalis vitalis, vel naturalis ex Gal. ſententia in hoc tex. tribus tantum modis lædi poteſt, ut dictum eſt; exempli cauſa, dum iecur gignit ſanguinem pituitoſum, vt in hydropico, uel in fluxu hepatico, dicitur actio ſignificatrix diminuta: dum verò gignit ſanguinē bilioſum, & ardentē, dicitur ſanguificatrix deprauata: dum verò nullo modo gignere poteſt ſanguinem, ut in perfecta hydrope; uel in ſenio philipi, dicitur ſanguificatrix ablata; idem dicitur de qualibet actione naturali, animali, & uitali.

1 Dubitatio: non uidetur, quod qualibet læſa actio poſſit tripliciter lædi, ut docet Gal. quia memoria eſt quædam actio animalis; tamen non poteſt tripliciter lędi; quia ſolum diminuta, & ablata inuenietur; deprauatam uerò nec animo concipere poſſumus.

Reſpondetur, de ratione deprauatæ, ſeu uitioſæ actionis non eſſe intenſionē actionis; ſed de ratione actionis deprauatæ eſſe, quod grauiter actio læſa ſit; ſicuti ex Galen. in tex. de ratione diminutæ actionis eſt læſio debiliter facta; ſic de ratione deprauatæ eſt læſio grauiter facta, ſiat per intenſionem, uel remiſſionem actionis adhuc non ablatæ; ſimiliter 3. de. ſymp. cauſ. in principio ait, actionem diminutam eſſe illam quæ vix fit, qualis prius erat; in hoc tex. verò dicit, diminutā debiliter fieri, deprauatam uerò uitiosè, ideſt grauiter eſſe vitiatam, & non debiliter. Itidem 3. de ſympt. cauſis deprauatam, vitioſam uocat, quibus poſitis dicimus, memoriam diminutam uocari, quando parum deficit, dum ualde minuitur uocari uitiatam, ſeu deprauatam.

Idem dicimus de læſa reſpiratione; dū enim reſpiratio difficilis facta eſt, dicitur diſpnæa, quę eſt deprauata, ſeu uitiata reſpiratio; quod uitiū conſiſtit in remiſſione, & defectu reſpirationis, & non in intenſione. Similiter ſi ventriculus cum difficultate cibum in chylum conuertit, chylificatio uocabitur diminuta; quia illa actio uix fit; ſi uerò medium cibum in chylum, & medium in pituitam viſcoliſſimam cedát; tunc chylificatio uocabitur deprauata, quamvis fiat per remiſſionē. Ratio verò huius doctrinæ deſumitur ab hoc altiori principio, quod omnis dyſcraſia minuet propriam actionem; actio enim ex Gal. 2. methodi cap. 6. & alibi à temperatura prouenit; quare intendantur,

tur,vel remittantur gradus temperaturę, actiones fiunt vel diminutæ, uel deprauatæ; diminutæ,ſi parum recedant à ſtatu naturali;deprauatæ,ſi multum,& grauiter recedant. Præterea,non ne omnia corpora ſi ægrotant ex neceſſitate,ægrotant vel leuiter, vel grauiter, vel ferè extinguuntur;ſi primo modo tunc actiones dicuntur diminutæ; ſi ſecundo modo dicuntur deprauatæ; ſi tertio modo ablatæ; ablata enim actio eſt ferè mors partis,vel totius;Hinc valde errant,qui putant omnes actiones deprauatas ex intenſione actionis ſic vocari; cum plurimæ; vt dictum eſt,vocentur deprauatę ob nimiam remiſſionem.

2 Dubit. videtur contradictio manifeſtiſſima, quod actio uocetur ablata; quia ſi eſt ablata,non eſt amplius actio.

Reſpondetur,actionem ablatã intelligi duobus modis; vel quo ad ſẽſum,uel quo ad totalem extinctionem; dicimus,quod primo modo, ideſt quo ad ſenſum actio vocetur ablata; ſecundo vero modo non vocari actionẽ,ſed mortem; à priuatione enim ad habitum non datur regreſſus. Hinc in apoplexia quo ad ſenſum actiones principes, & reſpiratio ſunt ablatæ: non tamẽ quo ad realem extinctionem; immò tribus experimentis cognoſcere ſolemus, an in apopleticis ſit realiter extincta reſpiratio. Primum,ſuperponitur pectori aquæ cyathus, tunc ſi reſpiratio ex toto non eſt extincta, aqua in cyatho tremore concutitur: Secundum,ſi ori apponimus ſpeculum,maculatur.Tertium, ſi naribus linum,vel quid leuiſſimum applicetur, uidetur moueri ab occulta quadam reſpiratione, quæ licet quo ad ſenſum ſit ablata, non tamen ſupponitur realiter extinctam eſſe.

3 Dubitatio: non uidetur quod ex operatione debiliter læſa neceſſariò morbus internus colligatur;quia in ſanis quoque corporibus inueniri poſſunt actiones debiliter lęſæ.

Reſpondetur, quod actio debiliter læſa eſt duum generum;alia eſt adeò ſenſibiliter læſa,vt viuens non poſſit officiorũ ſuorum munera explere;alia eſt debiliter lęſa, ſed viuens exercet ſua officia, ità ac ſi eſſet ſanus: quo caſu dicimus, operationem debiliter læſam non indicare malam conſtitutionem. Præterea reſpondemus; Gal. velle non ſolum per læſas operationes docere malam aliquam conſtitutionem;ſed per alios tres fontes ſignorum,ideſt per dolores,tumores, & excrementa mutata;eſt enim impoſſibile,vt ſit operatio debiliter læſa,quæ ægritudinem indicet, quin ſequentur exeuntia præter naturam, vel immodicè retenta, uel alia ſymptomata tertij ordinis.

CAPITIS LXXXI.

Tex. 90. *Quæcunque autem excernuntur nonnulla quidem ſunt veluti partes patientium locorum: nonnulla verò tamquam excrementa. Quæ verò in ipſis naturaliter continentur ſingula propriam faciunt indicationem.* Tex. 91. *Dictum eſt autem de hiſce omnibus,plenius in tractatu de membris paſſis, quem nullus ante nos, aut in artem redigit, aut ad abſolutam perfectionem deduxit; quemadmodum, & in omnibus alijs euentis, quibus initium quidẽ aliquod ab Antiquis eſt datum,non tamen abſolutum eſt opus. Aegrotantium itaq; corporum ex tractatu illo indicia ſunt ſumenda. Erit autem qui in ęgritudinem lapſuri ſunt, & qui ſanitati reſtituendi praſens doctrina complectitur.*

POſtquam Gal. deſumpſit ſigna à tumore,dolore,& operationibus lęſis; ait quoque in hoc loco deſumenda ab ijs, quæ excernuntur; exeuntia enim,ſeu excrementa præter naturam ſunt ſymptomata neceſſariò conſequentia ſymptomata primi ordinis,quæ ſunt lęſæ operationes.

In hoc cap. tria genera excrementorũ indicantium internas ægritudines à Galeno proponuntur. Primum genus ait, continere portiones,ſeu particulas locorum affectorum exeías, quæ excernuntur,veluti ſunt ramenta,& cortices inteſtinorum,quæ indicãt affectum dyſentericũ:ſimiliter,ſi cũ tuſſi excernitur bronchiũ, ideſt corpus quoddam cartilaginoſum,quod eſt aſperæ arterię particula,dicimus,vlcus eſſe uel in aſpera arteria, uel etiam in pulmone. Itidem obſeruatur,in Hippoc.4. aphor.76. dum excernuntur exiguę carunculæ, aut veluti pili indicari renum vlcus;ſimiliter aphor.81. eiuſdem ſe-

ſectionis,ſi quis ſquamulas meiat,indicari veſicæ ulcus,quod dictū eſt de renibus veſica,inteſtino, & aſpera arteria de omnibus partibus vlcere correptis intelligēdū, hoc tamē ſuppoſito, quod ſi portiuncula excreta fuerit paruula, paruum affectū,ſi magna magnū ſit indicatura: Itidē ſi excreta partiūcula fuerit nigredine,uel mala alia qualitate infecta maligniorem ægritudinem enunciaturam dicimus.

Secundum genus excrementorum toto genere preter naturam eſt pus,uel per uomitum,uel per tuſſim eiectum; ſi per vomitum; dicimus ventriculum,vel æſophagum eſſe ulcere afflictum; agnoſcemus œſophagum eſſe affectum, ſi antequam cibus ingeſtus ſit in uentriculum, ſentiantur puncturæ;ſi verò poſt intimiſſum cibum ſentiantur dicimus,ulcus eſſe in ventriculo. Si per tuſſim,putis pauxillum egreditur,& puncture ſentiantur in trachea, ibi erit ulcus; ſin minus, & pus copioſius ſit,ulcus erit in thorace. Similiter ſi uiderimus lotio pus eſſe valdè permixtum,tūc dicemus,renes eſſe affectos; quia maior diſtātia efficit exactiorem per miſtionē:hoc tamē ſignū non eſt omninò certum;quia etiā pus ulceris gibbæ partis hepatis vrinæ exactiſſimè miſcetur; ſitus igitur erit,qui tollet dubietatē:nam ſi dolor fuerit circa lūbos in rene; ſi in regione hepatis,vlcus erit in hepate.Itidē euacuatio aquę ſimilis carnis recēs mactatæ indicabit,iecur eſſe lęſū,et demū citrinus color pariet certiſſimā hepat.ęgritudinē.

Tertiū genus continet illa excreta,quę in locis affectis naturalitèr collocantur; veluti ſi vulnerabitur abdomē in parte epigaſtrica, & ex vulnere profluat cibus, vētriculum eſſe uulneratum indicabitur. Similiter ſi uulnus fuerit circa pubem, & vrina egrediatur, uulnus erit in ueſica,ſi egredietur ſtercus,inteſtina erunt uulnerata; & ſic de alijs partibus obſeruandū:

Notat Gal.ſe egiſſe de his tribus generibus excretorum plenius in tract. de locis aff.admonetq; neminē ante illum abſoluiſſe, & in artem redigiſſe tractatū de cognoſcendis locis affectis;hacque occaſione omnes antiquos medicos paruifacere videtur; cū multa inceperint pertinētia ad artē medicā; nunquā tamē perfecerint. Poſtremò ait ex libris de locis affectis eſſe ſumenda ſigna omniū locorū affectorum:eorum autē qui in ęgritudinem lapſuri ſunt, quorū corpora neutra ſunt, & qui ſanitati ſunt reſtituendi, quorum corpora ſunt actu ęgrotantia,in præſenti lib. de his ait ſe uerba facere.

SEXAGINTA

Sympathia, & idiopathia humani corporis ex Gal.& anatomia arcanis deſumpta.

DIGRESSIO XCV.

HActenus Gal.tradidit methodum perquirendi locos patientes per ſigna deſumpta a doloribus, tumoribus, operationibus lęſis, & excuntibus; Hancq; applicauit pręcipuis, & internis uiſceribus; omiſit tamen alias corporis partes minus principales;quia eadē methodo earum paſſiones non difficilè penetrari poterunt.Sed quia ex lęſis operationibus medicus in anatomia uerſatus facilè penetrare poteſt, quibus partibus affectus præter naturam per eſſentiā, uel per conſenſum conueniant;& in qua par ſit idiopathia, & protopathia, & in qua ſympathia tantum; nos propterea gratia facilitandi hoc negotium applicabimus Galeni methodum partibus præcipuis, præcipuèq; ex læſis partium officijs declarabimus quando paſſiones ſint primariæ,quando propriæ tantum,& quando per conſenſum.

Præſtat igitur, vt ante applicationem huius methodi; ex Gal. declarentur termini;primo enim de loc.aff.cap.3. diſtinguit idiopathiā à protopathia his verbis. *Contingit aliquando aliquem ſimul,& per conſenſum,& propria affectione laborare: cum in affecta particula per conſenſū permanens ſit diſpoſitio; neque dicemus ipſā affici primario,ſed propriè,& ſecundario:* Ecce quod datur affectio permanēs,quæ ſit propria,& ſimul per conſenſum, ſimiliter 4. methodi c.4. ait, ſi affectus adhuc ſit, licet ſit permanens, auſpicandam curationem à cauſa fouente. Itidem 7.methodi ait, ſi duo affectus ſint coniuncti, ut vnus ſine altero non auferatur, primò illū ſine quo alter non tollitur, eſſe auferendū;ecce quod nō ſat eſt, membrū aliquod

quod paſſionem prętet naturam pati,ſed oportet ſcire an adhuc fiat, vbi ſit primaria affectio, vbi ſit ſaltem propria,& permanens ; quia ſine his medicus neque inunctionem leuiſſimam quidem applicare audeat oportet ; Vt igitur huiuſce doctrinæ veritas euceſcat, mihi propoſui, exemplis à Galeno, experientia, & Arcanis anatomiæ deſumptis,eam clarã, & omnibus conſpicuam reddere.

1 Inter ſtomachum, & cerebrum conſenſus obſeruatur à Gal.1. de loc. affec.c. 6.in caſu illo famoſo iuuenis Grammatici,qui ob læſioné oris nentriculi in comitialé incidebat;hæc ſunt Gal. verba, *Grãmaticus quidam iuuenis quoties vehementer doceret, vel cogitaret, vel inediam ſuſtineret, & iraſceretur, comitiali morbo corripiebatur: addit per conſenſum ab ore ventriculi id eueniſſe*;hic iuuenis erat picrocholus,ideò protopathia,ſeu principalis affectio erat in iecore; idiopathia, ſeu propria effectio erat in ore vẽtriculi,ſympathicus affectus,ſiue per conſensũ,quod idem eſt, erat in cerebro; præſeruabatur Galen. iuſſu à comitiali, ſtomachum corroborando vſu panis cum vino albo modicè aſtringente; ſympathia cum ex Gal. libello contra Lycum triplex ſit, alia generis,alia uicinitatis, & alia operis familiaritatis, hæc oris uentriculi cum cerebro eſt generis, quia ſextum par neruorum cerebri mittit quoque ad ſtomachũ eiuſdem generis propaginem nerueam, ſcilicet, qua ſenſus influitionis uẽtriculi.

2 Inter ſeptum,muſculos intercoſtales, & neruos conſenſus obſeruatur á Gal.4. de locis aff.4. in caſu illo famoſo de Athleta ſecũdo,qui ob ſepti trãſuerſi imbecillitatem ſine intermiſſione mouebat muſculos intercoſtales, ibi ait Gal. eſſe difficile explicatu, an imbecillitas pertineat ad muſculum ſepti, uel ad neruos, uel ad aggregatum ex vtriſque, poterat tamen in hoc caſu eſſe protopathia in ceruice à qua prodeunt nerui, qui inſeruntur diaphragmati, idiopathia in diaphragmate, & ſympathia in muſculis intercoſtalibus, qui medicus abſtuliſſet paſſionem ceruicis, facilè permanenté diſpoſitioné diaphragmatis,cuius eſſe adhuc erat in fieri, ſuperaſſet,qua ablata confertim ceſsaſset muſculorum intercoſtalium imbecillitas.

3 Inter ceruicem, & digitos ſummæ manus ſympathia obſeruatur à Gal.2. de loc.aff.c.6.& lib.3. c.ult. in caſu Pauſaniæ ſophiſtæ,qui dum Romam ueniret ex caſu è uehiculo percuſsus eſt circa ſeptimã ceruicis uertebram,unde amiſit ſenſationem trium digitorum, Gal. ait, ſe coniecturam feciſse,quod circa ſeptimam uertebram ceruicis facta fuerit diſpoſitio ſcyrrhota,à qua parte oriuntur nerui,qui ſenſum digitis afferunt, ideò Gal. ceruici remedijs localibus emollientibus applicatis liberauit Pauſaniam à ſtupore digitorum ſumma cum admiratione omniũ illorum medicorum, qui localia applicabant digitis, & non ceruici,protopathia erat in ceruice,ſympathia in digitis. Neque miretur quiſpiam,quod ſenſus partis deficiat manente illius motu illæſo, non enim ualet conſequentia,ablatus eſt motus, ergo ſenſus deficit, quia in epilepſia ſenſus tollitur, & non motus,ſimiliter in phreneticis motus ſunt uehementiſſimi, ſenſus tamen pereunt, ſimiliter dormientes mouentur, & non ſentiunt, immo Galen.2. de motu muſc.cap.4.ait, ſe ſomno oppreſsum integrum ferè ſtadiũ dormiendo confeciſse. In his obiectum ſenſus abeſt, obiectum uerò motus, ideſt fortis alicuius rei imaginatio adeſt. Neque neruorum uarietas ſenſum, & motum efficiunt, ſed idem neruus præſente motus obiecto mouet, non ſentit uerò abſente ſenſus obiecto, idem enim neruus reſpectu ſubſtantiæ medullaris ratione diuerſorum obiectorum mouet, & ſentit. Neque uera eſt Fernelij opinio 5. lib. ſuæ phyſiologię capit.10.dum ait,omnem motum à cerebri medulla prodire, ſenſum uerò à membranis,hæc enim opinio eſt contra Gal.7.de placitis cap.3. ubi ait,facultatem mouendi, & ſentiendi ſolum in cerebri medulla contineri, membranas uerò fuiſse inſtitutas ad ueſtiendam,& nutriendam medullam,idem dici debet de neruis. Quod uero opinio Fernelij reluctetur rationi, alibi egimus,neque hic eſt huius diſputationis locus.

4 Inter inſtrumenta uocis,& ceruicem conſenſus obſeruatur à Gal.1.de locis aff. cap.6.ubi refert,uocem cuidam fuiſse ferè amiſsam ob ceruicis lęſioné ab externo frigore factam,hæc ſunt uerba. *Equidem*

dem vocem vitiatam fuiſſe memini, vt penè perderetur, infrigiditatis vehementer neruis recurrentibus, cū per hyemē in opere quodā Chirurgico ceruix fuiſſet inciſa, quod cū intelligerem, calorificis remedijs naturalem temperaturā nerui reſtituens, vocē reuocaui. Sympathicus affectus erat in vocis inſtrumentis: proprius, ſeu idiopathicus in neruis recurrentibus, qui inſeruiunt voci; protopathicus verò ſeu primarius in ceruice; qui verò auferet principalem, id eſt frigiditatem ceruici inſertam, facilè affectum proprium, qui eſt in neruis recurrentibus nō valdè permanens, ſuperabit. Modum curationis ait Gal. fieri per applicationem calefacientium: calefacientia verò ſunt illa, quæ auferre poſſunt frigidam intemperiem ceruicis, & neruorum recurrentium: omnes enim actiones à temperatura ſolent prodire; ideò Gal. à corrigenda temperatura modum curationis deſumpſit. Empirici ſanè nunquam ſanaſſent, vt ſolent ex pectorantibus, ſaccharo, videlicet violato, liquiritia, & alijs innumeris vocem clarificantibus, quibus Noſtratu plurimi ſępè ſine ratione vtuntur.

5 Inter ſternum, & laryngem in anginoſis obſeruatur conſenſus ab Hippocrate in prognoſticis, & coacis prænot; vbi hæc profert, ſi rubet ſternum in angina eſt ſalutare; ratio eſt, quia larynx ſarcina qua premebatur liberatur; neque obſtat, quod dictum eſt ab Hippocrate 2. epid. de muliere anginoſa decumbente apud Bitonem, quod licet habuerit pectoris ruborem; nihilominus quarto die perierit: Ratio eſt, quia rubor eſt ſalutaris, dum angina non eſt maligna: dū enim eſt maligna, & rubor adſit, actum eſt de vita; malignitas enim non conſiſtit in humorum confluxu, ſed in mala qualitate. Rubor circa ſternum eſt affectus per conſenſum factus ob muſculi, qui à ſummo ſterno oritur, & in latera ſcutiformis inſeritur, continuitatem: affectus verò proprius eſt inflāmatio muſculorum laryngis: modus curationis deſumitur ab inflammatione, & à conſenſu illo ſterni, qui non auferendus, ſed confirmandus laxātibus, vt inuitetur natura ad expulſionē per externam illam partem.

6 Inter cutem capitis, & ceruicem conſenſus obſeruatur à Gal. in caſu illo citato 4. de locis affectis 4. qui eſt de illo homine, cui defecit ſenſus pellis capitis, affectione primaria exiſtēte in ceruice; ibi Gal. de hoc caſu loquens reprehendit medicos vulgares, qui, vt reſtituerent ſensū cuti capitis, exulcerabant caput medicamentis calidis credētes affectum primarium eſſe in pericraneo; hæc ſunt verba Galeni. *Vulgares Medici vlcerauerunt caput medicamentis calidis putantes ſenſum ipſius læſū, calidis poſſe reuocari; nec ſciebant locum primario affectum eſſe in ceruice.* Affectus per conſenſū erat in pericraneo: primarius erat in ceruice; quia ex primis vertebris ſpinæ quattuor nerui oriuntur, & aſcendunt ad caput, à quibus cutis ambiens caput recipit ſenſum; quod verò in ceruice fuerit protopathia, ex eo cognouit Galenus, quia intellexit, patientem ſub pluuia, & vento impetuoſo ambulaſſe, & circa ceruicem pallium fuiſſe madefactum, vnde ex illo frigore, & madore ceruix paſſa fuit intemperiem frigidam, & humidam hebetantem illorum neruorum ſenſum. Hinc ait Galenus, ſanata ceruice topicis calidis, ſtatim quoq; pellis ſanata eſt; quia pellis affectio inſequebatur affectionem ceruicis primariam, vt vmbra corpus; ecce quem fructum ex arcanis anatomiæ colligere poſſumus. Qui verò in hac arte ſemper inſiſtunt in genericis, vt noſtratum plurimi, non eſt mirum, ſi neque intelligāt, neque ſciant morbos curare; in eorum enim diſcurſu ſemper cōmittitur paralogiſmus, in quo ratio eſt communior quæſito.

Dū vident aliquod ſymptoma perſeuerare non expēdunt, an protopathia ſit in aliqua corporis parte externa, ſed ſtatim ſupponunt principalia viſcera eſſe læſa; & indè pharmacis, & phlebotomia miſeros ægros inculpatos vexant; quod erratum maximè reijcitur à Gal. 5. de loc
c. 7. in caſu Steſiani, qui à Ro
cis iudicabatur; quod hep
pateretur; Gal. verò ex
illius eſſe ſanum a
canis anatomiæ
hepar, ſed tranſ
minis in Steſi

7 Inter lie
uatur miru

lancholica excitare. Ecce quod in hoc caſu à Gal. propoſito primaria affectio eſt in liene; affectio vero per cōſenſum in ventriculo; poteſt tamen ichor ſuâ mordacitate introducere intemperiem in ventriculum quæ tamen ſit morbus partim in fieri, & partim in facto eſſe; eius tamen affectio primaria ſit in liene. Qui igitur hæc ſymptomata melancholica vult curare non applicet ventriculo remedia; quia ſolū curato liene tollentur vētriculi angores; quod fiet humorem præparādo, illūq; extrahendo eleboro, vel hyrudinibus applicitis hæmorrhoïdib. auertendo.

8 Inter ventriculum, & hepar obſeruatur conſenſus, dū bilis iuſto plus confluit in ventriculum, vel per meatum felleum, vel per aliam viam: affectus proprius, & principalis eſt in iecore; illoq; ablato, ſtatim ceſſare ſolēt vētriculi paſſiones; quomodo verò cognoſcatur, an hepar primariò læſum ſit, ex traditis à Gal. in capitibus ſuperioribus, & lib. 1. de loc. aff. cap. 5. & 2. cap. 9. facillimè dignoſcemus, ibi .n. dicit, ſigna locorū affectorum eſſe actionem læſam, excreta, ſitum accidentis, dolorum proprietates, & propria accidētia: Ego autem de modo diſtinguendi idiopathiam à protopathia fusè tractaui lib. 1. methodi vitand. capite vndecimo. Confert præterea in affectibus ventriculi dignoſcēdis ad examen reuocare tres cauſas corruptionis ciborum à Gal. 1. de loc. affect. c. 3. traditas; quia in o[illegible] us affectionibus ventriculi perne[illegible] irificè inſer[illegible] enim [illegible] eſſe gene[illegible] cre[illegible] onis cib[illegible] eſſ[illegible] rum [illegible]

[illegible] nia prǽſidia, quæ humana mens excogitare poteſt, capiti applicares, tantum abeſt, vt aliquid opis afferres, ut maxima moleſtia ægrum afficeres.

10 Inter hepatis cōcauum, & ieiunum inteſtinum maximus obſeruatur vicinitatis conſenſus; 5. enim de loc. aff. c. 7. Gal. habet hæc verba. *Hepar afficitur per conſenſū, vel lienis cauſa, vel ventriculi, vel inteſtinorum, & maximè cauſa ieiuni, & meſenterica vena habituali intēperie refrigerare poſſūt omnes venas ſimarū partiū hepatis: vnde intemperies peruenit ad totū iecur.* Primò notandum, Gal. admonere, ſimam iecoris partē maximè cauſa ieiunij trahī in cōſenſū; quia vt ait 6. methodi c. 4. hoc inteſtinum iecori eſt maximè vicinū; & eius tunica eſt prætenuis vnde facilè eius paſſiones iecori communicat: ſecundò dignum obſeruatione eſt quod iecur in dyſcraſiā ſecundū vnā partē incidat, alia parte manente ſana: poteſt enim iecoris pars ſima affici intemperie frigida per conſenſum lienis, ventriculi & præcipuè cauſa ieiunij, manente tamen parte gibba ſana, & omninò illæſa.

11 Inter hepatis gibbam, & diaphragma, renes, & pulmones obſeruatur maxima ſympathia, quia vnico membro læſo aliud ſecundum partem viciniorem, primo in ſimilē paſſionem cadit; deinde totum afficitur: Gal. in 5. de locis aff. c. 7. habet hæc verba. *Per conſenſum à pulmone vel à ſepto tranſuerſo, vel à rene primò pars hepatis gibba afficitur: & tractu temporis totū iecur; addit, & nemo inficiabi[illegible] [illegible] ſit natura cōtentioſus, & indoctus* [illegible] in lib. contra Lycū tres proponū[illegible] [illegible] ſenſus, vicinitatis, operis familia[illegible] [illegible] vt qui eſt inter mammas, & vterū [illegible] ſenſus generis; familiaritatis, v[illegible] [illegible] inter ceruicem, & diaphragma pe[illegible] [illegible] os, & inter os vētriculi, & cerebrum [illegible] ſextum neruorum par: conſenſus iſte [illegible] patis cum diaphragmate, & renibus, & [illegible] lmone eſt vicinitatis; omne enim agēs [illegible] pproximatum paſſo multiplicat quantū [illegible] oteſt ſuam ideam, vt docet Ariſt. 1. de gene-

generatione. Notandum ſimiliter, partẽ hepatis gibbam poſſe affici intemperie præter naturam, ſana exiſtente ſima, quãuis non diu ob vicinitatem partium eiuſdem corporis poſſit perſeuerare ſana; Qui igitur iecur per conſenſum læſum à renibus vellet remedijs hepaticis ſanare hepar, tempus conterreret.

12 Inter vẽtriculum, & manus nullum eſſe conſenſum probat Gal. in libello aduerſus Lycum: ibi ait, tres eſſe partium humani corporis conſenſus; primum vicinitatis; ſecundum, operis familiaritatis, vt inter vterum, & mammas; tertium, eſſe conſenſum generis, qui obſeruatur in longitudine neruorum, venarum, arteriarum, & muſculorum; probat primò inter ſtomachum, & manus, nullũ eſſe conſenſum generis, quia nihil à ventriculo exoritur, quod ad manus perueniat; ſimiliter nullam eſſe inter ſtomachum, & manus operis familiaritatem; quia homo cui abſciſſa manus eſt, optimè poteſt cibũ conficere; neque conſenſus vicinitatis eſſe poteſt, vt patet, quare vaniſſima, & ineptiſſima fuit ſympathia ſtomaci cum manibus, vt putabat Lycus.

13 Inter cerebrum, ſeu ſpinam obſeruatur conſenſus cum toto corpore à Gal. 4. de locis affec. cap. 4. dum vitio cerebri, vel ſpinæ cõmunicatur toti, vel diuerſis partibus intemperies; hæc ſunt ferè Galeni verba. *Imbecillitas interdum cerebri vitio, interdum ſpinæ primariò laborãtis ob intemperiem toti, vel diuerſis partibus cõmunicata; quam vulgares Medici non cõprehendunt.* Sæpiſſimè accidit, quod ſumma imbecillitas motricis facultatis ſit introducta à cerebro, vel ſpina in muſculos mouentes brachia, vel pedes. Rudiores medici tamen non expendentes conſenſum, quem habet cerebrum, vel ſpina cũ muſculis applicant topica brachijs, & pedibus; nec vident, primariam affectionẽ ſæpiſſimè eſſe in ſpina, vel cerebro, & nõ in muſculis; quo modo verò poſſit digno ſci, an in ſpina, vel cerebro ſit primaria affectio, facilè patebit, ſi viderimus, eandem læſionem nõ ſolum pedibus, & brachijs eſſe communicatam; ſed etiam alijs partibus ſuperioribus, quæ ijſdem neruis ab eodẽ loco prodeuntibus irrigatæ ſint.

14. Inter cerebrum, & os ventriculi admirabilis obſeruatur conſenſus; vulnerato enim cerebro ſequitur vomitus; & læſo ſtomacho à bile, vel ab alia mordaci cauſa ſequitur capitis dolor; & aliquãdo epilepſia, vt Galenus retulit de iuuene illo gramatico; cauſa ſympathiæ eſt ſexta neruorum coniugatio, à qua prodit ſurculus nerueus veſtiens orificium ventriculi. Hinc Rudiores decipiuntur, dum læſo cerebro per conſenſum ſtomaci applicant ſtillicidia capiti, vel fonticulos brachijs; iſti enim meritò irridentur ab ijs, qui arcana anatomica poſſident.

15 Inter renes, ſtomachũ, & coxas obſeruatur conſenſus generis; quia quando quis patitur affectum nephriticũ, ſtatim vomitus, & torpor in coxis conſurgunt; conſenſus renũ cum ſtomacho fit, tum à neruis ſexti paris cerebri, qui renes, & ſtomachum veſtiunt; tum à peritoneo induente renes, & ventriculum; conſenſus verò renum cum coxis fit per ſextum fœmoris muſculum, qui à parte renũ ſubiecta exoritur; dum enim renes præ dolore, vel calore humoribus implentur aliquantum comprimunt dictũ muſculum, vnde torpor in coxis è directo reni læſo ſuboritur: Neque rectè ſentiunt Lãgius, & Iacotius, torporem in coxis nephriticorum fieri, quia venę, & arteriæ plus iuſto replentur, & repletæ comprimant fæmoris neruos. Reijciuntur, quia ſi ob cõpreſſionẽ neruorum fęmoris fieret torpor, non in coxis ſolum; ſed in toto pede obſeruaretur. His poſitis, ſi Medicus pro auferendo hoc coxarũ ſtupore applicaret inunctiones coxis, nõ ne medico anatomiæ perito moueret riſum? quia ſtupor eſt in fieri, & nihil indicat; quia paſſionem rerum inſequitur, vt umbra corpus.

16 Inter pleuram, & iugulum eſt conſenſus generis, quia pleura iugulo alligatur; ideò in pleuritide in iugulo aliquãdo magnus dolor excitatur, quãuis ibi nullus humor, neq; vlla mala diſpoſitio permaneat: dolor enim ibi fit, quia pleura ab inflammatione violenter diſtenditur, & dolor vbi eſt alligata fit; videas quantum à veritate recedant, qui putant, illam ſententiam ſemper eſſe veram; vbi dolor, ibi morbus; uera tamen eſt potius hæc; vbi ſudor ibi morbus, eſtque Hippocratis in aphoriſmis.

17 Inter neruos intercoſtales, & cubitũ, immò, & digitos ſummę manus conſenſus obſeruatur à Galeno 4. de loc. affect. 4. in caſu cuiuſdam laborantis peripneumonia vehementi: in hoc ægrotante ait, cubitum, & digitos manus habuiſſe difficultatẽ in ſenſu, & aliquando in motu: aitq; has læſiones prodire à læſis neruis, qui inter primum, & ſecundum intercoſtale ſpacium ſunt: refertque, hunc hominem citò fuiſſe ſanatum, adhibito medicamẽto, vnde nerui exoriuntur: hic cõſenſus eſt generis, quia nerui prodeũtes à ſpina, ſpacia irrigant intercoſtalia, & dein ad cubitos, & digitos deſcendunt: Qui tunc topica applicant cubito, & digitis, quando permanens diſpoſitio eſt in origine, vel in ſpatijs intercoſtalibus importunè id faciunt, & non ſine cubiti, & digitorum alioquin ſanorum detrimẽto.

18 Inter renes, & lienem Hippocr. in caſu Bionis 2. Epid. 2. 27. mirum obſeruat conſenſum: peccans enim humor occupans lienem in Bione per vrinam euacuatur, & inde melancholia liberatur cauſa huius ſympathiæ ſunt aterię, & venæ ſplenis; adſunt enim arteriæ à liene, quæ emulgentibus inſeruntur: quibus expurgantur lienoſi: Hinc Gal. 5. de v.p. & lib. aduerſus Eraſiſtratum docet, per arterias expurgari ſerum in renes: non enim arteriæ ſolum conſtitutæ ſunt gratia vitalium ſpirituum, verum etiam, vt expurgent per renes ſeroſa excrementa. Nos quoque ſuperius oſtendimus ex Hipp. Gal. & Ariſt. melancholiam abundare ſeroſitate; eamque per vrinam expurgari; ecce quomodo præcognita hac ſympathia inter renes, & lienem facilè diureticorum vſu lienoſi ſanari poſſint.

19 Inter renes, & diaphragma maximus adeſt conſenſus: quo fit vt aliquando in nephriticis ſuperueniat difficilis reſpiratio; medicus verſatus in anatomia facilè reperiet cauſam huius difficilis reſpirationis; quia ſcit faſciam, ſeu inuolucrũ exſtimæ ſuperficiei renum adnecti diaphragmati, quod, dum renes ſunt affecti, tenditur, & trahit deorſum diaphragma, vnde non liberè mouetur. Quis hoc conſenſu ignorato ſciet difficilem reſpirationem nephriticorum curare? auxiliabitur tamen emollientibus, quod fiet exhibitione olei amygdalini, & ſimilium.

20 Inter vmbelicum, & diaphragma adeſt hæc ſympathia: vaſa vmbelicalia poſt fætum editum degenerant in ligamentum, quod ſuſpendit iecur, & veſicam vrinariã: quod ſi exedatur, vel laxetur, vel ferro abſcindatur, ſtatim iecur concidit, neque diaphragma amplius attolli poteſt: vnde ſtatim apnæa fit, & ſimul repentina mors. Ferunt de Bragadeno Salaminis Pręſide, cui capto Cypro immaniſſimi Turcę exuerunt corium: atque vt aliquo horarum ſpacio ſic viuum inſpicerent vmbelicum non abſciderunt: ferunt, quod tandem illo ſecto, & abſciſſo extemplò expirauerit.

21 Inter renes, & inteſtinorum collum cõſenſus declaratur à Galeno 6. de morb. vul. comm. 1. vbi ait. *Colum renibus, & renes colo inteſtino committuntur per peritoneum*. Hinc eſt, quòd dolores renum aliquando tranſeunt in colicos, & verſa vice.

22 Inter renes, & ventriculum adeſt quoque conſenſus (præter illum peritonei, & neruorum) per venulas quaſdam prodeuntes ab adipoſa, dum ab emulgẽte ſiniſtra exoritur, quæ petunt partem ventriculi ſtomacho proximã, & in quodam cadauere ad fundum peruenire vidi, hinc poſtea per vniuerſam ventriculi regionẽ anteriorem apertè ſe diſpergere cernebatur, vnde patet cur Nephritici vomitu moleſtentur, & quomodo illorum dolores ſedari poſſint. Præterea hæc eadem venarum propago aliquando ſolet non in ventriculum, ſed in truncum venæ cauę ſe infigere ſub ſepto tranſuerſo, ad quod ab eadem emulgente dictarum venarum altera ſocia orta ſolet migrare, ob cuius conſortium forſan Nephriticis accidit difficilis reſpiratio.

23 Inter ſplenem, ſeptum, renes, & ventriculum eſt conſenſus, quia à ſiniſtra vena emulgente exoritur ſurculus, qui pereptat illam peritonei partem, quæ ſub inteſtinis iacet; deinde in multas propagines ſurculus dirimitur; quarum aliquæ ad ſeptum; interdum aliquæ ad ventriculum, vt dictum eſt; ab hoc aliquæ ex illis in ſplenis ſubſtantiam ſæpè diſſeminantur; ex hoc conſenſu patet, cur diuretica aliquãdo iuuent ſplenem, ſeptum, & ven-

ventriculum.

24 Inter pleuram, linguam, æſophagũ, & vẽtriculum adeſt maxima ſympathia; quia pleura peruenit ad linguam: ſimiliter ad linguam, & æſophagum ſe extendit tunica uentriculi. Propterea morbi, qui ſunt in thorace ob pleuræ conſenſum cum lingua, indicantur à uarijs linguæ affectibus. Similiter paſſiones ventriculi, & omnium viſcerum, quę peritoneo ſunt circumueſtita ex lingua agnoſcuntur: Hinc Galenus loquens in cap. 82. huius libri de ſignis futuræ ægritudinis inter cætera proponit hoc ſignum, quod minuatur conſueta cibi, vel potus delectatio: idem quoque euenit ob pleuræ paſſiones.

25 Inter ſtomachum, & cerebrum Galen. 5. aphor. agit de quodam adoleſcente, qui patiebatur conuulſionem per conſenſum ventriculi; quia in ipſo erat materia æruginoſa; cuius vapores petentes cerebrum, & maximè lædentes ſurculos nerueos veſtiẽtes orificium ſtomachi cõuulſionem efficiebant: vt primum tamen per vomitum educti ſunt æruginoſi ſucci ſtatim liberatur.

26 Inter partes dolentes, & imaginationem mira obſeruatur ſympathia: accidit enim, vt ſæpè aliquis conqueratur de dolore alicuius partis; nullo tamen dolore exiſtente in ipſa, de qua conqueritur; ratio huius eſt, quia dum aſſerimus, partem aliquam dolere; id non ſine diſcurſu profertur; quia ſi mens ægrotat ex Hippocr. 2. aphor. 6. nec dolores, nec labores ſentiuntur. Sed afferamus caſum pro hac re admirabilem; Cuidam tibia ob ſphacelũ fuit abſciſſa; ægro tamen neq; tunc admonito, neque poſt multos dies; Hic miſer poſt tibiam, & totum pedem amotum conquerebatur modo de dolore pollicis vel calcanei; ex hoc experimento animaduerti dolorem mẽte prius concipi; deinde per diſcurſum partem dolentẽ iudicari vel eſſe digitum pollicem, vel indicem; in hoc miſero forſitan dolores erãt in neruis ſupra tibiam, qui tamen reſpondebant, dum ſanus erat, tibiæ, & pedi.

27 Inter brachium, & clunes conſenſus obſeruatur; quia aliquando morbus poteſt eſſe circa os ſacrum, ſymptoma verò morbi in brachio; quartus enim muſculus brachij, qui oritur à dimidia parte oſſis ſacri ſcandens verſus axillas parti anteriori ceruicis humeri inſeritur; eiuſque officium eſt brachium deorſum trahere; cogita quantũ miraretur Empiricus anatomię inſcius, ſi videret dogmaticum applicando localia natibus auferre brachij ſymptomata, arbitror, quod adeo miraretur, vt fortaſſe ſuis ineptijs in poſterum non daret fidem.

28 Inter brachium, & thoracis vertebras eſt conſenſus, quia poteſt eſſe morbus circa quintam vertebram, & ſymptoma in brachio: poteſt enim contingere, vt brachium non poſſit adduci ad pectus quod munus pertinet ad primũ par muſculorum brachij; officium dicti muſculi fit merito nerui prodeuntis à quinta vertebra; ſi igitur facta fuerit aliqua anguſtia in nerui radice, brachium erit læſum, & morbus erit circa ſpinam; quid igitur Empiricus diceret, ſi Dogmaticus brachium redderet ſanum applicando localia quintæ vertebræ thoracis?

29 Inter digitos, & cubitum adeſt hæc ſympathia, vt digitorum motus amitti, uel diminui poſſint, cauſa morbi, non in digitis, ſed circa cubitum exiſtente, unde muſculi digitorum ſumunt initium; Chirurgos Empiricos uidimus, qui applicant hiſce olea digitis, quos ſi annorum centum inungerent, tempus, & oleum perderent. Quod diximus de ſummæ manus digitis; idem eſt dicendum de ſympathia, quæ eſt inter digitos pedis, & partem circa genu; unde muſculi oriuntur.

30 Inter os ſacrum, & penem adeſt conſpicuus conſenſus; Hinc accidit aliquando, morbũ eſſe in uertebris oſſis ſacri, & lumborum, eius ſymptomate apparente in pene; ratio deſumitur ab anatomia; quia à 2. & 3. uertebra oſſi ſacri, & à ſecunda lumborum mittuntur ad penem, nerui, qui ſi reſoluantur, in exordio circa uertebras, ſuccedat omnimoda penis intentigo Tunc qui applicaret remedia peni, & non articulationibus oſſis ſacri, & lumborum nihil omninò proficeret: ecce quod non ſufficit læſæ actionis cognitio, niſi ſciatur, vbi ſit primaria affectio.

31 Inter crura, & vertebras lumborũ adeſt conſenſus, quia accidit aliquando, vt morbus ſit circa vertebras lumborum,

rum, & eius ſymptoma in cruribus; audiamus Galenum 4. de locis affectis 4. vbi refert, quoſdam ſanatos fuiſſe, quibus vtrumque crus paululum erat reſolutum adaptato remedio lūbis, unde nerui adueniunt curibus. Adeſt vir in hac Ciuitate, cui reſoluta ſunt crura ob læſionem neruorum prodeuntium à lumbis, nulla in crurib. permanente alia mala diſpoſitione: medici tamē conuocati ab illo applicarunt tot medicamina cruribus, vt tandem affectus crurum, qui erat per cōſenſum, factus ſit per eſſentiam, & tandem reddiderunt morbum incurabilem, qui adaptatis remedijs lumbis, facilè poterat ſanari; ecce quid miſeri lucrentur Aegroti, dum conſulunt medicos anatomiæ ignaros.

32 Inter aures, & laryngem obſeruatur mirabilis conſenſus; quia vno læſo, alter quoque læditur; neque multi obmuteſcūt vt communiter creditur, quia nullam vocem addiſcere potuerint: ſaltem enim gemitus, ſuſpiria, & magnos fletus, in quos erumpunt infantes nuper nati ederent. Cauſa igitur eſt ſympathia per neruum quinti paris, à quo duo rami oriuntur; alter maior, qui inſeruit auditui: alter laryngi: vnico verò intrinſecè læſo, alter quoque trahitur in conſenſum, quia verò neruus auditorius eſt maior, ideò euidentior ſympathia, dum primaria affectio eſt in neruo auditorio, animaduertitur: omnes enim ſurdi ob læſionem intrinſecam, in prima generatione acquiſitam, & non ab externis cauſis, vt plurimum fiunt; quia oſſa conſtituentia aures ſunt denſiſſima, & ideò vocātur petroſa, & ſunt adeò dura, vt ab externis læſionibus maximè præſeruent neruum.

33 Inter oculos, & muſculos temporales eſt ſympathia, quia læſo illo muſculo, ſtatim oculi alioquin ſani trahuntur in conſenſum, & verſa vice: cauſa eſt, quia ſecundum par neruorum cerebri fertur ad quinq; muſculos oculis famulantes, & ad duos palpebram recludentes; & ramuli huius ſecundi paris ſimiliter inſeruntur in muſculum temporalem: ecce quod lædi poſſunt oculi, cauſa in temporibus permanente, & verſa vice.

34 Inter labia, & iugulum conſenſus eſt: Hinc aliquando labia ſunt læſa, quia non poſſunt obliquè deorſum trahi ob morbum occupātem iugulum: cauſa huius ſymptomatis eſt latus muſculus, qui oritur circa iugulum, cuius officium eſt trahere deorſum labia: ecce, quod ſymptoma poteſt eſſe in labijs, & cauſa circa iugulum: ſæpiſſimè enim in muſculorum exordio poteſt eſſe primaria affectio, quamuis non manifeſtetur, niſi in loco, in quem inſeruntur; & meritò, quia ibi muſculi videntur ſua officia explere: ſi igitur medici neſciant hæc arcana anatomica eſt impoſſibile, vt poſſint curare ægritudines.

35 Inter labia, & tertium par neruorum cerebri, & tertiam articulationem ceruicis eſt ſympathia: aliquando enim labia non poſſunt deorſum obliquè trahi ob cauſam exiſtentem vel in tertio pari neruorum crebri, vel circa tertiam vertebrā ceruicis: diximus in tertio pari neruorū cerebri: quia ramus tertij paris, qui unitur cum illo ramo quinti paris, qui tortuoſum neruū facit, ingreditur latum muſculum; quare illo ramo læſo, ſtatim muſculus in obeūdo ſuo munere deficit. Diximus quoq; radicem eſſe poſſe circa tertiam vertebram colli; quia ab hac prodit neruus, qui ingreditur hunc latū muſculum. His igitur præcognitis, facilè percipitur quomodo affectio primaria eſſe poſſit in iugulo, eius verò ſymptoma in labijs. Qui exacta cognitione anatomica erit ſpoliatus quomodo poterit penetrare, quod primaria affectio fuerit in cerebro, vel in ceruice? ſi neſciuerit à qua radice pendeant officia, & in quot partibus poſſit eſſe primaria affectio? quomodo illum curabit? qua arte, qua methodo? Audias qua arte, vt omnia penetrētur ſit incedēdum: ſi dum fuerit læſus latus muſculus, ſuo officio non fungatur: atque inſimul læſus muſculus tēporalis, & muſculi frontis, tūc inferre poteris, læſionem pendere à cerebro; ratio demonſtratiua eſt, quia tertium par neruorum cerebri, antequam perueniat ad latū muſculum, irrigat muſculum temporalem, & frōtis: demonſtratio deſumitur à Galeno 4. de locis affec. 4. vbi dicit, accidit, omnes muſculos lædi à communi cauſa: fieri etiam poteſt, vt neruus aliquis, qui muſculis illis communis ſit, afficiatur; ex multis enim

læſis officijs ſemper eſt neceſſariũ, vt aliquod primum ſit læſum, nerui, ſ. magna propago, vel cerebrum; Si verò videris cum læſione muſculi lati inſimul lædi muſculum dorſi ſeptimum,& octauum, quorum officium eſt extendere ſuperiorem partem dorſi; & lædatur quoque ſecundum par muſculorum capitis; cuius officium eſt trahere caput in partem poſteriorẽ,inde inferas,neceſſariò affectionẽ lati muſculi pendere à tertia colli vertebra; quia nerui ab hac prodeũtes antequã mittantur ad latum muſculum, mittuntur ad ſeptimum,& octauum dorſi,& ad ſecundum par muſculorum capitis.

Ecce quomodo Medicus anatomicus in perquirendis morbis, & cauſis ſæpè certitudinem matematicam ſibi comparat;ecce ſimiliter quantùm differant non dico Empirici, ſed rudiores Dogmatici à medico anatomico; tanta enim eſt differentia, quanta eſt (vt paucis concludam) inter lucem,& tenebras. Optimus Dogmaticus, ſi radix affectionis labiorum fuerit circa tertiam vertebram, adiunget ibi calorifica, vel quæ auferant ſcyrrhoſam diſpoſitionem,& breui ſanabit labia. Rudis Dogmaticus incipiet ouo: primo purgabit, & repurgabit corpora,laudabit ſtillicidia, vtetur decoctis, & omnia fruſtra efficiet; immò in perniciem ægrotantis curam diriget.

36 Inter maxillam inferiorem,& Brecma conſenſus eſt; aliquãdo enim inferior maxilla nõ poteſt conſtringi ob affectionem permanentem,vbi eſt brecma;cauſa eſt; quia muſculus temporalis,cuius officium præcipuum eſt frangere res duras, enaſcitur à brecmate, vbi eſt ſummũ ferè capitis faſtigium; morbi propè brecma, qui poſſunt munus hoc maxillæ diminuere ſolent eſſe durities relictæ poſt ſupputationem alicuius apoſtematis; vel vulnus aliquod tranſuerſim factũ ab hoſte, vel etiam à tonſore inerudito:ideò ſecundum rectam lineam, & non trãſuerſam vulnera dilatanda,& aperienda ſunt.

37 Inter maxillas,& cerebrum eſt conſenſus, quia aliquando accidit, muſculũ temporalem,cuius officium eſt conſtringere maxillam, & dentibus frangere res duras, ſuo officio priuari, vel diminui ob morbum non in maxilla, vel in muſculo temporali exiſtentem; ſed in origine tertij paris neruorum cerebri;vel in origine quinti; quando erit in origine tertij, ſic cognoſcetur: ab hoc pari mittitur prius propago nerueа ad muſculos oculorum, & deinde ad muſculos palpebras recludẽtes; & tandem idem ramus peruenit ad muſculũ tẽporalem,qui exercet officium mandendi, ſeu conſtringendi maxillam.

His poſitis ſic neceſſariò concludes; ſi omnes dicti muſculi læſi fuerint,neceſſariò eorum origo erit lęſa,ideſt vbi eſt tertium par. Probatur deniq; vbi eſt quintũ par eſſe primariam affectionem hac via; primò, prænoſcimus, ab hoc quinto pari oriri ramum nerueũ,qui flectitur verſus anteriorem partem ſerpẽtis inſtar, & ingreditur temporalem muſculum; deinde ſcimus,à quinto pari enaſci neruũ expãſum,qui efficit auditum. His poſitis dicimus,ſi cũ muſculo temporali fuerit lęſus auditus,primariã affectionem eſſe vbi eſt quintum par neruorum cerebri. Hinc eſt,quod Gal. 12. methodi cap. vlt. dicat, magnã eſſe ſympathiam inter auditum, & dentes; ſed de hac fusè egimus 2. lib. methodi vitandorum cap. 13.

38 Inter os,& ſeptimum par neruorum cerebri maximus conſenſus obſeruatur; quia aliquando quartus muſculus maxillæ amittit ſuum officium aperiendi os ob læſionem permanentem in origine ſeptimi paris neruorum cerebri,quod cognoſcetur; ſi cum hac maxillæ læſione concurrat quoque linguæ motus, & ſenſus læſus; Demonſtratio huius rei ex eo pendet; quia neruus inſeruiens huic quarto muſculo maxillæ enaſcitur à ſeptimo pari neruorum cerebri, & deinde per foramẽ obliquum occipitis egreditur, & ſcinditur in complures propagines, quarum maior diſcurrit ſub maxilla hac inferiori, vt os per muſculum aperiatur, & ad linguam quoque perueniant, vt motum,& ſenſum ei tribuat: hoc arcano concepto, quòd ſcilicet læſio quarti muſculi proueniat à ſeptimo pari neruorum, ſtatim penetramus, quod topica in propoſita maxillæ ægritudine ſint apponenda occipitio, qua neruus tranſit; Hinc nos iuuenem laborantem ſimili affectione cauterio inuſto occipitio ſanauimus, nihil maxillis applicantes.

39 In-

39 Inter brachia, & quintã vertebrem thoracis conſenſus eſt. Nos enim aliquãdo obſeruauimus in brachijs tale ſymptoma vt brachia non poſſent adduci ad pectus; officium adducendi brachia ad pectus pertinet ad primum muſculum brachij. Cauſa huius ſymptomatis tunc erat circa quintam thoracis vertebram. Via, qua in hanc cognitionem venimus, fuit hęc;obſeruauimus, quod præter propoſitum ſymptoma,non poſſent.ſ.attolli brachia, quod officium pertinet ad deltoidem,ideſt ad ſecundũ muſculum brachij: ſimiliter non poſſe trahi ſcapulas verſus pectus, quod officiũ pertinet ad primum ſcapulæ muſculum; neque brachiũ deorſum extendi, quod pertinet ad quartum muſculum brachij; ex his læſis officijs neceſſariò concluſimus, cauſam morbificã eſſe circa quintam vertebram thoracis; hancque cognitionem ex hoc anatomico arcano colligimus; quia à quinta vertebra thoracis egreditur neruus, qui antequam perueniat ad mammillas, ideſt ad primum muſculum brachij, prius irrigat deltoidem, & primum ſcapulæ, & quartum brachij: quibus omnibus læſis neceſſariò indicatur, radicem læſionis eſſe circa quintam vertebram thoracis.

40 Inter brachium, & femur manifeſta eſt ſympathia ob neruos lumborum;hinc multoties vidimus eodem tempore aliquem nõ poſſe ſine difficultate brachium deorſum extendere,& femur ſurſum trahere, cęterorum muſculorum illęſis officijs: horum ſymptomatum protopathia ſine anatomię ſtudio eſt omninò impenetrabilis; ſic percipitur; quartus muſculus brachij, cuius officium eſt trahere deorſum brachium, oritur à vertebris lumborum, & oſſis ſacri, & ab iiſdem vertebris oriuntur nerui, qui dant motum huic quarto muſculo brachij, & ſexto femoris;quare ſi iſti duo muſculi ſolum lædantur, dicendum eſt, affectionem primariã eſſe in origine neruorum prodeuntium à vertebris lumborum; ratio verò cur ibi, & non in capite locata ſit protopathia eſt, quia ſi eſſet in cap.non ſolum ſextus femoris, & quartus brachij, ſed muſculi vniuerſi corporis eſſent læſi.

41 Inter pectus, manus, & os ſacrum, & os illum conſenſus eſt: quia aliquando contingit,primariam affectionem eſſe in oſſe ſacro, eius verò ſymptomata in pectore, & manibus apparere;ratio ſympathię deſumitur ab hoc arcano anatomico: adeſt quartus muſculus thoracis, qui oritur ab oſſe ſacro,& ab interno oſſe ilium; ſcandenſq; per lumborum vertebras adhæret decem primis coſtis, quæ huius muſculi miniſterio arctantur cauſa conſtringendi thoracem reſpirationis gratia; tandemque implantatur ſeptimæ vertebrę ceruicis;facta igitur aliqua lęſione in exordio iſtius muſculi,vel propter humorum infarctum, vel ob habitum melancholicum, vel ob aliquam ſcyrrhoſam diſpoſitionem, admodũ diminutè, hic muſculus ſuum officium explet,vnde ità difficulter reſpirant,vt ſuffocari videantur. Similiter ob læſionem factam in origine iſtius muſculi manus, & brachia trahuntur in conſenſum; Ratio eſt, quia dictus muſculus inſeritur ſeptimę vertebræ ceruicis, vnde oriuntur nerui inſeruientes brachijs, & ſummis manibus; ſi igitur muſculus fuerit in ſuo exordio diſtenſus ab infarctu,vel alia mala diſpoſitione neceſſariò comprimentur nerui ceruicis, vnde ſtatim brachia,digiti ſemi ſtupore infeſtabuntur. Vidimus medicum in ſimili caſu applicaſſe vnctionem pectori, brachijs,& manibus non ſine magno aliquorum meorum diſcipulorũ riſu. Propterea væh illis,qui ſe committunt medico anatomiæ imperito, ſoleo hos comparare illis,qui,cum nunquam vidiſſent internam horologij ſtructuram, vellent, ſi motus ceſſaret cõſulere quid in ipſo ágẽdum eſſet. Hinc diuinus Gal. lib. de ſectis ad eos qui in; docet nullo modo internas ægritudines penetrari ſine corporum inciſione, ſine philoſophia, & dialectica; ſimiliter lib.de conſt.ar.med.cap.3. ait,artes aliquas eſſe,quæ res ipſas conficiunt, vt ædificatoria; alias verò, quæ reſarciunt labefactata ædificia; concludit ex neceſſitate quod ab vtroque artifice particulæ ſint prægcognoſcẽdæ, qua ſubſtãtia conſtent,qua figura, qua magnitudine,quo numero, & quam habeãt compoſitionem. Itidem addit, Deum & naturam eſſe inſtar illius, qui ædificium fabricatur. Nos verò eſſe inſtar illius, qui extructam domum contemplatur,& ali-

ſectionis,ſi quis ſquamulas meiat,indicari veſicæ ulcus,quod dictũ eſt de renibus veſica,inteſtino, & áſpera arteria do omnibus partibus vlcere correptis intelligẽdũ, hoc tamẽ ſuppoſito, quod ſi portiuncula excreta fuerit paruula, paruum affectũ,ſi magna magnũ ſit indicatura: Itidẽ ſi excreta partiũcula fuerit nigredine,uel mala alia qualitate infecta maligniorem ægritudinem enunciaturam dicimus.

Secundum genus excrementorum toto genere præter naturam eſt pus,uel per uomitum,uel per tuſſim eiectum; ſi per vomitum; dicimus ventriculum,vel æſophagum eſſe ulcere afflictum; agnoſcemus œſophagum eſſe affectum, ſi antequam cibus ingeſtus ſit in uentriculum, ſentiantur puncturæ;ſi verò poſt inmiſſum cibum ſentiantur dicimus,ulcus eſſe in ventriculo. Si per tuſſim,puris pauxilum egreditur,& puncturę ſentiantur in trachea, ibi erit ulcus; ſin minus, & pus copioſius ſit,ulcus erit in thorace. Similiter ſi uiderimus lotio pus eſſe valdè permixtum,tũc dicemus,renes eſſe affectos; quia maior diſtãtia efficit exactiorem per miſtionẽ:hoc tamẽ ſignũ non eſt omninò certum;quia etiã pus ulceris gibbæ partis hepatis vrinæ exactiſſimè miſcetur; ſitus igitur erit,qui tollet dubietatẽ:nam ſi dolor fuerit circa lũbos in rene; ſi in regione hepatis,vlcus erit in hepate.Itidẽ euacuatio aquę ſimilis carnis recẽs mactatæ indicabit,iecur eſſe lęſũ,et demũ citrinus color pariet certiſſimã hepat.ęgritudinẽ.

Tertiũ genus continet illa excreta,quę in locis affectis naturalitèr collocantur; veluti ſi vulnerabitur abdomẽ in parte epigaſtrica, & ex vulnere profluat cibus, vẽtriculum eſſe uulneratũm indicabitur. Similiter ſi uulnus fuerit circa pubem, & vrina egrediatur, uulnus erit in ueſica,ſi egredietur ſtercus,inteſtina erunt uulnerata; & ſic de alijs partibus obſeruandũ:

Notat Gal.ſe egiſſe de his tribus generibus excretorum plenius in tract. de locis aff.admonetq; neminẽ ante illum abſolúiſſe, & in artem redigiſſe tractatũ de cognoſcendis locis affectis;hacque occaſione omnes antiquos medicos paruifacere videtur; cũ multa inceperint pertinẽtia ad artẽ medicã; nunquã tamẽ perfecerint. Poſtremò ait ex libris de locis affectis eſſe ſumenda ſigna omniũ locorũ affectorum:eorum autẽ qui in ęgritudinem lapſuri ſunt, quorũ corpora neutra ſunt, & qui ſanitati ſunt reſtituendi, quorum corpora ſunt actu ęgrotantia,in præſenti lib. de his ait ſe uerba facere.

SEXAGINTA

Sympathia, & idiopathia humani corporis ex Gal. & anatomia arcanis deſumpta.

DIGRESSIO XCV.

HActenus Gal.tradidit methodum perquirendi locos patientes per ſigna deſumpta a doloribus, tumoribus, operationibus lęſis, & exeuntibus; Hancq; applicauit pręcipuis, & internis uiſceribus; omiſit tamen alias corporis partes minus principales;quia eadẽ methodo earum paſſiones non difficilè penetrari poterunt.Sed quia ex lęſis operationibus medicus in anatomia uerſatus facilè penetrare poteſt, quibus partibus affectus præter naturam per eſſentiã, uel per conſenſum conueniant;& in qua par ſit idiopathia, & protopathia, & in qua ſympathia tantum; nos propterea gratia facilitandi hoc negotium applicabimus Galeni methodum partibus præcipuis, præcipuèq; ex læſis partium officijs declarabimus quando paſſiones ſint primariæ,quando propriæ tantum,& quando per conſenſum.

Præſtat igitur, vt ante applicationem huius methodi: ex Gal. declarentur termini;primo enim de loc.aff.cap.3. diſtinguit idiopathiã à protopathia his verbis. *Contingit aliquando aliquem ſimul,& per conſenſum,& propria affectione laborare: cum in affecta particula per conſenſũ permanens ſit diſpoſitio; neque dicemus ipsã affici primario,ſed propriè,& ſecundario:* Ecce quod datur affectio permanẽs,quæ ſit propria,& ſimul per conſenſum, ſimiliter 4. methodi c.4. ait, ſi affectus adhuc ſit, licet ſit permanens, auſpicandam curationem à cauſa fouente. Itidem 7.methodi ait, ſi duo affectus ſint coniuncti, ut vnus ſine altero non auferatur, primò illũ ſine quo alter non tollitur, eſſe auferendũ;ecce quod nõ ſat eſt, membrũ ali-

quod

quod paſſionem preter naturam pati,ſed oportet ſcire an adhuc fiat, vbi ſit primaria affectio, vbi ſit ſaltem propria,& permanens ; quia ſine his medicus neque inunctionem leuiſſimam quidem applicare audeat oportet ; Vt igitur huiuſce doctrinæ veritas eluceſcat, mihi propoſui, exemplis à Galeno, experientia, & Arcanis anatomiæ deſumptis,eam clarã, & omnibus conſpicuam reddere.

1 Inter ſtomachum, & cerebrum conſenſus obſeruatur à Gal.1. de loc. affec.c. 6.in caſu illo famoſo iuuenis Grammatici,qui ob læſionẽ oris nentriculi in comitialẽ incidebat;hæc ſunt Gal. verba, *Grãmaticus quidam iuuenis quoties vehementer doceret, vel cogitaret, vel inediam ſuſtineret, & iraſceretur, comitiali morbo corripiebatur: addit per conſenſum ab ore ventriculi id eueniſſe*;hic iuuenis erat picrocholus,ideò protopathia,ſeu principalis affectio erat in iecore; idiopathia, ſeu propria effectio erat in orevẽtriculi,ſympathicus affectus,ſiue per conſensũ,quod idem eſt, erat in cerebro; præſeruabatur Galen. iuſſu à comitiali, ſtomachum corroborando vſu panis cum vino albo modicè aſtringente; ſympathia cum ex Gal. libello contra Lycum triplex ſit, alia generis,alia uicinitatis, & alia operis familiaritatis, hæc oris uentriculi cum cerebro eſt generis, quia ſextum par neruorum cerebri mittit quoque ad ſtomachũ eiuſdem generis propaginem nerueam, ſcilicet, qua ſenſus influitionis uẽtriculi.

2 Inter ſeptum,muſculos intercoſtales, & neruos conſenſus obſeruatur à Gal.4. de locis aff.4. in caſu illo famoſo de Athleta ſecũdo,qui ob ſepti trãſuerſi imbecillitatem ſine intermiſſione mouebat muſculos intercoſtales, ibi ait Gal. eſſe difficile explicatu, an imbecillitas pertineat ad muſculum ſepti, uel ad neruos, uel ad aggregatum ex vtriſque, poterat tamen in hoc caſu eſſe protopathia in ceruice à qua prodeunt nerui, qui inſeruntur diaphragmati, idiopathia in diaphragmate, & ſympathia in muſculis intercoſtalibus, qui medicus abſtuliſſet paſſionem ceruicis, facilè permanentẽ diſpoſitionẽ diaphragmatis,cuius eſſe adhuc erat in fieri, ſuperaſſet,qua ablata confertim ceſsaſset muſculorum intercoſtalium imbecillitas.

3 Inter ceruicem, & digitos ſummæ manus ſympathia obſeruatur à Gal.2. de loc.aff.c.6.& lib.3. c.ult. in caſu Pauſaniæ ſophiſtæ,qui dum Romam ueniret ex caſu è uehiculo percuſsus eſt circa ſeptimã ceruicis uertebram,unde amiſit ſenſationem trium digitorum, Gal. ait, ſe coniecturam feciſse,quod circa ſeptimam uertebram ceruicis facta fuerit diſpoſitio ſcyrrhota,à qua parte oriuntur nerui,qui ſenſum digitis afferunt, ideò Gal. ceruici remedijs localibus emollientibus applicatis liberauit Pauſaniam à ſtupore digitorum ſumma cum admiratione omniũ illorum medicorum, qui localia applicabant digitis, & non ceruici,protopathia erat in ceruice,ſympathia in digitis. Neque miretur quiſpiam,quod ſenſus partis deficiat manente illius motu illæſo, non enim ualet conſequentia,ablatus eſt motus, ergo ſenſus deficit, quia in epilepſia ſenſus tollitur, & non motus,ſimiliter in phreneticis motus ſunt uehementiſſimi, ſenſus tamen pereunt, ſimiliter dormientes mouentur, & non ſentiunt, immo Galen.2. de motu muſc.cap.4.ait, ſe ſomno oppreſsum integrum ferè ſtadiũ dormiendo confeciſse. In his obiectum ſenſus abeſt, obiectum uerò motus, id eſt fortis alicuius rei imaginatio adeſt. Neque neruorum uarietas ſenſum, & motum efficiunt, ſed idem neruus præſente motus obiecto mouet & non ſentit uerò abſente ſenſus obiecto, idem enim neruus reſpectu ſubſtantiæ medullaris ratione diuerſorum obiectorum mouet, & ſentit. Neque uera eſt Fernelij opinio 5. lib. ſuæ phyſiologiæ capit.10.dum ait,omnem motum à cerebri medulla prodire, ſenſum uerò à membranis,hæc enim opinio eſt contra Gal.7.de placitis cap.3. ubi ait,facultatem mouendi, & ſentiendi ſolum in cerebri medulla contineri, membranas uerò fuiſse inſtitutas ad ueſtiendam,& nutriendam medullam,idem dici debet de neruis. Quod uero opinio Fernelij reluctetur rationi, alibi egimus,neque hic eſt huius diſputationis locus.

4 Inter inſtrumenta uocis,& ceruicem conſenſus obſeruatur à Gal.1.de locis aff. cap.6.ubi refert,uocem cuidam fuiſse ferè amiſsam ob ceruicis leſionẽ ab externo frigore factam,hæc ſunt uerba. *Equidem*

dem vocem vitiatam fuiſſe memini, vt penè perderetur, infrigiditatis vehementer neruis recurrentibus, cũ per hyemẽ in opere quodã Chirurgico ceruix fuiſſet inciſa, quod cũ intelligerem, calorificis remedijs naturalem temperaturã neruis reſtituens, vocẽ reuocaui. Sympathicus affectus erat in vocis inſtrumentis: proprius, ſeu idiopathicus in neruis recurrentibus, qui inſeruiunt voci; protopathicus verò ſeu primarius in ceruice; qui verò auferet principalem, id eſt frigiditatem ceruici inſertam, facilè affectum proprium, qui eſt in neruis recurrentibus nõ valdè permanens, ſuperabit. Modum curationis ait Gal. fieri per applicationem calefacientium: calefacientia verò ſunt illa, quæ auferre poſſunt frigidam intemperiem ceruicis, & neruorum recurrentium: omnes enim actiones à temperatura ſolent prodire; ideò Gal. à corrigenda temperatura modum curationis deſumpſit. Empirici ſanè nunquam ſanaſſent, vt ſolent expectorantibus, ſaccharo, videlicet violato, liquiritia, & alijs innumeris vocem clarificantibus, quibus Noſtratũ plurimi ſępè ſine ratione vtuntur.

5 Inter ſternum, & laryngem in anginoſis obſeruatur conſenſus ab Hippocrate in prognoſticis, & coacis prænot; vbi hæc profert, ſi rubet ſternum in angina eſt ſalutare; ratio eſt, quia larynx ſarcina qua premebatur liberatur; neque obſtat, quod dictum eſt ab Hippocrate 2. epid. de muliere anginoſa decumbente apud Bitonem, quod licet habuerit pectoris ruborem; nihilominus quarto die perierit: Ratio eſt, quia rubor eſt ſalutaris, dum angina non eſt maligna: dũ enim eſt maligna, & rubor adſit, actum eſt de vita; malignitas enim non conſiſtit in humorum confluxu, ſed in mala qualitate. Rubor circa ſternum eſt affectus per conſenſum factus ob muſculi, qui à ſummo ſterno oritur, & in latera ſcutiformis inſeritur, continuitatem: affectus verò proprius eſt inflãmatio muſculorum laryngis: modus curationis deſumitur ab inflammatione, & à conſenſu illo ſterni, qui non auferendus, ſed confirmandus laxãtibus, vt inuitetur natura ad expulſionẽ per externam illam partem.

6 Inter cutem capitis, & ceruicem conſenſus obſeruatur à Gal. in caſu illo citato 4. de locis affectis 4. qui eſt de illo homine, cui defecit ſenſus pellis capitis, affectione primaria exiſtẽte in ceruice; ibi Gal. de hoc caſu loquens reprehendit medicos vulgares, qui, vt reſtituerent ſensũ cuti capitis, exulcerabant caput medicamentis calidis credẽtes affectum primarium eſſe in pericraneo; hæc ſunt verba Galeni. *Vulgares Medici vlcerauerunt caput medicamentis calidis putantes ſenſum ipſius laſũ, calidis poſſe reuocari; nec ſciebant locum primario affectum eſſe in ceruice.* Affectus per conſensũ erat in pericraneo: primarius erat in ceruice; quia ex primis vertebris ſpinæ quattuor nerui oriuntur, & aſcendunt ad caput, à quibus cutis ambiens caput recipit ſenſum; quod verò in ceruice fuerit protopathia, ex eo cognouit Galenus, quia intellexit, patientem ſub pluuia, & vento impetuoſo ambulaſſe; & circa ceruicem pallium fuiſſe madefactum, vnde ex illo frigore, & madore ceruix paſſa fuit intemperiem frigidam, & humidam hebetantem illorum neruorum ſenſum. Hinc ait Galenus, ſanata ceruice topicis calidis, ſtatim quoq; pellis ſanata eſt; quia pellis affectio inſequebatur affectionem ceruicis primariam, vt vmbra corpus; ecce quem fructum ex arcanis anatomiæ colligere poſſumus. Qui verò in hac arte ſemper inſiſtunt in genericis, vt noſtratum plurimi, non eſt mirum, ſi neque intelligãt, neque ſciant morbos curare; in eorum enim diſcurſu ſemper cõmittitur paralogiſmus, in quo ratio eſt communior quæſito.

Dũ vident aliquod ſymptoma perſeuerare non expẽdunt, an protopathia ſit in aliqua corporis parte externa, ſed ſtatim ſupponunt principalia viſcera eſſe læſa; & indè pharmacis, & phlebotomia miſeros ægros inculpatos vexant; quod erratum maximè reijcitur à Gal. 5. de loc. aff. c. 7. in caſu Steſiani, qui à Romanis medicis iudicabatur, quod hepatis abſceſſum pateretur; Gal. verò ex ſolo colore hepar illius eſſe ſanum agnouit; deinde ex arcanis anatomiæ percepit abſceſſum non hepar, ſed tranſuerſales muſculos abdominis in Steſiano obſidere.

7 Inter lienem, & ventriculum obſeruatur mirus conſenſus à Gal. 5. de locis

affect.

affect. vbi habet hæc verba. *Congeruntur excrementa in ventriculo, tum eius vitio, tum vitio aliorum viſcerũ, cum male habente liene ichores melancholici poſſint in ventriculum cõfluere, & ſymptomata melancholica excitare.* Ecce quod in hoc caſu à Gal. propoſito primaria affectio eſt in liene; affectio vero per cõſenſum in ventriculo; poteſt tamen ichor ſuâ mordacitate introducere intemperiem in ventriculum quæ tamen ſit morbus partim in fieri, & partim in facto eſſe; eius tamen affectio primaria ſit in liene. Qui igitur hæc ſymptomata melancholica vult curare non applicet ventriculo remedia; quia ſolũ curato liene tollentur vẽtriculi angores; quod fiet humorem præparãdo, illũq; extrahendo eleboro, vel hyrudinibus applicitis hæmorrhoidib. auertendo.

8 Inter ventriculum, & hepar obſeruatur conſenſus, dũ bilis iuſto plus confluit in ventriculum, vel per meatum felleum, vel per aliam viam; affectus proprius, & principalis eſt in iecore; illoq; ablato, ſtatim ceſſare ſolẽt vẽtriculi paſſiones; quomodò verò cognoſcatur, an hepar primariò læſum ſit, ex traditis à Gal. in capitibus ſuperioribus, & lib. 1. de loc. aff. cap. 5. & 2. cap. 9. facillimè dignoſcemus, ibi n. dicit, ſigna locorũ affectorum eſſe actionem læſam, excreta, ſitum accidentis, dolorum proprietates, & propria accidẽtia: Ego autem de modo diſtinguendi idiopathiam à protopathia fusè tractaui lib. 1. methodi vitand. capite vndecimo. Confert præterea in affectibus ventriculi dignoſcẽdis ad examen reuocare tres cauſas corruptionis ciborum à Gal. 1. de loc. affect. c. 3. traditas; quia in omnibus affectionibus ventriculi pernoſcendis mirificè inſeruient; ibi enim Gal. ait, tres eſſe generaliſſimas differentias corruptionis ciborum; primam eſſe, dum cibi corrumpuntur per proprios morbos ventriculi: ſecundam dum ob vitioſos humores, qui poſſunt à quolibet viſcere in ventriculũ mitti; tertiam ob prauas alimentorum qualitates. His poſitis dicimus, in prima tantum differentia ventriculum indicare curationem: in alijs nihil omninò indicare: immò Medicum applicantem remedia ventriculo alioquin ſano importunè ægrum vexare.

9 Inter caput, & hepar obſeruatur à Galeno conſenſus 2. de differ. feb. cap. vltimo, dum loquitur de catarrho; ait enim aliquando caput nil pati, ſed catarrhum fieri ob ſanguinem vitiatum; tunc ſi omnia præſidia, quæ humana mens excogitare poteſt, capiti applicares, tantum abeſt, vt aliquid opis afferres, ut maxima moleſtia ægrum afficeres.

10 Inter hepatis cõcauum, & ieiunum inteſtinum maximus obſeruatur vicinitatis conſenſus; 5. enim de loc. aff. c. 7. Gal. habet hæc verba. *Hepar afficitur per conſenſũ, vel lienis cauſa, vel ventriculi, vel inteſtinorum, & maximè cauſa ieiunij, & meſenterica venæ habitualis intẽperie refrigerare poſsũt omnes venas ſimarũ partiũ hepatis: vnde intemperata peruenit ad totũ iecur.* Primò notandum, Gal. admonere, ſimam iecoris partẽ maximè cauſa ieiunij trahi in cõſenſũ; quia vt ait 6. methodi c. 4. hoc inteſtinum iecori eſt maximè vicinũ; & eius tunica eſt prætenuis, vnde facilè eius paſſiones iecori communicat: ſecundò dignum obſeruatione eſt, quod iecur in dyſcraſiã ſecundũ vnã partẽ incidat, alia parte manente ſana: poteſt enim iecoris pars ſima affici intemperie frigida per conſenſum lienis, ventriculi, & præcipuè cauſa ieiunij, manente tamen parte gibba ſana, & omninò illæſa;

11 Inter hepatis gibbam, & diaphragma, renes, & pulmones obſeruatur maxima ſympathia, quia vnico membro læſo, aliud ſecundum partem viciniorem, primo in ſimilẽ paſſionem cadit; deinde totum afficitur; Gal. in 5. de locis aff. c. 7. habet hæc verba. *Per conſenſum à pulmone vel à ſepto tranſuerſo, vel à rene primo pars hepatis gibba afficitur: & tractu temporis totũ iecur; addit, & nemo ſuſcipiatur, niſi ſit natura cõtentioſus, & indoctus.* Ex Gal. in lib. contra Lycũ tres proponũtur conſenſus, vicinitatis, operis familiaritatis, vt qui eſt inter mammas, & vterũ, & conſenſus generis; familiaritatis, vt qui eſt inter ceruicem, & diaphragma per neruos, & inter os vẽtriculi, & cerebrum per ſextum neruorum par: conſenſus iſte hepatis cum diaphragmate, & renibus, & pulmone eſt vicinitatis; omne enim agẽs approximatum paſſo multiplicat quantũ poteſt ſuam ideam, vt docet Ariſt. 1. de gene-

generatione. Notandum ſimiliter, partē hepatis gibbam poſſe affici intemperie præter naturam, ſana exiſtente ſima, quāuis non diu ob vicinitatem partium eiuſdem corporis poſſit perſeuerare ſana; Qui igitur iecur per conſenſum læſum à renibus vellet remedijs hepaticis ſanare hepar, tempus contereret.

12 Inter vētriculum, & manus nullum eſſe conſenſum probat Gal. in libello aduerſus Lycum: ibi ait, tres eſſe partium humani corporis conſenſus; primum vicinitatis; ſecundum, operis familiaritatis, vt inter vterum, & mammas; tertium, eſſe conſenſum generis, qui obſeruatur in longitudine neruorum, venarum, arteriarum, & muſculorum; probat primò inter ſtomachum, & manus, nullū eſſe conſenſum generis; quia nihil à ventriculo exoritur, quod ad manus perueniat; ſimiliter nullam eſſe inter ſtomachum, & manus operis familiaritatem; quia homo cui abſciſſa manus eſt, optimè poteſt cibū conficere; neque conſenſus vicinitatis eſſe poteſt, vt patet, quare vaniſſima, & ineptiſſima fuit ſympathia ſtomaci cum manibus, vt putabat Lycus.

13 Inter cerebrum, ſeu ſpinam obſeruatur conſenſus cum toto corpore à Gal. 4. de locis affec. cap. 4. dum vitio cerebri, vel ſpinæ cōmunicatur toti, vel diuerſis partibus intemperies; hæc ſunt ferè Galeni verba. *Imbecillitas interdum cerebri vitio, interdum ſpinæ primariò laborātis ob intemperiem toti, vel diuerſis partibus cōmunicata; quam vulgares Medici non cōprehendunt.* Sæpiſſimè accidit, quod ſumma imbecillitas motricis facultatis ſit introducta à cerebro, vel ſpina in muſculos mouentes brachia, vel pedes. Rudiores medici tamen non expendentes conſenſum, quem habet cerebrum, vel ſpina cū muſculis applicant topica brachijs, & pedibus; nec vident, primariam affectionē ſæpiſſimè eſſe in ſpina, vel cerebro, & nō in muſculis; quo modo verò poſſit digno ſci, an in ſpina, vel cerebro ſit primaria affectio, facilè patebit, ſi viderimus, eandem læſionem nō ſolum pedibus, & brachijs eſſe communicatam; ſed etiam alijs partibus ſuperioribus, quæ ijſdem neruis ab codē loco prodeuntibus irrigatæ ſint.

14. Inter cerebrum, & os ventriculi admirabilis obſeruatur conſenſus; vulnerato enim cerebro ſequitur vomitus; & læſo ſtomacho à bile, vel ab alia mordaci cauſa ſequitur capitis dolor; & aliquādo epilepſia, vt Galenus retulit de iuuene illo gramatico; cauſa ſympathiæ eſt ſexta neruorum coniugatio, à qua prodit ſurculus nerueus veſtiens orificium ventriculi. Hinc Rudiores decipiuntur, dum læſo cerebro per conſenſum ſtomaci applicant ſtillicidia capiti, vel fonticulos brachijs; iſti enim meritò irridentur ab ijs, qui arcana anatomica poſſident.

15 Inter renes, ſtomachū, & coxas obſeruatur conſenſus generis; quia quando quis patitur affectum nephriticū, ſtatim vomitus, & torpor in coxis conſurgunt; conſenſus renū cum ſtomacho fit, tum à neruis ſexti paris cerebri, qui renes, & ſtomachum veſtiunt; tum à peritoneo induente renes, & ventriculum; conſenſus verò renum cum coxis fit per ſextum fęmoris muſculum, qui à parte renū ſubiecta exoritur; dum enim renes præ dolore, vel calore humoribus implentur aliquantum comprimunt dictū muſculum, vnde torpor in coxis è directo reni læſo ſuboritur: Neque rectè ſentiunt Lāgius, & Iacotius, torporem in coxis nephriticorum fieri, quia venę, & arteriæ plus iuſto replentur, & repletæ comprimant fæmoris neruos. Reijciuntur, quia ſi ob cōpreſſionē neruorum fęmoris fieret torpor, non in coxis ſolum; ſed in toto pede obſeruaretur. His poſitis, ſi Medicus pro auferendo hoc coxarū ſtupore applicaret inunctiones coxis, nō ne medico anatomiæ perito moueret riſum? quia ſtupor eſt in fieri, & nihil indicat; quia paſſionem rerum inſequitur, vt umbra corpus.

16 Inter pleuram, & iugulum eſt conſenſus generis, quia pleura iugulo alligatur; ideò in pleuritide in iugulo aliquādo magnus dolor excitatur, quāuis ibi nullus humor, neq; vlla mala diſpoſitio permaneat: dolor enim ibi fit, quia pleura ab inflammatione violenter diſtenditur, & dolor vbi eſt alligata fit; videas quantum à veritate recedant, qui putant, illam ſententiam ſemper eſſe veram; vbi dolor, ibi morbus; uera tamen eſt potius hæc; vbi ſudor ibi morbus, eſtque Hippocratis in aphoriſmis.

17 In-

17 Inter neruos intercoſtales, & cubitũ, immò, & digitos ſummę manus conſenſus obſeruatur à Galeno 4. de loc. affect. 4. in caſu cuiuſdam laborantis peripneumonia vehementi: in hoc ægrotante ait, cubitum, & digitos manus habuiſſe difficultaté in ſenſu, & aliquando in motu: aitq; has læſiones prodire à læſis neruis, qui inter primum, & ſecundum intercoſtale ſpacium ſunt: refertque, hunc hominem citò fuiſſe ſanatum, adhibito medicaméto, vnde nerui exoriuntur: hic cõſenſus eſt generis, quia nerui prodeũtes à ſpina, ſpacia irrigant intercoſtalia, & dein ad cubitos, & digitos deſcendunt: Qui tunc topica applicant cubito, & digitis, quando permanens diſpoſitio eſt in origine, vel in ſpatijs intercoſtalibus importunè id faciunt, & non ſine cubiti, & digitorum alioquin ſanorum detriméto.

18 Inter renes, & lienem Hippocr. in caſu Bionis 2. Epid. 2. 27. mirum obſeruat conſenſum: peccans enim humor occupans lienem in Bione per vrinam euacuatur, & inde melancholia liberatur cauſa huius ſympathiæ ſunt aterię, & venæ ſplenis; adſunt enim arteriæ à liene, quæ emulgentibus inferuntur: quibus expurgantur lienoſi: Hinc Gal. 5. de v. p. & lib. aduerſus Eraſiſtratum docet, per arterias expurgari ſerum in renes: non enim arteriæ ſolum conſtitutæ ſunt gratia vitalium ſpirituum, verum etiam, vt expurgent per renes ſeroſa excrementa. Nos quoque ſuperius oſtendimus ex Hipp. Gal. & Ariſt. melancholiam abundare ſeroſitate; eamque per vrinam expurgari; ecce quomodo præcognita hac ſympathia inter renes, & lienem facilè diureticorum vſu lienoſi ſanari poſſint.

19 Inter renes, & diaphragma maximus adeſt conſenſus: quo fit vt aliquando in nephriticis ſuperueniat difficilis reſpiratio; medicus verſatus in anatomia facilè reperiet cauſam huius difficilis reſpirationis; quia ſcit faſciam, ſeu inuolucrũ exſtimæ ſuperficiei renum adnecti diaphragmati, quod, dum renes ſunt affecti, tenditur, & trahit deorſum diaphragma, vnde non liberè mouetur. Quis hoc conſenſu ignorato ſciet difficilem reſpirationem nephriticorum curare? auxiliabitur tamen emollientibus, quod fiet exhibitione olei amygdalini, & ſimilium.

20 Inter vmbelicum, & diaphragma adeſt hæc ſympathia: vaſa vmbelicalia poſt fœtum editum degenerant in ligamentum, quod ſuſpendit iecur, & veſicam vrinariã: quod ſi excedatur, vel laxetur, vel ferro abſcindatur, ſtatim iecur concidit, neque diaphragma amplius attolli poteſt: vnde ſtatim apnæa fit, & ſimul repentina mors. Ferunt de Bragadeno Salaminis Pręſide, cui capto Cypro immaniſſimi Turcę exuerunt corium: atque vt aliquo horarum ſpacio ſic viuum inſpicerent vmbelicum non abſciderunt: ferunt, quod tandem illo ſecto, & abſciſſo extemplò expirauerit.

21 Inter renes, & inteſtinorum collum cõſenſus declaratur à Galeno 6. de morb. vul. comm. 1. vbi ait. *Colum renibus, & renes colo inteſtino committuntur per peritoneum*. Hinc eſt, quòd dolores renum aliquando tranſeunt in colicos, & verſa vice.

22 Inter renes, & ventriculum adeſt quoque conſenſus (præter, illum peritonei, & neruorum) per venulas quaſdam prodeuntes ab adipoſa, dum ab emulgéte ſiniſtra exoritur, quæ petunt partem ventriculi ſtomacho proximã, & in quodam cadauere ad fundum peruenire vidi, hinc poſtea per vniuerſam ventriculi regioné anteriorem apertè ſe diſpergere cernebatur, vnde patet cur Nephritici vomitu moleſtentur, & quomodo illorum dolores ſedari poſſint. Præterea hæc eadem venarum propago aliquando ſolet non in ventriculum, ſed in truncum venæ cauę ſe infigere ſub ſepto tranſuerſo, ad quod ab eadem emulgente dictarum venarum altera ſocia orta ſolet migrare, ob cuius conſortium forſan Nephriticis accidit difficilis reſpiratio.

23 Inter ſplenem, ſeptum, renes, & ventriculum eſt conſenſus, quia à ſiniſtra vena emulgente exoritur ſurculus, qui perreptat illam peritonei partem, quæ ſub inteſtinis iacet; deinde in multas propagines ſurculus dirimitur; quarum aliquæ ad ſeptum; interdum aliquæ ad ventriculum, vt dictum eſt; ab hoc aliquæ ex illis in ſplenis ſubſtantiam ſæpè diſſeminantur; ex hoc conſenſu patet, cur diuretica aliquãdo iuuent ſplenem, ſeptum, & ven-

ventriculum.

24 Inter pleuram, linguam, æſophagũ, & vẽtriculum adeſt maxima ſympathia; quia pleura peruenit ad linguam: ſimiliter ad linguam, & æſophagum ſe extendit tunica uentriculi. Propterea morbi, qui ſunt in thorace ob pleuræ conſenſum cum lingua, indicantur à uarijs linguæ affectibus. Similiter paſſiones ventriculi, & omnium viſcerum, quę peritoneo ſunt circumueſtita ex lingua agnoſcuntur: Hinc Galenus loquens in cap. 82. huius libri de ſignis futuræ ægritudinis inter cætera proponit hoc ſignum, quod minuatur conſueta cibi, vel potus delectatio: idem quoque euenit ob pleuræ paſſiones.

25 Inter ſtomachum, & cerebrum Galen. 5. aphor. agit de quodam adoleſcente, qui patiebatur conuulſionem per conſenſum ventriculi; quia in ipſo erat materia æruginoſa; cuius vapores petentes cerebrum, & maximè lædentes ſurculos nerueos veſtiẽtes orificium ſtomachi cõuulſionem efficiebant: vt primum tamen per vomitum educti ſunt æruginoſi ſucci ſtatim liberatur.

26 Inter partes dolentes, & imaginationem mira obſeruatur ſympathia: accidit enim, vt ſæpè aliquis conqueratur de dolore alicuius partis; nullo tamen dolore exiſtente in ipſa, de qua conqueritur; ratio huius eſt, quia dum aſſerimus, partem aliquam dolere; id non ſine diſcurſu profertur; quia ſi mens ægrotat ex Hippocr. 2. aphor. 6. nec dolores, nec labores ſentiuntur. Sed afferamus caſum pro hac re admirabilem; Cuidam tibia ob ſphacelũ fuit abſciſſa; ægro tamen neq; tunc admonito, neque poſt multos dies; Hic miſer poſt tibiam, & totum pedem amotum conquerebatur modo de dolore pollicis vel calcanei; ex hoc experimento animaduerti dolorem mẽte prius concipi; deinde per diſcurſum partem dolentẽ iudicari vel eſſe digitum pollicem, vel indicem; in hoc miſero forſitan dolores erãt in neruis ſupra tibiam, qui tamen reſpondebant, dum ſanus erat, tibiæ, & pedi.

27 Inter brachium, & clunes conſenſus obſeruatur; quia aliquando morbus poteſt eſſe circa os ſacrum, ſymptoma verò modo rbi in brachio; quartus enim muſculus brachij, qui oritur à dimidia parte oſſis ſacri ſcandens verſus axillas parti anteriori ceruicis humeri inſeritur; eiuſquè officium eſt brachium deorſum trahere; cogita quantũ miraretur Empiricus anatomię inſcius, si videret dogmaticum applicando localia natibus auferre brachij ſymptomata, arbitror, quod adeo admiraretur, vt fortaſſe ſuis ineptijs in poſterum non daret fidem.

28 Inter brachium, & thoracis vertebras eſt conſenſus, quia poteſt eſſe morbus circa quintam vertebram, & ſymptoma in brachio: poteſt enim contingere, vt brachium non poſſit adduci ad pectus quod munus pretinet ad primũ par muſculorum brachij; officium dicti muſculi fit merito nerui prodeuntis à quinta vertebra; ſi igitur facta fuerit aliqua anguſtia in nerui radice, brachium erit læſum, & morbus erit circa ſpinam; quid igitur Empiricus diceret, ſi Dogmaticus brachium redderet ſanum applicando localia quintæ vertebræ thoracis?

29 Inter digitos, & cubitum adeſt hæc ſympathia, vt digitorum motus amitti, uel diminui poſſint, cauſa morbi, non in digitis, ſed circa cubitum exiſtente, unde muſculi digitorum ſumunt initium; Chirurgos Empiricos uidimus, qui applicant hiſce olea digitis, quos ſi annorum centum inungerent, tempus, & oleum perderent. Quod diximus de ſummæ manus digitis; idem eſt dicendum de ſympathia, quæ eſt inter digitos pedis, & partem circa genu; unde muſculi oriuntur.

30 Inter os ſacrum, & penem adeſt conſpicuus conſenſus; Hinc accidit aliquando, morbũ eſſe in uertebris oſſis ſacri, & lumborum, eius ſymptomate apparente in pene; ratio deſumitur ab anatomia; quia à 2. & 3. uertebra oſſi ſacri, & à ſecunda lumborum mittuntur ad penem nerui, qui ſi reſoluantur, in exordio circa uertebras, ſuccedat omnimoda penis intentigo Tunc qui applicaret remedia peni, & non articulationibus oſſis ſacri, & lumborum nihil omninò proficeret: ecce quod non ſufficit læſæ actionis cognitio, niſi ſciatur, vbi ſit primaria affectio.

31 Inter crura, & vertebras lumborũ adeſt conſenſus, quia accidit aliquando, vt morbus ſit circa vertebras lumborum,

rum, & eius ſymptoma in cruribus; audiamus Galenum 4. de locis affectis 4. vbi refert, quoſdam ſanatos fuiſſe, quibus vtrumque crus paululum erat reſolutum adaptato remedio lũbis, unde nerui adueniunt cruribus. Adeſt vir in hac Ciuitate, cui reſoluta ſunt crura ob læſionem neruorum prodeuntium à lumbis, nulla in crurib. permanente alia mala diſpoſitione: medici tamẽ conuocati ab illo applicarunt tot medicamina cruribus, vt tandem affectus crurum, qui erat per cõſenſum, factus ſit per eſſentiam, & tandem reddiderunt morbum incurabilem, qui adaptatis remedijs lumbis, facilè poterat ſanari; ecce quid miſeri lucrentur Aegroti, dum conſulunt medicos anatomiæ ignaros.

32 Inter aures, & laryngem obſeruatur mirabilis conſenſus; quia vno læſo, alter quoque læditur; neque multi obmuteſcũt vt communiter creditur, quia nullam vocem addiſcere potuerint: ſaltem enim gemitus, ſuſpiria, & magnos fletus, in quos erumpunt infantes nuper nati ederent. Cauſa igitur eſt ſympathia per neruum quinti paris, à quo duo rami oriuntur; alter maior, qui inſeruit auditui: alter laryngi: vnico verò intrinſecè læſo, alter quoque trahitur in conſenſum, quia verò neruus auditorius eſt maior, ideò euidentior ſympathia, dum primaria affectio eſt in neruo auditorio, animaduertitur: omnes enim ſurdi ob læſionem intrinſecam, in prima generatione acquiſitam, & non ab externis cauſis, vt plurimum fiunt, quia oſſa conſtituentia aures ſunt denſiſſima, & ideò vocãtur petroſa, & ſunt adeò dura, vt ab externis læſionibus maximè præſeruent neruum.

33 Inter oculos, & muſculos temporales eſt ſympathia, quia læſo illo muſculo, ſtatim oculi alioquin ſani trahuntur in conſenſum, & verſa vice: cauſa eſt, quia ſecundum par neruorum cerebri fertur ad quinq; muſculos oculis famulantes, & ad duos palpebram recludentes; & ramuli huius ſecundi paris ſimiliter inſeruntur in muſculum temporalem: ecce quod lædi poſſunt oculi, cauſa in temporibus permanente, & verſa vice.

34 Inter labia, & iugulum conſenſus eſt: Hinc aliquando labia ſunt læſa, quia non poſſunt obliquè deorſum trahi ob morbum occupãtem iugulum: cauſa huius ſymptomatis eſt latus muſculus, qui oritur circa iugulum, cuius officium eſt trahere deorſum labia: ecce, quod ſymptoma poteſt eſſe in labijs, & cauſa circa iugulum: ſæpiſſimè enim in muſculorum exordio poteſt eſſe primaria affectio, quamuis non manifeſtetur, niſi in loco, in quem inſeruntur; & meritò, quia ibi muſculi videntur ſua officia explere: ſi igitur medici neſciant hæc arcana anatomica eſt impoſſibile, vt poſſint curare ægritudines.

35 Inter labia, & tertium par neruorum cerebri, & tertiam articulationem ceruicis eſt ſympathia: aliquando enim labia non poſſunt deorſum obliquè trahi ob cauſam exiſtentem vel in tertio pari neruorum crebri, vel circa tertiam vertebrã ceruicis: diximus in tertio pari neruorũ cerebri: quia ramus tertij paris, qui unitur cum illo ramo quinti paris, qui tortuoſum neruũ facit, ingreditur latum muſculum; quare illo ramo læſo, ſtatim muſculus in obeũdo ſuo munere deficit. Diximus quoq; radicem eſſe poſſe circa tertiam vertebram colli; qnia ab hac prodit neruus, qui ingreditur hunc latũ muſculum. His igitur præcognitis, facilè percipitur quomodo affectio pimaria eſſe poſſit in iugulo, eius verò ſymptoma in labijs. Qui exacta cognitione anatomica erit ſpoliatus quomodo poterit penetrare, quod primaria affectio fuerit in cerebro, vel in ceruice? ſi neſcinerit à qua radice pendeant officia, & in quot partibus poſſit eſſe primaria affectio? quomodo illum curabit? qua arte, qua methodo? Audias qua arte, vt omnia penetrẽtur ſit incedẽdum: ſi dum fuerit læſus latus muſculus, ſuo officio non fungatur: atque inſimul læſus muſculus tẽporalis, & muſculi frontis, tũc inferre poteris, læſionem pendere à cerebro; ratio demonſtratiua eſt, quia tertium par neruorum cerebri, antequam perueniat ad latũ muſculum, irrigat muſculum temporalem, & frõtis: demonſtratio deſumitur à Galeno 4. de locis affec. 4. vbi dicit, accidit, omnes muſculos lædi à communi cauſa: fieri etiam poteſt, vt neruus aliquis, qui muſculis illis communis ſit, afficiatur; ex multis enim

læſis officijs ſemper eſt neceſſariũ, vt aliquod primum ſit læſum, nerui, ſ. magna propago, vel cerebrum; Si verò videris cum læſione muſculi lati inſimul lædi muſculum dorſi ſeptimum,& octauum, quorum officium eſt extendere ſuperiorem partem dorſi; & lædatur quoque ſecundum par muſculorum capitis; cuius officium eſt trahere caput in partem poſteriorẽ,inde inferas,neceſſariò affectionẽ lati muſculi pendere à tertia colli vertebra; quia nerui ab hac prodeũtes antequã mittantur ad latum muſculum, mittuntur ad ſeptimum,& octauum dorſi,& ad ſecundum par muſculorum capitis.

Ecce quomodo Medicus anatomicus in perquirendis morbis, & cauſis ſæpè certitudinem matematicam ſibi comparat;ecce ſimiliter quantùm differant non dico Empirici, ſed rudiores Dogmatici à medico anatomico; tanta enim eſt differentia, quanta eſt (vt paucis concludam) inter lucem,& tenebras. Optimus Dogmaticus, ſi radix affectionis labiorum fuerit circa tertiam vertebram, adiunget ibi calorifica, vel quæ auferant ſcyrrhoſam diſpoſitionem,& breui ſanabit labia. Rudis Dogmaticus incipiet ouo: primo purgabit, & repurgabit corpora,laudabit ſtillicidia, vtetur decoctis, & omnia fruſtra efficiet; immò in perniciem ægrotantis curam diriget.

36 Inter maxillam inferiorem,& Brecma conſenſus eſt; aliquãdo enim inferior maxilla nõ poteſt conſtringi ob affectionem permanentem,vbi eſt brecma;cauſa eſt; quia muſculus temporalis,cuius officium præcipuum eſt frangere res duras, enaſcitur à brecmate, vbi eſt ſummũ ferè capitis faſtigium; morbi propè brecma, qui poſſunt munus hoc maxillæ diminuere ſolent eſſe durities relictæ poſt ſupputationem alicuius apoſtematis; vel vulnus aliquod tranſuerſim factũ ab hoſte, vel etiam à tonſore inerudito:ideò ſecundum rectam lineam, & non trãſuerſam vulnera dilatanda,& aperienda ſunt.

37 Inter maxillas,& cerebrum eſt conſenſus, quia aliquando accidit, muſculũ temporalem,cuius officium eſt conſtringere maxillam, & dentibus frangere res duras, ſuo officio priuari, vel diminui ob morbum non in maxilla, vel in muſculo temporali exiſtentem; ſed in origine tertij paris neruorum cerebri;vel in origine quinti; quando erit in origine tertij, ſic cognoſcetur: ab hoc pari mittitur prius propago nervea ad muſculos oculorum, & deinde ad muſculos palpebras recludẽtes; & tandem idem ramus peruenit ad muſculũ tẽporalem,qui exercet officium mandendi, ſeu conſtringendi maxillam.

His poſitis ſic neceſſariò concludes; ſi omnes dicti muſculi læſi fuerint,neceſſariò eorum origo erit læſa,ideſt vbi eſt tertium par. Probatur deniq; vbi eſt quintũ par eſſe primariam affectionem hac via; primò, prænoſcimus, ab hoc quinto pari oriri ramum nerueũ,qui flectitur verſus anteriorem partem ſerpẽtis inſtar, & ingreditur temporalem muſculum; deinde ſcimus,à quinto pari enaſci neruũ expãſum,qui efficit auditum. His poſitis dicimus,ſi cũ muſculo temporali fuerit læſus auditus,primariã affectionem eſſe vbi eſt quintum par neruorum cerebri. Hinc eſt,quod Gal. 12. methodi cap. vlt. dicat, magnã eſſe ſympathiam inter auditum, & dentes; ſed de hac fusè egimus 2. lib. methodi vitandorum cap. 13.

38 Inter os,& ſeptimum par neruorum cerebri maximus conſenſus obſeruatur; quia aliquando quartus muſculus maxillæ amittit ſuum officium aperiendi os ob læſionem permanentem in origine ſeptimi paris neruorum cerebri,quod cognoſcetur; ſi cum hac maxillæ læſione concurrat quoque linguæ motus, & ſenſus læſus; Demonſtratio huius rei ex eo pendet; quia neruus inſeruiens huic quarto muſculo maxillæ enaſcitur à ſeptimo parĩ neruorum cerebri, & deinde per foramẽ obliquum occipitis egreditur, & ſcinditur in complures propagines, quarum maior diſcurrit ſub maxilla hac inferiori, vt os per muſculum aperiatur, & ad linguam quoque perueniant, vt motum,& ſenſum ei tribuat: hoc arcano concepto, quòd ſcilicet læſio quarti muſculi proueniat à ſeptimo pari neruorum, ſtatim penetramus, quod topica in propoſita maxillæ ægritudine ſint apponenda occipitio, qua neruus tranſit; Hinc nos iuuenem laborantem ſimili affectione cauterio inuſto occipitio ſanauimus, nihil maxillis applicantes.

39 In-

39 Inter brachia, & quintā vertebrem thoracis conſenſus eſt. Nos enim aliquādo obſeruauimus in brachijs tale ſymptoma vt brachia non poſſent adduci ad pectus; officium adducendi brachia ad pectus pertinet ad primum muſculum brachij. Cauſa huius ſymptomatis tunc erat circa quintam thoracis vertebram. Via, qua in hanc cognitionem venimus, fuit hęc; obſeruauimus, quod præter propoſitum ſymptoma, non poſſent ſattolli brachia, quod officium pertinet ad deltoidem, ideſt ad ſecundū muſculum brachij: ſimiliter non poſſe trahi ſcapulas verſus pectus, quod officiū pertinet ad primum ſcapulæ muſculum; neque brachiū deorſum extendi, quod pertinet ad quartum muſculum brachij; ex his læſis officijs neceſſariò concluſimus, cauſam morbificā eſſe circa quintam vertebram thoracis; hancque cognitionem ex hoc anatomico arcano colligimus; quia à quinta vertebra thoracis egreditur neruus, qui antequam perueniat ad mammillas, ideſt ad primum muſculum brachij, prius irrigat deltoidem, & primum ſcapulæ, & quartum brachij: quibus omnibus læſis neceſſariò indicatur, radicem læſionis eſſe circa quintam vertebram thoracis.

40 Inter brachium, & femur manifeſta eſt ſympathia ob neruos lumborum; hinc multoties vidimus eodem tempore aliquem nō poſſe ſine difficultate brachium deorſum extendere, & femur ſurſum trahere, cęterorum muſculorum illęſis officijs: horum ſymptomatum protopathia ſine anatomię ſtudio eſt omninò impenetrabilis; ſic percipitur; quartus muſculus brachij, cuius officium eſt trahere deorſum brachium, oritur à vertebris lumborum, & oſſis ſacri, & ab iiſdem vertebris oriuntur nerui, qui dant motum huic quarto muſculo brachij, & ſexto femoris; quare ſi iſti duo muſculi ſolum lædantur, dicendum eſt, affectionem primariā eſſe in origine neruorum prodeuntium à vertebris lumborum; ratio verò cur ibi, & non in capite locata ſit protopathia eſt, quia ſi eſſet in cap. non ſolum ſextus femoris, & quartus brachij, ſed muſculi vniuerſi corporis eſſent læſi.

41 Inter pectus, manus, & os ſacrum, & os illum conſenſus eſt: quia aliquando contingit, primariam affectionem eſſe in oſſe ſacro, eius verò ſymptomata in pectore, & manibus apparere; ratio ſympathię deſumitur ab hoc arcano anatomico: adeſt quartus muſculus thoracis, qui oritur ab oſſe ſacro, & ab interno oſſe ilium; ſcandenſq; per lumborum vertebras adhæret decem primis coſtis, quæ huius muſculi miniſterio arctantur cauſa conſtringendi thoracem reſpirationis gratia; tandemque implantatur ſeptimæ vertebrę ceruicis; facta igitur aliqua lęſione in exordio iſtius muſculi, vel propter humorum infarctum, vel ob habitum melancholicum, vel ob aliquam ſcyrrhoſam diſpoſitionem, admodū diminutè, hic muſculus ſuum officium explet, vnde ità difficulter reſpirant, vt ſuffocari videantur. Similiter ob læſionem factam in origine iſtius muſculi manus, & brachia trahuntur in conſenſum; Ratio eſt, quia dictus muſculus inſeritur ſeptimę vertebræ ceruicis, vnde oriuntur nerui inſeruientes brachijs, & ſummis manibus; ſi igitur muſculus fuerit in ſuo exordio diſtenſus ab infarctu, vel alia mala diſpoſitione neceſſariò comprimentur nerui ceruicis, vnde ſtatim brachia, digiti ſemi ſtupore infeſtabuntur. Vidimus medicum in ſimili caſu applicaſſe vnctionem pectori, brachijs, & manibus non ſine magno aliquorum meorum diſcipulorū riſu. Propterea væh illis, qui ſe committunt medico anatomiæ imperito, ſoleo hos comparare illis, qui, cum nunquam vidiſſent internam horologij ſtructuram, vellent, ſi motus ceſſaret cōſulere quid in ipſo agēdum eſſet. Hinc diuinus Gal. lib. de ſectis ad eos qui in; docet nullo modo internas ægritudines penetrari ſine corporum inciſione, ſine philoſophia, & dialectica; ſimiliter lib. de conſt. ar. med. cap. 3. ait, artes aliquas eſſe, quæ res ipſas conficiunt, vt ædificatoria; alias verò, quæ refarciunt labefactata ædificia; concludit ex neceſſitate quod ab vtroque artifice particulæ ſint præcognoſcēdæ, qua ſubſtātia conſtent, qua figura, qua magnitudine, quo numero, & quam habeāt compoſitionem. Itidem addit, Deum & naturam eſſe inſtar illius, qui ædificium fabricatur. Nos verò eſſe inſtar illius, qui extructam domum contemplatur, & ali-

quid reſarcit; vterque igitur debet præ-noſcere qua magnitudine, qua ſubſtantia, qua figura, quo numero partes conditæ ſint, quæ cognitio ſolum ex anatomia comparatur.

42 Inter cubitum, & ſcapulam conſenſus eſt per primum muſculum cubiti; aliquãdo enim ſymptoma apparet in cubito, primaria affectione in ſcapula permanente; & meritò quia primus muſculus cubiti, cuius officium eſt flectere cubitũ, oritur in proceſſu ancyroide; dum verò accidit aliqua affectio in hac parte ſcapulæ, eius ſymptoma apparet in cubito. Rudiores applicant topica cubito; quia non intelligunt aliam partem cubitum mouere, quam ipſummet cubitum.

43 Inter cubitum, & ſextam vertebram ceruicis eſt ſympathia per neruos ceruicis. Hinc ſæpè contingit, vt cubitum non poſſit flecti ob morbum exiſtentem circa ſextam ceruicis vertebram: ratio eſt, quia neruus exhibens motum primo muſculo cubiti, cuius officium eſt flectere cubitũ, oritur à ſexta ceruicis vertebra: agnoſcemus verò hunc neruum in ceruice eſſe læſum; quando cæteri muſculi eodem neruo irrigati erunt læſi; cum igitur primus muſculus cubiti ſit hoc neruo irrigatus; deindeque idem neruus deſcendat vſque ad digitos, & præcipuè ſecundo articulo pollicis det motum, valebit conſequentia, cubitum non poteſt flecti nulla exiſtente cauſa manifeſta, & inſimul cũ hoc primo muſculo cubiti ſecundus articulus pollicis non fungitur ſuo officio, ergo ſi cubitum non poterit flecti, illud eueniet ob læſum neruum, qui oritur à ſexta vertebra ceruicis.

44 Inter ſecundos articulos digitorum manus, & humerum, rete, & collum eſt ſympathia per neruos; ratio eſt, quia muſculus flectẽs ſecũdos articulos quattuor digitorũ manus enaſcitur ab interno humeri tuberculo. Hinc eſt quod interno humeri tuberculo vulnerato, vel percuſſo digiti non poſſunt flecti; prætereà nerui, qui inueſtiunt dictum muſculum flectẽtem quattuor digitos pollice excepto oriuntur à tertio pari neruorum manus; ſed antequam ingrediantur hunc primũ muſculum prius peragrant per ſecundũ muſculum flectentem cubitum, & deinde inſeruntur in iſtum primum, de quo loquimur; poſt iſtum tandem peragrant per muſculos flectentes tertia oſſa quattuor digitorum, & tertiũ articulum pollicis. His poſitis talis formatur demonſtratio; non poſſunt flecti quattuor oſſa digitorum pollice excepto, & ſimul cubitum non flectitur, neque tertius articulus quinque digitorum, ergo morbus cauſans hæc læſa officia nullo modo poterit eſſe in digitis, neque in muſculo illo flectẽte digitos; ſed in altiori exordio, quod eſt in capite tertij paris neruorum manuum, quod par eſt commune omnibus dictis muſculis: oriturque immediatè ab illa neruorum rete; tamquã verò à trunco, uel ſtipite à ceruice. Eadem methodo Galen. incedit tertio, de loc. affectis 10. dum perquirit, cur Pauſania Sophiſta amiſerit ſenſum duorum digitorum ob læſam ceruicem: refertq; medicos ſui temporis fruſtra adiũxiſſe localia digitis Pauſaniæ, quia erant apponenda ceruici, vt ipſe fecit, ipſumq; ſanitati reſtituit ſumma cum aſtantium admiratione.

45 Inter tertia articula quattuor digitorum pollice excepto, & cubitum, & rete, & tertium, & quintum paria neruorum brachij adſunt conſenſus per muſculum, & neruos: inter cubitum, & tertia articula digitorum; quia à parte anteriori, & interna articuli cubiti oritur muſculus, qui deſcendens uſque ad digitos diuiditur in quattuor tendines, qui inſeruntur in tertia oſſa quatuor digitorum graria flectendi.

Rudiores medici, ſi tertia articula non poſſint flecti ob læſionem cubiti à caſu, uel ab ictu facta, inungunt digitos oleis lumbricatis, & ſimilibus uaniſſimis, quæ magnum anatomicis mouent riſum. Prætereà nõ poſſunt aliquando illa tertia internodica flecti cauſa læſionis exiſtente in neruorum rete, vel in tertio, & quinto paribus neruorum brachij: quod hac demoſtratiua methodo oſtẽditur; ſi muſculi, qui iiſdem neruorum ramis prius induantur, quã iſti, erunt læſi, ſicuti eſt muſculus flectens cubitum, & muſculi, qui iiſdem neruis irrigantur, ſed poſt iſtos, de quibus loquimur, qui mouent pollicem, valebit hæc conſequentia; non flectuntur tertia internodia quatuor digitorum, ergo

go morbus poteſt eſſe in tertio,& quinto paribus neruorum brachiorum; ergo poteſt eſſe morbus in mirabili neruorũ rete, uel in uertebris ceruicis; quo caſu non tertijs articulis digitorum remedia erunt applicanda, ſed ceruici, uel vbi oriuntur tertium, & quintum par neruorum brachiorum,uel ſub iugulo,vbi eſt rete; quæ cum ita eſſe poſſint,quid diceret Empiricus,ſi uideret, quod topica adaptata ceruici,uel vbi eſt rete motionem, uel ſenſationem digitis exhiberét? Hoc dogmaticus non mirabitur,quia idem Gal.præſtitit in caſu Pauſaniæ ſophiſtæ. Methodus verò,qua diſtinguitur, an primaria affectio digitorum ſit in collo, uel rete, uel cerebro hæc eſt; in collo,dum à collo uſque ad digitos officia muſculorum læſa ſunt: In rete,dum à iugulo infra, in cerebro, dum in toto latere ab oculis ad digitos læſio apparet.

46 Inter quattuor digitos pollice excepto, & externum humeri tuberculum, & quartum par neruorum colli mirificus obſeruatur cõſenſus; aliquando enim nõ poſſunt extendi quattuor digiti,primaria affectione exiſtẽte in externo humeri tuberculo. Ratio eſt,quia ab hoc loco oritur muſculus extẽdens quattuor digitos.

Præterea aliquando non poſſunt extẽdi,quia primaria affectio ſit in quarto pari neruorum colli, quod dat motum muſculo extendenti hos digitos. Methodus penetrandi,quando digiti non extenduntur ob morbum ceruicis, deſumitur à læſis aliorum muſculorum officijs; tunc .n. erit in ceruice morbus, quando deficient in ſuo munere muſculi flectentes, & extendentes cubitum, quia prius hi muſculi neruis prodeuntibus ab hoc quarto pari irrigantur, quam irrigetur muſculus extendens quattuor digitos propoſitos; ſimiliter deficiet in ſuo officio muſculus extendens brachiale, & muſculi præbentes motionem pollici, qui ab eodem neruorum ſtipite motum ſuſcipiunt: ecce quomodo ſymptoma eſſe poſſit in digitis eius verò morbus in ceruice.

47 Inter digitum minimum,humerum, rete,& collum obſeruatur ſympathia mirabilis; poteſt enim aliquando contingere,vt digitus minimus non poſſit ſeparari à reliquis digitis, vel ob tumorem exiſtentem in interno humeri tuberculo,vel etiam ob morbum exiſtentem in rete,vel in ceruice, vbi oritur quartum par neruorum; agnoſcetur eſſe ob morbum externi tuberculi humeri,ſi in digito nullus ſit humor, læſioque appareat in tuberculo externo humeri; poteſt tamen ab humero ad brachiale vbiq; eſſe ſymptomatis minimi digiti radix,quæ poterit externis ſignis comprehendi; ſimiliter in rete, vel ceruice poterit eſſe radix, quod cognoſces; ſi videris muſculos flectentes cubitum,& muſculum extendentem brachiale in ſuo munere deficere:Ratio eſt,quia nerui quarti paris neruorum prodeuntiũ à collo prius dant motum muſculis flectentibus cubitum,& muſculo extendenti brachiale, quam muſculo minimum digitum ab alijs ſeparanti.

48 Inter digitum indicem,cubitum, & ceruicem; confirmatur hæc ſympathia, tum experientia,tum anatomia:Experiẽtia,quia aliquando digitus index non poteſt extendi; cauſa tamen huius ſymptomatis aliquando exiſtente in cubito, & aliquãdo in ceruice. Anatomia,quia tertius muſculus externus, cuius officiũ eſt digitum indicem extendere,oritur à medio cubito, vbi eſt linea illa aſpera, & oblonga:Hinc læſo hoc muſculo in exordio remedia,pro digiti læſi ſanatione cubito, & non digito ſunt applicanda. Præterea in ceruice quoque poteſt eſſe cauſa ſymptomatis apparẽtis in indice, quod ſolus Anatomicus cognoſcet,quia optimè nouerit à quarto pari neruorũ manus oriri ſurculos veſtiẽtes hũc muſculũ, qui indicẽ extendit: atq; ab eodem trunco oriri nerueos ſurculos irrigãtes muſculos flectentes,& extendentes cubitum, & muſculos brachialis, & cæteros pertinentes ad extenſionem digitorũ: quare neceſſaria erit hæc cõſequentia; index nõ poteſt extendi, & ſimul cubitum nec flecti, nec extendi poteſt; itidẽ brachiale in ſuo officio deficit, ergo primaria affectio eſt in cõmuni trunco neruorum; in ceruice .ſ. vel rete erit primaria affectio: in ceruice ſi ſupra iugulum aliqua læſio obſeruetur; in rete tantũ,ſi à iugulo infra.Simili modo,dũ digitus pollex non poteſt extendi, poteſt videri an in cubito, vel ceruice ſit primaria affectio.Similiter de læſionibus

brachialis eadem methodo incedendum eſt; ſed quia exactiſſimè egimus de his c.29.& ſequentibus lib.2.methodi noſtræ vitandorum errorum;ideò hæc tanquam acta omittuntur; accedendum igitur eſt ad officia læſa tibiæ.

49 Inter tibiam,& ilia conſenſus obſeruatur,experientia,& anatomia: experiẽtia, quia aliquando contingit, vt tibia nõ poſſit trahi ſurſum verſus inguẽ alterius tibiæ ob morbum factum in ilibus, ideſt circa apendicem partis anterioris oſſis ilium. Cauſa petenda eſt ex anatomia; primus .n.tibiæ muſculus ille latiſſimus, & gracilis ab illa appendice exoritur, & tibiæ inſeritur; ſi igitur ob ſcyrrhoſam diſpoſitionem ob caſum ab alto factã,vel ob callum vulneris, uel inflammationis, facta ſit primaria affectio in muſculi exordio, ſtatim ſequitur tibiæ propoſita affectio; qui igitur non animaduertet, vnde pendeat hoc officium trahendi tibiam ſurſum,nunquam huius ſymptomatis radicem penetrabit; & per conſequens neſciet localibus dictam læſionem auferre.

50 Inter tibiã,& tertiam vertebrã lumborũ conſenſus maximus obſeruatur; tũ experientia,tum anatomia.Experientia, quia in tibia poteſt apparere ſymptoma, quod .ſ.non poſſit ſurſum verſus inguem trahi ob morbum exiſtentẽ circa tertiam vertebrã lumborum. Anatomia,quia vbi eſt hæc vertebra, oritur tertium par neruorum lumborum,quod deinde peruenit ad illã implicationem neruorum,quæ retis imaginẽ exprimit: quodq; tandẽ mittit ſurculum in primum tibiæ muſculum.

Modus verò penetrandi,quando tibiæ ſymptoma oritur à tertio pari neruorum eſt iſte; ab eodem trunco oritur neruus, qui dat motum non ſolum huic primo,de quo loquimur; ſed etiam ſeptimo,& nono muſculis tibiæ; quorũ munus eſt tibiã extendere ſecundum rectam lineam;ualebit ergo conſequentia: tibia non poteſt rectè extendi, quod munus pertinet ad ſeptimum, & nonum muſculum, & non poteſt trahi ſurſum verſus inguẽ alterius: & præterea nullus ictus, vel vulnus præceſſit,ergo cauſa læſionis tibiæ erit vbi oritur tertium par neruorum lumborum.

51 Inter tibiam, & partem anteriorem pubis non ſemel obſeruauimus tibiã non poſſe ſuperequitari, cauſa huius exiſtẽte in parte anteriori pubis prope cartilaginem,à qua parte oritur ſecundus muſculus tibiæ, cuius officium eſt tibiã ſupra tibiam deferre:quod ſolus Medicus anatomicus penetrabit;quia ſciet interrogare, an in exordio huius muſculi præceſſerit aliqua læſio ob caſum, vel præcedentem ictum,vel humorum decubitum. Similiter aliquando cõtigit,cauſam huius ſymptomatis eſſe circa quartam, & quintam vertebram lumborum;quod hac arte cognoſcetur: hic neruus lumborum antequam perueniat ad ſecundum muſculum tibiæ prius irrigat ſeptimum, nonum, & decimum femoris; deinde mittit ſurculos ad penem,meritò quorum neruorum ineſt peni motus voluntarius tum in extramittendo ſemen, tum in alijs officijs obeundis: & deinde ad ſecundum hunc tibiæ muſculũ:quãdo igitur videris vſum muſculi ſeptimi femoris,qui eſt trahere femur ſurſum, magis tamen introrſum, quã ſextus eſſe læſum: videriſque,eſſe læſum vſum noni, qui eſt femur in gyrum introrſum mouere, & decimi, cuius vſus eſt extrorſum in gyrum uertere,& ſimul cum his quintum femoris eſſe læſum,cuius vſus eſt femur extendere in rectum, vel in latum, & demum videris,penem aliquod officium amittere, tunc certiſſimè colliges morbum cauſantem propoſitum ſymptoma tibiæ pendere à communi trunco prodeunte à quarta, & quinta uertebris lumborum.

52 Tibiæ, coxendicis, & oſſis ſacri mirabilis eſt ſympathia, quod quidem probari poteſt experientia,& vi anatomica: experientia,quia ſæpè obſeruatur,tibiam non poſſe introrſum flecti ob morbum coxendicis,vel oſſis ſacri; vi anatomica, quia tertius muſculus tibiæ,cuius munus eſt introrſum flectere tibiam, oritur ab infima, & poſteriori appendice oſſis coxendicis:præterea conſenſus tibiæ cũ oſſe ſacro inde pẽdet;quia quartus neruus pedis, qui eſt omnium craſſiſſimus, & fortiſſimus fit ab vltimo neruo lumborum, & tribus ſequentibus ab oſſe ſacro prodeuntibus;& ab hoc trunco mittitur ramus ad primũ tibiæ muſculum, cuius vſus eſt trahere tibiam uerſus inguem alterius,& alios mittit ſurculos ad hũc tertium mu-

ſcu-

ſculum,de quo loquimur, & ad quartum tibiæ,qui tibiam flectit, & alium ramum ad quartum femoris, qui illud extendit, & in latus,& in gyrum mouet : ſi igitur uolueris ſcire, an hoc ſymptoma tibiæ, dum ſcilicet non poteſt inflecti introrſum, proueniat à trunco craſſiſſimo, cognoſces, ſi enarrati muſculi, qui irrigantur eadem neruorum ſobole in ſuis obeundis officijs deficiant; quia certiſſima demonſtratione confirmaberis.

53 Inter tibiam, coxendicem, & os ſacrum conſenſus alter:aliquando enim tibia nō poteſt flecti in rectum:cauſa ſymptomatis exiſtente in coxēdice, vel in oſſe ſacro:in coxēdice,quia muſculus quartus præſtans hoc officium flectendi in rectum oritur à coxēdice,& deſcendēs per femoris poſteriorem partem inſeritur in caput fibulæ, cuius officium eſt tibiam in rectum flectere:In oſſe ſacro,quia dictus muſculus hanc virtutem flectendi recipit à neruis prodeuntibus à quatto pari neruorum pedis,à quinta .ſ.vertebra lumborum, & à tribus foraminibus oſſis ſacri, vnde craſſiſſimus neruorum trūcus exoritur: agnoſcemus cauſas prædicti ſymptomatis eſſe circa os ſacrum; quia cū ab eodem neruorum trunco oriantur quoque rami veſtientes muſculum primum, tertium, & quintum tibiæ, & quintum femoris, inſimul cum hoc quarto erunt quoque læſi,& iſti: ecce quod ex læſis officijs facilè radices omnium ſymptomatum indagari poſſint.

54 Inter tibiam, & appendicem ilium, & os ſacrum: quia aliquando contingit, vt tibia nō poſſint in rectum extēdi à ſexto muſculo,ad quem pertinet huiuſmodi officium ob morbum exiſtentem in appendice illum cum extrinſeco latere; uel in oſſe ſacro : in appendice ilium,quia hinc oriuntur muſculi extendentes tibiā in rectum; in oſſe ſacro: quia primū par neruorum pedis, vbi exoritur non ſolum inueſtit hunc ſextum muſculum tibiç:ſed etiam primum,ſeptimum,& nonū:quare ſi viderimus primum tibiæ non fungi ſuo officio,quod eſt trahere tibiam verſus inguem alterius cruris, & viderimus ſeptimum, & nonum deficere in ſuo officio, quod eſt extendere tibiam per rectam lineam:ex his lçſis officijs pernoſces in origine primi paris neruorū eſſe cauſā huius ſymptomatis tibiæ,ideſt in oſſe ſacro, vbi exoritur primum par neruorum pedis:ſed quia de tibiæ officijs læſis diligentiſſimè egimus lib.2.methodi noſtræ cap. 36. & ſequentibus; ideò hic erat de hac re preſſius agendum.

55 Inter femur,& coccygem,os ſacrū, & ventrem eſt mirificus conſenſus: tum quia aliquando accidit femur non poſſe extendi ob læſionem factam in coccyge: tum quia primus muſculus femoris craſſiſſimus,qui clunes efficit, cuius munus, ſi operetur ſecūdum omnes fibras,eſt extendere in rectum femur:ſi cum ſuperioribus, vel decliuioribus, modo in vnam, modo in aliam partem extenditur,hic inquam muſculus oritur à dimidia appendice oſſis iliū,ab oſſe ſacro, & à coccyge, & inſeritur in maius trochātitium: ecce, quod vbi eſt actio læſa,ibi nō eſt morbus.

Præterea poteſt eſſe cauſa,cur non extendatur femur in primo neruorum pari oſsis ſacri; quia ab hoc neruorum trunco oritur neruus exhibens motum huic primo muſculo. Modus verò penetrandi quando in hoc trunco ſit cauſa ſymptomatis,deſumitur ex læſis officijs:illi enim nerui,qui veſtiunt hunc primum muſculum,irrigant ſeptimum femoris,cuius officium eſt trahere femur ſurſum fortiter flectendo magis introrſum, quam faciat ſextus muſculus:irrigantq; præterea muſculos ventris. Quare ſi videris officia primi muſculi, ſeptimi, & muſculorum ventris lædi, dicas cauſam dicti ſymptomatis eſſe circa os ſacrum,vbi oritur primum par neruorum pedis.

56 Inter femur, thoracem, & lumbos conſenſus obſeruatur:quia aliquando femur non poteſt trahi ſurſum, & moueri introrſum ob morbum exiſtentem inter vndecimam, & duodecimam thoracis vertebram,vbi oritur ſextus muſculus femoris, cuius munus eſt trahere femur ſurſum;in lçſo hoc femoris officio erit indagandū,an in vndecima,vel duodecima vertebris thoracis: vel etiam in prima,& ſecunda lumborum ſit aliqua diſpoſitio ſcyrrhoſa ob ictum facta,vel ibi ſit infarctus humorum, qui deinde comprimat primum par neruorum, & ob cōpreſſionem auferat motum primi, ſeptimi, &

non

non muſculorum tibiæ. Percipietur eſſe ibi infarctum ex quinque locis ſuperius traditis locorum affectorum.

57 Inter duodecimam vertebram thoracis, femur, & brachia eſſe poteſt cõſenſus; tum quia aliquando accidit, vt ſit humorum infarctus circa duodecimã vertebram thoracis, & ſymptomata appareant in femore, & brachijs; tũ quia anatomia docet enarratam ſympathiã; quia ſi fuerit infarctus, qui præmeret ſuper neruũ, qui mittitur ad ſextum muſculum femoris, ſymptoma apparebit in femore; quod cognoſcetur ex læſo officio ſexti muſculi; ſi verò infarctus humorum premeret quartum muſculum brachij, qui oritur ab oſſe ſacro, & inſeritur ſub axillis, cuius officium eſt trahere deorſum brachium, apparebit ſymptoma in brachio; ecce quã incommodè medicus non rectè verſatus in anatomia poteſt applicare remedia, & penetrare ſymptomatum radices.

58 Inter calcaneum, & quartam vertebram lumborum obſeruatur conſenſus, quem quotidie experientia videmus, & ſtudio anatomiæ cognoſcitur; experientia percipitur, quia ſæpè contingit, vt calcaneus non poſſit attolli, cauſa exiſtente circa quartam vertebram lumborũ; ſtudio anatomiæ; quia officium attollendi calcaneum pertinet ad tertium muſculũ pedis, ad primum, ad ſecundũ, & ad quartum; iſti tres muſculi recipiunt virtutem motricem à ſurculis quarti paris neruorum pedum. Modus cognoſcendi, quando calcaneus læditur ob morbum exiſtẽtem in lumbis, vel oſſe ſacro ex eo colliges, quia videbis omnes illos muſculos, qui ſuſcipiunt facultatem motricẽ ab eodem trunco, deficere in ſuis muneribus, & hi sũt primus, tertius, quartus, & quintus tibiæ, & quintus femoris, & quintus pedis, & illi muſculi, qui flectunt digitũ. Quid magis hoc exemplo poſſet confundere medicos imperitos anatomiç, quam videre ſymptoma in calce, & morbum eſſe circa lumbos?

59 Inter digitos pedis, & lumbos, & os ſacrum adeſt mirificus conſenſus, quia aliquando accidit, digitos pedis non poſſe extendi ob morbum exiſtentem in exordio quarti paris neruorum pedis, ideſt in lumbis; & oſſe ſacro. Methodus percipiendi hanc ſympathiam ſumitur ex eo, quod omnes muſculi, qui sũt irrigati ſurculis prodeuntibus, à quarto pari neruorum pedũ, erunt læſi; ſicuti ſunt muſculus primus, tertius, quartus, & quintus tibiæ, & quintus femoris, & tres primi, qui mouent pedem; de quorum officijs ſuperius egimus; ex quorum omnium muſculorũ læſione certiſſimè colligemus, radicẽ eſſe in inguine, à qua ſurculi nerui oriuntur. De alijs quoq; conſenſibus inter digitos, & os ſacrum egimus li. 2. noſtræ methodi, ideò eos ſilentio præterire maluimus.

60 Inter lumbos, & rectum inteſtinum conſenſus obſeruatur, quia experientia patet aliquando dolorem perſentiri circa lumbos, cauſa doloris exiſtente in recto inteſtino, & viceuerſa. Ratio ſympathiæ eſt, quia meſenterium, quod rectum inteſtinum, & alia continet alligatur vertebris lumborum.

CAPITIS LXXXII.

Particula I.

De ſignis neutrorum decidentiæ, & conualeſcentiæ.

Tex. 92. *Eorum igitur indicia quibus ægritudinis periculum imminet, mediam formam habent inter ea, quæ ſanis, & quæ ægrotantibus eueniunt: ſi quidem ſanis inſunt omnia ſecundum naturam inſunt, præter naturam verò ægrotantibus, quatenus ægrotant. In confinio autem horum ea, quæ ſunt corporum neutrorum indicia, quorum nonnulla quidem ſunt ex eorum genere, quæ ſecundum naturam, ſed vel qualitatibus, vel quantitatibus, vel temporibus permutata: quædam autem ex his, quæ præter naturã, ac minora his, quæ ægritudinis adſunt. Atque idcirco hæ quidem corporum diſpoſitiones, quæ in ægritudinem caſura monſtraui ſunt ex neutrorum genere, atq; vna ea, quæ ipſa indicant ſigna. Primo enim hac ſanitatem oſtendunt, ſecundo autem ægritudinem: & ſunt eadem ſigna ſecundum ad aliquid habitudinem neutra, & inſalubria, quæ quidem præſentem diſpoſitionem oſtendunt, neutra, quæ verò futurã præmonſtrant, inſalubria.*

CVm ſuperius Gal. egerit de ſignis ſalubribus, & inſalubribus: in hoc cap. agit

agit de ſignis corporis neutrius vt nunc: neutrum enim vt nunc duplex eſt aliud decidentię,& aliud conualeſcentiæ:prius agit de ſignis neutrius decidentiæ; deinde verò de ſignis conualeſcentiæ. Hinc etrare videtur Leonicenus,dum inſcribit hoc caput de ſignis futuræ ægritudinis; quia in neutro corpore collocantur quoque ſigna ſanitatis; dum enim corpus neutrum inclinare videtur in ægritudinem dicitur neutrum nunc decidentiæ; dum in ſanitatem dicitur neutrum nunc conualeſcentiæ.

In hoc tex.agens de ſignis decidentiæ, eum diuidit in tres particulas; in prima ponit hanc concluſionem; ſigna decidétiæ eſſe in medio ſecundum formam inter ea,quæ conueniunt ſanis ſecundum naturam, & quæ conueniunt ægris præter naturam.

In ſecunda particula ait, ſignorũ neutrorum nunc, quæ ſunt in medio; aliqua eſſe ſecundũ naturam,ſed cum receſſu in quantitate,qualitate, & tempore; aliqua verò præter naturam: ſecundum naturã dicuntur, veluti ſi quis cibum appeteret in quantitate maiori, in qualitate, & in tempore inſolito;hunc dicimus cum Gal. eſſe in ſtatu neutro declinante; tamen potius ad ſanitatem quam ad ęgritudinẽ: ſigna verò præter naturam inclinare potius ad ægritudinem; differre tamen ab ægrorum ſignis; quia hæc neutrorũ corporum ſigna licet deſumpta ſint ab ijs, quæ ſunt præter naturam, ſunt tamẽ minora, quam ægrotantium ſigna; exempli cauſa,dolor licet ſit exiguus,eſt ex ſe quid præter naturam: verum cum non adeò infeſtet,vt officiorum munera impediat; dicetur neutrum nunc decidentiæ habẽſque relationem ad ægritudinem.

In tertia particula infert ſigna hęc neutra nunc ob duplicem relationem habere duo ſignificata; primum eſt, dum habent relationem ad ſe: & hoc modo principaliter indicant hanc ſuam neutralitatem; ſecundum eſt, dum indicant ægritudinẽ futurã; ita vt eadẽ ſigna dici poſſint neutra demõſtratiua,& ægra & prognoſtica.

1 Dub.non videtur,quod ſigna decidẽtiæ, quæ ſunt quoq; neutra nunc ſint ex ſe in medio ſecundum formam, vt docet Gal.in tex. quia hæmorrhagia in Socrate erit ſignum decidentiæ: in Platone, qui erat ſolitus hæmorrhagiam pati,non erit ſignum decidentiæ, ſed ſalutis;idem dici poteſt de omnibus accidentibus: ergo nõ ſunt in medio ſecundum formam.

Reſpondetur, ſigna decidentiæ conſiderari in medio reſpectu vnius corporis, & non diuerſorum;dicimus enim eſſe in medio ſui ſani, & ſui ægri; ideò Gal. primo de diebus; erit, ait, vnum ſignum reſpectu vnius corporis poſſe eſſe neutrũ, reſpectu verò alterius ægrũ;ſi igitur hæmorrhagia fuerit ſignum neutrum nunc decidentiæ ſemper reſpectu illius corporis erit tale, quod non eueniet,ſi reſpectu diuerſorum conſiderabitur.

2 Dub.ait Gal.in tex.quæ inſunt ægrotantibus eſſe præter naturam, quod non videtur;quia in ægrotantibus ſæpè inueniuntur ſigna bona naturalia,& ſalubria, ſicuti naturalis appetitus edendi,optimus ſomnus, &c.

Soluitur hæc dubitatio à Gal.in tex. dũ ait,ea quę inſunt ęgrotantibus quatenus ægrotant eſſe præter naturam;dum in ægro eſt bonus appetitus, hoc ſignum non conuenit ægro quatenus ægrotat; ſed quatenus in appetitus inſtrumento adeſt ſanitas, & non ægritudo; idem dicimus de ſomno,& de alijs.

3 Dub. ait Gal. in tex. corpus neutrum indicare ægritudinem futuram, & neutralitatem pręſentem;quod non videtur, quia ex Gal.4.methodi 3.nihil indicat,niſi ſit præſens;cum igitur ægritudo in corpore neutro non ſit præſens;neq; indicabitur; indicatum enim & indicans ſunt relatiua,& ſimul tempore.

Preterea indicans vnum ex Gal.9.methodi 12.2.methodi 13.& lib.de opt. ſect. ad Traſyb.45. indicat vnum, & non plura: quare corpus neutrum non indicabit neutralitatem præſentem, & ægritudinem futuram.

Reſpondet Pluſquamcommentator, corpus neutrum indicare ægritudinem futuram, ſed non ex neceſſitate. Reijcitur,quia quod ex neceſſitate nõ indicat, dici non debet indicans. Reſpondemus, omnia ſigna,quę ſunt in neutro corpore per ſe primo indicare rem præſentem;ſecundariò verò, ſiue poſt mentalem aliquam meditationem,futuram.

4 Du-

4 Dubitatio ; ait Galen. in corporibus ſanis hæc tria ſigna prædicere ægritudinem futuram ; mutationem affectionum in quantitate,qualitate,& in tempore incongruo; exempli gratia , appetitus , vel eſt ſolito maior , vel minor , vel eſt ciborum peſſimæ qualitatis ; vel appetitus in tempore inſolito fit ; quod dicimus de appetitu, de omnibus actionibus , excrementis, & qualitatibus eſt intelligẽdum. His poſitis , non videtur , quod omnia ſigna,quæ præſagiunt ægritudines, ad hęc tria tantum reducẽtur;quia vitia in temperatura , & in conformatione morbos præſagiunt : attamen ad illa tria non reducuntur . Similiter mali humores præſagiunt malum futurum , & non reducuntur ad illa tria. Demum ſydera infauſta ſunt,quæ pręſagiunt morbos futuros,quare Gal.doctrina videbitur inſufficiens, & inepta .

Argenterius neſciens hæc puerilia dubia ſoluere Galenum reprehendit.

Solutio tamen eſt facillima ; quia dum ait, vitium in temperatura, & ſtructura indicare morbum futurum , primò dicimus,hanc temperaturam,ſeu ſtructuram vitiatam dignoſci per affectiones mutatas in quantitate,qualitate, & tempore.

Secundò dicimus , temperaturam , & ſtructuram ſi ſit præter naturam eſſe ipſoſmet morbos dignoſcendos, tamen per illa tria propoſita à Gal. ſi ſecundum naturam eſſe ipſammet ſanitatem dignoſcendam per immutabilitatem illorum trium à Gal. propoſitorum.

Dum verò addit Argẽterius , humores malos prædicere ægritudines , tunc dicimus,ex illis futurum morbum dignoſci,ſi peccauerint in quantitate, qualitate , vel tempore ; ecce quod ab his tribus ſignis propoſitis in tex. omnia hauriri poſſunt.

Poſtremò,dum dicit à ſyderibus infauſtis,vel fauentibus pręcognoſci morbum, vel ſanitatẽ futuram, delirat; nemo enim philoſophorum fidem pręſtat Aſtrologię; legat Ariſt. Platonem , Piccum Mirand. contra Aſtrologos ; legatque quæſt. 11. contra Aſtrologos in comm. noſtris in primam fen. Auicennæ , nunquam inueniet , quod à ſyderibus , & eorum figuris deſumant ſanitatis,vel futuri morbi euẽtus : cauſæ enim vniuerſales ſolum effectus vniuerſales,& non particulares efficiunt,dato etiam, & non conceſſo, quòd influxus cęleſtes ſint natura diuerſi à luminibus, quod defendi non poteſt; ſicuti nos contra Lucium Bellantium, philoſophor. auctoritate,& ratione probauimus.

5 Dubit. videtur in hac doct. contradictio : quia in 1. lib. Gal. per corpus neutrum intelligit neutrũ, quod eſt medium inter ſalubre,& inſalubre; in hoc cap.verò accipit neutrum inter ſanũ,& ęgrum: agit enim de neutro nunc conualeſcentiæ,& decidentiæ,quę ex Gal.lib.ad Traſyb. mediant inter ſanum , & ægrum , & nequaquam inter ſalubre , & inſalubre: iam probatum eſt ſuperius,inſalubre non eſſe in latitudine ægritudinis , ſed ſanitatis, quamuis malè ſanum ſit .

Solutio eſt facillima:quia neutrum duplex eſt; aliud mediat inter ſalubre,& inſalubre; aliud verò inter ſanũ, & ægrum: & ſic nulla eſt contradictio: Galen. enim volẽs totam artem medicam ad vnicam breuiſſimam definitionem referre , erat neceſſarium,vt perquireret nomina adeo æquiuoca,vt ſub ſe continerent tot ſignificata, quod ſufficerent pro explicatione totius medicinæ . Hæcque fuerunt illa tria ſalubre, inſalubre , & neutrum, quæ ſeptuaginta duo ſignificata totam artem continent.

6 Dubit. Gal. in principio huius ſecundę partis lib.proponit agendum de ſignis ſalubribus, inſalubribus , & neutris, demonſtratiuis , prognoſticis , & memoratiuis ; egit ſuperius de demonſtratiuis, in hoc loco verò de prognoſticis ; omiſit ergo ſigna memoratiua,quare diminutus .

Reſpondetur , Galenum non egiſſe de memoratiuis ; quia ad conſeruandum,& curandum corpus non conferunt. Secundò reſpondetur , memoratiua ſigna omnia reduci poſſe ad hæc tria prædicentia futurum morbum,quę ſunt quantitas, qualitas naturalis , mutata, & tempus incongruum.

CAPITIS LXXXII.
Particula II.

Tex. 93. *Eadem verò ratione , & quæcunque ægrotantibus ſigna ſalutaria apparent, dicentur quidem ſalubria,quia futurã ſanitatem*

tatê oſtendunt: dicentur etiam ægra quatenus præſentem oſtendunt ægritudinem. Neque in ambiguo eſt quod quæ ſunt vtrorumq; indicatiua neutra dicentur ſecundum vnum quoddam neutri vocabuli ſignificatum. Neq; verò mirari oportet eadē ſigna tres in diuerſis habitudinibus ſeruare rationes, quæ, & ſalubria, & ægra, & neutra dicuntur.

IN tex. ſuperiori Gal. oſtendit, quod ſigna, quæ ſunt in corpore neutro ægrotaturo poſſint reſpectu diuerſorum dici neutra, & ægra: neutra quatenus præſentem indicant ſtatum; ægra quatenus futuram ęgritudinem preſagiunt. In hoc tex. admonet, quod ſigna, quæ exiſtunt in ægrotantibus ob variam relationem dici poſſint ſana, ægra, & neutra.

Diuiditur tex. in tres particulas; in prima oſtendit dici poſſe ſana prognoſtica, & ægra demonſtratiua; ſana prognoſtica, quia præſagiunt futuram ſanitatem; veluti concoctio in ægrorum vrina dicetur ſignum ſanum prognoſticum: ægra demonſtratiua quatenus præſentem ſtatum indicat. In ſecunda addit hæc: eadem ſigna in ægrotantibus dici poſſe quoque neutra ſecundum aliud ſignificatum neutrorum; cum igitur tria ſint ſignificata, diſputabitur de qua intellexerit Gal. In tertia particula ait, non eſſe mirum, ſi ſignum vnum numero habeat diuerſas definitiones, ita vt idem ſignum poſſit dici ſanum, ægrum, & neutrum; quia vnum reſpectu diuerſorum uarias definitiones habere poteſt, alia enim eſt definitio hominis vt ſubſtantia, alia vt quantus, alia vt pater, vt qualis, &c. ecce quod vnaquæque res reſpectu diuerſorum poteſt habere centum definitiones; ſimiliter vnum ſignum dicitur neutrum; quia ſi erit in ægrotaturis erit neutrum; ſi idem ſignum præſagiet futuram ſanitatem, vt vrina concocta dicetur ſanum; Hinc ſputum pleuriticum dicitur ægrū; quia indicat ægritudinem, dicitur ſanum quatenus ſputum eſt concoctum, indicatque futuram ſanitatem.

CAPITIS LXXXII. Particula III.

Tex. 94. *Secundum verò alterum ſignificatū, quæcunque his qui à morbo referuntur inſūt, ſigna neutra appellamus, neque in alio ſignificato accipiunt eaque ſenibus inſunt, hac quidem omnia pluribus, & conceptibus, & rationibus ſubijciuntur. Quæcunque verò his qui integra ſanitate fruuntur, inter ſalubria tantummodo computantur. Et quæcunque ægrotantibus inſūt, neq; futuram prænunciant ſanitatem, ſoli & hac ægrorum conceptui ſubijciuntur. Sed de his quidem poſtea dicetur.*

EGit ſuperius de ſignis neutrius nunc decidentiæ. In hoc tex. tangit de ſignis conualeſcentiæ. Diuiditur hic tex. in tres particulas; in prima ait ſub eodem ſignificato contineri corpora neutra nunc conualeſcentiæ, ac ſenes. In ſecunda, quod omnia ſupplè quæ continent in ſe inditia futuræ ſanitatis cadant ſub pluribus conceptibus, & rationibus. In tertia dicit, quæ ſunt perfectè ſana eſſe ſolum ſub vno conceptu, ideſt, quod ſint ſana, & non ægra; ſimiliter, quæ ſunt adeo ægra, ut nullam ſpem ſalutis contingant dicantur ſolum ægra; illa verò, quæ ſunt neutra conualeſcentiæ ſunt cum ſpe ſalutis, ideò cadunt ſub multiplici conceptu, dicuntur enim neutra, quia futuram ſanitatem prænunciant; tandem ait in ſequentibus tractaturum de illis ſignis ægrotantium, quæ non præſagient futuram ſalutem.

1 Dubitatio ſtatim oritur ſub quo neutrorum ſignificato contineantur conualeſcentes, & ſenes.

Pluſquamcommentator ait, neutrum cōualeſcentiæ, & ſenes pertinere ad neutrum nunc primi ſignificati, quia ſi de conualeſcentibus ſermo fiat, ait, antequā perueniant ad optimam ſanitatem tranſire per medium, quod eſt per abnegationem extremorum, quod ſignificatum pertinet ad primum neutrius; idem dicit de ſenibus.

Reiecta eſt à nobis eius opinio in propria quæſtione; quia neutrum primi ſignificati eſt in latitudine ſanitatis, conualeſcentes uerò, & ſenes, & neutra decidentiæ participant ægritudinem.

Præterea Gal. lib. de conſtitutione artis cap. 19. habet, in neutro decidentiæ eſſe aliquid cauſæ morbificæ, ſimiliter dice-

ce-

cemus, in neutro conualeſcentiæ eſſe aliquid cauſæ morbificæ: deſinentis tamen.

Probatumque eſt à nobis in propria quæſtione in principio libri cap. de neutris, primum ſignificatum neutrius eſſe medium inter ſaluberrimum, & inſaluberrimum intelligendo per inſaluberrimum corpus non ęgrum, ſed male ſanū: quare cum in hoc loco Gal. agat de neutro, quod mediat inter ſanum, & ægrum nullo modo hęc neutra conualeſcentiæ, & decidentię, & ſenes ipſi reducentur ad neutra primi ſignificati: ſed ad ſecundi.

Inſuper patet, neutra nunc conualeſcentiæ, decidentiæ, & ſenes reduci ad neutra nunc ſecūdi ſignificati, quia participant de extremis, ideſt de ſanitate, & morbo, vt colligitur etiam in hoc cap.

Præterea quod corpora conualeſcētia medient inter ſanum, & ægrum, Gal. nos docet lib. ad Traſyb. cap. 7. & 5. de tuenda val. c. 4. illa enim vocat ſana in affectione, & non in habitu; quod verò ſenes ſint neutra nunc vt conualeſcentes clariſſimè Gal. in tex. ſuperiori fatetur, vbi dicit ſub eodem ſignificato contineri conualeſcentes, & ſenes. Valeant igitur qui putant, conualeſcentes reduci ad neutrum nunc primi ſignificati; ſed quia fuſius contra Altimar., Pluſquamcommentatorem, & Saluum Sclanum egimus ſuperius, ideò ne acta agere videamur, hæc omittenda ſunt.

Oddus volens interpretari quod intelligat Gal. in hoc tex. per alterum ſignificatum ait, nō intelligere aliquod neutrum ex tribus propoſitis in prima libri parte; ſed aliquod aliud diuerſum: Quod verò ſit declarat dicens, dari à corpore ægro ad perfectum ſanitatem quatuor diſpoſitiones; primam quarum eſſe ægritudinem; ſecundam eſſe corpora conualeſcētia, quæ ſunt debilia, & indigent refectione, tertium eſſe conualeſcentia corpora, quæ nō amplius indigent refectione, nō tamen adhuc acquiſiuere optimū habitum: Quartum eſſe perfectum habitum; poſita hac diſtinctione ait, Gal. intelligere neutrum horum ſignificatorum, de quo ſuperius nihil dictum eſt. Si rectè percepi hanc Oddi explicationem riſum mouet; quia quid aliud eſt ſecunda, & tertia illa diſpoſitio, quam conualeſcentia? quare ſi conualeſcentia ex illius ſententia participat extrema erit neutrum ſecundi ſignificati illorum trium neutrorum: ſi non participat, erit primi ſignificati: quare nihil noui adfert, niſi melius ſe explicet.

CAPITIS LXXXII.

Particula IV.

De Signis Decidentiæ.

Tex. 95. *Nunc quæ futuram præmonſtrant ægritudinem, prius exequamur. Cum verò ſit eorum differentia duplex, prius ea pertractemus, quæ quantitatibus, qualitatibus, temporibus, non autem proprijs ſpeciebus ab eo, quod ſecundum naturam, euariant; veluti ciborum appetentia intenta vel diſſoluta, aut quæ non ſeruet tempus conſuetum, aut quæ ad edulia non vſitata feratur, aut excretiores cibi ſuperfluitatum, quæ aut pauciores, aut plures, aut humidiores, aut duriores exiſtant. Sic humidorum excrementorum vel defectus vel ſuperabundantia præter conſuetudinem naturalem, aut in colore; aut in conſiſtentia varietas aliqua, aut in tempore excretionis, & vigiliæ plures, ac ſomnus, aut nō conſueto tempore. Eodem modo potus pluris, aut paucioris, calidi, aut frigidi, inſolens appetitus: ſicuti & circa rerum venerearum vſum immodica, aut intempeſtiua concupiſcentia, & plures, aut pauciores ſudores his qui ſint opportuni, & ad motus torpor, aut ſi moueri tentauerint grauitas, aut vehemens exſolutio menſtruorum occultatio, vel immodica, aut diminuta euacuatio. Sic & quæ per ora venarum Græci hæmorrhoidas appellant, fit ſanguinis effuſio, ſed non eadem quæ prius in cibo, potuq; voluptas, ſunt futuræ indicia ægritudinis hebetudoq; animi non naturalis, aut obliuio quædam inconſueta, aut ſomni, qui pluribus imaginationibus abundant, quā prius auditus, & odoratus viſuſvè hebetiores, aut turbulentiores. Et vt ſimpliciter dicam quæcunq; ſecundum naturam inerant, hæc quidam augumenta, hæc verò comminuta, hæc verò temporibus quibuſdam, aut qualitatibus immutata. Si quidem & ipſius corporis moles, aut maior, alba aut magis rubra, quem admodum liuidior, aut nigrior ructuſque, ac ſternutamenta, & flatus plures, aut pauciores his qui*

qui ſecundum naturam: ſic & quæcunque per nares, vel palatum, vel aures, per quos meatus cerebrum, expurgatur, vel temporibus, vel quantitatibus, vel qualitatibus immutata: Hæc igitur omnia ex genere eorum ſunt, quæ ſecundum naturam.

PRopoſuit Gal. in text. ſuperiori duos fontes, à quibus hauriuntur ſigna prædicentia futuras ægritudines; alter eſt, quod ea, quæ inſunt ſecũdum naturã ſanis corporibus, ſi futuras ægritudines indicare debent, mutentur in quantitate, qualitate, & tempore inſolito fiant: alter fons, quod ea, quæ inſunt ſanis ſint præter naturam, ſed hac lege, vt ſint minora, quàm quæ ægrotantibus conueniat.

In hoc tex. proponit ſexdecim ſigna futuræ ægritudinis, quæ prodeunt à primo fonte, ideſt ab his, quæ inſunt ſanis ſecundum naturam, facta tamen aliqua mutatione in quantitate, qualitate, vel tempore cõſueto: traditque Gal. tot exempla ſignorum naturalium mutatorum ſecundum qualitatem, quãtitatem, vel tempus, vt tex ſit clariſſimus, & alia non indigeat explicatione: eius tamen artificium in dubiorum ſolutione explicabitur.

1 Dubit. Gal. ſuperius docuit ſigna indicantia bonam, vel malam conſtitutionem deſumi à tribus fontibus, videlicet à ſubſtantialiter inhærentibus, ab operationibus, & caſibus; in hoc loco tamen, vbi agit de ſignis futuræ ægritudinis proponit ſolum ſigna deſumpta ab operationibus, & caſibus; de ſubſtantialiter verò inhærẽtibus ne verbũ quidem; ſubſtantialiter inhærentia ſunt, quæ pertinẽt ad prædicata primi modi dicendi per ſe; exempli gratia, caliditas prædicatur de intemperie calida in primo modo: ſimiliter frigiditas de frigida, & ſic de alijs; deinde anguſtia prædicatur de obſtructione, coaleſcentia, ſubſidentia, compreſſione, & occluſione in primo modo: de his ſignis cum Gal. non egerit, videtur à ſe ipſo valde diſcrepans, & alienus.

Reſpondetur, ſigna deſumpta à ſubſtãtialiter inhęrẽtibus, vel eſſe clara, & ſenſibus ſubiecta, vel non; ſi primo modo dicimus, illa nõ mereri, vt in catalogo ſignorum collocentur: ſi verò nõ ſubijciantur, dicimus, eſſe occulta & nullo alio modo poſſe declarari, quam per operationes, & caſus: ideò de ſubſtantialiter inhærentibus ne verbum quidem fecit; quis eſt ille, qui in luxato, vel in ſexto digito, & in polypo quæreret ſigna? in anguſtia ex apoſtemate manifeſto? in intemperie feruentiſſima, quæ tactui eſt clariſſima, quęreret ſigna? omnia enim hæc ſunt ſubſtãtialiter inhærẽtia. Præterea poteſt reſpõderi, quod ſub qualitate, quantitate, & tẽpore inſolito omnia tria ſigna collocentur; dum verò addunt, exempla Gal. ſolũ eſſe de operationibus, & caſibus, dicimus, Galen. non propoſuiſſe exempla ſignorum ſubſtantialiter inhærentium; quia erant ex ſe conſpicua, & manifeſta.

Primum exemplum Gal. eſt de appetitu; ait in tex. si appetitus fuerit ſolito intenſior, vel remiſſior; vel ad qualitates inſolitas, vel tempore inſolito, tunc illud corpus, ait, appellari neutrum nunc decidentiæ quia facilè in ægritudinem prolabi poteſt.

Cauſa intenſioris appetitus attribuitur humori melãcholico, vel totius corporis reſolutioni factæ à nimia caliditate. Cauſa remiſſioris appetitus eſt debilitas coctionis, quæ, vel ob læſam facultatem, vel errorem externum fit; quam doctrinam nos declarauimus cum Gal. 1. lib. methodi noſtrę, & ſuperius; cauſa cur appetitus fiat ad inſolita, colligitur à contraria diſpoſitione; si enim appetimus humidiora, factus eſt siccus: ſiccitas enim ſalſedinis ichoris in hydropico efficit intenſiorem ſitim.

2 Dubitatio, appetitus intenſus non significat corpus neutrum nunc decidentię, ſed corpus actu ægrum; non ne pica, & malachia, qui ſunt appetitus intenſi edendi, ſunt affectus præter naturam?

Reſpõdetur, Gal. intelligere intenſionẽ, & remiſsionẽ, quę nõ excedat limites ſanitatis; pica verò & malachia ſunt appetitus excedentes ſanitatis limites.

3 Dubitatio, si quis vtetur acidis cibis intendetur eius appetitus; non tamen illud corpus vocabitur decidentiæ: in quolibet enim ſaluberrimo corpore, valdeque diſtanti à ſtatu neutro, vſu acidorum poteſt intendi appetitus.

Reſpondetur, in hoc loco intelligi de

inten-

intenſione appetitus cauſata à cauſis intrinſecis,& non de illa,quæ ab vſu acidorum,& ſimilium externorum fit.

4 Dub non videtur, quod acida intendant appetitum;Gal.enim de locis affect. cap.1.ait,atram bilem eſſe acidam;nihilominus appetitum auferre.

Reſpondetur, aciditatem eſſe duum generum;quædā enim orta eſt ab humore melancholico frigido, & ſicco: hacque dicimus intendere appetitum;quædā verò ab atra bile,quę non ſolū eſt acida verum etiam mordet: de ratione igitur humoris excitantis famem duo ſunt; primū vt ſit acidus; ſecundum vt careat morſu.

Secūdum exemplum eſt de fæcum excretione,aitque, tunc corpus ſalubre in latitudinem neutrius nunc decidentiæ prolabi,dum fæces,quæ excernūtur ſunt pauciores,vel plures;humidiores;vel ſicciores; ità vt non ſeruetur ſolita illarum quantitas,ſeu qualitas, vel tēpus conſuetū.Similiter Hipp.& Gal.2.præſag.tex. is aiunt,ſi excrementū, molle conſtanſque ſit & tēpore ſolito excretum, & pro ratione copię cibi,vētriculum rectè valere.

Cauſa verò interna, cur fæces ſint ſolito pauciores, ſolet eſſe nimia ventriculi caliditas; quia ex Gal.2. de potentijs naturalibus, concoctio ventriculi augetur à calore,& fæces exiccantur. Cauſa, cur fęces ſint humidiores, liquidiores, & copioſiores,eſt frigiditas.Cauſa denique, quod tempore inſolito excernantur eſt nimia humiditas,quæ laxat inteſtina.Cęterum cauſæ horum ſymptomatū diſtinctius ſunt indagandæ confugiendo ad hanc methodū Galeni,quod omnis actio læda tur,vel ob læſas partes ſimilares, vel ob errorem externum,& quę ſequuntur, de qua re fusè egimus ſuperius, & 1. lib. methodi vitandorum c.8.

5 Dub. non videtur,quod fæces plures ſolito præſagiēt ſemper futurā ægritudinem;imò aliquando copioſiorū fæcū excretio indicat ſanitatem firmiorē reddi.

Reſpondetur, non ſolum in neutris decidentiæ poſſe inueniri ſigna futurę ęgritudinis; verum etiam futuræ ſanitatis; quamuis Gal. propoſuerit fæcem ſolito copioſiorem inter ſigna futurę ægritudinis; non tamen credidit, hoc ſignum ſufficere, ideò alia propoſuit: in cognoſcēdis enim omnibus corporibus ſemper procedit per ſignorum ſyndromen: Qui hoc non percipit, ſtatim incidat oportet in errata, in quæ Argenterius, qui ſemper ſuppoſuit corporum ſigna à Gal.propoſita debere eſſe proprijſſima, quòd quàm ſit vaniſſimum,non ſemel oſtendimus.

Tertium exemplum eſt de vrina; ait vrine defectum,& paucitatem, vel ſolito copioſiorem; vel cum colore diuerſo à naturali, & conſue to, vel cum craſſitie, vel tenuitate diuerſa oſtendere corpus neutrum nunc decidentiæ.

Cauſa paucitatis vrinæ eſt vel frigiditas viſcerum, vel obſtructio; vel ſudor, vel inſenſibilis perſpiratio nimium aperta, quæ valde vrinam diminuit; quomodo verò inſenſibilis, & libera perſpiratio minuat vrinam: nos in lib.de ſtatica medicina adeò exactè declarauimus; vt nemo ſanè percipiet, niſi ad ſtatica principia confugiat. Quod vero vrina ſæpè reſolnatur per ſudorem, vel per inuiſibilem perſpirationem Galenus facilè declarat 1. de facul. naturalibus, vbi habet hæc. *Id totum, quod bibimus vrina fit, niſi quid cum aluo exeat, aut in ſudorem, aut per inuiſibilem perſpirationem abeat.*

Cauſa copioſioris vrinæ ſolet eſſe intenſior renum calor, qui vehementer attrahit. Cauſa Craſſitiei vrinæ poteſt eſſe vel calor reſoluens, vel tranſmittens tenuiorem portionem in alium locum, vel frigiditas coctionem impediens eſt illa, quæ vrinam multum ſedimentoſam efficere poteſt.

Cauſa diuerſorum colorum, internus calor eſt rubræ;frigus albæ; ſed de vrina, & de cauſis coloris fusè ſuperius egimus.

6 Dub. Galenus cenſet, vrinam ſolito more copioſiorem indicat corpus eſſe in ſtatu neutro, quod non videtur; quia ſæpiſſimè obſeruamus corpora ſaluberrima meiere plus ſolito, ſummo cum beneficio: quare hæc doctrina Gal. videtur experientiæ aduerſari.

Reſpondetur,Galenum intelligere de illa vrinæ multitudine excitata ab aliqua interna alteratione,& non ab externo aliquo errore; certiſſimum enim eſt,quod corpora ſaluberrima ob potū nimium,& inſolitum copioſiorem reddant vrinam.

Demũ negamus, quod corpora, quæ meiant plus ſolito ob cauſam aliquam internam ſint ſaluberrima: ecce igitur, quod mutatio quantitatis, qualitatis, vel conſueti temporis in excretione indicet corpora neutra decidentiæ, ſi ob internas alterationes mutatio facta ſit.

Quartum exemplum eſt de ſomno, & vigilia, longior enim, vel breuior ſomnus, ſeu turbulentior ſolito præſagiunt ægritudinem. Cauſa ſomni eſt humiditas, & frigiditas, vigiliæ ſiccitas, & caliditas, vt docet Gal. 3. de loc. affect. 4. valebit ergo, ſomnus fit longior ſolito, ergo humiditas maior. Itidem de uigilia dicendum.

7 Dubitatio: non uidetur, quod ſomnus ſolum fiat ab humiditate, & frigiditate; quia Galen. in hiſtoria Hermocratis ait, ſomnum à triplici cauſa fieri poſſe, vel ab humiditate, vt in ebrijs, vel à frigiditate vt in ſenibus, vel à uirium imbecillitate, vt in Hermocrate.

Reſpondetur, virium deſtructionem, vel ſummam imbecillitatem ſupponere morbos inſignes: Galen. verò hic agit de ſomno, & vigilia naturali, & non prętet naturam. Præterea uirium imbecillitas ſomnum excitat, quatenus in corpore imbecilliſſimo omnia membra, & præcipuè cerebrum redduntur longè frigidiora: ecce quod tandem ſomnus in humidam, & frigidam cauſam referendus eſt. Contrarium de vigilia dicendum.

Quintum exemplum, ait, ſitim ſolito maiorem, vel minorẽ; vel calidarum, ſeu frigidarum potionum indicare futuram ægritudinem. Cauſa eſt, quia nimius appetitùs bibendi calida indicat corpus crudis, & frigidis humorib. eſſe uexatum: bibendi, uerò frigida indicat contrarium.

8 Dub. uidetur, quod dum ſanus appetit contrarium ſit ſignum ſalutis, & non ægritudinis.

Reſpondetur ex Gal. in text. vnum ſignum varia relatione dici poſſe indicatiuum ſanitatis, & ægritudinis.

Sextum eſt de immoderato, & importuno coitu: ſi quis enim tentabitur coitu immoderatiori, quam erat ſolitus, ſignũ erit (vt ait Gal.) tunc corpus ad ægritudinem diſponi: ſimiliter ſi tempore inſolito: exempli cauſa, ſi quis ſolet vti coitu horis matutinis: & hic tentetur ante cænã, non eſt ſignum ſalutis. Itidem, ſi quis non amplius coitu tentetur ſuis conſuetis horis, vel diebus, ſignum eſt corpus prolapſum eſſe in ſtatum neutrum decidentiæ.

Septimum eſt de ſudoribus; ait Galen. ſi ſudores ſint plures, ſeu pauciores, quam requirat motio, ſeu exercitium aliquod, indicari corpus tunc diſponi ad ægritudinem; ſimiliter ſi malè olent, uel nimium ſalſi ſint. Hipp. 4. aphor. 41. profert hanc ſententiam, *multus ſudor aut abundantiã excrementorum, vel nimiam cibi aſſumptionem præceſſiſſe indicat.*

9 Dubitatio, videtur non ſolum plures, vel pauciores ſudores eſſe præter naturã, & indicare futuram ægritudinem: verũ etiam ſudores moderatiſſimos: quia Gal. lib. de locis affect. & in cõm. illius aphor. ventres hyeme: laudat Dioclem dicentem, ſudores ſemper eſſe quid violentum, & præter naturam, & merito, quia ſudor eſt excrementum, quod pertinet ad vrinam, addit Gal. quod calidum innatum illud reſoluat inſenſibiliter per cutim, & non per ſenſibilem ſudorem. Præterea uidetur Gal. ſibi contradicere, quia lib. x. de ſimp. med. c. proprio, & hic ait, ſudores peccare, dum plures, vel pauciores ſunt; quare non eſt laudandus Diocles, qui abſolutè dicit ſudores etiam moderatos eſſe præter naturam.

Soluitur dubium. Ab alijs vario modo. Ego tamen reſponderem, ſudorem moderatum facta relatione ad corpus ſalubre ſemper eſſe prȩter naturam: facta verò relatione ad corpora recedentia à perfectiſſimo, qualia ſunt ſalubria vt multũ, & neutra, dico quod ſudores moderati ſint in latitudine naturali, & nõ violenta.

Octauum exemplum indicãs futuram ægritudinem eſt de motus torpore, qui re vera fit ob tranſmiſſionem diminutam virtutis animalis.

10 Dub. Hipp. 2. aphor. 21. ait, (qui frequẽter ſine cauſa manifeſta exoluuntur derepentè moriuntur,) quare ſtupor, ſeu torpor non ſolum erit ſignum neutrum nunc indicans futuram ægritudinem verum indicabit ægritudinem præſentem, & mortalem.

Solutio colligitur ex Gal. comm. 2. aphor. 21. ibi enim docet, tres conditiones requiri ad hoc, ut aphoriſmus verifice-

tur;quarum prima eſt:quod ęgri ſæpè patiantur hanc virium exolutionem ſine manifeſta cauſa, de hac nõ intelligit Gal. in hoc loco. Præterea aphoriſmus eſt de exolutione omnium virium, ſententia verò Gal.hìc intelligitur ſolum de torpore motus, quod pertinet ad facultatem animalẽ motricẽ,& nõ ad alias virtutes.

Nonum exemplum eſt circa mẽſes; ait enim corpus mulierum eſſe neutrum decidentiæ, ſi mẽſes ſint imminuti,vel omninò ſuppreſſi, vel immodici. Immodica enim euacuatio indicat uel nimiã apertionem vaſorum vteri, vel peccatum in ſanguine in quãtitate,uel qualitate mordaci: imminuta uerò indicat contrarias affectiones: omnimoda ſuppreſſio affectus intenſiores, quam imminuta; quo pacto uerò occulta vteri ægritudo ſit inueſtiganda,nos ſuperius propoſuimus.

11 Dubit. ex Gal. immodica euacuatio indicat futuram ægritudinem,quod non uidetur,quia plenior menſium euacuatio ſæpè confert ad ſanitatem.

Reſpondetur,quod immodica euacuatio facta relatione ad morbum præſentẽ poteſt indicare futuram ſanitatem; facta tamen relatione ad futuram ægritudinẽ indicare ſtatum neutrum decidẽtiæ;quia imminet periculum ne ob nimiam euacuationem aliquid mali ſuccedat. Præterea immodica, & imminuta euacuatio conſiderantur facta relatione ad ſolitam conſuetudinem: inueniuntur enim mulieres, quæ ſunt ſolitæ ex ſua natura multum,& quæ paucum ſanguinẽ menſtruũ euacuare: Hinc Gal.3. de ſymp.cau.c.4. ait,eſſe mulieres,quæ ab ortu naturæ habent vterum durum: aliquæ verò molle: illæ .n.quæ durum,habent vaſa anguſta, & ideò paucam menſium copiam euacuant,quæ humidum,& mollem:maiora.

Decimum exemplum eſt de ſanguine hęmorrhoidali nimio,uel pauciori ſolito: nimius .n.minatur hydropim, uel tabem præſagit,omnes .n.qui patiuntur effuſionem ſanguinis hæmorrhoidalis,licèt euacuatio ſit moderata, indicant eorum naturã eſſe effeminatã,quia ſanguinẽ colligant, qui non poteſt diſpenſari,& inſenſibiliter reſolui: taleſque vt in ſtatica medicina probauimus, minus perſpirant.

12 Dubitatio, contrariarum cauſarum contrarij ſunt effectus; quomodo igitur hydrops fieri poterit à nimia fluxione ſanguinis per hęmorrhidas, & à nimia retentione?

Reſpondetur, à cauſa contraria eoſdẽ oriri effectus,ſed vnum per ſe,alterũ per accidens;nimia ſanguinis fluxio debilitat iecur,unde hydrops; ob nimiã verò clauſuram hæmorrhoidum retinetur ſanguis craſſus, unde fit durities in iecore, & deſtruitur ſanguificatrix: Hinc Hipp.6.aph. 12. ait, à diuturnis ſanatus hęmorrhoidibus,ſi vna nõ ſeruetur,imminet hydrops, aut tabes,qui affectus ſunt contrarij.Galenus in comm. reddit rationem dicens ob detentum ſanguinem fieri duritiem in hepate,vnde hydrops,ſimiliter ſanguinem detentum recurrere ad pectus, & tabem efficere, uel adeo inficere,ut partes corporis tabeſcant.

Vndecimnm exẽplum ait,quando non ſentitur in cibo, & potu cõſueta delectatio,futuram ægritudinem indicari. Cauſa eſt, quia lingua, quæ eſt guſtus inſtrumentum habet ſympathiam, cum omnibus thoracis,& abdominis partibus: thoracis per pleuram membranam, quæ inueſtit omnia, quę ſunt in thorace,uidelicet cor,pulmonẽ diaphragma, coſtas &c. uerſus linguam: Abdominis per peritoneum,quod circumueſtit omnia,quę sũt ſub thorace,uidelicet uentriculum,iecur, renes,ſplenem,inteſtina,& excurrit uerſus linguam: Hinc omnes defectus omnium viſcerum debent linguę reſpondere, ſi igitur deficit ſolita delectatio cibi, & potus, ſignum eſt in ſubiectis uiſceribus eſſe aliquam cauſam indicantem futuram ęgritudinem.

13 Dubitatio, ait Gal. ſignum quoque futurę ęgritudinis eſſe,quando non ſentitur eadem cibi, & potus delectatio: quod non uidetur ſemper uerum, quia ob copioſiorem cibum, vel potum pręcedentem, ſemper amittitur aliquid uoluptatis cibi, & potus.

Reſpondetur, ſignum propoſitum intelligi,dum à cauſa interna,& non à procatarctica fit.

Duodecimum eſt de hebetudine imaginationis,diſcurſus, memorię,& ſenſuũ exteriorũ.Cauſa hebetudinis eſt,vel ſanguis copioſus,uel pituitoſus: Galenus .n.

lib.

lib.de natura humana cõm.ſi rectè recolo 39. ait, homines bilioſos eſſe acuto ingenio,melancholicos prudentes, ſanguineos ſtolidos;ad pituitam nõ eſſe mores, quare, dum ſanguis, & pituita abundant ex neceſſitate oritur hebetudo ingenij, & tarditas imaginationis,& deinde obliuio,quæ hebetudines prænunciare ſolent coma,læthargum,& epilepſiam. Notandum tamen,Gal.intelligere de hebetudine diſcurſiuæ potentiæ, quia in Codice Græco legitur διανοίας.

15 Dubitat. non uidetur, quod ſub dianoiæ nomine intelligi debeant aliæ functiones,ut memoria,& imaginatiua.Reſpondetur quando diſcurſiua hebeſcit, tunc ex neceſſitate memoriam,& imaginationem hebeſcere; quia iſtæ ſunt functiones ſubordinatæ, & inſeruientes facultati dianoieticæ, ſeu diſcurſiuæ.

15 Dubitatio,non uidetur,quod diſcurſus hebes,& tardus indicet futuram ægritudinem; quia qui ſunt hebeti ingenio ſunt ſanguinei, & per conſequens alijs ſaniores.

Solutio dubij colligitur ex tex. Gal.qui loquitur de hebetudine non ab ortu naturæ,ſed de aduentitia; hæc enim indicat futuram ægritudinem.

Addit ſomnos turbulentos, auditus,odoratus, & viſus hebetiores idem indicare. Cauſa turbulentiæ,& hebetioris ſẽſus ſunt vapores eleuati à materia craſſa, & ſanguinea, aliquando etiam ipſa minera hanc facit hebetudinem,pituita enim, & ſanguis ſi occupent organa ſenſuum exteriorum hebetudinem inducunt.

Tandem Gal.colligit hãc vniuerſalem concluſionem; omnia quæ ſunt ſecundũ naturam,ſi aucta,vel imminuta ſint,ideſt ſi deprauata,& diminuta ſint,vel tempore inſolito fiant collocari inter illa, quæ præmonſtrant futuram ægritudinem.

Decimumtertium exemplum eſt de corporis tumore: etenim, ſi corpus fiet craſſius,vel tenuius ſolito indicabit futuram ægritudinem.

Ego autem addo, quod probaui experientia, vt patebit in lib. noſtro de ſtatica medicina, ſi corpus fiet ponderis longè maioris, vel minoris incidere in ſtatum neutrum decidentiæ, indicabitque morbum futurũ,niſi arte noſtra præſcruetur.

Decimumquartum exemplum eſt de colore corporis: etenim ſi corpus fieret albidius,vel ſolito more rubicundius,ait, tunc ad ægritudinem diſponi.Hinc vacillant plurimi, dum triſtantur, quia pallidi ſint; illi enim ſi ſolito,& antiquo more, tales fierent rubicundiores,inciderent in peiorem ſtatum,quia exGal.illi verè ſunt ſani,qui ſeruant ſolitum, & conſuetum colorem,ſit pallidus, ſit niger,vel flauus.

Decimumquintum exemplum eſt de ructibus,ſternutamentis,& flatibus; quæ ſymptomata à flatu oriuntur;dicitGalen. plures,aut pauciores flatus, & ructus indicare futurum morbum.

16 Dub. ait Gal.ructus,& flatus plures, & pauciores indicare neutrum nunc decidẽtiæ, quaſi quod flatus, & ructus pauciores ſint magis periculoſi, quam flatus moderati,quod non eſt verum.

Reſpondetur omnia ſigna in hoc cap.à Gal.propoſita reſpicere conſuetudinem; cõſuetudo enim eſt veluti altera natura, vt nos altioribus principijs probauimus lib.4.methodi vitandorum err.: ſic igitur eſt intelligendusGal.ſi aliquis ſolet crepitos,& ructus efficere; atque deinde vel pauciores, vel plures efficiat,indicari futurum morbum, pauciores enim indicãt retineri flatus; vnde collici,& ſimiles affectus fieri poſſint;plures ſolito indicant dyſcraſiam ventris frigidam, & humidam,ſeu imbecillitatem. A quibus verò cauſis flatus fiant fusè lib.6. methodi vitandorum err. tractauimus.

Decimumſextum exemplum eſt de excrementis cerebri quantitate, qualitate, vel tempore excretionis mutatis; quod indicat futuræ ægritudinis periculum; cauſa eſt,quia uel cerebri functiones naturales ſunt læſæ ob læſam facultatem,ideſt ob aliquam dyſcraſiam,vel malam cõpoſitionem,vel ob externũ errorẽ. Hinc copioſiora excrementa pituitoſa excreta per nares, & palatum indicant futuros morbos pituitoſos: excrementa aurium ſolito copioſiora indicant ægritudinem calidam cerebri, & iecoris, excrementa verò ſi ſint ſolito minora, ideſt magis ſolito imminuta indicant, uel imbecillitatem facultatis expultricis vel excrementorum craſſitiem.

CAPITIS LXXXII.

Particula V.

Tex. 99. *Morſus quoque ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo inteſtinorum, aut cum aluus ſubducitur, aut cum vomitus excitatur, aut cum mingitur, ſiue aliquis alius dolor moderatus ex genere quidem exiſtit eorum, quæ præter naturam; non tamen qui ita ſe habent, ægrotare dicuntur, ſicuti neq; qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant: cum nondum in conſuetis impediuntur operationibus: Hic enim in huiuſmodi diſpoſitionibus terminus eſt. Atq; idcirco in eo, quod ad aliquid, eandem diſpoſitionē ægram, atq; neutram appellabimus. Nam pro vigore potentiæ qua vel facile ſuſtinet, vel vincitur, vnaquæque ex his, quas antea diximus, vel morbus eſt, vel neutra diſpoſitio.*

IN tex. ſuperiori Gal. propoſuit ſigna, quæ deſumebatur à primo fonte, ideſt ab ijs, quæ conueniunt ſanis ſecundum naturam, quæ indicare poterant futuras ægritudines. In hoc tex. proponit ea, quæ ſimiliter conueniunt ſanis, ſed præter naturam: queque adhuc ſunt minora, quam quæ conueniant ægris. Ex his tamen magis colligimus ſigna præſagientia futurum morbum, quam ex ſignis propoſitis in tex. ſuperiori.

Diuiditur hic tex. in duas partes, in prima proponit duo ſigna indicantia futuram ægritudinem. In 2. reſpōdet tacitæ obiectioni. In prima ait, quod ſigna præter naturam, quæ maximè indicant corpora ægrotatura, quę tamen non ſunt ita mala, vt, quæ conueniunt ęgris, cum non impediant conſuetas operationes, ſint duum generum: quorum primum eſt dolor mordicatiuus ventris, oris ventriculi, vel inteſtinorum, aut qui fit, dum fæces, vel vrina excernuntur; vel qui fit, dum vomitus promouetur; vel dum caput moderatè dolet. Secundum ſignum eſt capitis grauitas.

Duo ſunt notanda, primum in codice Græco non inueniri illud verbum, *aut vigilant*, ideò particulam eſſe demendā. Præterea vigilia non eſt ex ijs, quæ conueniunt corporibus præter naturam, vt eſt dolor, & capitis grauitas, ſed ſecundum naturam, quare in tex. ſuperiori potius eſſet ponenda dum quantitate, vel tempore vigilia peccat. Secundum docet Gal. morboſas læſiones illas eſſe, quæ conſuetas impediunt operationes; quare cum dolor talis ſit, vt illas non impediat, dicitur pertinere ad neutrum decidentiæ; ſimiliter dicimus de dolore moderatè mordicatiuo, vel granatiuo.

In ſecunda parte reſpondet cuidam tacitæ obiectioni; quia quiſpiam dicere poterat an ne dolor ventris mordicatiuus in aliquibus delicatis hominibus impedit operationes conſuetas? quare dolor mordicatiuus non erit ſignum futuræ, ſed præſentis ægritudinis. Occurrit Galenus dicens, vnam, & eandem diſpoſitionem dici poſſe neutram, & ægram facta comparatione ad hominem magis, vel minus tollerantem.

1 Dub. ait Gal. ſigna neutra nunc præter naturam, ſed minora, quam quæ conueniant ægris aliquando ob virium debilitatem reddere hominem actu ægrum, quatenus cōſuetæ operationes illius impediuntur; immò addimus nos, aliquando inueniri corpora adeo robuſta, vt eorum operationes non impediantur à potentiſſimis morbis. Memini me videre iuuenē fortem maligna febre detētum, & refertum papulis liuidis per forum ambulantē & proprijs operationibus vacantem; quāuis ab illo morbo perierit; quare nec morbi videntur ſemper impedire operationes, neque impeditæ operationes videntur ſemper indicare morbos.

Reſpondemus, dū Gal. ait in omnibus morbis impediri operationes non intelligere ſolum de operationibus externis, vt aliqui putant, ſed de internis, quæ pręcipuè ob morbos læduntur. Iuuenis fortis febre maligna correptus licet uacaret externis operationibus habebat tamē internas valde læſas, vt eſt ſanguificatrix, chylificatrix, vel ſpirituum generatrix, & aliæ ſimiles, quarū aliquæ in omni morbo neceſſariò læduntur; quare per conſuetas operationes poſſunt intelligi non ſolum externæ, ſed internæ vel animales, naturales, ſeu vitales.

CA-

CAPITIS LXXXII.

Particula VI.

Tex. 97. *Sic & quæcunque in ſenſibus: non in eo; quod magis, aut minus inuicem differunt, ſed eo quod toto genere ſunt præter naturam. Et hæc ſunt ſigna morborum, donec modica fuerint, & nondum hominem à conſuetis operibus ſufficiunt amouere; talia verò ſunt in guſtu quidem, cum vel ſalſa vel amara, aut alicuius alterius qualitatis ſapor nobis indicatur, ſiue in omnibus, quæ bibuntur, aut manducãtur, aut præter quod aliquid aſſumatur, ſaliua talis ſentiatur. In odoratu autem quando alicuius vnius qualitatis ſenſum habemus, nullo odore præſente, aut cùm plura, & differentia naribus admouemus omnia veluti ſimilia ſentimus. Sæpius verò nihil ſentimus, aut aliquid fætens, etiam ſi nihil adſit quod fæteat. Quantum vero ad auditum, ſoni & ſtrepitus ad id quod præter naturam pertinent. Quemadmodum in viſu quæcunque ante oculos apparere creduntur nigra, & atra, & cærulea, & ruffa, & flaua, & nonnulla rotunda, nonnulla autem oblonga, quædam gracilia, quædam craſſa oculis prætendi videntur. In ſenſu autem tactus cùm inæqualitas aliqua, vel ſpiſſitudo, vel grauitas, vel tentio, vel torpida, vel vlceroſa diſpoſitio in toto corporis habitu ſentitur, ſic & in ſingulis partibus vel tentio, vel compreſſio vel morſus, vel grauitas quando modica fuerint, ac minimè firma, neutram quidem diſpoſitionem adeſſe demonſtrant, futuram verò ægritudinem prænunciant.*

IN tex. ſuperiori Gal. egit de ſignis præter naturam, quæ indicant futuram ægritudinem; oſtenditq; eadem ſigna in aliquibus eſſe neutra: in aliquibus verò debilioribus eſſe vocãda ægra, eo quia conſuetas operationes impediant.

In hoc tex. oſtendit, omnes quinque ſenſuum læſiones, eodem modo eſſe iudicandas: nam ſi operationes ſenſuum, mutatæ tamen quantitate, vel qualitate non ita redditæ ſint toto genere præter naturam, vt impediant conſuetas operationes ait Gal. has paruas læſiones, veluti eſt nimia humiditas linguæ eſſe indicatiuas futuræ ægritudinis; ſi verò læſiones ſenſuũ fuerint toto genere præter naturam; ita vt impediant operationes, tunc non eſſe vocanda ſigna neutra indicãtia, ſcilicet futuram ægritudinem, ſed ſigna demonſtratiua ægritudinis præſentis.

Primò loquitur Gal. de illa guſtus læſione, quæ eſt præter naturam; quando ſcilicet ſaliua eſt amara, ſalſa, vel alterius ſaporis; eſtque in cauſa, vt cibus, & potus amarus, ſalſus, vel alterius ſaporis ſentiatur: dicit Pluſquamcommentator, ſicuti aer eſt neceſſarius in viſu; ſic ſaliua in guſtu; per aerem ait, deferri colores ad oculum mediante lumine, & per ſaliuam ſapores ad penitiorem linguę ſubſtantiã: pulchra ſanè eſt comparatio, ſed nõ omninò vera; quia aer non defert obiecta viſus ad oculos, ſed lumen. Præterea non per aerem, ſed diaphanum ferũtur obiecta viſus; diaphanum verò prædicatur de aere, aqua, vitris, cęlo, & ſimilib. diaphanis. Præterea humiditas illa rorida, quæ eſt in linguæ poris, quæq; eſt ſaporũ vehiculũ non eſt tantum ſaliua, ſed etiam linguæ tenue excrementum ortum à tertia coctione linguę; ſaliua reuera ex Gal. ſententia tertio de al. fac. c. 5. & 12. de v. p. 10. eſt excrementum, quod à glandulis linguæ generatur; cuius vſus eſt vt os humectetur, & ſapores excipiat, feratq; (vt puto) ad humidum roridum linguæ.

Quo ad odoratum Gal. enumerat omnes eius lęſiones, quę indicãt futurã ęgritudinem; quarum prima eſt, quando ſentiuntur odores, nullo exiſtente externo obiecto adorabili; tunc cauſa huius affectus, vel eſt humor putridus exiſtẽs in pectore, aut naſo, aut in ventre, vel in cerebro prope proceſſus mãmillares, qui ſunt verum inſtrumentum odoratus, vt cõtra Auerr. aliter ſentientem 7. coll. 17. infra diſputabimus. Secunda læſio eſt, quando varia odorata naribus applicamus, & nõ diſcernimus exactè illorum differentias. Cauſa iſtius lęſionis eſt diminuta olfaciẽdi potentia, quę vel ob anguſtiam, vel frigidam intemperiem talis ſit. Tertia lęſio eſt dum nihil odoris ſentimus; cauſa vel eſt omnimoda anguſtia, vel aliqua interna intemperies in organo odoratus.

1 Dub. Galen. inter ſigna neutra prædicentia ægritudinem futuram collocat

virturem, & potentiam odorandi ablatam; quod non poteſt concedi; quia actio ablata odoratus indicat ægritudinem præſentem, & non futuram.

Reſpondetur, hanc ablatam læſionem, ſi talis ſit, vt amoueat hominem à cõſuetis operationibus, non eſſe ſignum neutrũ, ſed ægrum. Præterea hæc læſio conſiderari poteſt dupliciter, vel reſpectu totius corporis, uel reſpectu organi odoratus tantum; poſita hac diſtinctione, reſpondemus, quod primo modo, ideſt reſpectu totius corporis lęſio ablata odoratus ſit ſignũ neutrũ; ſecundo modo ideſt reſpectu organi odoratus ſit ſignũ ægrũ, non .n. incõuenit, vt docuit Gal. ſuperius, vnicum ſignum reſpectu diuerſorum dici ſanum, neutrum, & ægrum; quia ablata lęſio odoratus reſpectu totius corporis eſt neutrũ, reſpectu organi odoratus eſt ægrum; vel reſpondemus Gal. loqui de illa odoratus ablatione; quæ non eſt perpetua, ſed de illa, quæ ſæpius, vt verbis Gal. vtar, aufertur. Quarta læſio odoratus eſt, dum fætorem, nullo exiſtente obiecto fętido, ſentimus. Cauſa eſt interna putredo, uel in naſo, pectore, uel cerebro.

Hic agitur, quale ſit organũ odoratus. Ariſt. 2. de anima tex. 100. & lib. de ſenſu & ſen. ait, organũ odoratus tale eſſe potentia, quale eſt actu odorabile; vbi tamẽ ſit organũ, non clarè expreſſit; ideò à Gal. lib. de organo olf. reprehẽditur, quod tam obſcurè loquatur. Auerroes 3. coll. 17. cẽſet, organũ odoratus eſſe naſi interna foramina; primò probat auctoritate Ariſt. 1. de hiſt. c. 11. & 2. de par. animal. c. 10. Secundò; ratione hac; ſi pars cerebri anterior, ideſt proceſſus mamillares eſſẽt organum odoratus, odores ſentirentur per os apertum clauſis narium foraminibus; at non ſentiuntur, ergo. Reijcitur Auerroes; quia ſicuti ſine aqueo humore viſio non fit; ſic ſine naſi foraminibus; in his enim odores inueniunt uehiculum deferens illos ad proceſſus mammillares; ſed fuſius in propria quæſt. de his egimus.

2 Dubit. videtur Galen. diminutus, quia præter accidẽtia ab illo propoſita proponitur aliud quoddã nouum à Pluſquamcommẽtatore, quod ſimiliter eſt toto genere præter naturam, eſtque, dum odor malus indicatur bonus, quod proportionatur comeſtioni carbonum, quod euenit propter qualitatem, quæ è diametro contrariatur organo temperaturæ.

Reſpondetur, hoc accidens non eſſe nouum, ſed referri ad quartum à Galen. propoſitum, dum dixit aliquid fætoris ſentiri, quamvis nihil malè oleat.

Quo ad læſiones pertinentes ad auditum, quæ indicãt futuram ægritudinem, ſunt ſonus, murmura, vel ſtrepitus, quæ ſentiuntur, nullo exiſtente ſono externo: Cauſa eſt, quia vbi eſt aer ingenitus colligitur flatus, qui cum ſit præter naturam, ibi agitatur, & ſonũ efficit. Præterea pus ex internis illis particulis vlceratis ſi detineatur irritat expultricem, & cõmouet aerẽ ingenitum, vnde ſonus; tunc huiuſmodi læſio, ſi non amouet nos ab actionibus conſuetis nõ præſentem, ſed futurã indicat ægritudinẽ, ideſt vel frigidã intẽperiem, vel illam malam compoſitionem quæ poteſt omninò auferre auditum.

Differẽtia inter ſonitum, murmura, & ſibillos eſt, quia ſonitus fit à flatu craſſo, meatu tamen exiſtente amplo, murmur, quale ex aquarum fluxu obſeruatur, fit à flatu, qui nullo pacto difflari poteſt, ſibillus à vapore, ſeu flatu tenuiori, qui diflatur velociter, ſed per viã anguſtiſſimam; hæc igitur sũt ſigna deſumpta ab his, quę ſunt toto genere præter naturã; ſunt tamen minora, quã quæ ægris conueniant.

Quo ad læſiones viſus indicãtes ſtatum neutrum, ſunt ea, quæ nobis apparent, & non ſunt, ſicuti dum uidemus uidere animalia volatilia, nigra, alba, ruffa, rubra, vel habentia figuras rotundas, oblongas, &c. Cauſa horum eſt concurſus vaporum ad humorem aqueum peruenientium. Quare Hipp. in prognoſticis ait, qui abũdant ſanguine, ſi aliquando ante oculos ruber color obſeruatur, indicari futuram hæmorrhagiam narium; ſimiliter in quibus abũdat bilis flaua, vt in ictericis omnia apparere flaui coloris; Itidem ſi atra bilis mittat uapores ad oculos, animalia uolatilia nigra apparere. Præterea aliquando contingit, ut cauſa diuerſorũ colorum apparentium oriatur à mutatione diaphaneitatis aquei, colores .n. tranſeũtes per aqueum maculatum induuntur coloribus, ſeu infectionibus aquei humoris, eodem modo, ſicuti per ſpecila rubra

omnia

omnia rubro colore tincta cernuntur.

Quomodo verò fiant colores, & quid ſit diaphanum ſuperius declarauimus; reiecimuſq; Peripateticorũ opiniones, qui ad materiæ puritatem, uel raritaté diaphani naturam referunt, oſtendimuſque diaphanum eſſe paucitatem ſuperficierũ, opacum uerò multitudinem ſuperficierum, ſed tot exemplis clariſſimis id comprobauimus, ut omnes lectores cogantur noſtram ſententiam amplecti.

Quo ad læſiones tactus præter naturã, quæ tamen non amouent à cõſuetis operationibus, quæq; indicant futurum morbum, quinq; enumerantur à Gal. quarum prima eſt organi tactus inæqualitas non ab externo obiecto introducta, ſed à mala diſpoſitione interna proprij organi, hæc inæqualitas eſt, quando uirtus ſenſitiua tactus inæqualiter afficitur, ueluti dũ corpus rigore, uel horrore præmitur.

Secunda læſio eſt ſpiſſitudo, ſeu denſitas, quæ fit à copia humorum, & uiſcoſitate, vnde prohibetur tranſpiratio, & periculum imminet putridæ febris.

Tertia eſt grauitas, uel tenſio, quæ à craſſitie, & copia humorum dependet.

Quarta eſt tenſio torpida, ſiue ſtupor, quæ affectio eſt mixta, ortaque ex diminutione motus, & ſenſus, eius cauſa eſt refrigeratio partium, uel compreſſio, hæ duæ cauſę impediunt, ne ad neruos motiuos, & ſenſitiuos virtus animalis liberè tranſmittatur; hæc affectio minatur paralyſim dum verò à copia oritur, minatur mortificationem.

Quinta læſio eſt vlceroſa laſſitudo, quę ab humore mordaci oritur.

Notandum tamen, has læſiones ſenſuum reduci ad illas tres laſſitudines, de quibus Gal. in comm. illius aphoriſmi; ſpontaneæ laſſitudines prænunciãt morbos; quarum prima vocatur tenſiua; ſecunda vlceroſa, tertia phlegmonodes, quæ ex tenſiua, & vlceroſa componitur: quæque prænunciat febres putridas.

QVÆST. XCVI.

De organo tactus.

ARiſtot. eſt valde varius: in 2. de anima tex. 116. & 117. clariſſimè aſſerit, carnem non eſſe ſenſorium tactus; ſed eſſe medium; ſenſorium verò intus latere; argumentum, quo probat Ariſt. loco cit. carnem non eſſe ſenſorium tactus, tale eſt, ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium non facit ſenſationem; ſed ſenſibile poſitum ſupra carnem facit ſenſationem; ergo caro non poteſt eſſe ſenſorium tactus.

Præterea Ariſt. l. de ſenſu, & ſenſ. c. 2. ait, iuxta cor eſſe ſenſorium tactus: idẽ dicit l. de iuu. & ſenect. c. 2. ſimiliter 2 de partib. animal. c. 10. ait, non carnem eſſe ſenſoriũ tactus, ſed iuxta cor; dixit iuxta cor, quia putabat cor eſſe principium neruorũ, & in neruorum principio eſſe tactus ſenſorium. Hinc Gal. 8. de v. p. cap. 5. habet hæc verba, ſenſoria omnia prope cerebrũ eſſe oportet; quia à cerebro ex Gal. nerui habent exordiũ. Oppoſitum tamen philoſophus aſſerit alijs in locis, quia 2. de par. animal. c. 1. & 5. ait calidi, frigidi, humidi, & ſicci; & aliarum qualitatum ſenſorium eſſe carnem, & quod huic proportionale, eo quod corpulentiſſimum ſenſitiuũ exiſtit: per quid proportionale carni in polypis, & ſepijs intelligit membranam, & in alijs inſectis quid ſimile; primo verò de hiſtoria animal. c. 4. ait, ſenſorium tactus eſſe in homiomera parte, puta in carne, aut tali aliquo, & li. 3. de hiſt. anim. c. 12. habet hanc ſententiam, pellis inciſa ex ſe, ideſt ſine carne eſt inſenſibilis, ecce quod Ariſt cenſet carnem eſſe ſenſoriũ; ſed ſi dixeris, Ariſtotelem, intelligere de carne cordis, quæ ex eius ſententia eſt principium neruorum, & omnium ſenſationum, omnia clara fient.

Conciliator putat, carnem cordis radicitus eſſe ſenſorium tactus; quia illa eſt, quæ per ſe ſentit, vt Ariſt. videtur fateri 3. de hiſt. anim. c. 5. additque Conciliator, partes quoque carnoſas externas dici poſſe ſenſoria tactus, quatenus per aliud, ideſt per cor ſentit.

Temiſtius 2. de anima impugnat Alexandrum, qui putabat carnẽ eſſe organũ tactus; cenſetq; Temiſtius, ſenſorium eſſe in corde, & Ariſtot. per carnem intelligere quid ſimile, & proportionale carni.

Simplicius ſupra tex. 116. ſimiliter cenſet, cor eſſe ſenſorium tactus, cætera uerò, per quæ tactus fit, eſſe media, & hanc putat eſſe philoſophi opinionem, quam

confirmat locis ſuperius citatis.

Alexander 2. de anima cap. de tactu. Philoponus ſupra tex. 116. & Auicen. dicunt ſenſorium tactus eſſe carnem.

Auerroes lib. de ſenſu, & ſenſ. c. 2. 2. col. c. 8. & 13. quamuis alibi dixerit, ſenſorium tactus eſſe quid intus, & non carnem; eo quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facit ſenſationem, mutauit opinionem, & dixit ſenſorium eſſe carnem, quia ſenſibile poſitum ſupra ſenſum tactus fa- cere poteſt ſenſationem; dum enim pungitur caro ſine dubio ſentit.

Hinc clariſſimè decepti ſunt Caietanus, & Fernelius, dũ conantur deſcẽdere, quod ſenſibile poſitũ ſupra ſenſum tactus nõ faciat ſenſationem; inuenerunt enim uarias fugas ridiculas, ait Caietanus, dum neruus pungitur, partem, quæ pungitur, non ſentire, ſed proximam. Fernelius ait, dum neruus pũgitur, ſentiri ratione duarum meningiũ, ſed peto dum meninges neruorum, & pars medullaris nerui punguntur, an ne punctura poſſit peruadere vſq; ad ſenſorium; ponas illud in membranulis, vel in parte medullari.

Ego cum pluribus Philoſophis, & Medicis inter quos eſt Valeſius cenſeo hanc propoſitionem, ſenſibile poſitum ſupra ſenſum non facere ſenſationem, non eſſe veram in ſenſu tactus: immò neq; in alijs ſenſib. vt in guſtu, neq; in oculis, dũ præcipuè uidentur rubra oculis obuerſantia excitata à uaporibus ſanguineis occupãtib. humorem aqueum, & criſtallinum.

Similiter in auditu fiunt ſibilli, aura occupante aerem ingenitum, & neruum expãſum. Itidem in naribus, dum in proceſſib. mãmillaribus putridi humores ibi exiſtẽtes ſentiũtur, quare nõ videtur omninò vera hęc poſitio, quod sẽſibile poſitũ ſupra ſenſum non faciat ſenſationem.

Gal. lib. de v. p. & 2. de ſimplici Med. Albertus, S. Thomas, Iandunus, & Caietanus aiunt carnem eſſe medium quoddã, & non ſenſorium, dicuntq; neruum eſſe adæquatum tactus ſenſorium. Gal. tamen tam clarè oſtendit, tactum à neruis prodire, vt nihil clarius.

Ego autem puto, ſenſorium adæquatũ eſſe innominatum; non enim poteſt eſſe caro, quia ſenſus quoque fit, vbi non eſt caro, vt in membranis, & neruis.

Similiter non poteſt eſſe neruus, quia ſenſus ſine neruo fit, vt in dentibus, nerui enim dentium nõ perueniunt in omnes dentium particulas; in hac re rectè ſentit Auerroes 3. coll. cap. 22. vbi habet hęc verba: *videmus quod membra ſentiunt etiam in locis, quæ non ſunt nerueſa.*

Quo circa oportet, vt illud ſit adæquatũ ſenſorium quod prædicatur de carne, de neruo, membrana, & dẽtium particulis; quodnã hoc ſit, dicimus eſſe innominatum. Hinc Ariſt. 1. poſt. docet in ſciẽtijs quam ſępiſſimè genera eſſe innominata; ſimiliter 2. de anima admonet obiectum viſus eſſe innominatum; quia nec color, nec lux eſſe poteſt, ſed quod de colore, & luce prædicatur: Hinc uidẽs philoſophus, quod adæquatum ſenſorium ſit innominatum, modò dixit eſſe carnem intelligendo per carnem quid communiſſimũ, vel proportionale; modò vult ſenſorium eſſe quod intus, dum dixit ſenſorium tactus eſſe intus, & iuxta cor, non intellexit de ſenſorio in quo formaliter fit tactus; ſed de virtute tactiua, quam putabat à corde prodire, quam opinionem in principio huius libelli reiecimus.

Idcirco videns Auerroes, Ariſt. loquẽtem de tactu eſſe variũ, conatus eſt reddere rationẽ, cur varius ſit; Ariſt. n. 2. de anima dixit, carnem non eſſe organum tactus; in libris verò de partib. animal. & libris de hiſtoria docet, carnem eſſe organum tactus. Auerroes neſciens conciliare hæc loca ait 2. de animal. com. 108. & alibi, quod dum Ariſt. faciebat libros de anima, non fuerit ita verſatus in anatomicis, vt erat, dum libros de partibus, & de hiſtoria animalium componeret; quare putat, Ariſt. dicentem in libris de anima eſſe carnem, erraſſe, in libris tamen de animalibus dixiſſe, quid intus ſumma cum ratione.

Decipitur Auerr., quia non ſolum in libris de anima, ſed etiam in libris de animalibus adſunt loca, vbi dicit carnẽ eſſe ſenſorium. Melius igitur eſt vt pro Ariſt. dicamus, per carnem intellexiſſe quid intus, ideſt cordis carnem; dum negauit carnem, intellexiſſe de carne externa; quia putabat hanc non per ſe, ſed ratione cordis ſentire.

Vel dicimus quod ſenſorium tripliciter

ter conſideretur, vel quo, vel quod, vel per quod, quo eſt principium, quo tactus fit, & hoc per Ariſt. eſt cor, per Gal. cerebrum, quod nos ſequimur, ſenſorium vero (quod) eſt illud, in quo formaliter fit ſenſatio, & hoc, vt diximus, eſt innominatũ; Hinc dicimus dũ Gal. ait, neruos eſſe ſenſoriũ, intelligimus nõ eſſe ſenſoriũ vocatum quod; neque quo, ſed per quod; dum Ariſt. dicit cor, intelligimus ſenſorium (quo) ſenſoriũ verò quod apud Ariſ. ſi de adæquato loquamur eſt omninò innominatum, ſenſorium vero per quod conuenit cum Gal. eſſe neruos, diſcrepat verò, quia Gal. putat neruos à cerebro: Ariſtot. verò à corde prodire; poſuimus hanc diſtinctionem ſenſorij, quamvis verum ſenſorium ſit illud in quo formaliter fit ſenſatio, & dicitur quod.

CAPITIS LXXXIII.

Particula I.

Tex. 98. *At quæ iam in ægrotantibus ſigna videntur, ex quibus nonnulla ſalutem, nonnulla mortem portendunt; prima quidem ſalubria, altera verò genere quidem ægra, ſecundum ſpeciem autem perniciosa dicuntur.*

Declaratis ſignis præſagientib. futuras ægritudines. In hoc cap. docet, methodum prenoſcendi ſalutem, vel mortem ægrotantis. Nõnulli connectunt hoc modo; dicunt in cap. ſuperiori Gal. egiſſe de ſignis, quę ſunt in ſanis indicantib. futurã ægritudinem; in hoc verò de ſignis, quæ ſunt in ægris indicantibus tantum futurã ſanitatem Reijciuntur, quia ſuperius promiſit agendum de ſignis, quæ ęgritudinibus inſunt, quæ ſigna nõ indicant ſolum ſanitatem; aliqua .n. indicant etiam mortem; reliquum igitur erat, vt Gal. doceret, quæ ſigna in ægris ſint verè prognoſtica, & quæ non: & quæ mortem, vel ſanitatem futuram ęgrotantis docere poſsũt.

Cæterum antequam proponat fontes, vndè ſcaturiant ſigna verè prognoſtica, prius in hoc tex. diſtinguit ſigna quæ inſunt ægrotantibus, dicendo, ſigna quæ portendunt ſalutem vocari ſalubria; quæ verò portendunt mortem vocari ægra ſecundum genus, & pernicioſa ſecundum ſpeciem.

Argenterius hic ſtatim reprehendit Gal. quia dicat, ſigna portendentia mortem vocari ægra: ideò ait, ſi Hippocratis modus loquendi ſeruandus eſt, debebat dicere Gal. ſigna portendentia mortem ſecundum genus eſſe mala, & non ægra, ſecundum ſpeciem pernicioſa.

Sed miſer, dum in ijs quæ ſunt nullius momenti tempus conterit, non percipit Galeni artificium, quia per ægra intelligit in hoc loco inſalubria; quod facile probari poteſt: quia ſi ſigna portendentia ſalutem vocantur à Gal. ſalubria; ergo ſigna portendentia mortem debent vocari inſalubria, ſeu morboſa, & ægra: nonne Galen. in principio huius libri admonuit non fore ſibi curæ, ſi quis vocet νοσώδης ſiue νοσερὰ ideſt inſalubria ſiue morboſa, & ægra; in tex. Græco legitur, νοσερὰ, quam vocem interpretamur inſalubria; quia Gal. voluit ſigna portendentia ſalutem vocare ſalubria: coacti igitur nos vocabimus, ſi oppoſitorum eadem eſt diſciplina, νοσερὰ inſalubria.

Galeni artificium in hoc lib. breuiſſimo in eo conſiſtit, vt conſeruentur illa tria nomina definitionis medicinæ à principio vſque ad finem libri: quod ſcilicet nihil poſſit in arte dari, quod nomine ſalubris, inſalubris, vel neutrius non nominetur: hæc enim nomina tam magnã poſſident æquiuocationem, & per conſequens tot ſignificata ſub ipſis continentur, quot ſolum addiſcatur poſt exactiſſimam totius artis medicę declarationem.

Sed ne reuelamur ab ineptijs Argenterij dicentis Galen. erraſſe, quia ſigna ægrotantium vocauerit ſalubria, & non addiderit ſimul, & ægra, cum nihil ſit in ægrotante, ſalubri, quod non ſit quoque ægrum. Reſpondemus Argenterio, quod ſalubre, vt ſalubre, quamvis ſit in ægro, nullo modo poſſit vocari ægrum.

CAPITIS LXXXIII.

Particula II.

Tex. 99. *Sumuntur autem, vt vniuerſaliter dicamus, ex operationum virtute, ac vitijs:*

tijs; ſecundum partem verò ex particularium operationibus, quarum genera ante diximus. Primum quidē eorum quæ principia exiſtunt. Secundum verò illorum quæ à principijs ortum habent, & tertium eorum quæ ex ſe ipſis gubernantur, à principijs autem quaſdam deriuationes habēt. Quartum ſi quidem genus eorum quæ tūc diximus, ex ſe quidem ad aliquid prænoſcendum inutile eſt: ſecundum accidens autem, & ex his aliquando præcognitiones erunt quemadmodum, & ex excrementis ſemper: ex his quidem compatiendi ratione: ex excrementis autem quoniam coctionis, & incoctionis ſigna continent.

IN hoc tex. docet ſigna indicantia futuram mortem, vel ſalutem eſſe deſumenda ex virtute, & vitio operationum: quod verò virtus, ſeu probitas operationum partium, vel vitium, ſeu læſio illarum indicent futuram mortem, vel ſalutem, patet ex morbi definitione: morbus enim eſt mala conſtitutio lædens operationes: ergo operationis vitium, vel probitas nos ad cognoſcendum ſanitatem, vel morbum manuducent; ſicuti enim vita nihil aliud eſt, quam partium corporis bona, & perſeuerans operatio: ſic eius priuatio eſt mors.

Signa ſalutis, vel mortis deſumuntur ab operationib. partium noſtri corporis: has partes ait Gal. in tex. eſſe quatuor generum, quorum primum continet partes principes, quæ innatam, & influentē virtutem habent, quales ſunt cor, cerebrū, & iecur; ex virtute igitur propriarum operationum horum trium viſcerum ſalutem: ex vitio mortem certius colligemus, quam ex læſione aliarum partium.

Secundum genus continet illas partes, quæ immediatè pendent ab illis tribus: ſicut ſunt nerui, arteriæ, & venæ; ex harum læſione, & virtute operationum colligere poſſumus ſalutem, vel mortem; ſicuti ex nerui punctura oritur conuulſio; ex arteriæ punctura aneuriſma; ſimiliter ex virtute, & vitio pulſus, quæ ſunt partes immediatè prodeuntes ab illis tribus colligemus ſalutem, vel mortem. Itidem ex materia virulenta exiſtente in venis, quę ex vrina præcipuè cognoſcitur, pernicioſum corporis ſtatum præuidemus.

Tertium genus partium eſt quę habēt proprium regimen, & ab illis trib. præcipuis deriuationes quaſdam habent, ſicuti eſt ventriculus, lien, inteſtina, veſica, renes, & pulmo; ſæpiſſimè .n. extincta iſtarum partium operatione ſequitur mors.

Quartum genus partium eſt illarum, quæ innatam tantum virtutem habēt, & non influentem; neq; vllam habent deriuationem à partib. habentib. principatū: tales ſunt cartilago, ligamenta, oſſa, mēbranę, glādulę; & caro ſimplex; ab his nō deſumuntur per ſe ſigna ſalutis, uel mortis; poſſunt tamen deſumi per accidens dupliciter; primo modo per conſenſum partium trium generum ſupradictorum: exempli cauſa, ſi hepar patitur ſtatim eius membrana quoq; patitur: ſimiliter ſi muſculus patitur, eius ſimplex caro patitur, & oſſa quib. muſculi adnectuntur: ſecundo modo per accidens deſumuntur ſigna ab his, quatenus in ſe continent aliarum partium principium excrementorum: etenim ex illorum coctione, uel cruditate ſigna ſalutis vel mortis colligimus.

Quantum verò attinet ad virtutem, ſeu vitium propriarum operationum partiū principū, ideſt cordis, cerebri, & iecoris innumera ſe offerunt ſigna mortem prędicētia. Si de vitio operationis cordis loquamur Hipp. 2. apho. 41. habet hanc ſententiā: *Qui ſæpè, & vehēmenter ſine cauſa manifeſta animo linquuntur, y derepente moriuntur*, ſæpiſſimè .n. deprehendimus homines, qui incidunt in animi deliquiū, & ſyncopē ſine cauſa manifeſta; de his prædicimus certā mortē: Similiter qui palpitatione, & tremore cordis corripiuntur facilè pereunt; quia ob læſionem propriæ operationis neq; generantur ſpiritus, neq; geniti influunt ad regendū totum corpus: dū verò cor lædatur per eſſentiā, licet affectus ex ſe ſit exiguus, facilè moritur. Hinc Auic. lib. 3. fen 11. tr. 2. c. 2. ſi cor parua puſtula corripitur, moritur cum egreſſu ſanguinis nigri per nares propter ſpirituum mortificationem.

Quo ad vitia operationū cerebri: operationes ſunt vel abolitæ, vel deprauatæ, abolita eſt apoplexia, de qua Hipp. 2. aph. 52. ait, *apoplexia fortem nullo modo eſſe curabilē: inter deprauatas operationes eſt delirium*, de quo Gal. 3. in 3. epid. 75. & 86. ait,

86. ait, ſi phrenitis prima die inuadit, omnes ferè infra ſeptem dies pereũt: dũ verò læduntur operationes principes per conſenſum, ægri nõ ita periclitãtur; dũmodo conſenſus nõ ſit ab alio viſcere principe: ſi enim ob læſum cor ſit delirium, moriũtur; quia Gal. 1. præd. 8. & 9. ait, prælãguẽtium deſipientiæ omninò læthales ſi tremores ſequuntur, quæ fiunt ob cordis affectum: ſimiliter ait loco citato, prauam eſſe phrenitidem, vbi pulſus ſunt languidiores; Itidem 3. de loc. aff. 7. & 7. aph. 14. ait Gal. ſtuporẽ, & deſipientiã eſſe lethalem, ſi vrina ſit alba, & perſpicua: neminemq; fatetur vidiſſe ſeruatum ob raptũ torius bilis ad caput; ecce quid operatiò cerebri princeps, dum eſt læſa per cõſenſum cordis, vel iecoris mortem quoque portendit.

Si de vitio operationis hepatis loquamur, dicimus, ſi fuerit abolita hęmatoſis ob hydropim, vel alios morbos, actũ eſſe de vita: Hinc Hipp. 6. aph. 27. ait, *Hydropici ſi ſecantur, & aqua vniuerſim effluxerit omninò moriuntur: ſimiliter ſi iecoris operatio ob abſceſſum fuerit abolita ſequetur mors.* Hinc 7. aphor. Hipp. docet, quãdo in abſceſſu, ſeu hepatis apoſtemate ſit tentanda cura, & ſperanda ſalus, habetq; hæc verba. *Quibus purulentum iecur aduritur, ſi purum pus effluat, & album, ſalui fiunt: in tunica enim ipſa pus continetur: ſi verò qualis amurca profluat, intereunt*: Ecce quomodo tempore Hip. nõ relinquebatur cura apoſtematis hepatis intentata, ſicuti Noſtrates eã relinquunt, & permittunt, vt omnes apoſtemate hepatis correpti, pereant. Itidẽ Hipp. de hydropico loquens 7. aph. 55. habet hãc ſententiam. *Quibus iecur aqua refertum eruperit in omentum, his vẽter aqua repletur, atq; moriũtur.* Sicuti igitur ob operationẽ abolitã, vel valde diminutã ſanguificatricis animal perit; ſic quando eſt deprauata gigni poſſunt humores adeo æruginoſi, & nigri, vt neceſſariò animal pereat: hinc 4. aph. 22. *morbis quibuſvis incipientib. ſi atra bilis ſupra, infrave exierit, mortale.*

Quantum ſpectat ad partes, quæ ortũ habẽt à corde, cerebro, & iecore dicimus, ſi lædantur, earum læſiones ſtatim communicari ſuis principijs, ideò dum in arteria ſit aneuriſma, ſtatim cõmunicatur cordi, & pereũt; ſi in aliqua corporis parte ſit gangræna, vel vulnus, & ibi ſit euidens arteriæ ſurculus, ſtatim cor valde patitur, & animal citius perit. Itidẽ dum nerui vulnerantur, ſi ſint inter euidẽtiores, ſit conuulſio, & mors. Hinc Hipp. 5. aphor. 2. ait, conuulſionem à vulnere eſſe lethalem; omnia enim hæc eueniunt ob neruorum ſympathiam cum cerebro. Similiter de venis dicẽdum eſt; quia in venis poteſt eſſe humor malignus qualis eſt æruginoſus, qui ob communicantiam venarum cum hepate facilè occidit, quod non efficeret, ſi extra venas eſſet.

Quantum ad corporis partes, quæ habent proprium regimen, vt eſt ventriculus, lien, pulmo, inteſtina, veſica, dicimus, quod ſi iſtarum operationes ſint abolitæ certam mortem eſſe expectandam. Hinc Hipp. 6. aph. 18. protulit hanc ſententiã; pertuſa, perſectaq; veſica, cerebro, corde, ſepto tranſuerſo, tenui, quopiam inteſtino, vẽtriculo, iecore lethale eſt; ecce quod mos ita ſequitur ex punctura veſicæ, inteſtini tenuis, ſepti tranſuerſi, & ventriculi, ac ſi pungeretur cerebrum, cor, vel iecur; partes enim iſtæ, quæ habent proprium regimẽ, & publicum officiũ exercẽt, & vt ait Gal. habẽt deriuationes à corde, iecore, & cerebro, & ſi earum officia ſint vitiata, vel ſint proba, & perfecta, maximè conferunt ad notitiam futuræ mortis, vel ſalutis.

Hinc aliqui correpti cardialgia virulẽta, quæ ſtomachum maximè lædit, derepentè aliquando moriuntur; ſimiliter poteſt accidere ventriculo, vel magna intemperies, vel mala cõpoſitio, vel ſoluta vnitas, quæ certam mortem portendant.

Eadem dici poſſunt de pulmone, ſplene, & inteſtinis; de pulmone læſo Hipp. 5. aphor. 10. ait; quibus ex angina in pulmonem mali ſit conuerſio, & in ſeptem diebus moriuntur; ſi verò hos effugerint purulenti euadunt.

De ſplene læſo ſimiliter dicimus contingere lethales affectus; Hipp. enim 6. aph. 43. habet hunc aphoriſmum: Qui lienoſi difficultate inteſtinorum corripiuntur; his ſuperueniente longa dyſenteria, aqua inter cutem, aut leuitas inteſtinorum aduenit, & moriuntur.

Si de inteſtinorũ læſione; ſimiliter dicimus

cimus Hipp.4.aphor.26.habet hæc verba: ſi dyſenteria laborant veluti carunculæ deijciatur,læthale.

Ecce quod lethales morbi proueniunt non ſolum ob læſionem trium principũ viſcerum; ſed etiam ob læſionem illarum partium,quæ publicum exercent officiũ. Hinc Hipp.6.aph.44.habet,quibus ex ſtillicidio ileos ſuperuenerit intra ſeptẽ dies moriuntur; niſi febre ſuperueniente copioſa vrina fluxerit; ecce quod ex his, & multis alijs Gal.& Hipp. locis colligi poteſt, quomodo mors adueniat ob læſiones partium habentium proprium regimen, & deriuationes cum partibus obtinentibus principatum; quia iſtæ partes publicum exercent officium.

Sed quod præcipuè eſt annotandũ hoc eſt,à partibus ſcilicet quæ officium publicum habent,præcipuè ſigna mortem, vel ſalutem portendentia deſumi,& ne prætermittamus thoracem, & linguam, hæc lubet ſubnectere, quod ſi lædatur officiũ thoracis,prout læſio vario modo ſe oſtẽdit, varia præſagia conſurgunt; exempli cauſa,in Philiſco apparuit reſpiratio magna,& rara;hæc indicabat mortem futuram; quia cordis, & cerebri magnam affectionem portendebat; tales enim obliuiſcuntur reſpirationis.

Itidem reſpiratio illa laborioſa,quę nõ fit ſine euidenti motu ſcapularum, & pinearum narium indicat ex Gal.4.de loc. aff.7. ſi rectè recolo, mortem citò expectandam eſſe.

Similiter ſigna deſumuntur ex lingua, quæ exercet officium animalibus neceſſarium. Hinc Gal.in Hermocrate febre maligna correpto,quia non ſitiebat,dixit vel mente non conſtare,vel calidum natiuum emori, ex lingua indicari.

Quoad partes, quæ habent ſolum innatam virtutem, & non influentem, ſeu deriuationem à corde, vt cæteræ partes, nihil indicant per ſe de ſalute, vel morte, ſed per accidens, ideſt uel ratione contentus partium principum; vel ratione excrementorum coctorum, uel crudorũ in illas à partibus principibus decumbentium. Ratio cur per ſe ex iſtis non colligitur ſalus, vel mors, eſt, quia ab operationibus iſtarum, ideſt cartilaginum oſſium, ligamentorum non dependet vita totius,etenim non immediatè habent cõſenſum cum partibus principatum obtinentibus:neq;ab illis deriuationes.Quod uerò à coctione; vel cruditate ſalus, vel mors indicetur Gal.id docet 3.de criſib.c. 5.his uerbis, *ſola coctio criſis celeritatem, & ſalubrem ſecuritatem oſtendit.*

1 Dub.Gal.in tex.docet ex coctione,& incoctione excrementorũ eſſe colligenda ſigna ſalutis, vel mortis; attamen primo de criſi.14. diſtinguit ſigna ſalutis, & mortis à ſignis coctionis, & cruditatis; ibiq;dicit,tria eſſe ſignorum genera in ęgris obſeruanda: aliqua,quæ indicant ſalutem, vel mortem; alia coctionem, vel cruditatem;& alia, quæ critica dicuntur: ecce quod ſigna coctionis, & cruditatis diſtinguuntur à ſignis ſalutis, vel mortis: quare malè Gal. dum hic agens de ſignis ſalutis, & mortis his immiſcet ſigna cruditatis,& coctionis.

Reſpondetur, ſigna coctionis, & cruditatis non primariò, & immediatè indicare ſalutem & mortem; ſed ſecundariò, & mediatè,quatenus ſcilicet indicãt operationes viſcerum rectè, vel malè ſe habere: coctio enim animaduertitur in excrementis; excrementaque ſunt ſymptomata ſecundi ordinis, quæ inſequuntur immediatè actiones læſas tanquam ſymptomata primi ordinis.

2 Dub. Galen. ſolum ab operationibus partium corporis deſumit inditia ſalutis, vel mortis; omittitque indicia deſumenda à ſubſtantialiter inhærentibus, quare diminutus.

Reſpondetur, morbum non indicare mortem,vt morbus, ſed ſolum quatenus operationes vehementer lęduntur:febris enim ardens in ſene mortem; in iuuene haudquaquam indicat; quia operationes iuuenis ità non læduntur, vt ſenis, multi enim robuſtiſſimi viri corripi aliquando ſolent morbis peſſimi generis: attamen eorum operationes non valde lædũtur, & facilè illis liberantur.Ecce quod non à morbis vt morbi ſunt, ſed potius à læſis operationibus deſumenda ſunt inditia mortis.Præterea ſigna deſumpta à ſubſtãtialiter inhærentibus non indicant ſtatũ futurum,ſed præſentem in ægro vt æger eſt, neque mors,neque ſalus eſt præſens; quare ſigna futuri euentus ſunt deſumenda

menda ab operationibus.

Argenterius cenſet contra Gal. ſigna mortis, vel ſalutis eſſe quoque deſumenda ab eſſentia morbi, à cauſis; à iuuantibus, & lædentibus, à conditione corporis patientis; & à ſimilitudine.

Sed quantum à veritate diſcedat Argenterius res ipſa nos docet quia morbus maligniſſimus eatenus mortem portendit, quatenus virtus operationis non eſt valida, & parum reſiſtens. Non ne in Horophonte fuit febris ſua natura maligniſſima? non ne multa aderant ſymptomata lethalia, aderant enim vrinę nigrę, æger tamen euaſit; quia (vt ait Gal.) virtus operationum erat validiſſima; ecce quod à virtute, vel vitio operationum, & non ab eſſentia morbi Gal. & Hip. deſumebant ſigna ſalutis, vel mortis.

Similiter in Sileno fuerunt papulæ, & alia ſigna mortalia, & perijt; attamen morbus Horophontis erat longè ſæuior, quam Sileni; ecce quod non malignitas morbi mortem indicat ſed læſæ operationes, quæ magis & minus læduntur à morbo ſæuiſsimo, prout vires ſunt magis, vel minus validæ.

Dum verò addit Argenter. ſigna eſſe deſumenda à iuuantibus, & lædentibus, & à ſimilitudine: dicimus iuuantia, & lædentia eatenus præſagire ſalutẽ, vel mortem, quatenus indicant virtutem, ſeu vitium operationum, ita vt omnia ſina ſalutis, vel mortis futuræ immediatè deſumenda ſint à virtute valida, vel inualida operationum.

Quo ad ſimilitudinem ſeu proportionem, quam, ait Argenterius præſagire exitum bonum, vel malum; dicimus valde aberrare, quia hæc ſimilitudo, ſeu proportio per ſe nihil indicat; ſicuti nos fusè contra Argenterium lib.6. methodi vitãdorum oſtẽdimus: quare omnia, quæ indicant futuram ſalutem à robore operationum, quæ vero indicãt futuram mortem ab earum vitio ſunt deſumenda.

3 Dub. ait Gal. in tex. à virtute, aut vitio operationum principum viſcerũ, ſigna ſalutis, aut mortis deſumi: partes verò principes ex Gal. quatuor sũt, cerebrum, cor, iecur, & teſtes; non videtur, quod à teſtium virtute, vel vitio ſigna ſalutis, vel mortis deſumantur, quia poſſunt abſcindi, ſuperſtite animali, quod non euenit de ventriculo, de pulmone, & inteſtinis.

Reſpondetur, teſtes nõ eſſe neceſſarios ad uitam, & uitæ nõ eſſe principium, ſed propagationis. Præterea arbitramur, teſtes quoq; immittere in totum corpus calorem, ſeu ſpiritũ: animalia enim, quæ carent teſtibus frigidiora, & ſine pilis ſunt. Sunt qui putant, teſtes in corpus ἐνεργητικῶς influere, ideſt uirtutem quandam ſpiritalem, & incorpoream, & non σωματικῶς, ideſt corporaliter. Quorum opinio non eſt accipienda, quod. ſ. σωματικῶς aliquid à teſtibus non eleuetur, & diffundatur per uniuerſum corpus, quia cõtinuo ſpiritus, & calor redditus perfectus diffunditur per uaſa præparãtia ad uenas, & arterias maiores, & inde per totũ corpus.

Accedit, quod ſigna nõ ſpernẽda à uitio, ſeu uirtute teſticulorum deſumãtur; Gal. n.7. de morbis uulgarib. ait ex ſcroto cõtracto colligi quoq; ſigna lethalia, poſſunt enim teſtes non ſolum, ut ſigna, uerum etiam ut cauſæ in totum uim aliquã inferre: hæc dicta ſint obiter; quia ſolutio dubij in eo cõſiſtit, quod teſtes nõ ſint principia indiuidui, ſed propagationis.

4 Dub. quærens Gal. quod principium magis poſsit ad indicandã futuram ſanitatem, uel ægritudinẽ, uirtus, ſeu uitium cordis, uel hepatis, uel cerebri, uidetur eſſe uarius; & ſecum pugnans, quia lib.9. methodi medendi cõcedit hãc prærogatiuam cordi, deinde hepati, & ultimo loco cerebro; nihilominus lib.11. methodi, ubi de febribus putridis agit; aſſerit eſſe quam maximè proſpiciendũ concoctioni, & alijs naturalib. facultatib. ergo concedit prærogatiuam iecori, & non cordi. Præterea uidetur, quod cerebro ſit magis proſpiciendum; quia ex Gal. ibi reſident facultates, principatum obtinentes.

Reſpondetur, pro uarietate affectuum concedendam eſſe prærogatiuam modò cordi, modo cerebro, & modò iecori; cordi ubi de affectibus pertinentibus ad cor agitur; iecori ubi expectanda eſt coctio: ideò Galen. 11. methodi agens de putredine febrium quæ nõ poteſt tolli, niſi coctione, dixit naturales actiones quã maximè eſſe proſpiciẽdas. Similiter ubi agitur de læſione motus, uel ſenſus interni, uel externi magis cerebrũ proſpiciẽdum eſſe

eſſe alijs non neglectis; poteſt.n.apopleticus ſuffocari cõſtantibus adhuc pulſibus; quare in omni actione læſa primariò sũt fontes proprij proſpiciendi in deſumẽdis ſignis ſalutem, vel mortem indicantibus.

5 Dub. Gal. ex coctione, & cruditate excrementorum colligit ſigna futuræ ſalutis, aut mortis, quod reprehenditur ab Argenterio, qui fatetur, ſe multoties vidiſſe febribus maligniſſimis correptos cũ perfectis coctionis indicijs; imò ait, qui malignis febribus moriuntur, ijs coctionis inditia in vrinis apparere.

Reſp. ſententiam Gal. hic & in lib. de criſi. traditã eſſe perpetuæ veritatis, quod ſcilicet nemo mori poſſit cum ſignis coctionis: Reſpondemus tamen hac diſtinctione: mori cum ſignis coctionis bifariã intelligi, vel cum coctione alicuius portionis humoris peccantis, vel cũ coctione vniuerſi humoris: hac poſita diſtinctione dicimus, cum coctione vniuerſi humoris nemo vnquam ex putredine mortuũ eſſe: cum coctione alicuius partis cõcedimus, qui maligniſſimis febrib. corripiuntur è viuis decedere poſſe: eſt enim impoſſibile, quòd ſpatio quinq; ſeptem, vel nouem dierum aliqua portio humoris non cõcoquatur; quod re vera ità ſit, facilè colligemus ex caſu Cleonactidis, quẽ refert Hip. in quo obſeruabatur, vrinam aliquando apparere coctam, & aliquando crudam: Gal. verò in cõm. ait, vbi vrina modò eſt cocta, & modò cruda, indicari humores alios coqui, & alios manere crudos: ecce, quod non inconuenit, aliquos ex febre maligna obire, quamuis aliquando apparuerit vrina cocta, quæ indicat aliquam tantum portionem humoris eſſe coctam, & non vniuerſum humorem peccantẽ: Hinc Gal. 2. præſag cõm. 26. ait, contingere poſſe, vt aliquis vrinam, quę reprehẽdi non poſſit, emittat: attamen ſequenti nocte aliam reprehendendam reddat, & rurſus ſequenti mane bonam; ecce quod non inconuenit, vt illa die, qua quis moritur, coctam vrinam emittat.

6 Dub. docet Galen. in tex. ſigna præſagientia ſalutem, vel mortem eſſe deſumẽda à virtute, ſeu vitio operationũ partiũ corporis, diuiſitq; partes in quatuor genera: quarũ primum continet tria principia, quę ſunt cor, cerebrũ, & iecur: ſecundum quæ à principijs ortum habent, quæ ſunt nerui, arteriæ, & venæ: tertium continet partes quæ ex ſe ipſis reguntur, & à principijs quaſdam deriuationes habent, quę ſunt vẽtriculus, pulmo, lien, &c. quartum continet partes, quæ innatam, & nõ influentem virtutem habent, neq; deriuationem à principijs, & hæ ſunt cartilago, glandulæ, ligamenta, membranæ, & caro ſimplex: ab his poſtremis Galen. ait in tex. deſumi præcognitiones futuræ ſalutis, vel mortis per accidens, & aliquando: deinde in fine tex. ait, ex coctione & inconcoctione excrementorum exiſtentium, ſcilicet, in his partib. deſumi ſemper præcogitionem ſalutis, vel mortis; quomodo poſſunt ſimul ſtare aliquando, & per accidens cum particula ſemper; ſi aliquando, ergo non ſemper, ergo Galenus ſecum pugnare videtur.

Reſpondetur, excrementa cocta indicare ſalutem nõ primo, ſed quatenus indicant operationem naturalẽ eſſe robuſtam; dum verò dicit ab excrementis aliquãdo deſumi præcognitionem rectè dixit; quia nõ ſemper poſſumus ſcire an excrementa cocta ſint; quamvis vrina indicet, an cocti, uel crudi ſint ſucci excremẽtoſi in vena caua exiſtentes: attamen per urinam non cognoſcemus, an humores, qui ſunt in porta, cocti, uel crudi ſint: ſicuti nos docet Galen. in hiſtoria mulieris decumbentis apud Pantimidem: ibi enim habet hæc uerba: ſed nihil prohibet eſſe cocta excrementa; & fęces id non oſtendere; ſimiliter accidit ſæpiſſimè in magnis ægritudinibus non pernoſci, an ſucci excremẽtoſi cocti, uel crudi ſint; quod facile patebit, ſi hos duos aphoriſmos Hipp. legerimus 7. aph. 44. & 45. Primus eſt: ſi impijs cum utantur, aut ſecantur purum, & album pus effluat euadunt; ſi uerò ſubcruentum, fæculentum, & fætidum, pereunt; ecce, quod niſi ſecentur empij, cognoſci nõ poteſt, an eorum pus ſit coctum, uel crudum. Sed legamus ſequentem aphoriſmum; ex quo intelligemus puris coctionem interni apoſtematis eſſe impenetrabilem, *quibus purulentum iecur aduritur, ſi purum pus effluat, & album, ſalui fiunt; in tunica enim pus cõtinetur: ſi vero qualis amurca intereũt:* quis poſſet diuinare, antequã ſecetur, an

pus

pus ſit coctum, nec ne; ideò Gal. in tex. dixit, quod ab excrementis aliquando tãtum præcognoſcamus coctionem. Demum rectè dixit ex coctione, & incoctione ſemper, & per accidẽs pręcognoſci futuram ſalutem, uel mortem: non enim ualet: eſt per accidens, ergo non ſẽper: duplex enim eſt accidens, aliud ſeparabile & aliud inſeparabile; dixit per accidens, quia eatenus coctio indicat ſalutem, quatenus per ſe indicat uirtutẽ robuſtam concoctricis operationis, quę deinde primo indicat futuram ſalutem.

CAPITIS LXXXIII.
Particula III.

Tex. 100. *Quare fieri non poteſt quin omninò ſignificent, aut naturam materiei aut materiã natura, aut neutrum neutro dominari. Salubria quidem ſigna dicentur, natura ſuperãte: inſalubria verò ſuperata, neutra autem quæ pugnas habent æquales. Sed quæ quidem manifeſtam indicant coctionem ex ſalubribus ſunt: ſicut quæ cruditatem, ægra: quæ verò neque coctionem, neq; cruditatem oſtendunt, ex neutrorum ſunt natura. Sunt verò, & neutra quæcunque nunc quidem hoc, nunc verò contrarium ſignificant, veluti digiti denigrati. Talia ſunt etiam critica, ideſt, decretoria accidentia, de quibus omnibus in libris de criſibus dictum eſt: ſicuti etiam de his quæ ad vnamquamque attinent operationem, in his libris in quibus de cauſis accidentium agitur. Quare omnem horum ſingulorum materiam ex eiſdem libris colligere oportet. Ego verò prolixitati parcens, hic ſermoni de ſignis finem faciã, tranſgrediar autẽ ad illum qui de cauſis.*

IN tex. ſuperiori docuit, ſigna futurę ſanitatis, uel mortis deſumi à uirtute, uel uitio operationum partiũ noſtri corporis; atque ab excremẽtis, quatenus in ipſis obſeruatur coctio, uel inconcoctio, quæ non primò indicat ſalutem, uel mortem, ſed per accidens, & ſecundariò, quatenus ſcilicet indicãt uirtutem concoctricem robuſtam; uel omninò inualidam.

In hoc tex. in primis docet, quomodo ſumantur ſigna ab excrementis; aitque ſi excrementa ſint cocta indicare naturam uincere, & ſuperare materiam morbificam; hæcque ſigna dici ſalubria, ſeu ſalutaria; deinde ait, ſi excrementa ſint cruda oſtẽdere materiam morbificam ſuperare naturam, & hæc dici inſalubria. Vel demum ab excrementis colligimus, quãdo corpus eſt in neutro ſtatu, quod eſt, quando nec natura ſuperat excrementa, nec excrementa naturam; tunc ob hanc pugnam ęqualem dicuntur neutra primi ſignificati, quia neque ſanitatem, neque mortem prænunciant; ſed ſub iudice adhuc perſeuerat certamen.

Verum quia neutra ſunt trium ſignificatorum; quorum primum eſt per abnegationem extremorum. Secundum eſt quod participat. Tertium quod modo unum, modo alterum extremorum participat: ait igitur Gal. ſi in excrementis apparuerit, quod modo ſanitatem modò mortem polliceantur; tunc hæc neutra eſſe tertij ſignificati; datque exemplum Gal. de digitis denigratis: ait in hiſtoria Adoleſcentis decumbentis in foro mendacij digitos liuidos, uel mortificationẽ caloris, uel inflammationem internorum uiſcerum indicare; ſimiliter in prognoſticis Hipp. ait, denigrationem digitorum aliquando oſtendere ad illas partes tranſmitti humorem melãcholicum per modum criſis.

Diſtinguitur tamen hęc denigratio ſalutifera à pernicioſa, & lethali per facilem, uel difficilem ægrotantis tollerantiam.

Quo igitur Gal. dixit de digitis denigatis, de omnibus excrementis criticè expulſis dicendum eſt, quod ſi criticè, & cum tollerantia expellantur, indicetur futura ſalus; ſi expellatur humor nõ criticè, ſed ſymptomaticè, ut plurimum indicabitur futura pernicies.

Quod uerò motus ſymptomatici ſint mali; nos docet Gal. in hiſtor. Philiſci his uerbis, *decretoria non iudicantia eſſe lethalia, vel difficilis iudicij; lethalia; ſi iungantur cum alio ſigno lethali: difficilis iudicij, ſi alia mortem non atteſtentur*: eccce quã acuratè obſeruanda ſint ſigna futuri euentus quomodo Gal. exemplo digitorum denigratorum nos docet, omnia ſigna quæ uidentur lethalia eſſe diſtinguenda inter ſe per facilem, uel per difficilem

cilem tollerantiam, & per motum criticè, vel ſymptomaticè factum: de his tamen Gal.in libris de criſibus, & de cauſis ſymptomatum diſtinctius egit.

1 Dub. non videtur, quod excrementa cruda,& inconcocta portendant mortẽ: omnes enim ægri qui ſanantur in principio morbi: excrementa cruda habent; ergo cruditas, ſeu excrementorum inconcoctio ex ſe nihil mali indicabit.

Reſpondemus ex Gal.1.de criſibus,excrementa cruda eſſe duum generum;aliqua.n.ſignificant priuationem coctionis, & hæc ſalutem; quamuis tardam nobis pollicentur; aliqua verò ſignificant omnimodam negationem coctionis, & hæc ſi lædant interna viſcera, mortem prænunciant;exempli cauſa vrina alba,& tenuiſſimæ ſubſtantiæ eſt cruda;attamen ſi aliæ conditiones non ſint adeo malæ, vt omnimodam negationẽ coctionis oſtendant, nobis hæc cruditas pollicetur ſalutem; ſi verò vrina ſit nigra non ob tranſmiſſionem nigri humoris,ſed ob aduſtionem,dicemus,non cruditatem, & morbi lõgitudinem indicare,ſed citam mortem portendere; eadem dicenda ſunt de alui fæcibus, & ſputis, quod aliqua habeant priuationem tantum, aliqua verò omnimodam negationem; quæ ſi lædant aliquod ex tribus principijs, de vita actum eſt.

2 Dub.Gal.dixit in tex.critica ſigna eſſe neutra; quod uidetur faſum, quia morbi tunc ſunt ſuperati, quando aliqua criſi ſuperantur.

Reſpondemus, criſim duplicem eſſe, bonam, vel malam; bonam ex Galen. 1. aphor.20. quinq; conditiones habet: prima, vt criſis fiat per euacuationem: ſecunda,vt euacuentur humores peccãtes: tertia, è directo; quarta, ut æger facile tolleret: quinta, vt fiat die critico: Hac poſita diſtinctione dicimus, Gal. dicentem critica ſigna eſſe neutra non intelligere de criſi perfecta.

3 Dub.Gal.1.aphor.12.ait, ſigna cruditatis eſſe neutra;in tex.verò ſuperiori dixit ſigna cruditatis eſſe inſalubria; ergo vel hic,vel ibi decipitur.

Reſpondetur dupliciter, primò, quod humores crudi ſint duum generum; aliqui enim habent aptitudinem,vt coquãtur, & horum ſigna ſint neutra: & de his intellexit 1.aph. 12. aliqui verò ſunt omninò inepti coctioni,& horum ſigna ſunt inſalubria. Secundò ſic ſolet reſponderi, Gal.1.aphor.inſpexiſſe ad cruditatem, & non ad naturam dominantem, ideo ibi vocaſſe ſigna cruditatis neutra; in hoc verò loco inſpexiſſe naturarum dominium,ideò dixit,ſi natura, dum aggreditur pugnam, uincitur; tunc ſigna horum ſuccorum dici inſalubria; Hinc Galen.1. aphor.12.& 1. de criſibus 12. ait, ſignum cruditatis nec ſalutem,nec mortem indicare,ſed cum virtute debili mortem,cum forti ſalutem portendere: ſi igitur natura fuerit dominata, & ſuperata, tunc ſi fuerit cruditas, ſignum eſt lethale, ſi vero fuerit cruditas, & virtus fortis ſignum erit ſalutare.

QVÆST. XCVII.

An motus ſymptomatici ſint omninò inutiles.

QVi putant omnes ſymptomaticas euacuationes eſſe omninò inutiles, nixi ſunt auctoritate Hipp.2.epid. & Gal.1.epid.com. 3. vbi hiſtoriam Philiſci declarat,ibiq;habet hæc uerba,*decretoria non iudicantia aut lethalia ſunt, aut difficilis iudicij,lethalia,ſi qua eis ſymptomata,& ſigna lethalia accidunt;difficilis verò iudicij ſi ſine his crudorum humorum ſigna permaneant.*

Colligunt ex his verbis Conciliator, Pluſquamcommentator, & alij plures euacuationes ſymptomaticas eſſe omninò inutiles. Similiter 1. aphor. 12. verſus finem Gal.profert hæc verba;*ſigna iudicatoria non iudicantia aliqua mortem, aliqua difficilem iudicationem portẽdere:* 4.verò aph.22.Gal.habet hęc,*quando aliquis incipit morbus,ſi quid excernitur,nihil tunc excernitur naturæ ratione ſed ſunt omnia caſus earũ, quæ præter naturam ſunt in corpore diſpoſitionum;*ſubdit, *vbi adeſt cruditas humorum, tunc aliquid benè euacuare eſt impoſſibile:ſiquidẽ oportet coctionẽ præire: ſubſequi verò diſcretionem,poſtea euacuationem, vbi bona ſit iudicatio:* ſed ſequentia Gal. uerba lùcidiſſimam reddunt Gal.ſententiam, quæ ſunt;

ſunt:Hęc autem nos ipſe Hippocr.docuit in 1.lib.epid. ita inquiens;*Coctiones indicationis celeritatem,ſalutisq́ ſecuritatem ſignificare: cruda autem, & incocta ad malos abſceſſus conuerſa indicationis carentiam,vel dolores,vel longitudinem,vel mortes,vel eorumdem malorum redditus: ſubdit, & propter hoc atra bilis, & alius omnis huiuſmodi humor, vbi ſigna coctionis in morbi proceſſu apparuerint, bonam ſignificat euacuationem: ſi verò aliter excernantur ſine ſignis coctionis, exitiale eſt ſymptoma, quare cùm in morbi principio ſemper ſint ſigna cruditatis, mala ſemper erit humorum talium euacuatio.*

His fundamentis nixi Conciliator, & Pluſquamcommentator, & alij putant, motus, & euacuationem ſymptomaticam ſemper nocere, & nunquam aliquid iuuamenti afferre.

Secunda opinio eſt multorum, qui dicunt, motus ſymptomaticos dupliciter contingere, vel cum virium tollerantia, vel cum moleſtia, & ſine tollerantia;primo modo ſi fiant motus ſymptomatici, dicunt, eſſe laudandos, & valde iuuare; ſecundo modo dicunt,omnes eſſe malos.

Tertia opinio eſt Valeſij lib. 5. cap. 13. quam diu ſecuti ſumus, quod omnis euacuatio mali humoris,licet ſymptomatica ſit vtilis; hanc his exemplis Aegrorum Hippocratis confirmabã; primùm obſeruabatur in Metone,qui die quinta liberatur grauiſſima febre cruda, & ſubnigra exiſtente vrina: illaque die iuſſu Hippocratis fuit lotum caput,vt largius ſanguis è naribus effflueret; paulatim enim die quarta fluebat: ecce quod euacuatione ſymptomatica ſanatur.

Secundum obſeruabatur in muliere trimeſtri fœtu grauida: quæ morbo exiſtente crudo per ſudorẽ iudicatur ſine vlla coctione; audias Galeni verba in com. hiſtoriæ huius mulieris: *Paulò ante alius ægrotus per ſanguinis eruptionẽ iudicatus eſt, & modo mulier, de qua inſtituta eſt oratio per ſudorem, cum tamen in vtriſque morbus eo die inconcoctus eſſet;quæ res fecit vt minus abſoluta facta ſit iudicatio.* Ecce, quòd ſi ſanitas poteſt prouenire à motibus ſymptomaticis, qui fiunt, dum cruditas adhuc viget, conſtanter dicendum eſt, ex motibus ſymptomaticis poſſe colligi aliquod beneficium.

Tertium obſeruabatur in Sileni hiſtoria,cuius mors expectanda erat die nona, ſed quia die octaua papulæ eruperunt mortuus eſt die vndecima, vt Galenus adomonet;ecce quod motus ſymptomatici iuuant.

Quartum exemplum obſeruabatur in hiſtoria Simonis 6. epid.2.tex. 29 qui iuuabatur inunctionibus, & lotionibus calidis trahentibus vi à centro ad circumferentiam; hic motus violentia, & arte factus non ad criticum, ſed ad ſymptomaticum refertur.

Poſtremò probari poteſt, motum violentum iuuare, eo quia in morbi principio crudis exiſtentibus humoribus medicus iuuat ægros mouendo per vomitum, purgando per aluum, phlebotomando,& alijs violentibus motibus incedẽdo; quare ſi medicus iuuat crudo exiſtente morbo, quanto magis iuuabit natura irritata à vi,& acrimonia crudorum ſuccorum?

Inſuper, quod euacutiones ſymptomaticæ, quæ fiunt cruda exiſtente materia iuuẽt, colligi poteſt ex Hipp. 1. aphor. 22. vbi dicit; concocta medicari, & non cruda, neq; in principijs; modò non turgeant; quare dum in principio morborum materia turget,eſt purganda; ſi igitur dum turget in principio, euacuatio eſt laudanda,ergo motus ſymptomaticus non erit omninò inutilis.

Ego diu meditatus ſum, quid eſſet dicendum in hac difficultate; tandem incidi in hanc diſtinctionem, quod euacuatio ſymptomatica duplex ſit; alia eſt euacuatio ſyncerè ſymptomatica;& hanc dicimus nocere, quia ſupponit dominium morbi, & naturæ omnimodam proſtrationem; nocereque vt ſignum, & vt cauſam,vt ſignum, quia indicat morb. dominium, & naturæ certamen perniciem;vt cauſã,quia dum cruda non quieſcunt,in ipſis nullum coctionis veſtigium imprimitur; alia verò eſt mixta ex motu ſymptomatico, & critico, ita vt crudi humores participẽt aliquam coctionem.

Hac poſita diſtinctione dicimus, in Metone ſanguinis fluorem è narib. non fuiſſe ſyncerè ſymptomaticum; ſed mixtum ex critico, & ſymptomatico.

Similiter dicendum eſt de ſudore,quo li-

liberatur mulier trimeſtri fætu grauida; quia neque in Metone; neq; in hac muliere,vt docet Gal.omninò perfecta facta fuit iudicatio.

Itidem dicimus de motu ſymptomatico Sileni fuiſſe mixtum ex ſymptomatico, & critico, ſed admodum imperfecto.Si.n.papulæ Sileni fuiſſet abſolutè ex crudis eleuatæ, perijſſet in principio nonæ, ità vt ob motũ purè ſymptomaticum præmatura morte fuiſſet interemptus.

Hinc ſi in motu ſymptomatico mixto humores crudi longè plures ſint, quam cocti,maior labor, & maior iactatio, ſeu virium diſſolutio fit: ſi verò plures ſint humores cocti, tunc minor iactatio, & minor labor ſuccedit; ſi demum longè plures ſint cocti, quam crudi humores tunc natura indicat, & ægri liberantur, ſicuti contingit Metoni, & Mulieri trimeſtri fætu grauidæ.

Præterea vagatur alia pulcherrima diſtinctio de motu ſymptomatico, quod motus ſit ſymptomaticus vel ratione temporis,vel ratione exeuntis; ratione temporis eſt ſi in morbo bilioſo euacuetur bilis in principio morbi; ratione exeuntis eſt ſi in morbo bilioſo euacuentur humores pituitoſi, & non bilioſi; poſita hac diſtinctione dicimus motum ſymptomaticum ratione temporis non eſſe ita malum, motum verò ſymptomaticum ratione exeuntis eſſe malum, & perniciosum.

SANCTORII SANCTORII

Olim

IN PATAVINO GYMNASIO MEDICINAM THEORICAM ORDINARIAM PRIMO LOCO PROFITENTIS

Commentaria

IN ARTEM MEDICINALEM GALENI.

PARS TERTIA.

CAPITIS LXXXIV.

De Cauſis Salubribus, Inſalubribus, & Neutris.

Tex. 1. *Quoniam verò & harum, hæ quidem ſalubres, hæ autem inſalubres, hæ verò neutra, primum de cauſis ſalubribus erit ſermo. Quia verò & harum nonnullæ quidem conſeruatrices, nonnullæ verò effectrices ſanitatis, ſunt autem & tempore, & dignitate priores conſeruatrices, incipiendum eſt à conſeruatricibus. Cùm igitur non vnum tantùm ſit ſanum corpus, ſed plura, vt ſupra definiuimus, in eorum ſingulis propria erit cauſa conſeruatrix. Si quidem omnis cauſa in eo, quòd ad aliquid exiſtit. Hic igitur denuò ſumendum initium ab optima corporis conſtitutione, ac quæ ei ſalubria ſint, conſiderandum.*

Tex. 2. *Eorum autem inuentionem ipſius rei natura inſinuat. Si enim impatibibile, atq; inalterabile eſſet corpus, ſemper optima conſtitutio perduraret, neque artis præſidio indigeret. Quoniam verò alteratur, corrumpitur, & vertitur, neq; eumdem ſeruat prioris ſtatus tenorem, ea ratione auxilium deſiderat.*

CVM Medicina ſit ſcientia corporum, ſignorum, & cauſarum ſalubriū, inſalubriū, & neutrorum, & Gal. in 1. parte huius libri egerit de vniuerſis corporibus; In ſecunda de ſignis, quibus poſſint omnia corpora dignoſci: Sequitur, vt in hac tertia parte agat de cauſis; ſed per cauſas, non credant lectores, Gal. intelligere cauſas cognitionis; quia cauſæ cognitionis corporum ſunt ſigna tradita in ſecunda parte huius libri, quam explicauimus; neque per cauſas intelligere morborum, vel ſanitatis cauſas internas ſed remedia, quatenus poſſunt eſſe cauſæ ſalubres, inſalubres, & neutræ.

Diuiditur hæc tertia pars libri, vt optimè aduertit Pluſquamcommentator, in quatuor partes. In prima, quæ eſt ab hoc cap. vſquè ad ſecundam particulam Capitis 88. agit de cauſis conſeruantibus ſanitatem, quæ medicinæ pars à Gal. lib. ad Thraſyb. c. 30. vocatur ὑγιεινή, ideſt boni habitus conſeruatrix. In 2. quæ peruenit vſque ad cap. 99. agit, quibus remedijs ſint curandi omnes morbi; & hæc eſt pars Therapeutica. In 3. quæ perficitur in toto cap. 99. docet, quomodo ſint præſeruanda corpora neutra, ne in ægritudi-

nem cadant,quæ pars à Gal.lib. ad Thraſyb. cap. 30. vocatur προφυλακτική, ideſt præſeruatiua corporum decidentium.In quarta docet, quomodo ſint reficienda corpora neutra conualeſcentium, & ſenum,quæ à Gal. loco citato vocatur ἀναληπτική, ideſt reſumptiua corporum habentium(vt dicit Gal.li.ad Thraſyb.7.)ſanitatem lubricam, & in affectione.

Diuiditur hoc cap. in tres particulas: in prima, facta diuiſione cauſarū, reddit rationem, cur incipiendum ſit à cauſis conſeruantibus ſanitatem. In 2.dicit eſſe incipiendum ab illis cauſis ſalubribus, quæ conſeruant corpus ſaluberrimum. In 3.reſpondet cuidam tacitę obiectioni; quia quis potuiſſet negare, corpus ſaluberrimum indigere conſeruatione; ideò occurrens ait, corpus quoque ſaluberrimum non eſſe adeo inalterabile, vt non egeat auxilio conſeruante.

Hic eſt ſenſus totius capitis; quia tria ſunt genera cauſarum,ſalubre videlicet, inſalubre, & neutrum; de ſalubribus dicit eſſe prius agendum: ſed quia cauſarū ſalubrium nonnullæ ſunt,quæ ſanitatem conſeruant;nonnullæ verò quæ ſanitatē efficiunt, inquit, primum eſſe agendum de ijs, quæ ſanitatem conſeruant; quia conſeruatrices cauſę ſunt tempore,& dignitate priores effectricibus: prior enim eſt ſanitas,& deinde morbus, quia morbus eſt priuatio ſanitatis:ſeu vt dicit Gal. 9.meth.c.14.receſſus à ſtatu naturali:cauſæ verò,ſeu remedia,quod idem eſt, quæ conſeruant, vel efficiunt ſanitatem tot ſunt, quot corpora conſeruanda, & ſananda,quia ſunt relatiua,& relatiua non ſolum ſunt ſimul natura, ſed etiam ſunt numero æqualia.

Quot verò ſint corpora conſeruanda, & ſananda oſtenſum eſt in prima parte huius libri,decem videlicet & octo: dantur enim corpora ſalubria vt ſemper, vt multum,& vt nunc,eandem diuiſionem recipiunt inſalubria, & neutra; ſed quia dantur neutra ſecundum quatuor ſignificata, & ſecundum quodlibet ſignificatum corpus poteſt eſſe vt ſemper,vt multum, vel vt nunc, inde fit, vt corporum ſint decē & octo genera;tot igitur erunt cauſæ, ſeu media cunctis his corporibus reſpondentia,quæ tamen ſunt duum generum, aliqua ſanitatem conſeruantia; aliqua verò ſanitatem efficientia.

Incæpit tamen Gal. à cauſis conſeruātibus ſpectantibus ad corpus ſaluberrimum, quod vocatur ſalubre ſemper; cognita enim cauſa, ſeu medicina ſaluberrima,cæteræ facillimè innoteſcūt,docet enim Ariſt.1. de anima tex. 81. quod rectum ſit iudex ſui & obliqui; ſimiliter ex Gal. cauſa ſaluberrima conſeruatrix eſt regula omniū aliarum: quia ex illius dignotione quiſque colligat conditiones cauſarum inſalubrium,& neutrarum.

Cæterum, quia aliquis potuiſſet obijcere,corpus ſalubre vt ſemper nō indigeſe præſide & cauſa cōſeruante,ideò Gal. reſpondet, hoc quoque corpus quamvis perfectiſſimum indigere conſeruatione; quia ex ſe non eſt impaſſibile,inalterabile,vel incorruptibile,ſed moriatur oportet; neq; ex ſe poteſt ſeruare eundem tenorem; quia omnia mixta etiam temperatiſſima, cum perpetuæ alterationi ſint ſubiecta,ſemper ab illo puncto medio ſaluberrimo,qui eſt tanquam regula Polycleti, per exiguos aliquos lapſus, ſiue receſſus patiuntur; ideò talia auxilia exoptant pro conſeruatione, qualia poſſint ſufficere in corrigendis paruis,& perexiguis lapſibus,ſeu receſſibus,qui continuò in ipſis fiunt: hic eſt ſenſus capitis.

Cauſæ verò, cur corpus quoque ſaluberrimū non ſolum alteretur,verum etiā ex neceſſitate mortale ſit,duę ſunt,æquè inevitabiles;ambæ referuntur à Gal.1.de elem. cap.7. & lib.de tabe cap.4. quarum prima eſt humidi proprij, & natiui exſiccatio, quæ fit à calore non externo, ſed interno,& acquiſito in prima generatione: quamuis hic calor vſque ad ætatis vigorem exſiccet ſummo cum animantiū beneficio,quia exſiccando ſuperfluā adoleſcētium humiditatem maximum indit robur omnibus corporis viuentis partibus; quibus roboratis,animal officiorum ſuorum munera mirificè explet. Cæterum miſerrima animantium conditio ab eodem quoque calore trahit initium; quia poſt exſiccatam humiditatem ſuperfluam, & poſt inditum robur membris,calor natiuus incipit humidum proprium,& radicale depaſcere, eò vſque exſiccando, & abſumendo, quouſque

vi-

viuens ſeneſcat, & præ nimia ariditate moriatur.

Secunda cauſa mortis,quę proponitur quoq; à Galen.1.de tuenda val. c.2.non inſpicit calorem naturalem, qui exſiccat humidum natiuum, quando non indiget exſiccatione, ſed reſpicit fluorem totius ſubſtantiæ, quæ continuò inſenſibiliter fluit; quantus verò ſit hic quotidianus ſubſtantiæ fluor,vix arbitror ab alijs fuiſſe intellectum ſine ſtaticis, quibus nos vtimur, experimentis; cauſa verò mortis ob hunc fluorem totius ſubſtantiæ eſt, quia non tantum alimentis remittitur, quantum quotidie è corpore euolat:non tantum remittitur, quia calor quotidie exſiccat, & indurat prima ſpermaticarum ſtamina, vnde ſenium, & tandem mors ſuccedit.

Auxilia, ſi inuenirentur pro euitanda morte,quorum alterum reſpicerent:alterum, quod prohiberet, ne calor natiuus exſiccaret humidum radicale: alterum, ne humida ſubſtantia natiui caloris non plus effflueret,quam nos ſciremus remittere; ſed hæc videntur hactenus inuentu impoſſibilia; quia de ratione caloris eſt exſiccare, & humidum reſoluere.

Auxilia tamen pro retardandis ambabus mortis cauſis,à medicis ſunt inuenta; quia quod calor naturalis minus exſiccet humidum radicale, non eſt inuentu difficile; quoniam omnia quæ ſubſtantialiter humectant, & de quib. inferius agemus, retardant & morantur hanc exſiccationem. Similiter Medici ſciunt prohibere,ne ob nimium fluorem ſubſtantię cito exſiccetur humidum radicale, quod fiet, vt docet Gal. 1. de elementis cap. 7. vſu ſimilium, illa enim quæ ſunt humida ſubſtantificè, quæ ſunt coctu facilia,ſunt verè ſimilia,& prohibent exſiccationem, & retardant ſenectutem.

Cauſæ igitur, de quibus agit hîc Gal. ſunt duum generum:alię conſeruatrices, & aliæ curatrices; hancque cauſarum diſtinctionem Galenus deſumpſit ab Ariſt. 4. metaphy. tex. 2. Hæ igitur conſeruatrices,& curatrices iunctę corporibus,& ſignis efficiunt, vt in prima par.lib.oſtenſum eſt, ſeptuaginta duo capita amplectentia totam medicinam. Cæterum conuertamur ad dubia (vt noſter mos eſt) quia in eorum ſolutionibus facilius medicinæ arcana, & huius libelli artificium aperiemus.

1 Dubitat. Gal.ait in tex. primum eſſe agendũ de cauſis ſalubribus; tamẽ in hoc libro nullibi agit de inſalubribus, & neutris:videtur igitur quod dupliciter error, primò, quia non agit de cauſis inſalubribus, ſecundò ſi Gal.de inſalubribus non agit, cur propoſuit illud verbum; primum agendum de ſalubribus.

Reſpondet Haly, Galenum agere de inſalubribus,& neutris per accidens,& non per ſe; Hæc reſponſio reijcitur, quia tractatus de cauſis inſalubribus, & neutris ad artem medicinalem per ſe pertinet,in definitione enim non ponitur,niſi quod eſt per ſe conſiderabile; dictum eſt medicinam eſſe ſcientiam ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum. Præterea ſi de inſalubribus, & neutris cauſis ageretur hic per accidens;ſequeretur quod tractatus de inſalubribus, & neutris pertineret ad alium Artificem; omne enim quod per accidens alicui conuenit;debet per ſe conuenire alteri: vbi igitur tractabitur per ſe de inſalubribus, & neutris cauſis, niſi id fiat in arte medicinali?

Pluſquamcommentator inquit, Galenum per primum,intelligere primum in intentione,nõ in ordine; prius enim medicus ſanitatem, & deinde morbum inſpicit: Quæ reſponſio non omninò mihi probatur;quia quod primariò non intenditur,ſed ſecundariò,id non eſt per ſe;vel dicimus, quod ab aliquo intenditur ſecundariò ab alio debet primariò intendi; Quis igitur conſiderabit primariò cauſas inſalubres, & neutras? quare cum Haly incidit in eundem ſcopulum.

Nos reſpondemus,medicum ęquè primò cõſiderare cauſas ſalubres, & inſalubres: ſed Gal. qui eſt breuiſſimus in hoc libro dicit primum agendum de ſalubribus, quia cognitis ſalubribus, ſtatim eluceſcent inſalubres, & neutræ cauſæ; cognito vno oppoſitorum ex Ariſt. 1. top. cap.8.cognoſcitur & alterum; Conferamus ad propoſitum, quæ dicta ſunt; cauſæ ſalubres ſtant in recto vſu cibi, potus, ſomni,& vigilię,& reliquarũ rerum non naturalium; rectus vſus eſt moderata quantitas,qualitas,& tẽpus opportunum; quo

quo cognito ſtatim addiſcimus immoderatam quantitatem, qualitatem, & temporis importunitatem efficere cauſas inſalubres. Hæc eſt cauſa, cur non egit de inſalubribus, quæ ſimiliter primariò intenduntur à medico. Simili modo dicimus, non egiſſe de neutris, quia cognitis extremis media ex ſe ſimiliter elucescũt.

2 Dubit. agens Gal. de cauſis proponit cauſas conſeruantes, & efficientes ſanitatem: de alijs verò cauſis, vt de materia, forma, & fine ne ve rbum quidem, quare uidetur diminutus.

Reſpondet Pluſquamcommentator, ſanitatem, & morbum eſse accidẽtia; accidentia verò non habere materiam ex qua, & accidentia carere fine, & forma.

Hęc reſponſio, quamuis ſit communis, eſt falſiſſima, & ridicula; quia omne quod habet cauſam efficiẽtem, habet materialem, formalem, & finalem: quod uerò morbis conueniat finis, patet, quia omnis generatio, & corruptio in aliquem finẽ dirigitur, habetque omnia genera cauſarum: Præterea morbus eſt opus naturale; quare vt naturale requirit quatuor cauſas. Hinc Auicennas, dum agit de ſubiectis medicinæ rectè inquit ſanitatem, & ægritudinem, quatenus ſunt effectus naturales, habere quatuor cauſas.

Dicimus nos, morbos dupliciter conſiderari; primò vt ſunt ſpecies generationis, & transmutationis, & cauſæ quæ efficiunt trãſmutationem, & hoc modo pertinent ad philoſophum naturalem, habentque omnia genera cauſarum: nulla enim cauſa efficiens eſt in vniuerſo, quæ non agat propter finem; ſecundo modo conſiderantur morbi, vt pertinent ad medicum, cuius finis ſolum dirigitur ad hominem ſanandum, vel conſeruandum & non transmutandum, vel de nouo indiuiduum generandum: ſecundum hanc conſiderationem ſi Medici intelligent, morbos carere fine; non decipientur: carent enim fine; quia finis, propter quem à natura morbi fiunt, nõ pertinet ad medicum, ſed ad philoſophum. Dum dicit Pluſquamcommentator ſanitatem, & ęgritudinem eſse accidentia, & accidentia carere fine, forma, & materia ex qua, vacillat, quia medicus non conſiderat ſanitatem, & ęgritudinem, ſed ſanum, & ęgrum, ſanum vt eſt conſeruandum, & ęgrum vt curandum. Hinc agens in hoc loco Pluſquamcommentator de omnibus generibus cauſarum non immeritò reprehenditur ab Argenterio.

Falluntur ſimiliter, qui agẽtes de morbo tractant de cauſarum generibus, & de natura cauſarum inſtrumentalium, quæ dicuntur ſine quibus nõ; quas cauſas poſt longam diſputationem negant deduci ad quatuor genera cauſarum; quodquam ſit abſurdum, iudicent, qui in Philoſophia ſint verſati, qui ſciunt nõ dari plura cauſarum genera, quam quatuor, & ad medicum non pertinere tractatum de omnibus generibus cauſarum pro cognoſcendis, & curandis morbis.

3 Dubitatio, non videtur, quod cauſa effectrix ſanitatis ſit ſalubris, quia pharmaca, ſicuti ſunt veratrum, ſcamonium, & ſtybium, quamvis aliquando introducant ſanitatem, ſunt tamen deleteria, ergo non ſalubria.

Reſpondetur, pharmaca, ſeu cauſas effectrices ſanitatis dupliciter conſiderari, vel pro illo tempore, quo efficiunt ſanitatem, & ſic dici poſsunt ſalubria, vel conſiderari pharmaca, dum eorum vſus in humano corpore perſeuerat; tunc dico, non ſolum pharmaca, ſed omnia remedia, quę efficiunt ſanitatem, ſi perſeuerarent, fore inſalubria; immo longus eorum vſus efficeret ægritudinem, cauſa enim quæ efficit ægritudinem eſt quoque cauſa conſeruans ægritudinem, cauſa verò efficiẽs ſanitatem non eſt cauſa eam conſeruans, immo ſi perſeuerat, conuertit ſanitatem in ægritudinem.

4 Dubit. Gal. ait, cauſarum ſalubriũ, aliquas eſse conſeruatrices, & aliquas effectrices, quaſi quod conſeruatrices nõ ſint effectrices: cum igitur ex omnium cõſenſu cauſæ conſeruatrices reducãtur ad effectrices, diuiſio Gal. videbitur inepta.

Reſpondet Pluſquamcommentator, cauſas cõſeruatrices reduci ad cauſas effectrices, ſed hac lege, vt cauſa dicatur effectrix, dum aliquid efficit, dicatur uerò conſeruans, dum perſeuerat in efficiẽdo, poſtquam res facta eſt; exemplum, dum humor dilabitur in aliquem meatum, & facit oppilationem, dicitur cauſa efficiẽs, dum uerò humor ibi perſiſtit, & perſe-

uerat dicitur cauſa efficiens conſeruans ægritudinem.

Reijcitur hæc ſolutio; quia diuiſio debet eſſe membrorum diuerſorum,& non ſat eſt,vt dicamus,vnam cauſam eſſe efficientem, & alteram conſeruantem, niſi intimius declaretur natura harum cauſarum efficientium.

Saluus Sclanus ait,cauſam efficientem conſeruantem diſtingui à cauſa efficiente non quia hæc agat,illa verò non agat,ſed diſtingui quatenus cauſa effectrix introducat ſanitatem deperditam, cauſa verò conſeruatrix præſentem conſeruet.

Reijcitur Sclanus, quia non exactè diſtinguit naturam effectricis,& conſeruatricis ſanitatis; ideò oportet ſpecificè declarare,quomodo cauſa conſeruatrix ſanitatis, & quomodo cauſa, quæ introducat ſanitatem,ſint efficientes.

Dicimus igitur nos efficientes eſſe duû generû, aliud eſſe efficiens verum, quod ſemper eſt principium vnde motus; aliud vero eſt genus cauſæ efficientis, quod ab Auerroe, & omnibus Philoſophis vocatur cauſa efficiens nô vera, quæ gerit potius vicem formæ, quam efficientis exẽplum,interpoſitio terræ reſpectu eclypſis non eſt vera efficiens, quia non eſt principium motus;vocatur à Philoſophis non vera,quia hoc genus cauſæ,ea quæ efficit ſine motu efficit: ſic rationalitas eſt cauſa efficiens riſibilitatis ſine motu,diciturque cauſa efficiens non vera: poſita hac diſtinctione dicimus,Gal.diuidere cauſas ſalubres in efficientes veras, & non veras;cauſas efficientes veras efficere ſanitatem: cauſas uerò efficientes non veras eſſe conſeruatrices.Hinc dum humor obſtruit,& efficit obſtructiones,debet vocari cauſa efficiens non vera, ad differentiam efficientium cauſarum, quæ ſine motu nihil efficiunt: qui igitur naturam horum duum generum efficientum non intelligent, numquam diluere poterunt propoſitum dubium.

5 Dubit. Galen.in hoc lib.cap.99. facit peculiarem tractatum de cauſis præſeruatiuis, & in fine libri agit de cauſis reſumptiuis, quæ reſpiciunt corpora côualeſcentium,& ſenum: attamen in proœmio non proponit agendũ de cauſis præſeruatiuis,& reſumptiuis,ergo mancus.

Argenterius in ſoluenda hac dubitatione non laborat,ſed liberè dicit, Gal.in hoc proœmio fuiſſe diminutum.

Iulius Delphinas reſpondet, Gal. non propoſuiſſe præſeruatiuas, & reſumptiuas,quia dicit has contineri in cauſis cõſeruatricibus, & effectricibus, quas proponit in proœmio. Hæc ſolutio non eſt omninò improbanda. Errare tamen videtur in hoc,quia putabat,cauſas præſeruatiuas, & reſumptiuas vocari neutras, quia verſantur circa corpora neutra:quæ appellatio ſi eſſet vera,cauſę ſalubres efficientes ſanitatem, quia verſantur circa corpora ægra, poſsent dici ægrę, & non ſalubres,quod eſt ridiculum.

Dicimus igitur,præſeruatiuas,& reſũptiuas eſse cõſeruatiuas,quia medici finis duplex eſt,vel vt ea inueniat,quæ ſanitatem introducant,vel quę eam conſeruẽt: deinde dicimus, reſumptiuas, quæ reſpiciunt corpora conualeſcentium,& ſenũ, & præſeruatiuas,quæ reſpiciunt corpora neutra decidẽtię vocari poſse cauſas neutras, non quia verſentur circa corpora neutra, ut dixit Delphinas, ſed quia medio modo corrigunt: exempli gratia, quando medicina corrigit inſenſibiliter, tunc pertinet ad cõſeruatricem cauſam; ſi ſenſibiliter pertinet ad curatricem; ſi medio modo,tunc vel pręſeruat,vel reaſſumit; hoc modo cauſæ conſeruatrices, & effectrices poſsunt dici neutræ; cõcludimus igitur, omnes cauſas reduci ad illas duas propoſitas à Galeno, ſalubres videlicet conſeruatrices, & effectrices; neutras verò vocari poſse, dum medio modo agunt.

6 Dubit.dicit Gal. conſeruatricem medicinam eſse tempore, & dignitate priorem curatrice:idem aſserit primo de tuẽda val.cap.1. attamen lib. ad Traſyb. ait, partem curatiuam fuiſse prius inuentam, quam quæ ſanitati præeſt, ergo vel hìc, vel ibi Gal. fallitur.

Pluſquamcommentator reſpondet, ſicut ſanitas eſt prior tẽpore & dignitate, quam ſit morbus;ſic pars conſeruatrix eſt prior tempore, & dignitate parte curatiua. Similiter nos dicimus,quia ſanitas eſt prior tempore, & dignitate morbo; ideò partem conſeruatricem,quę agit de ſanitate,eſse priorem tempore, & dignitate

tate morbo. Præterea morbus nil aliud eſt ex Gal.9.meth.cap. 14. quam receſſus à ſanitate; nunquam igitur intelligemus quantus ſit receſſus,niſi præcedat ſanitatis cognitio.

Argenterius reſpondẽs huic dubio ait, Gal.ſibi contradicere; quia etiam 1. de tuenda val.cap.vlt.inquit,medicinam dici à parte prius inuenta, quæ conſiſtit in vſu medicinarum, & deinde per longum otium fuiſſe inuentam conſeruatricem; quare cauſam conſeruatricem, ait, non eſſe priorem tempore, & dignitate curatrice: Addit Argenterius, magis laudari medicos,qui ęgros liberant à morbis maligniſſimis,quàm, qui ſana corpora conſeruant.

Reijcitur,quia non valet cõſequentia, Ars curatrix fuit prius inuẽta, ergo cauſa conſeruatrix non poteſt tempore præcedere; non enim dicit Galenus partem medicinæ conſeruatricem eſſe priorem, ſed cauſam conſeruatricem eſſę priorem curatricẽ,non enim agitur hic de prioritate inuentionis.

Quæ pertinent ad medicinæ inuentores Poetæ multa fabulantur;fingũt enim Apollinem partem Æſculapij,qui deinde fuit inuentor medicinæ, fuiſſe primum Auctorem; ſed ſub fabula aliqua veritas continetur; quia per Apollinem intelligebant Solem, qui præeſt ſanitati, qui vt dicit Macrobius 1.ſaturnalium, eſt cauſa ſalutis in toto orbe, quatenus radiorum virtute reſoluit vapores malos, & anteuertit malignos peſtilentes morbos, fouetq; calorem naturalem viuentium, & conſeruat totum orbem: Ecce quomodo cauſa conſeruatrix,ideſt Apollo tempore eſt dignitate prior, quam cauſæ curatrices ab hominibus inuentæ.

Prẹterea,quamuis à vulgaribus magis exiſtimentur medici, qui curant morbos acerrimos, quam qui præſeruant; cenſemus tamen id iniuſtè fieri: mihi ſanè ſi præeſſent duo medici,alter qui ſciret mihi prædicere imminentem affectũ malignum, eumque, antequam in morbum caderem, de medio tolleret; alter verò qui non præuideret futuram tempeſtatem,eſſet tamen idoneus ad ſuperandum ſæuiſſimum illum morbum multis remedijs:Ego certè potius eligerem medicum præſeruantẽ, & liberantem me à futura ęgritudine:magis igitur facienda eſt pars conſeruatrix, quam curatrix.

7 Dub. Gal. in tex. dicit, tot eſſe cauſas conſeruatrices, quot ſunt corpora; quod videtur falſum;quoniam corpus ſaluberrimum non eget cauſa conſeruante; ait enim Gal.in cap.ſequenti,& 2.de tuenda val. c. 7. corpus ſaluberrimum non indigere præſide,& cuſtode,quia tale corpus tantum appetit, quantum concoquit, & ea appetit,quę ſunt ſibi ſaluberrima;quare hoc corpus, cum habeat naturam,quę eſt internus medicus, non indigebit pro illius conſeruatione remedijs medicorum;ergo non erunt tot cauſę conſeruatrices,quot corpora.

Reſpondetur, quod quamuis corpus ſaluberrimum non indigeat medico, tamen non valet, ergo non eget cauſa cõſeruante:quia cauſa conſeruatrix eſt in ſe ipſo;omnia enim corpora, quamuis ſaluberrima,mixta ſunt ex quatuor elemẽtis, ſuntque obnoxia perpetuis alterationibus,dum verò alterantur recedunt,vel accedunt ab ſaluberrimum punctum; ideò ſemper indigent cõſeruatione: cauſa verò conſeruatrix iſtius corporis corrigit, ſed paruos aliquos prolapſus, ſed non ſenſibiles, vt docet Gal.lib.ad Thraſyb.cap.20.

QVÆST. XCVIII.

Quomodo natura rei inſinuet inuentionem cauſarum ſalubrium.

Rei naturam, ſeu definitio, vt dicit Gal.in tex. inſinuat inuentionem cauſarum tam efficientium ſanitatem, quam conſeruantium.Ariſt.enim 1.de anim.tex.11.vult,quod animæ definitione præcognita facilè cognoſcantur internæ affectiones. Hinc primo de moribus,c.7. auſpicatur à definitione boni. Gal. libr. de optima ſecta,& 9.meth.12.concludit, quid agendum deſumi à præcognitione naturæ non genericæ,ſed ſpecificæ.

Præterea cognitio naturæ affectus naturalis inſinuat conſeruationem per ſimilia, de quibus egimus in propria quæſtione. Natura verò affectus præter naturam inſinuat remedium, quod eſt contra-

trarium; quod verò vnum contrarium nos doceat aliud,patet,quia cognito vno oppoſitorum ex Ariſt.1.top.cap. 8. ſtatim & aliud elucescit.

Inſuper remedia,ideſt cauſæ conſeruãtes vel efficientes ſanitatẽ non deſumuntur à natura generica,neq; à natura particulari; non à generica,quia quod curatur, vel conſeruatur eſt quid ſpecificum, & nõ genericum;qui enim vellent curare affectũ ſpecificum remedio generico inciderent in illud erratum, quod deteſtatur in lib. primo analy. dum attributũ genericum applicatur ſpecifico; exemplum huius erroris in medicina obſeruatur,dum rudiores deſumunt remedia intercipientia generica à materia fluente, putant enim, quod poſſit inueniri intercipiens genericum commune,quod omnibus fluentibus humoribus ſatisfaciat; cuius intercipientis materia neq;à Galeno, neque ab alio hactenus eſt inuenta; nam ſi incraſſando intercipere velimus deſumenda eſt indicatio à materia tenui: ſi aſtringẽdo,anguſtante auxilio vtimur, quod non vt craſſefaciens anguſtat;ecce quod non ſatis eſt, ut in medicina ſciamus,eſſe intercipiendum; ſed oportet ut auxilium intercipiens (cuius materia eſt occulta)diuidatur in craſſefaciens,& anguſtans; adhoc ut illud ſpecificum inueniatur:generica.n.reſpectu ſpecifici indicantis ſubeunt materiæ vicem; atq; ſola ſpecifica indicãt:quia hęc dãt eſſe rebus.

Quamuis prima facie omnes morbi videantur eſſe indiuiduorum, vt indiuidua ſunt, tamen Gal.9.met.c.6.vult,non in indiuidualis eſſe methodum, ſed in vniuerſalibus; in particularibus verò ſolum methodi exercitium: ſimiliter 2. meth. 7. & 1.meth.c.1.dicit, artem ſolum exerceri in indiuiduis; methodum verò ſolum circa naturas ſpecificas: & ne hoc videatur paradoxum,exemplis illuſtretur. Socrates febricitat, ſpecifica, quæ indicant conſeruationem,erunt eius temperamẽtum,ætas,cõſuetudo, tale robur,vel talis natura:hęc omnia sũt ſpecifica,& infinita indiuidua fuerunt, quæ idem tẽperamentum,eandem ętatem,idem robur,& eandem naturam ſortita ſunt; quare cõditiones,quæ in Socrate ſecũdum naturam ſunt conſeruandæ,aptæ ſunt,vt alijs innumerabilibus cunueniant, ſimiliter eadem febris ſecundum eundẽ gradum, & naturam in plurimis alijs inuenietur; ergo nõ indiuidua & particularia primo ſanabuntur,ſed ſpecifica,quæ in infinitis indiuiduis eſſe poterant; ſi particularia eſſent illa,quę inſinuarẽt cauſas ſalubres, vaniſſima eſſet ars medica;artes enim & ſcientiæ ex Ariſt.1.poſt.ſunt ęternorum.

Deinde omne remediũ,quod aliquem particularem hominem poteſt ſanare, & omnes morbi qui ſunt in indiuiduis habent quaſdam naturas ſpecificas, atque æternas, quę infinitis alijs indiuiduis sũt communicabiles. Inſuper ſi particularia vt particularia curarentur, illorum indicationes non oſtenderet nobis remedia, quia non datur progreſſus à particulari ad particulare; ſi inductio, quæ procedit à multis particularibus ad vnum particulare non valet: quãto minus valebit progreſſus ab vno particulari indicante ad vnum particulare indicatum? nullo igitur diſcurſu,neque procedendo à multis, neq;ab vno inuenietur aliquod indicatũ. Natura itaq; ſpecifica & non generica, vel indiuidualis inſinuabit inuentionem cauſarum,ſeu remediorum ſalubrium.

CAPITIS LXXXV.

Particula I.

Tex. 3. *Secundum quot igitur alteratur modos; tot auxiliorum hoc eſt cauſarum conſeruatricum genera habebit, quas ex his, quæ dicta ſunt liquet eſſe ex correctiuarum genere. Sed quia paulatim correctiones faciunt,antequam omnis ingruat noxa non præſeruantes à futuro malo, ſed præſentis ſtatus conſeruatrices medici appellant.*

Qvia dixit ſuperius,cauſas ſalubres, ideſt auxilia deſumi à natura rei, ideò colligit Gal. in prima parte numerum cauſarum conſeruatricum.In ſecunda reſpondet cuidam tacitæ obiectioni. Quo ad primam, inquit, tot eſſe cauſas conſeruatrices, ſeu auxilia, quod idem eſt,quot ſunt modi alterationis:cuilibet enim modo alterationis opponitur ſuus modus conſeruationis.

Hæc Galeni philoſophia dependet ab altiſ-

altiſſimis methodi medendi principijs,in quibus eſt comprobatum,vnum indicare vnum,& non plura:& nos lib.11. qui inſcribitur de principijs methodi medendi à fonte analytico exhauriendis,probauimus altiori philoſophia, cur vnū indicet vnum, & non plura, quod eſt verum non ſolum in curatrice, verum etiam in conſeruatrice.

In ſecunda parte reſpōdet tacitæ obiectioni; quis enim potuiſſet dicere,ſi cauſæ conſeruantes emendant, vel corrigūt vitia,quæ ex alteratione fiunt, ergo non cauſæ conſeruatiuæ, ſed correctiuæ, ſeu præſeruatiuæ à morbo futuro vocari debent,ſumitur enim hic tamquam notiſſimum, quod cauſæ conſeruatiuæ pertineant ad corpora ſaluberrima, in quibus nullum eſt vitium; præſeruatiuæ à futuro malo ad corpora decidentia, & obnoxia ægritudini, reſumptiuæ ad corpora conualeſcentium,& ſenum.

Reſpondet Gal. cauſas conſeruatiuas, vitia quoque corrigere,ſed inſenſibiliter, & paulatim, vnde ob has cauſas nunquam læſio ſenſibilis accidat. Hinc Galenus lib. ad Thraſyb. cap. 20. dicit, qui ſanitatem conſeruant, paruo prolapſus corrigunt; affertque Galenus hoc exemplum pulcherrimum loco citato, ex quo colligi poteſt quomodo ſani conſeruentur; accipiantur duo dolia perforata in parte inferna & ſuperna; quæ aqua, ſeu vino ſint referta,&in vno ſemper per foramen ſupernum tantum vini addatur, quātum ab inferno foramine defluat. In altero verò dolio permittatur,vt egrediatur à parte inferna, quo vſq; aliqua portio vini effatu digna deficiat; his poſitis dicit Gal.quod in primo exemplo indicatur modus, quo fit ſanitatis conſeruatio: in ſecundo,quo fit præſeruatio:correctio igitur eſt tum in conſeruatrice, tum in præſeruatrice; in cōſeruatrice tamen eſt inſenſibilis, in præſeruatrice verò ſenſibilis,eſt inſenſibilis in conſeruatrice,quia per tranſpirationem parua vitia tolluntur; ſenſibilis in præſeruatrice, quia in corporibus neutris, quæ indigent correctione ſenſibili vitia ſunt facta ſenſibilia.

1 Dub.non videtur,quod tot ſint auxilia, quot ſūnt modi alterationum; quia præter omnia auxilia ideſt ipſa natura, quæ ex Gal.6.epid.com.5. tex. 1. eſt omnium morborum medicatrix, eſtq; auxilium omnium præſtantiſſimum.

Reſpondetur, quod natura eſt cauſa conſeruans,& auxilium commune, dum dicitur, tot eſſe auxiliorum genera, quot ſunt modi alterationum, intelligitur de ſpecificis, ſeu externis auxilijs. Reſponſio eſt diminuta, quia natura non ſolum eſt cauſa communis, verum etiam propriiſſima,& ſpecifica in qualibet corporis parte,& præcipuè vbi conſeruat reſoluēdo per inſenſibilem tranſpirationem.Secundò reſpondetur,& eſt melior reſponſio; quod tot ſint modi, qui per ſe corrigunt,quot ſunt noxę corrigibiles:natura ſola dicit Gal.11.meth. cap. 1. per ſe ipſa operatur;& medicus eſt naturę miniſter, vt dicit 1. de diebus decretorijs, cap. 11. & non operator præcipuus,de quibus intellitur hic: quare modi qui per ſe corrigunt ſunt modi naturæ, & non medicorum.

2 Dub.videtur in Gal. cōtradictio,quia in cap.99.ait,cauſas præſeruatiuas eſſe in triplici differentia, aliquas attinere ad corpora ſaluberrima, aliquas ad copora neutra, & aliquas ad actu ægra; quare ſi dabuntur cauſæ præſeruatiuæ, quæ conuenient corporibus ſaluberrimis,& integrè ſanis, in hoc loco ſibi contradicet dicendo cauſas attinentes ad corpora integrè ſana dici cōſeruatrices præſentis ſtatus,& non præſeruatrices à futuro malo.

Reſpōdetur, cauſas conſeruatiuas dupliciter conſiderari,vel vt cōſeruant corpus ſanum ſecundum ſenſum, & ſic dici conſeruatiuas; vel vt corrigunt paruos errores,& impediunt ne incidant corpora integrè ſana in latitudinem neutram, ſeu ægram: hacque ratione dici præſeruatiuas.

3 Dub.Gal.primo aphor.comm.1. dicit artē eſſe longam,& difficilē; occaſionem verò operandi eſſe præcipitē propter maximam fluxibilitatem humani corporis, quod ſemper alteratur ab internis,& externis cauſis, & nunquā in eodem gradu permanet.Hinc rectè Damaſcen.inquit, corpora eſſe adeò mutationi obnoxia, vt non ſit eadem ſanitas in ſero,& in mane. Seneca elegantius inquit,nō ſolū eadem corpora permutari, ſed in quolibet momento

mento

mento mori, & denuò generari; dicit enim præſens momentum eſſe mortem, præteriti; quare cauſæ conſeruantes ſanitatem erunt omninò fruſtratoriæ.

Reſpondetur à Pluſquamcommẽtatore, quod cauſę conſeruãtes eſſent fruſtratorię, ſi dirigerentur ad punctualẽ ſanitatẽ, quæ actu dari non poteſt; ſed quia ſanitas habet magnam latitudinem, vt probatum eſt ſuperius, ideò cauſæ conſeruãtes reſpicientes hanc latitudinem ſanitatis, quamuis corpus ſit obnoxium alterationibus, dantur, poſſuntque diu conſeruare hominem ſanũm. Præterea reſpondet, cauſas conſeruantes conſeruare ſanitatem quo ad ſenſum. Gal. enim in ſecunda parte huius libri ait, Medicum eſſe Artificem ſenſatum, & ad Medicum non pertinere ea, quæ ſub ſenſum nõ cadunt, ſed conſiderare actiones, quæ non conſiſtunt in alterationibus contemplabilibus; ſed in rebus ſenſibus ſubiectis. Poteſt quis eſſe proximus puncto ſaluberrimo, & quis etiam ab illo puncto non parum recedere, ambo tamen poſſunt eſſe ſani, &c. in actionibus ſimiles.

4 Dubitatio non videtur, quod tot ſint modi alterationum, quot ſunt cauſæ conſeruantes; quia dantur morbi inſanabiles, qui non habent cauſam conſeruantem.

Reſpondemus, Galenum hîc loqui de corporibus ſanis, & non ægris. Secundò reſpondemus etiam in morbis inſanabilibus eſſe veram propoſitionem Galeni, quod ſcilicet tot ſint modi alterationum, quot ſunt cauſæ conſeruantes, ideſt ſecundum formam, & non ſecundum materiam, ideſt quot ſunt modi alterationum, tot ſint auxilia contraria, ſanetur, vel non ſanetur æger.

5 Dubit. non ne vnus modus alterationis habet auxilium aliquod ſpecificum, & aliud genericum? ergo plures erunt cauſæ conſeruantes, quam modi alterationum.

Reſpondetur, dari etiam in modis alterationum, genericos, quare tot erunt modi alterationum generici, & ſpecifici, quot erunt cauſæ conſeruantes, ideſt auxilia generica, & ſpecifica.

6 Dubit. Pro quolibet modo alterationis inueniri poſſunt infinita medicamenta illi modo alterationis reſpondentia, ergo plures erunt cauſæ conſeruantes, quam modi alterationum.

Reſpondetur dari plura medicamẽta, quam modi alterationum; ſed medicamẽta non eſſe auxilia, vel cauſas conſeruãtes, ſed materias auxiliorum, ſiue cauſarum conſeruantium, quæ materiæ auxiliorum ad methodum non pertinent.

7 Dubitat. Si tot eſſent modi alterationum, quot ſunt cauſæ conſeruantes, deſtruerentur Therapeutica, ideſt pars curatrix medicinæ, quæ procedit curando, &c. non conſeruando.

Reſpondetur, quod cauſæ conſeruantes ſalubres non ſolum conueniunt parti profilacticæ medicinæ, ſed etiam Therapeuticæ, quatenus reddere poſſunt corpora ægra ad ſtatum ſalubrem.

8 Dub. Per cauſas ſalubres intelligit ex omnium conſenſu auxilia etiam medicinalia: Tunc ſic, medicamenta ſunt media inter cibum, & venenum; quare cum medicamenta participent naturam veneni, non debent vocari cauſæ ſalubres.

Reſpondetur, medicamenta eſſe media per negationem extremorum, & non per participationem.

QVÆST. XCIX.

Oſtenditur vnum indicare ſolum vnum.

Galenus in tex. dicit, tot eſſe cauſas conſeruatrices, quot ſunt modi alterationum; quod quidem præceptum mirificè obſeruatur non ſolum in parte conſeruatiua, verum etiam in curatiua. Gal. enim 9. methodi cap. 12. habet, conferentis indicatum ſemper eſſe vnum, & 2. meth. c. 13. vnam ſemper dari ex quaque re indicationem, & lib. de optima ſecta ad Traſyb. cap. 45. vnum indicare vnum, quia vni vnum aduerſatur.

Sed rationes ab altiori ſchola deſumptæ, quę cogunt vnum tantum vnum indicare, afferẽtur, declarato prius, quomodo quæſitum intelligi debeat; dicimus igitur vnum indicare vnum quatenus vnum, reſpectu .ſ. vnius & eiuſdem, ad idem, & ſecundum idem, eodem modo, & eodem tempore: quibus obſeruatis vnum indicat vnum, alioqui vnum poſſet

ſet indicare duo,tria,& centum; quartana febris eſt vna;attamen vt eſt calida intemperies indicat refrigerãdum, vt ſicca humectandum, vt facta à melancholia euacuandum quæ vt craſſa attenuandũ, vt putrida ventillandum,vt apta inuadere principes partes reuellendum; ecce quòd plura indicata ab vnico morbo deſumi poſſint. Hinc Galen. in methodo ſæpè repetit,tot eſſe methodos,quot ſunt ideæ, ſimplicemque ideam vnicum indicatum indicare, plures plura.

Hæc ſententia, quod vnum indicet vnũ,deſumitur ab Ariſtotelis philoſophia, 1. de generatione, & corruptione, & à Gal.1.meth.cap.7. vbi apparet in vno genere non eſſe plura contraria duobus; ſic in genere ſaporum dulce aduerſatur amaro; quare vt indicatum ſit contrarium indicanti,indicans indicabit vnum, & non plura.

Quod verò vnica tantum ſit contrarietas in vno genere,colligitur ex definitione contrarietatis propoſita ab Ariſt.10. metaphy. tex.13. & 14. vbi dicit contrarietatem eſſe maximam differentiam eorum,quæ ſunt ſub eodem genere. Itidem Temiſtius 1.phy.47. habet, cõtraria eſſe, quæ eiuſdem generis extremas margines obtinent. Diuus Thomas in meteoro.dicit, contraria eſſe duas formas maximè diſtantes in eodem genere;ſicuti calidum & frigidum in genere primarum qualitatum: album,& nigrum in colorum genere; quare, cum quæ maximè differant in vnico genere, ſint duo maximè extrema, in quolibet genere erunt duo tantũ extrema oppoſita, quæ vnicam efficiunt contrarietatem,quare vnum,ſi indicabit contrarium, non poterit niſi vnum indicare; media verò quæ ſunt inter hæc extrema non aduerſari extremis,niſi id fiat participatione extremorum.

His principijs Philoſophus nouit, vnũ vni aduerſari. His primo de cœlo inuenit motum circularem, non eſſe naturalem elemento ignis, ſed aliundè pendere ea ratione,quia ſi eſſet naturalis,ſequeretur primo,quod vni duo eſſent contraria; videlicet motui circulari ignis: motus rectus deorſum,& ſurſum: Secundò,quod ſimplicis corporis duplex eſſet motus ſcilicet rectus, & circularis, quod eſt omninò impoſſibile;ab vnica enim ſimpliciſſima natura duo per ſe prodire non poſſunt. Per hæc principia Philoſophus altius eleuatus inuenit motum circularem Cœlo conuenire per ſe, & vt ait 9. meta. tex.17. non eſſe timendum, ut aliquando ſtet: eiuſque finem non eſſe quietem,ſed æterno tempore in orbem moueri; quo fit, vt motus cum primo, & per ſe à natura pendeat, coactus ſit aſſerere motum diuerſum arguere naturam diuerſam, & Cæli eſſentiam eſſe quintam;ecce quibus arcanis medendi methodus ſuffulta docet,vnum indicare vnum.

Amplius confirmatur hoc principium, quod vni vnum ſit indicans per principia analytica; Ariſt. enim.2.poſt.in principio colligit definitionem dare ſolum quid,quia vnum dat vnum,& non plura.

1 Dub. non videtur quod vni affectui vnum remedium aduerſetur; an ne magnitudo morbi indicat venæ ſectionem, & pharmacum? ergo vnum indicabit plura.

Reſpondetur magnitudinem morbi indicare vnum tantum,hocq;eſſe magnum remedium: pharmacum verò,& phlebotomiam eſſe ſpecies huius magni remedij;quemadmodum nos fusè lib. methodi vitandorum errorum probauimus.

2 Dubit. non videtur, quod in vnico genere vnica ſit contrarietas; in genere enim primarum qualitatum duæ ſunt contrarietates, & per conſequens quatuor contraria.

Reſpondetur, in quolibet genere vnicam eſſe contrarietatem intelligendo de genere vniuoco, & proximo, infra quod non eſt aliud genus; ſic dicimus in genere primarum qualitatum duo eſſe genera, alterum actiuarum, & alterum paſſiuarum, vel dicimus vnicam eſse contrarietatem reſpectu vnius, & eiuſdem ad idem, &c. ex his colligimus vnam naturam unum tantum inſinuare remedium, & non plura.

CAPITIS LXXXV.

Particula II.

Tex.4. *Alteratur igitur corpus à nonnullis quidem neceſſariò, à quibuſdam verò non*

non neceſſario: dico autem neceſſariò, quæ nulla eſt euitandi ratio: non neceſſario autem reliqua: Nam aerem quidem nos ambientem ſemper attingere, comedereq; ac bibere, & vigilare, & dormire eſt neceſſariũ. Enſibus autem, & exitialibus feris obuiare non neceſſarium. Quare circa primum cauſarum genus verſatur ars corporis conſeruatrix, circa ſecundum autem minimè.

Oſtendit in tex. ſuperiori, tot eſſe cauſas conſeruatrices, quot ſunt modi alterationum; in hoc verò docet, ea quæ alterant corpus, eſſe duum generum, quorũ primum (ait) continere, quæ neceſſariò alterant, qualia ſunt, aer, cibus potus, ſomnus, & vigilia, quarum cauſarum cõſiderationem Gal. dicit pertinere ad medicum. Secundum genus continere, quæ non neceſſariò alterant, vt ſunt arma, feratum morſus, & ſimilia, quæ non pertinent ad artem medicam.

1 Dub. Galen. hic dicit, aerem, cibum, & potum neceſſariò alterare, quod videtur reluctari ijs, quæ dicta ſunt primo de tuẽda ſanitate; cap. 2. vbi habet quæ alterant corpus noſtrum duplicia eſſe, alia ineuitabilia, & alia euitabilia: ineuitabilia ex Gal. lib. de marcore, c. 4. eſſe hæc duo, calorem ſcilicet qui ab ortu naturæ ſemper corpora exſiccat, vnde ſenectus, & mors: & fluorem totius ſubſtantiæ, quæ tamen remittitur per cibum; ſed non tantum quantum amittitur. Euitabilia verò ſunt ea, quæ non ſunt congenita, ſeu ab ortu naturæ acquiſita, taliáque ſunt alteratio aeris, cibi, & potus, & excrementorum prouentus; dũm ſcilicet non euacuantur, vt par eſt; hæc enim poſſunt euitari, ſi igitur aer, cibus, & potus reponantur inter euitabilia, non neceſſariò alterabunt, vt hìc dicit Gal.

Reſpõdetur, Galenum locis citatis locutum eſſe non de cauſis alterantibus, ſed corrumpentibus animatum corpus: dicimus enim aerem ſemper, & neceſſariò alterare; quamvis modò ſalubriter, modò inſalubriter; Gal. ibi dixit, duas eſſe cauſas ineuitabiles, primam eſſe exſiccationẽ ineuitabilem, niſi fieret, vt ait Gal. lib. de Tabe, cap. 4. noua coelementatio: ſecundam eſſe fluorem totius ſubſtantiæ, quæ per cibum continuò aſſumptum reparatur, ſed non eo modo, quo erat paulò ante: ſi quis igitur inueniret modum, quo calor non exſiccaret animal, vel ſaltem inueniret modum, quo tota humiditas, quæ quotidie deperditur cibo remitti poſſet, impediret quoque ſenectutem, & mortem.

Hæc coelementatio nõ videtur impoſſibilis, quia eam obſeruauimus in quibuſdam inſectis, & præcipuè in illis, qui fiũt ex caſeoſa ſubſtantia, quæ aliquando in huiuſmodi inſecta conuertitur, eaq; omnia occidimus, & deinde pũctim vnicum ex occiſis attramento infecimus. Vidimus tamen non ſine admiratione poſt menſem ſignatum inſectum regeneratũ, indeq; coniecimus per coelementationẽ, uel remiſſionem dari poſſe regenerationem eiuſdem inſecti, quæ ſi in animalibus perfectis fieri poſſet indiuidua eadem numero æterno tempore frui poſſent hac lucis vſura.

Philoſophus quidam percelebris fuit paulò ante Gal. vt refertur Gal. de Tabe, qui ſcripſit librum de admirabili agerafia putabat enim, ſe inueniſſe modum, quo per cibum remitti poſſet tantum humiditatis, quantum quotidie amittitur. Non fuit tamen hic Philoſophus voti compos; quia anno ætatis 80. viſus eſt per vrbem adeo exſiccatum, vt oculos haberet concauos, nares acutas, & tempora collapſa; ideò, quia antea ſcripſit de inſeneſcẽtia, ab omnibus irridebatur; quo fit, vt ſenectute confectus pro opinionis deféſione ſtatim ediderit alium librũ, in quo oſtendebat modũ prohibendi ſenectutem obſeruandum eſſe in prima adoleſcentia, & non in anno 40. vt ipſe illo vti cępit.

Sed his omiſſis, dicimus, impoſſibilitatem agerafiæ deſumi à tribus cauſis, ſiue à tribus ſcopis. Primus eſt remouere ſiccitatem humidi radicalis, quæ oritur à continuo fluore totius ſubſtantiæ, cuius non tantum remittitur, quantum amittitur.

Secundus eſt remouere ſiccitatem, quę non à fluore ſubſtantiæ fit, ſed à calore mixti, qui perpetuò humidum depaſcit, & hæc eſt ineuitabilis, quamuis retardari poſſit, dicit enim Galenus 1. de tuen. ſan. c. 7. animal poſſe ita humectari ſubſtan-

tiſi-

tificè, vt non citò ſeneſcat, quod præcipuè fieri ſolet lacte aſinino, & ſimilibus humectantibus.

Tertius ſcopus eſt, vt nunquam comitatur error in expellendis excrementis, quod quidem non eſt impoſſibile, ſed eſt valde difficile: ex concoctione enim reſultant excrementa, quę ſi plus iuſto retineãtur, putredo, & alia mala excitari poſſunt, & ſi nimis citò expellantur, exſiccantur membra; quare vt diù animal viuat, curandum eſt de optima æconomia, & prouentu excrementorum. Hic ſcopus eſt ille, qui ſubijcitur arti medicæ, & niſi duo primi obſtarent, medicus poſſet auferre ageraſiam, & reddere hominem immortalem.

1 Dub. non videtur, quod ſex res non naturales, vt aer, cibus, potus, &c. neceſſariò alterent corpus noſtrum, quia ſi corpora ab his alterarentur, non deberent dici cauſæ conſeruatrices, cauſæ enim conſeruantes ſunt nobis ſimiles: cauſæ verò alterantes contrariæ.

Reſpondet Pluſquamcommentator, aerem ſemper alterare, aliter enim afficit noctu, aliter inter diu, & qualibet hora eſt varius, & præcipuè ob ventorũ varietatem: ſimiliter à cibo, & potu, quamuis temperatiſſimo alterantur corpora. Idem dicitur de alijs, quod cum ita ſit, non immeritò Gal. primo de tuenda val. c. 5. negat dari corpus ſaluberrimũ punctuale. Quo poſito reſpõdet Pluſquamcommentator, ſanitatem habere eam latitudinem, quia conſeruatio ſtare poſſit cum alteratione ſex rerũ non naturalium, dummodo actiones ſenſibiliter non lædantur.

Hinc ſomnus corrigit errata vigiliæ, & viceuerſa; quies corrigit ſiccitatem factam à motu, & motus tollit nimiam humiditatem à quiete factam: hæc tamen dicuntur ſimilia, quia actiones ſimiles conſeruantur. Dicimus tamen conſeruationem nõ fieri, niſi per alterationem, & omnem alterationem eſſe inter diſſimilia, & contraria: à medico tamen, qui eſt ſenſatus artifex, vocari ea de cauſa ſimilia, quia ipſæ actiones poſt has alterationes manent quoque ſimiles.

Notandum, quod aer, cibus, potus, & reliqua dicantur non naturalia ad differentiam naturalium, & præter naturam: naturalia ſunt illa ex abortu naturę congenita, videlicet temperamenta, humores, membra, facultates, ſpiritus, & actiones: nonnulli inter hæc ponunt elementa, quæ cum ad Philoſophum, & non ad medicum pertineant, inter iſta non ſunt ponenda: præternaturalia ſunt tria, ideſt morbus, cauſa, ſymptoma.

Non naturalia ſunt illa ſex, primum aer, ſecundum cibus & potus, tertium ſõnus, & vigilia, quartũ motus & quies, quintum ea, quæ aſſumuntur, ſextum ea quæ excernuntur & retinentur; venus enim & animi paſſiones ad motum referuntur. Notandũ tamen has cauſas à Gal. raro nominari nõ naturales; quia Arabes hoc loquendi modo vſi ſunt: apud Gal. tamẽ eſt locus introductorio de pulſibus, cap. 9. vbi dicit, pulſus mutari, vel à cauſis naturalibus, quæ ſunt elemẽta, humores, temperamenta, membra, facultates, ſpiritus, & actiones; vel ab his, quæ pręter naturam ſunt; vel à non naturalibus, quæ ſunt propoſita: explicantur non naturalia per nomen infinitum, tum quia nomen proprium eſt ignotum, tum quia non ſolum ſunt cauſæ ſalubres, ſed inſalubres: ſalubres ſi recto vſu illis vtamur; inſalubres ſi malo vſu, de qua re in ſequentibus diſtinctius agemus.

CAPITIS LXXXV.

Particula III.

Tex. 5. *Quot igitur numero ſint ea, quæ ex neceſſitate corpus alterant diſtinguentes, proprium in ſingulis eorum cauſarum ſalubrium genus inueniemus. Ineſt igitur vnum quidem ex ambientis aeris adhæſu: Alterum verò ex motu & quiete, & totius corporis, & partium ſingularum: Tertium ex ſomno & vigilia: Quartum ex ijs, quæ aſſumũtur: Quintũ ex ijs, quæ excernũtur, vel retinentur: Sextum ex animi affectibus.*

Acturus Gal. de cauſis conſeruatricibus prius oſtendit tot eſſe cauſas conſeruatrices, quot ſunt modi alterationũ. In hoc tex. verò declarat numerum cauſarum conſeruantium: diciteque eſſe ſex: prima eſt aer ambiens; ſecunda motus, & quies: tertia ſomnus, & vigilia; quarta ea, quæ aſſumũtur, ideſt cibus & potus; quinta

ta quæ excernuntur, vel retinentur, ideſt excrementa; ſexta animi paſſiones. Iſtæ ſunt cauſæ non naturales, quæ ſi alterando corpus efficiant eius operationes validas, dicetur conſeruatrices & ſalubres; ſi verò contrarium efficient, dicentur inſalubres; hic tamen conſiderantur cauſæ conſeruatrices vt ſalubres, & non vt inſalubres, & morborum effectrices.

1 Dub. Galen. in hoc tex. omnes cauſas non naturales reduxit ad ſex fontes: tamen in lib. ad Thraſyb. cap. 24. & 40. & 5. de tuenda ſanitate c. vltimo ad quatuor tantum eas reduxit, quorum primus continet ea, quæ aſſumuntur; ſecundus, quæ fiunt animo, vel corpore: tertius, quæ excernuntur, & retinentur: & quartus, quæ foris adhibentur: ergo Galenus videtur varius, & non ſibi conſtans.

Reſpondetur Galen. in hoc tractatu agere de cauſis conſeruantibus admodũ diſtinctè, ideò vtitur nominibus clarioribus: qualia ſunt aer, cibus, potus, &c. præterea in hoc loco agit de cauſis neceſſariò alterantibus: alibi verò cõſiderat omnia, quę iuuare poſſunt pro ſanitate conſeruanda quæ non pertinent ad cauſas non naturales; quia ſub primo fonte, videlicet, quæ aſſumuntur non ſolum continentur cibus, & potus, ſed etiam pharmaca, & omnia alterantia, & bezoartica, de quibus hic non eſt agendi locus: ſub ſecundo fonte qui continet quæ fiunt animo, vel corpore, non ſolùm continentur motus, & quies, ſomnus & vigiliæ, animi paſſiones, ſed etiam omnia, quæ fiunt vel fieri poſſunt animo, vel corpore, quæ amplectuntur alia plura; quare alia intentione ibi, & alia hic Galen. de his cauſis mentionem fecit.

2 Dub. præter has ſex cauſas non naturales multæ aliæ enumerantur, vt ſunt influxus cęleſtes, ignis, aqua, terra, ſexus, & Regionis; immò Auicennas agens de ſubiectis medicinæ dicit ætates quoque eſſe cauſas ſanitatis: quare dum Gal. reduxit cauſas conſeruatrices ad ſex enarratas, cùm ſint plurimæ aliæ, tractatus videbitur imperfectus, & diminutus.

Reſpondetur, quòd ignis, & influxus cœleſtes reducuntur ad aerẽ, quia antequam agant, vt conſeruent corpus, prius alterant aerem, & deinde aer alteratus poteſt nos cõſeruare: præterea negamus dari influxus cæleſtes diſtinctos à luminibus ſtellarum: putant enim Aſtrologi Cœlum in hæc inferiora his quatuor inſtrumentis agere, lumine, motu, influxu, & figura: Ariſt. verò, & Philoſophi omnes præclari cœlum, lumine, & motu ſolùm agere: influxus verò & figuras tamquam rem chimericam reiecerunt: quia pro vt lumina ſunt maiora, vel minora; maior & minor rerum varietas efficitur.

De hac materia diſtinctè egit Ioannes Picus contra Aſtrologos; & nos contra Lucium Belancium, qui contra Picum quinque libros edidit. Dùm verò dicunt aquam, terram, ſexum, & ætates eſſe numerãdas, præter ſex propoſitas à Gal. dicimus corpora noſtra non à terra, vel aqua circumambiri, ſed ab aere; ideò; & terram & aquam omiſiſſe: concedimus tamen ſi quis vellet agere de cauſis conſeruantibus piſces: quod tractatus de aere eſſet ſuperfluus, quia non aere, ſed aqua circundantur.

Quo ad ſexum, & ætatem, dicimus, & ſexum, & ætates non agere, niſi ratione temperamenti, quod collocatur in numero cauſarum naturalium. Regiones verò nõ alio modo alterare, niſi ratione aeris.

3 Dubit. ad tres fontes reducuntur omnia quæ tractantur in medicina ex conſenſu omnium philoſophorum, & medicorum, ita vt primus fons contineat ſeptem cauſas naturales, ideſt elementa, tẽperamenta, humores, membra, ſpiritus, virtutes, & operationes, quamuis re verà elementa pertineant ad philoſophum, & non ad medicum; ſecundus continet cauſas non naturales, quæ ſunt aer, cibus, & reliqua non naturalia. Tertius continet, quæ ſunt præter naturam, quæ ſunt tria, cauſa morbi, morbus, & ſymptoma: quo poſito videtur magna confuſio; quia ſanguine, qui eſt in primo fonte non ne loco cibi vtimur; & tamen pertinet ad humores, qui in primo fonte continentur; quomodo igitur ſanguis erit in primo, & in ſecundo fonte? ſimiliter membra ſunt in primo fonte, tamen membra animalium pertinent ad cibum; ecce quod non omnis cibus eſt cauſa non naturalis: quomodo igitur dictum eſt, humores, & membra eſſe cauſas naturales?

Re-

Reſpondetur, quod ſanguis, & membra dupliciter conſiderantur, vel vt cibus, vel vt ſunt partes pertinentes ad corpora viuentia; primo modo dicimus, ſanguinem, & membra eſse cauſas non naturales, ſecundo modo naturales.

4 Dub. operationes omnes, ſint naturales, vel animales, ſeu vitales vocãtur cauſæ naturales: nihilominus ſomnus, vigilia, motus, quies, & animi affectus pertinent ad operationes animales; ergo ſomnus, vigilia, motus, quies, & animi affectus nõ debent collocari in catalogo cauſarũ nõ naturalium, ſicuti nos docet Gal.

Reſpondetur, non eſse inconueniens, cauſam naturalem diuerſimodè conſideratam poſse vocari nõ naturalem, & naturalem; ſomnus .n. vigilia, motus, quies, & animi affectus, vel cõſiderantur, vt sũt operationes internæ pendentes à ſuis facultatibus, & hoc modo dicuntur naturales: vel conſiderautur vt aliquid efficiunt, & vt ſunt cauſæ alterãtes, ſic dicimus eſse collocandas inter cauſas non naturales.

5 Dub. non videtur, quòd animi affectus ſint collocandi in numero cauſarũ conſeruantium, quia Galen. 12. meth. c. 5. dicit ob vehementem timorem, & exceſſum lætitię perijſse aliquos homines: quia timor vehemẽs ſolet efficere, vt dicit Gal. ἐκπληξιν, ideſt ſtuporem, & ſyderationem: voluptas maxima perichariam quaſi exceſsum gaudij: ſed ſic eſt, quòd habetur ex Galen. lib. de ſem. cap. 16. quoſdam ex nimia voluptate perijſse: legitur quoque, Dionyſium Tyrannum, & Sophoclem accepto tragicæ victoriæ nuncio præ nimio gaudio ſtatim obijſse, ſimiliter Romanam mulierem cum prius intellexerit filium in Canario prçlio eſse occiſum, & deinde illum viderit ſanum uenientem domum prę nimia lętitia è viuis deceſſiſſe; ſi igitur, præ lętitia moriuntur homines, multo magis prę nimio timore, & alijs affectibus credẽdum eſt, homines incidere in ęgritudines, quare affectus animi non videntur, poſſe vocari cauſas cõſeruatrices. Præterea Vega fortaſſe non perperam dixit, animi affectus, quamvis à natura nobis inſint, eſſe eradicandos, & inter cauſas conſeruatrices non eſſe collocandos.

Reſpondetur, affectus vehementes nõ eſſe cauſas conſeruãtes ſanitatem: Itidem dicimus de cibo, & potu, & alijs, dùm eorum non ſeruatur rectus vſus; ſic nimius potus, nimius cibus, nimium exercitium, & nimia quies deſtruunt, & non conſeruant. Hinc Hippocrates 2. ſectione aphoriſmorum 51. protulit hanc ſententiam: omne nimium naturæ inimicum.

Quòd verò affectus nõ vehemẽtes poſſint eſſe cauſæ conſeruãtes ſanitatẽ, habemus Gal. 1. de ſanit. tuenda cap. 8. & alibi dicentem, animi affectus eſſe neceſſarios ad ſanitatis conſeruationem: & comm. 2. de humoribus tex. 31. dùm iucunda videmus animus lætitia perfunditur, natiuuſque calor dilatatur, & 4. de cauſis pulſuũ cap. 3. dicit, lætis calorem diffundi per vniuerſum corpus, & ex hac dilatatione incendium viſcerum moderari, vnde ſanitatis conſeruatio oritur.

6 Dub. dantur multæ aliæ cauſæ cõſeruatrices ſanitatis, quæ ad illas ſex non reducuntur, vt balnea, lotiones, frictiones, vnctiones, ligaturæ, phlebotomiæ, cucurbitulæ, & aliæ præſidiorum materiæ, quæ ſunt cauſæ conſeruantes ſanitatem, quare hic tractatus Gal. videtur mutilus.

Reſpondent plurimi vario modo: Argenterius admittit tractatum eſſe diminutum, quia mos illius eſt, dùm neſcit ſoluere dubia, Gal. reprehendere; Baptiſta Fiera reſpondet hanc diſputationem de ſufficiẽtia ſex cauſarũ non naturaliũ eſſe inanem; quia putat plures alias dari, quæ ob breuitatem Gal. in hoc libro prætermiſit. Reijciuntur ambo, quia Galenus agit hìc de cauſis neceſſariò, & ſua natura alterantibus, & non de cauſis voluntarijs, quales ſunt balnea, vnguenta, phlebotomia, & alia id genus.

Dicimus igitur nos, ad has ſex reduci omnes cauſas non naturales neceſſariò altetãtes. Qui verò dicunt, phlebotomiã, & pharmacum reduci ad inanitionem, & repletionem, valdè errant, quia Gal. ſolũ intelligit de illa naturali excretione, & repletione excrementorum, quæ poſt aliquã concoctionẽ ex tribus reſultat, phlebotomia, & pharmaca non ſunt alterantia neceſsaria, & ineuitabilia, de quibus hìc agitur, dixit enim Galenus in principio huius tractatus, ſe acturum de cauſis neceſsariò alterãtibus, & ineuitabilibus,

in-

inter quas nullo modo balnea, lotiones, & reliqua ab illis propoſita continentur. Inſuper quòd phlebotomia, & pharmaca non reducantur ad illas ſex, patet, quia Galen. agit hic de cauſis conſeruantibus etiam hominem ſaluberrimum; at ſic eſt, quòd homini ſaluberrimo nec phlebotomia, nec medicamenta, nec lotiones conueniunt, ergo.

Numerus verò cauſarum non naturalium neceſſariò alterãtium, colligitur ex ſeruitio, quod præſtant corporis noſtri virtutibus, quæ ſunt hæ tres; vitalis animalis, & naturalis: vitalis non poteſt conſeruari, niſi per aeris, inſpirationem; ideò aer poſitus eſt pro cauſa conſeruatrice; animalis, quæ habet virtutem dignoſcitiuam, & motiuam, indiget ex neceſſitate, vt conſeruetur ſomno & vigilia, motu & quiete, & animi paſſionibus; vt verò ſpiritus animales regenerentur, ſomnus & lætitia neceſſariò cõcurrunt; deinde vigilia, ira, & motus, ne ob nimiam deſidiam ſpiritus corrũpantur. Naturalis facultas, quæ ſugerit alimentum alijs facultatibus indiget ex neceſſitate cibo, & potu; ſed quia facultates non refocillãtur, niſi vtile ab inutili per virtutes concoctrices ſeparetur; ideò in his concoctionibus fiunt excrementa inutilia, quæ neceſſariò debent excerni, & vtilia quæ neceſſariò debent retineri. Hac ratione credendum eſt, ortam eſſe neceſſitatem ſex rerũ non naturalium. Alij tamen dicunt cauſas nõ naturales tot eſſe, quot cauſæ naturales, quę ex Gal. Auicenna & omnibus Medicis ſunt ſex, temperamẽta ſcilicet humores, membra, virtutes, ſpiritus, & operationes. Sed hæc reſponſio eſt inartificioſa, & medicinæ arcana non attingit.

CAPITIS LXXXV.

Particula IV.

Ab aere quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigeſit, aut exſiccatur, aut humectatur, vel ſecundum horum patitur coniugationem, aut in tota ſubſtantia alteratur.

CVm inter ſex cauſas non naturales ſit aer primo loco collocatus, incipit ab aere, dicitque corpora alterari, vel quia ab aere ſecundum vnicam qualitatem alteratur, idest vel calefit, uel refrigeratur, vel exſiccatur, vel humectatur, vel alteratur à cõiugationibus vtriuſque qualitatis, ideſt, vt ab aere corpora calefianr ſimul, & exſiccentur, vel calefiant, & humectẽtur, vel aliquando contingit corpora alterari ab aere, quatenus aer ſit alteratus ſecundum totam ſubſtantiam.

Duæ ſunt verborum tex. expoſitiones, & nos addemus tertiam; prima eſt Haly, qui cenſet, Galenum, dùm dicit, aut calefit, aut frigeſit, loqui de alterationibus, quæ formaliter fiunt in aere, tamquam in proprio ſubiecto, & deinde eaſdem alterationes ab aere, tamquam cauſa efficiente, corporibus communicari.

Secunda expoſitio eſt Pluſquamcommentatoris, & multorum illum ſequentium, qui putant, quòd, quæ dicantur, de aere, non referantur ad alterationes, quę formaliter fiunt in aere, vt dicebat Haly, ſed de alterationibus, quę formaliter fiũt in corporib., vel in corpora introducũtur ab aere diuerſimodè alterato: aer enim calidus, & humidus, qui non eſt putridus poteſt obſtruendo excitare putredinem.

Dicimus nos, has alterationes in tex. propoſitas referri ad aerem, & ad corpora, ita vt & aer, & corpora animata ſint capacia alterationum propoſitarum, quæ ſunt ſecundùm primas qualitates, & ſecundum alterationem totius ſubſtantiæ. Hæc expoſitio videtur verior, quia non ſolùm aer, ſed etiam corpus humanum poteſt calefieri, refrigerari, & ſecundum totam ſubſtantiam alterari, quòd verò aer ſit capax dictarum paſſionum, patet ex Gal. 1. de ſan. tuend. c. 11. vbi dicit, aerem poſſe alterari in qualitatibus, & in tota ſubſtantia. Nec obſtat ratio Pluſquamcommentatoris, quod non intelligatur de aere, quia (vt dicit ipſe) rarò aer eſt putridus, quamvis vt calidus, & humidus in exceſſu excitet in corporibus animatis putredinem. Quia reſpondemus, nõ eſſe neceſſarium ſemper aerem communicare corporibus noſtris omnes qualitates eo modo, quo infectus eſt, aliquãdo enim aeris alterationes agũt per ſe in corpora noſtra, aliquando per accidens; per ſe quando vt calidus calefacit, & vt pu-

putridus excicitat putredinem; per accidens, quando ratione humiditatis prohibet perſpirationem, & excitat putredinem, quæ non eſt in aere.

Quæ igitur dicta ſunt à Gal. in tex. referri poſſunt ad aerem, & ad corpora noſtra ab aere alterata: immò primariò referri ad corpora, in quorum gratiam aeris alterationes declarantur. Prętereà quod quæ dicta ſint de aeris alterationibus primariò referantur ad corpus noſtrum patet, ex dictione Græca θερμαινόμενον, ideſt calefactum, quod ad σῶμα, ideſt corpus, quod eſt neutrius generis debet referri, & non primò ad ἀέρα, qui eſt maſc. gen. errant tamen qui omninò excludunt aerem, quia non poteſt negari quin, quæ de aere dicantur, debeant quoque ad aerem referri.

Notandum, aerem permutari ob tres cauſas, vt refert Gal. 9. meth. cap. 14. & 11. meth. cap. 1. ob regionem, ob anni tempora, vel ob cęli conſtitutionē; maior enim & minor altitudo poli poteſt multum in aerē refrigerādo, vel calefaciendo; quamuis adſint nonnullæ conſtitutiones aeris pendētes à ſitu terræ, quæ multum poſſunt in aeris alteratione, veluti ſunt loca montibus vicina expoſita ſeptentrioni, quæ gaudent aere frigido, licet pauca ſit poli eleuatio; aliqua aere calidiori, quia ſunt expoſita meridiei, magna tamen exiſtente poli altitudine; Angli referunt ſuum Londinum, quamuis poli altitudo ſit 52. graduum, non excellere in frigiditate aerem Venetum, qui eſt altitudinis 45. ratio eſt, quia Londinum non ſolum eſt prope mare, vbi ſpirat Auſter, ſed montes Septentrionales ab illo maximè diſtant.

Inſuper aer ita facilè alterat omnes corporis partes, vt nihil reperiatur, quod magis tranet, & penetret, vnde Gal. primo de nat. humana, com. 44. loquens de aere frigido dicit penetrare ad intimas vſque partes, & in ventriculum ipſum, vnde fit (inquit) vt hyeme facilè colligantur pituitoſa excrementa.

Haly explicans quid Galen. intelligat per aeris alterationem ſecundū totā ſubſtantiam inquit, intelligere vel aeris putredinem pendentem ex putridis halitibus eleuatis à locis cęnoſis, & paluſtribus, vel quia aer non ſit ventilatus, ſimiliſque illi ſit, qui eſt in carceribus occluſus; hæc aeris putredo referri videtur à Gal. 2. de nutura humana com. 4. vbi dicit, exhalationes, quæ ex paludibus, ſtagnis, aut locis cænoſis eleuantur proprietate ſubſtantiæ noxias eſſe: quæ opinio eſt vera, dum dicit, aerem exhalationibus putridis coinquinari: dum verò cenſet, alterationem ſecundum qualitatem eſſe ipſiuſmet aeris putredinem; decipitur, quia aer vt ſimplex non poteſt putreſcere. Præterea Gal. 2. de nat. hu. non dicit aerem putreſcere, ſed halitus, qui ſunt recepti in aere, noxios eſſe. Inſuper nos defendemus paulò, infra, alterationem ſecundum totam ſubſtantiam non eſſe alterationem ſimplicem, ſed mixtam ex infinitis alterationibus.

Pluſquamcommentator cenſet, Galenum per alterationem aeris ſecundū totam ſubſtantiam intelligere aeris corruptelam: cuius opinio non conſonat doctrinæ Galeni, quia corruptio aeris, vt eſt corruptio, eſt tranſmutatio pertinens ad prædicamentum ſubſtantiæ; alteratio verò ſecundum totam ſubſtantiam, cum ſit alteratio, erit in prędicamēto qualitatis, & non in prædicamento ſubſtantiæ. Præterea alteratio ſecundum totam ſubſtantiam eſt mixta ex infinitis alterationibus, corruptio verò aeris eſt ſimpliciſſima mutatio, ergo per totam ſubſtantiam non poſſumus intelligere corruptelam.

Sclanus ait, per qualitatem ſecundum totā ſubſtantiam nō ſolum intelligi quādo aer eſt putridus, ſed etiam quando eſt craſſus, & nebuloſus. Decipitur, quia craſſities eſt qualitas vocata manifeſta, & nō occulta, & ſecundum totam ſubſtantiam.

Dicimus nos, alterationem aeris ſecundum totam ſubſtantiam fieri ex multis, & infinitis alterationibus elementorum. A quibus verò principijs id fiat, infra diſputabimus. Quod verò alteratio ſecundum totam ſubſtantiam fiat poſt multas alterationes teſtatur Galenus lib. de conſtitutione artis medicæ c. 8. & 4. de ſimplici med. cap. 15. dum dicit, qualitates totius ſubſtantiæ fieri ex multis, & infinitis alterationibus elementorum; ſimiliter à Galeno 2. de locis affectis. cap. 8. declaratur, quid ſit propretas totius ſub-

ſtan-

ſtantiæ, ait eſſe qualitatem, quæ ab infinitis alterationibus facta ſit: & tertio de temperamentis cap. 4. dicit, intelligo per vniuerſam ſubſtantiã temperaturam ortam poſt multas alterationes; quare alteratio ſecundum ſubſtantiam non indicabit aeris corruptionem, vel putrefactionem, ſed qualitatem ex multis, & varijs alterationibus ortam. Hinc concedimus, poſt multas malas exhalationes miſtas cũ aere, & plurimas alterationes in aere factas poſſe contingere, quod tandem generetur qualitas tota ſubſtantia peccans, quæ tamen poſt alterationes, & non tranſmutationes ſubſtantiæ generetur.

1 Dubit. aer ex Ariſt. 2. de generat. ſua natura eſt humidus, dum verò amittit humiditatem, naturam amittit, quomodo ergo erit verum, quod dicit Gal. aerem poſſe eſſe ſiccum? Implicat enim contradictionẽ dicere, eſſe aerem & eſſe ſiccum.

Reſpondetur, aerem, cum ſit ſimpliciſſimus, recipere vapores, & varias deſtillationes, quæ habent virtutem calefaciendi, exſiccandi, & putrefaciendi; immò aer poteſt ob ventos halitibus peſtilentibus infectos integras regiones polluere. Hinc Hippocrates lib. de habitationibus ait, multum confert ad ſanitatem ſcire, quibus ventis loca aſpirentur: Aquilo exſiccat, Auſter humectat. Legitur apud Vitruuiũ, & Lærtium; Empedoclem animaduertiſſe Agrigentum patriam ſuam à nonnullis ventis inſigniter vitiari: Philoſophus ille præſtantiſſimus occluſis quibuſdam montium interſtitijs, vnde ſpirabant venti, patriam liberauit.

2 Dub. dicit Galenus in tex. ob aerem calidum corpora calefieri: & ob frigidum frigefieri, quod non videtur ſemper verum, quia ipſemet Galenus 11. methodi cap. 20. dicit, aerem frigidum aliquando calefacere corpora: hæc ſunt verba; *Caueant habentes crudos ſuccus in frigido ſolio diutius immorari; quia tranſpiratio impeditur, & prohibita tranſpiratione augetur corporis calor*; ergo aer frigidus calefaciet corpora.

Reſpondetur, quod intentio Gal. dum dicit, aerem calefieri, frigefieri, exſiccari, & humectari, ſit declarare paſsiones ipſius aeris, vt communicabiles corporibus; poteſt tamẽ aer in corpora noſtra nõ ſolum agere per ſe, ſed etiam per accidens. Hinc aer calidus aliquãdo reſoluẽdo refrigerat, & aliquando aer frigidus conſtipando calefacit; tunc medici officium eſt diſtinguere, quæ ſunt per ſe ab his, quæ ſunt per accidens. Hinc Galenus lib. de conſtitutione artis c. 14. videns aliquãdo labi medicos in errata, quia nõ diſtinguunt, quæ ſunt per ſe ab ijs, quæ ſunt per accidens, admonet nos his verbis; *Spectabit ad medicũ ne in eum illabatur errorem, in quẽ, qui putant frigidam aquã in omnibus, quæ refrigeratione egent conuenire, & calidam in ijs, quæ calefactione, ignari, ex accidenti fieri ſepè, vt frigida calefaciant, calida verò refrigerent*; quæ Galeni ſententia eſt communis non ſolum corporibus, & aeri, ſed etiam omnibus externis cauſis alterantibus.

3 Dubit. non videtur, quod ab aere calido calefiant corpora, à frigido frigefiant: quia in æſtate plurimi refrigerantur, & in frigidas ægritudines incidunt.

Reſpondetur, Plurimos per accidens refrigerari, quatenus reſolutio calidorũ ab aere calido fieri poteſt: veluti illis accidit, qui liberantur à calore præſidijs ſudorificis. Præterea vt aer communicet ſuas qualitates calidas, vel frigidas, requiritur diſpoſitio corporis, ſine qua ex Gal. lib. de cauſis morborum, cap. 2. nec gladius abſcindere, nec ignis comburere poſſet.

4 Dub. non videtur, quod aer calidus vnquam calefacere poſsit, nec frigidus frigefacere; quia ſi aer fuerit calidus reſoluet; vndè ſequetur refrigeratio; ſi frigidus, denſabit vt dicit Galen. 11. meth. c. 20. & calefaciet.

Reſpondetur à Galeno 10. methodi cap. 8. vbi dicit, aerem frigidum inſpiratum refrigerare; externum dẽſare, & calefacere; hæc ſunt verba; *Aer frigidiſſimus quatenus inſpirãdo attrahitur eſt admittendus, vt qui calorem qui eſt in corde admodum refrigeret, non tamen quatenus extrinſecus ægrum tangit, quippè id denſat, cogitque cutim, ac putridorum humorum effluxum tranſpirare prohibet*. Non negamus tamen, aerem calidum poſſe etiam extrinſecus per ſe agere, hac lege tamen, vt non ſit talis, vt reſoluat.

QVÆST. C.

De Qualitatibus occultis, quæ agunt tota ſubſtantia.

QVia Gal. in tex.ait,aerem alterari in tota ſubſtantia,ideò conuenit, ut de alteratione à tota ſubſtantia agatur, ſi uelimus Galenum intelligere.

Diuiduntur qualitates in manifeſtas, & totius ſubſtantiæ; per manifeſtas,conueniunt omnes intelligi quatuor primas, uidelicet caliditatem,frigiditatem,humiditatem, & ſiccitatem, & omnes alias, quæ ab illis quatuor oriuntur,ueluti ſunt ſecundæ,& tertiæ.

Per ſecūdas intelligimus illas,quæ enumerantur à Gal. 1. de uſu partium, c.9.& 1.de facultatib.naturalib.c.6.quæ sūt duritics,mollities,lentor,friabilitas, raritas, dēſitas aſperitas, lenitas,grauitas,leuitas, craſſitudo,tenuitas, odores, & ſapores.

Per tertias intelligimus detergere,incidere, aſtringere, laxare, & id genus,quæ omnes referuntur ad quatuor primas, tanquam ad initia,ex quibus factæ ſunt.

Fernelius, Argenterius, & alij præter has, quæ prodeunt à primis quatuor, dicunt dari qualitates totius ſubſtantię,quę nullam omninò communionem habent cum primis. Ratio uerò illorum,cur hæ qualitates uocentur occultæ,eſt,quia putant,illas eſse ipſammet ſubſtantiā operatricem, quæ ſua natura eſt omninò incognoſcibilis; ſenſus enim, uel intellectus nunquam poteſt dignoſcere ſubſtantiam ſed ſolum accidentia:dicuntur qualitates totius ſubſtantiæ; quia ſubſtantia ex ſe eſt ſimpliciſſima,tota ſimul,& ſola operatur & non medio aliarum qualitatum.

Comprobant experimentis, dicūt magnetem attrahere ferrum nō uirtute primarum,uel ſecūdarum qualitatum: quia nunquam uiſum fuit, calida, uel frigida attrahere ferrum: neque unquam uiſum fuit rarum, & denſum, uel alias qualitates ſecundas ferrum attrahere, inferunt ergo,hanc uirtutem magnetis eſse ipſam ſubſtantiam magnetis, quæ primò,& immediatè operatur; quod dicunt de magnete intelligunt de electro,quod paleam trahat, de torpedine, quæ afficit manus piſcatoris, & de omnibus medicamentis electiuè ſoluentibus, & de alijs,quæ ſcilicet uirtute ſua ſubſtantifica operētur, uel attrahant determinatos humores; addūt, quod in his qualitatibus ſubſtantificis fūdentur morbi; eoſq; uocant morbos formæ,& ſic inſtituūt quartum genus morborum,quod ſit natura,& genere diuerſum ab intemperie, mala compoſitione, & ſoluta unitate, ſub quo genere collocant luem Gallicam, rabiem caninam,& plurimos alios morbos.

Rationes, quibus nituntur, deſumunt ab altiori ſchola, quā aliqui fortaſse putant;quia in libris de anima tractatur,an potentiæ differant à fundamento, ibique Gregorius Arim. & alij probant contra Diuum Thomam, Ægidiū,& Gadauenſem ſubtiliſſimis argumentis,omnem potentiam, & qualitatem operatricem nulto alio interpoſito medio inſtrumēto immediatè immediatione cauſæ à ſubſtantia, tamquam à cauſa efficiente prodire, ita ut hæ qualitates ſint in eodem ſubſtantiæ prædicamento.

Primum argumentum aduerſarij deſumunt ab Ariſt.9.metaphy. & eſt tale: potentia eſt principium tranſmutandi aliud ut aliud: ſed forma eſt huiuſmodi, ergo forma eſt ipſamet potentia operandi; inferunt, ergo uirtus operatrix eſt ipſamet ſubſtantia; ergo tantò magis qualitates occultæ, quæ uocantur totius ſubſtantiæ, erunt ſubſtantiæ, & per conſequens dari poterunt morbi formæ.

Secundum argumentum,& eſt ad impoſſibile;ſi anima,uel aliæ formæ ſubſtāticæ edunt operationes per medias potentias, & non immediatè, audias quid ſequitur, ergo eſt neceſsarium,ut forma agens prius agat in ipſas potentias per alias potentias,quia tu dicis,quod ſubſtantia nullam edere poſſit operationem, niſi per medias potentias, ergo antequam agat in potentias,requirit alias potentias, & illæ alias uſque ad infinitum.

Tertium argumentum, ſi potentię, ut aiunt aduerſarij, per emanationem fluūt à fundamēto, ut umbra à corpore, ſequitur,quod in aliquo genere cauſæ fluant; non formæ; quia forma non eſt principium unde motus; non materiæ,cum ipſa ſit in potentia, & non in actu: nihil enim fluit, niſi ab eo, quod eſt in actu;

non

non à fine, quia finis eſt quid poſterius, ergo ab efficiente; ergo ſubſtantia vt efficiens poteſt aliquid immediatè producere; non erit igitur illa propoſitio vniuerſaliter uera, quod ſubſtantia nil immediatè, & per ſe primò operetur.

Quartum argumentum deſumunt ab Ariſt.2.de anima tex.9.vbi dicit,ſi animal eſſet oculus, potentia viſiua eſſet forma eius,ergo potētia eſt idem quod animal, ergo potentiæ poterunt collocari in prædicamento ſubſtantiæ. Hæc ſunt potiora argumenta ab altiori ſchola deſumpta, quæ Argenterij,& Fernelij ſententiæ fauere poſſunt.

Antequam proponamus fundamenta opinionis par eſt, ut argumenta propoſita reijciamus.

Ad primum deſumptum ex 9.metaph. vbi definit, potentiam eſſe principium tranſmutandi aliud ut aliud. Reſpondemus Ariſt.per potentiam tranſmutandi, ibi intelligere agentem potentem tranſmutare, in quo agente ſunt omnia prædicamenta: omne enim agens,quod ſub Cęlo eſt, non poteſt tranſmutare, niſi ſit quantum, habeat relationem, niſi ſit in loco,niſi agat,& repatiatur,& aliquando id efficiat, & niſi ſit ſubſtantia.

Nos verò hic conſideramus non agētem potentem tranſmutare, quod eſt concretum ex omnibus naturis genericis, ſed quodnam ſit genus proprium, in quo debeant collocari potentiæ,& virtutes operatrices ſeparatæ ab alijs generibus.

Ad ſecundum dicimus, quod aduerſatur Diuo Thomæ, qui dicebat potentias eſſe cauſas medias, quod negari poteſt; quoniam potentiæ naturales ſunt ſubiecti aptitudines à quibus immediatè fluūt vniuerſæ operationes; aptitudines licet inhęreant ſubſtantijs, attamen de ſubſtātijs non prædicantur,niſi in ſecundo modo dicendi per ſe, & per conſequens,neque ſunt ſubſtantię, neque immediatè prodeunt à ſubſtantia; quoniam omnia, quę immediatione cauſę prodeunt à ſubſtantia, prędicantur de ſubſtantia in primo modo, & ſunt in prędicamento ſubſtantię.

Ad tertium reſpondemus, potentias non pendere immediatè à forma, uel à ſubſtātia,neque vt ab efficiente per tranſmutationem, quia quę pendent ab hoc efficiente pendent cum conatu, & reſiſtentia; proprietas trahendi ferrum pendet à magnete ſine conatu;neque potentię operandi pendēt à forma, & ſubſtantia, vt ab efficiente per emanationem, ut defendit Zabarella; quia ſaltem eſſet uerum, quod ſemper eadem manente ſubſtantia, eadem quoque eſſet potentia; quod reluctatur experiētię; an ne,ſi quis cryſtallum in pollinem redigat amittet ſplendorem, eadem tamen remanente ſubſtantia? an ne in cantoribus,ſi larynx obſtruatur catarrho, amittent virtutem canendi, eadem tamen manente ſubſtātia? Similiter ſaltator luxatus illicò amittit vim ſaltandi,eadem tamen perſeuerat ſubſtantia: credimus enim nos potentias à proportione, & harmonia partium,ſcilicet ab earum figura,ſitu,& meatibus,& non à ſubſtantia prodire.

Ad vltimum,ſi animal eſſet oculus,potentia viſiua eſſet forma eius. Reſpondemus, quod Ariſt. conſiderat animam, vt eſt principium operationum corporis animati,quare ſicut alia eſt natura hominis,vt homo eſt,alia ut pater,vt quantus; ſimiliter alia eſt vt efficiens: & ſicuti natura hominis vt pater non eſt in prędicamento ſubſtātię;ſic natura hominis vt efficiens non erit in prędicamento ſubſtātię. Vera igitur eſt contraria ſententia; quod ſcilicet qualitates iſtę occultę nullo modo ſint in prędicamento ſubſtantię,& per conſequens non detur illud morborum genus, quod vocetur formæ, ſiue ſubſtantiæ,vt putabant Argenterius,& Fernelius.

Nos igitur ſuſtinemus, qualitates occultas non eſſe ſubſtātias immediatè operatrices; ità vt ſint in ipſo prædicamento ſubſtantiæ,ſed dicimus,omnes qualitates occultas eſſe in prædicamento qualitatis in genere potentiæ: Defendimus præterea has potentias operatrices occultas nō pendere ab illis quatuor primis,ſcilicet caliditate,frigiditate,humiditate,& ſiccitate,ſed eſſe omninò ab illis diuerſas;quo pacto verò hoc poſſit eſſe,inferius declarabimus.

Primum argumentum pro noſtra opinione, oſtendens qualitates occultas, vel to-

totius ſubſtantiæ non eſſe in prædicaméto ſubſtantiæ, ſed in prædicamento qualitatis deſumitur ab Ariſt. ad quem tamquam ad ſummum iudicem omnes hoc iudicium deferunt, eſtque quia potentiæ operandi collocantur ab Ariſt. in prædicaméto qualitatis, quod genus differt natura, & eſſentia à ſubſtantia: nec valet, dum obijciunt, Ariſt. loquentem de ſpeciebus qualitatis in 5.metaph.& 7.phyſic. non enumeraſſe potentias, ideò magis eſſe adhibendam fidem ijs, quæ traduntur in phyſica,& metaphy.quam Logica, vbi ſolum craſſa Minerua adoleſcentes docet.

Obiectio eſt nulla, quia doceat quis rudiùs pro vt volet; nunquam debet falſa docere; poteſt eſſe diminutus, verum ſi dum craſſa Minerua loquatur, eſſet ſuperfluus, & ſimul falſa doceret, iſte in numero inſanorum hominum eſſet collocandus. Accedit, quod in Logica longiori diſcurſu docentur prædicamenta, quam in metaphy.& phyſica: & meritò quia in metaphy. declarantur quædam nomina pertinentia ad prædicamenta,& non omnes ſpecies prædicamentorum. Non erit igitur deroganda fides ijs, quæ traduntur ab Ariſt.in prædicamentis.

Secundum argumentum oſtendés potentias differre à fundamento deſumitur ab Ariſt.3.phy.tex.10.verba Ariſtot. ſunt hæc. *Poſſe valere,& poſſe ægrotare alterũ eſt, namq; ægrotare quidem,& valere idẽ eſſet: ſubiectum autem, & id quod valet, atque ægrotat, ſiue humiditas, ſiue ſanguis vnum, & idem eſt, quoniam autem non eſt idem quemadmodum, neque color idem,& viſibile, poſſibilis quatenus poſſibile actus manifeſtũ quod motus eſt*. Ex quibus verbis clariſſimè patet, potentias differre eſſentialiter à fundaméto; quia dicit, quod poſſe valere,& poſſe ægrotare alterũ eſt; homo enim poteſt valere,& poteſt ægrotare, & hæ potentiæ, cum differant inter ſe, differũt quoque eſſentialiter ab homine: potentiæ differunt inter ſe,& vna ſine altera ſtare poteſt: cæcus habet potentiam audiendi,& ſurdus olfaciendi.

Aduerſarij reſpondent huic arguméto ſic; potentias iſtas videri varias; nõ tamen quod multæ ſint potentię eſſentialiter diſtinctæ: ſed quia eadem ſubſtantia varias relationes habet. Quæ reſponſio eſt inſaniſſima, quia de ratione relatiuorũ eſt vt ſint ſimul; altero enim deſtructo ceſſat relatio; quæ relatio erit inter ſubſtantiã, & potentiam, cum poſſit deſtrui potentia, eadem illæſa perſeuerante ſubſtantia? quod igitur de ſubſtantia hominis, & de eius potentijs dictum eſt; de omnibus ſubſtantijs, & potentijs intelligendum eſt.

Tertium argumentum: ſubſtantiæ, ut ſubſtantia, nihil eſt contrarium poſitiuũ; nec ſubſtantia alijs, cum ſit ſimpliciſſima reluctari poteſt; quo poſito, quomodo morbi formæ per contraria tolli poterunt? quo pacto lignum ſanctum aduerſabitur lui gallicæ? quomodo cicuta ſua qualitate ſubſtantifica necabit homines; Doronici canes?& theriaca aduerſabitur veneno? ſubſtantia enim nullis alijs rebus aduerſatur, eaque eſt ſimpliciſſima, æquè omnia reſpicit, & eſt ex ſe impatibilis. Quod cum ita ſit ſequitur, qualitates occultas, quæ dicuntur totius ſubſtantiæ, non eſſe ſubſtantias.

Quartum argumentum; ſequeretur, ſi qualitates occultæ eſſent ſubſtantię, quod vnum duobus aduerſaretur, quod eſt impoſſibile, quia lues gallica, & homini, & guaiaco aduerſaretur; uenenum homini, & theriacæ;& ſic de alijs, quod vnum ſolum vni aduerſetur; oſtendimus ſuperius in propria quæſtione.

Quod verò qualitates occultæ, quæ dicuntur totius ſubſtantiæ habeant contrarium, Galen. fatetur 12. methodi,& alibi dicens, quod quędam ſint contraria; ſubſtantijs totis, quædam ipſis qualitatibus.

Quod verò qualitates occultæ ſint accidentia,& non ſubſtantiæ, patet auctoritate Galeni lib. de cõſtitutione artis medicæ, cap.8.& 4.de ſimplici medicina cap. 15.& 2. de locis affectis, cap.8. vbi dicit has qualitates occultas fieri ex infinitis alterationibus elementorum: addimus nos, ſed ſic eſt, quod omnia, quæ fiunt ex alteratione elementorum non ſunt ſubſtantiæ, ſed temperamenta, ergo nõ erũt ſubſtantię. Demum 3.de temperamentis, cap.4. declarat. Galen. quid intelligat per vniuerſam ſubſtantiam, dicit ſe intelligere tem[...]m, erit m ex calido, frigido, humido,

&

& ſicco factam, ſed non genericam, ſed ſpecificam, & poſt multas alterationes redditam incognoſcibilem, & illam vocat Galenus ineffabilem.

Poſito, quod omnes uirtutes, ſeu potentiæ operatrices occultæ ſint in prædicamento qualitatis, & non in prædicamento ſubſtantiæ; par eſt, ut uideamus, vndè, & à quibus principijs prodeant. Supponatur in primis hoc fundamentũ certiſſimum; quod omnes potentiæ ſint aptitudines ſubiectorum, & quod deſcribi, uel definiri non poſſint, niſi per illas conditiones, quæ ſubiectis conueniunt; ſed quia nemo illud negare poteſt, ad alia tranſeamus: Propria ſubiecta potentiarum non poſſunt inueniri, niſi illud communiſſimum ſubiectum, cui omnia accidentia conueniunt, in communiſſimas differentias euſque diuidamus, quo vſque in radicem omnium paſſionũ perquiramus; ſubiectum communiſſimum eſt ſubſtantia quatenus corporea, quæ ſola eſt tamquam omnium accidentium baſis, & ab eius differentijs omnia ſubiecta paſſionum oriuntur.

Sed hanc diuiſionem corporis, quæ diuidit principia paſſionum, colligimus ab Ariſt. 8. phyſi. tex. 55. vbi dicit, denſitatem, & raritatem corporeæ ſubſtãtiæ eſſe omnium paſſionum principia, hæc ſunt uerba philoſophi; *Omnium paſſionum principium eſt dẽſitas, & raritas, etenim graue, leue, durum, calidum, & frigidum denſitates uidẽtur eſſe, & raritates quædam*. Ecce quod maior, vel minor raritas corporeæ ſubſtantiæ eſt origo omnium qualitatum. Quod Ariſt. loquatur ex propria ſententia plurimi interpretes fatetur, ſed ratio efficaciſſima, qua vtitur quomodo rarum, & denſum ſint principia omniũ paſſionum longè magis perſuaderet; præterea 8. phy. tex. 77. dicit denſari, & rarefieri eſſe motum ſecundum locum, & hunc motum alios præcedere motus.

Plato etiam 10. de legibus ait rarum, & denſum eſſe ante caliditatem, & frigiditatem, & reliquas paſſiones.

Similiter Ariſt. dicit motus diurnus, antequam ignem gignat, rarefacit materiam; ecce quod rarefactio præcedit caliditatem, & condenſatio frigiditatem.

Hinc medici diuidunt corpora in ſimilaria, & diſſimilaria, non in calidum, & frigidum; Philoſophi uerò dicunt, proprium omnium qualitatum, quæ ſunt in prædicamento non eſſe calidum, uel frigidum; ſed ſimile, vel diſſimile, quòd ſimile, & diſſimile oſtendemus, à raritate, & denſitate oriri.

Hinc Peripatetici ſuſtinent, aliquas potẽtias oriri à tertia ſpecie qualitatis, ideſt à paſſione, & paſſibili qualitate; aliquas verò à quarta, ideſt à figura, quæ à ſitu, & raro, & denſo oriuntur; temperatura igitur, & figura erunt proximæ origines paſſionum, & potentiarum omnium magis remotæ cauſę erunt raritates, & denſitates. Quomodo uerò apparens contradictio in Ariſt. ſaluari poſſit, quod ſcilicet calidum, & frigidum ſint primæ, & raritates ſimiliter ſint primę, infrà declarabitur.

Verum, quia raritates, & denſitates ſunt accidentia, & accidens ex Ariſtot. 4. metaphyſ. tex. 14. non eſt accidentis accidens, ſed eius, cui primo inhæret, neque ex Ariſt. 8. metaphy. tex. 12. accidentia habent materiam ex qua, ſed ſolum in qua, quæ eſt ſubiectum, cui inhæret; ideò quærendum eſt primum ſubiectum cui raritas, & denſitas conueniat, quod niſi inueniatur de cognitione huius rei iacta eſt alea, quia progreſſus ſcientificus non eſt ab accidente ad accidens, ſed ab accidẽte ad eius primũ ſubiectum: Hinc Alexander Aphrodiſęus dixit, mathematicã non eſſe vocãdam philoſophiam, eo quia demonſtrat prædicata accidentalia de ſubiectis accidentalibus; immò ob eandẽ rationem reprehenditur Temiſtius, dum dicit, dari quandam ſpeciem demonſtrationis ab effectu ad effectum; propterea quamuis rarum, & denſum ſint principia paſſionum omnium, tamen quia raritas, & denſitas ſunt accidentia alicuius ſubiecti, ideò inquirendum eſt eius primum ſubiectum, quod in aliud reſolui nequit, ſi vellimus ad primam radicem peruenire.

Ariſtoteles in prædicamẽto qualitatis omnia profundius conſiderans, dicit rarum, & denſum pertinere ad ſitum; definit enim rarum, & denſum per ea, quæ prædicamento ſitus conueniunt, hoc mo-

do: rarum eſt cuius partes ab inuicem diſtãt;denſum cuius partes ſunt propinquę; ecce quod ſitus partium facit raritatem, & denſitatem,& quæ ab his fiunt.

Verum,quia ſitus ab alio quoque pendet, videamus à quo: Ariſt. 8. Phyſic.53. refert vniformitatem,& omnium rerum cõuenientiam in cauſam vniformem,ideſt in vnum ſimpliciſſimum motorẽ, qui eſt actus ſimpliciſſimus referri: difformitatem,& varietatem, quę ſub Cælo,& in Cęlo eſt ad primum corpus,quia octo differentijs poſitionis tantam rerum varietatem facit; ſubſtantia igitur corporea octo his differentijs poſitionis facit tam varium ſitum,& ſitum varium facere varietatem,& denſitatem,raritatem, & denſitatem,calidum, & frigidum, durum, & molle, & ab his effici tertiam ſpeciem qualitatis, & quæ eſt paſſio, & paſſibilis qualitas, deinde quartam, quæ eſt figura à tertia, & quarta effici potentias, ita vt à primo ad poſtremum, corpus, vel trina dimenſio ſit prima radix omnium accidentium.

Neq; obijciant, trinam dimenſionem eſſe accidens,quia cum Philopono defendi poteſt, corpus, vel trinam dimenſionẽ eſſe ipſammet materiam primam, quæ ſtatim, dum terminatur à forma efficit differentias poſitionis, vndè ſitus, vndè raritates,& denſitates fiunt,vnde calidũ, frigidum,humidum, & ſiccum, vnde durum, molle, & paſſiones, & potentiæ, quæ ab accidentium ſerie perinde, ac ab vna catena omnes tam manifeſtæ, quàm occultæ oriũtur: manifeſtæ fiunt ex paucis, occultæ ab innumerabilibus alterationibus prægreſſis, quas ſolus Æſculapius poſſet explicare. Alij inueniant in negotio hoc difficili principia faciliora, eos inſequemur & laudibus extollemus ad ſydera.

Quod verò potentiæ operatrices tam manifeſtæ, quàm occultæ oriũtur à varia corporeæ ſubſtantiæ figura, & à ſitus differentijs à Galeno quoque manifeſtiſſimè colligitur; quia reduxit potentias, & impotentias, tamquam ad primas radices ad figuram, ſitum, numerum, magnitudinem, & temperaturas, potentiæ enim diſſimilarium cõſiſtunt in bona, & proportionata figura, magnitudine, numero,& poſitione: Impotentiæ in mala, & improportionata: vocantur ab illo qualitates,ſeu potentiæ manifeſtę,quando aliquæ,& paucæ,eæq;cognoſcibiles in earum productionem conſpirant; occultæ, quando quamplurimæ, & internæ figuræ, numeri, & ſitus ita varientur, vt ſint incognoſcibiles. Hæc doctrina eſt Gal.lib.de conſtitutione artis, c. 14. dum dicit, occultas fieri ex infinitis alterationibus,vel ex plurimis nobis immanifeſtis mutationibus, vel in temperatura, vel magnitudine,numero,ſitu,vel figura.

Qui igitur ſciret,vel oculos lynceos haberet,vtique videret numerum, figuras, & ſitum varium corporum efficere qualitates,quas vocant occultas: audias quomodo ob horum inſcitiam Cardanus fuit ſemel hallucinatus: refert 1. lib. commentariorum quadtipartiti ſe vidiſſe lapillum,qui aderat in manu Papę Clemẽtis VII. in cuius ſuperficie erat macula, quæ ſpatio viginti quatuor horarum circulariter moueretur; huius precioſi lapilli proprietatem Cardanus cenſet eſſe occultam; attamen ſicuti nos deinde audiuimus, lapillus erat artificioſum horologium,erat tamen tali modo accommodatum, vt macula inſpicientibus videretur continua: lapillus poterat aperiri: intuſque erat rotarum quidam numerus, & ſpeciali quadam figura donatus, vnde motus, & horologium; qui igitur ſitum, figuram, numerum, & harmoniam partium rerum occultarum poſſet inſpicere, nunquam admitteret qualitates ſubſtantificas.

1 Dub. ex dictis oritur, quia diximus à raritate,& denſitate paſſiones, vt calidũ, frigidum, humidum, & ſiccum, & cæteras,quæ ſequuntur prodire,attamẽ Ariſt. in libris de generatione ſtatuit, primas qualitates eſſe calidum, frigidum, humidum,& ſiccum:& ab his rarum, denſum, & cæteras qualitates oriri.

Reſpondemus,ſecundum varium conſiderandi modum non eſſe inconueniẽs, rarum,& denſum eſſe principia caliditatis, & frigiditatis, & calidum, & frigidum verſa vice cauſare rarum, & denſum: hanc loquendi varietatem obſeruare poſſumus in Ariſt. in lib. de Cœlo, vbi videtur vocare grauitatem, & leuitatem

for-

formas elementorum: Secundò verò de partibus animalium c. 1. vocat leuitatem, & grauitatem elementorum qualitates, & omnia ſunt vera, quia in primo de Cælo, vbi conſiderat elementa, vt principia recti motus, ibi grauitatem, & leuitatem facit formas elementorum, & rectè facit, quia motus indicat formas moueri ad medium per grauitatem, à medio per leuitatem.

Quare elemēta dupliciter conſiderantur, vel vt ſunt integrantia mundum, & ſic grauitas, & leuitas erunt formę, vel vt ſunt principia generationis, & ſic non per grauitatem, & leuitatem ſunt principia generationis, ſed per caliditatem, frigiditatem, humiditatem, & ſiccitatem: & hac ratione quatuor qualitates vocantur primæ; immò ab Alexandro Aphrodiſeo vocantur formæ, conſideratæ, tamē abſolutè Ariſt. eas 3. metaph. tex. 17. vocat paſſiones, & non ſubſtantias; nunquam elementa agent, & patientur; eruntque principia generationis, niſi per quatuor qualitates; ſic alia eſt forma ignis, vt entis gradus, alia, vt recto motu mouetur, alia, vt principium generationis; Similiter alia eſt forma hominis vt homo, alia vt pater, alia vt quantus, vt philoſophus, & medicus; rarum à calore fit, & calor à raritate: exempli gratia deſtruatur rarum, & calidum, ſupponamuſque deinde fieri motum velociſſimum; cui dubium, quod materia ob motum prius fieret rara, quam calida? poteſt tamen etiam caliditas genita ſuo motu velociſſimo cauſare raritatem.

Hinc ſub Polis, vbi motus non eſt rapidus non eſt tantus ignis, quātus eſt ſub æquatore; Quo fit vt rectè Scaliger, & Zabarella dicant, elementum ignis figuram ouatam habere, quia corpus ignis eſt ſub ęquatore craſſius ob motum rapidiorem: ſub Polis verò tenuius, vnde minor ignis quantitas figuram ouatam facit.

2 Dub. diximus ſitus varios, variaſque partium poſitiones, raritatem, & denſitatem eſſe originem paſſionum, & potentiarum, quod reluctatur Ariſt. & fauet Democrito, & Theſalo, qui ad laxum, & denſum, tamquam ad effectuum principia confugiebant: Quam opinionem Ariſt. & Gal. reiecerunt.

Reſpondemus, nos admittere cū Ariſt. ſub quantitate rara, & denſa, & ſub alijs ſitus differentijs formas delitescere, quæ ſunt ſubſtantiæ, quas Democritus negabat; præterea nos non negamus caliditatem, & frigiditatem eſſe primas, dum ſcilicet conſiderantur elementa vt principia generationis, quod negabat Democritus.

Similiter de Theſalo dicimus, quod ille ad duo communia ad rarum ſcilicet, & denſum confugiebat; neque admittebat ab his genericis fieri ſpecificas, & particulares temperaturas, quæ ſunt in facto eſſe, & quæ diuerſimodè indicant: Theſalus enim ſequebatur ſententiam Epicuri credētis corpora fieri ex atomis, atomoſque eſſe indiuiſibiles, & per conſequens inalterabiles, vt refert Galenus 1. de differentijs morb. cap. 2. dicebatque non dari intemperies illorum, ſed eodem modo ſemper manere in ſanis, vt in ęgris & morbos omnes ſolum reduci ad malā compoſitionem negando intemperiem, quam opinionem ſequutus eſt quoque Aſclepiades, qui dicebat corpora conſtare ex corpuſculis incompactis, & inalterabilibus; ſimiliter Anaxagoras, & Empedocles (referente Galeno primo de elementis circa finem) dicebat prima principia eſſe inalterabilia; Anaxagoras tamen ponebat partes ſimilares, & Empedocles quatuor elementa, vterque tamen illa inalterabilia conſtituebat.

Nos verò Ariſtotelis inſequimur, & Galeni 1. de elementis loco citato opinionem his verbis expreſſam; *Corpora inter ſe vicina nata ſunt inter ſe mutuo trāſmutari, calefaciendo, refrigerādo, humectando, vel alijs qualitatibus:* Et omnes morbos ad intemperiem, malam compoſitionem, & ſolutam vnitatem, ſic Gal. iubente reducimus; quare, qui putant noſtram opiniomem eſſe ſimilem Democriti, & Theſali opinioni oſtendunt ſe non intelligere illorum antiquorum ſectas; illi enim negabant tranſmutationes ſubſtātiales, ego autem ſine tranſmutatione nullam qualitatem fieri de nouo poſſe cenſeo: illi negabant formas, ego autem puto omnium rerum principia à formis pendere; illi collocabant totum eſſe rei in

materia; ego autem in forma: putamus tamen tranſmutationes omnes fieri ſuppoſita diſpoſitione materiæ, quæ diſponitur prius à raritate introducta à motu velociſſimo, illumque motum tandem prouenire à motore, qui eſt actus, & qui eſt ſubſtantia, quod Antiqui non cognouerunt: De his egimus fuſius lib. 8. methodi vitandorum errorum.

CAPITIS LXXXV.

Particula V.

Ex motu verò, & quiete cum vtraque modum exceſſerint, aut calefactum aut refrigeratum, aut humectatum, aut exſiccatum, vel aliquid ſecundum horum patiens coniugationem. Sic & ex ſomno, & vigilia ipſum pati eſt neceſſarium, ſecundum eandem rationem, & ex animæ affectibus. Ex his, quæ aſſumuntur, aut excernuntur, aut retinentur, hæc ſi quidem omnia partim quidem euidenter, partim verò per alias cauſas medias alterant corpus, & ſanitatem corrumpunt, & de horum ſingulis ſeorſum ſcripſimus in tractatu, qui de ſalubribus inſcribitur.

EGit ſuperius de aere, quomodo alteret corpus: in hoc tex. agit de alijs cauſis non naturalibus: Diuiditur hic tex. in quinque particulas; hic docet immoderatum ſomnum, & vigiliam, animi paſſiones, cibum, potum, & excrementa alterare, & corrumpere ſanitatem, partim euidenter, & partim per cauſas mediatas, quæ vel ſunt humores, vel viſcerum malæ diſpoſitiones.

Si de motu, & quiete loquamur, dicimus, ſi modum excedant corpora alterare, & ſanitatem corrumpere; omnis enim cauſa non naturalis, ſi mediocritatem excedat, nocet, ſi mediocritatem ſeruet, ſemper iuuat: quod verò omne excedens noceat, colligitur ex Hippocrate 2. ſectione Aphoriſmorum 51. vbi concludit, omne nimium eſſe naturæ inimicum. Quod motus non excedens iuuet, patet ex Galeno 2. de tuenda val. cap. 2. vbi refert tres vtilitates ab exercitio oriri, primam, exercitio inſtrumenta motui dedita fieri duriora, quia affricantur, & inde nó ita facilia ſunt ad patiendum, ſed robuſta ad agendum: ſecundam exercitijs vtilitatem ait eſſe natiui caloris incrementum: tertiam meatuum expurgationem.

Si de nimia quiete loquamur, dicimus, impedire ne excrementa inſenſibilia euacuentur, & per conſequens putredinoſum calorem excitare; ecce quod nimius calor poteſt quoque à nimia quiete prodire.

1 Dubit. Gal. lib. de cauſis morborum cap. 2. refert cauſas caloris eſſe quinque, adhæſum rei calidæ, alimentum motum, ſtipationem, & putredinem: in cap. 3. eiuſdem libri dicit, cauſas extinctionis caloris eſſe has ſex; adhæſum rerum frigidarum, alimentum frigidum, ſtupationem, rarefactionem, otium, & motum immodicum; ecce quod ex Galeno motus eſt cauſa caloris, & frigoris, quod videtur inconueniens.

Reſponſio eſt facillima, quia dū dicit, motum immodicum eſſe cauſam extinctionis caloris intelligit, vt nos docet Auicennas 2. 1. doctrina 2. cap. 12. dum adeò eſt immodicus, vt reſoluat calidum natiuum: quando verò eſt immodicus, ſed ſine reſolutione natiui calidi, tunc calorem excitat præter naturam, ità vt nullo modo ſanitati conferat nimietas motus, vel quietis: Hinc Hippocrates lib. de victus ratione laudans motum habet hæc; *Homo non fruitur integra ſanitate, niſi laboret*. Intellexit de labore moderato; & lib. 6. epi. ſectione 4. habet hanc ſententiam; *Optimum eſt ſtudium ſanitatis citra ſaturitatem veſci, & impigrum eſſe ad laborem:* Si igitur motus ſanitati conferat, eius contrarium, quod eſt quies nimia, & ocium efficiet ægritudinem.

In ſecunda particula agit de ſomno, & vigilia, & merito, quia ſomnus eſt quietis ſpecies, vigilia verò eſt motus; ideò poſtquam egit de quiete, & motu, ſtatim de ſomno, & vigilia eodem modo agit; quod ſcilicet ſi modum exceſſerint ſenſibiliter alterentur, & lædantur corpora: Hippocrates 2. aphoriſmorum 3. habet hunc aphoriſmum; *Somnus, & vigilia ſi modum exceſſerint, malum.*

2 Dub. Galenus ponit ſomnum, & vigiliam immoderatam inter cauſas alteran-

ran-

rantes; quaſi quod ſomnus, & vigilia etiam moderata non alteret viuentium corpora, quod eſt præter rationem.

Reſpondetur, quod etiam moderatus ſomnus, & vigilia alterant: ſed has alterationes non efficere ſenſibilem læſionē; immò læſio, quæ fit à ſomno moderato, quæ eſt re vera à nobis imperceptibilis, corrigitur à vigilia, & læſio vigiliæ corrigitur à ſomno; & ſic læſiones, quæ ab alteratione ſomni, & vigiliæ moderatæ fiunt, nihil mali efficere poſſunt.

Fructus, & vtilitates ſomni, & vigiliæ varij ſunt; Galen. 12. methodi cap. 3. dicit, ſomnum cruditatem leuare; ſubdit ſomnum concoquere, vigiliam digerere, & idem dicit 2. de ratione victus; Cauſa cur ſomnus concoquat, Galen. 4. in 6. de morbis vulg. tex. 14. habet hæc; in ſomno calor ad internas partes reuocatur, & melior coctio fit; & 4. de tuenda ſanitate cap. 4. dicit ſomnum, & quietem ſemicoctos humores optimè coquere, & perficere.

Conuenit Ariſtot. cum Galeno, ſomnum, eſſe ligamentum, ſeu quietem omnium ſenſuum exteriorum, quia virtus ſenſitiua recurrit ad intus; differunt de loco, ad quem recurrunt: Ariſt. putabat, cor eſſe principium quoque neruorum, quod reluctatur τῷ ἀντιτύπῳ, putabatque virtutem ſenſitiuam rettahi ad cor: Galenus ad cerebrum; cauſam, cur hæc virtus, ſeu calor ſenſitiuus ad intus retrahatur Ariſt. 2. de partibus animalium cap. 7. dicit eſſe, quia humiditas fertur ad cerebrum, & inde cerebrum magis grauari, & ob grauitatem humiditatem deſcēdere, & calorem frangere, qui demum cū ſanguine ad cor retrahitur, vnde ſomnus; neque expergiſcitur animal, niſi prius humiditas illa vaporoſa concocta, & diſſoluta ſit; quo negotio abſoluto iterum, ait, reddere calorem, ſeu virtutem ſenſitiuam ad quinque ſenſus, vnde vigilia ſequitur.

Galenus verò 3. de cauſis pulſuum capit. 10. & alibi dicit, virtutem ſenſitiuam, ſeu calorem quinque ſenſuum retrahi non ad cor, ſed ad cerebrum; cauſam verò retractionis dicit eſſe, quia calor exiccatus, & defatigatus recurrit ad cerebrū, vt humectetur, & refocilletur, dum verò eſt refocillatus, & humectatus dicit, iterum reddere, & vigiliam efficere. Hinc dicit, qui multo exercitio ſunt vſi, multo ſomno indigent; ocioſi verò, pauco.

3 Dubit. experientia comparatum eſt, ſomnum etiam moderatum aliquando excitare calorem præter naturam: & aliquando refrigerare totum corpus, ergo à ſomno certa alteratio non habebitur.

Reſoluitur nodus ab Auicēna, vbi agit de ſomno, ſi corpora ſint boni ſucci plena, ſomnum augere calorem naturalem, & auferre calorem præter naturam; ſi verò in corporibus ſint humores acres, & biliosi, corpus ob ſomnum magis inflammari. Hinc in Gal. ſæpè repetita eſt ſententia hæc: Somnus in pituitoſis tollit ſitim, in bilioſis eam adauget.

4 Dubit. Galenus videtur ſibi contradicere, quia 1. de ſymptomatum cauſis dicit, cauſam præcipuam ſomni eſſe humiditatem, non frigiditatem; cauſam verò præcipuam vigiliæ eſſe ſiccitatem, & non caliditatem; libro verò 3. de locis affectis cap. 5. videtur, quod Galenus totum oppoſitum dicat, quia ait præcipuam cauſam ſomni eſſe frigiditatem: cauſam verò vigiliæ præcipuam eſſe caliditatem.

Reſpondetur ab Expoſitoribus ſic, in 1. de cauſis ſymptomatum, vbi dicit, cauſam ſomni præcipuam eſſe humiditatem loqui de ſomno, & vigilia naturali; in 3. verò de locis affectis, vbi dicit, cauſam præcipuam ſomni eſſe frigiditatem loqui de ſomno, & vigilia præter naturam, vt in affectibus ſoporoſis accidit.

5 Dub. Diximus in ſuperiori dubitatione, cauſam præcipuam ſomni præter naturam non eſſe humiditatem, ſed frigiditatem, vt dicit Galenus 3. de locis affectis cap. 5. attamen 3. de cauſis pulſuum cap. 10. ait clariſſimè, cauſam ſomni præter naturam eſſe humiditatem, & cauſam vigiliæ præter naturam eſſe ſiccitatem, ergo Gal. vel malè ſentit lib. 3. de locis aff. uel malè lib. 3. de cau. pul.

Reſpondetur, himiditatem nimiam ratione ſuæ quantitatis efficere poſſe ſōnum immodicum, & præter naturam: attamen ſi humiditas non habeat adiunctā frigiditatem, nunquam efficere ſomnum ualdè immodicum; agentes igitur nos de

cauſa

cauſa præcipua ſomni, præter naturam ſuſtinemus, frigiditatem eſſe magis præcipuam, quam humiditatem: contrarium dicimus de vigilia: oppoſitorum enim ex Ariſt. 1. top. c. 8. eadem eſt diſciplina.

6 Dub. Gal. 3. de loc. aff. c. 5. ait, cauſam ſomni præter naturam eſſe frigiditatem; primo verò de cauſ. ſym. cauſam naturalem ſomni eſſe humiditatem, quomodo poterit ſaluari Hippocr. & Gal. 5. in 6. de morb. vulg. tex. 32. vbi dicit, ſomnum multum exſiccare immodicè euacuatum?

Reſpõdetur, corpora euacuata ſine cibo, dum dormiunt facilè contabeſcere, quia calidum natiuum in ſomno, cum ſit robuſtius abſumit humidum ſubſtantificum omnium partium corporis; ità vt ſomnus per accidens exſiccet, & calefaciat augendo calidum natiuum; præterea nos oſtendimus in noſtris ſtaticis experimentis, quod per inſenſibilem perſpirationem duplo magis excremena reſoluãtur in ſomno, quam in vigilia, quod medici fortaſſe adhuc non audiuerunt; hinc fortaſſe Antiqui deſumpſerunt remedium, quo poſſent corpora obęſa extenuari, dum proponunt, quod obæſi poſt exercitium nullo aſſumpto cibo eãt dormitum, tunc enim tanta fit reſolutio, vt ex neceſſitate amittatur nimia illorum craſſities, & obæſitas.

7 Dub. dictum eſt ſuperius ex Gal. ſomnum nimium indicare in ſanis humiditatem; in ęgris frigidos, & craſſos humores: attamen in Hermocr. caſu, qui ſomnolentus erat, dicit Gal. in com. Hermocratis ſomnum indicare mortem: ibique de ſomno dicit, ſomnum fieri ab aliqua ex his tribus cauſis, vel ab humiditate, vt in ebrijs, vel à frigiditate, vt in ſenibus, vel ab imbecillitate, vt in Hermocrate, ergò ex ſomno nihil certi colligi poteſt.

Reſpondetur, vbi eſt maxima imbecillitas cauſata ob virium, & caloris natiui reſolutionem, vt in Hermocrate, quod coincidat cum frigiditate; ſed frigiditas duplex eſt, vel poſitiua, quæ fit à pituita ſenum, vel priuatiua, quæ fit ob carentiam caloris, qualis erat in Hermocrate. Præterea non inconuenit, cauſam per ſe humectare, per accidens verò calefacere, refrigerare, & corpus imbecillum reddere.

Quo ad animi affectus attinet Galen. vult, quod eodem modo alterent corpus, quo aliæ cauſæ non naturales.

8 Dub. exoritur, quia hic Gal. mentionem facit de animi affectibus, antequam agat de cibo, & potu, & excrementis, tamen à Galeno, & ab alijs ſexto loco proponuntur.

Reſpondetur, quod de animi affectibus agit hic, quia prius egit de motu, & quiete, & deinde de ſomno, & vigilia, quæ pertinent ad motum, & quietẽ; meritò igitur agit deinde de animi affectibus, qui ſimiliter ad motum pertinent; nullus enim affectus animi fit, niſi cum motu ſpirituum: cuius vero generis motus ſint animi affectus, Gal. nos docet 12. methodi, c. 5. dicens, animi affectus corrumpere poſſe ſpiritus: ecce quod motus, qui fit in vehementi animi affectu pertinet ad corruptionem ſpirituum.

Ego inuenio apud Gal. duos motus, in affectibus animi, quibus lædimur: alter eſt ſpiritus córruptela, quæ deinde calorem efficit, & hæc obſeruatur, dum aliqui ob iram extra rationis limites excandeſcunt; in his ſpiritus adeò vehementer agitantur, vt corrumpantur. Hinc Auicennas 2. 1. doctrina ſecunda, c. 14. dicit, omnes animi affectus fieri, dum ſpiritus, & ſanguis agitantur; alter motus factus ab animi affectibus eſt ebullitio ſanguinis; & ſpirituum ob calorem concitatum aliquando, ob iram, & aliquando ob mærores nimium illos ad partes imas retrahentes vel ob nimium gaudium, quod concitato motu ad externa ſpiritus tranſmitti.

9 Dub. animi affectus ex Gal. lib. 1. de placitis Hippoc. & Platonis alterant cor; tamen ex eodem Gal. 4. de placitis c. 2. & ex Ariſt. & omnium philoſophorum ſententia ſit ira, ſit timor, vel gaudium non poſſunt fieri ſine præcedenti cognitione boni, vel mali: ergo cerebrum in animi affectibus, alteratur, & non cor.

Reſpon. quod vtrunq; viſcus alteratur, ſed magis cor, quam cerebrum, quia cor eſt calidius; præterea in affectibus animi ſpiritus vitales ſunt illi, qui mouentur ad intus, vel ad extra, & per hos motus caleſiunt ſpiritus vitales; ſpiritus enim vitales ſunt valdè annexi animalibus, quia vi-

vitales ſunt eorum pabulum; non tamen verum eſt,quod cenſet Argenterius vitales ſcilicet coincidere cum animalibus; nullamq; eſſe differentiam:ſuperius enim reiecimus hanc opinionem.

10 Dub.videtur ex dictis, quod omnes animi affectus calefaciant, & nullus refrigeret; quod videtur reluctari Gal. qui in tex. proponit affectus animi, vt ſunt cauſę alterantes ſecundum omnē intemperiem calidam, ſcilicet frigidam, & reliquas: quod verò omnes calefaciant,patet; quia Ariſt.2.Ethic.cap.3.& cap.5.dicit, ad duos affectus reduci omnes, ad dolorem ſcilicet,& gaudium,intelligens per dolorem mæſtitiam;quia hos duos ſequuntur omnes; ſi igitur oſtenderimus, dolorem,& gaudium calefacere, oſtēdemus de omnibus; nullus enim poteſt eſſe affectus ſine gaudio,vel dolore, ſeu mæſtitia; quod dolor, ſeu mæſtitia calefaciat,eſt Gal.primo de diff.febrium c.3.vbi dicit męſtitiam ratione motus eo vſq;calefacere aliquando ſpiritus, vt illos adeò exagitet,vt exurantur, & inde totū corpus incaleſcat:& 4.de cauſis pulſuum c.4. in omni mæſtitia contrahi calorem ad intus, & temporis ſpatio exurcre; quod verò magna lætitia calefaciat, colligitur ex 4.lib. de cauſ.pulſuum capit.3. vbi dicit lætis fieri pulſum maiorem.

Reſpondetur,dolorem, ſeu mæſtitiam mouere ſpiritum, & ſanguinē ad cor, & in hoc motu intendi calorem cordis gaudium verò ſemper refrigerare, Galenus enim lib.4.de cau.pul. ait, gaudium calorem extra efferre;primo ad Glauconem, gaudium magnum ſyncopen gignere: 2. de cauſis ſymptomatum dicit,ob perichariam, ideſt nimium gaudium, quoſdam periſſe. 12. methodi cap. 5. dicit ob gaudium, & timorem vehementem aliquos homines periſſe; ecce, quod animi affectus poſſunt calefacere, refrigerare, & extinguere calorem natiuum: quinimò animi affectus adeò efficaciter agunt in copora noſtra, vt Plato in charmide dicat, cuncta ferē mala corpori ab animi affectibus contingere;& alibi quoque dicat,longè maiorem eſſe commotionem corporis, quamvis iacentis ab animo factam, quam quævis corporis agitatio violenta.

Eorum quæ aſſumuntur. Gal. loquitur de hac re 3.de temperamentis cap.2.& 9 Pluſquamcommentator proponit hanc triplicem differentiam, dicit eorum quæ aſſumuntur, quædam alterare corpus,& non alterari, hæcque eſſe medicamenta: quædam alterari,& non alterare, & eſſe alimenta, alterant enim quatenus augēt ſanguinem, vnde corpus calidius redditur;quædam verò alterari,& alterare, vt ſunt cibi medicinales, ſeu alterātia refrigerantia,& calefacientia,quatenus enim conuertuntur in nutrimentum dicuntur cibi, quatenus alterāt dicūtur medicinę.

Gal.verò loco citato, quæ aſſumuntur ſi alterantur ſecundum ſubſtantiam dicit eſſe cibos:ſi verò non poſſunt alterari ſecundum ſubſtantiam, ſed ſolum ſecundum qualitatem eſſe medicamentum: ſi verò quę aſſumunt partim alterantur ſecundum ſubſtantiam,& partim alterant, eſſe cibum medicinalem, vt ſunt ſerapia alterantia;ſi verò alterant,& vincant,dicit eſſe venena. Hinc agit ſolum de ijs, quæ vincuntur, vt ſunt cibi alterantes, qui in cenſum cauſarum ſalubrium numerantur.

11 Dub.dictum eſt,alimentum alterari, & non alterare corpus, quod repugnat Ariſt. primo de generatione, dum dicit omne patiens patiendo reagere, & Gal. 2.de temperamentis, c.4. in omni actione agens quoque potentiſſimum à patiente repati.

Reſpondetur, alimentum alterari, & alterare; ſed medicus,qui eſt ſēſatus philoſophus nō fert, niſi quæ ſenſibus ſubijciuntur; Medicus ſemper reſpuit dogma inſenſibile,Medicus videt corpora cibo refocillari, non dicit corpora à cibo pati: Philoſophus tamen dum profundius iſta conſiderat dicit corpora pati à à cibo,& rectè philoſophatur, quia ad illum pertinet etiam inſenſibilia contemplari.

12 Dub.non videtur, quod apud philoſophum ſit vera hæc ſententia, corpora, quæ nutriuntur, pati à cibo,tùm quia ſimile non patitur à ſimili, alimentum eſt ſimile,& ex Ariſt. 4. de generatione animalium cap. 8. alimentum omnibus eſt quid dulciſſimum,& tale non eſt contrarium, & à tali non patimur; prætereà Ariſt.

Ariſt. 2. de anima tex. 45. dicit, alimentum patitur aliquid ab eo, quod alitur, ſed non hoc ab alimento, vt nec faber à materia; quare in philoſophia non videtur verum, quod patiamur ab alimento, & quod ſemper patiens patiendo reagat.

Soluit hanc dubitationem Ariſt. 2. de anima tex. 45. quia, ibi dicit alimentum ſumi dupliciter, vel vt indigeſtum, & ſic eſt contrarium, & natura antequam fiat coctio laborat, & patitur; vel ſumitur vi digeſtum, & factum ita ſimile, vt nihil remaneat, niſi vltima tranſmutatio, & conuerſio, quæ in inſtanti fit, quam dicimus fieri ſine paſſione; omnis enim paſſio in tempore fit.

13 Dub. non videtur, quod ea quæ aſſumuntur, qualia ſunt cibus, habeãt vim neceſſariò alterandi, vt in hoc loco docet Galenus, quia ipſemet 3. de temperamentis cap. 4. dicit, alimentum vt alimentum augere ſubſtantiam caloris; ſed non qualitatem, ergo alimenta vt lactuca, hordeum non erunt alterantia, alterantia enim verſantur circa qualitatem, & non circa ſubſtantiam.

Reſpondetur ab alijs, alimentum conſiderari dupliciter, vel vt eſt alimentum; vel vt eſt alterans, dicunt primo modo augere ſubſtantiam; ſecundo verò modo vt alterans dicunt eſſe medicamentum, & non alimentum. Nos dicimus ex Galeno 3. de temperamentis cap. 4. alterantia vt lactuca, & ptiſana, antequm ſint aſſimilata afficere, & refrigerare: quando verò ſunt aſſimilata, & ſuperata nõ amplius refrigerare, ſed augere calorem noſtrum: idem dici poteſt de omni alterante: ecce quod alterantia antequam ſint concocta reſrigerant, & poſt concoctionem calefaciunt. Sed de hac re nos diffusè l. 4. cap. 13. methodi noſtræ multa tractauimus huic propoſito valde conferentia.

Hinc corpus patitur ab alimento ante aſſimilationem, & non poſt: Hinc Gal. lib. 3. de cauſ. pul. cap. 9. dat pulcherrimam ſimilitudinem, & modum, quo natura patitur ab alterantibus, dicit enim corpus pati ab alimentis; vt ignis ab appoſitione lignorum: ignis à principio, dum ſcilicet fit, videntur ab aceruo lignorum extingui, deinde verò cum augetur, adeò vigoratur, ut à lignis non ſolum patiatur, ſed valdè foueatur; idem natiuo calori contingit ab aſſumpto cibo; videtur enim prius calor opprimi, & corpus refrigerari; omninò à corporibus debilioribus perſentitur poſt cibum rigor dorſi, quamuis paulò poſt calor foueatur, & augeatur.

Hinc in debilioribus valdè conuenit cibi paucitas, & proba qualitas; quia ſi vtantur nimia copia ciborum bonæ ſubſtantiæ efficient putredinem quo ad vires, & non quoad vaſa; non quoad vaſa, quia antequam venæ ſint valdè refertæ vires, cum ſint debiles, nõ ferunt copiam ſanguinis, ſed ſtatim, vel hæmorrhagia, vel humorum putrilago ſequitur; incidunt tamen debiliores in plenitudinem quo ad uires, id eſt ad congeriem prauorum humorum in venis exiſtentium, quos calor naturalis non poteſt ſuperare

Aut quæ excernuntur, aut retinentur; Per ea, quæ excernuntur, & retinentur, intelligit præcipuè excrementa, quæ neceſſariò, & quotidiè fiunt in omnibus, & in modo indebito euacuantur, vel retinẽtur, hæcque ſunt excrementa, quæ prodeunt à tribus concoctionibus; non tamen excludi debẽt alia excrementa, quæ aliquando in modo indebito retinentur, vel euacuãtur, ſicuti menſtrua, ſemen, & mucus narium hæc enim reducuntur ad indebitè retenta, vel excreta.

Expoſitores qui ſuſtinent, quod ſolum intelligatur de excrementis, quæ quotidie fiunt, falluntur; quoniam etiam iſta ab aliquo errore trium concoctionum oriuntur; omnia enim iſta excrementa ſi in modo indebito retineantur, vel euacuentur, innumerabiles affectus orientur, ſicuti Gal. nos docet 9. de vſu partium cap. 1. ſi igitur fæces alui plus iuſto, & conſueto more detineantur, ſtatim minuetur uis appetendi, ſequetur grauatiuus dolor capitis, non liberè excernentur flatus, & alij affectus, qui conueniunt corpori decidentiæ, fient; ſi uerò retentio fæcum plus iuſto perſeueret, corpus decidentiæ labitur in corpus inſalubre, nunc, quod corpus eſt actu ægrum, fient dolores colici, & aliquando uoluulus, quia ileum tunc reddetur inflammationi obnoxium; Si fæces expellantur plus iuſto

ſto corpus ſimiliter alterari poterit: debent enim fæces,ut dicit Gal.lib.ad Traſyb. eſſe proportionatæ aſſumptis: ſimiliter ſi cætera excrementa indebitè detineantur,vel excernantur uaria oriri poſſunt mala,de quibus hìc non eſt loquendi locus omnes enim ſciunt, vrinam nimiū retentam, vel excretam,ſimiliter bilem, melancholiam, ſudores, & alia indebitè retenta, vel excreta infinitos morbos gignere, de quibus omnibus hìc non eſt agendum.

Quo ad cauſas medias per quas ſex res non naturales alterant, & corrumpunt ſanitatem,variæ ſunt opiniones,quid uidelicet Gal.intelligat per cauſas medias.

Haly per cauſas medias intelligit corporis diſpoſitiones.

Pluſquamcōmentator per cauſas medias, intelligit humores, vel malam aliquam intemperiem, uel compoſitionem corporis,& reijcit expoſitionē Haly,quia dicit, diſpoſitionem corporis eſſe cauſam materialem,aitque,Gal.hìc agere non de cauſa materiali; ſed de cauſis medijs efficientibus; ratio Pluſquamcommentatoris contra Haly nullius eſt conſiderationis, quia diſpoſitiones ſunt etiam cauſæ efficiētes; in tractatu enim de ſyndrome noſtra pro dignoſcendis internis affectibus oſtendimus,nullum morbum fieri ſine diſpoſitione præcedente præter ephemeram, uel ſymptoma aliquod triū dierum; quod verò diſpoſitio non ſolum ſit cauſa materialis, ſed efficiens, patet,quia corpus diſpoſitum ſemper eſt diſpoſitum per formam, quę deinde eſt principium motus, & alio modo non poteſt admitti rerum generatio,& corruptio.

Demum Gal. in tex. dicit ſe egiſſe de his cauſis in lib. de tuenda ſanitate, quos quiſque adire poterit.

QVÆSTIO CI.

De numero coctionum, & de illorum excrementis.

GAlen.1. de tuenda val.c.12.3.meth. c.3.& 9.de vſu par.cap.1.dicit,tres eſſe coctiones, primamq; fieri in ventriculo: ſecundam in iecore: tertiam in cæteris partibus corporis, dicitque in qualibet coctione ſeparari duo excremēta, alterum craſſum,& alterum tenue.Magna difficultas eſt de illorum excrementis: omnes tamen concorditer dicunt, tertiæ coctionis excrementum craſſum eſſe ſordes,& pilos; tenue verò eſſe inſenſibilem tranſpiratum; ſimiliter excrementum ſecundæ coctionis tenue eſſe bilem,craſſum verò melancholiam; primæ coctionis excrementum craſſum eſſe fæces.

Quale verò ſit excremētū tenue primę coctionis,quæ fit in uentriculo,non conueniunt medici: Quidam dicunt vt Sclanus, excremētum tenue primę coctionis eſſe vrinam: Quidam verò vt Areteus,dicūt eſſe pituitam; mihi magis placet ſententia Aretei,quæ legitur 1.de diff.vrinarum cap.5.quod pituita aquoſa ſit excrementum tenue primæ coctionis; non tamen mihi probatur,dum dicit illam pituitam, quæ per uomitum euacuatur eſſe hoc excrementum tenue primæ coctionis; quia rarò homines ſani euomunt excrementa; ea enim, quæ colliguntur poſt concoctionem,quotidie fiunt; ideò dicimus pituitam aquoſam, quæ in chylo ſeparatur, quæ uel per ſputum excernitur, uel fæces humidas, & inteſtina humida, & mollia conſeruat, eſſe excrementum tenue primæ coctionis.

Quod verò vrina non poſſit eſſe excrementum tenue primæ coctionis, patet, quia Gal.1.de tuenda ſan.c.12.dicit,vrinā eſſe excrementum, quod coaceruatur in venis,& 3.de ſympt.cauſ.c.2.dicit,in concoctione venarum triplex eſſe excrementum,bilem videlicet,melancholiam, & vrinam.

Secunda opinio eſt Auicennæ, qui cēſet quatuor eſſe concoctiones, primam dicit effici in ore; ſecundam in ventriculo;tertiam in hepate; quartam in membris,quæ nutriuntur. Probat,cibum in ore concoqui; quia dum manduntur,cibi,odor ciborum mutatur, quod nō accideret ſine aliqua concoctione; vis enim concoquendi pendet tum à ſaliua, tum à tunica ventriculi,quæ protenditur ad os, & linguam: de virtute ſaliuæ, Gal.10.de ſimplicium medic.fac.c.16. dicit lichenas curare, reſoluere ſugillata, ſcorpios enecare, quæ ſi vera ſint, credendum eſt, in ore fieri aliquam cibi tranſmutationem.

Reij-

Reijci tamen poteſt Auicēnas,ſi credat hanc cōcoctionem in ore factam eſſe diuerſam à prima: quia eadem eſt cum prima:ſputum enim eſt excremētum primæ coctionis, & tunica, quæ eſt auctor, cur cibi adeò alterentur in ore, eſt ipſiuſmet uentriculi;quare dicendum eſt,hanc non differre à prima coctione.

Tertia eſt opinio Actuarij primo de differ. vrinarum c.5. qui putat, quatuor eſſe coctiones,ſed nō illo modo,quo Auicennas;dicit enim primam fieri in uētriculo, eius excrementum craſſum eſſe fæces; tenue eſſe pituitam,quæ per uomitū euacuari ſolet, ſi intelligat, quod hoc excrementum tenue per vomitum debeat excerni,errat toto Cęlo,quia excrementa coctionum quotidie fiunt,& dicuntur à Gal.neceſſariò alterantia; quia ſemper, & quotidie colliguntur,& alterant;ſi uerò intelligat, quod tenue excrementum ſit illa pituita,quam excernere poteſt homo ſanus per uomitum,hoc modo admittam eius ſententiam. Illis uerò, qui dicunt vrinam eſse tenue excrementum primæ coctionis nullo modo aſsentiri poſsumus; vrina enim antequam à renibus attrahatur, experitur concoctionem in hepate,& in renib. ipſis,vt ridiculum ſit credere, vrinam eſse excremētum tenue primę coctionis,quæ fit in uētriculo.

Secundam coctionem,dicit Actuarius, fieri in uenis meſeraicis, & in concaua parte iecoris;eius excrementum craſsum eſse melancholiam;tenue eſse bilem.

Tertiā in gibba iecoris, & in uenis cauis; eius craſsum excrementum eſse ſedimentum vrinæ; tenue ipſam vrinam.

Quartam,& ultimam in membris ipſis.

Reijcitur Actuarius, quia reluctatur, Gal.qui nos docet locis citatis, tres tantū eſse vniuerſales coctiones,præterea ſi vis concoctrix meſeraicarum, & concauæ partis iecoris differant inter ſe, oportet ut differant per potentiam, & per opus: diſtinguuntur enim potentiæ per actiones,& actiones per opera;ac ſic eſt,quod ſecunda coctio Actuarij nō differt à tertia per potentiam, & per opus aliquod, quia in ſecunda adeſt potentia generandi ſanguinem, & opus dependens ab vtraq; eſt ipſemet ſanguis; quare non poſſunt differre inter ſe.

Quarta eſt opinio quorūdam, qui credebant quinque eſse coctiones; primam fieri in ore,ut dicit Auicennas: ſecundā in ventriculo;tertiam in concaua parte iecoris;quartam in gibba,& uenis cauis; quintam in membris;ſed quia reiecta eſt opinio Auicennæ,& Actuarij,inde quoque,& hanc opinionem falſiſſimam eſse colligemus.

Vera igitur eſt opinio Gal. propoſita: primam uidelicet coctionem fieri in uētriculo, eius excrementum craſsum eſse fæces: tenue eſse pituitam,quæ tū in ſputum reſoluitur,tum inteſtina reddit mollia, & humecta. Quod verò pituita hæc generetur in vētriculo, colligitur ex Gal. lib.de atra bile, vbi hæc dicit: demonſtratum eſt à nobis, pituitoſos humores ex pituitoſis cibis in prima uētriculi coctione fieri, ut bilioſi, & melancholici in iecore; Similiter primo de natura humana 39.dicit; pituitam generari in prima mutatione ciborum: idem dicit Gal.5.de vſu partium cap.4.

Neque inſtantia Valleſij ualet, dū dicit,pituitam generari in iecore: maſsa enim ſanguinea ex quatuor humoribus conſtat:in his quoque eſt pituita in iecore genita: quia nos dicimus, pituitam illam eſse alimentalem,& non excrementum; eſseque in maſsa potentia, ut ſunt quatuor elementa in mixto;pituitam verò,quæ eſt excrementum primæ coctionis, non eſse alimentalem, ſed in ſputorum proluuiem conuerti, & in ſanioribus ab illa fæces, uentriculum, & inteſtina reddi mollia.

Secundam coctionem dicimus fieri in hepate: eius craſsum excrementum eſse melancholiam,quæ ad lienem,& inde ad uentriculum pro retentione cibi, & pro eius fermentatione, & faciliori concoctione tranſmittitur: tenue eſse bilem; non alimentalem, ſed quæ ad pylorum mittitur pro expurgandis fæcibus; adeſt quoque inter excrementa tenuia ſecundæ coctionis ſeroſum excrementum, quod expurgatur per vrinam.

1 Dub.exoritur,quia Galen.locis citatis dicit, in qualibet coctione duo excremēta ſeparari, alterum tenue, & alterum craſsum; tamen tertio de ſymptomatum cauſis,cap.2.ait, in coctione venarum tri-

plex

plex eſſe excrementum, vnum eſſe bilem amaram, aliud eſſe melancholiam, & tertium ſeroſum excrementum.

Saluus Sclanus neſciens propoſitam dubitationem ſoluere incidit in opinionem quorundã, qui ante illum putabant, quod excrementum ſeroſum eſſet excrementum tenue primæ coctionis; nihilominus ſolutio eſt facillima; quia nos cõcedimus eſſe duo excrementa in qualibet coctione, vnum tenue, & alterum craſſum: dicimus tamen tenue prædicari de bile, & ſeroſo excremento, & hoc modo erunt duo, & erunt tria; duo, quia alterũ eſt tenue, alterum verò eſt craſſum; tria, quia tenue ſubdiuiditur: dum verò dicit ſeroſum excrementum gigni in ventriculo, peto an hæc ſeroſitas ad hepar trãſmiſsa ſit alterabilis à calore hepatis; ſi fateatur eſse alterabilem, ergo concoquetur, ergo ſeparabitur vtile ab inutili, ergo erit excrementum ſecundæ, & non primæ coctionis: ſi fateatur eſse inalterabilem, ergo neque erit excrementum primæ coctionis; quia maior vis tranſmutãdi eſt in iecore, quam in ventriculo; concedimus in cibis aliquando humorem adeo crudum inueniri poſse, vt nullo modo coqui poſſit, quod quidem defertur ad hepar, & inde per vrinam reijcitur; ſicuti eſt hypoſtaſis vrinæ; ſed negamus eſse excrementum; quia ſolum ideſt excrementum coctionis, quod poſt coctionem ſeparatur.

Tertia coctio fit in membris, eius excrementum craſſum ſunt ſordes, & pili; & omnes conueniunt: tenue eſt inſenſibilis perſpiratus, de quo nos in ſtaticis aphoriſmis fuse egimus.

CAPITIS LXXXV.
Particula VI.

Tex. 6. *Omnia igitur nunc dicta genera materiæ, quædam ſunt ſalubrium cauſarũ. At vſu opportuno adhibito cauſæ ſunt conſeruatrices, atq; ſalubres: ſed vbi à modo deliquerint, inſalubres redduntur. Vnde etiam liquet ex his non alias præter has, aut ſalubres, aut inſalubres à nobis exiſtimari oportere, at eaſdem potius quandoque quidem ſalubres, quandoque verò inſalubres, in eo quod ad aliquid eſſe. Nam vbi motũ corpus deſideras, exercitatio quidem ſalubris, ocium autem inſalubre: quum verò eget quiete, ocium quidem ſalubre, exercitatio autem inſalubris. Eodem modo de cibis, & potibus, & de alijs omnibus ſtatuendum eſt. Horum enim ſingula quando, vt neceſſitas corporis exigit, cum menſura, ac qualitate opportuna adhibentur, ſalubria ſunt, ac cum citra omnem neceſſitatem, ac præter modum afferuntur inſalubria.*

Tex. 7. *Atque hæ duæ ſunt circa ſalubre, & inſalubre intentiones, rei ſcilicet, quæ adhibetur qualitas, ac quantitas.*

SVperius Galen. propoſuit omnes cauſas, quæ alterant corpus noſtrum: dixitq; cauſarum alias eſſe mediatas, alias verò immediatas eſse ſex res non naturales: immediatas vt expoſuimus cum Haly eſse malas corporum diſpoſitiones: cauſæ enim non naturales non efficiunt morbos, niſi corpus priùs ſit diſpoſitum: immo ſi vehemens præcederet aliquis error in cauſis non naturalibus corpore non exiſtente diſpoſitæ aliquem efficeret morbum, ſe non diuturnum, & difficilis curationis, ſed breuem, veluti eſt ephimera, vel aliud ſymptoma, vt nos docet Galenus in epidemicis in hiſtoria Sileni.

In hoc tex. Galen. duo facit, primo docer, ſex cauſas non naturales dici poſse ſalubres, ſi opportuno, & recto vſu adhibitæ ſint: inſalubres verò ſi importuno, & incommodo vſu illis vtamur: docet deinde Galen. in 2. par. text. quod iſte commodus vſus conſiſtat in debita quantitate, & qualitate: incommodus verò in indebita: dat exemplum de motu, air; ſi quis manſerit ocioſus, & vtatur motu in debito vſu erit cauſa ſalubris; idem motus ſi fuerit nimius, dicetur inſalubris: ſimili modo air de cibo, & potu, cibus enim illis qui paſſi ſunt ieiunium, vel ſunt euacuati ſalubris eſt: idem cibus illis qui ſunt cibo referti, eſt inſalubris.

In ſecunda parte, *horum enim ſingula* declarat in quo conſiſtat commodus, vel incommodus vſus ſex rerum non naturalium, dicitque in debita quantitate, & qualitate conſiſtere, nam ſi debitam quãtitatem, & qualitatem cibi, & potus obſeruauerimus, tunc ſanitatem non ſolum

conſeruabimus;ſed illam quoque efficiemus; dum uerò committitur error in quantitate, uel qualitate cauſarum non naturalium, lædent, & inſalubres cauſæ dicentur; nulla enim cauſa ex ſua natura eſt ſalubris, uel inſalubris; immò hac ratione cauſæ non naturales dicuntur materiæ ſalubrium, & inſalubrium, & non cauſę ſalubres, quia ſicuti materia ex ſua natura eſt indifferens; ſimiliter hæ cauſæ ſūt indifferentes tā ad ſalubritatē, quam inſalubritatem; exempli gratia, ſi cibus, & potus aliquis eſſet ſalubris ex ſua natura, eſſet omnibus, & ſemper talis; ualet enim conſequentia ab eo, quod eſt per ſe tale ad de omni; neque id dicitur per ſe tale quod reſpectu unius, & eiuſdem eſt tale; Hinc cibus uni erit ſalubris, alteri erit inſalubris, uni erit remedium, alteri cauſa morbifica; immò uni, qui habet febrem tertianam, erit ſalubris, eidem cum eadem febre cum iiſdem accidentibus, in diuerſo tempore poteſt eſſe cauſa morbifica, immò, & uenefica, ſicuti Gal. docet 5. de tuenda ſan. c. 11.

Notandū circa ultima uerba tex. colligi duos modos, quib. cauſæ externæ fiant inſalubres; primus eſt dum illis utimur citra neceſſitatem, quando uidelicet corpus non indiget; Secundus modus eſt, ſi uteremur iis, quando corpus indiget, ſed in qualitate, & quantitate indebita. Colligimus igitur, corpora indigeant, uel nō indigeāt alterantibus externis malè affici poſſe; quia ſi indigeant, committi poteſt error in quantitate, uel qualitate, ſi nō indigeāt; & adhibeantur citra neceſſitatem committitur non in quantitate, uel qualitate, ſed in tempore importuno; quia corpori, quod non indiget alterante, dicimus cum Pluſquamcommentatore, tunc quamlibet qualitatē, & quantitatem alterantium minimam nocere poſſe.

1 Dub. ſi eſſet uera hæc Galeni doctrina, quod quælibet cauſa externa ex ſex non naturalibus reſpectu diuerſorū poſſit eſſe ſalubris; & inſalubris; ergo uana eſſet doctrina de cibis boni, uel mali ſucci, quam Gal. ſummo labore inuenit, & tradidit; ſi dixeris paruum pullum, oua recentia eſſe ſalubria, ego dicam hic cum Gal. eſſe etiam inſalubria; nullum enim imaginari poſſumus aerem, cibum, potū motum, & quietem temperatiſſimam, & moderatiſſimam, nullum moderatū coitum, qui non poſſit ex Galeno eſſe alicui inſalubris.

Reſpondetur, cibos boni, & mali ſucci, & alia ſex res non naturales, niſi coarctētur ad rectum uſum, qui conſiſtit in debita, quantitate, qualitate, & tempore opportuno, eſſe inſalubris; ſalubris uerò ſolum in debita quantitate, qualitate, & tēpore opportuno: ſi quis putaret oua, & carnes uitulinas eſſe ex ſe ſalubres, erraret, toto Cœlo, quia quibuſdam robuſtiſſimis ex mente Galeni, ſunt inſalubres; etenim primo de alimentis dicit bilioſos bouinam carnem facilius concoquere, quam piſces ſaxatiles.

Ecce igitur, quod nullus cibus ex ſe ſalubris eſt niſi cū relatione. Similiter coitus abſtinentia aliquibus eſt ſalubris, aliquibus ualde inſalubris; caſus dignus obſeruatione notatur à Gal. 6. de loc. aff. 4. dum refert quendam lugentem mortem uxoris, & à cōcubitu, quo antea creberrimè fuerat uſus abſtinentē, cibi cupiditatē amiſiſſe, ità ut nullū cibū cōcoquere poſſet; refert quod ad priſtinam conſuetudinem coitus redeūtem quam celerrimè inappetentia liberari; ſine dubio tunc coitus huic uiro etiam immoderatus fuit ſalubris, quod diximus de cibo, & coitu, de qualibet non naturali cauſa dicendū eſt; Hinc fatui ſunt, qui componunt libros de cibis ſanis, & non ſanis, nulla habita relatione, vel conſideratione ſubiectorum; omnes enim cauſæ vocantur ſalubres, vel inſalubres facta relatiōne ad commodum, vel incommodum vſum, & tempus opportunum, vel importunum patientis.

2 Dub. Galenus dicit duo requiri, vt cauſa ſit ſalubris, quantitas, & qualitas debita: attamen etiam alia videntur neceſſaria, nimirum modus, ordo, & tempus opportunum exhibendi alterantia; ergo Gal. eſt mutilus.

Reſpondetur, quod omnia, quæ imaginari poſſumus reducantur ad qualitatem, & quantitatem debitam; modus verò exhibitionis, ordo, & tempus vtendi alterantibus reducuntur ad qualitatem debitam; ità reſpondent Expoſitores, & Pluſquamcommentator, & rectè: quia omnis

nis bona qualitas cibi dicetur inſalubris, ſi citra neceſſitatem exhibeatur; requiritur igitur occaſio, ſeu tempus opportunum, quod includitur in debita quantitate, & qualitate.

CAPITIS LXXXV.

Particula VII.

Neque enim eſt rationi conſentaneum etiam tēporis occaſionem, quæ in his, quæ dicta ſunt continetur, veluti tertium aliquod ab eiſdem diuerſum introducere. Si enim tali, & tanta re allata egeat corpus, nemini dubium quin etiam in tempore opportuno aſferatur occaſio.

Tex. 8. *Si quidem temporis inde ortum habet, quoniam fluxibile, ac facilè mutabile eſt mortale corpus, ac pro trāſmutationis modo alijs alio tempore eget auxilijs. Quare non eſt tertium aliquod præterea, quæ dicta ſunt, tempus. Sæpius autem eo tamquam tertio quodam ob eam, quam diximus causā ad docendum vti conſueuimus.*

IN hoc tex. reſpondet cuidam tacitæ obiectioni, quia quiſpiam dicere potuiſſet, ò Galene, alibi præter debitam quantitatem, & qualitatem propoſuiſti occaſionem, ſeu tempus opportunum, in hoc loco tamen hanc conditionem omiſiſti, ergo vel hic, vel alibi defeciſti.

Reſpondet Gal. tempus opportunum contineri in debita quātitate, & qualitate; non quod tempus opportunū non differat à quantitate, & qualitate; ſed quia neque nos imaginari poſſumus, quod quantitas, & qualitas ſit debita, niſi concurrat opportunū tempus, per hypotheſim, ſi quis poſt horam à prandio comederet cibum, qui cenſetur ſaluberrimus, cui dubium, quod cibus ille dicetur inſalubris, quia non exhibetur tempore opportuno; valet enim conſequentia, æger vſus eſt debita qualitate, & quantitate cibi, ergo tempore opportuno nutritus eſt, aliter non fuiſſet debitus cibus; quare ſi Gal. alibi attulit præter quantitatem, & qualitatem debitam tempus opportunū, dicimus id feciſſe facilioris doctrinę gratia: in hoc loco verò cum paucis de tota arte agat, omittit, quæ ſubintelligi poſſunt, ideò de tempore opportuno ne verbum quidem fecit.

1 Dub. Galen. 1. ad Glauconem agit per compendium de actionibus medicorum; attamen ibi addit præter debitam quantitatem, & qualitatem duas alias cōditiones, videlicet tempus opportunū, & modum vſus: alibi quoque addit ordinem, & ciborum ἀκαιρίαν & 1. aphor. 19. Gal. præter quantitatem, & qualitatem addit vtendi modum; ergo malè hic habet, dum ſolum quantitatem, & qualitatem conſiderandam proponit.

Reſpondetur, quod non ſolum tempus opportunum continetur in quantitate, & qualitate; ſed etiam vtendi modus; quia ſi per locum conuenientem medicus non euacuat, illud medicamentum nec quantum, nec quale oportet euacuabit; ecce quod modus vtendi reducitur ad qualitatem.

Quo ad illud quod dicebatur, libros ad Glauconem eſſe compendioſos, attamen propoſuiſſe tempus opportunum, & modum vſus; dicimus libros illos fuiſſe compoſitos in gratiam Glauconis, qui non erat verſatus in arte medica; ideò vt rectè ſe explicaret quid intelligeret per quantitatem, & qualitatem debitam addidit tempus opportunum, & modum vſus. In hoc loco verò vbi agitur de arte medica artificioſiſſima, quæ continet ſolum neceſſaria, & intrinſeca, omiſit, quæ poterant afferri facilioris doctrinæ gratia, ſicuti erat tempus opportunum. Hinc Gal. lib. de optima ſecta cap. 39. & 40. videns tempus non eſſe quid intrinſecum morborum, dicit tempus morborum non eſſe principale indicans; ſed ſolum indicare intenſionem, vel remiſſionem morborum, & virium, quæ poſtea vt quales, & vt quantæ principaliter indicant: ſimiliter dicimus ἀκαιρίαν ciborum reduci ad debitam qualitatem, & quantitatem: omnis enim cibus, vel potus ſi officiat, id ſolum ſua indebita quantitate, vel qualitate facit.

2 Dub. Hippocrates, qui breuiſſimus ſemper fuit, 6. epidemiorum, tex. 33. cōm. 2. dicit, in facienda euacuatione quinque eſſe neceſſaria; primum vt opus eſt; ſecūdum qualia debent euacuari; tertium, vbi; quartum, quando; & quintum, quantum;

tum; hæc ſunt illa quinque, quæ in ſcholis declarantur; & nos 3. lib. methodi noſtræ vitandorum fusè explicauimus, & ſunt quid, quantũ, quando, quomodo, & vbi: quid ex omnium ferè conſenſu deſumitur ab eſſentia indicantis, quantum ab actione, quando à preſentia, quomodo à paſſione, & vbi ab inhærentia indicantis.

Præterea Ariſt. de conditionibus bonæ actionis in libris moralium proponit nouem conditiones, id eſt quis, quid, vbi, per quos, quoties, cur quomodo, quando, & quantum. Gal. 9. methodi cap. 7. dicit, eſſe deſumendas indicationes à temperamento, ætate, conſuetudine, aere, Cœli conſtitutione, regione, anni tempore, &c. Quod cum ita ſit, quomodo poterit defendi Galenus qui in hoc loco ad hos duos ſcopos reducit omnes conditiones actionis, videlicet ad debitam quantitatem, & qualitatem?

Argenterius ait Galenum ſibi contradicere; ſed vacillat ſummoperè; quia ipſemet Galen. 9. methodi loco citato ſe ipſum declarans inquit, dum multos proponit ſcopos, præter illos duos, ait, illos non eſſe primarios, ſed eſſe ſcoporum ſigna; regio enim, ætas, tẽpus anni, & cætera ſunt ſigna indicantis præſentis, quia ex Galen. 3. methodi cap. 1. indicans propriè ſumptũ eſt illud, quod curatur; quare Galenus non ſibi contradicit, vt temerè putat Argenterius. Dum verò reprehendit Galenum, quod in hac arte medicinali propoſuerit difficiliora, & ſpinoſiora, vt ait, quam ars, poſtulet; dicimus in alijs libris Galeni omnia eſſe plana, & conſpicua; in hoc verò ob breuitatem multa eſſe difficilia, & ſpinoſa, quia præcipuum Galeni ſtudium fuit, vt totam artem ad pauciſſima verba reduceret, quod ſine aliqua obſcuritate fieri non poteſt; ideò in limine huius libri iudicauit, hunc librum indigere explicatione.

Quo ad dubium deſumptũ ab Hippocrate, & Ariſt. dicimus omnes propoſitas conditiones reduci ad duos ſcopos, nimirum ad debitam quantitatem, & qualitatem; quando enim ſit agendum, & quomodo coarctantur à debita quantitate, & qualitate remediorum: modus enim & tempus agendi erit, dũ inuenta eſt debita quãtitas, & qualitas; vt inueniatur qualitas, & quantitas oportet cõſiderare tempus opportunum, rei eſſentiam, modum, & alia propoſita, quæ ſunt ſigna indicantia debitæ quantitatis, & qualitatis. Hinc Gal. 5. de tuenda ſan. cap. 5. dicit, à temperamento, ab ætate, à conſuetudine, ab aere, a cœli conſtitutione, a regione, a tẽporibus anni, a natura partis, ab eius formatione, a ſitu, & ſimilibus non ſumi indicationem; dicit tamen Galenus, iſta valde conferre ad remediorum inuentionem; quæ tunc dicemus eſſe inuenta, quando debita auxilij quantitas, & qualitas erit reperta. Hinc Galen. 1. de ſanitate tuenda cap. vltimo, reduxit omnem mutationem corporis conſeruandi (de qua parte conſeruatrice hic agitur) ad quantitatem, & qualitatem; quare Gal. ſemper eſt ſibi conſentiens, & vniformis.

2 Dubit. non videtur, quod omnes conditiones agendorum a medico reduci debeant ad qualitatem, & quantitatem, hic docet Galenus, quia qualitas pertinet ad vnum prædicamentum, quantitas ad aliud; remanent deinde alia prædicamenta, quæ tamquam conditiones neceſſariæ requirantur in actionibus; vt ſitus, quando, paſſio, & ſubſtantia; at ſic eſt, quod prædicamenta ſunt impermiſcibilia: quomodo igitur poterunt omnia reduci ad qualitatem debitam.

Reſpondetur, quod qualitas ex Ariſt. 3. methaphyſ. cap. de qualitate, ſumitur tripliciter vel pro qualitate prædicamenti qualitatis, vel pro qualitate ſubſtantiali, quæ conuenit ſolum ſubſtantiæ, vel pro qualibet rerum differentia: omnis enim differentia prædicatur in quali; & ſic omnis forma, ſeu differẽtia cuiuſvis prædicamenti dicitur qualitas. Hac poſita diſtinctione dicimus, per qualitatem Gal. intelligere differentias omnium prędicamẽtorum; & per quantitatẽ intelligere gradũ, ſeu virtutem auxilij intenſiorem, vel remiſſiorem; quod verò Gal. intelligat per qualitatem etiam illã, quę non coarctatur ad prædicamentum qualitatis; patet, quia exponẽdo locum Hippocr. 6. epid. cõm. 2. quid per qualia intelligat, dicit intelligerẽ quem humorem oportet vacuare, an ſcilicet pituita, vel bilis, vel alter humor; ecce quod a Gal. lato modo ſumitur qualitas; per quantitatem intellexit ſpecificum

cum gradum,& vltimum,de qua quantitate loquens Gal.3. methodi cap.7. dixit, quòd quantum in quaque re Æſculapius ſolus exquiſitè dignoſcit.

3 Dub.dantur alterantia ſecundum totam ſubſtantiam,vt ſuperius dixit Gal.de aere,quòd ſcilicet tota ſubſtantia aliquādo lædat.Præterea medicamenta quoque operantur ſecundum totam ſubſtantiam; quomodo igitur hæ cauſæ reducentur ſolum ad quantitatem, & qualitatem? debebat igitur Galen. præter qualitatem, & quantitatem addere debitam ſubſtantiam.

Reſponſio eſt facillima;omnes conueniunt ſubſtantiam agere per qualitates: ecce quod ſubſtantia reducitur ad qualitatem. Præterea nos ſuperius probauimus,non dari ſubſtantiam immediatè operatricem, ſed omnes potentias agendi reduci ad prædicamentū qualitatis; quòd noluit intelligere Gregorius Arim. neq; Argenterius,& Fernelius, qui putabant, qualitates occultas eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, eſſeque ſubſtantias operatrices, & in ipſis fundari nouos morbos ab illis vocatos formarum; quam chimeram fusè ſuperius,& diligentius quoque in 8. lib. methodi noſtræ vitādorū reiecimus.

CAPITIS LXXXV.

Particula VIII.

Tex.9. *Quoniam verò in his ipſis intentionibus & aliæ cauſa ſalubres, & id quod propoſitum eſt genus continetur, rurſus eaſdem repetamus cauſas.*

MVltæ sūt expoſitiones huius tex. Pluſquamcommentator duobus modis exponit; prima expoſitio eſt hæc, Gal. oſtendit quod ſex res non naturales in debita quantitate, & qualitate efficiātur ſalubres; in indebita ſalubres.

In præſenti tex. vult,quod dixit de illis ſex rebus non naturalibus,applicare optimæ cōſtitutioni;ſed quia in tex. fit ſermo de alijs cauſis,ideò aliam dedit expoſitionē dicens, ſuperius docuit cauſas neceſſariò alterantes in debita quantitate, & qualitate eſſe ſalubres, hic Galen. dicit, non ſolum propoſitum genus cauſarum, videlicet neceſſariò alterantium fieri ſalubres ab illis duabus conditionibus in debita ſcilicet quantitate, & qualitate, verum etiam aliæ cauſæ,quæ non neceſſariò alterant per illas duas conditiones dici ſalubres; inter quas ſunt illæ, quæ ſubijciuntur voluntati noſtræ.

Hæc expoſitio non probatur;quia Gal. reijcit has cauſas non neceſſariò alterantes; neque de his vllo modo mentionem facit,& meritò, quia cauſæ non neceſſariò alterantes,vt ſunt arbitrariæ non pertinent ad Artificem.

Hieremias alio modo exponit, dicit Gal.hactenus egiſſe de ijs, quæ aſſumuntur,ideſt de cibo,& potu: in hoc verò tex. vult illas duas conditiones.ſ.debitā quantitatem,& qualitatem applicare quinque alijs cauſis non naturalibus,ut aeri, motui,quieti,ſomno,& uigiliæ, &c.

Reijcitur, quia de nulla ex ſex cauſis non naturalibus ſuperius minus egit Gal. quam de ijs,quæ aſſumuntur.

Tertia expoſitio hæc eſt, videtur nunc eſſe communis, & eſt verior: ſuperius propoſuit agendum prius de cauſis ſalubribus conſeruantibus,& poſtea de cauſis efficientibus, & inter conſeruantes prius de conſeruantibus optimā corporis conſtitutionem, quæ eſt regula cæterarum, quia illa cognita cæteræ facilius cognoſcuntur,& meritò,quia Ariſt.1.de anima tex.85.rectum eſt iudex ſui, & obliqui,& Gal.1. de temperamentis, & 2.c.4.& c.3. vult, quod optima, & perfectiſſima conſtitutio ſit veluti ſtatua Polycleti, quæ eſt aliorum norma; ideò acturus Gal. in hoc loco de ſex cauſis non naturalibus neceſſariò alterantibus vult prius illas applicare optimæ conſtitutioni,& in tex.dicit,in his ipſis intentionibus, ideſt in debita quantitate, & qualitate, tam cauſæ non naturales efficientes ſanitatem dici ſalubres, quam conſeruantes optimam conſtitutionem,quam præcipuè intēdit,ideò Galenus per propoſitum genus intelligit optimam conſtitutionem,à qua ſtatim in ſequenti tex.exorditur.

CAPITIS LXXXV.

Particula IX.

Tex.10. *Optima igitur corporis conſtitutioni, cum circumfuſus aer fuerit in tem-*

perie poſitus, & earum rerum, de quibus nuper diximus, quietis ſcilicet, & motus, ſomni, vigiliæ, & eorum, quæ aſſumuntur, atq; excernuntur quantitas moderata cõueniet: cum verò aer à temperie receſſerit tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura receſſus.

INcipit Gal. in hoc tex. docere, quomodo corpus ſaluberrimum debeat à ſex rebus non naturalibus conſeruari; & exemplificat de aere.

Diuiditur tex. in duas particulas; in prima docet, quomodo ſit procedẽdum, vt corpus ſaluberrimũ conſeruetur, dum aer eſt temperatus, vel alia cauſa non naturalis ſit moderata. In ſecunda docet, quid agendum pro conſeruatione corporis ſaluberrimi, dũ aer eſt intemperatus: præceptum, quod Galen. applicat aeri, eſt adeò artificioſum, vt poſſit quoque applicari alijs cauſis non naturalibus.

Quo ad primam partem dicit pro conſeruatione corporis optimè conſtituti, ſi aer fuerit temperatus; addas tu, vel quia ſit in vere, vel in regione, vel conſtitutione temperata: dicit igitur, quod ſi aer fuerit temperatus; in alijs quoque rebus non naturalibus erit quærenda ſimilis temperatura, ideſt quies, & motus debent eſſe moderati; ſimiliter ſomni, & vigiliæ, cibi, & potus, & excrementa inſequi debent moderationem: omnium enim cauſarũ non naturalium moderatio, & mediocritas requiritur, ſi velimus conſeruare corpus ſaluberrimum: quoniam ſi per hypotheſim aer eſſet temperatiſſimus; & cibi, vel potus, ſomni, & vigiliæ eſſent immoderatæ, tandem corpus ſaluberrimum poteſt adeò recedere ab optimo ſtatu, vt inde in peſſimam conditionem cadat.

In ſecunda parte oſtendit, quid agendũ pro conſeruatione corporis ſaluberrimi, dum aer eſt intemperatus: & dat hoc pulcherrimum præceptum: ſi aer eſt intemperatus, debemus pro correctione intemperiei aeris curare, vt aliæ res non naturales, ut ſomnus, vigilia, motus, & quies tantum recedant ab optima temperatura, quantum recedit ipſe aer.

Nec valet inſtantia Argenterij contra Galenum, quod aliquando vnica cauſa non naturalis poſſit temperare alterationes illatas ab aere, quia nos quoque admittimus, vnicam cauſam ex non naturalibus poſſe emendare alterationem aeris; tamen non ſic eſſe procedendum putamus; oportet enim dirigere non vnã, ſed omnes cauſas nõ naturales aduerſus alterationem factam ab aere, hoc fine, vt ſine violentia corrigant: quoniam, qui vellet calidam alterationem aeris auferre ſolum cibis refrigerãtibus, id efficeret nimia cum violentia: oportet igitur vti, & cibis parum refrigerantibus, & quiete, & ſomno, & ijs, quæ ſine violentia poſsũt nimium calorem aeris corrigere; ideò Argenterius uidens oppoſitionem eſſe friuolam, illicò ſe emendat dicens, ſe non magnoperè repugnare interpretationi propoſitæ, quæ eſt communis, & quæ colligitur ex verbis Galeni.

1 Dub. Galenus docet, quomodo corpora ſaluberrima conſeruentur à cauſis nõ naturalibus; enumeratq; omnes præter animi affectus, qui re vera ſunt potẽtiores omnibus alijs: ſæpiſsimè enim paſſiones animi ſanitatem perturbant, morbos inducunt, & ad mortem homines transferunt.

Pluſquamcommentator reſpõdet tribus modis, primò Galenum omiſiſſe animi affectus, quia affectus temperati ex neceſsitate ſequuntur corpus temperatum; eſt enim Galeni ſententia, quod animi mores ſequantur temperaturam corporis: quare medicus non debet de re, quæ ex neceſsitate fit, tradere normã, ſeu regulam. Secundò dicit Galenum omiſiſſe animi affectus, quia eorum correctio ad philoſophum, & non ad medicum attinet. Tertiò ait, Galenum omiſiſſe animi effectus, quia ſequuntur actus voluntarios, de quibus non poteſt tradi regula.

Reijcitur, quia tertia ratio aduerſatur primæ. Præterea, ſi omiſit animi affectus, quia inſequuntur ex neceſsitate temperamentum corporis, debebat omittere etiam ſomnum, vigiliam, cibum, & potum; quia hæc omnia inſequuntur temperamentum. Præterea ſaluberrimum corpus, vt infra docebit Galenus, eſt ſibimet regula, & non indiget medico cuſtode, quia tantum appetit,

petit, quantum concoquit; quare dum excipit Pluſquamcommentator animi paſſiones, & non alias cauſas non naturales, vacillat: inſuper infiniti morbi à cauſis non naturalibus fiunt: & in hoc libro docet eſſe cauendum ab immodicis animi affectibus: & in methodo, & alijs libris agit de affectibus pendentibus à nimio gaudio, ab ira, & alijs.

Ego autem puto, animi affectus includi, dum enumerat motum, & quietem; motus enim alius eſt animi, & alius eſt corporis: motus excitatus ab animi paſſionibus ex Galen. 12. methodi c. 5. duplex eſt, alter eſt ſpirituum corruptela à nimia ira facta; alter eſt alteratio ſpirituum ſine corruptela: Hinc Plato in carmide ſcribit cuncta ferè mala corporibus accidere ab animi affectibus.

2 Dub. Galen. dicere videtur, quod aer magis corpus alteret, quã aliæ cauſæ non naturales, uidelicet magis quàm cibus, & potus, &c. quod videtur falſum: Ariſtot. enim 1. problem. 13. dicit, mutationem aquæ eſſe magis moleſtam, quam ſit mutatio aeris. Pręterea aquę frigidæ potu aliquando febris illicò tollitur, quod non euenit per aeris mutationem. Præterea etiã cibus videtur magis alterare, quam aer; quia cibus in aliquibus conuertitur in humores venenoſos, vt dicit Gal. 3. de ſimplici medicina; aer verò quamvis peſſimus, nunquam legitur fieri venenum.

Reſpondetur, Gal. non expreſsè cenſere aerem magis alterare, quam potus, vel cibus, vel aliæ cauſæ non naturales alterant; propterea dicere poſſumus propoſitam dubitationem hic nõ habere locum: verum ſuppoſito, quod aer magis in alterando poſſit; reſpondemus primò magis poſſe aerem motu ſuo continuato, eoque debiliori, quam aliæ ſex res non naturales, quæ interpollato, & non continuo motu alterant. Hinc dicimus magis alterare, & maiorem moleſtiam afferre febriculam continuam, quam potentem tertianam, quæ dat aliquas inducias.

Secundò reſpondemus Ariſtotelem in problemate propoſito loqui de aquis malis, quæ ſunt graues, & moleſtæ, quæ non pertinent ad res non naturales.

Tertiò dũ ſit comparatio inter aerem, & cibum, quis horum magis alteret, quatenus ſunt cauſæ non naturales, & nõ vt ſunt præter naturam, non intelligimus de cibo, vt eſt venenum, & de aere, ut eſt peſtilens: facta igitur comparatione inter aerem, cibum, & alias cauſas non naturales poſſumus defendere, aerem magis alterare; continuò enim inſpiramus aerem, & nulla eſt pars corporis, quæ eo non fruatur; ſed quidquid ſit de hac re dicimus, Gal. non docere (vt putant plurimi) quod magis alteret aer, quam cæteræ non naturales cauſæ.

3 Dub. dicit Gal. ſuperius, ſex res non naturales conſeruare, vel efficere ſanitatem in omnibus, debita ſeruata earum quantitate, & qualitate; at ſic eſt, quod de aere loquentes poſſumus dicere aeris qualitatem ſolum eſſe ſeruandam, & non quantitatem; ergo ambæ conditiones non poterunt omnibus cauſis non naturalibus applicari.

Reſpondent multi varia, quæ non tollunt ambiguitatem. Ego tamen puto, ſeruari quantitatem aeris in inſpiratione; anguſtũ .n. pectus vnica inſpiratione nõ tantum aeris attrahit, quantum pectus latum, & amplum. Præterea Hippocrates tum in conſeruandis, tum curandis morbis præcipuè quantitatem aeris inſpirati perpendebat, vt inde de ſtatu febris, vel aliorum morborum multa penetraret.

4 Dub. dicit Gal. aerem, & cæteras cauſas non naturales dupliciter conſiderari, vel vt temperatæ, vel intemperatæ, quod quidem non poteſt applicari ſomno, & motui; quia ſomnus ſemper reddit corpus humidum, & motus calidum.

Reſpondetur, ſomnum, & motum nõ poſſe eſſe temperatos, ſed motum cum quiete, & ſomnum cum vigilia illam efficere poſſe moderationem, quæ poteſt cõſeruare corpus optimæ conſtitutionis.

5 Dub. Expoſitores dicunt, Galenum exemplificaſſe de aere, & non de alijs rebus non naturalibus, quia eius vitia non ita facilè corriguntur, vt vitia aliarum cauſarum non naturalium; lęſiones enim factæ à motu per ſuum oppoſitum, idest per quietem auferuntur; læſiones vigiliæ per ſomnum: læſiones per cibum calidum, per frigidum tolluntur, & ſic de alijs; de aere autem non ſic; ſimiliter Galenus 9. methodi c. 14. dicit, poſſumus ſu-

gere,& deligere cæteras materias: aerem verò fugere non licet; ſed eſt neceſſe vti præſenti Cęli ſtatu;quæ doctrina non videtur vera;quia oppoſitum dicitGalen.1. epid.comm.1. in proœmio dicit enim,aer ſi immoderatius calefiat,refrigeretur;ecce quod vitia aeris poſſunt facillimè corrigi: Deinde experientia comprobatur, aerē calidum alterari ad frigidum aquis per Euripos cadentibus in folia vitium: ſi ad calidum, iuniperis.

Ego autem inueni facillimum modum aerem alterandi: accipio pilam vacuam, quæ ex ferro,vel ex ære cofecta ſit;in hac foramē vnicū perexiguum fit:hæc impletur ignea vt decocto refrigerante,vel calefaciente, vel ſomnū inducente,quo facto exponitur igni, vt candeſcat; tuncque decoctum incluſum in pila illa ſphærica in aura per foramen ad inſtar impetuoſi ventus conuertitur, & magno cum impetu perflat ,& replet totū thalamum aura prædita qualitate calida, vel frigida pro arbitrio: ecce quam facilè alterari poſſit aer,& eius vitia corrigi; quare non videtur vera Galeni ſententia, quod aer ab artifice non alteretur.

Reſpondetur,hic agi de cauſis non naturalibus quatenus cōſeruant ſanitatem: quæ verò proponuntur pro correctione aeris; id fieri in cubiculo,vbi æger decūbit; dum verò dicitur à Galeno, aerem non mutari, intelligitur de ſanis, qui per Ciuitatem vagantur; dicimus hunc non poſſe in contrarium mutari.

CAPITIS LXXXV.

Particula X.

Tex.11. *Hi verò ſunt mediocritatis termini,in aere quidem ambiente, vt neque horreat propter frigus,neq;ſudet propter aſtum.*

SVperius docuit,corpus optimè cōſtitutum eſſe conſeruandum per vſum temperatum ſex rerum non naturalium. In hoc tex.incipit ab aere, aitque aduertas, aerem illum fore nobis temperatum, qui neque horrorem propter frigus excitat: neque ſudorem propter æſtum mouet; aerem igitur,qui inter hos duos terminos continetur,temperatum appellat.

Notandum,Galenum in codice Græco hos terminos mediocritatis vocare ſcopos hæc ſunt verba, σκοποὶ δὲ τῆς συμμετρίας, ideſt ſcopi mediocritatis; quaſi dicat in eligenda aeris mediocritate duo ſunt ſcopi; primus,vt animaduertamus, ne aer ita calidus ſit,vt ſudorem moueat; ſecundus,ne ſit ita frigidus, vt horrorem excitet; maiorem emphaſim habet vox græca ſcopus, quam terminus.

Notandum autem differentiam eſſe inter horrorem, & rigorem; dicit enim Gal.2. de ſymptomatum cauſis, cap.5. & 6.horrorem eſſe paruum frigus; & lib.de rigore,& palpitatione c.6. dum vehemēs excitatur rigor non ſolum in cute, ſed in ſubiecta carne,& muſculis dici rigorem: ſi rigor non eſt ita vehemens, vt concutiatur ſubiecta caro, ſed ſolum cutis, ille dicitur horror,qui eſt paruus rigor factus à frigore externo; quia de hoc intelligit Galen. & non de illo, qui à cauſa interna prouenit.

Quomodo verò fiat rigor ob frigus ex Gal.lib.de tremore,& rigore cap.6.colligitur, vbi dicit, calidum natiuum per ſe eſſe ſemper mobile,& ob eius motum vitam perſeuerare:dū verò ceſsat eius motus,ſtatim ſequi mortem,& rigorem fieri à calore potente:cum igitur hoc calidū natiuū ſua natura ſemper moueatur ad extra,ſi frigus immoderatum tangit partem viuentem extrinſecus, ſtatim fugit ad intra; ſed tunc valde conatur,vt iterū ad extra perueniat, in quo conatu ſequitur horror: ſi verò non frigus externum, ſed aliquis humor acris eſt in muſculis, tunc mouetur calidum natiuum ad intra vt expellat quod noxium eſt, & tunc maxima excitatur concuſſio,& rigor,vt noxium propellatur.

1 Dub.Ariſt.dicit tertia ſectione probl. 25. rigorem fieri à caloris imbecillitate, quod eſt contra illud, quod diximus ex Galeno lib. de tremore, & rigore.

Reſpondetur, Nos cum medicis inſequi opinionem Galeni, & non Ariſtotelis, ideò Pluſquamcommentator dupliciter errat, primò, quia inſequens Ariſt. putat rigorem fieri ex pugna, quæ fit ex membro grauitante deprimente, & à calore debilitante: ſecundò, quia putat, rigorem fieri nō ſolum à naturali faculta-

te; ſed etiam ab animali; eſt enim de ratione tremoris, vt virtus ſit debilis, & membrum, quod mouetur ſit graue; differt enim tremor à rigore; quia tremor fit, dum membrum voluntariè mouetur, ideſt à facultate animali motrice, rigor verò non à facultate animali, ſed ſolum ab expultrice naturali fit, quæ irritata ſemper expellit, quod eſt præter naturam.

2 Dub. Gal. 2. de humoribus com. 32. & lib. de tremore, & rigore cap. 2. dicit rigorem ità accidere partibus corporis, quæ ſunt inſtrumenta motus, vt accidit tremor, & palpitatio; ergo verum erit, quod ſuſtinet Pluſquamcommentator, rigorē non ſolum fieri ab expultrice naturali, verum etiam ab animali motrice.

Reſponſio eſt facillima, quia inſtrumenta motus animalis omnia ſunt prædita facultatibus naturalibus ſcilicet expultrice, retentrice, &c. quare rigor non accidit illis partibus animalibus, vt animales ſunt, ſed vt naturales: eandem doctrinam nos clariſſimè docet Gal. de cauſis ſymptomatum c. 2. & c. 3. ſed quia hæc reſponſio eſt communis, & ab omnibus accepta; non eſt vt fuſa oratione eam confirmemus.

3 Dub. Pluſquamcommentator probat, rigorem fieri non ſolum à facultate naturali, ſed etiam ab animali hoc modo: non fit rigor, niſi ſentiatur rigoris moleſtia: ſed ſic eſt, quod omnis ſenſus moleſtus, & triſtis dependet à facultate animali, ergo rigor fiet etiam à facultate animali.

Reſpondetur, argumentum probare, quod ſenſus moleſtia ſentiatur à facultate animali; ſed non probat, hanc moleſtiam fieri à facultate animali; cui dubiū, quod omnis noxa facultatis naturalis cognoſcitur tandem ab animali; tamen dicendum non eſt ab animali fieri: quæſtio eſt, an rigor fiat à voluntatis imperio, vel non, an poſt factum rigorem cognoſcatur à facultate animali: facultas enim naturalis etiam ſine auxilio animalis eſt illa, quæ ob virtutem concoctricem ſuperat omnes morbos, & quæ illos iudicat, vt Gal. teſtatur 3. de diebus decretorijs, & alibi; quare quamuis facultas animalis admirandas virtutes facultatis naturalis pernoſcat: non propterea eſt dicendum, illas virtutes prodire ab animali: quare quamuis moleſtia rigoris cognoſcatur ab animali, negamus tamen illam moleſtiam fieri ab animali facultate.

4 Dub. dicit Galenus aerem non poſſe eſſe temperatum, ſi in illo corpora ſudoribus ſcatent, quod ſi ità eſſet, nullibi inueniretur talis aer, quia vbique gentium, in omni videlicet climate, tantus eſt calor in æſtate, quantus poſſit ſudorem excitare.

Reſpondetur, Gal. intelligere de ſudore promoto à cauſa externa, & nō interna: dicimus igitur cum Gal. 1. aphor. 15. quod in corpore ſano habente validum natiuum calorem nunquam ſequatur ſudor; quia ob validitatem caloris humiditas rorida perſpirat inſenſibiliter. Hinc Diocles rectè dicit ſudorem ſemper eſſe præter naturam, quia nullus ſudor fit ſine violentia: dum igitur aer eſt ità calidus, vt excitet ſudorem in corpore ſano, quod valido natiuo calore fit, dicimus excedere temperatum.

5 Dub. Gal. 2. de ſanitate tuenda cap. 7. Hippocr. lib. de aere, aquis, & locis, & alibi, & Ariſt. 2. meteororum dixerunt, aerē quarti climatis eſſe temperatum; quomodo ergo aer, vbi nec ſudor, nec horror excitatur erit temperatus? non ne aer quinti, ſexti, & ſeptimi climatis eſt talis, vt neque horrorem, neque ſudorem excitet?

Reſpondetur, hic non quęri qualis aer ſit temperatior, ſed qualis ſit temperatus; valet enim conſequentia, aer eſt temperatior, ergo eſt temperatus, ſed non viceuerſa. Præterea nos diſputauimus in explicatione cap. 13. tex. 4. quod clima ſit temperatius; oſtendimuſque ex Gal. principijs, omnia climata præter frigidiſſimum, & remotum à mare eſſe temperatiſſima facta relatione ad homines ſui climatis.

Hinc legimus, omnes laudare ſuū clima. Ariſt. 2. meteororum, Gal. & Hippoc. dicunt, quartum clima, quia ſua Græcia ſub quarto climate iacet. Auerroes laudat ſuum quintum clima, ſub quo Corduba deſcribitur; eandem opinionem ſequitur Amatus Luſitanus, qui natus erat ſub quinto climate. Manardus Ferrarienſis lib. 7. epiſt. epiſt. 1. ſuſtinet, noſtrum ſextum

tum

tum clima, ſub quo ille erat, habere aerẽ temperatiorem. Albertus Magnus,cuius patria erat Ratiſbona,quæ inter ſextum, & ſeptimum collocatur, dixit ſextum, & ſeptimum habere aerẽ temperatiorem. Nos cẽſemus omnia climata,vt diximus, dummodo aer non excitet horrorem ob frigiditatem, vel ſudorem ob nimium æſtum, vt dicit Galen. in hoc tex. eſſe poſſe temperatiſſima.

Notandum Gal. dixiſſe in hac particula, aerẽ temperatum non excitare horrorem, non dicit frigus; frigus enim eſt ſaluberrimum,& eſt ſine concuſſione;horror verò non fit ſine cutis concuſſione.

Volo vos admonere mirabilẽ modum, quo ego quodam inſtrumento vitreo ſoleo dimetiri temperaturam frigidam, & calidã aeris, omnium regionum, omniũ locorum, & omnium partiũ corporis, & adeò exactè, vt qualibet hora diei poſſimus gradus,& vltimas manſiones caliditatis, & frigiditatis circino dimetiri illudque eſt in æde noſtra Patauina, illudque omnibus libentiſſimè oſtendimus; Nos pollicemur vel breui in lucem daturos librum de inſtrumentis medicis in quo iconem,conſtructionẽ,& vſus huius inſtrumenti antiquiſſimi proponemus.

CAPITIS LXXXV.
Particula XL

Tex. 12. *In exercitijs autem, cum primum laſſari cœperit corpus, confeſtim quieſcere.*

EGit ſuperius Gal.de conditionibus aeris, qui cõuenire poteſt corpori temperato in hoc tex. declarat quãtum debeat eſſe exercitium accommodatum corporibus temperatis; & dicit hoc corpus eſſe eouſque exercendum, quouſq; laſſari incipiat: Gal.deſumpſit hanc doctrinam ab Hippocrate ſect.2.aph.48. vbi dicit, quocũq;modo corpus moueatur,ac laborare incipiat, quies ſtatim laſſitudinem leuat: eandem ſententiam repetit Galen. 2. de tuenda ſanitate cap.vlt.

1 Dub.hic magna oritur,quid intelligat Gal. per laſſari, quod verbum in Græco codice eſt πονεῖν; quædam, vt Sclanus, dicunt Gal. in hoc loco non intelligere per πονεῖν laſſitudinem illam triſtem, & doloroſam,quæ ſentitur poſt nimium exercitium;ſed intelligere defatigationem ſine laſſitudine;ratio quę illos mouet eſt,quia Gal.3.de ſanitate tuenda c.5. dicit, laſſitudinem eſſe peccatum aliquod, quod in exercitatione accidit: ſi quis enim in exercitio non aberrauerit,nunquam incidet in laſſitudinem; hac mori auctoritate interpretantur per πονεῖν defatigari, & non laſſari.

Quæ expoſitio eſt omninò à mente Gal.aliena,quia ſicuti Gal. deſumpſit hãc ſententiam ab Hippocrate 2. aphoriſmorum 48. vt ipſemet Sclanus fatetur; ſic nos debemus expoſitionem iſtius ſententiæ ab eodem fonte haurire:hæc ſunt verba Gal. in comm. ſecundo aphor. citato, *Verbum πονεῖν, id eſt laborare ſignificat dolere, & fatigari in vtroque ſignificato ſermo verus eſt; ſi enim membra tam doleant propter plures motus,ſiue ſint fatigata, vt vix iam agere aliquid poſſint; quies ſtatim laſſitudinem leuat.* Ecce quod Gal. ſemetipſum declarat: quare in hoc loco per πονεῖν debemus cum Leoniceno interpretari laſſari,& non defatigari, vt tenet etiam Argenterius, dummodo intelligamus, quod illa laſſitudo, quæ exercitio dependet,ſit talis, qualem quies facilè leuet; dum verò dicit, laſſitudinem eſſe peccatum in exercitio,intelligitur de illa, quę per quietem non ſtatim tollitur,ideò Galen.ait,dum corpora laſſari incipiunt, non vult corpora in exercitio eouſq;procedere quouſq;experiantur laſſitudinem, ſed ſolum quædam initia laſſitudinis,quã corporis quies ſtatim amouet; illud enim exercitium,quo incidimus in laſſitudinẽ, non poteſt eſſe ſalubre, ſed ſolum dum peruenimus ad laſſitudinem excluſiuè,& non incluſiuè; aliud enim eſt laſſari, & aliud ſolum incipere laſſari.

Hanc ſententiam confirmat Gal. 2. de tuenda val.cap.vltimo,dum dicit,ab exercitio ceſſandum, antequam manifeſta ſequatur laſſitudo. Similiter dicit Galenus còrpus tam diu eſſe exercendum, quamdiu color floridus in exercitio perſeuerat, dum enim euaneſcit, vel quia pallor, vel nimia rubedo ſuperueniat, vult eſſe quieſcendum; quæcunque igitur ſit laſſitudo ſemper eſt mala.

Laſſitudo duplex eſt, alia à cauſa interna, de qua Hippocrates 2. aphor. 5. dicit, ſpontaneę laſſitudines prçnunciant morbos, alia eſt cauſa externa; ambæ. n. ſunt in triplici differentia; prima eſt vlceroſa, in qua puncturæ per carnes ſentiuntur, de ratione cuius eſt, vt eliquati humores ab exercitio, vel à cauſa interna fiāt acres mordaces, & puncturas excitent: ſecunda laſſitudo eſt tenſiua, quæ non accidit corpori cacochimo, vt vlceroſa, quia ſolum humores liquati quatenus copia peccant tendendo reddunt corpus laſſitudine oppreſſum; tertia eſt laſſitudo phlegmonodes, quæ eſt mixta ex vlceroſa, & tenſiua.

Quomodo verò curentur hæ laſſitudines Gal. tradidit artem particularem quę docet modum tollendi laſſitudines, quæ dicitur apotherapia, idest ars curandi laſſitudinem per frictiones, de qua agit 3. de tuenda valetudine, c. 5. 6. & 7. Nos verò de apotherapia nil dicimus, tum quia Gal. diffusè egit loco citato, tum quia ars illa non eſt in vſu.

Notandum ex Gal. 2. de tuenda ſanitate, cap. 2. motum differre ab exercitio, quia ſi in motu non fit aliqua mutatio, vel alteratio in anhelitu dicitur motus; ſi verò fiat alteratio, & mutatio in anhelitu dicitur exercitium.

Vtilitates exercitij ex Gal. 2. de tuend. ſan. cap. 2. ſunt tres; prima per exercitium inſtrumenta motus, ideſt muſculi, qui mutuò affricantur, fiunt duri, vnde difficilè patiuntur, & in agendo redduntur robuſtiſſimi.

Secunda, per exercitium fit caloris incrementum, vnde ſpiritus fiunt tenuiores, & celeriores, quo fit vt facultas attractiua, & diſtributiua augeatur, & coctio, & nutritio melior fiat.

Tertia per exercitium expurgantur meatus hoc modo: cohibetur per exercitium anhelitus, & ſpiritus cohibitus pellitur magno cum impetu per totū corpus, vnde egreditur liberè, & egrediendo ſimul rapit excrementa, quæ continentur in exiguis meatibus; idq; fit ſimilitudine illius artificis, qui vult perexigua foramina puluere impleta ſuffitu repurgare.

Auicennas verò lib. 1. fen tertia d. 2. c. 1. dicit, exercitium prohibere repletionem, quod fieri non poteſt, niſi meatus aperiendo. Hinc Auicennas tractatu 4. cap. 23. refert tria exercitij iuuamenta; primum eſt ventrem ſoluere; ſecundum vrinam ciere; & tertium ſudorem prouocare. Hinc Hippocrates 6. epid. cōm. 4. tex. 22. vocat exercitationem ſalubrem his verbis, *Exercitatio ſalubris, non ſaturitas, & promptitudo ad labores:* & Gal. in comm. dicit, hæc duo eſſe capita conſeruandæ valetudinis; primum hominem eſſe ſobrium ad victum; ſecundum eſſe impigrum ad laborem: quinimo ex Gal. 1. de tuenda val. cap. 3. duo ſunt ſcopi conſeruandi ſanitatem; primus eſt inſtauratio eius, quod continuò ob calorem deperditur; ſecundus ſtat in excrementorum expulſione, quæ quotidie poſt coctiones colliguntur.

Quantum verò eſſe debeat exercitium, Gal. in tex. declarat, euſque eſſe exercitandum corpus, quouſq; incipiat laſſari, excludendo tamen actualem laſſitudinem; quia dum introducitur laſſitudo, quies eam non amouet, amouet ſolum laſſitudinum principia: ſimiliter Galenus 2. de tuenda ſanit. cap. vlt. dicit tamdiu corpus eſſe exercendum, quamdiu color floridus ab exercitio factus perdurat; dum verò color incipit mutari, abſtinendum eſſe ab exercitio.

Auicennas 3. primi doctrina 1. cap. 3. dicit eſſe faciendum exercitium vſq; ad ſudorem vaporalē: addit, dum verò, peruenitur ad ſudorem fluidum, abſtinendum.

Quandò verò ſit faciendum exercitium nos docet Galen. 2. de tuenda ſanitate cap. 2. & dicit tunc eſſe faciendum, quando cibus duplicem confecerit coctionem, in ventriculo ſcilicet, & hepate, ſcribitque id cognoſci ex vrinis mediocriter palleſcentibus.

Hic non omittam, quin valde reprehendam Sclanum referentem hunc Galeni locum, quod ſcilicet tempus exercitij ſit poſt confectam coctionem primā, & ſecundam, dicitque cognoſci, abſolutam eſſe ſecundam coctionem ex vrina coloratiori, & rectè dicit, ſed quomodo poterit ſe defendere, dum dicit, vrinam eſſe excremētum primę coctionis, ſi vrina coloratior indicat ſecundam coctionem

nem eſſe perfectam?quomodo vrina non erit excrementum ſecundæ coctionis, ſi ſecundam coctionem oſtendit? ſuperius diſputauimus de hac re, & diximus poſt ſecundam coctionem duo oriri excrementa tenue, & craſſum: ſub tenui eſt bilis, & vrina, ſub craſſo eſt melancholia.

Inſuper 3. de tuenda ſanitate inquit, tempus exercitij eſſe, dum corpus eſt liberum ab excrementis primæ, & ſecundæ coctionis, caretque crudis humoribus:ratio eſt, quia dum crudis corpus eſt refertum, cruda diſpenſantur per vniuerſum corpus,& efficitur adiapneuſtia, vndè calor præter naturam, putredo, & bilis flauæ augmentum ſuboriuntur.

1 Dub.non videtur, quod ſtatim poſt primam,& ſecundam coctionem ſit tempus exercitationis, ſed poſt tertiam coctionem: quia Auicennas lib.1. fen 3. D. 2.cap.7.dicit eſſe ſpatio duorum dierum ter comedendum, quare ſi ante cibum fieri debet exercitium, illud erit poſt cibum 15. horarum ſpatio, in quo ſpatio etiam tertia coctio eſt completa; duo dies ſi diuidantur in tres partes, ſingula pars erit 16.horarum: ſimiliter Argenterius dicit,ſe non videre hanc neceſſitatem exercitandi ſtatim poſt ſecundam coctionem; ſed quia ipſemet paulo infra reddit rationem, quod niſi ſtatim poſt ſecundam coctionem iterum edatur, periculum ſit,ne diſſoluatur ventriculi ſubſtantia; de Argenterio nihil dicemus; ſæpe enim hic homo contradicit, & in prolixo diſcurſu ſoluit ipſemet contradictiones, quod eſt proprium illorum hominum, qui mentiuntur, quique non callent memoria.

Reſpondetur, Auicennam dixiſſe ter curſu duorum dierum illos comedere, qui ſemel in die ſoliti ſint cibari, ita vt bis in prima die, & ſemel in ſecunda comedant: quod verò Auicennas non crediderit, exercitium faciendum eſſe poſt tertiam coctionem, patet ex lib.13. tract. 3.cap.7. vbi dicit,inter cibum, & cibum decem horas interponi, exercitiumque ante cibum eſſe faciendum, ideſt poſt octo horas, quo tempore ſolùm ſecunda coctio poteſt eſſe perfecta.

2 Dub. ex Galen. habetur, quod æquè omnes partes corporis ſint exercendæ: tamen lib.5. de tuenda valetudine ait, ſi in corpore fuerit aliqua pars imbecilla, non æquè, vt aliæ eſſe exercendam.

Reſpondetur, Galenum loqui hic de exercitio homini temperato accommodato, in quo nulla pars eſt debilis:5. verò de tuenda ſanitate loquitur abſolutè de exercitio, quod ſcilicet omnibus corporibus conuenire poſſit.

3 Dub.Gal. 2. de tuenda ſanitate cap. 2. dicit,laborem eſſe idem cum exercitio;in hoc tex. verò diſtinguit exercitium à labore; quia in codice Græco legitur πονεῖν, ideſt laborare; dicit dum quis incipit laborare, ſiue laſſari, quieſcendum ab exercitio. Præterea 6. epid. commen.6. Hippocrates habet hanc ſententiam; *Labor, cibus, & potus,ſomnus,venus omnia mediocria*. Galenus ibi per laborem vult eſſe intelligendum exercitium, quare non videtur Gal. ſibi conſtare.

Reſpondetur, exercitium duplex eſſe, aliud cum labore, quod cognoſcitur, vt dicit Gal.2. de ſanit.tuenda ex auctione, & frequētia anhelitus, aliud ſine labore, adeſt tamen moderata quædam auctio, & frequentia anhelitus, quia ſine anhelitus alteratione non datur exercitium: ſeruatur enim hic ordo, primò eſt motus, qui non alterat anhelitum, & hic non eſt exercitium; ſecundò eſt exercitium cum alteratione aliqua anhelitus,& hoc propriè dicitur exercitium; tertiò eſt labor immoderatus cum actuali laſſitudine; de quo Gal. non intelligit; quia eſt præter naturam, & nihil boni efficere poteſt.

4 Dub. Auicennas lib. 1. fen 3. doct. 2. cap.3.dicit,qui exercitatur, ſi eſt plenus, melius eſt, quam ſi exerciretur quando eſt vacuus; quæ ſententia reluctatur Hippocrati, & Galeno dicentibus poſt ſecundam coctionem eſſe exercitio vtendum.

Reſpondetur, quod homo non dicitur vacuus,niſi poſt tertiam coctionem; imò poſt ſecundam concoctionem adhuc eſt ſucci optimi plenus: laudat tamen Auicenna loco citato, quod ante exercitium fæces,& vrina euacuentur.

5 Dub.Galen.3.de tuenda ſanitate,cap. 13.

13. & alibi: & Auic. lib. 1. fen. 3. doct. 2. cap. 7. dicit, paruum exercitium eſſe faciendum poſt cibum; Gal. tamen lib. de cibis boni, & mali ſucci, cap. 3. damnat à cibo omnem motum.

Reſpondetur, quod Auic. & Gal. laudēt à cibo paruum motum, ſed non exercitium; diximus ex Galeno ſuperius eſſe differentiam inter motum, & exercitium: de ratione enim exercitij eſt alteratio aliqua anhelitus; motus verò paruus, qui fit à cibo, ea de cauſa fit, vt cibus petat fundum ventriculi.

6 Dubit. Galenus proponit exercitium in hoc loco, vt eſt cauſa neceſſariò alterās humanum corpus: tamen Hipp. 6. epid. comm. 4. tex. 15. dicit illis, qui ſunt calidæ naturæ, conuenire refrigerationem, potum, & quietem. Gal. lib. 5. de tuenda ſanit. cap. 11. dicit, non omnibus eandem victus rationem conuenire; quia quidam ſi ab exercitio abſtinent, in morbos incidunt; & quidam ob exercitium febricitant: ergo exercitium non erit omnibus neceſſarium.

Reſpondetur, quod Galenus explicans locum Hipp. citatum dicit, calidis, conuenire quietem, non motum violentum, concludit ocium continuum omnibus nocere.

7 Dubit. dictum eſt ex Gal. & Hippocr. quod tempus exercitij debeat eſſe paulò ante cibum, quod videtur reluctari aphoriſmo 16. ſecundæ ſectionis, qui dicit; vbi fames laborandum non eſt.

Reſpondetur, quod fames vera eſt poſt tertiam coctionem, & non poſt ſecundam: quo tempore Gal. 2. de ſan. tuen. cap. 2. determinat eſſe vtendum exercitió.

8 Dub. Galen. docuit, cauſas non naturales, vt eſt aer, cibus, exercitium, &c. eſſe ſalubres propter debitam quantitatem, & qualitatem; in hoc tex. explicare videtur quantitatem, quam ſeruare debemus in exercitio, dum dicit, cum primum laſſari incipiat, ab exercitio quieſcendum; de qualitate verò exercitij ne verbum quidem fecit.

Argenterius damnat Galen. quod de qualitate exercitij nil [illegible]: ſed quomodo id iniuria fecerit paulò infra videbimus.

Nonnulli alij reſpondent Gal. omiſiſſe qualitatem exercitij, tamquam notam; quæ eſt, quod qualitas ſit temperata, & moderata: quoniam agitur hic de exercitio corporis temperati. Reijciuntur, quia de qualitate aliarum cauſarum nil debuiſſet dicere, ſi ſufficeret vt ſciremus, quod qualitas ſit moderata; quia agitur de corpore temperato.

Reſpondemus Gal. non omiſiſſe qualitatem exercitij, quia quid aliud eſt dum corpus incipit laſſari, quam quædam certa ſpecies, ſeu qualitas exercitij? plenius tamen Gal. de qualitate exercitij, lib. de tuend. val. egit. Præterea infra declarabit Galen. quod omnes partes æqualiter debeant exerceri, quæ conſideratio pertinet ad qualitatem exercitij.

9 Dub. eſt Hippocratis ſententia à Gal. 2. c. 2. lib. de ſan. tuenda non ſemel citata, quod ſcilicet cibus ſtatim ſequatur exercitium; hæc ſunt verba Hippocrat. *Labor, cibus, potus, ſomnus, venus*. Per laborem intelligit exercitium. Hæc ſententia Hippocratis ita laudata à Gal. videtur falſa; quia ſæpè, qui nimio vtuntur exercitio, ſunt defeſſi; & propterea antequam cibum ſumant, debent prius quieſcere: laſſitudo enim corporis valè lædit ventriculum, qui ob laſſitudinem cibum arctè non poteſt comprehendere; ideò ante cibum, & poſt exercitium expedit, vt mediet quies. Præterea Galen. lib. de ſan. tuenda laudat poſt exercitium vſum balnei frictionum, & vnctionum; quare cibus non ſtatim ſequetur exercitium. Inſuper in tex. Gal. dicit, cum corpus laſſari incipiat eſſe quieſcendum, & non comedendum; ecce quod ſtatim ab exercitio non eſt cibus ſumendus, ergo ſententia Hippocratis eſt alteranda hoc modo, labor, quies, cibus, potus, ſomnus, & venus.

Reſpondetur de ratione exercitij, eſſe motum, de ratione verò motus eſſe terminum ad quem, ideſt quietem; & licet corpus totum ab exercitio ſtatim quieſcat, ſecundum ſpiritus tamen adhuc eſt in motu; ideò valde errant, qui ſtatim ab exercitio comedunt, quia tunc virtus eſt defeſſa, & cibo non reficitur; ſed potius obruitur. Similiter ſi quis animi paſſione inſigni detineatur, vt ira, magno gaudio, vel timore, tunc ſpiritus diſtribuuntur

tur in alias partes, vnde cibus in ventriculo non arctè comprehenditur; quare cibus non eſt ſumendus, niſi corpus ex toto quieſcat; diximus ex toto, quia non ſolum motus corporis, verum etiam motus inſignis animi ſtomachum valdè perturbat.

10 Dub. dictum eſt cum Galeno 2. de tuend. ſanit. cap. 2. poſt ſecundam coctionem eſſe vtendum exercitio; perficitur enim ſecunda coctio poſt nouem, & in aliquibus poſt decem horarum, & deinde dictum eſt poſt exercitium eſſe quieſcendum, ne corpus ita defeſſum comedat; quare ante cœnam non dabitur locus exercitio, cum poſt nonam, vel decimam horam à prandio ſequatur cœna.

Reſpondetur, quod propterea prandiū debeat eſſe moderatum, & non ita liberale, vt cœna; quia reuera in prandio largiori, exercitium, ſi fiet ante cœnam, erit importunum, & nocebit; ideò in prandio cibus debet eſſe facilioris coctionis, & ante cœnam, exercitium debet eſſe moderatius, cęna verò debet alimentis ſolidioribus conſtare; quia ſomnus ſequitur, & longior temporis curſus, in quo commodum quoque exercitium ante futurum prandium fieri poteſt; ecce quod cibus in prando debet eſſe parcior, vt poſſit fieri exercitiū ante cœnā, in qua cibo, & copioſiori, & ſolidiori vti poſſumus. Hinc Auicennas lib. 1. fen 3. D. 2. c. 7. dicit, exercitati groſſa alimenta magis tollerant.

CAPITIS LXXXV.

Particula XII.

Tex. 13. *In cibis autem coctionis perfectio, & excrementorum modus in quali, quantoque conueniens æqualis verò quodammodo in his coctioni appetitus. Quare neq; Præſide egent, qui ſingulorū, quæ aſſumuntur quantitatem metiatur, optima ſi quidem natura quantum appetit, tantum etiam concoquit.*

CVm egerit in tex. ſuperiori de exercitio, par eſt, vt in hoc tex. de cibo, & potu inſtituat ſermonem. Continuatio deſumitur ex Hippocratis ſententia lib. 2. de tuenda ſanit. cap. 2. quæ eſt labor, cibus, potus, ſomnus, & venus, ideſt poſt laborē ſequitur cibus, poſt cibum ſomnus, & deinde venus. Præterea dictat ratio, quia vt optimè notat Pluſquamcommentator poſt exercitium indigemus reſtauratione, quæ cibo, & potu fit.

In hoc tex. Galen. deſumit à cibis quatuor ſigna indicantia bonam, & optimam temperaturam. Primum ſignum eſt perfecta coctio ciborum; addas tu, quod in corpore temperatiſſimo omnes coctiones debeant eſſe perfectiſſimæ. Secundum eſt debita quantitas, & qualitas excrementorum trium coctionum: Tertium eſt, quia appetitus eſt quodammodo æqualis coctioni. Quartum dicit Galen. temperaturam optimam non indigere medico præſide, qui dicat, eligas hanc ciborum quantitatem; & ratio eſt, quia corpus ſaluberrimum non appetit, niſi illam quantitatem cibi, quæ iuuat.

1 Dub. circa primum ſignum occurrit, quia non omnes concedunt Gal. tres tātum dari coctiones; vt ipſemmet fatetur primo de tuenda ſanitate cap. 12. & lib. de cibis boni, & mali ſucci c. 5. & 3. methodi c. 3. & 9. de vſu partium c. 1. quibus in locis docet, in corpore tres tantum fieri coctiones; primam in ventriculo: ſecundam in iecore; tertiam in cæteris corporis partibus.

Auicen. tamen dixit, quatuor fieri coctiones, primam in ore; ſecundam in ventriculo; tertiam in iectore; & quartam in alijs corporis partibus.

Actuarius ſuſtinet fieri quatuor coctiones; ſed differt ab Auicenna, quia vult cum Gal. primam fieri in ventriculo; ſecundam putat fieri in venis meſeraicis; tertiam in iecore; quartam verò in cæteris corporis partibus.

Alij ſuſtinent, quinque eſſe coctiones, primam, ſcilicet in ore; ſecundam in ventriculo; tertiam in concaua parte iecoris; quartam in gibba, & vena caua; & quintam in alijs partibus; ſed quia nos poſt explicationem tex. quinti huius capitis ex Gal. probauimus non dari plures coctiones tribus, [illegible] ter tantum alimentum mutat ſpeciem, & naturam, non eſt, [illegible] um eadem repetamus.

Suppo[illegible]atur igitur hoc fundamentum,

quod

quod tres tantum ſint coctiones, & eum Pluſquamcommentatore primam, & ſecundam ordinari ad nutritionem totius corporis, quæ fit per tertiam; & quod hæ tres coctiones ſint inter ſe adeò reſpondentes, vt corporis compoſitio aſſimiletur, vt dicit Damaſcenus referente Pluſquamcommentatore conſonantiæ, & harmoniæ: Nos verò lib.2. methodi noſtræ cap.6. aſſimilauimus teſtudini, vel fidibus, in quibus ſi vnica corda nimium tentatur, vel laxetur omnium euertitur harmonia: ad eundem modum lęſa prima coctione vētriculi, alię lęduntur, & error ſeu diſſonãtia primæ coctionis in alijs ſępè eſt incorrigibilis: ſimiliter ſecunda coctio ſeruat ſuum concentum non ſolum relationem ad alias coctiones, ſed etiam ad ſe ipſam: quia natura in venis poſuit humores acutos, & graues, quaſi modularetur ſanguineam maſſam, ita ut harmoniam quælibet ex ſe efficiat, & omnes inter ſe relatæ coctiones. Hinc Galen.6. epid. comm.4. tex.25. dicit, tunc perfectã eſſe primam coctionem, quando chylus ita perfectè præparatus eſt, ut iecur illum recipiens conuertat in optimum ſanguinem: ſecunda uero coctio fit perfecta, quia præparat ſanguinem ita perfectum, ut in nutritionem facilè conuertatur.

2 Dub. dicit hic Gal. in optima temperatura fieri in cibis coctionis perfectionem: in cap.62. ait calidiorem naturam uentriculi melius concoquere, quam appetere. Preterea ex Ariſt.4.meteororum colligitur, naturam calidiorem mélius concoquere, quam temperatam, quia ibi inquit Philoſophus, concoctionem eſſe opus calidi: ſimiliter 2. de anima tex.50. habet hæc uerba; *calidum operatur coctionem*, quare non optima temperatura melius concoquet, ſed calida, ideſt quæ eſt calidior temperata: optima uerò temperatura non poteſt dici calida, uel frigida: quia in medio qualitatum conſtituta eſt.

Reſpondetur, quod Galenus cap.62. non dicit, calidam temperaturam uentriculi magis concoquere abſolutè, ſed magis concoquere, quam appetere: dum uerò dicit Ariſtoteles, calidum operari coctionem, intelligit de illo calido, cui æquè mixta eſt humiditas, quod calidum eſt temperatum. Hinc quarto meteororum de concoctione loquens, dicit, concoctionem eſſe elixationem, quæ fit à calido, & humido non recedente à temperato, ſed habente ſymetriam quatuor qualitatum.

3 Dubitat. Gal.2. prædictionum 33. & 6. de tuenda ſan. in princ. dicit, qui ſunt calidiores melius concoquunt, ergo perfectio coctionis in cibis non erit ſignum optimæ temperaturæ, ſed recedentis ab optima.

Reſponderi poteſt in Gale. concoctionem ſumi dupliciter, uel pro concoctione conuertente alimentum in ſubſtantiam nutriti: uel pro digeſtione; per digeſtionem intelligimus alimenti tranſlationem ex una in aliam partem; quod uerò concoctio ex Gale. differat à digeſtione, patet ex lib.12. methodi cap.3. ubi protulit hanc ſententiam; ſomnus concoquit; uigilia digerit; quare dicimus, quando Galen. inquit, corpora calidiora melius concoquere, quod per concoctionẽ intelligat digeſtionem; digeritur enim cibus, dum fertur, ſeu digeritur ab uno ad alium locum; nemini dubium eſt, quod natura calidior magis digerat, quã conuertat in ſubſtantiam.

Quantum attinet ad ſecundum ſignũ, quod uidelicet in optima temperatura obſeruetur debita quantitas, & qualitas excrementorum trium coctionum, ſi de quãtitate loquamur, Hippocrates 2. prognoſticorum tex.13. docet, quod fęces debeant habere quantitatem reſpondentem ingeſtis cibis.

Quænam uerò ſit hæc debita quantitas excrementorum reſpondentium cibis, nemo quod ſciam, tractauit. Ego tamen in mea ſtatica medicina poſt longã obſeruationem inueni in corpore moderatiori, in quo coctiones, & non corruptelæ fiunt, craſſa excrementa primæ coctionis reſpondere ingeſtis in vigeſima proprotione circiter: ſi ingeſta per hypotheſim fuerint centum vnciarum, alui fæces ſi fient compactæ, erunt quinq; ad ſummum: de liquidis fęcibus nĩl dicimus, quia ſunt præter naturam.

Lotium reſpondebit in quadrãte, verbi cauſa ſi ingeſta fuerint centum vnciarũ lotiũ erit triginta triũ vnciarum circiter: varietas tamen depẽdet; propterea quod va-

variæ ſunt naturæ anni tẽpora,& ętates: inſenſibilis verò perſpiratio, vt oſtendemus in ſtaticis theorematibus excedit omnium excrementorum quantitatem; quia ea ſola in quolibet ſolet eſſe longè plenior omnibus ſenſibilibus euacuationibus ſimul vnitis; quia ſi cibus, & potus quo vtimur unica die fuerint ponderis octo librarum perſpiratio inſenſibilis ſolet aſcendere ad quinque libras, quamuis pro uarietate temperaturarum, ut diximus,aliqua ſit uarietas.

Si uerò alui fęces eſſent pauciores cum Galeno 1. de criſib. c.10. dicẽdum eſt,uel cibos fuiſſe ſolito pauciores,uel fæces eſſe detentas in colo inteſtino; unde colici dolores ex fæcum retentione oriri ſolent.

Similiter ſi urina fuerit paucior id accidet, uel quia potus fuerit ſolito paucior,uel quia ſit retenta ſeroſitas in uenis ob læſam facultatem renum,quæ læſa facultas prædicetur de mala conſtitutione partium ſimilarium,& diſſimilarium;uel eſt retenta ob errorem externum, ideſt ob humorum craſſitiem; uel in ſudorem abijt. Itidẽ perſpiratio inſenſibilis,ſi fuerit paucior, quod ſtatica arte exactiſſimè quolibet die cognoſcere poſſumus, erit uel ob anguſtiam pororum, vel ob craſſitiem alimenti.

Quæ uerò alimenta, & quæ cauſæ externæ perſpirationẽ impediant, & quantum impediãt, neque ante Galenum,neque poſt Gal. quod ſi iam fuerũt Auctores, qui hoc docuerunt: ego tamen hanc rem clariſſimè docui in lib. aphoriſmorũ pertinentium ad ſtatica experimenta, vt in hoc negotio,niſi me fallat opinio,nihil deſideretur.

Quo ad qualitatem excrementorum attinet, ſi de alui excrementis loquamur ex Hipp. & Galeno 6.epid.com.5. tex.15. nec duriora, nec liquidiora; neque calorem ciborum ingeſtorum ſeruantia, neque admodum fætida debent eſſe; duriora enim ſignificant caloris exceſſum, vel fuiſſe nimium retenta, vel præcedentem cibum fuiſſe paucum: liquidiora verò cõtrarium indicare: oppoſitorum enim eadem eſt diſciplina. Hic Hippocr. & Galen. dicit, excrementa,vt probam indicẽt coctionem,hora conſueta eſſe excernenda; quia ſi citius egredientur, indicabunt acrimoniam,ſeu corruptelam, vel abundantiam irritantem expultricem, vel indicabunt lænitatem inteſtinorum: ſi tardius, indicabũt calorem præter naturam fęces exſiccantem, vel etiam imbecillitatem aliquam ventriculi, uel cibos duros: ſed in corporibus temperatis iſta non obſeruantur.

Tertium ſignum optimi ventriculi dicit Galenus in tex. quod appetitus ſit quodammodo æqualis coctioni, ideſt tãtum appetat,quantum concoquat.

4. Dub. dicit Gal. 2. de tuenda ſanitate c.7.& in hoc tex. corpus ſimpliciter ſalubre non indigere cuſtode, ſeu arte cõſeruatrice, ſed eſſe ſibimet regulam, & tantũ appetere, quantũ concoquet: nihilominus in hoc tertio ſigno Gal. dicit in corpore ſalubri ſimpliciter nõ abſolutè eſſe æqualẽ coctioni,ſed eſſe quodammodo æqualẽ,ergo non videtur ſibi conſtare.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Galenum dixiſſe quodammodo, quia coctio,& appetitus ſunt actiones, & æqualitatem non conuenire actionibus, ſed quantitati: vera enim proprietas quantitatis ex Ariſt.in prædicamento eſt, æqualem, vel inæqualem dici.

Reijcitur Pluſquamcommẽtator, quia non penetrauit proprietatum prædicamentorum conditionem,& naturam: æqualitas enim,& inęqualitas licet ſit proprietas quantitatis, tamen æqualitas, & inæqualitas non ſunt in prædicamento quantitatis,in logica enim, & metaphyſ. eſt axioma, quod .ſ. proprietas non ſit in illo prædicamento, cuius eſt proprietas: ſic riſibile non eſt in prædicamento ſubſtantiæ,in quo eſt homo; riſibile enim eſt in prædicamento qualitatis in ſecunda ſpecie.

Reſpondetur, cum appetitus ſit actio animalis, & coctio naturalis, rariſſimè accidere, vt hæ actiones ſibi inuicem reſpondeant: quia dato,quando inueniatur eucratum,ſaluberrimum,ſcilicet,& punctuale temperamentum; dico tale à cibo voluptuoſo decipi poſſe. Præterea ex Hippocr. 6. epid. comm. 4. tex.22. habetur in bona, & optima valetudine hæc duo requiri, non ſatiari, neque impigrũ eſſe ad laborem: hæc ſunt verba; *Studium bonæ valetudinis eſt non ſatietas cibi, & im-*

impigritas ad labores. Quare poteſt contingere, quòd vir optimæ temperaturæ aliquando omiſerit exercitium ante cibum, & tunc appetitum non fieri æqualem coctioni: ideò dicit eſſe æqualem quodammodo.

Quartum ſignum optimæ temperaturæ eſt, quod non indigeat Præſide, quia tantum appetit quantum concoquit: omnes temperaturæ, quæ recedunt à temperatiſſima, appetunt magis, vel minus debito, quàm concoquant, vt probauimus cap. 61. & ſequentibus huius artis.

Notandum, Galenum 2. de ſanitate tuenda c. 7. repetere hoc ſignum optimæ temperaturæ, quòd ſcilicet tantùm appetat, quantùm concoquat: immò ſententia non ſolùm eſt vera de quantitate, ſed etiam de qualitate, & tempore opportuno. Præterea extenditur etiam ad omnes cauſas non naturales, ideſt homines temperatos tantũ ſomni, exercitij, coitus appetere, quantum iuuare poteſt, & nihil vltra: appetuntque cibum horis opportunis, ſeruato Hippocratis ordine poſt exercitium videlicet, & non ante; poſt cibum appetunt ſomnum, & non ante; poſt ſomnum coitum, & non ante; & omnia moderatè: immò in tex. ſequenti de ſomno loquens Galenus idem teſtatur, quod ſcilicet optima temperatura tunc excitetur à ſomno, quando corpus ampliori quiete non egeat.

Breuis Digreſſio de Vrinis.

QVÆST. CII.

Tractaturus paucis de vrina, quæ eſt excremẽtum ſecundæ coctionis, vt probauimus contra nonnullos modernos, qui putabant eſſe tenue excrementum primæ coctionis, tria conſiderabimus, vrinæ colorem, ſubſtantiam, & contentum. Diximus paucis, quia fuſius egimus in comm. noſtris aphoriſmorum aphoriſmo 12.

Si de coloribus loquamur ex Hippocrate, & Galen. omnia ad vrinam pertinentia colligemus. Hippocr. .n. 2. progn. tex. 30. & ſequentib. & Gal. 1. de criſibus cap 12. dicunt, ſi vrinę ſint intenſioris coloris, quàm ſit ſubflauus, & ſubruffus indicant exceſſum caloris: ſi verò ſint remiſſioris coloris indicant calorem imbecillum.

Ex Actuario cap. 12. de iudicijs vrinæ albæ, & copioſæ in ſanis indicãt multam vini potionem: albæ non copioſæ cum hypoſtaſi ſignificant frigidam intemperiem hepatis, & aliquando obſtructionẽ viſcerum, ſi tenues ſint: ſi fuerint albæ, & lucidæ ex Hippocrate 4. aph. 72. audias quid mali indicent: hæc eſt Hippocratis ſententia; albæ, aquoſæ, & lucidæ vrinæ prauæ, & præſertim in phreneticis, quia vrinarum turbidum, & craſſum caput inuaſit. Hinc Hippocrates 3. epidemiorum ſectione 2. loquens de ægro quarto dicit: *Secundo die ſurdus cum vrinis albis tenuibus, & pellucidis hic æger delirauit, & quinto die moritur*. Similiter ex 3. epi. ſect. 3. dicit, quod æger quartus cum vrinis tenuibus, & albis quarto die phreneticus moritur. Ad eundem modum Vxor Dealciscum tenuibus, & albis vrinis die 20. perijt phrenetica: ſi igitur in ægris albæ vrinæ, & lucidæ tàm malæ ſint, in ſanis vrinæ ſolùm albæ non poterunt ſalubrem ſtatum indicare, quàmvis in ſanis albæ indicent inconcoctionem potius, quam ſeparationem contentorum, vt in ægris.

Simititer vrinæ, quæ ſunt intenſioris coloris, quàm ſubflaui, vt ſubruffi indicãt calorem in ſanis, & ægris, & præcipuè ſi ad nigrum colorem vergant: habemus enim in Hippocrate 4. aphoriſmorum 21. omnem deiectionem nigram prauam eſſe, obſeruandam tamen eſſe differentiam inter nigrorem liquoris, & ſedimẽti, quia in vrinis nigris, ſi nigredo eſt in ſedimento, & liquor vrinę non ſit niger, dicimus, quòd illa vrina eſt ſalubris; ſi verò liquor poſt depoſitionem ſedimenti conſeruat nigredinem, dicimus, quòd Hippocrates 2. prognoſticorum 32. de iſtis intelligit, dum ſcilicet dicit, vrinæ nigræ omnium peſſimæ ſunt, & læthales magis.

Si de ſubſtantia vrinæ loquamur dicimus, tenuem vrinæ ſubſtantiam in ſanis inconcoctionem ſignificare; immò de ægris loquens Hippocrates 2 prognoſticorum 30. inquit, vrinã tenuem ſignificare morbum incoctum; & in coacis ait, vrinam tenuem, & vix ſedimentum haben-

rem, tum quæ modò in melius, modò in peius mutatur, diuturnitatem morbi prænunciare; 2. verò prognoſticorũ 34. Hippocr. habet hæc verba; *Qui tenuem, crudámve vrinam diutius mingunt, oportet expectare abſceſſus in partes diaphragmatis inferiores.* Præterea in ægris, dùm morbis liberantur vrina tenui perſeuerãte, recidiua ſemper timenda; quòd quidẽ declaratur ex Hermocratis hiſtoria, quia 14. die liberatur à febre, & 17. vrinæ tenues apparuerunt; & 27. moritur. Differunt tamen inter ſe vrinę tenues ſanorũ, & febricitantium; quia tenues ſanorum indicant imbecillitatem; febricitantium calorem, uel ſeparationem ſedimenti petentis caput, uel alias partes.

Vrinæ uerò mediocriter craſſæ ſunt bonæ; quia ex Ariſt. 4. meteororum coctio fit incraſſando ex Hippocrate 2. prognoſt. 16. habetur omne excrementum, dùm ſuperatur morbus, craſſeſcere.

Craſſiſſimæ uerò vrinæ sũt malæ; quia indicãt permiſceri prauos humores. Hoc tamẽ de urinis craſſis dignum eſt obſeruatione, quod ſi urinæ claræ mingantur, & deinde turbentur, indicant aliquod principium coctionis; cur uerò Gal. dicat 1. de criſibus 12. quod urinæ quæ puræ minguntur, & deinde turbantur ſint peiores omnibus ſubiugalibus quæſt. 49. in commentarijs aphoriſmorum ſupra ita aphoriſmum ſatis ſuperque explicauimus. Si uerò turbatæ mingantur, & deinde clareſcant, oſtendunt naturæ uictoriam; ſi permaneant turbatæ, ut iumentorum, indicant magnam agitationem humorum, & ambiguitatem certaminis. Hinc Galenus 4. aphoriſmorum 70. habet, Vrinas, ut iumentorum, fieri à materia craſſa à calore agitata; Haſque à caliditate in ſpiritum ſolui, ut bitumen, pix, & reſina; ſubdit Galen. ſpiritus flatuoſus cum calore promptè fertur ad caput, & dolorem facit: ſicuti enim reſina, pix, & bitumen ex igne euaporant, ſimili modo vrinæ craſſæ ob ſpiritus flatuoſos calidos dolorem capitis excitant.

Inquit ſimiliter Galen. de urinis ſubiugalibus. *Nonnullæ vrinæ longo tempore manent perturbatæ; nonnullæ citò ſedimen craſſum habent, & citò morbum ſolutum iri ſignificant; quæ verò non reſident, ſi affuerint vires, oſtendunt longum morbum; ſi imbecillitas aderit, mortem ſignificant.* Hinc febricitantes cum vrinis ſubiugalibus ut plurimùm in delirium incidunt. Hippocrates de Vxore Philini, quę filium pepererat cum urinis turbatis, deliravit, & deinde mortua eſt. Similiter famula Eualcidæ phrenetica perijt, quia toto morbo urinas ſubiugales habuit. Polyphantus cum ſimilibus urinis tandem moritur conuulſus.

Si de contentis urinarum loquamur: contenta in urinis tria præcipua ſunt: hypoſtaſis, quòd petit fundum: ἐναιώρημα, quòd eſt in medio, & hoc contentum eſt ſalubrius, tertium contentum uocatur νεφέλη, ideſt nubecula, quæ adſummitatem uergit.

Si de hypoſtaſi loquamur ex Hippocrate quatuor ſunt conditiones, alba ſcilicet læuis, æqualis, & moderatè craſſa; ſecundo prognoſticorum 26. dicit Hippocrates, hypoſtaſim moderatè craſſam indicare morbi ſecuritatem, & breuitatem; in hiſtoria Philiſci dicit, inæqualitatem hypoſtaſis ſignificare coctionis difficultatem, hypoſtaſim inęqualem uocat uariegatam; dicit enim de Philiſco, quòd minxerit uariegatam, & nigram, & ſexto perijſſe.

Similiter nubecula, quæ eſt eneorima debet eſſe alba, læuis, & æqualis: ſi uerò non eſt alba, ſed nigra, eſt mala, ſi uerò eſt rubra, non eſt mala, quinimò poſt album colorem non datur color ſalubrior rubro.

Hinc Hippocrates 2. prognoſticorũ 27. de nubecula rubra dicit, morbum ſalutarem ſignificare, ſed diuturnum, & 4. aph. 71. habet hæc, *Quibus ſeptima die morbi iudicantur ijs vrina die quarta rubram nubeculam habet;* Itidem hypoſtaſis, ſeu eneorima debet eſſe lęue, ideſt quòd non habeat ſubſtantię diuerſitatem, ſed ęqualiter ſit confectum; quia dùm eſt diuulsũ indicat, naturam non in omni parte eſſe dominam. Demum debet eſſe æquale, nõ quòd ſubſtantia ſit æqualis; quia ſubſtantiæ æqualitas idem eſt, quòd lęuitas, ſed dicitur ęquale, ideſt quòd omni tempore ęqualiter appareat, quòd nonnulli non intelligunt: alia quoque de ijs, quæ ſunt in vrinis, & alia de ſubſtantia, & conti-

nente

nente dici poſſent: nonnulla tamen pertinentia ad hunc tractatum diximus; quia Actuarius fuſa, & eleganti oratione omnia explicauit.

QVÆSTIO CIII.

An Cœna ſit Prandio liberalior.

HIppocrates omnium Medicorum Princeps primo de ratione vict. in ac. tex. 25. docet magis eſſe nutriendum in cœna, quàm in prandio; profertq; hanc ſententiam, *Mane ſorbitionem dabis: veſperi autem ad cibaria conferes.*

Galenus 7. meth. cap. 6. probat ſimiliter ratione, & experientia plus eſſe cœnandum, quam prandendum. Ratione, quia à cœna ad prandium intercidunt ſomnus, quies, & tempus diuturnius, quàm à prandio ad cœnam. Probatque deinde experimento ab Athletis deſumpto, aitq; Athletas, qui ſani ſunt, & qui ad ſummũ bonitatis ſtatum perueniunt, vſum copioſiores cibos ſumendi in cœna, quàm in prandio, ratione, & longa experientia comprobaſſe. Dictum eſt largius eſſe cœnandum ob longiorem quietem, & ſomnum, quæ ſuccedũt; coctio enim ex Hippoc. quiete fit, & quò longior quies, eo perfectior coctio fit. Neque intelligimus, ut nonnulli putãt, ſomni quietem ſolùm conuenire animalibus facultatibus, & non naturalibus; dicunt enim in ſomno facultates naturales eſſe uegetiores, quia uirtus coctrix vegetior eſt, quaſi quòd non dentur aliæ facultates naturales pręter coctricem; certiſſimum enim eſt expultricem, attractricem, & retentricem omnium partium in ſomno magis quieſcere, quàm in uigilia. Hinc Galenus 3. de ratione uictus, & alibi loquens de attractrice, & expultrice dicit, ſomnum coquere, & vigilias digerere: in ſomno enim facultas diſtributiua languet, & in uigilia uiget.

Nonnulli alij putant, in prandio eſſe dandum plus cibi, quàm in cœna; rationes, quæ illos mouet, ſunt, quia ex copioſiori cœna fiunt deſtillationes, & catharrhi, intumeſcunt hypocondria, eo quia alimenta non diſtribuuntur, dicuntq; cũ ſomnus plus duret, quàm prima, & ſecũda coctio; alimentumnon diſtribui, neque excrementa expelli, quòd non accidit à tempore prandij uſque ad cœnam.

Reijcitur horum opinio auctoritate à Gal. propoſita 7. methodi c. 6. & 1. de ratione uictus in acutis tex. 25. Præterea ſi fiat cõparatio inter prandium, & cœnam illorũ, qui catharrhum, & morbos capitis patiuntur, dicimus uictum in his eſse eligendum moderatiſſimum; cœnam tamẽ Gal. paulò liberaliorem prandio in his eſſe eligendam cẽſet: ille enim ſolus cibus, qui manet inconcoctus, eſt, qui euolat ad caput, & in catharrhum conuertitur; cibus uerò qui in uentriculo rectè coquitur nullum catharrhum gignere poteſt: Inſuper dicimus, tempus diſtributionis fieri poſt ſomnum horis matutinis.

Tertia opinio eſt nonnullorum dicentium infirmis in cœna eſſe plus dandum: ſanis uerò in prandio. Ratio iſtorum eſt, quia infirmi habent facultatem concoquendi infirmam; ideò illis plus cibi dandum in cœna: in illo enim diuturniori tempore cõcoctrix debilis poteſt coctionem abſoluere: ſanos uerò dicunt magis reſoluere interdiu, quàm noctu: ideò in prandio plus cibi dandum.

Reijciuntur ſimiliter; quia reluctantur auctoritati, & rationi Galeni locis citatis, vbi in ægris, & in ſanis dicit eſſe plus cibandum in cœna, quàm in prãdio. Quo ad illorum rationem dicimus, ſibi ipſis reluctari, quia ualet hæc, magis reſoluuntur corpora interdiu, quam noctu, ergo plus dandum in cœna, quia tunc eſt magis nutriendum, quando maior præcedit reſolutio, ſed ſic eſt, quod per illos maior ſit reſolutio ante cœnam, quàm ante prandium, ergo plus cibi dandum in cęna, quam in prandio.

Quarta opinio eſt quorundam dicentium, pituitoſis plus cibi dandum in prãdio, bilioſis plus in cęna: quæ opinio eſt contra Galenum locis citatis, vbi docuit abſolutè eſse plus dandum cibi in cęna omnibus tum pituitoſis, tum bilioſis: ibi enim loquitur de temperamento ſicco, & deinde de humido, dum exemplo Athletarum confirmat, eſse plus cęnandum, quam prandendum.

Quinta opinio eſt nonnullorum, qui dicunt, in hac re eſse ſeruandam conſue-

tudinem; quare inferunt, ſi fuerint ſoliti largius prandere, quam cęnare, ſolitum, & conſuetum vſum eſſe obſeruandum. Referunt ex Ariſt.1.rhetor.c.45.conſueta eſſe quaſi naturæ inſita:& ex Gal.3. de ſimplici med.c.18. confirmant per hiſtoriam Vetulæ, quæ ob eſum, & vſum continuum cicutæ lucis vſura fruebatur.

Similiter Hip.2.ſect.aph. 50. de vi conſuetudinis hæc habet, conſueta deteriora minus moleſta eſſe inſuetis melioribus:& demum Gal.5.de tuen.ſan.c.10. ait in debilibus,& ſenibus non eſſe mutandã conſuetudinem: inferũt ex his conſuetũ morem eſſe ſeruandum:ideò ijs,qui ſoliti sũt plus cibi ſumere in prandio, quam in cæna, plus eſſe dandum in prandio:ijs verò, qui in cœna, plus dandum in cœna.

Reijciuntur, quia falſum eſt, quod cõſuetudo ſit altera natura, vt nos fusè probauimus lib.4. methodi vitandorum, c.7. Præterea ſi eorum, qui naturaliter ſunt intẽperati, licet corrigere vitia, dummodo paulatim id fiat, vt nos admonet Gal. 5.de ſan.tuend.c.11. quantò magis licebit corrigere malam aliquam conſuetudinẽ, quæ neq; eſt natura, neq, incæpit ob ortu naturæ? demùm eſtò, quod in valdè debili diu aſſueto in prandio copioſioribus cibis non ſit vſus mutandus: quid tum? nonne dicere poſſumus, conſuetudinem illam eſſe prauam, eſſeq; fugiendam, quod eſt illud quod quæritur.

Sexta opinio eſt Valeſij lib.6.controu. c.7.qui putat deciſionem quæſtionis pendere ex robore coctricis, & ex vaſorum amplitudine, per quæ ſit alimenti diſtributio:dicitq;ſi coctionis robur maius ſit, quam facultas diſtributiua, plus eſſe prãdendum, quàm cęnandũ: ſi minus ſit, aut ęquale, plus dicit eſſe cęnandum, quã prãdendum. Ratio illius eſt, quia à prandio ſit melior diſtributio, quam à cęna.

Reijcitur, quia implicat contradictionem dicere poſt prandium diſtributionẽ eſſe validiorem; poſt cęnam verò eſſe validiorem facultatem coctricem; quia diſtributio inſequitur coctionem; ideò horis à ſomno matutinis diſtributio eſt optima:à prandio verò non eſt alimenti diſtributio, ſed potius excrementorum diſtributio: valet enim conſequentia, poſt cœnam horis nocturnis per ſomnum, & quietem ſit melior coctio, ergo & melior diſtributio, ſint vaſa ampla, vel anguſta: quod enim eſt coctum non ſolùm penetrat per vaſa:ſed etiam per fibras.

Ego autem puto cum Galeno locis citatis, in cœna plus dandum eſſe, quam in prãdio: ratio potiſſima deſumitur à quiete, ſomno, & tẽpore diuturniori, quæ mediant inter cęnam, & prandiũ, dum enim diſputatur, an in prandio, vel cęna ſit plus dandum, ſupponimus cum Gal.à prandio ad cœnam interponi nouem, vel decem horas: reliquum verò temporis, quod eſt, 14.horarum, mediat inter cęnam, & prãdium. Quo ſuppoſito ego puto, quod in omni corpore, in omni ætate, in omni regione, in omni aeris conſtitutione, in omni temperatura, ſit bilioſa, pituitoſa, vel melancholica, & in omni conſuetudine, & in ipſis ægris, dummodo aliquis paroxyſmus non prohibeat, plus eſſe dandum in cęna, quàm in prandio. Fundamenta huius concluſionis ſunt deſumpta à Galeno locis citatis.

1 Dub.ſi in ſomno, & quiete nocturna cibus liberalior melius digeritur, quam cibus parcior prandij in vigilia, ſequitur quod etiam ocioſi, qui ſemper dormiũt, & vitam ducunt ſedentariam melius digerant, quod eſt falſum.

Reſpondetur, in cœna eſſe plus dandum, non ſolum ob quietem, & ſomnum ſubſequentem, ſed ob longius tempus, ob vigiliam, exercitationem, quæ ſit ante prandium:quia nos admittimus, quod cibus data paritate temporis magis digeratur in prandio, quàm in cęna; non tamen admittimus, quod magis concoquatur:eſt enim Galeni 3. de ratione victus, & 12. meth. 3. ſomnum concoquere, vigiliam verò digerere. Colligimus igitur in cœna ſemper plus cibi dandum, quam in prandio, niſi aliquod prohibeat.

CAPITIS LXXXV.

Particula XIII.

Tex. 14. *Sic & ſomno modum ipſa natura præſinit, his qui optimam corporis conſtitutionem ſunt ſortiti, & tunc à ſomno excitantur, cum corpus ampliori quiete non egeat.*

IN tex. ſuperiori dixit de corpore optimè conſtituto, quòd tantum cibi appetat, quantum concoquat: in hoc tex. inquit, quod idem corpus optimè temperatum tantum etiam dormiat, quantum illi opus ſit, doceatque non indigere præſide, uel medico, qui doceat,quantum debeat dormire;optima enim conſtitutio eſt ſibimet regula, non ſolum in quantitate,& qualitate ciborũ, ſed etiam,ut nos docet Galenus hic, & 2. de tuenda ſanitate,c.7.in ſibi præſcribenda quantitate, qualitate, & tempore opportuno coitus, ſomni, exercitij, & omnium pertinentium ad ſex res non naturales.

Notandum in tex. Græco non eſſe illã dictionem, *Ampliori quiete*,hæc.n. ſunt verba tex. ὅταν μηκέτι δέηται τὸ σῶμα, idest cùm non amplius corpus eget ſcilicet ſomno: addita enim eſt à Leoniceno dictio ampliori quiete; ſed præter rationem,quia amplior quies ſupponit defatigationem corporis, quæ hic non habet locum.

1 Dub.non uidetur,quod ſolum corpus optimè conſtitutum excitetur à ſomno, quando eo non amplius eget; ſed omnia corpora quantumvis recedentia, dicimus, ab optima conſtitutione excitari à ſomno, quando eo non amplius egent: ergo Galeni præceptum alicui uidebitur uanum.

Reſpondetur,quòd appetitus animalis corporis malæ conſtitutionis non eſt rectus iudex, an ſomnus fuerit ſufficiens, tum quia non proportionatur coctioni; tum quia ſomnus eſt inſtitutus ad inſtaurationem ſpirituum tũ animalium, tum vitalium: dum enim exacta harmonia non ſeruatur inter facultates animales, vitales,& naturales,appetitus non eſt rectus iudex; in uigilia ſpiritus omnes valde diſſipantur,debentq; ob coctioné,quæ fit in ſomno,reſarciri;cõſtitutio verò frigida,uel calida non exactè iudicat;immo neq; reſarcit, ſicuti optima conſtitutio; ideò calida, uel frigida indiget Præſidi qui imperet, quantum ſit dormiendum, vt reſarciantur ſpiritus; calida.n. breui ſomno, frigida verò longiori indigent.

2 Dub. hæc proponitur à Pluſquamcõmentatore;Galenus præſcribit quantitatem ſomni in optima conſtitutione; de quantitate verò vigiliæ, nil dicit;ergo videtur diminutus.

Reſpondet, Galenum reliquiſſe quantitatem vigiliæ ut quid notiſſimum;dicitque ex Ariſt.lib.de ſomno, & uigilia cap. 2.finem animalis eſſe ſentire,& ſapere; quæ vigilando exercentur, tanto magis natura quantitatem in uigilia præfinire debet; dicit enim,ſomnum dirigi in uigiliam: & fuſa oratione de hac leuiſſima dubitatione multa explicat.

Reſponſio eſt facilima, quia cognità ſomni quantitate,tempus quod relinquitur eſt uigilia,ideò nil dixit. Inter ſomnũ, & uigiliam non datur medium; animal enim,uel uigilat,uel dormit: ſi ſomnus in vnica die naturali erit octo horarum, uigilia quæ ſequitur erit ſexdecim.

3 Dub. ſi optima conſtitutio in quantitate,qualitate,& tempore ſomni præſcribendo non indiget Præſide,ut quid Hippocrates ſæpè dat præcepta obſeruanda in recto vſu dormiendi? 2. prognoſticorum tex.11. docet interdiu eſſe uigilandum, & noctu dormiendum, & Galenus 8.de ſimplici medicina, & alibi docet, quomodo, & quibus auxilijs ſit ſomnus conciliandus.

Reſponderi poteſt, præcepta tradita ab Hippocrate de ſomno præſcribendo non conuenire ijs, qui fruuntur optima conſtitutione,ſed alijs.Præterea Galenus in comm.2.prognoſticorum dicit,præceptum Hippocratis eſſe uerum ex ipſa rei natura, & non ex conſuetudine; multi enim aſſueti interdiu dormire colligunt aliquid beneficij; quia longa conſuetudo efficit ueluti quandam naturam aduentitiam, quæ reuera eſt reprehenſibilis; eamque ſi in robuſtis ſit, paulatim arbitror eſſe tollendam: in debilibus uerò,& ſenibus nequaquam. Sed uera ratio,cur ſomni diurni non ita iuuent, ut nocturni, eſt,quia ſpiritus animales ſunt lucidi, & dum ad intra ob ſomnum retrahuntur, à lumine ſolis interdiu diſperſo per orbem auocantur;quare ſomnus diurnus fit cum maiori uiolentia; ſpiritus enim animales interdiu maiori cum uiolentia in parte interiori cerebri continentur, quam in nocturnis horis; accedit quod noctu aer eſt frigidior; ideò facilè cali-

dum innatum retrahitur ad intra, & ibi conſeruatur, vnde ſomni nocturni fiunt quietiores.

Notanda varia ſunt circa hanc conſiderationem; primum eſt de tẽpore ſomni, quod ſcilicet deſumi debeat à corpore ſaluberrimo; ſi igitur cognoueris ex ſignis ſuperius traditis, corpus eſſe optimè conſtitutum, percipies illud corpus tantum dormire, quantum requiritur, illud enim corpus eſt aliorum regula.

4 Dub. dictum eſt corpus optimè conſtitutum non egere Præſide, qui doceat ſomni quantitatem; attamen Galen.6.de tuenda val. c.5.loquens de hoc corpore ait, ſomni quantitatem eſſe ſeptem, aliquando octo,& aliquando nouem horarum; vt quid præſcripſit ſomni quantitatem,ſi non egeat Præſide? Præterea corpus vt tale non eget diuerſa horarum quantitate; quia ex Ariſt.8.phyſ.habetur hæc ſententia; *Idem manens idem ſemper eſt natum facere idem.*

Reſponderi poteſt, quod corpus optimæ conſtitutionis pro maiori,vel minori varietate ciborum, ſomno diuturniori, vel breuiori indigere; ſi in cęna comederit multũ lactucæ,lõgius dormiet,ſi multum aromatũ parcius; ecce quod corpus ſaluberrimum non ratione ſui eget Præſide,ſed ratione varietatis ciborum.

Notandum præterea non ſtatim à cœna eſſe dormiẽdũ,quia eſt Auicennę præceptum traditũ tertia primi, doctrina 2. c.9. non eſſe dormiendũ, niſi cibus prius ad fundũ vẽtriculi peruenerit. Hinc Gal. 4. aphoriſ.67. habet, ſomnum ſtatim à cibo caput replere: admonetque 6.de ſanitate tuenda cap.17. ante ſomnum leues deambulationes præcedere.

Præterea leues deambulationes ante ſomnum debent præcedere non ſolum hoc fine, vt cibus petat fundum ventriculi, ſed etiam vt corpus aliquantulum defatigetur,quia calidum natiuum defatigatum recurrit ad intus, hac occaſione corpus humectatur.

Qui verò ſtatim à cibo eunt dormitum vaporibus obruuntur, & ſomnus redditur potius comatoſus, quam naturalis; quo pacto uerò ſomnus fiat, Gal. primo de ſymptomatum cau. cap.8. & alibi docet fieri hoc modo: calidum natiuum defatigatum, & exſiccatum ob præcedentẽ vigiliam ait recurrere ad internas cerebri partes, vt hemectetur, & inde roboretur; calidoque natiuo roborato ait,ſtatim recurrere ad externa.

Ariſtoteles verò lib. de ſomno,& vigilia dicit,ſomnum fieri hoc modo: humiditatem ſcilicet alimẽti ferri ad cerebrũ: & deinde ob ſui grauitatem deſcendere, & calorem, & virtutem ſenſitiuã ad cor propelli; putabat enim calorem,qui cauſat ſenſum non à cerebro,ſed à corde oriri. Dũ verò humiditas illa grauis eſt diſſoluta, calorem iterum ad ſẽſus exteriores reddere,& fieri vigiliam: ideò à Philoſopho lib. de ſomno, & vigilia ſomnus vocatur vinculũ primi ſenſorij; ab Auerroe 3. colliget c.41. vocatur profundatio ſenſus communis ex cerebro ad cor.

Quare,& ſecundum opinionem Galeni, & Ariſtotelis ante ſomnum debent præcedere leues deãbulationes, ne à nimia humiditate obruatur calidum natiuum: ex Ariſtotele enim qui ſtatim eunt dormitum, illorum cerebra plus debito humiditate replentur; quia dicebat,ſomnum fieri, dum cerebrum grauatur humiditate,quæ ad cor calorem repellit; ex Galeno idem colligitur, quia ipſe ait, cerebrum in ſomno repleri humidis vaporibus; vnde ſpiritus animales illi obruuntur; requiruntur igitur leues deambulationes, ne cerebrum grauetur.

5 Dub. non videtur, quod natura, modum ſeu quantitatem ſomni certam, & determinatam præfinierit corpori ſaluberrimo, quia Hippocrates primo aphoriſmorum 15.dicit, ſomnos deberi lõgiores in hyeme, & vere, quam alijs temporibus; immò dicit, ſomnos hyeme,& vere eſſe longiſſimos. Præterea ſi ſomnus fit, vt recreentur ſpiritus animales, quia exſiccati, & defatigati ſint in vigilia, ſequitur quod in æſtate ſomni debeant eſſe longiores, quia vigiliæ ſunt longiores,& ſpiritus ob æſtum magis defatigantur. Conuenit Ariſtoteles cum Galeno,quod ſomnus fiat, vt recreẽtur ſpiritus animales, lib. enim de ſomno, & vigilia habet hæc; omni vigilanti neceſſariò ſomnus fit, alioquin ſpiritus langueſcerent, & corrumperentur; idem quoque dicit Galenus locis ſuperius citatis.

Re-

Reſpondetur, ſomni longitudinem nõ deſumi à ſpirituum languore, ſed à concentratione ſpirituum ad intra; quando eſt fortis concentratio, tunc ſomnus eſt longior: hyeme verò ob externum frigus fit fortior concentratio: ideò ſomnus lõgior; vere tamen ſunt longiores, quam æſtate, & autumno ob ſanguinis dominiũ: ſanguis .n. eſt humor ſuauis, & ſine acrimonia; ideò ſomni longiores; humores.n. dum ſunt acres, quales sũt bilioſi, & melancholici, vigilias excitant. Hinc febricitantes; qui habent ſpiritus valdè defatigatos, quamvis egeant quiete, ſunt tamen propter acrimoniam vigiles.

6 Dub. non videtur, quod ſomno certus ſit dandus terminus, vt facit Gal. quia dum ſunt longiſſimi, poſſunt hoc beneficium præſtare, vt auferant intemperiem ſiccam cerebri: quare abſolutè ſomni longiſſimi non debent reprehendi.

Reſponſionem Galenus deſumit ab Hippocrate lib. 2. de ratione victus in acu. comm. vltimo, & 2. ſect. aphoriſmorum 3. ibique reprehendit nonnullos credentes, ſomnum longum, & modum excedentem non dari: dicebatque quando ſomnus modum excedit eſſe comatoſam diſpoſitionem; ait Gal. in comm. ſomnum lõgum differre à comatoſa diſpoſitione, quia comatoſus ſomnus habet difficilem expergefactionem; ſomnus verò longus non difficilem; dicitq; ſomnum longum præter modum eſſe morbum, vt ſignum, & vt cauſam: vt ſignum, quia indicat nimiam cerebri humiditatem; vt cauſam, quia ex Galeno tria hæc mala efficit; primùm diſſoluit vires animales; ſecundum prohibet euacuationem excrementorum per aluum; & vrinam; tertium prohibet quoque inſenſibilem perſpirationem; differentia enim inter ſomnum longum, & comatoſam diſpoſitionem eſt, quia longitudo omnis fit ob humiditatem tantum; comatoſus verò ſomnus ex Gal. 3. de locis affe. c. 5. fit ob humiditatem, & frigiditatem.

7 Dub. Galenus 12. methodi cap. 3. ait, ſomnum moderatum crudidatem auferre; ſubdit, ſomnum concoquere, vigiliam verò digerere: & 4. in 6. de morbis vulgaribus tex. 14. dicit, ſomnum concoquere, quia calor in ſomno ad internas partes reuocatur, & melior coctio fit: 4. de tuenda ſanitate cap. 4. dicit, ſomnum, & quietem ſemicoctos humores coquere, & perficere; nihilominus Galenus totum oppoſitum dicere videtur 2. ſectione aphoriſmorum comm. 1. vbi ait, in principijs acceſſionum non eſſe dormiendum, quia ob ſomnum permanent humores incocti.

Solutio colligitur ex Gal. in eod. cõm. dicit .n. in ſomnis à cauſis naturalib. ortis humores coqui; in ſomnis verò, qui excitantur à principijs paroxiſmorum impediri coctiones; quia tanta copia humorũ in principio acceſſionum ob ſomnũ excitatur, & promouetur ad interiores ventres, vt natura adeò ſuffocetur, vt nullo modo eos coquere poſſit: ecce igitur quòd Gal. prohibet ſomnum in principijs acceſſionum, tum quia per ſomnum calor natiuus vergit ad profundum, & inde febres vix ad conſiſtentiam (ut dicit ille) perueniunt, tum ſi fortè adeſſet aliqua inflammatio circa uiſcera ob ſomnum, ait, maximè augeri inflammationem.

8 Dub. quomodo natura præfinit modum ijs, qui ſunt temperatiſſimi, ſi ipſamet corpora temperatiſſima, dum ſe tradunt ſomno ſtatim ab exercitio læduntur? Hippocrates lib. 2. de diæta profert hanc ſententiam, à matutinis deambulationibus ſomnus maximè ſiccat; quare etiam hominibus temperatiſſimis non erit præfinitus à natura certus modus dormiendi; omnia enim corpora poſt exercitium ſunt ſomno procliuia.

Reſpondetur, temperatiſſima corpora, dum vtuntur nimio exercitio, aliquantulum recedere à ſtatu temperatiſſimo; ideò dicimus, temperatiſſimum non indigere Præſide.

9 Dub. Galenus dicit, corpora optimè conſtituta non indigere Præſide in præſcribẽda ſomni quantitate; attamen Ariſtoteles in œconomicis præſcribit hanc legem temperatiſſimis, & omnibus corporibus ante lucem ſurgendum eſſe.

Solutio facilis eſt, quia Ariſtoteles cõſiderat œconomiæ finem, qui pertinet ad regendam domum: Galenus uerò conſiderat corpora ut ſalubria, & ut conſeruantur arte, vel natura, quare inſtantia eſt nulla.

CAPITIS LXXXV.

Particula XIV.

Tex. 15. *Cùmque talem victus rationem adhibuerint, nullū eſt in eorum excrementis delictum, quæ vel per ventrem, vel per vrinæ meatus, vel per totum corpus egeruntur. Nam priora quidem ex modo eorum, quæ aſſumuntur temperantur, totum verò corpus ſalubriter perflari facit exercitij vſus moderatus.*

SVperius docuit, naturam hominis temperatiſſimi non indigere præſide, qui præſcribat ſomni quantitatem.

In hoc tex. verò docet, dū natura temperata ſeruat debitam quantitatem, & qualitatem in ſex rebus non naturalibus, nullum in excrementis trium coctionū ſequi errorem. Ratio, cur agat in hoc tex. de excrementis eſt, quia in tex. ſuperiori egit de ſomno, à quo, vt dicit Galen. 12. meth. cap. 3. omnes concoctiones fiunt; at ſic eſt, quòd de ratione concoctionis eſt ſegregare excrementa; ideò de excrementis. Quod verò de ratione concoctionis ſit ſegregare, & expellere excrementa, nos docet Galenus 4. ſectione aphoriſmorum 22. vbi dicit, de ratione concoctionis tria eſſe primò tranſmutare, ſeu conuertere in ſubſtantiam nutriri alimentum; ſecundò ſecernere vtile ab inutili; & tertiò expellere excrementa, quæ ſunt inutilia.

Senſus verborum eſt: ſeruata debita quantitate, & qualitate in victus ratione (per victus rationem intelligit non ſolū cibum, & potum, verùm etiam omnes alias res non naturales) nullum ſequitur peccatum in excrementis pertinentibus ad tres coctiones: fæces, quæ excernūtur per aluum, pertinent ad primam coctionem: vrina, vt probauimus ſuperius ad ſecundam; perſpirationes inſenſibiles, & ſordes ad tertiam; dicit Galenus, priora excrementa, ideſt fæces, & vrinam eſſe ſalubria, ſi quæ aſſumantur ſint ſalubria. Similiter perſpirationes inſenſibiles ſalubriter reddi, quando exercitium moderatum præcedit.

Circa perſpirationem inſenſibilem factam à moderato exercitio nos varia ſcitu digna, & noua l. 5. de ſtatica medicina noſtra ſcripſimus; Primò probauimus, corpora magis perſpirare in aurora poſt octo horas à cibo, quamuis corpus in lecto quieſcat, quam ſi violento corpora noſtra vterentur exercitio. Secūdò apud nos adeſt modus, quo experientia euidétiſſima probamus, dū quis in lecto quieſcit vltra decem horas, tunc corpora incipere minus perſpirare, quàm ante. Tertiò docuimus, quomodo vnuſquiſque poſſit quotidie dignoſcere in quovis corpore excremēta, quæ inſenſibiliter exhalant, eſſe maioris quantitatis, & ponderis, quàm ſint omnes excrementorum euacuationes ſenſibiles ſimul vnitæ. Sed lector eſſet mente captus ſi his adeo nouis fidem adhiberet, niſi experiretur; experiendi modum in lucem edidimus. Quod verò eandem habuerint opinionē Hippocrates, & Galen. de hac magna fluxibilitate, & perflatione corporis viuentis patet, tùm ex primo methodi, cap. 3. vbi Gal. laudat Hippocratem dicentem totum corpus eſſe σύμπνουν καὶ σύρρουν, ideſt conſpirabile, & confluxile; ſimiliter 8. meth. cap. 3. videns euacuationem hanc inſenſibilem, eſſe pleniſſimam habet hęc; *commune eſt conſilium in ſanis, & ægris corpus reddi debere vndique fluxile, & tranſperabile*, & 11. methodi cap. 8. docet, à prohibita perſpiratione putredinem habere originem; idem dicit 1. de differentijs febrium, cap. 3. & Auicennas 1. quarti doc. 2. quod ſcilicet putredo, & omnia ferè mala habeant exordium à prohibita perſpiratione; ecce quàm vtilis, & neceſſaria eſt cognitio huius euacuationis inſenſibilis. Ego tamen ſeptem libros in forma aphoriſtica edidi, qui agunt de hac inſenſibili perſpiratione dignoſcenda, per certa, & euidentiſſima experimenta ſtatica.

1 Dub. Galenus in text. inquit, priora excrementa, ideſt, fæces, & vrinam mutari, & temperari ex ijs, quæ aſſumuntur, ideſt, ex cibo, & potu quod præceptum videtur falſum; quia fæces, & vrinæ alterantur, & mutantur non ſolùm ex cibo, & potu; ſed etiam ex vitio viſcerum, nullo exiſtente errore in cibo, & potu.

Reſponſio eſt facilis, quia Galenus in hoc loco loquitur de corpore ſaluberrimo,

mo, in quo nullum in viſceribus eſt vitium; quare ſi in his corporibus ſaluberrimis fæces, & vrinæ mutantur, id ſolùm eſt referendum ijs, quæ aſſumuntur, & non alicui vitio internorum uiſcerum.

2 Dub. Galenus loquens in text. de excrementis dicit, ſi debita qualitate, & quantitate excernuntur, indicari corpus eſſe optimè conſtitutum; de excrementis verò quatenus immodicè retineantur, ne verbum quidem fecit; quare uidetur mancus; excrementa enim dupliciter peccant uel, ut immodicè excernuntur, uel retinentur.

Reſpondetur, quòd Galeni intentio ſit tradere ſigna corporis ſaluberrimi, ut inde regula colligi poſſit pro dignoſcendis corporibus à ſaluberrimo recedentibus; ſed ſic eſt, quòd ab excrementis retentis nullum ſignum colligitur pro corpore ſaluberrimo dignoſcendo; quia; dum excrementa immodicè retinentur, corpus non eſt ſaluberrimum; ſed eſt omninò inſalubre; ergo.

3 Dub. Hippocrates in hiſtoria Cleonactidis, ait in illo ægro aliquando obſeruaſſe vrinam coctam, & bonã, quamvis laboraret febre exitioſa; ergo ab vrina, & ab alijs excrementis non poterit colligi, an corpus ſit ſaluberrimum.

Reſpondetur, Gal. in tex. nos admonere, ſigna indicantia corpus ſaluberrimũ deſumi ab omnibus excrementis trium coctionum, & non ab vrina ſola. Præterea Gal. in comm. illius hiſtoriæ refert, non ſufficere vrinam eſſe vno die coctã, alio crudam; ſed requiri coctionis, perſeuerantiam; Hinc Aetius lib. 5. c. 38. dicit, vrinam tunc eſſe bonam, quando quotidie talis conſpicitur, & non quæ vna die cocta, altera verò cruda.

Inſuper de vrina, quæ conueniat corpori ſaluberrimo Galenus 1. de criſibus c. 12. ait, optimam vrinæ ſubſtantiam eſſe mediam inter craſſam, & tenuem, coloremque habere fuluum, aut ſubflauum; perſeuerantem, & quantitati potus reſpondentem; ſedimentoque albo, læui, & æquali.

De fæcibus verò optimis Galenus 2. Progrnoſt. 13. & Auicennas 2. primi, & alij Auctores proponunt uarias conditiones optimarum fæcum, quæ per aluũ excernũtur, prima, vt fæces ſint cõtinuæ æqualiter vnitæ, & ſine flatu: ſecunda vt fęces, vt dicit Cornelius Celſus lib. 2. cap. 3. ſint molles, ſed figuratę: Tertia vt exeant ſine dolore, & difficili compreſſione; Quarta, ut color illarum ſit proximus citrino, id eſt ſint aliquantulum pallidæ; Quinta, vt non ſint admodum fętidæ; Sexta, vt ſint ſpumæ expertes; Septima, ut exeant hora ſolita, & ut dicit Hippocrates 2. prognoſticorum hora prima lucis, quo tempore in corpore ſaluberrimo omnis coctio perfecta eſt.

4 Dub. Hippocrates 2. prognoſticorum 15. laudat illas fęcum egeſtiones, quæ bis, terve in die, & ſemel in nocte deijciuntur ſecundum conſuetudinem; Galenus tamen ibi reprehendit Hippocratem; quia dicit quod ſatis fuiſſet Hippocrati, ſi dixiſſet, egeſtiones debere eſſe ſecundum conſuetudinem.

Hieronymus Mercurialis lib. 2. de excrementis c. 7. reſpõdet, Hippocratẽ nos docuiſſe numerum egeſtionum in ægrotantibus, & conualeſcentibus eſſe ſeruãdum ſecundum cõſuetudinem ſanitatis; appoſuit Hippocrates illas conditiones, vt bis, terve in die, & ſemel in nocte fæces excernantur, ut demonſtraret, neque in ijs, qui morbo conualeſcunt, hunc numerum eſſe prauum, neque excedere limites ſalubritatis, dummodo conſuetus ſit; uel dicimus fuiſſe Græcorum peculiarem conſuetudinem egerendi fęces ter in die, & ſemel in nocte quæ quidem reſponſio uidetur accommodata, quia hodierna die Græci referunt in ſuis regionibus ferè omnes bis, & ter in die, & ſemel in nocte fæces excernere.

5 Dub. dictum eſt ſuperius ex Galeno, ſtercora corporis ſaluberrimi nec liquida, nec dura eſſe debere; nihilominus 2. prognoſticorum 14. contrarium legitur; ibi enim dicit, liquida ſtercora ſine ſtrepitu flatuoſo exeuntia, & cum ordine bona eſſe; ergo liquida non erunt mala.

Reſpondetur, Galenum ſuperius docuiſſe conditiones fæcum corporis ſaluberrimi; 2. verò prognoſticorum 14. docuiſſe conditiones fæcum, quæ criticè excernuntur; nunquam enim euacuatio critica eſt cum fæcibus duris.

6 Dubitat. dictum eſt ſuperius ex Galeno,

no, vrinam, quæ eſt media inter tenuem, & craſſam eſſe optimam, & indicatiuam coctionis; quod quidem videtur reluctari Ariſt. 4. meteororum cap. de coctione, vbi dicit, coctionem fieri incraſſando, quare craſſities indicabit concoctionem, quod eſt contra Galenum primo de criſibus c. 12. negantem, vrinam craſſam iudicare coctionem.

Reſpondetur ex Galeno 4. aphor. 47. & craſſiorem, & tenuiorem vrinã eſſe cruditatis argumentum. Et Ariſtot. dum loquitur de fructibus immaturis dicit, fructus, dum ſunt crudi, eſſe craſſos; ecce quod etiam ex Ariſtotele in coctione non requiritur ſumma, ſed media quædam craſſities; Hinc Ariſt. 4. meteororum cap. 2. profert hæc illa vrina, illud ſtercus, & illa excrementa ſanitatem indicant, quæ moſtrant humidum natiuum à proprio calore regulari, hoc eſt optimã coctionem fieri; ſed ſic eſt, quod quæ regulantur à proprio calore non patiunt excrementa nimium craſſa, ſed media inter tenuia, & nimium craſſa; quare ex dictis apparet nullam eſſe differentiam inter Galenum, & Ariſtotelem.

7 Dub. docet Galenum in tex. quando nullum eſt delictum in excrementis, tũc ſtatum eſſe optimum, & ſaluberrimum; ſed quomodo cognoſcere poterimus delictum ſeu vitium aliquod in excrementis inſenſibilibus, quæ per occultos meatus perſpirant?

Ego diu cogitaui, vt perquirerem aliquam viam, quæ poſſet hæc tam difficillima aperire; & tandem poſt longam meditationem incidi in ſtatica experimẽta, quæ docent euidentiſſimè quanta quotidie, & qua hora magis fieri ſolet perſpiratio excrementorum inſenſibiliũ; docentque quib. de cauſis impediatur, & quando; ſimiliter, cur aliquando largius & aliquando parcius moueatur, quod, qui ignorant, neſcio quo pacto in curãdis, & preſeruandis corporib. à putredine, & ab infinitis alijs morbis medici officium explere poſſint. Nos autem hanc nouam artem, quam poſt diuturnam ſtaticorum experimentorum cognitionem comparauimus, in lucem edidimus.

CAPITIS LXXXV.

Particula XV.

Tex. 16. *Liquet autem ab ipſis caueri oportere omnes animi immodicos affectus, videlicet ira triſtitia, furoris, timoris, inuidiæ: hæc enim alterant, atq; à naturali ſtatu corpus auertunt.*

IN hoc tex. docet eſſe præcauendum ab immoderatis affectibus, videlicet ab immoderata ira, triſtitia, furore, timore, & inuidia; quia, immoderati affectus alterant, & corpus ſaluberrimum ab optimo ſtatu permutant.

Argenterius decipitur, quia credit, Galenum abſolutè damnaſſe in corpore ſaluberrimo affectus propoſitos, Galenus enim ſolùm immodicos affectus damnat, & non moderatos.

Pluſquamcommentator duas dat expoſitiones; Prima eſt, corpus temperatum ſe debere abſtinere ab immoderatione affectuum animi, quia ira, timor, & cæteri affectus propoſiti, ſi immoderati ſint, corpus alterant; dicitque, quòd iuxta hãc expoſitionem ſolùm leues animi affectus conſeruent corpus ſaluberrimum.

Secundam expoſitionem proponit, quę eſt, quod pro conſeruatione corporis ſaluberrimi ſint vitãdi immodici animi affectus; per immodicos verò affectus intelligit propoſitos, ſcilicet iram, timorem, triſtitiam, furorẽ, & inuidiam; quaſi, quòd alij affectus vt benignitas, gaudium, clementia, miſericordia, & ſimiles valdè conferant pro corpore ſaluberrimo conſeruando. Laudat Pluſquamcommentator vtramque expoſitionem ſed magis Secundam. Ego autem magis primam probarem; quia gaudium, ſi eſt nimium, non ſolùm conſeruat corpus ſaluberrimum, ſed deſtruit, vt de perichariâ dictum eſt à Gal. 12. methodi c. 5.

Quod verò animi affectus mediocres valdè conferant pro conſeruatione ſaluberrimi corporis, patet ex Gal. 1. de ſanit. tuenda c. 8. vbi habet, ſanitatem corporis conſeruari mediocribus moribus tũ corporis, tum animi, ibiq; damnat exceſſum affectuum animi, & defectum.

Præ-

Præterea qui carent affectibus ex Galeno ſunt pituitoſi; lib. enim de natura humana commen.39.de affectibus animi habet hæc: *animi aciem, & intelligentiam bilem indicare: prudentiam, & conſtantiam melancholiam: Simplicitatem, & ſtoliditatem ſanguinem: ad pituitoſos verò non eſſe mores:* ſi igitur de ratione corporis ſaluberrimi eſt, vt perfectiſſimas habeat operationes principes, non eſt dicendum, quod pro conſeruatione corporis ſaluberrimi affectus temperati non iuuent: quia, vbi non ſunt affectus, ibi pituita prædominatur, & non perfecta humorum harmonia.

1 Dub. corpus ſaluberrimum non indiget præſide, vt dixit Galenus in hoc cap. 85. ergo neq; pro eius conſeruatione medicus debet ei præſcribere affectus moderatos.

Reſpondetur, Galenum ſuperius dixiſſe, corpus ſaluberrimum non indigere præſide externo, ideſt medico; non negabat tamen non indigere præſide interno, qui poſſit corrigere errores inſenſibiles, qui quotidie fiunt; ſed ſic eſt, quod præſides interni inter cæteros ſunt motus, & affectus animi, ergo.

2 Dub. quæritur, an animi mores pertineant ad medicum, vel ſolum ad philoſophum. Pluſquamcomm. dicit, conſiderationem de animi affectibus pertinere ad philoſophum, dicit tamē medicum à philoſopho deſumere quid ſint animi affectus, & quomodo fiat: additq; ad ſolum medicum pertinere, an affectus iuuent, vel noceant corporibus.

Haly, contra quem digreditur Pluſquamcommentator, cenſet, nullo modo ad medicum pertinere conſiderationem de animi affectibus; ſed ſolum ad philoſophum, ità vt quæ ſciuntur à medico de moribus, id à philoſopho deſumptum ſit.

Verior opinio eſt, quod affectus animi pertineant ad medicum, & philoſophum: ſed ſub varia conſideratione: ad medicum pro comprobanda, & conſeruanda ſanitate: ad philoſophum moralem pro virtute conſequenda: quòd vera ſit hæc opinio, patet ex Galeno primo de tuenda ſanitate cap.8. vbi dicit: ſanitatem corporis conſeruari moderatis motibus, tum animi, tùm corporis: quare ſi animi affectus ſunt cauſæ conſeruantes ſanitatem pertinebunt ad medicum.

3 Dub. Galenus proponit quinque animi affectus in tex. Ariſtoteles verò primo Ethicorum cap.8. proponit longè plures; cupiditatem, ſcilicet iram, excandeſcentiam, timorem, fiduciam, inuidiam, gaudium, amicitiam, odium, deſiderium, æmulationem, miſericordiam, & tandem eos omnes quos voluptas, & dolor conſequuntur: ergo vel Galenus, vel Ariſtoteles decipitur.

Reſpondetur, Galenum enumeraſſe nonnullos affectus immoderatos exēpli cauſa; non negat tamen dari alios immoderatos; duo primi tamen, ad quos omnes reducuntur ab Ariſtotele 1. ethicorū c.3. proponuntur, & ſunt dolor, & voluptas: Varij varia de affectuum numero dixerunt: Stoici ſtatuebant non duos eſſe generales affectus, ad quos omnes reducuntur, ſed quatuor, voluptatem ſcilicet dolorem, timorem, & cupiditatem; & hāc opinionem ex his principijs colligebant; omnes affectus oriuntur, ex opinione boni, vel mali: opinio boni præſentis efficit voluptatem; mali præſentis dolorem; opinio boni futuri cupiditatem; mali futuri timorem; omnes tamen commodè cum Ariſtotele loco citato poſſunt reduci ad duos, ad dolorem ſcilicet, & voluptatem; malum enim, & bonum vel præſens, vel futurū eſt tale, quia reducitur ad dolorem, vel voluptatem.

4 Dubit. quæritur quomodo affectus animi immoderati lædant. Expoſitores dicunt, iram, furorem, reddere calefaciēdo; mœrorem, & mēſtitiam refrigerando. Nos verò cum Galeno primo de differentijs febrium dicimus, non ſolum iram, verum etiam timorem, & mœrorem calefacere, imò prolixa rationum ſerie probauimus 6. methodi noſtræ cap. 8. omnes animi paſſiones ad motum reduci, & omnem calorem ſemper à motu gigni. Inſuper eſt famoſa hiſtoria relata ab Hippocrate de muliere tetrica, quæ ob nimios animi mœrores auxit humorum aduſtionem.

Modus verò, quo mēſtitia adurit, traditur à Galeno 4. de cau. pul. cap. 3. & 1. de hum. comm. primo, vbi dicit, mœſtitiam calefacere, quia contrahit calorem

ad

ad internas partes: quo contracto aduritur ſanguis, & ſpiritus: Hinc Galenus 12. methodi cap. 5. dicit, animi affectus corrumpere ſpiritus: corpora enim noſtra lęduntur à paſſionibus animi duobus modis;alter modus eſt per ſpirituum corruptelam,quæ deinde efficit calorem: alter ob calorem qui concitatur,vel ab ira, vel à męrore, dum concentratur: Plato in charmide dicit, animi paſſiones tantum poſſe in alterandis corporibus, vt ab animi affectibus cuncta ferè mala corporibus accidant; nos tamen addimus cuncta mala, quæ proueniunt ab animi affectibus eſſe,vel quia adurant,vel quia corrumpant ſpiritus vitales,& naturales:nullus enim affectus eſt affectus, niſi prius cognitio pręcedat,in qua cognitione perturbantur ſpiritus animales; illiſque deinde perturbatis, commouentur vitales, qui ob commotionem adeo calefiunt, vt adurantur; vt ſi hæc commotio inſignis perſeueret, corrumpantur.

CAPITIS LXXXVI.

Particula I.

Tex. 17. *Venereorum verò iuxta Epicuri ſententiam, nullus eſt vſus ſalubris: reuera autem confert, ſi tantum interualli in eorum vſu adhibeatur, vt neque reſolutio aliqua ſentiatur; & ipſe ſe ipſo homo quodammodo leuior factus, ac melius ſpirare videatur.*

Cauſæ neceſſariò alterantes, ſi debito modo adminiſtrentur, dicuntur à Gal. cauſæ ſalubres conſeruantes corpus ſaluberrimum: cauſæ verò neceſſariò alterantes à Gal. ſuperius propoſitæ erant aer cibus potus,ſomnus vigilia,motus,quies,excrementa,& animi affectus: verùm quia inter prædictas cauſas non continetur coitus:ideò non videtur quod coitus inter cauſas neceſſariò alterantes poni debeat: attamen ex Gal. clariſſimè patet coitum pertinere ad motum, quia lib.ad Thraſyb.c.40.& 1.de tuen.ſan.cap. vlt. collocauit coitum inter ea quæ fiunt; ſed ſic eſt quod ea quæ fiunt pertinent ad motum, ergo in hoc c. agens de coitu de ipſo agit,vt de re pertinente ad motū;docetq;quis nam ſit debitus vſus coitus,qui poſſit eſſe cauſa ſalubris conſeruans corpus ſaluberrimū in ſua optima ſymetria.

Senſus huius textus eſt: iuxta Epicuri ſententiam vſus coitus non eſt ſalubris, ſed ſemper inſalubris: tamen ſecundum Galeni opinionem coitus eſt ſaluberrimus,quando inter vnum,& alterum coitum tantum interualli abhibeatur, vt nulla poſt coitum ſequatur reſolutio, dum enim ſemen eſt ſuperfluum, & excernitur,tantum abeſt,vt fiat reſolutio vt corpus ſarcina ſeminali exoneratū, maiores vires acquirat:Si verò euacuetur ſemen,quando nō redundat tunc facultas expellit illam ſeminis portionem,quæ eſt deſtinata nutritioni vaſorum ſeminalium, vnde vaſa hæc euacuata violenter attrahunt à ſuperioribus viſceribus ſpiritus vitales, & materiam ſeminalem idest pinguem, & oleoſam,vnde ſumma debilitas viſcerum ſuboritur.

Verùm, Galenus non poterat docere, quantum, interualli debeat eſſe inter vnum, & alterum coitum, tum propter naturæ, tùm propter ciborum varietatem; propter varietatem naturæ; quia calida & humida natura citius ſemen regenerat, quam calida & ſicca; & calida & ſicca citiùs quam frigida & ſicca; propter varietatem ciborum, quia qui capones, gallos indiacos,oſtrea, cæpas coctas, & alia id genus comedunt citius parantur ad coeundum, quam qui lactuca, & braſſica aluntur: Ideò Galenus tradit in hoc tex. duo præcepta, quibus vnuſquiſque in ſe ipſo experiri poterit quantum interualli in poſterum requiri debeat inter vnum,& alterum coitum.

Primum præceptum: ſi homo poſt coitum ſe ipſo leuior quodammodo ſit factus,idest agilior,& aptior ad omnia munera obeunda, tunc interuallum inter præcedentem, & præſentem coitum erit opportunum,& naturæ admodum utile: & in poſterum erit obſeruandum.

Secundum præceptum eſt, quod poſt coitum homo melius, & facilius inſpiret;dum enim ſemen copioſum retinetur ſuffocat calorem, & ſuffocando minuit operationes animales, vitales,& naturales,& præcipuè reſpirationem reddit pigram; quia in reſpirationis munere obeundo concurrunt 89.muſculi.

1 Dubitatio ſuperius propoſuit Galenus ſex cauſas tantum eorum,quę neceſſariò alterant corpus noſtrum: Prima eſt aer. Secunda, motus, & quies. Tertia, ſomnus, & vigilia. Quarta ea, quæ aſſumuntur. Quinta, quæ excernuntur, & retinentur,& Sexta, animi affectus: de coitu ne verbum quidem dixit: attamen hic fuſa oratione agit de venereis.

Reſpondent nonnulli, coitum reduci ad excreta,& retenta:quod nõ poteſt negari; Galenus enim 6. de locis affectis c. 5. proponit ob retentionem ſeminis ſex mala contingere, videlicet grauitatem capitis, cibi faſtidium, febris periculum, coctionem diminutam, torporem, & timorem. Deinde 8. de morbis vulgaribus 38.referẽs mala nimij coitus,dicit,quendam ſatyrum ob nimiam ſeminis euacuationem fuiſſe factum tabidum.

Ego tamen lib.6. methodi noſtræ probaui coitum reducẽdum eſſe ad motum, ideſt ad ea, quæ fiunt: quod colligitur ex Gal.primo de ſanit. tuen.c.vltimo,vbi dicit veneris vſum inter ea quæ fiunt eſſe reponendum, ſimiliter lib. ad Traſyb. c. 40. coitum inter facienda collocat.

2 Dubit.quomodo ab Epicuro omnino reprehenditur coitus, cum ipſemet in voluptatibus poſuerit felicitatem.

Reſpondet Conciliator,hunc non eſſe Epicurum philoſophum, ſed eſſe quendam Epicurũ medicum aſſeclam Democriti, & Leucippi,qui dicebant per coitũ educi atomos conſtituentes corpus: ideò coitum ſemper nocere. Decipitur Conciliator tum quia de hoc Epicuro nunquam,quod ſciam, Galen. loquitur, tum quia Epicurus philoſophus famoſus erat ille,qui non admittebat coitum;ille enim in indolentia collocabat fælicitaté,eratq; temperatiſſimus; & putabat coitum perturbare humanam felicitatem. Admitti mus & nos Democritum philoſophum coitum ſemper nocere arbitratum eſſe; Galen. enim refert 3. epid. comm. 1.ſententiam Democriti dicentis, coitum eſſe quandam paruam epilepſiam.

QVÆST. CIV.

Dubitationes, an coitus conferat.

PRima Dubit. Galenus teſtatur in hoc loco, coitum conferre; nihilominus ſenibus podagricis, & nephriticis non confert; dum enim nephritici coeunt, trahunt humores pituitoſos ad renes, & ibi conglobantur, & lapilli fiunt;Deindè innumeri ſunt homines debiles, qui ob coitum etiam moderatum incidunt in ægritudines læthales.

Reſponſio eſt facillima, quia Galenus in hoc loco ſibi proponit agendum de corpore ſaluberrimo,quod vt tale nõ admittit podagrã, vel nephritim, vel ſeniũ; & meritò de ſaluberrimo intelligit, quia hoc corpus eſt norma,& regula aliorum. An verò ſenibus coitus ſit concedendus, vel nephriticis, vel podagricis dicimus, quod particulatim eſt de natura iſtorum agẽdum: quia ſi ſenex eſt robuſtus poteſt contingere, vt illi aliqua venus moderata poſſit conferre, ſimiliter dicimus de robuſtis podagricis, & nephriticis conſuetis veneri, quod poſt longum aliquod interuallum coitus conferre poſſit.

2 Dub.videtur vera ſententia Epicuri, etiam de corpore ſaluberrimo, quod nũquam coitus conferat; quia abbreuiat vitam; in ſeminis euacuatione euacuantur ſpiritus vitales,qui ſunt vitę theſaurus,vt patet ex Galeno lib.de ſemine cap. 16. & ex Ariſt. 1. de generatione animalium c. 20. vbi dicit, voluptatem coitus prouenire non ſolùm ab euacuatione ſeminis,verùm etiam ſpiritus, immò videmus in gonorrhęa nullam voluptatem preſentiri, quia ſemen ſine ſpiritu egreditur: quod cum ita ſit,quomodo coitus poterit conferre amittendo ſpiritum vitalem, qui eſt vitę theſaurus?

Reſpondetur, tunc coitum conferre corpori ſaluberrimo, quãdo ſemẽ peccat quantitate:per ſemẽ intelligimus humorem ſeminalem, & ſpiritum; dum verò ſpiritus quantitate peccat, & concinetur in arterijs, ſi non poteſt exire, calorem ſuffocat illo modo, quo ignis à fumo clauſo extinguitur; quo extincto generantur ægritudines frigidæ, vt intemperaturæ frigidæ cerebri,cordis,hepatis, & totius corporis, & in mulieribus paſſiones hyſtericæ; quæ affectiones non purgantibus medicamentis,vel alijs alterantibus præſidijs poſſunt tolli: ſed ſolùm venereo vſu, vt ſæpiſſimè in actu practico in viduis, & ſimilibus cognouimus.

Quod

Quod vero ſemen peccare poſſit copia, & quantitate, patet ex Galeno 5. methodi, & lib. de conſtitutione artis, cap. 19. vbi dicit, omnia excrementa, ſiue vtilia, ſiue inutilia peccare poſſe, vel quantitate, vel qualitate, vel vtroque modo: immò etiam humores alimẽtales, vt eſt ſanguis, qui eſt etiam vitæ theſaurus, ſi peccat copia, niſi euacuetur corpus, incidit in apoſtemata, & alios morbos lethales: dùm igitur excrementa vtilia, vt lac, & ſemen quantitate peccant, dicimus quod ſex illas ægritudines efficiunt, quæ proponuntur à Gal. 6. de locis aff. ca. 5.

Si verò qualitate peccant, tunc generat intenſiſſimas paſſiones, vt apoplexiam, & catalepſiam; quia dùm corrumpitur ſemen, mittuntur eius vapores ueneſici ad uiſcera, & illa corrumpunt.

Cauſa uerò, cur ſemen corruptum, lac, & ſanguis congelatus tam ſęuiſſima accidentia pariant, inde patet, quia ſicuti ex probo ſemine, ſanguine, & lacte uigor exoritur: ſic ex eorum corruptela ſuccedit oppoſitum, quod eſt maximum malum; contraria enim ſunt, quæ in uno genere maximè diſtant ex Ariſtotele 10. metaph. tex. 13. Hinc Galenus lib. 6. de locis affectis c. 4. habet hanc ſententiam: *mirandũ eſt, quomodo ſanguis qui eſt tam nobis familiaris ſi congeletur, & vertetur in thrombum corrumpatur, & perinde ac venenum interficiat.*

3 Dub. nemini uidetur conferre coitus, quia ex Ariſtotele lib. de longitudine, & breuitate uitæ c. 3. dicit, quod Mulus, quia coitu non utitur, diutius uiuat, quàm Equus, & Aſinus, à quibus generatur; & concludit, animalia ſalacia citò ſeneſcere & eſſe breuioris uitæ; addit, & propterea paſſeres maſculos eſſe breuioris uitæ fęminis; fęminæ enim non ſunt ita ſalaces, ut mares; quòd cùm ita ſit, falſa erit ſententia Galeni dùm dicit in tex. contra Epicurum, coitum re uera conferre.

Reſpondetur, quòd coitus ſine debito uſu ſemper nocet; Hinc paſſeres, quia utuntur nimio coitu ſunt breuioris uitæ quàm paſſeres fęminæ; Similiter Equus, & Aſinus ob indebitum coitus uſum citius pereunt, quàm Mulus, qui non coit; quando igitur Galenus dicit, coitum re uera conferre intelligit de debito illius uſu; conditiones uerò debiti uſus ſunt, ut exerceatur à ſomno; Galen. enim docet 2. de ſanitate tuenda, cap. 2. poſt exercitium ſequi cibum, & potũ, deinde ſomnum, & poſt ſomnum coitum: & hac lege poſt coitum homo facilius inſpirat, & ſemetipſo videtur eſſe leuior factus; quo animaduerſo facilè quiſque cognoſcet an quotidie ſemel coire debeat, an alternis, vel quaternis diebus, vel poſt plures dies.

4 Dub. excrementa redundantia, ex Gal. 6. de tuen. ſanit. c. 4. habetur, tolli poſſe exercitio, & victu tenuiori; ergo coitus pro conſeruatione indiuidui non erit neceſſarius, cùm ſufficiant pro auferendis excrementis exercitium, & victus tenuis: Præterea eodem cap. dicit, Venerem eſſe inimicam omnibus, qui ſicco temperamento ſunt, & præcipuè ijs, qui ſupra ſiccitatem ſunt quoq; frigidi: & deinde addit Venerem eſſe innoxiam illis tantùm, qui ſunt calidi, & humidi; quare ſi ſolùm calidis, & humidis eſt innoxia, non debet ſic abſolutè collocari in numero cauſarum ſalubrium.

Reſpond. quòd materia, ex qua conficitur ſperma, poteſt exercitio, & tenuiori victu minui; ſed poſtquam eſt genitum, dicimus, eſſe omninò impoſſibile, ut alio modo minuetur, quàm per exitum à pudendis; fæces enim per aluum, & non per cutim excernuntur: ſimiliter ſemen per colem, & non per alias regiones excernitur; hac de cauſa Diogenes Cynicus omnium hominum in victu moderatiſſimus & temperatiſſimus, vt ait Gal. 6. de locis affect. non potuit ſe continere, quin aliquando admoueret manus ad pudenda, vt excerneret ſperma; Alma parens natura conſtituit, vt vaſa ſpermatica in gratiam conſeruationis ſpeciei generarent ſuperfluum ſperma. Hinc quoq; Galen. lib. 14. de vſu partium cap. 10. & 1. de ſemine 14. dicit, omnes partes ſpermaticas generare ſemen, ſed eo nutriri; uaſa verò ſpermatica tantum generare, quantum pro eorum nutritione, & pro ſpeciei conſeruatione ſufficiat; dum verò dicunt ex Galeno coitum conferre ſolùm humidis, & calidis, dicimus Galen. addidiſſe in eodem capite non ſolùm Venerem eſſe innoxiam calidis, & humidis, verùm etiam ijs, qui ſpermate abundant; dicimus igitur

quòd quælibet natura ſana poteſt contingere, vt abundet ſpermate. Præterea reſpondemus Gal. abſolutè aſſerere coitum reuera conferre intelligendo de corpore ſaluberrimo, quòd in hoc cap. Gal. ſibi ante oculos, vt regulam, & normam aliorum corporum collocauit.

5 Dub. Gal. 2. de tuenda ſanit. c. 2. dicit, cauſas non naturales aerem, ſcilicet cibũ, & potum, ſomnum, &c eſſe communes omnibus ætatibus; coitum tamen ſolùm adoleſcentibus conuenire: imò addimus nos, quod venus neq; adoleſcentibus poſſit conuenire: quia adoleſcentes ſunt in corporis augmento, quo tempore non licet ab illis detrahere, quod pro augmentatione corporis debet apponi.

Conciliator reſpondet: dum Gal. dicit, coitum in ſolis adoleſcentibus conuenire, quod intelligat de fine adoleſcentiæ, dùm ſcilicet perfecta eſt adoleſcentia. Quæ reſponſio eſt vaniſſima, tum quia venus moderata in principio adoleſcentiæ, id eſt, à 14. anno vſque ad 21. mirificè confert, tùm quia iuuentuti, & virilitati apprimè neceſſaria eſt iudicanda.

Dicimus igitur nos, Gal. non dixiſſe, Venerem eſſe adoleſcentium, vt in antiquo codice legitur; ſed dixiſſe Venerem eſſe ætate florentium; hæc ſunt verba. *Venus ætate tantum florentium eſt:* addimus nos, ſed ſic eſt, quod ætas florens eſt in adoleſcentia, in iuuentute, & virilitate, quæ vſque ad 49. annum peruenit: ibique incipit primum ſenium à quo tempore raro, vel nunquam coitus iuuat; concludimus igitur, coitum eſſe ætate robuſtorum hominum, quia quocunque tempore ſunt robuſti dicuntur florere, quamuis, vt plurimùm vltra 49. non floreant.

6 Dub. Galenus dicit poſt debitum interuallum inter vnum, & alterum coitũ hominem quodammodo fieri leuiorem; videtur quòd particula quodammodo ſit ſuperflua; quia homo poſt coitum factus eſt reuera leuior, tum quia minus perpendit, vt in ſtaticis videri poteſt; tum quia homo fit agilior poſt moderatum coitum; quare nullo modo erat addenda particula quodammodo.

Reſpondit mihi quidam famoſus medicus noſtri temporis, Galenum dicere quodammodo, quia reſpexit ad leuitatẽ, & agilitatem, quam homo perſentit, & non ad illam realem leuitatem, quæ ſtatera percipi poteſt; ait quia ſperma eſt refertum ſpiritu, qui efficit ratione ſuæ igneitatis corpus leuius; indè, putabat ſemper poſt ſeminis euacuationem corpus effici grauius, quàmvis homo ſentiat ſe leuiorem.

Hæc opinio eſt falſiſſima; quia reluctatur ſtaticis experimentis, quæ adeò ſunt certa, vt ſint in primo gradu certitudinis, meritò igitur huius ſtaticæ experientiæ cognouimus ſemper poſt coitum corpus minus perpendere; nullus enim eſt ſpiritus, quantumvis leuiſſimus, qui pondere, & grauitate ſit deſtitutus.

Dicimus ergo nos, Galenum dixiſſe quodammodo, quia illicò poſt emiſſionem ſpermatis animal aliquã pigritiam, & tarditatẽ corporis experitur; ſed paulò poſt animaduertit eſſe factum leuius, & agilius, ideò dixit quodammodo; quia reuera poſt debitum interuallum vſus coitus reddit hominem leuiorem quoad agilitatem, & quoad realem leuitatem; corporis enim pondus eſt quid æquiuocum, quia ſtare poteſt, vt in primo libro ſtaticæ noſtræ probauimus, hominem eſſe ſolito oneróſiorem, & ſe perſentire leuiorem; & vice verſa, corpus ſcilicet eſſe factum minus graue, & ſe perſentire grauius.

CAPITIS LXXXVI.

Particula II.

Tex. 18. *Tempus verò ad vtendum opportunum, cum omnium in rerum circumſtantiũ exquiſita mediocritate corpus fuerit conſtitutum. Cùm ſcilicet neque ſupra modum plenum, neque vacuum extiterit, aut in calore, aut frigore, aut ſiccitate, aut humiditate exceſſerit corpus. Quòd ſi aberrare contigerit, paruus ſit error: melius autem illi calefacto magis, quàm infrigidato, & pleno, quam vacuo, & humectato potius, corpore, quam exſiccato, vti venereis.*

IN hoc tex. ſuperiori docuit interuallum inter vnum, & alterum coitum pro conſeruatione corporis ſaluberrimi. In hoc tex. docet particulatim tem-

tempus ad vtendum coitu opportunum.

Textus diuiditur in duas partes, in prima, docet tempus opportunum coeundi; in ſecunda docet èxquiſitè tempus coeundi non poteſt obſeruari, quando magis, quando minus coitus lædat.

Quoad primam partem dicit tunc eſſe tempus opportunum coeundi, quando corpus eſt in exquiſita mediocritate rerum circumſtantium; declarat ſtatim Galenus quid intelligat per res circunſtantes, dicens, tunc corpus eſſe in exquiſita mediocritate, & tunc eſſe vtendum coitu quando corpus neque eſt ſupra modum plenũ, neque vacuum, neque eſt nimium calidum, quia 6.epid.5.tex.23. coitus ſuo motu calefacit; neque frigidum, quia loco citato Galenus dicit, coitum reſoluendo ſpiritus refrigerare; neque nimium ſiccum, quia ex Galeno 3.de tuenda ſanitate cap. 11. coitus exſiccat; neque nimium humidum, quia per coitum augentur cruditates, & pituitoſa excrementa; ecce quod tempus coitus deſumitur à ſtatu mediocri corporis, vt ſcilicet neque plenum, neque vacuum, neque habens aliquem exceſſum in aliqua ex primis qualitatibus.

Notandum, quod licet Galenus exemplicauerit de cibo, & de caliditate, & ſiccitate, frigiditate, & humiditate; ſupponit tamen exceſſum omnium aliarum cauſarum neceſſariò alterantiũ in vſu coitus eſſe maximè fugiendum. Hinc paſſiones animi, quamvis de his nil dicat, ſi in vſu coitus excedant, quàm maximè officiunt; imò veh illi, qui dum eſt paſſionibus animi occupatus, ſe tradat coitus blanditijs; quia nihil magis internas vires cordis, & omnium viſcerum opprimit, quàm motus oppoſiti: motus enim, qui fiunt ab animi paſſionibus, ſunt oppoſiti motibus, qui fiunt in agitatione coitus, quia paſſiones animi concentrant ſpiritus, & concẽtrando quàm maximè calefaciunt cor, & interna viſcera; coitus verò auocãdo ſpiritus maxima cum agitatione à corde ad corporis ſuperficiem non ſolum calefaciunt interna, ſed ex his motibus oppoſitis ſpiritus deſtruuntur.

Similiter poſt nimium exercitium, & laborem quiſque fugiat coitum, quia vires iam à nimio exercitio defeſſæ in coitu exſolui poſſunt.

Itidem poſt nimiam vigiliam, vel poſt ſomnum comatoſum coitus interdicitur: poſt nimiam vigiliam, quia ſpiritus pauci ſunt: poſt ſomnum comatoſum, quia nimium refrigerati ſunt ſpiritus, quo tempore coitus adhuc maiores induceret refrigerationes.

Quando verò, & quo tempore ſit coeundum, in propria quæſtione paulò infra declarabitur.

Quod ſi aberrare contigerit. Hæc eſt ſecunda particula, in qua docet, quando magis, & quando minus nocet coitus: quaſi dicat Galenus, poſtquàm exquiſita mediocritas vix inueniri poſſit, inter duo mala minus eſt eligendum: ideò eſſe minus malum vti coitu, dùm corpus eſt parùm calefactum, quàm dùm multum.

Ariſtoteles in problematibus de coitu quærit, cur nuditas pedum noceat rei venereæ. Reſpondet, corpus concubiturum debere intus eſſe calidũ, & humidum: dicitque nuditatem pedum refrigerare, & exſiccare: ecce quod ex Ariſtotele, & Galeno coitus valdè conferat, dum corpus eſt calidum, & humidum.

Similiter minus malum eſt, dicit Gal. in tex. vti venere, dum corpus eſt plenũ, quam vacuum: calidum, quàm frigidum: humectatum, quàm exſiccatum: quocirca neque errant, qui poſt moderatiſſimam cœnam vtuntur coitu, quamuis tempus illud non ſit omnium opportuniſſimum.

1 Dub. Galenus ſuperius dixit, in cauſis ſalubribus ſufficere duas conditiones, debitam ſcilicet, & quantitatem, & qualitatem: in hoc tex. tamen addit tertiam, ideſt tempus opportunum; quam conditionem ſuperius dixit eſſe ſuperfluam, ergo vel male hic, vel ibi.

Reſpondemus cum Pluſquamcommẽtatore eſſe veriſſimum, quod tempus opportunum includatur in debita quantitate, & qualitate; dicimus tamen Galenum addidiſſe tempus opportunum ad maiorem claritatem: certum eſt, quando non eſt tempus opportunum, quod tunc non ſeruatur debita quantitas, vel qualitas: erat autem addendum tempus opportunum: quia ſæpiſſimè à coitu decipimur pel-

pellecti ab illius blanditijs, atque illecebris, quæ ſunt infinitæ.

2 Dub. Galenus ait, minus malum eſſe vti coitu corpore exiſtente pleno, quàm vacuo, quòd non videtur, quia eſt ſententia Hippocratis à Galeno expoſita, 2. de tuenda ſanit. quòd tempus opportunum coitus debeat eſſe à ſomno poſt excretionem fæcum, & vrinæ, quo tempore ventriculus, & corpus eſt vacuum.

Reſpondetur, per corpus plenum non intelligere vētriculum plenum cibis, ſed plenū ſucco non adhuc in tertia coctione concocto, ſed ſolum poſt concoctum in prima, & ſecunda coctione. Hinc Auicennas 2. tertij tractat. 1. cap. 20. dicit, tempus opportunum coeundi eſſe quando eſt completa prima, & ſecunda coctio; fit enim tertia coctio etiam in tunicis ventriculi, & in ventriculo: dum completa eſt tertia coctio dicitur vacuus, dum verò eſt incepta tertia, dicitur plenus; facta igitur comparatione inter corpus plenum ſucci concocti in prima, & ſecunda, ſed non in tertia, & inter corpus vacuum, ideſt poſt completas omnes coctiones, & poſt reſolutionem trium humiditatum, dicit Galenus, ſatiùs eſſe vti coitu corpore exiſtente pleno, quàm vacuo.

Nocet etiā dùm eſt plenum, quia imminet apoplexia, podagra, nephritis, & deſtillationes; opportuniſſimum .n. tempus eſt, dùm tertia coctio eſt progreſſa; quia poſt tertiam coctionem fit cambium, quod eſt proxima materia ſeminis.

3 Dub. inquit Gal. in tex. Venerem minus nocere corpori calefacto, quàm refrigerato, attamen 6. epid. comm. 5. tex. 23. habetur, coitum conferre morbis pituitoſis: & Ariſt. 1. problem. nu. 51. habet hæc verba, *Cur morbis, qui contrahuntur à pituita libido immodica proſit? Reſpondet an quòd ſemen genitale excrementi cuiuſdam detractio eſt? ideo naturam præſefert pituitæ, quod igitur multum pituitæ concubitus detrahat iuuare idcirco poteſt:* Idem ferè dicit Ariſt. ſect. 4. probl. 17. quęrens; cur uenus immodica morbis pituitæ commoda eſt: Conciliator in comm. huius problematis dicit; uenerem immodicam eſſe commodam morbis pituitoſis, quia ſemen eſt quid pituitoſum.

Reſpondetur, coitum ualdè conferre pituitoſis, ſi uirtute ualida prædici ſint; quia coitus reducitur ad motum, ut dictum eſt: motus uerò liquefacit pituitā, eam diſcutit, & attenuat, ſi uerò pituitoſi ſint debiles, & uiribus exſoluti, ut ferè sēper accidit, coitus ualdè nocet: An uerò ſemen pituitā participet, ut dicit Ariſtoteles; medicorum plurimi ſunt, qui negant; attamē nos dicimus, ſemen fieri ex ſpiritu, & ſanguine; partem uerò ſanguineam obſidere aliquam craſſitiem; & uiſcoſitatem; negamus tamē eſſe pituitam; ſed ut dicit Ariſtoteles problem. citato præſeferre naturam pituitæ; quòd enim à tertia coctione fit; pituita eſſe non poteſt. Hinc Conciliator errat dicens, ſemen eſſe pituitoſum; erratque Sclanus, dùm putat, Ariſtotelem arbitrari ſemen eſſe pituitoſum; quia Ariſtoteles ſolum dicit, ſemen præſeferre naturam pituitæ, & eſſe excrementum utile.

QVÆST. CV.

De tempore opportuno coeundi.

EX coitu opportuno ſummum beneficium nobis Hippocrates, & Galenus pollicentur: redditur enim homo ex eius recto uſu audacior, & minus iracundus. Inſuper confert pituitoſis, ut dicit Ariſtoteles, ſi robuſti ſint; ſomnum conciliat; prohibet inflammationes inguinum; tulit grauitatem capitis, & plurima alia efficit, ut docet Galenus 6. de locis affectis, cap. 5. & alibi.

Dum uerò nō ſeruatur rectus uſus, ſed importunè homines coitu utuntur, innumerabilia ſequūtur mala; in primis enim uitam abbreuiat, accelerat ſenectutem, memoriam minuit, uentriculum, cerebrum, & cor refrigerat; calefacit iecur, & renes, & alia plura mala efficit, quæ à Galeno, & ab alijs Auctoribus referuntur.. Immò Aetius lib. 3. in unico capite colligens detrimenta importuni coitus, inter cœtera dicit, exſoluere uires, aggregare cruditates, efficere ſenſuum hebetudinem, obliuionem, tremorem, dolorem articulorum, nephritim, morbos ueſſicæ, oris graueolentiam, dentium dolores, gurgulionis inflammationem, ſanguinis

ſputum, & alios plures affectus pro varia corporum diſpoſitione. Par eſt igitur, vt videamus, quo tempore, & qua hora conferat; quia variæ ſunt opiniones.

Paulus lib. 1. cap. 5. dicit, opportunum tempus coeundi eſſe à cibo moderatè aſſumpto, & ante ſomnum: affertque duas rationes: Prima eſt, à cibo ante ſomnum debemus vti coitu, quia venus minuit vires, & ſolùm per ſomnum ſubſequẽtem, & non per ſequentem vigiliam, & laborem reſarciuntur: ergo poſt cœnam ante ſomnum quiſque poteſt coitu vti; Secundam rationem, quam affert, deſumit à prole, & eſt, ſi mulier poſt cœnã coit, per ſomnum ſubſequentem fortius concipit: Eandem ſententiam ſequitur Oribaſius lib. 6. circa finem ſuarum aggregationũ.

Reijcitur hæc opinio; quia dùm dicit, coitũ minuere vires, falſum dicit intelligendo de recto veneris vſu: quinimò ex Galeno in tex. coitus eſt adeò ſalubris, vt poſt ipſum homo melius inſpiret, & leuior, & agilior reddatur; quare ſi tempore opportuno fiet, tantum abeſt, vt minuat vires, vt potius virtutem ſopitam, & ſuffocatam excitet. Præterea poſt ſomnum, peracta prima, & ſecunda concoctione ſemen fit; ante verò ſomnum poſt cœnam ſemen quod fieri debet à cibo prandij, & cœnæ non eſt factum; quia nil fit in tertia coctione, niſi quòd coctum ſit in prima, & ſecunda, quæ ſolùm poſt ſomnum fit. Ex Galeno 12. methodi c. 3. ſomnus concoquit, vigiliæ verò digerunt.

Ad ſecundam rationem Pauli, deſumptam à prole dicimus, non eſſe ad rem, quia agitur hic de conſeruatione indiuidui, & non ſpeciei. Sed eſtò, quòd agatur de conſeruatione ſpeciei, dicimus à ſomno coitum magis cõferre proli, quia tunc ſemen eſt magis concoctum, & tenacius adhæret: concedimus tamen à coitu mulieri eſſe vtiliſſimum, vt quieſcat, & aliquantulum dormiat.

Aetius lib. 3. cap. 8. putat, tempus coeundi opportuniſſimum eſſe poſt moderatam cœnam; ſed addit, ante concubitum parùm eſſe dormiendum. Reijcitur, quia reluctatur Hippocrati 6. epidemiorum, ſec. 6. vbi legitur hæc ſententia; labor, cibus, potus, ſomnus, uenus, omnia mediocria, ideſt poſt exercitium ſequitur cibus, & potus; poſt cibum ſomnus, poſt ſomnũ venus. Similiter reluctatur Auicennæ, qui dicit vigeſima tertij, cap. de horis coitus poſt primam, & ſecundam coctionem eſſe tempus concubitus, quod eſt poſt ſomnum; Præterea dùm dicit, parùm eſſe dormiendum ante coitũ, errat, quia nõ poſt paucum ſomnũ eſt facta coctio prima, & ſecunda, ſed poſt multum.

Celſus lib. 1. cap. 1. dicit, concubitum interdiu peiorem eſſe: noctu verò tutiorem; addit hac tamen lege ſeruata, vt neque illum cibus, neque hunc eum vigilia labor ſequatur: ecce quòd Celſus poſt coitum prohibet cibum, & motum; quare ſolùm ante ſomnum poſt cœnam concedit coitus vſum. Quæ opinio aduerſatur auctoritatibus Hippocratis, Galeni, & Auicennæ locis citatis, & rationi, quia tunc debet eſſe hora coitus, quando ſemen eſt perfectum; eſtque tale poſt ſomnum, ideſt poſt peractam primam, & ſecundam coctionem.

Franciſcus Valeriola conatur cõciliare Paulum, Aetium, Oribaſiũ, & Celſum cum Hippocrate, & Galeno, aitque Hippocratem, & Galen. egiſſe de hora perfectiſſima, & opportuniſſima coeundi, quæ eſt poſt moderatam cœnam ante ſomnum. Paulum verò, & alios propoſitos Auctores feciſſe comparationem inter coitum immoderatum factum pleno victu, vel vacuo; dixeruntque ſatiùs eſſe pleno, quàm vacuo.

Errat Valeriola, quia ſi de Aetio loquamur, dicimus, quòd vſus eſt hoc modo loquendi; *Commodiſſimum coeundi tempus eſſe poſt cœnam.* Quare ex opinione Aetij nullum tempus eſt iſto commodius; ecce quòd Aetius abſolutè, & non reſpectiuè fatetur poſt cænam ante ſomnum tempus eſſe omnibus alijs temporibus commodius in coeundo.

Similiter dici poteſt de Paulo, nam, vt optimè, & doctè notat Valeſius, Paulus habet hæc verba, *καιρὸς δ' ἐπιτήδειος μίξεως μετὰ τροφὴν εἰς ὕπνον, προτῶν ὕπνων,* ſcilicet tempus opportunũ, vtile, ſeu conueniens eſt poſt cibum, & ante ſomnos, dictio *ἐπιτήδειος*, ſignificat eſſe conueniẽtem, & vtilem; quare ea ſententia Pauli, coitus poſt cenam ante ſomnũ eſt abſolutè

lutè vtilis,& non facta comparatione, vt dictum eſt ſuperius. Itidem dicimus de Celſo, qui nō vult poſt coitum ſequi motum, ergo non poſt ſomnum, vt dicit Hippocrates,& Galenus, Celſus vſum coitus laudabat.

Aliqui conciliant alio modo, videlicet, coitū dupliciter conſiderari, vel pro conſeruatione indiuidui, vel pro filiorum generatione: dicunt primo modo poſt ſomnum eſſe tempus coeundi, vt docet Hippocrates,& Galenus; ſecundo modo dicunt ante ſomnum; quia in ſomno melior, & fortior fit conceptus. Cæterùm iſti multipliciter errant, primò, quia Hippocrates,& Galenus conſiderabant tempus opportunum coitus pro conſeruatione indiuidui,& non pro generatione filiorum; ſecundò errant, quia etiam pro generatione filiorum, vt probauimus coitus poſt ſomnum eſt opportunior, & vtilior; ſemen enim eſt meliùs coctum, & aptiùs ad prolem.

Pluſquamcommētator in hoc loco putat, quòd coitus debeat à ſomno exerceri, ſed hac lege, vt poſt coitū ſequatur alius ſomnus; Multi poſt coitum matutinum, antequam è lecto ſurgant, parum dormiunt. Ego autem non probo Pluſquamcommētatoris opinionem, quia ſi ſeruatur rectus vſus coitus, poſt illū vires non languent; faciliùs enim inſpiramus, & reddimur leuiores; ideò ſomno non indigemus. Præterea ſi poſt coitū dormimus, caput repletur,& fęces fiunt duræ, vt experientia quiſque poteſt animaduertere.

Ego autem inſequor opinionem Hippocratis, Galeni,& Auicennæ. Hippocrates enim in principio ſectionis ſextæ lib. ſexti de morbis vulgaribus profert hanc ſententiam; Labor, cibus, potus, ſomnus, venus, omnia mediocria, id eſt poſt laborem moderatum, ſeu mediocrem ſequitur cibus, & potus: deinceps ſomnus, & tandem venus.

Similiter Galenus 2. de tuenda ſanitate exponens prædictam ſententiam Hippocratis præcipit à ſomno eſſe coitum exercendum.

Simili modo Auicennas vigeſima tertij tract. 1. c. 12. de horis coitus loquēs habet hæc verba: *Oportet, vt fiat coitus, cum cibus deſcendit a ſtomacho, & completur digeſtio prima, & ſecunda: Addit nec ſunt audiendi, qui dicunt poſt completam co-ctionem tertiam: addit, oportet, vt fiat coitus à deſiderio ſano, quòd nō excitat aſpectus pulcher: aut pruritus, ſed multitudo ſpermatis.* In capite verò 11. eiuſdem libri ſen 20. c. 1. dicit fieri vrinis, & fęcibus excretis; ſubdit quoddam pręceptum obſcœnum, & falſum, quod coitus cum infantibus magis & minus noceat coitu naturali: dicit magis nocere, quia in ipſo natura indiget plurimo motu, antequam ſemen egrediatur; quod eſt falſum; quoniam qui hac vtuntur libidine capti potius amoris furore, quàm rationali, illicò eiaculantur,& minori,& breuiori motu id efficiunt. Dicit deinde Auicennas minùs nocere, quia ſperma non expellitur plurima expulſione, ſicut fit in mulieribus; quaſi dicat, quod vulua attrahat ſperma conſtringendo colem; quòd dici poſſet quoque de maribus illis, qui ex Ariſtotele 4. probl. 27. cum voluptate patiuntur muliebria, vel ob meatus anteriores obcæcatos, vel ob conſuetudinem, vel ob ſpirituum abundantiam; horum enim muliebria conſtringunt perinde, ac vulua: ſed mittamus hæc obſcœna, & concludamus, coitum ſemper à ſomno eſſe exercendum.

1 Dub. non videtur, quòd coitus conueniat à ſomno ante ſcilicet exercitium, quia coitus eſt labor; quare ſi labori addideris laborem, erit verendum de indiuidui ſalute.

Reſpondetur, coitum nimium, & immoderatum eſſe reuera laborem, moderatum verò eſſe laboris leuamen. Hinc rectè Galenus in tex. dicit, poſt moderatum coitum hominem reddi agiliorem; & Celſus habet hæc verba; Moderatus concubitus eſt, quem neq; languor corporis, neque dolor ſequitur.

CAPITIS LXXXVI.
Particula III.

Tex. 19. *Horum autem ſingulorum quæ dicta ſunt qualitas in optima corporis conſtitutione eſt eligenda; exercitij quidem, in quo totius corporis partes æqua proportione mouetur, ità vt alia quidem vltra modum fatigentur, alia verò citra: cibi autem, & potus*

optimam habeant temperiem. Sunt enim naturæ conuenientiores, quæ optima fuerint prædita temperatura. Eadem in reliquis etiam eſt ratio adhibenda.

DIxit Gal. ſuperius, quòd de ratione cauſæ ſalubris hæ duæ ſolæ ſunt conditiones, debita quantitas, & debita qualitas; hactenus egit de debita quantitate cauſarum neceſſariò alterantiũ; quæ poſſunt conſeruare corpus ſaluberrimum in ſuo ſtatu. In hoc tex. agit, quomodo debeat ſeruari debita qualitas; & exemplo exercitij, & cibi eam declarat.

Hic eſt ſenſus verborum tex. optima qualitas cauſarum non naturaliũ eſt eligenda in optima corporis conſtitutione: eaque ſimilis eſſe debet: ratio eſt, quia ſaluberrimum corpus ſimilibus gaudet, & conſeruatur: dat exemplum Galen. de qualitate exercitij, cibi, & potus: incipitque ab exercitio, quod ſcilicet tunc ſit qualitas temperata exercitij, quãdo partes corporis æqua proportione mouetur: ſi verò aliquæ partes in exercitio fatigãtur vltra modum, aliquæ verò non fatigantur, vt contigit illis, qui ambulant, in quibus crura tantùm exercentur, & non brachia; vel illis, qui artes manuales ſedẽdo exercent, dicit Gal. in his non ſeruari debitam exercitij qualitatem; quoniam aliquæ partes fatigantur, & aliquæ non: Galenus in lib. de ludo paruæ pilæ laudat exercitium, quod in illo fit, quia omnes partes fatigantur. Præterea innumerabilia ſunt exercitia, in quibus totum corpus æqua proportione exercetur. Nos tamen de ſpeciebus exercitij nõ agimus, quia hic non eſt locus.

Demùm Galenus, vt pernoſcatur, quęnam ſit debita qualitas in cibo, & potu, dicit, cibum & potum debere eſſe temperatiſſimum, quia corpori ſaluberrimo æquè reſpondent, cibus & potus temperatiſſimus: ratio, cur cibus temperatiſſimus conueniat, eſt, quia pro cõſeruatione corporis ſaluberrimi ſimilia ſunt eligenda, & non contraria. Poſtremò Galenus dicit, quod dictum eſt de exercitio, & de cibo, & potu, dicendum eſt de omnibus alijs cauſis ſalubribus, vt de aere, ſomno, & vigilia, & de animi paſſionibus, &c.

1 Dub. inquit Galenus, quòd illa qualitas pro conſeruatione corporis ſaluberrimi eſt eligenda, quæ eſt ſimilis conſtitutioni corporis; quia ſimilibus, & non cõtrarijs conſeruatur: at ſic eſt, quòd motus ſemper calefacit, & ſomnus humectat; ergo non poterit inueniri ſomnus, qui nõ ſit diſſimilis corpori ſaluberrimo: corpus enim ſaluberrimum eſt in medio cõſtitutum, neque eſt calidum, vel frigidũ, neque humidum, vel ſiccum; aliquid enim dicitur calidum, quia eſt calidius ſaluberrimo, quod eſt aliorum regula; dicitur frigidum, quia eſt frigidius, humidum, quia eſt humidius ſaluberrimo, ſeu temperatiſſimo.

Reſpondetur, corpus temperatiſſimũ, ſeu ſaluberrimum non eſſe punctualiter tale, ſed habere quandam latitudinem, in qua ſunt extrema; ideò dùm illud conſeruamus, corrigimus errores quoſdam perexiguos, & inſenſibiles: ità vt cauſæ ſalubres, quæ dicuntur conſeruantes, ſint tantùm conſeruãtes quoad ſenſum, quia non conſpiciuntur lapſus corporis ſaluberrimi ſenſibiles; ſed reuera, ſi conſiderentur ſecundum naturam, ſunt cauſæ corrigentes, ſed quia corrigunt quæ inſenſibilia ſunt, non dicuntur corrigentes, ſed conſeruantes; cui dubium, quòd cibus in ſe temperatiſſimus antequam nutriat eſt omninò diſſimilis, & contrarius corpori ſaluberrimo nutriendo? patet, quia ſi eſſet ſimilis ſine alia coctione ſtatim nutriret; immò eatenus indiget coctione, antequam nutriat, quatenus eſt diſſimilis: & quantò pluribus coctionibus eget, tantò magis eſt diſſimilis; cùm igitur egeat tribus coctionibus antequã nutriat; alia in ventriculo, alia in hepate, & tertia in membris nutriendis debet eſſe maximè diſſimilis; Sed quia, dùm cibus aſſimilatur, nulla ad ſẽſum fit apparens mutatio, vt in alterantibus, & pharmacis obſeruatur; ideò dicitur cibus cauſã conſeruans, & non corrigens. Similiter exercitium, dùm non imprimit aliquam nouam, ſed ſenſibilem qualitatem, & corpus poſt exercitium maneat, vt erat ante, dicitur temperatam obtinere qualitatem.

2 Dub. Videbitur Galenus alicui diminutus, dùm hic de temperato exercitio agit;

agit: quia debebat hic repetere, quæ ab illo dicuntur ſecundo,& tertio de tuenda ſanitate,vbi dicit,exercitium fieri debere medio motu inter celerem, & tardum, vehementem, & debilem, frequentem, & rarum.

Argenterius reprehendit Gal. quod id non præſtiterit;ſed laudandus eſt,quòd in libello perexiguo nõ tractauerit,quę fusè ab ipſo tractata ſunt ſecundo,& tertio de tuenda ſanitate: agit enim hic de exercitio in communi corporis,& animi quoad rectum vſum;& quamvis de animi exercitio nil dicat; ſubintelligitur, quòd de ratione temperati exercitij animi ſit, vt nimium non excitetur, vel torpeſcat, ſed moderatis motibus vtatur.

3 Dub.Gal.declarans,quæ pertinent ad ciborum qualitatem, quæ conuenit corpori ſaluberrimo mentionem facit ſolùm de primis qualitatibus dicens, quòd cibi, & potus debeant eſſe optima temperatura præditi: omittit tamen, quæ ſunt ſummi momenti, an ſcilicet cibus, & potus ſint tenues, vel craſſi, an friabiles,vel viſcoſi, an ſint facilis, vel difficilis coctionis; quare videtur mancus.

Reſpondetur,quòd Galenus egit de cibis,& potibus cauſa exempli; neque erat neceſſarium, vt in hoc loco ageret de cibis; ſatis enim erat Galeno, vt hic doceret debitam qualitatem ciborum, quæ corpori ſaluberrimo conueniat: qui autẽ ſint cibi accommodati ſecundum omnes qualitates corpori temperatiſſimo à Gal. tractantur in li.de cibis boni,& mali ſucci, & alibi; quare in hac re Argenterius iniuſtè mordet Galenum;quia ſi Galenus vbi nominat exercitium, faceret de exercitio tractatum completum,& vbi nominat cibum,tractatum perfectum de cibis, & vbi nominat aerem de aere, & ſic de ſingulis hic tractatus Galeni eſſet valdè ridiculus, & in numero inſanorum hominum meritò eſſet collocandus: ecce quàm vanę ſunt nugę Argenterij contra Galenum propoſitæ.

4 Dub. dicit Galenus in reliquis cauſis non naturalibus,vt in aere,& alijs candẽ eſſe rationem adhibendam in perquirenda optima temperatura; at dicimus eſſe impoſſibile, vt optima aeris temperatura quoad gradum, qui omninò ſit ſimilis corpori ſaluberrimo inueniatur; aeris enim temperatura eſt adeò facilè mutabilis, vt ſit imperceptibilis; ergo non eſt verum, vt dicit Galenus, quòd eadem ratio poſſit adhiberi in perquirendis omnibus cauſis ſalubribus quo ad gradum.

Pluſquamcommentator reſpõdet,qualitatem aeris quo ad gradum nos coniectura conſequi,& nõ certa ſcientia: ſunt quoque, qui dicunt, illam eſſe aeris optimam temperaturam, quæ relata ad corpus ſaluberrimum illud conſeruat, quòd non coniectura,ſed certa experientia dignoſcitur.

Addimus tamen nos,quòd temperatura aeris non ſolùm dignoſci poſſit quatenus refertur ad corpora; ſed etiam in ſe; ità vt medium inter temperaturam calidam,& frigidam aeris exactiſſimè percipi poſſit.

Nos enim habemus inſtrumentũ, quo metimur non ſolùm aeris caliditatem, & frigiditatem; ſed omnes gradus caliditatis, vel frigiditatis omnium corporis partium, quod Patauij oſtendimus auditoribus noſtris, eiuſque vſus docuimus.

Inſuper nos inuenimus modum certiſſimum pro dignoſcenda aeris humiditate, quanta videlicet quotidie ſit; & talis eſt,ſumimus tartarum combuſtum, quod à vulgo dicitur alumen fæcis; hoc exponitur aeri, ſed antequam exponatur exactiſſimè perpenditur;& deinde mane iterum perpenditur; ſemper enim expoſitum aeri magis ponderat; nos enim pro varietate ponderis dicimus maius pondus maiorem humiditatem,& minus minorem in aere dominari; ex his igitur vltimos gradus actiuarum,& paſſiuarum qualitatum exactiſſimè percipere poſſumus.

CAPITIS LXXXVI.

Particula IV.

Tex. 20. *At ſi quod ab optima conſtitutione defecerit corpus, non autem vehementer, & ha quæ ipſius ſanitatem cauſa conſeruant, proportione mutabuntur. Sed cùm multa ſint huiuſcemodi corpora per ſingula genera verſum dic . . . Quod igitur in temperatura enarrat, inſtrumen-*

tariarum autem partium ſeruat commoderationem, duplicem habet ſalubriū cauſarum formam: alteram quidem earum, quæ ipſius conſeruant temperaturam, alteram, verò eam, quæ ad optimā transferunt. Quæ itaq; ipſius temperaturam conſeruāt, tantùm à cauſis optimè temperatæ naturæ diſtabunt, quantùm & totius corporis temperatura ab illa euariabit. Calidiora ſi quidem corpora calidioris victus rationem expoſcunt. Frigidiora autem frigidioris, & & ſicciora ſiccioris, & humidiora humidioris, ac ſecundum coniugationem calidiora, ac ſicciora, calidioris, ac ſiccioris, eadem in reliquis etiam coniugationibus proportione ſeruata.

VSque ad hunc textum excluſiuè Gal. in hac tertia libri parte egit de cauſis ſalubribus cōſeruantibus optimam corporis conſtitutionem: hæc pars libri dicitur εὐεκτικὴ, ideſt boni habitus conſeruatrix. In hoc tex. verò incipit agere de cauſis ſalubribus conſeruantibus corpora, quæ ſunt ſana, recedunt tamen, ſed non vehementer ab optima, & perfectiſſima conſtitutione.

Senſus verborum tex. eſt; ſi corpus recedit ab optima conſtitutione, ſed nō vehementer, cauſę quoque, quę hoc corpus conſeruant, debent ſecundum eandem proportionem recedere; hæc eſt regula pulcherrima: quia ſi corpus temperatum, quod tamen non ſit temperatiſſimum, aliquis medicus vellet conſeruare cibo, & potu temperatiſſimo, & aere temperatiſſimo, valdè erraret; quia conſernatio fit ſimilibus in gradu, & non diſſimilibus: omnia enim diuerſa, & diſſimilia participant aliquam contrarietatem.

Pergit Galenus dicens, quòd cauſæ, quæ conſeruant hæc corpora temperata, quæ tamen recedunt à temperatiſſimis, ſint duum generum, aliquæ conſeruant corpora in eodem ſtatu, & in eodem gradu, exempli cauſa calidum, quod recedit à temperatiſſimo per vnum gradum, conſeruatur à calido, quod recedit à temperatiſſimo ſimiliter per vnum gradū; aliquæ verò cauſæ dicuntur conſeruantes, quia ſana corpora ad melius reducunt: & hæ non per ſimilem qualitatem efficiunt, ſed per contrariam; exempli cauſa, corpus calidum vt vnum, ſi debet reduci ad temperatiſſimum, id fiet per frigidum vt vnum: ecce quod non ſolum cauſæ cōſeruantes, ſeu remedia conſeruātia, quæ per ſimilia procedunt, ęquè diſtant à temperatiſſimo, perinde ac corpus conſeruandum; ſed etiam cauſę reducentes, ideſt remedia reducentia ad melius ęquè diſtant à temperatiſſimo, vt diſtat corpus, quod reduci debet: frigidum enim vt vnum æquè diſtat à temperatiſſimo, perinde ac calidum vt vnum.

Dat exemplum Galenus de corpore, quod in organicis habeat optimam conſtitutionem: in ſimilaribus verò habeat aliquem exceſſum, ideſt temperaturam ſanam; ſed recedentem aliquantulum à temperatiſſimo corpore: dicit Gal. quòd iſte receſſus, vel hæc tēperatura aliquantulum, ſeu non vehementer recedens ab optimo, & perfectiſſimo dupliciter poſſit conſeruari, vno modo conſeruando tale corpus ſanum, quamvis non ſit perfectiſſimè ſanum in eodē ſtatu, in quo eſt, quod per ſimilia eiuſdem gradus fit; alio modo poteſt hoc corpus lapſum cōſeruari, illud reducendo ad melius, ideſt ad temperatiſſimum; Hicq; modus eſt perfectior, & non per ſimilia, ſed per contraria reducitur, ideſt calidum vt vnum conſeruatur frigido vt vnum, intelligendo per conſeruationem reductionem.

Quod Galen. dixit de vna ſimplici temperatura ab vnica ſcilicet qualitate facta, idem de coniunctis quoq; intelligit: Hinc dixit, calidiora, & ſicciora corpora per vnum gradum recedentia, ſi ad melius ſint reducenda, expoſcere victum frigidiorem, & humidiorem per vnum gradū. Similiter loquēdo de cauſis conſeruantibus in eodem gradu dicit, calidiora, & ſicciora expoſcere cibum, & potum calidiorem, & ſicciorem: ſimiliter aerem calidiorem, & ſicciorem; animi affectus calidiores, & ſicciores, & omnes alias cauſas non naturales calidiores, & ſicciores, in gradu tamen ſimiles.

Notandum tamen, Gal. admonere lib. quinto de tuenda ſanitate, cap. 10. & 11. quod non ita facilè corpora reducantur ad melius; ſicuti corpora in eodem gradu per ſimilia conſeruantur; immò dum volumus corpora ſana reducere ad me-

melius oportet expectare, vt homines non ſint negotijs impediti: idem quoq; dicit Auctor in tex. 7. huius capitis; Quæ animaduerſio non requiritur, dum corpora aliquantulum lapſa ſimilibus ſunt conſeruanda; quia conſeruatio quotidie, & omni tempore fieri poteſt.

1 Dub. dicit Galenus, cauſas ſalubres corporum non vehementer recedentiũ à temperatiſſimo æquè, ac corpora lapſa diſtare à temperatiſſimo: quòd quidem non videtur artificioſum; quia hæc regula Galeni de æquali diſtantia cauſarum, & corporum lapſorum vera eſt etiam in curandis ęgrotantibus, qui admodum vehementer diſtant à temperatiſſimo; ergo regula non erit propria ſanis tantùm, vt Galenus ab initio pepigit. Præterea Galenus loquitur de corporibus, quæ ſimilibus conſeruantur; & talia non ſunt corpora ægrotantium.

Reſpondetur, quòd Galenus intelligat de corporibus exiſtentibus in latitudine ſanitatis, quæ poſſunt, & debent duplici modo conſeruari, ideſt, in eodem ſtatu, & per contraria reduci ad melius: corpora enim ægrotantium; vel neutra nunc decidentiæ, ſeu conualeſcentiæ debent reduci ad melius, & non in eodem ſtatu conſeruari. Regula tradita eſt propoſita, quia hæc corpora ſana conſeruantur, & reducuntur ad melius, quòd non conuenit ægrotantibus.

2 Dub. dicit Galenus corpora non vehementer recedentia, exiſtentia tamen in latitudine ſanitatis duplici modo conſeruari poſſe. Primo modo ſimilibus eiuſdem gradus: ſecundo modo contrarijs reducentibus ad melius: quod præceptum vt plurimum videtur pernicioſum, quia ſi quis vellet conſeruare corpora inſalubria ſimpliciter, quæ ſunt quoque in latitudine ſanitatis, & quæ ſunt illa, quæ non vehementer recedunt à temperatiſſimo, ſimilibus illa deſtrueret, vel in ęgritudinem pelleret, exempli cauſa ſi daretur corpus frigidum & humidum ſanũ, ſed peſſimè ſanum, tunc vſu frigidorum, & humidorum ſimilium non conſeruaretur ſanum, ſed in cachexiam incideret; ergo non omnia corpora ſana ſimilibus erunt cõſeruanda, vt docere videtur Galenus. Dignũ igitur eſt conſideratione, vt perquiramus in hoc loco, an omnia corpora, quæ ſunt in latitudine ſanitatis egeāt ſimilibus pro eorũ conſeruatione.

Pluſquamcommentator per corpora non vehementer recedentia intelligit ſalubria vt multum, quia hoc ſolùm corporum genus debet in eodē ſtatu ſanitatis per ſimilia conſeruari; corpora verò neutra, & inſalubria non debent in eodē ſtatu conſeruari; ſed ſemper pro eorum cõſeruatione medicus debet vti remedijs reducentibus ad meliorem ſtatum.

Reficitur Pluſquamcõmentator, quia Gal. clariſſimè dicit, corpora frigidiora, & ſicciora expoſcere frigidiorem, & ſicciorem victus rationem ſimiliter calidiora, & ſicciora calidiorem, & ſicciorē; quare cum iſti exceſſus per ſimilia ſint conſeruandi, erunt quoque corpora neutra, & inſalubria, quæ ſunt in latitudine ſanitatis, per ſimilia conſeruanda. Pretere a Galen. in tex. dicit, multa eſſe huiuſmodi corpora; ſi igitur per non vehementer recedentia intelligeret ſolum ſalubria vt multum, non eſſent plura.

Quidam alij dicunt per corpora non vehementer recedentia à temperatiſſimo Gal. intelligere non ſolum ſalubria vt multum, verum etiam neutra corpora; putant enim, quòd ſolum inſalubria vt multum ſint illa, quæ vehementer recedant ab optima conſtitutione.

Decipiuntur, quia ſi eſt verum, ſicuti eſt veriſſimum, quòd corpora ſana ſimilibus ſint conſeruanda, ergo etiā inſalubria ſana per ſimilia erunt conſeruanda; nec valet, quod dicunt, inſalubria vt multum, veluti eſt corpus ſanũ, ſed valdè frigidũ, ſi tractaretur frigidis, incideret in cachexiam; quia ſi tractaretur frigidis omninò ſimilibus non alteraretur: alteratio enim fit per diſſimilia; fateor tamen tutius eſſe corpora frigida conſeruare per ſimilia frigida, vel quod ſint aliquantulum minus frigida; non negamus tamen, quod ſi ad unguem poſſemus inuenire omninò ſimilia, quod eſſet melius, ſed quia Æſculapius ſolus percipit manſiones ultimi gradus, ideò curandum eſt, ut tutius agatur, ne ſaltem noceamus, ut nos docet Hippocrates.

3 Dub. Gal. in tex. dicit: calidiora corpora expoſcere calidioris victus rationē; frigi-

frigidiora frigidioris: Hppocrates tamen in lib.de ſalubri dieta, & lib.de aqua,aere & locis ait,omnem exceſſum per contrarium tolli,& corpora humida, & pituitoſa bene ſe habere in ſicca aeris cõſtitutione: ſimiliter 1.epidemiorum comm.2.ait quod corpora humida in conſtitutione ſicca, tantum abſit, vt ægrotent, vt longe melius ſe habeant, quàm prius: & ratio eſt, quia liberantur illo exceſſu: ſimiliter 1. de alimentorum facultatibus cap. 1. & lib.3. cap. vltimo ait corpora intemperata in contrarijs benè ſe habere; malè verò in ſimilibus. Præterea Galenus loquẽs de oculis c.23. huius libri dicit, ſignum intemperaturarum oculorum eſſe, quod facilè lęduntur à ſuo ſimili; & iuuentur à contrariorum moderato vſu.

Reſpondetur ex Galeno in tex. conſeruationem non ſolùm fieri à ſimili in eodem gradu, verùm etiam à contrario reducente ad melius: dicimus, pituitoſa corpora à conſtitutione ſicca reduci ad meliorem ſtatum. Præterea dùm dicit, corpora intemperata ſana malè ſe habere in ſimilibus,per ſimile intelligit ſimile in genere,& non in gradu: exẽpli cauſa biliosi homines lęduntur à vino maluatico, tunc ſi maluaticum eſſet ſimile in gradu non læderet: lædit quia eſt calidus homine bilioſo, & quatenus eſt calidus, eſt contrarium in gradu,& non ſimile, aqua enim tepida reſpectu feruentis dicitur frigida: ſimiliter calor primi gradus habet vim refrigerandi calida ſecundi gradus: dicimus igitur nullum corpus lædi à ſuo ſimili in gradu,poſſe tamen lędi à ſuo ſimili in genere, veluti minus calidum à maiori calore.

4 Dub. conſeruatio per ſimilia ex Galeno lib. ad Traſyb. cap.19.& 28.eſt quędam correctio inſenſibilis, at ſic eſt quòd ſimile, vt ſimile nihil agit, agens enim ex Ariſtot. in contrarium, ſeu diſſimile agit.

Reſpondetur ex Galeno 3. de ſimplici medicina cap.11.& 12. quòd ſimile tripliciter ſumatur,ſcilicet, ſimile minus, ſimile æquale, & ſimile maius: poſita hac diſtinctione, dicimus, ſimile æquale eſſe omninò eiuſdem manſionis, & hoc eſſe omninò ineptum ad agendum, & corrigendum; ſimile enim hoc eiuſdem manſionis, quod eſt idem quòad temperaturam,per ſe non agit;auget tamen eamdẽ molem: quo fit, vt corpus magis reſiſtat contrarijs, & hoc modo dicimus, ſimile æquale per accidens conſeruare. Alij inueniant meliorem ſolutionem: nos illos ad ſydera extollemus, & mutabimus opinionem.

5 Dub. videtur, quòd neque corpora lapſa, neque temperatiſſima debeant ſimilibus conſeruari,vt nos docet Galenus in text. & plerſque alijs in locis. Ratio dubitationis eſt,quia Gal.lib. ad Thraſyb. cap.19. & 28.cenſet, totam artem medicam eſſe correctiuam: & correctionem ſemper fieri per contraria, & non per ſimilia.

Reſpondetur ſimilia dupliciter quoq; conſiderari,primo modo, vt ſunt ſimilia in qualitate, vel in eodem gradu,& manſione: & hoc modo dicimus,quòd hęc ſimilia in eodem gradu, & manſione per ſe non poſſint corrigere, videlicet,neque ſenſibiliter, neq; inſenſibiliter, ſecundo modo conſiderantur ſimilia, quatenus eadem corpora per maiorem molem multiplicata diutius reſiſtunt: & interim naturam corrigunt inſenſibiliter, & ſic intelligimus,quòd ſimilia poſſint conſeruare corpora lapſa.

6 Dub. Galenus in tex. dicit, corpora calidiora conſeruari calidioribus, frigidiora frigidioribus; contrarium tamen habetur lib.6.de tuen. ſanit. cap.3. vbi dicit: corpora calida, & frigida conſeruari per contraria, ſicca verò, & humida per ſimilia.

Reſpondetur, Galenum loco cit. non abſolutè aſſerere calida, & frigida per contraria conſeruari, ſed tutius eſſe, vt conſeruentur corpora calida, & frigida per contraria; ſicca verò, & humida tutius per ſimilia:Ratio eſt,quia committitur error in actiuis ſimilibus; imminet periculum, ne in morbum cadat corpus; exempli cauſa, ſi calidum volueris conſeruare calidis paulò intenſioribus facilè calorem intẽdẽdo, febrim efficies:idem dicendum de frigidis; de humidis verò, & ſiccis qualitatibus id non euenit; quia ſi volueris conſeruare humidum temperatum paulò humidiori qualitate, nihil mali efficies.

CA-

CAPITIS LXXXVI.

Particula V.

Tex. 21. *Recte ſi quidem cauſarum vtetur materia, qui naturales earum potentias agnouerit, veluti quod motus, defectus alimenti, vigilia, excretio, & omnes animi affectus corpus exſiccant, atque his contraria exiſtunt, humectant. Ità verò & calefacientia, & refrigerantia vitæ instituta, & ciborum, ac potuum, atquè vt ſimpliciter dicam omnium, quæ corpori afferuntur, materias quis noſcens, atque potentias, ſalubribus vtetur cauſis ſimilia ſimilibus afferendo: ſi quidem eius propoſitum fuerit in eodem in quo acceperit, corporis ſeruare temperaturam.*

IN tex. ſuperiori Galen. dixit, corpora lapſa, vel eſſe conſeruanda in eodem ſtatu per ſimilia: vel reducenda ad melius, quod fit per contrarium æquè diſtans à ſaluberrimo, vt declaratum eſt ſuperius.

In hoc tex. dicit, Medicum tunc rectè vti materijs auxiliorum, quando cognoſcit virtutes cauſarum ſalubrium: per materiam auxiliorum intelligit ſex res non naturales: aerem ſcilicet, cibum, & potum, ſomnum, & vigiliam, excreta, & retenta, animi affectus, motum, & quietem, quaſi dicat: Galenus, qui optimè cognouerit, quantùm, & quomodo ſex res non naturales calefaciant, refrigerent, humectent, & exſiccent, ſciet tùm conſeruare corpora lapſa, tùm reducere ad meliorem ſtatum.

Eandem ſententiam habet Galenus 7. methodi cap. 3. dicit enim optimam curationem fieri, præcognita copia materierum, ſcilicet remediorū, & recto vſu, qui conſiſtit in debita quantitate, & qualitate materiarum remediorum. Idem repetit Gal. 1. de tuenda ſanitate, capite vltimo, vbi habet hanc ſententiam; neceſſe eſt, ſi medicus vult mederi, vt pernoſcat virtutes cauſarum ſalubrium, & dextrum illatum vſum ideſt tempus opportunum, & modum vſus.

1 Dub. non videtur, quòd quantum ſex res non naturales calefaciant, refrigerent, exſiccent & humectent ſit perceptibile; quia ſolum Æſculapius quantum agendum, vt dicit Galenus primo ad Glauconem in principio, & 3. meth. 7. poteſt penetrare.

Reſpondet Pluſquamcommentator, & rectè, quod à ſex rebus non naturalibus corpora calefiant ſubiectiuè, & non effectiuè; exempli cauſa, corpus quieſcēdo redditur humidius iuſto; quia dū corpus quieſcit non alteratur, vnde ſua humiditate fruitur; ecce quod quies humectat non effectiuè, ſed ſubiectiuè, quia à quiete, nequè ab alijs cauſis nō naturalibus non introducuntur effectiuè paſſiones calidę, vel frigidæ, humidæ, vel ſiccę; dubitatio igitur non videtur ad rem facere; Hinc ab Hippocrate cauſæ externæ non vocantur cauſæ, ſed ſolum occaſiones diſponentes ſubiectum.

2 Dub. dicit Galenus, Medicum rectè vti materijs auxiliorum, ſi naturales virtutes, & potentias agnouerit, quaſi quòd ſine vlla cognitione cauſarum accidētalium ſalubrium medici ſciant mederi; quod quidem dici nō poteſt, quia vt plurimum cauſæ diſponētes ad morbos, tàm conſeruantes, quàm curantes virtute & potentia aſcititia, & accidentali operantur; videmus enim quòd aperientia, & calefacientia refrigerant virtute accidētali, quatenus ſcilicet & calefaciendo aperiunt, & aperiendo tollunt prohibitā perſpirationem. Similiter Galen. 11. methodi cap. 20. habet hæc verba; *Caueant habentes crudos ſuccos in frigido ſolio diutius immorari: tranſpiratio impeditur, & prohibita, augetur calor*: ecce quod à cauſis frigidis fit morbus calidus. Iridē Gal. lib. de cauſis morborum 2. dicit, quod motus, adhæſus, & alimentum calidum per ſe habent potētiam calefaciendi, per accidēs uerò quatenus ſcilicet reſoluūt, habere potentiam refrigerādi; quare tot erunt cauſæ, quę uirtute accidentali operantur, & fortè plures, quam cauſæ quæ operantur per ſe, & per naturalem potentiàm; ergo cum Galenus non fecerit mentionem de cauſis non naturalibus, quæ potentia accidentali poſſunt & conſeruare corpora ſana, & ea ad meljus reducere, erit mancus, ſeu diminutus.

Argenterius non ſoluit dubium, ſed uidetur reprehendere Galen. quod ſcilicet

licet de potentijs aſcititijs nil dicat: Nos verò dicimus nomine virtutum naturalium intelligere etiam aſcititias uirtutes, & accidentales: nonne nimius calor habet potentiam naturalem reſoluendi, & per conſequens refrigerandi? Similiter quæ habent vim obſtruendi, habent quoque vim prohibendi perſpirationem, & hæc habent naturalem vim putrefaciendi: immò Ariſtoteles 2. phyſicorum dicit, quod cauſæ accidentales ſint quidam receſſus à naturalibus, eaſque fundari in naturalibus: quare nimius motus, poſtquam calefecit, reſoluendo refrigerat. Quod dicimus de motu, de alijs quoque cauſis non naturalibus dici poteſt, quod ſcilicet quæ per accidens ab illis fiunt, fiant per potentiam, & virtutem earum naturalem.

3 Dubitat. dicit Galenus, quod defectu aliméti exſiccatur corpus; quia calor naturalis, dum non agit in alimentum depaſcit humidum naturale, vnde ſiccitas: cæterum defectu alimenti corpora bilioſa calefiunt, quia tunc bilioſi humores magis accenduntur, & pituitoſa temperantur.

Reſpondetur, Galenum conſiderare cauſas non naturales reſpectu temperatiſſimi; corpora enim bilioſa, & pituitoſa recedunt à temperatiſſimo, ideò dubitatio eſt nulla.

4 Dub. non uidetur, quod defectus alimenti ſemper exſiccet: immò Hippoc. 7. aphoriſ. 9. dicit, carnes humidas habentibus famem præcipere oportet; ſi igitur fames, ſeu alimenti defectus iuuat, non iuuat exſiccando, ſed concoquendo, & fundendo, & demum corpora ſecundum internas partes ſubſtantificè meliùs humectando.

Reſponderi poteſt alimenti defectum per ſe exſiccare; per accidens uerò humectare poſſe.

5 Dub. dicit Galenus uigiliam exſiccare, quod non videtur; quia ob vigiliam augentur cruditates, & humiditates.

Reſpondetur ob vigiliam augeri humidum extraneum, & non radicale, & ſubſtantificum, de quo loquitur Galenus. Hinc 12. methodi cap. 3. & alibi docet, ſomnum concoquere, & vigiliam digerere: concoctio eſt elixatio ob quam humectamur: digeſtio verò eſt euacuatio, vel humorum tranſpoſitio à centro corporis ad circumferentiam; vnde dum fit digeſtio, interna viſcera exſiccantur; dũ verò fit concoctio, humectantur; Hinc Hippocrates 6. epid. comm. 4. tex. 23. dicit, vigiliam eſſe edacem, quia exſiccat humidum corporis ſubſtantificum.

6 Dub. dicit Galenus, quòd euacuatio exſiccat, quod eſt falſum, quoniam ob nimiam hæmorrhagiam ſemper fit cachexia, & hydrops, ideſt nimia totius corporis humiditas.

Reſpondetur, in magna hæmorrhagia euacuari ſpiritus, & vires amitti: vnde hæmatoſis ſeu ſanguificatio debilitatur, & inde non ſanguis fit, ſed aqua, quæ, cum non attrahatur à toto corpore, relinquitur in abdomine, & fit hydrops, quippe per accidens ſequitur, & non per ſe.

7 Dubitat. dicit Galenus, omnes animi affectus exſiccare, quod non videtur, quia gaudium humectat, & non exſiccat.

Reſpondent Pluſquamcommentator, & rectè, omnes immodicos animi affectus exſiccare; quare ſi pericharia, ideſt nimio gaudio aliquis afficitur, putat, quod etiam gaudium exſiccet.

Reijcitur Sclanus qui dicit, dari aliquos affectus immoderatos, qui non exſiccẽt; ſicuti eſt nimia animi deſidia, quæ ex Galeno 1. de ſanitate tuenda cap. 8. refrigerat, & non exſiccat: ſed re vera errat Sclanus, quia nimia animi deſidia reducitur ad nimiam corporis quietem, & non ad animi affectus. Præterea maxima deſidia non eſt affectus immoderatus, ſed diminutus, ne dicam ablatus.

Sclanus reſpondet, Galenum per omnes animi affectus intelligere illos, de quibus fecit mentionem, qui ſunt ira, triſtitia, furor, timor, & inuidia. Quæ expoſitio eſt ſine vllo artificio, atque eſt voluntaria: quoniam Galenus mentionem facit, & in hoc libro, & alibi de alijs animi affectibus.

CAPITIS LXXXVI. Particula VI.

Tex. 22. *Quòd ſi permutare, atque ad meliùs traducere ſtatuerit, alterum eſt hic ſalubriũ cau-*

cauſarum genus, his quidem quas nuper diximus contrarium: æqualiter verò declinans ad alteram partem à benè temperatis, & medijs, quæ optimis conuenire naturis dicebamus, calidior ſiquidem, ac ſiccior temperatura, à calidioris, ac ſiccioris victus ratione ad exactiſſimum bonæ temperaturæ habitum minimè transfertur. At talium erit vſus neceſſarius, quæ tantùm eis, quæ benè temperata exiſtunt frigidiora ſint, atquè humidiora quantùm, & natura naturam in caliditate, & ſiccitate ſuperabat.

SVperius Galenus docuit, quomodo corpora ſana, ſed recedentia à temperatiſſimo ſimilibus poſſint in eodem ſtatu conſeruari. In hoc tex. docet, quomodo hæc corpora lapſa, ſeu recedentia poſſint conſeruari ea transferendo ad meliorem ſtatum.

Senſus verborum text. eſt, ſi medicus voluerit corpora ſana traducere ad meliorem ſtatum: non debet vti cauſis ſimilibus, ſed contrarijs; quæ tamen tantùm diſtent ab optima conſtitutione, quantùm diſtant corpora lapſa: exempli cauſa, calidum vt vnum, ſi debeat reduci ad tēperatiſſimum ex Galeno requiritur frigidum vt vnum: ſed ſic eſt, quòd tantùm diſtat calidum vt vnum à temperatiſſimo, quantùm frigidum ut vnum; quare ſemper erit ueriſſima regula Galeni, quòd cauſæ, quæ ſanant, vel conſeruant æquè diſtant à temperatiſſimo, perinde ac corpora ſananda, vel conſeruanda: nunquam enim dicit Galenus, temperaturam calidiorem, ac ſicciorem à victus ratione calidioris, & ſiccioris reduci ad exactiſſimum habitum bonæ temperaturæ; ſed à victus ratione frigidioris, & humidioris, quæ æquè diſtant ab optima conſtitutione.

1 Dub. proponitur à Pluſquamcommentatore, quæ eſt, naturalia temperamenta recedentia ab optima conſtitutione, ſana tamen, non debent transferri ad optimam; quia temperamenta naturalia, ut dicit Damaſcenus, ſunt inſeparabilia; citatur quoque Ariſtoteles 2. Ethicorum, cap. 1. vbi dicit, quod eſt à natura, aliter non aſſueſcere, dicit enim ſi quis millies ſurſum proijceret lapidem, nunquam aſſueſceret. Preterea Galenus primo de vſu partium cap. 9. dicit, temperamentum eſſe ſubſtantiam partium, & 3. de temperamentis cap. 4. habet hæc verba, idem dico temperamentum, & vniuerſam ſubſtantiam.

Similiter Auicennas prima primi doct. 3. cap. 1. ait, ſi propria complexio mutetur aut morietur æger, aut ſanus non conſeruabitur; quibus poſitis non erit uera Gal. doctrina, dùm docet, quòd temperamenta propria, quamuis ſint lapſa, debeant mutari, & transferri ad meliorem ſtatum, qui ſit omnium perfectiſſimus. Præterea experientia confirmatur, dùm aqua feruefit, quæ ſit prout vis ardens, ſi naturę proprię derelinquatur, paulò poſt ad priſtinam frigiditatem conuerti; ecce igitur, quod eſt impoſſibile, ut temperamenta naturalia ſana, qualia ab ortu naturę originem habuerunt, non poſſint reduci ad optimam, & omnium perfectiſſimam conſtitutionem. Poſtremò ſi temperaturæ poſſent ad melius mutari, ſequeretur quoque, quòd ſenes fieri poſſent iuuenes; quia qui ſenem frigidum reddere poſſet calidum, & humidum, illum quoque poſſet reddere iuuenem, & immortalem, quod eſt ridiculum.

Solutio eſt facillima, ſi diſtinxerimus temperamentum, aliud videlicet eſſe primigenium, & naturale, quod nunquam mutatur, dùm homo viuit; aliud verò eſſe aduentitium: qua poſita diſtinctione, & à nobis fusè declarata 4. methodi vitandorum errorũ in principio aſſerimus, originale, & primigenium quo ad eius naturã & eſſentiam eſſe impermutabile; idem Gal. 2. aphoriſm. 34. dicit, temperaturam ſcilicet, quæ ex primis elementis fit, uocari naturam, & formam corporis; quid enim eſt in viuente impermutabilius, quàm natura, & forma corporis?

Similiter 6. epid. 5. tex. 1. Hipp. dum dicit, naturam eſſe morborum medicatricem, intelligit per naturam originale tēperamentum, quod eſt in corpore ægro, & ſano ſemper impermutabile, eſtq; inſertum partibus ſpermaticis, & ſicuti frigiditas eſt ita aquæ inſerta, ut reddita ab igne feruentiſſima nunquam amittat potentiam, donec eſt aqua, refrigerandi; ſimiliter originale temperamentum, dum viuit animal, ſemper perſeuerat; quare

dum

dum Galenus docet in tex.temperamentum eſſe reducendum ad melius, intelligit de temperamento aduentitio, & non de primigenio: Similiter de ſenibus dicimus, eius temperamentum aduentitium calefaciendo, & humectando mutari, non tamen primigenium.

2 Dub.dicit Galenus, corpora lapſa, ſanáque reducenda eſſe ad optimam cõſtitutionem per contraria. Quod quidem ſi eſſet verum ſequeretur, quod nulla eſſet differẽtia inter curationẽ ægrorũ, & reductionem ſanorũ ad meliorem ſtatum.

Reſpondetur, in curatione reſpici ſtatum præter naturam. In reductione ſtatum naturalem.

3 Dubitat. ab æqualibus non prouenit actio, ergo calidum vt duo non ſuperabitur à frigido vt duo; quare falſa videbitur eſſe Galeni regula, quod ſcilicet cauſæ ſalubres reducentes corpora lapſa ad meliorem ſtatum æquè diſtent à temperatiſſimo.

Reſpondetur, mutationem eſſe duum generum, aliam reſpicere mixtionem, & per mixtionem ad mediocritatem tẽdere, & hanc ſolùm ab agente æquali fieri; quia calidum vt vnũ cum frigido vt vnũ miſcetur, & per mixtionem mixtum tẽperatum ſeu mediocre fit: Aliam eſſe mutationem, quæ pro fine non habet mixtionem temperatam ſeu mediocrem, ſed victoriam, quæ requiritur in generationibus, & hanc non poſſe fieri ab æquali virtute, quia in hac requiritur victoria. Præterea in prima mutatione, quæ reſpicit mixtionem, & mediocritatem, & quæ fit ab Agente æquali per iteratas vices frigida vt duo applicantur calidis ut duo, & ſic ſenſim introducitur temperatura mediocris.

4 Dubit. ex Ariſtotele in poſt prædicamentis cap. de oppoſitis dicit, dum alieni ſecundum naturam vnum ineſt, fieri nõ põteſt, vt illi alterum oppoſitum inſit: exempli gratia igni ineſt caliditas: frigiditas, quæ eſt oppoſita caliditati, nunquam inhærere poterit: ſimiliter temperatura ſicca non fiet humida, ideò nõ mutabitur qualitas, & introducetur alia, quare reductio ad melius nõ fiet per contrarium.

Reſpondetur, dum introducũtur proprietates, & qualitates nouæ, id euenire, quia mutatur ſubiectum. Bilioſa corpora ſunt calida, ſi verò euacuabitur bilis, & refrigerabuntur viſcera, reſultabit nouũ ſubiectum, quod eſt frigidum, & nouæ emergent qualitates; in viuente tamen debet introduci temperamentum contrarium paulatim, quia violentia ſemper tendit ad viuentis deſtructionem.

5 Dub. Gal. dicit, quod cauſa ſalubris, quæ reducit corpus lapſum ad optimum ſtatum æquè diſtat à tẽperatiſſimo; quod non videtur verum, quia cauſę ſalubres temperatæ quoque iuuant; patet ex Galeno 3.de ſimplici medicina, temperatiſſimum, ſi applicetur corpori calido, aliquantulum refrigerare; ſi igitur multoties iterabitur, vel applicabitur calidum vt vnum alicui ſubiecto, illud reducetur ad temperatiſſimum.

Reſpondetur, vt dictum eſt ſuperius, applicationem cauſarum ſalubrium reducentium corpus ad optimam conſtitutionem non reducere per victoriã agentis, vt euenit in generationibus; ſed per mixtionem tendere ad mediocritatem, quod cùm ita ſit, nunquam calidum vt vnum fiet temperatum per cauſam ſalubrem temperatiſſimam; mixtum enim ex temperatiſſimo, & calido ut vnum ſemper erit calidius temperatiſſimo; quod dictum eſt de calido ut unum, de omnibus temperamentis dici poteſt.

CAPITIS LXXXVI.
Particula VII.

Tex. 23. *Nam tale cauſarum genus naturales corrigit intemperantias, alterum verò de quo ſupra diximus temperaturam conſeruat. Eſt autem vtriuſquè viciſſim apud medicos vſus neceſſarius: nam cum plurimum ſuppetit ocij, corrigere oportet ac ſenſim ad meliora transferre. Nequè enim naturæ patitur eas, quæ ſubitò fiunt alterationes: hominem autem neceſſarijs occupationibus diſtrictum, in eodem præſtat habitu conſeruare.*

IN hoc text. tria facit: in prima parte reddit rationem illius, quod dixit in fine tex.ſuperioris, cur .ſ. dum volumus transferre corpus calidum, & ſiccum, exempli gratia, vt duo tẽperatiſſimum,

ſimum, id fiet per cauſas frigidas, & humidas vt duo: ratio, quam affert in principio huius tex. eſt, quia tale cauſarum genus corrigit naturales intẽperaturas per contrarium; & quia vni vnum eſt cõtrarium, vt fusè probauimus cum Gal. in hoc lib. & in lib. 11. methodi noſtræ, ideò ſolũ frigidum, & humidum vt duo erit cõtrarium calido, & ſicco vt duo frigida enim vt tria neq; vt quatuor, neq; temperatiſſima vnquam poterunt reducere corpora calida & ſicca vt duo ad mediocritatem.

In ſecunda parte dicit, quod in corporibus lapſis pro eorũ cõſeruatione debeamus vti modò ſimilib. & modò cõtrarijs in eodẽ gradu: in tertia parte docet, quãdo vti debeamus pro cõſeruatione remedijs ſimilibus; & quando remedijs reductiuis ad tẽperatiſſimum; dicit igitur, nos ſemper ſimilibus vti poſſe; nõ tamen ſemper reductiuis remedijs; ſed ſolum quando fuerit homo diſtrictius occupationibus, & negotijs, quia ſenſim, & cum maxima præmeditatione eſt faciẽdũ; natura enim non patitur ſaltus, nec tranſitus repentinos ab vno ad aliud extremum; Hinc rectè dicit, conſeruationẽ eſſe ſemper faciendam per ſimilia, ſit homo quãtumvis occupatus; ſed per contraria non ſic ideò Gal. 5. de tuenda ſanit. c. 10. & 11. dicit, qui ad melius debet reduci, vitam agat liberam, vt poſſit propriæ ſanitati indulgere, poſſit comedere, dormire, & quieſcere quando oportet.

1 Dubit. dicit Galenus, corpus lapſum eſſe reducendum ad temperatiſſimum, quod præceptum non videtur vniuerſale; Gal. 5. de tuenda ſanitate c. 10. docet, conſuetudines vitioſas in ſenibus, & alibi ait, in debilibus, non eſſe mutandas. (Nos de hac re fusè egimus lib. 4. de conſuetudine) quòd cùm ita ſit, Galeni præceptum non erit vniuerſale, quod ſcilicet corpora lapſa ob malam conſuetudinem ſint ſemper reducenda ad melius.

Reſpondetur, præceptum eſſe vniuerſale, ſcilicet non ſolùm corpora lapſorum ſenum, & debilium eſſe reducẽda ad melius; ſed etiam corpora ægrotantia debilia, & annis obſita; ſed cum hoc nõ poſſit fieri ſine vitę periculo, ideò reductio non eſt tentanda; eſt Galeni præceptum 2. ad Glauconem cap. 2. his verbis prolatum; *Videas ne incidas in illum ſermonẽ, morbus curatus eſt, homo autem perijt;* Hęc eſt cauſa cur malæ conſuetudines, & temperamenta aduentitia in ſenibus, & debilibus non ſint mutanda; ſæpè enim, dùm remedijs tentamus debilem, vel ſenem reducere ad melius, adeò illorum vires læduntur, vt prius pereant, quàm mutentur.

2 Dub. dicit Galenus in hoc tex. quod natura non patimur eas alterationes, quę ſubitò fiunt; idem dicit Hippoc. 2. aphoriſmorum 51. his verbis: plurimùm, atq; repente euacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel quomodolibet mouere periculoſum, quia omne nimiũ eſt naturæ inimicum: Galenus in comm. dicit, naturam conſiſtere in quadam ſymmetria, & mediocritate; ſubitaneæ verò motiones euertunt ſymmetriam; nihilominus contrarium obſeruatur, quia in plethora aliquando ſanguis euacuatur vſque ad lipothymiam: in peracutis morbis confert tenuiſſimus victus. Præterea criſes repentinas natura tolerat ſumma cum delectatione.

Reſpondent nonnulli, in hominibus ſanis, repentinas mutationes eſſe periculoſas, & non in ægris; quia ægri trãſeunt à ſtatu præter naturam ad ſecundam naturam: ſed non tollunt dubium, quia vbi magnum frigus excitat dolorem in digitis, ſubita excalefactio eſt ingratiſſima; ſimiliter ſi in ægris derepẽte vtamur victu tenuiſſimo, id fit ſine delectatione ægrorum, & ſine trãſitu ad ſtatum naturalem; ideò dicimus etiam in ægris eſſe malum, fierique has repentinas mutationes, vt euitẽtur alia mala magis periculoſa. Hinc in morſu ſerpentis derepente abſcindimus partem; in gangræna vtimus; in lithiaſi veſicæ inter teſtes & anum ſectionẽ ſubito facimus; ecce quod multa medicus perpetrat gratia euitandi mala maiora; concludimus ergo & in ſanis, & ægris repentinas mutationes in ſe conſideratas ſemper eſſe malas; eas tamen effici, vt maius euitetur malum.

3 Dub. Galenus ſuperius docet, corpora lapſa eſſe reducenda ad optimam conſtitutionem per contrarium è diametro oppoſitum; in hoc tex. verò inquit, alterationes ſubitò factas naturam non pati;

pati: ſed ſic eſt, quod mutatio inter contraria è diametro non ſenſim fit, ſed cum violentia, & ſubito; ergo ſibi contradicit.

Reſpondebat Pluſquamcommentator ad hanc Galeni apparentem contradictionem vario modo, primò dicit, dũ reducimus corpus lapſum per contrarium è diametro oppoſitum, ſumi contrarium in minori gradu; ſed illud continuando ſenſim efficere, quod æqualia in gradu feciſſent; ſecundo ait ſumi quæ ſunt contraria in minori gradu; deinde ſenſim augeri gradus, donec corpus aſſueſcat: tertiò dicit, quòd ſumantur contraria æqualia, ſed non ſubitò applicari; ſed per inducias, & interualla; quia ſic natura aſſueſcet: quartò quòd contraria ſumantur in eodem gradu, ſed ea applicari in pauca quãtitatẽ, ne violenter, & ſubitò mutẽtur.

Quæ Pluſquamcommentatoris præcepta optimè conſentiunt Hippocrati, & Gal. 6. epid. com. 2. tex. 26. vbi docet, contraria eſſe adhibenda, & mox interquieſcendum: exempli cauſa, ſi quis quotidie coitu vtatur, ſed propter æſtatem, vel imbecillitatem nullo modo iuuet, non debet ſtatim ſe in poſterum à coitu omninò abſtinere; ſed praua conſuetudo debet ſenſim auferri: in primis ſolum alternis diebus ſemel coitus exercetur: deinde quaternis, & deinceps octonis, & deniq; ſemel in menſe; & tandem poterit omninò omitti; eodem modo Hippocrates, & Galenus docent eſſe procedendum, dum dicit, nos interquieſcere, & ſenſim naturam aſſueſcere.

CAPITIS LXXXVI.

Particula VIII.

Tex. 24. *Quo pacto igitur, & hoc ipſum primum cauſarum genus conſeruatiuum appellamus? nam forte magis alteratiuum, & curatiuum, & naturalium defectuum correctiuum vocare conueniat. Quoniã ad vniuerſum ſanitatis genus referentes, non ad eas, quæ ſecundũ ſpeciem differentias quæcunque ſanos conſeruant, conſeruatiua omnia vocamus: ſiue præter id, quod ſanitatem conſeruant ad melius, totam traducant temperaturam, ſiue priſtinum tantũmodo habitum tueantur; atquè deteriorem ſtatum efficiunt, inſalubria.*

SVperius declarauit, corpora lapſa ab optima conſtitutione duplici cauſarum genere poſſe conſeruari: vno reducendo per contraria ad melius, ſecundo conſeruando in eodẽ ſtatu per ſimilia. In hoc tex. Gal. proponit dubitationem, & eam ſoluit.

1 Dub. Galeni eſt, quomodo primum genus cauſarum ſalubrium, quòd ſcilicet per cõtraria reducit corpus lapsũ ad melius poſſit dici cõſeruatiuũ; an ne procedit alterãdo per contraria? an ne corrigit defectus naturales alterãdo in cõtrariũ? quare potiùs debet dici curatiuũ, quàm conſeruatiuum: curatio enim per contraria: cõſeruatio verò per ſimilia procedit.

Soluit Galenus dubium, quod cauſæ ſalubres reductiuæ dupliciter poſſint cõſiderari, vel reſpectu totius generis ſanitatis, ideſt, totius latitudinis ſanitatis, vel reſpectu alicuius ſpecificæ differentiæ ſanitatis: dicit Galenus quod primo modo, ideſt reſpectu totius latitudinis, cauſæ reductiuæ ad melius dicantur conſeruatiuæ, & non curatiuæ, quatenus ſcilicet conſeruant corpus lapſum in ſanitatis latitudine, genere diſcrepante à latitudine ægritudinis.

2 Dub. Galenus lib. ad Traſyb. cap. 30. docet, totam artem medicam eſſe correctiuam, ergo nulla eius pars vocanda erit conſeruatiua.

Solutio colligitur ex Galeno cap. 19. & 20. eiuſdem libri: vbi dicit totam artem eſſe correctiuam. Sed quando per artem medicam corrigimus errores inſenſibiles dici conſeruatiuam: quando verò corrigimus errores ſenſibiles, dici curatiuã quomodo verò correctiua dicatur, dum conſeruat in eodem ſtatu corrigendo errores inſenſibiles, Galenus declarat exẽplo vnius dolij, quod ſit aqua vel alio liquore plenum, & per totum, vndiquè paruulis foraminibus pertuſum: ait ſi quantùm egrediatur, tantùm per ſupernum orificium imponatur, dolium conſeruari ſemper plenum: tamen hæc eſt conſeruatio; & fit nihilominus corrigendo.

Differentia inter curationem per ſimilia, & reductionem per contraria eſt, quia curatio fit confeſtim, & cum aliqua violentia; reductio vero fit ſenſim, & ſi-

ne

ne violentia. Similiter reductio fit in eadem latitudine:curatio fit per contraria, quæ trãſferunt corpus è latitudine ægritudinis ad latitudinem ſanitatis.

3 Dub. dictum eſt ſuperius, Galenum per inſalubre intelligere male ſanum,ſed non ægrum, & hanc opinionem eſſe cõmunem: eamque nos laudauimus: Galenus tamen in hoc tex.dicit, quæ deteriorem ſtatum efficiunt, & introducunt ægritudinem eſſe inſalubria;quare hoc nomen inſalubre dicit cõtineri in latitudine ægritudinis; ergo inſalubre non dicit ſolùm actu male ſanum,ſed ſignificat quoque actu ægrum.

Solutio noſtra eſt, quod in doctrina definitiua ſumpta fuerunt tria nomina, ideſt ſalubre, inſalubre, & neutrum,quæ ſunt æquiuoca; quia ſignificant multas, & varias naturas cauſarum, corporum, & ſignorum:modò enim inſalubre ſumitur pro eo quod eſt actu ſanum, ſed male ſanum,modò pro eo quod eſt actu ægrũ; idem dicimus de cauſis, modò ſcilicet ſignificare cauſas ſanas,& modò nõ ſanas.

CAPITIS LXXXVI. Particula IX.

Tex. 25. *Quacunque igitur ſimilem habent in omnibus corporis partibus intemperiem,eadem egent pro curatione,qua verò diſſimilem, diſſimili. Nam fieri poteſt vt ventriculus frigidior ſit,quàm oporteat: caput verò calidius,atq; vtrunq; proprijs egeat auxilijs, ac ratione eadem ſingula alia partes cùm fuerint,aut præter modum humidiores,aut ſicciores, aut calidiores,aut frigidiores ſua intemperiei victum exigunt accommodatum. Neque igitur modo eodem omnes tales corporis partes exercebimus,neq; æqualiter humectabimus,aut exſiccabimus,aut tale aliud quippiam agemus. Plenius verò de his diximus volumine illo, quod de ſalubribus inſcribitur.*

EGit in textibus ſuperioribus de corporibus lapſis in temperamẽto ab optima conſtitutione. Sed cùm hæc corpora intemperata, quæ ſunt quoque ſana,habere poſſint vel lapſum ſimilem in omni corporis parte, vel diſſimilem, vt videlicet in vna parte corporis ſit vnus lapſus,in alia alius,& egerit de modo conſeruandi corpora,quæ ſunt lapſa lapſu ſimili ſecundum totum corpus; ideò in hoc text. declarat, quomodo ſint conſeruanda corpora, quæ lapſu diſſimili ſunt intemperata.

Senſus tex.eſt,corpora, quæ habent lapſum ſimilem ſeu intemperiem ſimilem in omnibus corporis partibus, eadem egent conſeruatione:exempli cauſa, ſi totum corpus,& partes eius inclinãt ad calidam,& ſiccam naturã, hoc corpus cum ſuis partibus, vel conſeruamus in eodem ſtatu ſimilibus æqualibus,ideſt,eiuſdem gradus, vel reducimus ſenſim ad melius per cauſas contrarias, tantùm diſtantes ab optima conſtitutione, quantùm diſtant corpora reducenda.

Si verò corpora habẽt lapſum diſſimilem, vtimur diſſimili conſeruatione, vel reductione ad melius; quia vna pars erit iuſto frigidior,alia calidior; vna igitur erit conſeruanda vno modo; alia alio.

Deinde Galenus dat exemplum, quomodo corpus habeat diſſimilem lapſum; & dicit, fieri poſſe, vt ventriculus frigidior ſit quàm oporteat: & caput ſit calidius; tunc vtrunque, ideſt caput,& ventriculus indigent proprijs auxilijs; quia auxilia pro ventriculo debent eſſe calida; pro capite frigida.

Pergit deinde Galenus admonẽs,quòd dictum eſt de ventriculo, & capite, eodẽ modo dici de qualibet corporis parte.

Neque igitur modo eodem. In hac ſecũda parte declarat modum, quomodo cõſeruari debeant hæc corpora habentia lapſum in temperamento ab optima cõſtitutione; dicitque, ſi corpus totum inclinat ad frigidum,vtimur motu,& exercitio; Sed vario,& diſſimili,ſi varij,& diſſimiles ſint affectus; exempli gratia. Si vẽtriculus eſt frigidus,exercitium, quod fit equitando eſt conuenientius, quã deambulando, quia ſedendo contrahitur abdomen, & omentum ad pylorum, & ventriculum: vnde,& ab exercitio,& à partibus circumiacentibus calefit ventriculus. Itidem ſi pulmo ſit frigidior, quam oportet, vtimur cãtu, vel ſermone aliquo vehementi, quali Concionatores, vel Oratores vti ſolent.Similiter ſi mammillæ ſint frigidiores, & debiles ad prõptius, & perfectius lac generandum, iuuantur;ſi vtantur exercitio brachiorum, vel

vel abluendo indumenta, vel alio exercitio, quo brachia exerceantur. Sed de his dicit Galenus ſe plenius egiſſe lib.6. de tuenda ſanitate cap.2.& 9.

1 Dubit. docet Galenus, qui habent ſimilem ſeu proportionalem ſtatum in omnibus corporis partibus eadem egere conſeruatione: hoc tamen videtur eſſe cognitu impoſſibile, quia quis eſt, qui temperaturam cuiuſque oſſis, carnis, fibrarum, venarum, &c. cuiuſque indiuidui dignoſcet? nemo ſanè: ergo vanum videtur Galeni præceptum.

Solutio colligitur ex Galeno 6.de tuenda ſanitate cap.2.& 9.vbi habetur, quod ſtatus inæqualis humani corporis triplex ſit,& triplex quoque ſit corporis compoſitio; primus ſtatus cõuenit compoſitioni partium ſimilarium, quarum compoſitio pendet ex elemẽtis;ſecundus compoſitioni partium organicarum,quæ immediatè ex ſimilaribus fiunt; tertius eſt compoſitio totius corporis facta ex organicis, & de hac Galenus loco citato dixit,quod facilè poſſit cognoſci,& conſeruari; ſecunda eſt difficilioris cognitionis conſeruationis; prima eſt cognitu,& conſeruatu difficilis;particulæ enim facilè labuntur, quia facilè alterantur; ideò omiſſis duabus primis Galenus amplectitur tertiam quæ, & cognoſci, & præſeruari poteſt; & de hac intelligit in hoc tex. & non de fibris, de carnibus, vel oſſibus;hæc enim compoſitio conſtat ex ventriculo, capite, corde, iecore, & cæteris; dicit igitur Galenus, dum hæc corporis compoſitio eſt inæqualis, & diſſimilis, inæqualem præcautionem expoſcere.

Inſuper ſumma cura eſt tractandum corpus, dum adeſt hæc inæqualitas,quia Galenus ſeptimo methodi cap.13. habet, dum inæqualis, & diſſimilis eſt intemperies in cerebro, ventriculo, corde, iecore, corpus reddi quammaximè morbis obnoxium.

CAPITIS LXXXVII. Particula I.

De Cauſis Salubribus partium Organicarum.

Tex. 26. *Inſtrumentariarum autem partium cauſſæ ſalubres quemadmodum & hic ab optima conſtitutione delinquitur, ita & inuicem diſtabunt. Alia enim ſunt ſalubres erroribus, qui in formatione conſiſtunt,alia his,qui in magnitudine, vel numero,vel poſitu.*

POſtquam egit Galenus de cauſis ſalubribus conſeruantibus corpora lapſa in intemperie ſimplici, & compoſita æquali, & inæquale in hoc tex.incipit de cauſis ſalubribus conſeruantibus corpora lapſa in compoſitione.

Senſus tex.eſt,ſicuti corpora ſecundum compoſitionem multipliciter ab optima compoſitione deflectunt;ità,& cauſæ horum corporum conſeruatiuæ, & reductiuæ erunt inter ſe differentes. Hæc regula tradita eſt ſuperius, quod tot ſint cauſæ, quot corpora. Similiter cauſæ tantum diſtare debent ab optima conſtitutione,quantum ipſa corpora.

Pergit deinde dicẽs,quatuor eſſe cauſas ſalubres;quia in compoſitione ſecundum quatuor genericos modos corpora deflectunt ab optima compoſitione, videlicet, vel in figura, vel magnitudine, vel numero, vel ſitu, hæc enim ſunt quatuor genera morborum malæ compoſitionis; ſed Galenus non conſiderat errata in figura,magnitudine, numero, & ſitu præter naturam; ſed errata corporum lapſorum adhuc exiſtentium in latitudine ſanitatis; lib.verò de differentijs morborum, cap.4.proponit eadem quatuor genera morborum compoſitionis; & ſub figura vitiata ponit cauitatem, meatus,ſuperficies aſperas, & lenes; ſub numero ponit ſuperabundantem, & deficientem; ſub magnitudine auctam, vel extenuatam magnitudinem ſcilicet, ſub ſitu luxationem, vel indebitam ſiccitatem.

1 Dubit. Galenus tractando de cauſis ſalubribus conſeruantibus corpora lapſa in temperamento egit.de cauſis conſeruantibus per ſimilia, & de cauſis conſeruantibus reductiuis, quæ reducunt corpora intemperata ad melius; in hoc loco agens de cauſis ſalubribus conſeruantibus corpora lapſa in compoſitione non agit de cauſis conſeruantibus per ſimilia in eodem ſtatu;ſed ſolum de reductiuis per contraria; ergo Galeni diſcurſus eſt diminutus, & imperfectus.

Reſpondent Expoſitores, Gal. non tractare de cauſis conſeruantibus corpora lapſa in compoſitione per ſimilia in eodẽ gradu; quia illæ cauſæ, quæ conſeruant corpora lapſa in temperamento, conſeruant etiam in eodem ſtatu corpora lapſa in compoſitione: & quia de conſeruantibus temperamentũ lapſum egit ſuperius, non eſt vt in hoc loco de his iterum agat; quæ enim conſeruant temperamentum, conſeruant etiam compoſitionem.

CAPITIS LXXXVII.

Particula II.

Tex. 17. *In formatione igitur plures contingunt errores, nam & figura partis, & ſi qua in ea cauitas eſt ſecundum naturam, vel meatus, vel orificia, vel aſperitas, vel lenitas, quando à naturali mediocritate receſſerit. Si quidem parum hoc patiantur; ſalubrium corporum retinent appellationem: ſi verò amplius, inſalubrium. Quòd ſi tantus fuerit receſſus, vt operationi afferat detrimentum, iam ægrotare dicentur. Secundum quantitatem autẽ exceſſus, atque defectus ad eaſdem ducit differentias. In numero verò ſiue vna ſiue plures quæcunq; ex ſimilaribus partibus fuerint, aut deficiant, aut ſuperabundent. Ex hoc genere etiam ſunt quæcunque in nobis ſubſtantia præter naturã conſiſtunt. Reliquum eſt aliud genus, quod ad ſitum cuiuslibet ſimplicis attinet partis, in quo & ipſo quatuor ſunt omnes differentiæ: prima quidem quæ optima exiſtit; ſecunda verò, quæ parum euariat: atq; ideò ſalubre adhuc efficit corpus, & tertia quæ inſalubre, quando amplius à modo receſſerit: & quarta quæ iam ægrum receſſu plurimo reddit.*

GAlenus enumerat in hoc tex. omnes ſpecies errorum, qui eſſe poſſunt in cõformatione, magnitudine, numero, & ſitu; notat prius, quòd in qualibet ſpecie compoſitionis tria errata contingere poſſint: Primum erratum eſt paruum: ſecundum maius, quæ duo tamen errata non ſunt extra latitudinem ſanitatis: paruum, cum ſit inſenſibile, facit ſalubre vt multum, quod inſenſibiliter recedit à ſaluberrimo, vt dicit Galenus capit. 8. ſi tamen erratum eſt maius ſine manifeſta læſione operationis efficit corpus ſimpliciter inſalubre, quod habet ſanitatem, ſed admodum imperfectam: tertium demum eſt erratum in qualibet ſpecie ex propoſitis, quod actiones ſenſibiliter lædit, quod indicat ex Galeno corpus actu ægrotare.

Diuidit prius conformationem in ſuas ſpecies, ſcilicet in figuram, cauitatem, meatus, orificium, aſperitatem, & lenitatem: per figuram intelligit, quod ſi exempli cauſa figura per naturam ſit rotunda, deinde facta ſit quadrata: vel ex recta ſit facta curva, vel alterius figuræ, per cauitatem intelligit eam figuram, quæ eſt in vtero, veſica, ventriculo, thorace, & alijs ſimilibus, quæ cauitates, cum ſint amplæ, non poſſunt dici meatus, vel orificia: per meatus intelligit cauitatem anguſtam, quæ poteſt facilè obſtrui; ideò per meatus vel intelligit poroſitates, vel ora capillarium venarum, & arteriarum. Per orificia intelligit vaſorum terminos, & fines.

1 Dub. videtur Galeni tractatus diminutus, quia Galenus facit mentionem de ſalubribus, & inſalubribus: omittit tamen neutrum ſtatum.

Reſpondet quidam Modernus, non feciſſe mentionem de neutris; quia omne neutrum eſt chimera. Reijcitur, quia Galenus non ità diligenter de neutris ſuperius egiſſet, ſi neutrum eſſet chimera.

Priuſquam commentator melius reſpõdet, Galenum, ſcilicet non feciſſe mẽtionem de neutris ſimpliciter; quia mediant inter ſimpliciter ſalubria, & inſalubria ſimpliciter; cognitis enim extremis media ex ſe innoteſcunt. Similiter non fecit mentionem de neutris, vt nunc, quia mediant inter ſana, & ęgra, quare cognitis corporibus ſanis, & ægris ex ſe illa neutra innoteſcunt.

2 Dub. Galenus in hoc loco proponit quinque ſpecies conformationis, videlicet cauitatem, meatum, orificium, aſperitatem, & lenitatem; alibi verò lib. de differentijs morb. c. 4. ponit tres, ideſt figuram, cauitatem, & ſuperficiem.

Solutio facilis eſt, quia per aſperitatem & lenitatem intelligit ſuperficiem, quæ eſt genus aſperitatis, & lenitatis; lenitas

enim in ſuperficie ventriculi efficit lienteriam: in ſuperficie oſſis efficit cauitatem, quia caro non poteſt adnecti. Præterea, dum omittit meatum, & orificium non omittit cauitatem, quę eſt tanquam genus meatus, & orificij.

Quo ad compoſitionem ſecundũ magnitudinem, duę sũt ſpecies: magnitudo, ſcilicet diminuta, & aucta; in his ſpeciebus tres ſimiliter contingere poſſunt differentiæ lapſuum, paruus ſcilicet qui pertinet ad corpus ſalubre vt multum: maior qui pertinet ad corpus ſimpliciter inſalubre, quod adhuc tamẽ eſt ſanum; magnus qui, cum actiones ſenſibiliter lædat, pertinet ad corpus, quod actu ægrotat.

Quo ad compoſitionem partium inſtrumentalium ſecundum numerũ, duæ ſimiliter ſunt ſpecies, numerus, ſcilicet auctus, & diminutus; quæ duplici modo dicuntur deficere; primo vel adeſt defectus inſenſibilis, qui corpus efficit ſalubre vt multum, vbi dicunt Auctores in hoc loco, qui habent ſextum digitum, & tertium teſticulum, optimam tamen in omnibus alijs partibus habentes conſtitutionem, collocari in numero corporum ſalubrium vt multum: Secundo uel adeſt aliquis defectus ſenſibilis, ſed talis, vt nõ lædat ſenſibiliter actiones, ut dum ſunt lumbrici; ſic corpus eſt ſimpliciter inſalubre: quamuis, ſi lędant os uentriculi, & epilepſiam efficiant, corpus dicatur actu ægrum: idem dicitur de omnibus morbis in numero, quod uidelicet ſi lædãt actiones ſenſibiliter corpus uocetur ægrum: Idem dicimus de lapillo in ueſica, & renibus, de pterygio, & alijs morbis, qui ſi non lædant actiones, efficiunt corpora inſalubria ſimpliciter.

3 Dub. non uidetur, quod lapis in veſica, uel lumbrici, uel mola in utero ſint morbi in numero; quia Gal. in tex. dicit, morbos in numero eſſe quando pars aliqua ſimilaris deficit, vel ſuperabundat; ſed ſic eſt, quod neque lapis, neque lumbrici, uel mola, uel catarrhacta ſunt partes ſimilares, ergo. Præterea Gal. lib. de differentijs morborum in principio ait, morbum illis partibus conuenire, quibus ſanitas; ſed ſic eſt, quod ſanitas neque lapillo, neque molæ, vel lumbricis conuenire poteſt, ergo neque morbus.

Argenterius reſpondet, lapidem in ueſica eſſe cauſam remotam morbi, & non morbum, idem dicit de mola, & de alijs.

Modernus quidam ait, non lapidem in ueſica eſſe morbum, ſed lapidis præſentiam, & lapidis abſentiam eſſe ſanitatem; quia is eſt morbus, qui ad ſe curam trahit, & qui lædit actionem; ideò Argenterij rationes contra Galenum alibi dicentem, lapidem eſſe morbum in numero ſunt nullius uigoris.

Dicimus nos cum Galeno, lapidem in ueſica, lumbricos, & alios ſimiles affectus eſſe morbos in numero, dum uerò afferunt Galenum in hoc tex. dicẽtem, morbos in numero eſſe quando pars aliqua ſimilaris deficit, uel ſuperabundat: Reſpondemus, Galenum in eodem tex. hæc verba addere; *Ex genere ſcilicet morborum in numero non ſolum eſſe partẽ additam, vel ablatam, ſed quæcunque in nobis ſubſtantiæ præter naturam conſiſtunt*; In quibus uerbis, & lapis in ueſica, & mola, & catarrhacta, & lumbrici, quæ non ſunt partes corporis uiuentis continentur.

4 Dub. dicit Galenus, ſubſtantias, quæ in nobis conſiſtunt præter naturam, pertinere ad compoſitionem in numero, atque huiuſmodi eſſe ſextum digitum, & tertium teſticulum; ſed ſic eſt, quod non uidetur, ſextum digitum, & tertium teſtem, & alia id genus, quibus naſcimur, eſſe dicẽda præter naturã. Præterea corpora habentia ſextum digitum, & tertiũ teſticulum pertinent ad corpora ſalubria ut multum; immò non ſolum corpora ſalubria ut multum ſunt ſecundum naturam, cum ſint ab ortu naturæ talia, uerũ etiam inſalubria ſimpliciter, ut probatum eſt ſuperius: dictum eſt enim inſalubre non dicere actu ægrum, ſed corpus ualde obnoxium ægritudini ſuſcipiendæ: accedit quod ſalubre ut multum ex Galeno eſt temperatum in ſimplicibus, & benè commenſuratum in organicis.

Pluſquamcommentator reſpõdet, Galenũ intelligere præter naturam id, quod non eſt ſecundum intentionem naturæ; natura enim non intendit ſextum digitum, uel tertium teſtem: Dicit præterea, tres eſſe differentias lapſus in numero, quarum prima eſt defectus paruus: ſecũda differentia lapſus eſt maior ſenſibilis

non

non lædens tamen operationem; & tertia adhuc eſt maior lapſus lædens operationem ſenſibiliter: haſque conuenire corporibus ſalubribus ut multum,& corporibus inſalubribus ſimpliciter ſecundum aliquam proportionem; ità ut in corporibus ſalubribus, & inſalubribus nō ſint illæ tres præter naturam differentiæ à Galeno nominatæ,ſed tres proportione reſpondentes: ambæ enim expoſitiones ſunt probandę.

Quo ad ſitum partium organicarum, dicit Galenus,ſimiliter ultra optimum ſitum organi contingere poſſe tres defectus;paruum ſcilicet,qui pertinet ad corpus ſalubre ut multum: defectum manifeſtum ſine læſione operationum, qui pertinet ad inſalubre ſimpliciter, & tertium defectum,qui eſt cum manifeſta lęſione operationum,& pertinet ad corpus ægrum.

5 Dub.Gal. lib.de conſtitutione artis,c. 12. inquit,ſi particula integra organi obtruncabitur, morbus erit in numero: ſi pars particulæ,& non tota particula,erit morbus in magnitudine diminuta: in lib. verò de differentijs morborum cap.8.ait, quando particula tota, uel eius pars obtruncatur,eſſe morbum in numero.

Reſpondetur,quod particula ab organi parte diuiſa dupliciter conſiderari poteſt, uel ratione organi, uel ratione ſui: primo modo oritur morbus in magnitudine diminuta: ſecundo modo in numero: exemplum,ſi particula oſſis ſeparatur à craneo dicitur reſpectu cranei morbus in magnitudine diminuta; ſed reſpectu particulæ ſeparatæ dicitur in numero; deficit enim numerus numerandus.

CAPITIS LXXXVII.

Particula III.

Tex. 28. *Quæcunque igitur partes in figura delinquunt, veluti quæ blæſa, vara,& obliqua appellantur: hæ quum nuper natus,& adhuc tenellus eſt, formatione, atque alligatione,ad naturalem traducuntur habitū, quod ſi iam aucto infante ad duritiem peruenerit,emendari non poſſunt. Sic erreres quidem qui ad cauitatem attinent, cum adhuc augeri perſeuerant, correctionem admittunt: cum autem iam ad vltimum peruenerint, nullus eſt remedio locus.Cauitates igitur, quiete, atque alligatione, parua redduntur: magna verò partium operatione,& ſpiritus retentione: ſic & quæcunque foramina oraque.*

Declarauit ſuperius defectus, ſeu lapſus partium organicarum corporis ſani: in hoc tex. agit de remedijs dictos defectus auferentibus: primò oſtendit defectum in figura quandoque eſſe corrigibilem, & quandoque non: & quibus remedijs corrigi poſſit; ſecundò idem dicit in defectibus cauitatis foraminum vaſorum, & orificiorum eſſe obſeruandum.

Dat exemplum de defectibus in figura crurum, dum crura habent figuras blæſas, & varas, quæ figuræ in puerulis ob imbecillitatem, & intempeſtiuam deambulationem contingere ſolent; figura blæſa crurum eſt, dum crura ſunt ita obliqua, vt genibus ferè ſe tangant, & pedes admodum inter ſe diſtent; vara dum viceuerſa,pedes ſcilicet ſe tangant, & genua diſtent; dicit Galenus,in puero tenello poſſe emendari hunc defectum: in adulto nequaquam. Reconcinnatio fit alligatione ferulis, & faſcijs facta: quod in Nepote meo expertus ſum; habebat enim crura vara, iuſſi per litteras, vt faſcijs, & ferulis lana molli inuolutis crura alligarentur, quod quidem non à chirurgo, ſed à ſorore mea, quæ appellabatur Diana ingenioſiſſima ſanè,quæ licet nunquam viderit ſimiles ligaturas, adeò diligenter omnia pręſtitit,ut ego,& præſtantiſſimi chirurgi eius ingenium mirati ſimus,quomodo potuerit puerum quatuor annorum, ſpatio quatuor menſium ad figuram naturalem perducere: dum verò ſint magis Adulti, oſſaque duriora effecta ſint, non reducuntur ad figuram naturalem; totum negotium eſt in oſſibus; illa enim ſi ſint contrita, muſculi,& omnia vaſa contorquentur;inſequuntur enim oſſium figuram; ſi oſſa ſint dura, nulla arte poſſunt mollia reddi & vitium redditur inemendabile:in puerulis tamen nuper natis dicit Galenus 2. de temperamentis, oſſa eſſe mollia, ue-

ſuti ſunt caſei recenter congelati.

Quo ad errores in cauitate, aſſerit cauitatem, ſi eſt in corpore, quod adhuc augetur, corrigi poſſe; quia dum augetur, recipit aliam figuram; cauitas tamen ſi eſt in corpore, quod non amplius augetur eſt vitium inemendabile; maxima enim eſt differentia inter curationem figuræ, & cauitatis, quia figuræ partium corporis mutantur in tenellis pueris vſque ad quatuor annos circiter, vt ego in Nepote meo experientia cognoui; cauitates verò etiam in adoleſcentibus; qui adhuc augentur, mutantur; quia figuræ partium pendent ab oſſibus, & ſolum oſſa, cum tenella ſint, reconcinnantur manibus, vel ligaturis; cauitates verò inſequuntur alias partes, vt muſculos, membranas, &c.

Remedia, pro cauitatibus magnis corrigendis, duo à Galeno proponuntur, quies, ſcilicet, & alligatio per faſcias; magnæ enim cauitates reddi poterunt paruæ, ſi fuerint ligatæ hac arte, vt in loco, vbi eſt cauitas, ſtrictius ligentur, & ſine dolore; in parte verò ſana, laxius.

Remedia verò pro corrigendis cauitatibus paruis duo ſunt, operatio, vel exercitium partis habentis eam paruam cauitatem, & ſpirituum retentionem. Quo ad primũ dicit Galenus, quod operatio ſeu exercitiũ dilatat, cauſa eſt, quia ob exercitium augetur calidum natiuum, quod eſt auctor auctionis, & dilatationis partis; affertur exemplum de ventriculo ab ortu naturæ paruo, qui alio ingenio non poteſt dilatari, quam multorum ciborum, & potionum vſu; quod certè mihi contigit, dum curſu quinque annorum medicinam facerem in Pannonia, vbi præter conſuetudinem, cum coactus liberaliores potiones ingererem, inde factus eſt ventriculus capacior, quod agnoui, quia deinceps ventriculus difficilius ieiunium tolerabat; cauſa eſt, quia omne cauum, & vacuum impleri deſiderat.

Similiter de cauitate thoracis in adoleſcentibus dicendum eſt: fieri enim poteſt maior, ſed longè maiori cum beneficio, quam de ventriculi cauitate dictum eſt; Adoleſcentes dilatabunt thoracem, ſi ſe exercuerint in edẽdis magnis vocibus canendo ſcilicet, vel concionando, uel orando, vel in ſono tubæ, vel cornicinis ſe exercendo; ex quorum inſtrumentorum vſu ipſemet aliquam adeptus ſum thoracis dilatationem. Simili modo mammillæ lactando fiunt maiores. Itidem de parua cauitate vteri dicendum; iuniores enim mulierculæ, ſi pluries vtero geſtabũt, fiet vteri maioris. Adultæ verò iuuenes dum nubunt, ſi paruo ſunt vtero, euadunt ſteriles. Itidem dilatantur ventriculi cerebri meditando, quia ex Hippocrate in epid. lib. 6. ſect. 5. tex. 11. meditatio hominibus eſt animi exercitium.

Similiter cauitas, dũ eſt debito maior, ligatione corrigitur; dantur tamen partes, quarum cauitas, ſi maior ſit, eſt inemendabilis, ſicuti vterus, veſica, vẽtriculus, inteſtina, venæ, arteriæ quædam. Dãtur ſimiliter cauitates maiores, quæ poſſunt ligatione corrigi, veluti dũ in ſcrotũ deſcendit peritoneum, illo meatu reddito maiori, vel ob nimios clamores, vel fletus, tunc ne ſuccedat hernia, ligatione proportionata prohibetur. Itidem ſunt, qui patiuntur laxitatem arteriarum pertinentium ad penem, qui facilè corripiũtur priapiſmo. Hi perbellè curantur ligatura, & aſtringentibus medicamentis pectini appoſitis. Aliqui etiam patiuntur ob laxitatem vaſorum ſeminalium gonorrheam perpetuam, quæ aſtringentibus extrinſecis, & ligaturis tolli poteſt. Ad eundem modum quæcumque foramine, ſiue ora, vel oſcula vaſorum duobus remedijs propoſitis, ſcilicet cohibitione ſpiritus, & exercitio illius partis poſſunt reddi latiora; vbi verò latiora ſunt, plura poſſunt fieri anguſtiora auxilio oppoſito, videlicet quiete, & ligatura.

1 Dubit. Galenus ſuperius dixit, corpora conſeruari per cauſas neceſſariò alterantes: & has cauſas eſſe aerem, cibum, & potum, ſomnum, & uigiliam, motum, & quietem, repletionem, euacuationem, & animi affectus; Galenus tamen in hoc loco pro corrigendis vitijs in figura, & cauitate vtitur alijs remedijs, .ſ. ligatura, exercitio partis, & ſpiritus cohibitione.

Argenterius, vt ſui moris eſt, Galenum reprehendit; nec miſer uidet Galenum, dum dicit conſeruari corpora per cauſas neceſſariò alterantes, intellexiſſe de conſeruandis corporibus recedentibus ab

optima

optima conſtitutione in temperatura, & non in compoſitione: Lippi enim viderent huius ineptiſſimi dubij ſolutionem.

2 Dubit. Plurimi ſunt affectus præter naturam in cauitate, figura, & ſuperficie, de quibus Galenus ne verbum quidem dicit; quare tractatus iſte videtur omninò diminutus.

Reſpōdent Expoſitores, & rectè, quod de affectibus, ſeu morbis pertinentibus ad cauitatem, figuras, & meatus agi debeat in arte curatiua, & non hic: quia in hoc loco agitur ſolum de cauſis conſeruantibus, & corrigentibus vitia, quæ ob imbecillitatem formatricis, vel defectum materiæ accidunt, vel ob errorem commiſſum in puerulis tenellis.

3 Dub. Galenus tradens remedia pro tollenda anguſtia, ſeu paruitate cauitatis dicit eſſe duo: Primum eſſe partium illius operationem ſeu exercitium: ſecundum ſpirituum cohibitionem. In Tibicine .n. ob ſpiritus cohibitionem implentur venæ frontis, facies tota, & pectus: tradēs verò remedia pro magna cauitate corrigenda dicit eſſe duo, videlicet quietem, & ligaturas: errare videtur, quia ſi oppoſitorum eadem eſt diſciplina, debebat Gal. tradere oppoſita; quare ſi in anguſtia ex Galeno iuuat exercitium, in maiori cauitate iuuabit quies, & hactenus rectè Galenus; ſi in anguſtia iuuat ſpirituum cohibitio, in maiori cauitate iuuabit libera ſpiratio, & non ligatura.

Reſpondetur Galenum tacuiſſe, quod ſubintelligitur. Præterea parua reſpiratio, non poteſt anguſtiam efficere, quia minor reſpiratio, quam conueniat non eſt in noſtra poteſtate; ideo Gal. addidit ligaturas. Præterea pro auferendis maioribus cauitatibus variarum partium varia ſunt remedia; ſic ventriculus redditur minoris cauitatis ieiunio: & vaſa ſeminaria fient minora coitus abſtinentia: & ſic de alijs.

4 Dubit. dicit Galenus, foramina inſenſibilia, & orificia maiora, vel minora, quā par ſit iiſdem remedijs, quibus cauitates maiores, vel minores corrigi, ſcilicet, quiete, & ligaturis, partium operatione, ſeu exercitio, & ſpirituum cohibitione: attamen proponuntur alia remedia à doctiſſimo Acachia pro corrigendis foraminibus, & orificijs longè præſtantiora, qualia ſunt adſtringentia ex vna parte, & de obſtruentia ex alia, quæ ſunt propria.

Reſpondetur, quod adſtringentia, & de obſtruentia ſunt remedia pertinentia ad artem curatiuam: in hoc loco Galen. tradit cauſas conſeruantes, ſeu corrigentes vitia corporum in compoſitione lapſorum, ſanorum tamen; & præcipuè uitia, quæ in tenellis corporibus comparantur: quare Acachias non rectè ſentit.

Argenterius inuehit contra Galenum; dum docet per ſpiritus cohibitionem dilatandas eſſe cauitates: dicit, non debebat Galenus tradere hoc præceptum tanquam vniuerſale remedium; quia inſeruit ſolum pulmoni, & vaſis quæ ſunt in pulmone.

Decipitur Argenterius: immò in hoc loco animaduerto, illum non penetraſſe, vel noluiſſe penetrare vaſorum omnium progreſſum, & omnium partium corporis ſympathiam, & alia anatomiæ arcana: quia veritas eſt, quod ex ſpiritus cohibitione non ſolum pulmones, & vaſa illorum, & thorax totus, ſed venæ frontis, totius cerebri, genæ, tota facies, & omnes venæ, & arteriæ, & ventriculi cordis dilatantur: ratioque iſtius magni conſenſus ex eo pendet, quia vnico trunco dilatato, cæteri omnes ſurculi, & propagines per quandam continuationem dilatantur: non erit igitur verum, quod in ſpiritus cohibitione ſolum pulmones, & illorum vaſa dilatentur.

CAPITIS LXXXVII.

Particula IV.

Tex. 29. *Et quidem, quæ naturalem magnitudinē partes exuperant, quiete, ac commoda alligatione minores redduntur, augentur autē & naturali motu, & frictione moderata, & quibuſcunq; alijs plus ſanguinis attrahere natura aptis. Deficientes verò partes quæcunque ex ſanguine ortum habuerint, corrigi quidem non eſt impoſſibile: quæ autem ex ſemine, propemodum impoſſibile exiſtit: licet tamen aliquando loco earum alia facere, quæ vſum haud diſſimilē præſtent. Earum verò omnium natura opifex eſt, Medicus autem miniſter. Quæ verò numero excedunt, his ablatio cauſa ſa-*

lubris exiſtit: inſpicere verò oportet in quibus id fieri poſſit: nam ſi impoſſibile appareat tranſponere tentandum eſt. Eadem eſt, & eorũ, quæ in ſitu vitia sũt emẽdatio.

EXplicauit ſuperius, quibus remedijs corpus ſanum, lapſum tamen in confirmatione ad melius reddi poſſit: in hoc tex. explicat remedia corporum ſanorum lapſorum in magnitudine, numero, & ſitu.

Quo ad defectus in magnitudine tria docet: primo quomodo pars maior reddi poſſit minor: ſecundò quomodo minor poſſit reddi maior; tertiò quomodo corrigantur mutilata.

Quo ad primum, quomodo ſcilicet pars maior reddi poſſit minor: refert hæc duo remedia: quietem, & ligaturam; per quietem enim calor obtunditur, & parum concoquit, parumque attrahit nutrimenti; vnde pars minor redditur; per ligaturam verò ſine dolore tamen adminiſtratam non concurrit ſanguis, vnde emaciata redditur, & minoris magnitudinis.

Quo ad ſecundum, quomodo ſcilicet pars minor poſsit reddi maior, dicit Gal. id effici motu naturali, ideſt exercitio illius partis, & frictione moderata.

Quomodo verò pars minor reddi poſſit maior, docet Galenus, tria eſſe remedia: primum eſt motus, ſeu exercitium partis extenuatæ; exercitio enim illius partis alimentum attrahitur, & aſsimilatur, & pars minor redditur maior; ſecũdum remediũ eſt moderata frictio; quia immoderata non ſolum attrahit alimentum, ſed ipſum quoque reſoluit; tertium remedium ſunt illa emplaſtra, quæ habent vim attrahendi ſanguinem ad partem, vt fiat maior, quæ fiunt ex pice, quęque adhærent: & dum ſæpè auferuntur, pars ſanguine refertur, quia rubore ſuffuſa conſpicitur.

1 Dub. non videtur, quod pars minor, ſeu extenuata reddi poſsit maior per remedia à Galeno propoſita, ſcilicet per motum, ſeu exercitia, & per moderatam frictionem: quia videtur quod quies potius conducat ad reddendas partes magnas, & amplas: quiete enim omnia animalia euadunt pinguia, & carnoſa. Similiter ſues domeſtici, & ocioſi ſunt pinguiores ſilueſtrib.: ergo Galenus videtur errare, dum dicit, per motum partes minores, & extenuatas reddi maiores.

Argenterius non ſoluit; ſed occaſione huius dubij mordet Gal. facillimè tamen ſoluitur dubitatio; quia Gal. loquitur de magnitudine partium organicarum; pinguedo verò non eſt pars viuens, ſed alimentum, ſeu quædam portio ſanguinis oleoſa, quæ vertitur aliquando in alimẽtum; quod quidem facilè probatur, quia animalia, dum inedia torquentur, ſtatim pinguedinem amittunt; cauſa eſt, quia in nutrimentum conuertitur; dum verò dicunt, in otio carnes quoque augeri, dicimus nos, quod niſi præcedat aliqua motio moderata, caro gigni nõ poſsit: Hinc animalia, quæ ſunt moderato motu deſtituta, otioſaque ſunt, redduntur valde pinguia; carnes tamen eorum ſunt admodum extenuatæ: Hinc ſues ſilueſtres minus pingues ſunt, quam domeſtici, ſunt tamen magis carnoſi.

Deficientes verò partes: Hæc particula tex. vario modo exponitur: Expoſitores ſunt diuiſi, quidam cenſent Gal. loqui de modo corrigendi magnitudinem mutilatam, cui ſcilicet deficiat aliqua particula. Quidam verò dicunt, Galenum loqui de corrigendis defectibus in numero; quæſtio tamen eſt de lana caprina; quia ſi magnitudo eſt mutilata, vt deficiat particula, eſt morbus in numero: ſi eſt mutilata, ut non deficiat tota particula, non erit in numero: ait igitur Galenus, quod pars quæ deficit, uel habet originem à ſanguine, vel à ſemine: primo modo vitium eſt corrigibile: ſecundo modo eſt propemodum incorrigibile, quia ſpermaticæ partes non poſſunt regenerari: dicit autem Galenus propemodum impoſsibile; quia in puerulis vena aliqua, ut docet primo de ſemine cap. 13. poteſt regenerari: in adultis verò nullo modo, dum tamen ſpermaticæ partes ſunt diuiſæ, natura generat callum, quem uocat porum ſarcoidem, quo colligantur, & vſum non diſsimilem præſtent; dicit tamen huius operationis opificem eſſe naturam: medicum uerò, quatenus remouet impedimenta, & ſubminiſtrat alimẽtum craſſum aptiſsimum pro generando

cal-

tallo, eſſe naturæ miniſtrum.

Quæ verò numero excedunt. Incipit hic de modo corrigendi lapſus in numero aucto, ſeu ſuperabundanti, vt eſt ſextus digitus, & tradit duo remedia, quorum primum eſt ablatio; ſecundum verò eſt tranſpoſitio; dicit igitur Gal. numerum auctum, ſi fieri poteſt, eſſe auferendum; ſi verò fieri non poteſt, eſſe tranſponendũ; quæ auferuntur vel ferro, vel igne, vel medicamento auferuntur; ſic ſextus digitus, & tertius teſticulus ferro ignito auferri ſolet; vermes verò aloe necantur & auferuntur; verucæ ferro, vel igne, ſed melius eſt filo ſerico, vt eouſq; conſtringantur, quouſque areſcant; quia ſine dolore inde ſeparantur.

Tranſpoſitio verò varia eſt pro varietate partis tranſponendæ; ſic catarrhacta tranſponitur acu; lapis in veſica, ſi exitũ vrinæ impediat, cũ catetere tranſponitur à collo veſicæ ad fundũ. Quomodo verò lapis veſicæ auferatur, & quæ pars ſecetur à Lithotomo, & qua de cauſa aliquãdo pereant calculoſi, nos lib. 3. methodi vitādorum errorum fusè de his egimus; immò ſchema propoſuimus, vbi contrà Columbum oſtendimus à Lithotomo nõ poſſe incidi collum veſicæ. Hactenus nõ ſunt inuenta remedia, quæ lapidem veſicæ, vel catarrhactam diſſoluant; ideò catarrhacta, & calculus trãſponuntur; Ego tamen diu laboraui, vt perquirerem, quo modo lapis in veſica poſſet comminui; Ego ſyringam compoſui trifurcatã, quæ immiſſa in veſicã aperiri poteſt, & aperta, & dilatata per vim vacui lapidem cõprehendit, quo apprehenſo per ſubtiliſſimam terebram poteſt comminui; quãuis in hoc obeundo officio ob ſyringæ curuitatem in calculis durioribus deficiat. Aliud quoque excogitaui inſtrumentum, quo poſſet extrahi calculus veſicæ, cuius vſu egimus in comm. noſtris in primam fen. primi canonis Auicennæ; hoc enim inſtrumentum ad ſyringæ inſtar præcipuè paruulos lapillos amplectitur, & ſine alia comminutione illicò foras tranſponit.

1 Dub. Galeni propoſitum eſt agere de corporum lapſorum, quæ adhuc ſana sũt, defectibus; attamen videtur agere in hoc loco de defectibus corporum ægrotantium, & non ſanorum, ideſt de morbis, qui vel ablatione, vel tranſpoſitione tolluntur, quales ſunt catarrhacta, lapis in veſica, pterygiũ, & ſimiles, quem tranſitum de genere in genus Ariſtoteles vt vitioſum damnat.

Argẽterius nõ ſoluit dubium, ſed inde ſumit occaſionem reprehendendi Galen. quamuis facillimè defendi poſſit; ſummo enim artificio dicimus id feciſſe, quia præceptum de defectibus corporum ſanorum amplificat ad morbos in numero, indicatio quæ proponitur ab Auctore eſt, quod omne ſuperfluum ſit auferendum, ideò ſextus digitus, & tertius teſticulus ob hanc communem indicationem eſt auferendus; hoc præceptum eſt commune pterygio, catarrhactæ, calculo veſicæ, ideò hoc amplificando dixit eſſe morbos in numero auferendos, vel ſi nõ poſſint auferri, tranſponendos; poteſt enim contingere, quod numerus auctus non ſit morbus ſicuti perexiguus lapillus renum, qui ſpontè egreditur, vel lumbrici in inteſtinis, dum non lædunt actionem aliquam.

2 Dub. Galenus dicit partes ſpermaticas, quæ à ſemine oriuntur propemodũ eſſe impoſſibile, vt regenerentur, ait, propemodum, quia lib. 1. de ſemine c. 13. admonet venulas aliquas in pueris regenerari poſſe; Argenterius tamen in comm. probat contra Gal. non ſolum venas, & arterias regenerari in puerulis, ſed etiam in decrepitis, qui cauis vlceribus afficiuntur, & deinde ſanantur; tunc & venulæ, & membranæ, & arteriæ, & nerui in cauo vlcerum regenerantur.

Præterea Argenterius argumentatur contra Galen. hoc modo; quælibet pars ſpermatica nutritur ſemine, quod in ipſis gignitur; dicit igitur, ſi ſemen ſufficiat ad nutriendas partes ſpermaticas, ſufficiet etiam ad regenerationem.

Reijcitur Argẽterius, quia refert, Gal. 1. lib. de ſemine cap. 13. dixiſſe venas, & arterias aliquando regenerari, quod quidem eſt falſiſſimum; quia Gal. loco citato aperto ore negat, arterias ob earum duritiem regenerari; fatetur tamen in pueris, venularum regenerationem non eſſe impoſſibilem; idque ob venularum tunicarum mollitiem.

Sed mirandum eſt, quomodo quoque Valeſius lib.2.contr.cap.8. referat, Galenum lib. 1. de ſemine capite citato dixiſſe non ſolum venam, ſed etiam arteriam regigni; cum ibi Galenus apertiſſimè illud neget;dicit enim arteriam ex ſententia Herophili eſſe ſextuplo craſſiorem, quam ſit vena, & regeneratam viſum non fuiſſe vnquam.

Ad dubitationem;dum dicit Argenterius in cauis vlceribus ſenum regenerari arterias, venas, membranas, & neruos, valdè decipitur, quia in cauis ulceribus ſanatio fit per callum, qui præſtat eundem uſum, & non per regenerationem.

Dum uerò ſic argumentabatur; Si ſemen ſufficit ad nutriẽdas partes ſpermaticas,ergo & ad regenerandas.Reſpõdemus argumentum eſſe à poſitione conſequentis ad poſitionem antecedentis:eſſeque in ſecunda figura ex duab.affirmatiuis;quia omne, quod habet vim regenerandi,habet vim nutriendi;ſed non viceuerſa: medius igitur eſt vniuerſalior prædicato concluſionis.

Dum verò Argenterius profitetur, ſe inueniſſe cauſam,cur ſpermaticæ partes, vt nerui,venę maiores,oſſa non regenerentur, ſed callo copulentur, dicit, quod virtus generatrix eſt in opifice: & opificem eſſe ſemina parentum. Dicimus hãc cauſam eſſe Gal. quamuis fingat Argenterius,ſe illam non vidiſſe,Gal.enim 1.de ſemine, c.13. habet hæc verba; *Nuſquam enim tantam ſeminis copiam ſimul collectam inuenire eſt, quanta ad regenerationem ſufficit:* addit, *quia carne iam increſcente,ſupprimitur.* Ecce,quod ſpermaticę partes non colligunt tantum ſeminis, vt poſſint regenerari, quia carne increſcente, ſupprimitur. Addit deinde Galenus: *At in ipſa prima ex ſemine generatione tũ vniuerſus humor adhuc collectus eſt, ex quo vaſorum formatio exiſtit, tum duplex fabricatrix vis adeſt, ſeminis, & conceptaculorum vteri, quibus ſemen protectum adhæſerat: in vlcerationibus eſt inopia ſeminis, & deeſt effectrix vis. In vtero vero eſt copia ſeminis, & adeſt creatrix virtus, quæ non ſolum materiam tangit, ſed pertranſit, & permeat per ipſam totam. Hinc celeriter in vtero formantur ſpermatica;* Ecce, quod Gal. vult opificẽ ſpermaticarum partium eſſe cõſtitutum in ſemine parentum. Ecce Argenterium omnia deſumpſiſſe à Galeno, vel hoc caput propoſitum non vidiſſe; quia Galenus clariſſimè docet, quomodo partes ſpermaticæ in vlceribus non regenerentur, ſed callo obducantur.

Cauſæ verò,cur ſpermaticę non regenerentur,tres ex Gal.colliguntur 1.lib.de ſem. cap. 13. prima eſt imbecillitas partium ſpermaticarum:ſecunda eſt illarum ſiccitas: tertia eſt caro vicina, quæ anteuertit coalitum. Si caro in cauitate maxillæ eſſet, ſine dubio neque dentes in pueris poſſent regenerari.

3 Dub. dictum eſt,neruos non regenerari;quia ex ſemine fiunt,& ſunt ſicciſſimi:attamẽ in callo magnorum vulnerũ, & vlcerũ ſenũ eſt sẽſus, ergo eſt neruus.

Reſpondetur, non eſſe verum, quod vbi eſt ſenſus,ibi ſit neruus;quia ſequeretur, quod totum corpus eſſet neruus; an ne dentes in omni parte ſentiunt? attamen non vbique eſt neruus,ſed ſolum in radice; ſatis eſt, quod virtus, ſeu irradiatio à neruo prodiens perueniat ad partẽ,quæ neruo caret; quia per irradiationem permeantem particulã ſenſatio fit.

4 Dub. dentes regenerantur,ergo tanto magis venæ, arteriæ, & membranæ, quæ ſunt molliores regenerabuntur.

Pluſquamcommentator dicit, dentes ob ſenſum tactus habere potius naturam carnis, quam oſſis, duros tamẽ fieri,quia ex oſſium foraminibus procedunt; decipitur, quia potius debebat cenſere, dẽtes habere ob ſenſum tactus, quo donati ſunt,naturã nerueam, à neruis enim, & non à carne ſenſus oritur.Reijcitur quoque à Galeno hęc opinio lib.de oſſibus in principio his verbis; *Dentes in oſſium numero habendi ſunt,licet nonnulli ſophiſtæ ſecus arbitrentur:* Pergit deinde, & probat eſſe quandã oſſis ſpeciem; mittamus igitur opinionem Pluſquamcommentatoris tanquam ſophiſticam.

Reſpondemus, dẽtes regenerari, quia cõſeruatum eſt opifex regenerationis in cauitatib. maxillarum. Præterea pars ſeminalis dentium,quæ continuò gignitur etiam à qualibet parte ſpermatica pro eius nutritione, à carne circũdante non abſumitur,quia in cauitatibus illis mãdibula-

bulatum conſeruatur, ut augeantur. Inſuper non negamus in nuper natis, cum oſſa ſint adeo mollia, ut poſſint regenerari; ſed in adoleſcentibus, & in cæteris ætatibus dicimus eſſe omninò impoſſibile, ut docet quoque Galenus 6. methodi cap. 5. & cap. 91. huius libri.

QVÆST. CVI.

Ad quod morbi genus reducatur lapis in veſica.

Plurimi, inter quos eſt Argenterius, putant, lapidem in veſſica non eſſe morbum, ſed morbi cauſam: rationes variæ ab illo afferuntur: Prima hæc eſt; morbus ex Galeno eſt mala conſtitutio, immediatè lædens operationes; at lapis in veſſica neq; eſt mala conſtitutio, quia lapide ablato ſtatim ceſſant veſſicæ ſymptomata: neque immediatè lædit operationes; quia lapis prius obſtruit, & deinde ſequuntur veſſicæ ſymptomata, ergo non erit morbus. Secunda ratio: ſi lapis in veſſica, qui impedit vrinæ tranſitũ, eſt morbus; ergo humor craſſus, & viſcidus, dum obſtructionem efficit, erit morbus, quod reluctatur Gal. lib. de differentijs morborum cap. 7. vbi dicit, humorem facientem obſtructionem eſſe cauſam, & non morbum: ſimiliter cap. 8. ait Galenus, germen in naribus, quod facit polypum eſſe cauſam, & non morbum: ergo & lapis in veſſica anguſtans vrinam erit cauſa morbi, & non morbus. Tertia ratio morbus ex Ariſtotele in paruis naturalibus eſt viuentis affectus: at lapis caret vita, ergo non erit morbus; quare ſi non erit morbus, erit cauſa. Similiter dicunt catarrhactam in oculo, & ſimiles morbos eſſe cauſas morbi, & non morbos. Alias plures rationes affert Argen. terius, quas omnes diſtinctè reijcit Iulius Alexandrinus in defenſione ſuorum antearg enteri cotum; nos autem paucis in fine huius quæſtionis diluemus argumenta.

Secunda opinio eſt nonnullorum, qui fatentur, lapidem in veſſica eſſe cauſam contentiuam: mouenturque hac ratione, quia ad ablationem lapidis ſtatim auffertur morbus veſſicæ. Similiter dicunt tumoris cauſam cõtentiuam eſſe humores, quibus ablatis ſtatim omnia ceſſant; idem dicunt de catarrhacta: ea enim tranſpoſita, ceſſat viſionis impedimentum: cauſa enim contentiua eſt illa, qua poſita ponitur, & qua ablata aufertur, & quæ ſe habet per modum formę, vel cauſę efficien. tis (vt aiunt) non verę: ſicuti dicunt Logici, quod interpoſitio terræ reſpectu eclypſis, & rationale reſpectu riſibilitatis ſint cauſæ efficientes; quibus poſitis ponantur, & quibus ablatis auferantur effectus. Confirmant dari hanc cauſam contentiuam auctoritate Galeni in lib. contra Iulianum cap. 7. vbi dicit, dari morbos, qui ſtatim remouentur, dum cauſa amouetur, quę cauſa continens, ſeu contentiua vocatur.

Tertia opinio eſt nonnullorum, & defenditur quoque ab Oddo, & eſt, quod lapis in veſſica non ſit morbus, ſed lapidis præſentia. Quæ opinio nullo modò probatur, tum quia idem eſt lapis, & ſua pręſentia; tum quia præſentia eſt accidens rei præſentis, eſtque in fieri, ſemperque dependens: quod omninò deſtruit morbi naturam, de cuius ratione eſt, vt ſit in facto eſſe.

Quarta opinio eſt Salui Sclani, qui cẽſet, lapidem in veſſica eſſe morbũ in cauitate, & nõ numero, quod quidem probat ratione, & inductione: ratio pręcipua illius eſt; quia omnis cauitas, vel eſt magis iuſto repleta, vel impedita, vel exinanita: lapis quatenus impedit cauitatem veſſicæ immediatè excitat ſymptomata. Similiter dicit, pus in thorace eſſe morbũ in cauitate; quia, quatenus cauitas eſt impedita, immediate reſpirationem lædit: itidem dum ob nimium cibum ventriculus ita ſit repletus, vt non concoquat, ait, illam ventriculi læſionem immediatè pendere à morbo in cauitate. Immò hinc ſumit occaſionem diſputandi contra Argenterium, qui negabat, omnem actionem læſam (vt nos docet Galenus) à morbo pendere: ratio præcipua Argenterij erat, quia coctionem ventriculi læſam à nimia ciborum plenitudine in homine ſano nemo dicet pendere ab aliquo morbo, ſed à cauſa, idest à nimio cibo, ergo non omnis actio læſa à morbo dependet.

Sclanus reſpondet Argenterio, quod actio

actio læſa ventriculi à nimio cibo non pendeat immediatè à cibo, ſed à morbo in cauitate à nimio cibo facto; affert Sclanus alia exempla pro confirmatione ſuæ opinionis; ſibique proponit hominem ſanum, cui venenum ſit nuper exhibitum ait, anne vt primum exhibetur, excitatur expultrix ventriculi ad vomitum? anne actio ventriculi expultrix deprauatur? quem igitur morbum dicemus actionem illam ventriculi deprauatam inſequi, cum homo alioquin ſit ſanus? quare niſi dicamus venenum ſtatim exhibitum efficere in ventriculo morbum in cauitate, nemo inueniet alium morbum ad quem primo, & immediatè reduci poſſit hoc ſymptoma à veneno excitatum.

Pergit deinde amplificando hoc genus morbi in cauitate, & dicit diſruptionẽ venarum, vel ſuffocationem in Athletis eſſe ſymptomata immediatè prodeũtia à morbo in cauitate, i. à nimietate ſanguinis occupante venarum cauitatem. Præterea adeò magnificat hoc genus morbi, vt omnium ferè morborum genera, ad cauitatem reducat, dicit enim epilepſiam, & vertigines eſſe morbos in cauitate ventriculorum cerebri. Inſuper dum ante oculos videntur muſcæ volitantes ait eſſe morbum in cauitate factum à vaporibus exiſtentibus in cauitate, quæ eſt inter Ragoidem, & Chryſtalloidem. Similiter humorem flauum in oculis ictericorum dicit efficere morbum in cauitate; Et dum fit ſyncope, dicit illam fieri à morbo in cauitate; quia cauitas ſiniſtri ventriculi cordis exinanitur. Poſtremò, vt melius roboret ſuam opinionẽ, recitat pulcherrimum caſum à Galeno citatum 7. de placitis capite 3. de vulnere capitis penetrante vſque ad cerebri ventriculos; quo caſu ille miſer vulneratus ſtatim ſenſu, & motu priuabatur; dicit tamen Galenus, quod adductis vulneris labijs iterum ſpiritus regenerabãtur, & inde patiens iterũ aperiebat oculos, & motum, & omnes ſenſus acquirebat; vulnere tamẽ deinde adaperto iterum amittebat ſenſum, & motum; cui dubium, addit Sclanus, quod hæc ſymptomata à morbo in cauitate ventriculorum immediatè dependent? concludit ergo ſi propoſiti affectus vocari debent morbi in cauitate, quod lapis quoque in veſica ſimiliter poſſit vocari morbus in cauitate.

Hęc opinio ſi ſobriè fuiſſet à Sclano tractata inter probabiliores, eſſet cenſenda, ſed cum illam adeò amplificet, tot abſurda profert, vt illam reddat alijs deteriorem, quia ſuppoſito eius diſcurſu, omnes morbi, qui humanum corpus vexant, poſſent reduci ad motum in cauitate; omnes enim morbi fiunt, vel quia cauitas aliqua eſt repleta, vel impedita, vel exinanita; immò, & hectica febris talis eſt, quia ſi cauitates in hectico neq; eſſent impeditæ, neque exinanitæ hectica non eſſet. Dum dicit, pus in thorace eſſe morbũ in cauitate; miror quod pleuritidẽ quoque non vocet morbum in cauitate, quia à pleura exudat pus ad cauitatem, & reſpirationem lædit. Præterea ſæpiſſimè catarrhus in pectore collectus occupat maiorem cauitatem, quam occupet pus; tamen non dicitur morbus in cauitate, ſed ſymptoma.

Non negamus aliquẽ affectum præter naturã reſpectu diuerſorum vocari poſſe ſymptoma, morbum in cauitate, intemperiem, ſolutam vnitatem, & alijs pluribus nominibus; ſed dicmus affectum eſſe illo nomine appellandum quo facilius ab omnibus intelligatur; ideò quis eſt ille, qui intelligeret illum medicum, qui diceret hominis benè ſani ventriculum non potentem illa die ſed ſequenti dumtaxat nimietatem ciborũ digerere morbum in cauitate pati? Similiter dum uenenũ in uentriculo excitat expultricem; cur Sclanus non uocat cauſam? omnis enim affectus pręter naturã eſt uel morbus, uel cauſa, uel ſymptoma. Hinc lues gallica, rabies canina uocantur cauſæ.

Similiter nos dicimus, uenenum in uẽtriculo primo non eſſe morbum ſed cauſam, neque ullo modo poſſe dici morbum in cauitate, ut ſentit Sclanus, quia cauitas, uel nimis plena, uel nimis uacua non à mala qualitate, ſed à defectu, uel ſuperabundantia læditur. Hinc rectè ſentit, dum in Athletis putat, nimietatem ſanguinis in uenis parientem ſuffocationem, uel diſruptionem, eſſe morbum in cauitate. Dum uerò dicit, epilepſiam, & vertigines eſſe morbos in cauitate uentriculorum cerebri, confundit ſym-

ſymptomata cũ morbis, quia epilepſia, & uertigo primò denotãt actionem læſam, & non morbũ. Preterea Auerroes docet, epilepſiam non fieri ſolum ab humoribus craſſis occupantibus, uel obſtruentibus uentriculos; ſed dicit epilepſiam non fieri ſine aliquo morſu humoris, ſcilicet pungentis, & uellicantis cerebri uentriculos. Itidem, dum flauitiem ictericorũ, & muſcas ante oculos uolitãtes dicit eſſe morbos in cauitate, quam maximè decipitur; quia iſta ſunt ſymptomata, & nõ morbi; qui enim non diſtinguunt morbos à ſymptomatibus, methodum confundunt, & Galeni doctrinam deſtruũt; eamq; reddunt inutilem, & uanã; quia inter ſymptomata, dantur ea, quę ſunt ſecundi ordinis, ut ſunt qualitates mutatę, ſicuti eſt flauities ictericorum.

Medicus uerò arte excultus, ut inueniat morbos indicantes remedia, procedit à ſymptomatib. ſecundi ordinis ad primi, & ab his ad morbos, qui trahunt ad ſe curã; ſicq; procedit, eſt flauities, ergo eſt aliquod exiens mutatum, bilis ſcilicet mutata ex uno ad alium locum; deinde omne exiens ſupponit retentricem læſam, quæ dupliciter læditur, uel per ſe, uel ratione expultricis irritatæ ab obiecto genito à concoctrice deprauata, uel ab obiecto extra ſuum locum exiſtente; ecce quod in hoc progreſſu, qui fit à ſymptomatibus ſecundi ordinis ad ſymptomata primi, medicus poteſt perquirere indicantia, & indicata, & niſi diſtinctas ſymptomatum ſeries has intelligeret actum eſſet de re medica.

Poſtremò dum attulit caſum capitis uulnerati uſque ad uentriculum cerebri, dicimus illud uulnus primo indicare ſolutam unitatem, deinde morbum in cauitate. Itidem dicimus ſyncopẽ eſſe ſymptoma in actione uitali ablata, uel diminuta, & non morbum in cauitate, niſi uelimus ab affectibus præter naturam amouere ſymptomata; quare ſymptomata cũ morbis non ſunt confundenda.

Quinta opinio colligitur ex Galeno lib. de differentijs morborum, & alibi, quod lapis in ueſſica ſit morbus in numero, & quamuis ex Ariſt. in paruis naturalibus, & ex ipſo Gal. multis in locis de ratione morbi ſit, ut morbus conueniat partibus uiuentibus; nihilominus lapis in ueſſica, quamuis careat uita, dicetur morbus in numero à Gal. ſumẽdo morbũ in numero lato modo ſicuti etiam dicit catarractam eſse morbũ in numero.

Sexta opinio eſt Galeni, & nos illã ſequimur, quod ſcilicet lapis in ueſſica primo ſit morbus; quia immediatè impedit dilatationem, & conſtrictionem ueſſicę; non inconuenit tamen; quod morbus ratione diuerſorũ poſſit eſse cauſa, ſymptoma, & urgens; quatenus igitur obſtruit eſt cauſa; quatenus excitat dolores inſignes eſt urgens; quatenus aufert ratione ponderis conſtrictionem, & dilatationem ueſſicæ, erit morbus; quatenus uerò illo poſito ponitur ueſſicæ affectus, & illo ablato aufertur, eſt cauſa contentiua; quatenus implet cauitatem, & urina pauca continetur, eſt morbus in cauitate; quatenus ob lapidis additionem fit morbus dicitur in numero; ecce quod reſpectu diuerſorũ lapis in ueſſica poteſt dici morbus, cauſa, & urgẽs: & uario modo conſideratus uaria nomina ſuſcipiat.

Neque rationes in contrarium adductæ probantes lapidem in ueſſica nõ eſſe morbum ſunt alicuius valoris: non prima, quia fatemur, lapidem non eſſe malam conſtitutionem: ſed veſſicam eſſe malè conſtitutam: de ratione enim morbi in numero ſatis eſt, vt mala conſtitutio ſit in organo: non ſecunda, quia dicimus, lapidem in veſſica immediate lædere actionem, & conſtrictionem veſſicæ: non tertia, quia dum dicebatur morbum eſſe affectum viuentis, cõcedimus lapidẽ in veſſica eſſe viuentis veſſicæ affectum.

CAPITIS LXXXVII.

Particula V.

Tex. 30. *Neque in obſcuro eſt, quod duo ſapius, aut tria vitia eandem partem poſſunt occupare, ſicuti in eo qui ventriculum paruum ſimul, atque rotundum, atque aduerſus ſeptum habuit incumbentem. In ipſo etenim, magnitudo formatio, ac ſitus erunt deprauati, temperatura quoque frigidior exiſtebat, hic nullo artificio ad naturalem habitum transferri poterat: at ne adeò infeſtaretur erat remedio locus; nam quoniam repleto ventriculo difficul-*

tate

tate ſpirandi premebatur, minus cibi, at magis alimento opportuni, & qui non difficulter ſubduceretur, ter in die aſſumebatur.

SVperius egit Gal. de ſimplicibus affectibus præter naturam partium organicarum in conformatione, ſcilicet numero, magnitudine, & ſitu: in hoc tex. incipit agere de compoſitis, quando videlicet vitia in mala compoſitione duo, vel tria, vel quatuor occupant eandem partem.

In hoc tex. ventriculi cuiuſdam hominis exemplo declarat hęc vitia permixta, & complicata; quæ cum ſint ab ortu naturæ, nec curari nec tranſponi, ſed ſolùm accommodatis pręſidijs poſſunt ità mitigari, vt patiens non ægrotet. Exemplum eſt cuiuſdam hominis habentis ventriculum paruum ſimul, atque rotundum, & verſus diaphragma incubentem, frigidaque intemperie laborantem; dicit enim Galenus, in hoc homine erant coniuncti omnes affectus, magnitudo ſcilicet diminuta, figura vitiata, ſitus malus, & intemperatura frigida; qui affectus connaturales, vt auferantur, eſt impoſſibile: mitigari tamen poſſunt ſymptomata inde orta: primum ſymptoma eſt, ſi poſtquam ventriculus mediocri cibo repletus ſit; ſtatim difficultas reſpirandi ſuboritur; ratio eſt, quia etiam ventriculus incumbit verſus ſeptum, & occupat locū, in quem reſpirando diaphragma dilatatur: ſecundum ſymptoma, cibus in flatus conuertitur ratione frigidæ intemperaturæ; tertium ob flatus eo magis extenditur; Hic homo ſubleuari tamen poteſt pauco, ſed boni ſucci alimento ter, vel quater in die partito: paucus enim cibus non opprimer ſeptum; cito concoquetur, & in flatus non conuertetur.

Reprehendit Galenus ventriculum paruum, & rotundum; quia vt in anatomia videtur, & lib. 8. de vſu partium cap. 11. confirmat Galenus ventriculum hominis ſani eſſe figuræ rotundæ, ſed ſimilem cucurbitæ oblongæ, ita vt ſuperior pars ſit ſtrictior, inferior verò latior, atque nullo modo incumbens verſus ſeptum, ne lędatur reſpiratio; ſub iecore tamen ex vna parte collocatur, ſed magis vergens ad læuam, quam ad dextram partem, quod non cognouit Gal. qui putabat vergere magis ad dextram, quā ad læuam; excuſandus ſanè eſt, quia faretur primo de anatomicis adminiſtrationibus c. 2. ſe ſolum duo humana cadauera admodum imperfecta vidiſſe, neque ab hoc errore Veſalius, & alij Anatomici potuerunt Gal. vindicare, vt nos quoq; oſtendimus lib. 3. methodi noſtræ.

Ratio, cur Gal. exemplificat de ventriculo paruo, rotundo, aduerſus ſeptum inclinante, & frigido, eſt, quia hoc exemplo, ſummo artificio declarat omnes modos complicationū morborum; quia ventriculus vt paruus, obſeruatur ventriculi magnitudo diminuta, vt paruæ cauitatis & rotundæ, læſiones in figura, vt inclinās verſus ſeptum, morbus in ſitu, vt frigidus, morbus in intemperie; Morbi verò complicati ex Galeno ſecundo de criſibus c. 7. uel ſunt eiuſdem ſpeciei, ut tertiana cum tertiana; & figura parua ciuitatis uentriculi cum figura rotunda, uel morbi complicati ſunt eiuſdem generis, ut tertiana intermittens cum quotidiana continua, quæ hemitritæum faciunt uel figura rotunda uentriculi cum malo ſitu inclinante uerſus ſeptum tranſuerſum. Vel morbi complicati ſunt diuerſorum generum, vt febris putrida cum hectica, vel morbus ventriculi in magnitudine cum morbis in figura, ſitu, & intemperie frigida, vt in hoc loco fecit Galenus: ecce igitur quam diuinitus Galenus in hoc tex. doceat exēplo affectuum uentriculi omnes morborum complicationes.

CAPITIS LXXXVII.

Particula VI.

Alteri verò, cui obſtructio in hepate ob vaſorum anguſtiam ſæpius contingebat, extenuans victus pro remedio inuentus eſt.

IN hoc tex. proponit alium morbum; qui nec tolli, nec tranſponi poteſt, ſed ſolùm remedijs poteſt mitigari; morbus quem proponit, eſt venarū iecoris naturalis anguſtia; dicit quod mitigabitur iſte affectus vſu attenuātis victus.

1 Dub. dicit Galenus, victum attenuan-

nuantem eſſe remedium pro auferenda hepatis obſtructione;quod remedium videtur inſufficiens:quia ſi obſtructio fiet à copia ſanguinis, remedium erit phlebotomia, ſi fiet à lentore pituitæ non cibus attenuans, ſed detergens iuuabit; quare Gal. præceptum videtur diminutum.

Reſpondetur, Galenum in hoc loco loqui de obſtructione hepatis prodeunte ab anguſtia venarum hepatis; in hepate enim ſunt venarum capillarium myriades, quæ ſi ſua natura nimium anguſtæ ſint, niſi cibus his exhibeatur attenuans, facilè incident in cachexiam. Quæ verò indicant hanc venarum capillarium hepatis anguſtiam ſolent eſſe durities, & tenſiones in regione hepatis. Cauſa verò duritiei, & tenſionis iecoris eſt cibus craſſus,qui in venulis firmatur, dum in prima concoctione non eſt exactè attenuatus.

Annis elapſis Aloyſius Regozia Venetus Chirurgus has venularum myriades à parenchymate hepatis ſeparauit, quos omnes ſurculos vni trunco cohęrẽtes in pollubrum aqua refertum immiſſos diſtinctiſſimè omnes, conſpicere poterant: quibus propaginibus obſtructis tenſiones,& durities ſuboriuntur,aderat quoque Petrus Caphius medicus Venetus percelebris,qui conſiderans hanc hepatis ſtructuram animaduertit, quomodo obſtructis venis hepatis capillaribus, hæmatoſis infirmetur, & hydrops ſuboriatur.

2 Dub. in hoc capite Galenus propoſuit agendum de vitijs corporum lapſorum ſanorum: tamen exempla propoſita de ventriculo rotundo, paruo, incumbẽte verſus diaphragma, frigido; & exemplum de anguſtia venarum hepatis pertinent ad corpora ægrotantia, & non ad ſana:quare non immeritò hęc Galeni doctrina alicui confuſa videtur.

Reſpondetur, Galenum egiſſe de vitijs corporum lapſorum ſalubrium; in hoc loco verò propoſuit illa duo exempla pertinẽtia ad corpora ſimpliciter inſalubria, quæ ſana ſunt: illud enim corpus eſt ſimpliciter inſalubre, quod eſt ſanum, ſed malè ſanum, quia facillimè in morbum labitur; habet enim ab ortu naturæ tales defectus, vt omninò tolli non poſſint, poſſunt tamen mitigari; ſicut de ventriculo rotundo, & paruo dictum eſt; Dum verò dicebatur, quod duo propoſita exempla pertinerent ad corpora ægrotantia, & non ad ſana, negatur aſſumptum; quia & qui habent naturalem anguſtiam venarum hepatis poſſunt cõſeruari ſani vſu attenuantis cibi; & qui habent ventriculum paruum, & rotundum, dicimus,ſi parum, & ter in die,cibi boni ſucci ſumpſerit, optimè conſeruari poſſe in latitudine ſanitatis ſine difficili, & laborioſa reſpiratione.

De huius tex.expoſitione litigant inter ſe interpretes; Haly enim in hoc hepate cum vaſorum anguſtia, de quo in hoc capite loquitur Galenus, animaduertit duo vitia,primum eſt nimia paruitas hepatis, & venarum: ſecundum eſt obſtructio, quam in defectibus in numero collocat; quia in illo adeſt, quod non adeſſet, ſi iecur eſſet ſecundum naturam.

Pluſquamcommentator ſuſtinet contra Haly, Galeni intentionem non eſſe de obſtructione verba facere; quia obſtructio eſt extra limites ſanitatis; hic dicit agi de vitijs ſanorũ corporũ in compoſitione, & non ægrorum; dicit igitur Pluſquamcommentator, in hepate propoſito duo à Gal.notari vitia, primum in magnitudine diminuta:ſecundum in intemperie; putat enim, omne hepar paruum eſse quoque ſua natura frigidum.

Oddus cenſet, in hepate propoſito à Galeno obſeruari tria vitia: primum in magnitudine: ſecundum in numero, vt dicit quoque Haly; & tertium in intemperie; amplectitur enim opinionem Haly,& Pluſquamcommentatoris.

Ego autem puto Gal.conſideraſse unicum tantum uitium hepatis, ideſt anguſtiã uenarum:ſi enim uelimus omnia uitia,quę ab hac uenarum anguſtia proueniunt,enumerare,eſsent longè plura tribus: nõ.n. par eſt addere in expoſitione, quæ ab Auctore nõ proponũtur. Poſtremò dum Haly dicit, obſtructionem illam hepatis eſse uitiũ in numero ob hanc rationẽ, quia adeſt in illo, quod ſecundum naturã nõ adeſset,dicimus rationẽ Haly eſse uanam;quia omnes morbi eſsent uitia in numero, cum adueniant partibus, quæ ſecundũ naturam illis uitijs carent.

C A-

CAPITIS LXXXVIII. Particula I.

De ſolutione continuitatis.

Tex. 31. *Reliquum igitur id morbi genus eſt, quod & ſimilaribus, & inſtrumentarijs partibus commune exiſtit·ſolutio, ſcilicet continuitatis quam quiſpiam forte his vnquam adeſſe negaret, qui integra ſanitate fruuntur, quoniam ſemper ſit paſſio: quem ſanè latet eandem in omnibus generibus fore dubitationem. Niſi enim operationis læſio ſenſibilis ſanitatem ab ægritudine ſeparet, ſed qualitatem tantummodo diſpoſitionis introſpiciamus, perpetuæ paſſibilitatis dogma neceſſariò recipiemus, cum nullus ſit, qui omnes operationes optimas habeat; Sed de hoc quidem, vt quod ad logicam potius pertineat contemplationem, ſeorſum conſideretur.*

EGit ſuperius de defectibus partiũ ſimilarium ſanorum in intemperie, & de defectibus partium diſſimilarium, ideſt in mala compoſitione. In hoc c. agit de vitijs, quæ conueniunt partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus ſanorum, ideſt agit de ſolutione continuitatis: Gal. igitur dicere videtur, quod detur quædam ſolutio continui, quæ cõuenit ſanis, quia in ea operatio ſẽſibiliter non læditur; aliquis enim ſanitate præditus carie detinebitur, vel vlcuſculo, vel puſtula in aliqua corporis parte: is tamen non vocabitur æger; ratio eſt, quia non habet operationem corporis ſenſibiliter læſam, ſed vacat ſuis negotijs, imò horum affectuum minimorũ ſæpè obliuiſcimur.

Concluſum igitur merito eſt à Gal. in hoc loco, & alibi per operationem ſenſibiliter læſam diſtingui ſanum ab ægro; & non per qualitates noſtris ſenſibus immanifeſtas, niſi dicere velimus ad Medici cõſiderationem pertinere dogma perpetuæ paſſionis, quod non ad medicum, ſed ad contemplatiuos philoſophos pertinet: quodlibet enim viuens ſi philoſophicè loqui velimus vnius diei tractu millies patitur, nunc in vna, nunc in alia corporis parte: nulluſque homo ſanus inueniri poteſt, qui in ſimilaribus, vel diſſimilaribus partibus varias paſſiones non ſuſcipiat; quas paſſiones medicus non contemplatur, quia ex Galeno primo, de tuenda ſanitate cap. quinto, medicus eſt artifex ſenſatus, iudicatque, an aliquis ſit ſanus, iudicium deferendo ad ſenſibilem læſionem operationum.

1 Dubit. Galenus agit in hoc libro de cauſis ſalubribus reducentibus defectus ad melius; agit tamen in hoc cap. de ſolutione continui ſanorum: attamen de cauſis ſalubribus corrigentibus paruas ſolutiones continui nil dicit; ideò eſt diminutus.

Reſpondetur, Galenum inferius eſſe acturum de cauſis curantibus ſolutionẽ continui; qui igitur ſciet amouere maiores continui ſolutiones, ſciet quoque minores. Vel dicunt Expoſitores, paruas ſolutiones continui ſanorum ipſam naturam ſine medico auferre poſſe. Cæterũ prima ſolutio eſt melior; quia exempli cauſa, aderit caries in homine ſano in lingua, ſcilicet illam nunquam natura, ſed medicus tollet alumine, vel oleo calcantino, vel ſimilibus.

2 Dub. Gal. in tex. & alibi inquit, ſolutionem continui eſſe morbum communem ſimilaribus, & organicis partibus. Auerroes tamen deridens Gal. dicit continui ſolutionem conuenire ſimilaribus partibus; ſolutionem verò contigui conuenire organicis: Auerroemque ſequitur Pluſquamcommentator.

Reſpondemus pro nunc, Gal. accipere continuum lato modo. Sicut philoſophus primo meteororum vbi dicit, oportet mundum hunc eſſe continuum ſuperioribus lationibus; ibi Ariſtoteles ſumit continuum pro contiguo.

3 Dubit. Argenterius diſputat contra Galenum, & probat ſolutionem continui conuenire ſolùm diſſimilaribus partibus per ſe; Similaribus verò per accidens; argumentum Argenterij tale eſt; morbus eſt illius partis, cuius actio læſa eſt; ſed ſolutio continui lædit actionem diſſimilarium, & non ſimilarium per ſe, ergo ſolutio continui conueniet per ſe diſſimilaribus, & non ſimilaribus.

Reſpondetur, eſſe falſiſſimum, quòd actiones ſimilarium partium nõ lædantur per ſe à ſolutione continui: an ne ſoluta

carne per ſe illicò læditur optima carnis concoctio, retentio, & expulſio? Præterea dùm gangræna partem ſimilarem occupat: an ne omnes virtutes ſimilarium per ſe amittentur; quare non eſt, vt cum Argenterij nugis, in quibus totus eſt volutatus, tempus teramus. Nos enim in hoc lib. c. 8. tex. 3. de hac materia contra Argenterium egimus; & deinde c. 90. poſt tex. 1. contra Fallopium, qui fuit eiuſdem opinionis agemus; ideò Lectores remittimus ad capita propria.

CAPITIS LXXXVIII. Particula II.

Tex. 32. *Salubres verò cauſas, vt his quos nemo dubitat ægrotare, deinceps percurramus, à mala temperatura exordium facientes. Hic verò prius diſtinguamus, quæ omnes ferè Medici prætermittunt, alias quidem eſſe ſalubres cauſas eius intemperaturæ, quæ iam facta eſt, alias autem illius, quæ & adhuc fit, ſicuti etiam alias eius, quæ futura eſt.*

HActenus Galenus egit de cauſis, ſeu de remedijs ſalubribus conſeruantibus, & reducentibus corpora lapſa ad melius. In hoc loco incipit de cauſis, ſeu de remedijs efficientibus ſanitatem: verùm, quia remedia efficientia ſanitatem ſunt triplicia, alia videlicet, quæ auferunt ægritudinem, & de his agit à b hoc tex. vſq; ad caput 99. excluſiuè: alia verò ſunt remedia præſeruatiua, quæ præſeruant ab imminenti morbo, & quæ tollunt malam diſpoſitionem corporum neutrorum decidentiæ: & alia ſunt remedia reſumptiua, quæ auferunt malam diſpoſitionem neutrorum vt nunc, conualeſcentiæ ſcilicet, de quibus agit Gal. à tex. 78. vſque ad finem libri.

Incipit igitur in hoc tex. à remedijs remouentibus intemperiem morboſam; ſed quia omne multiplex ex Ariſtotele 1. Cœli tex. 110. eſt prius diuidendum, quam definiendum, prius Galenus diuidit: & dicit, tot eſſe remedia, quot intemperies: remedia enim, & morbi ſunt relatiua, & relatiuorum eadem eſt ratio: dicit igitur, quod alia erunt remedia pro auferenda intemperie facta: alia pro intemperie, quæ adhuc fit, & alia profutura; immò Galenus reprehendit Antiquos Medicos, qui tractantes de intemperie præter naturam non animaduerterunt hanc diuiſionem apprimè neceſſariam; ignorata enim hac diſtinctione ruit methodi artificii; quia remedia pro intemperie facta ſunt omninò diuerſa, ne dicam contraria intemperiei, quæ fit & intemperiei futuræ: remedia pro auferenda intemperie futura ſunt præſeruatoria; pro intemperie facta ſunt curatoria; pro intemperie quæ adhuc fit tum curatoria, tum præſeruatoria; curatoria valent pro tollenda intemperie facta, præſeruatoria pro fienda.

1 Dub. dicit Galenus, intemperiem aliquam eſſe in facto eſſe: aliam adhuc fieri, quod reluctatur ijs, quæ ab illo dicuntur 3. methodi c. 3. & lib. de differentijs ſymptomatum cap. 1. ibi enim inquit, morbos omnes eſſe in facto eſſe; affectus verò, qui ſunt in fieri eſſe ſymptomata, & paſſiones perpetuò à morbis dependentes, quæ vocantur pathe, ſiue pathemata, id eſt paſſiones quæ per ſe ſemper ſunt in fieri.

Montanus reſpondet, per morbos in facto Gal. intelligere morbos in ſtatu; alios verò morbos, qui non ſunt in ſtatu, dicit eſſe in fieri. Reijcitur, quia hectica febris prima die eſt in ſtatu; tamen illa dicitur in facto eſſe. Præterea Gal. hic non conſiderat tempora morborum, ſed comparat morbos, qui nō amplius fiunt cum illis, qui adhuc fiunt.

Argenterius dicit, Gal. per morbos, qui adhuc fiunt, intelligere morbos, qui augentur. Decipitur, quia etiam hectica febris intenditur, & augetur; dum de primo in ſecundum gradum tranſit. Per intemperiem reuera, quæ adhuc fit, intelligitur morbus qui partim eſt factus, & partim fit; poteſt enim inueniri aliqua febris in declinatione, quę non amplius augeatur; tamen noui paroxyſmi fiant; ecce quod per illud verbum fieri non debet intelligi augeri, quia dum intemperies minuuntur, fieri quoque poſſunt.

Dicimus igitur nos per morbum factū intelligere illum affectum, qui non amplius pendet à cauſa; per fientem intelligere affectum pendentem à cauſa, & qui ex ſe nullum habet eſſe permanens,

&

& nihil indicat, quia tollitur ad ablationem cauſæ.

2 Dub. non videtur, quod illi morbi vocentur in facto eſſe, qui non amplius dependent à cauſa; quia intemperies præter naturam dependeant vel non dependeāt à cauſa, ſunt alterationes, & motus. Si alterationes, & motus, ergo in fieri; quia erunt actus entis in potentia, vt in potentia; imò dicimus etiam febrem hecticam eſſe in fieri, quia ſunt motus quidam, & alterationes continuæ.

Pluſquamcommentator cenſet, hecticam febrem ità eſſe in facto eſſe, vt nō ſit in fieri; quia dicit febrem hecticam eſſe calidum natiuum omninò conuerſum, & mutatum in igneum.

Reijcitur, quia fuit deceptus ab antiqua trāslatione, in qua definitio febris ſic legitur; febris eſt calidum natiuum cōuerſum ad igneum: vera tamen, & germana translatio eſt hęc: febris eſt conuerſio natiuæ caliditatis ad igneum: in tex. enim Græco in prima ſect. aph. 16. Galenus in comm. habet hæc verba, ἐϛὶ γὰρ τροπὴ τῆς, ἐμφύτου θερμασίας ἐπὶ τὸ πυρῶδες, ideſt: eſt enim conuerſio natiuæ caliditatis ad igneum non dicit conuerſum, ſed legitur τροπὴ, ideſt conuerſio, quæ eſt motus, & eſt in fieri; & hac ratione omnis febris ſit hectica, ſit ephemera, eſt motus; quod verò eſt conuerſum, eſt terminus motus, & eſt in facto eſſe.

Nonnulli putant ephemeram eſſe in fieri; hecticam verò eſſe in facto eſſe; ſed vacillant; quia omnes motus partim ſunt in fieri, & partim in facto eſſe.

Dicimus igitur nos, omnes motus reſpectu termini ad quem acquiſiti eſſe in facto eſſe. Sed addimus, terminum ad quem acquiſitū dupliciter cōſiderari; vel vt eſt actus entis in potentia, vt in potentia; vel vt eſt actus entis in potentia, vt in actu. Reſpondemus, quod terminus ad quē conſideratus, vt eſt actus entis in potentia vt in actu eſt in facto eſſe, nullam habens ab aliqua cauſa præſente dependentiam; & hoc modo ephemera, & hectica ſunt in facto eſſe; ſi verò conſideretur terminus ad quē, vt eſt actus entis in potentia vt in potentia, dicimus quod ratione actus eſt in facto eſſe; ratione verò potentiæ, vt eſt in potentia, eſt in fieri, quia habet cauſam à qua perpetuò depēdet, & hoc modo & febres putridæ, & omnes morbi, quatenus fouentur à cauſis efficientibus ſunt in fieri; ratione verò actus acquiſiti ſunt in facto eſſe.

Quando igitur Galenus dicit, morbos eſſe in facto eſſe, intellexit affectum non pendentem à cauſa; quando verò dixit eſſe in fieri, intellexit affectum pendentem à cauſa: Neque in hoc errat Pluſquamcommentator, dum dicit, quod morbus fiens ſit idem, quod paſſio, & nullo modo ſit qualitas firma, & permanens; erratque valde Sclanus, qui illum confutat, dum ait, morbos fientes ratione partis factæ eſſe morbos; ratione partis futuræ, paſſiones; quia implicat contradictionem dicere, morbum fieri ratione partis factæ, & futuræ; ſequeretur enim quod illud, quod fit, haberet partes factas, & actu haberet futuras, quod eſt ridiculum.

3 Dub. ex Galen. 2. methodi, & 3. cap. 3. & lib. de differentijs ſymptomatum cap. 1. habetur, quod pathos differat à morbo; quia pathos, ſeu paſſio eſt in fieri; morbus verò in facto eſſe, quod non videtur, quia omnis paſſio eſt partim facta, partim fit, & partim fiet; quia omnis motus ratione termini ad quem eſt factus; ratione termini à quo, fiet: omnis motus alterationis fit in tempore; & quælibet pars temporis eſt diuiſibilis, habetque præteritum, quod factum eſt, præſens quod fit, & futurum quod neque eſt factum, neque fit.

Reſpondetur, quod ſit veriſſimum, omnem paſſionem eſſe motum, & habere rem factam, fientem, & futuram, ſed ad hoc, vt id, quod factum eſt indicet, requiritur vt lędat actionem, vt permaneat ex ſe, & ſit mala conſtitutio lædēs immediatè operationes, ideſt aliquod, quod factum eſt; quare ſuſtinemus hanc concluſionem, omne quod eſt in fieri, vt eſt in fieri, non eſſe morbum, quia vt tale non actu; & per ſe lædit, nihilque indicat, ſed tollitur ad ablationem cauſæ, &, vt tale, eſt alteratio, & pathos, & non morbus.

4 Dub. Galen. in tex. diuidit temperaturas factas, & quæ fiunt; ſimiliter 8. methodi c. 1. & 2. diuidit febrem in factam, in febrem quę partim eſt facta, & partim

fit;

fit; & in febrem, quæ ſolum fit; tunc ſic argumentabimur; de ratione morbi ſpecifici ſit intemperies ſit febris, ſemper de ratione morbi eſt, vt ſit in facto eſſe, vt docet Galenus in methodo; at ſic eſt, quod intemperies, vel febris eſt morbus; ergo non dabitur intemperies, vel febris quæ ſolum fit.

Solutio, quæ mihi ſatisfacit eſt; quod nullo modo affectus, qui fit, poſſit vocari morbus fiens, quia non eſt: poteſt tamen vocari fiens morbus, & futurus, & non e contra: Immò arbitramur, quod implicet contradictionem dicere eſſe morbum, & quod fiat.

5 Dubitatio non videtur, quod dentur morbi, qui pendeant à cauſa, vt febres putridæ, & aliæ intemperaturæ cum materia; & ſint in facto eſse; quia ablata cauſa ſtatim ceſſant febres, & aliæ intemperies à cauſa prodeuntes; quare Galeni diſtinctio intemperiei in factam, & fientē videtur irrita, & vana. Præterea patet experientia, quod ablata putredine, quæ efficit febrem putridam, ſtatim ceſſet intemperies: idem accidit in tumoribus, ablatis enim humorib. illos efficientibus, ſtatim tolluntur tumores. Itidem euenit in obſtructionibus, ſi enim auferantur humores obſtruētes, illicò ceſſant obſtructiones. Similiter Hippocrates 2. aphoriſmorum 22. idem confirmat, quia dicit, morbos qui fiunt a repletione, euacuatione curari. Quare non dabitur intemperies fiens à ſua cauſa, quæ ſit in facto eſſe.

Reſpondent nonnulli, quod illæ intēperaturæ, ſeu morbi, qui ſemper fiunt à cau a, qua remota ipſi remouentur, cauſam habeant contentiuam. Sed non ſoluunt nodum, quia adhuc erit verum, quod non ſint in facto eſſe.

Dicimus nos, quod morbi, qui poſt ablatam cauſam ceſſant, ſint duum generum: aliqui ſunt ſemper in fieri, vt tumores, qui, ablata cauſa, ſtatim ceſſant: aliqui verò ſunt etiam in facto eſſe, ſed quod eſt factum, eſt pauxillum, ità vt natura ſtatim illud ſuperet; Hinc in febre putrida ablatis humoribus efficientibus hanc intemperiem, natura ex ſe ſola eam vincit: aliquando verò poſt omnimodam euacuationem humorum putridorum relinquitur intemperies in corde, & hepate; & inde rurſus generantur biliofi, & æruginoſi ſucci, vnde iterum fit.

6 Dub. Galenus, loquens de intemperie in communi, eam diuidit in partem factam, fientem, & futuram; quod quidem non conuenit omnibus intemperiebus; morbi enim qui fiunt, habēt cauſam à qua fiunt, & dependent; ſed ſic eſt quod ephemera, & hectica poſt earum principium, & poſtquam factæ ſunt, non amplius habent cauſam, à qua fiant; ergo, dum vexant homines nullo modo fiunt. Probatur auctoritate Galeni lib. de optima ſecta c. 35. & 37. vbi aſſerit, quod morbi, qui fiunt, habent quatuor tempora, principium, ſcilicet augmentum, ſtatum, & declinationem; dicitque quatuor tempora fieri ob variam cauſæ motionem; quare ablata cauſa aufertur pars fiens morbi, & auferuntur quatuor tempora; ergo pars fiens non conueniet omnibus temporibus.

Reſpondent nonnulli, quod non ſolū putridæ febres ſint illæ, quæ habent cauſam, & fiunt: ſed etiam ephemera, & hectica; negantque, quod in ephemera, & hectica ſit omninò cauſa ablata, à qua continuò dependent, & fiunt; ratio quæ illis mouet, eſt, quia dicunt, ſicuti lapidi proiecto communicatur à proijciēte virtus, quæ continuò lapidem propellit, ſimiliter cauſa, quæ prius excitauit ephemeram, licet receſſerit, communicauit tamen ſpiritus illam efficientibus febrilem violentiam; ita vt ephemera non ſit ſine cauſa, & ſine quatuor morborum temporibus.

Pluſquamcommentator reijcit propoſitam ſimilitudinem de proiectis; quia virtus communicata à proijciente nunquam mouet violentius, dum longè diſtat à principio motionis, ſed maior violentia eſt, quādo incipit motus proiectorū; at in febre non ſic ſe habet, quia augmentum eſt violentius, quam principium; nemini dubium eſt, quod in progreſſu febris, ſemper maior ſit caliditas, quam in principio: quamuis in principio cauſa ſit præſens.

Reſpondet Pluſquam commētator, & rectè, in morbis, in quibus cauſa non eſt præſens, non dari quatuor tempora; confirmatque Galeni auctoritate lib. de optima

ma ſecta, cap.35. & 37. vbi dicit, morborũ tempora fieri à diuerſa motione cauſæ efficientis: Hinc in ephemera, vel hectica, cum cauſæ, quę illas excitarunt, ſint ablatæ, non eſſe mirum, inquit, ſi quatuor morborum tempora non obſeruentur: & primo de criſib. capit.17. loquens de principio morbi Galenus dicit, morbi principium euſque perſeuerare, donec nullum coctionis ſignum appareat: augmentum verò euſque perſeuerare, quouſque conſpiciantur ſigna coctionis, imperfecta tamen: ſtatum verò adeſſe, dum perfecta ſigna coctionis apparent: declinationem, dum quæ cocta ſunt, expellũtur: ecce, quod quatuor morborum tempora deſumuntur à coctione cauſæ concoquendæ; quæ cauſa eſt efficiens: & omnes morbi, qui carent hac cauſa apta, vt concoquatur; ſicuti eſt ephemera, & hectica, carent quatuor morborum temporibus.

7 Dubit. dictum eſt cum Galeno ephemeram febrem carere quatuor temporibus; attamen Galenus primo de differentijs febrium cap.7. 2. de criſibus c.vlt. & lib. de totius morbi temporibus cap.3. docet, omnes morbos ſalutares habere quatuor tempora: ergo & ephemera, & omnes morbi curabiles erunt huiuſmodi.

Reſpondetur, quod tẽpora morborum dupliciter ſumi poſſint: primo pro partibus, ſiue ætatibus morborum; ſicut deviuente dicimus, prius incipere, deinde augeri, mox eſſe in ſtatu, & demum in declinatione: & in hoc ſenſu omnes morbos ſalutares dicimus habere quatuor tẽpora. Hinc quoque Plato in vltimis ferè verbis dialogi de natura habet, morbis ſingulis conuenire ſuas ætates, & fatales temporum curſus. Secundo modo ſumuntur quatuor tempora, quatenus talia, & tot fiunt à cauſis efficientibus morborum, dum ſcilicet iſtæ cauſæ vincũtur, & ſuperantur à natura: & ſecundum hãc intelligentiam, cauſa, ſiue humor, dum eſt crudus, efficit morbi principium: dum imperfecta ſigna coctionis incipiunt, & perſeuerant, efficitur augmentum: dum verò incipiunt ſigna perfectæ coctionis incipit ſtatus: demum, dum natura poſt factam coctionem incipit expellere, incipit declinatio. Per hanc diſtinctionem ſoluitur dubitatio.

8 Dubit. ſunt nonnulli morbi adeò veloces, vt in illis nullo modo obſeruentur quatuor tempora; vt in apoplexia, in febre homotona, acmaſtica, & paracmaſtica, in ſyncope, & alijs.

Reſpondetur, quod in apoplexia ſunt quatuor tempora: ſed principium, & augmentum citiſſimè pertranſeunt: quia ſtatim ferè ad vigorem, ſeu ſtatum accedit. Similiter in febre homotona; quæ eſt ferè tota in vigore principium autem augmentum, & declinatio ſunt adeo breuia, & obſcura, vt ſint imperceptibilia. Similiter in acmaſtica ſolum percipitur augmentum, principium vero, ſtatus, & declinatio non percipiuntur: in paracmaſtica percipitur declinatio, & non tria alia tempora: negamus tamen, quod, quamuis non percipiantur, non ſint.

Hinc tollitur apparens contradictio in Galeno; lib. enim de optima ſecta diſputat contra methodicos, & negat, omnes morbos habere quatuor tempora; lib. verò de totius morbi temporibus, & primo de differentijs febrium, c.7. affirmat, omnes morbos habere quatuor tempora.

Soluitur apparens contradictio, quia quatuor tempora dupliciter conſiderantur, vel in ſe, & ſic nullus datur morbus, qui non habeat has quatuor ætates, principium ſcilicet, augmentum, ſtatum, & declinationem: ſecundo vel conſiderantur quatuor tempora, ſecundum ſenſum, & hoc modo ſolum illi morbi, qui habent cauſam efficiẽtem internam præſentem, & habent quatuor tempora ſenſibus manifeſta, vel immanifeſta.

9 Dub. non videtur, quod morbi, ſeu intemperies, quarum cauſæ efficientes ſunt ablatæ, poſſint habere quatuor ætates, ſeu tempora, quia ablata cauſa calefaciente, quæ efficit ephemeram, ſtatim incipit, ſenſim tamen, calorem diminui, & auferri: quod cum ita ſit, ſequitur, ephemeram non habere, quatuor ætates, ſed ſolum duas, ideſt principium, & declinationem.

Reſpondet Pluſquamcommentator in principio febris ephemeræ, calorem eſſe maiorem intenſiuè: in augmento verò eſſe maiorem extenſiuè; calor enim in augmento dilatatur, & extẽditur ad corporis

poris ſi perficitur. Hæc ſolutio non mihi probatur; quia calor introductus in ſpiritus, ità eſt dilatatus in principio, vt in augmento.

Ego igitur puto, in febribus omnibus calorem augeſcere, non ſolum ob cauſas efficientes, & introducentes calorem; ſed etiam ob certamen, & conatum, quem habet natura cum morbo: natura enim ſemper ſummis conatibus inſurgit cõtra morbum, & in hoc conatu calor augetur; neque opinionem Tralliani, & Verghæ dicentium, in febribus ob naturæ conatum, calorem accendi, omninò deſpicimus: quia natura dum expellit noxia, ſine conatu id non efficit; deſpicimus tamen illorum ſententiam, quia putant totum calorem febrilem inde proficiſci; calorem enim, & à putredine, & à naturæ conatu oriri credendum eſt.

10 Dub. t. dictum eſt ex Galeno primo de differentijs febrium cap. 7. & 2. de criſib. cap. vlt. omnes ſalubres morbos percurrere quatuor tempora, nihilominus Pluſquamcommentator profitetur ex Hippocrate, & Galeno colligi poſſe, quod detur duodecim, vel ſaltem octo morborũ ſalutarium tempora, quatuor morborum tempora dari ratione eſſentiæ morbi, & quatuor ratione ſymptomatum, & quatuor ratione coctionis, & cruditatis; dicitque differre tempora morborum à temporibus ſymptomatum; quia aliquãdo morbi ſunt ferè in principio declinationis, nihilominus tunc ſymptomata habent ſuum augmentum: ſimiliter tempora concoctionis non obſeruantur in ijſdem temporibus, in quibus obſeruantur tempora morbi, & ſymptomatum: morbus enim poteſt eſſe ſæuus, & ſymptomata mitia. Similiter ſymptomata poſſunt eſſe ſæuiſſima cum ſignis coctionis; differt igitur augmentum coctionis ab augmento ſymptomatum.

Similiter tempora morbi, & ſymptomatum inter ſe differunt, quia morbus in principio eſt acerbiſſimus, ſymptomata verò in morbi principio ſunt mitiſſima: quod quidem probatur auctoritate Hippocratis 2. aphoriſmorum 30. vbi leguntur hæc verba: *Circa initia, & finem morborum remiſſiora ſunt omnia; in vigore vehementiora*; Addit Pluſquamcommẽtator, ſed ſic eſt, quod in uigore morborum ſalubrium morbus eſt mitior, ergo Hipp. nõ ratione eſſentiæ morbi intellexit aphoriſ. ſed ratione ſymptomatum; ideò dicit, quod qui uellet diſtinguere tẽpora morborum ſalubriũ ratione eſſentiæ morbi, diceret uigorem morbi eſſe in principio; in augmẽto uerò incipere declinationem; quia natura incipit uincere; addit tamen, quod in lethalib. morbis tẽpora diſtinguuntur, non ſolum ratione ſymptomatũ, ſed etiam ratione magnitudinis morbi: quia quantò vlterius æger progreditur, tantò morbus maior efficitur; quia vires in dies magis in morituris opprimuntur: probat deinde Pluſquamcommentator, quod diſtinguantur tempora ratione ſymptomatum, & non ratione morbi, quia Gal. in com. 2. aphoriſ. 30. dicit, morbus dum conſiſtit, in his qui ſaluantur eſt melior, quam in principio; ſed ſic eſt, quod ſecundum ſtatum morbus ſemper eſt maior ratione ſymptomatum, ergo alia erunt tempora ſymptomatum à temporibus morbi: confirmat etiam ex Gal. 3. de ratione victus in ac. cap. ult. ubi dicit, quod in ſtatu ſæpè morbus eſt mitior, & tamen ſymptomata sũt magna; patet quoq; experientia, aliquando febres maligniſſimas videri adeo paruas, vt medici celebres aliquãdo eas paruifaciat, quę inde cum magno eorum dedecore improuisè ęgros perimunt; inde igitur cõcludit, quod ſymptomata aliquãdo ſunt ſæuiſſima, & morbus mitiſſimus: & aliquãdo ſymptomata ſunt mitiſſima, & morbus mortalis, concluditq; tempora ſymptomatum eſſe omninò diuerſa à tẽporibus pendentibus ab eſſentia morbi.

Reſpondemus, Pluſquamcommentatorem à Galeno, & à veritate quàm maximè recedere, quia nec verba Gal. intellexit, neque ea, quæ pertinet ad morbi naturam. Galenus enim 3. de criſib. cap. 4. dicit, quatuor eſſe illa, quæ pertinent ad morbum, primum eſſe ideam, quæ ex proprijs ſymptomatibus cognoſcitur, ſecundum eſſe morbi magnitudinem, quæ ex magnitudine propriorum ſymptomatum percipitur: tertium eſſe morem, qui ex ſuperuenientib. ſymptomatibus manifeſtatur: quartum eſſe motũ, qui ex particularibus acceſſionib. ſigni-

ficatur; cui dubium, quod morbus ratione magnitudinis poteſt eſſe in ſtatu vehemens; ratione verò mali moris mitis.

Multæ enim ſunt febres quo ad magnitudinem mitiſſimæ, quò vero ad morem peſtiferæ; quando igitur Hippocrates dicit circa initia omnia remiſſiora; in ſtatu vehementiora, intellixit de magnitudine, & non de benignitate: quia certiſſimum eſt in morbis ſalubribus, de quibus agitur, in ſtatu morbũ eſſe mitiorem, & benigniorem, quam in principio; non tamen minorem ratione magnitudinis morbi. Similiter dum lib. 3. morborum acutorum c. vlt. dicit Gal. ſæpè in vigore morbũ eſſe mitiorẽ, ſymptomata verò eſſe magna, intelligimus eſſe mitiorẽ ratione moris, & nõ rõne magnitudinis: ſemper enim ob oculos ponẽda ſunt, quæ dicuntur à Gal. 3. de criſib. c. 4. quod quatuor ſpectent ad morbi naturam, quę ſunt inter ſe diuerſa. Idea ſcilicet magnitudo, mos, & motus; quod aũt hæc ſit vera intelligentia verborum propoſitorum, 3. de ratione victus in acutis, c. vlt. poſſunt afferri verba græca, quæ euidentius idem declarant: & hæc ſunt, *πολλάκις γὰρ ἡ μὲν διάθεσις αὐτὴ, καθ᾽ ἣν νοσοῦσιν ἐπιεικέστερα γίγνεται, τὰ δὲ συμπτώματα αὐξάνεται*, ideſt ſæpè .n. ipſa diſpoſitio, qua ægrotant benignior ſit; ſyptomata autem creſcunt; ecce quod poteſt contingere, vt creſcant ſymptomata, & morbus fiat benignior; non tamen dicetur minor, quia ſymptomata magna, & vehementia indicant magnitudinem morbi, & non malignitatem; ſed quia illa quatuor ſunt interſe diuerſa, Idea ſcilicet magnitudo, motus, & mos; ideò deceptus eſt Pluſquam commentator; magnitudini enim conuenit vehementia, & paruitas; mori verò benignitas, & malignitas; quare non eſt mirum ſi morbus poſſit eſſe paruus, & malignus: vehemens, & mitior, & ſalubrior.

CAPIT. LXXXVIII.

Particula III.

Tex. 33. *Huius itaque poſtrema, hæ quidem in præſeruatiua artis parte continentur, hæ verò in ſalubri. Prima autem inter omnes in curatiua tantummodo, ſed eius quam mediam inter vtramque locauimus in præſeruatiua, & curatiua. Iam enim factam, atque exiſtentem ægritudinem curare oportet: ſed quæ nondum quidem adeſt, at futura eſt, prohibendum eſt ne fiat ab ea, quæ eſt in corpore, diſpoſitione. Eius autem, quæ ad huc fit, quod quidem factum eſt curare opus eſt, quod autem futurum, prohibere ne fiat.*

Declarauit ſuperius remedia, alia eſſe pro auferẽde intemperie facta: alia pro intemperie, quæ fit: & alia pro futura. In hoc text. verò miſſis aliorum expotiſionibus docet, ad quam partem medicinæ reducantur remedia intemperiei futuræ, factæ, & fientis.

Hic eſt ferè ſenſus: remedia futuri morbi ſunt duplicia, aliqua præſeruatiua; aliqua conſeruatiua, pertinentia ſcilicet ad libros ſalubrium, ideſt de tuenda ſanitate. Remedia verò intemperiei factę ſunt ſolum curatiua. remedia verò factæ & fientis ſunt curatiua, & præſeruatiua: ſed exemplo iſta declarentur: homo, ſi ſit omninò ſanus, eget conſeruatione per ſimilia: ſi vero eſt ſanus cum aliquo lapſu à temperatiſſimo, eget quoque conſeruatione per ſimilia, ne cadat in futurũ morbum: ſi vero ſit ſanus, ſed tamen immineat morbus: tunc eget præſeruatione: ſi vero factus ſit morbus, eget ſolum curatione per contraria; ſi partim ſit factus, & partim adhuc fiet, eget curatione, pro auferendo morbo facto, & præſeruatione ne adhuc fiat. In hoc loco notatur error Montani, qui per affectum in facto eſſe intelligit morbos in ſtatu; & per morbos in fieri intelligit morbos, qui non ſunt in ſtatu, quæ opinio alibi eſt à nobis reiecta; verior .n. opinio eſt, quod per fieri intelligi debeat augeri, vt optimè quoque putat Argenterius.

1 Dub. inſurgit Argẽterius cõtra Gal. dicentem, futuras intemperatura egere non ſolum præſeruatione, ſed etiam conſeruatione; quia corpora ſi ſana ſint, non habent potentiam ad morbum futurum; ſi habent potentiam ad morbum futurum, tunc egent præſeruatione per contraria, & non conſeruatione per ſimilia.

Solutio propoſiti dubij facilis eſt; quia corpora, vel de longinquo, vel de propinquo

pinquo ſunt in morbum futurum ca ſura: ſi primo modo, dicimus, eger econſeruatione, & non præſeruatione: exempli cauſa aderit corpus ſanum, ſed calidum in primo gradu: aderit quoque conſtitutio aeris calidiſſima, tunc ne cadat in futuram intemperiẽ calidam, prohibemus omnia, quæ ſunt calidiora, iis quæ ſunt in primo gradu: & hoc modo ſimilib. cõſeruabimus: quare Argenterij in Galenũ argumentum eſt omninò vanum: ſi verò ſecũdo modo, ideſt ſi corpora ſint caſura in futurã intemperaturam, quia de propinquo inſtat intemperatura, ità vt iam ſit aliquod veſtigium futuri morbi impreſſum, tunc non ad artem conſeruatiuam; ſed ad præſeruatiuam, quæ per contraria procedit, pertinet.

2 Dubit. dicit Galenus in tex. quod intemperies, quę fit, habet aliquam partem factam, quam dicit eſſe curandam, quod videtur inconueniens: quoniam omnia, quæ fiunt tolluntur ad ablationem cauſæ; affectus verò, cum non ſit factus, non curatur, quia nihil indicat.

Ego autem pro dubij ſolutione diſtinguo fientes morbos in tria genera: aliqui enim fiunt, qui habent portionẽ factam, ſed imperceptibilem, ſicuti ſunt tumores, qui pendent immediatè ab humoribus; ablatis enim humoribus è veſtigio tumores (quamuis ſint morbi, & non ſymptomata) ceſſant. Aliqui habent portionem factam, ſed adeò exiguam, vt natura ſola poſt ablatam cauſam poſſit, ſed non illicò, eam vincere; huius generis exemplũ legitur, primo de loc.aff. c.2. vbi aſſerit, ſi humor acris vellicat inteſtina, & vlcuſcula, & dyſenteriam efficiat, ablata tamẽ cauſa, ideſt humoribus erodentibus, natura ex ſe ſola ſine medico citiſſimè vlcuſcula ſanat. Aliqui demum ſunt morbi fientes, qui habent partem factam, quę cum non ſtatim tollatur ad ablationem cauſæ, oportet remedijs contrarijs partem factam curare; exemplum iſtius affectus fiẽtis tradit Galen. 8. methodi c.1. vbi dicit, quod febris facta curatur refrigeratione, quæ fit per cauſæ ablationem; ſi verò nullo modo ſit facta, nõ eſt morbus, ſed pathos. i. affectus in fieri; de ratione enim morbi eſt, vt ſit in facto eſſe; quæ verò partim eſt facta, & partim fit, & præſeruatione, & curatione eget, vt Galenus in tex. docet.

3 Dub. in tex. Galenus dicit, intemperies, quæ neque ſunt factæ, neq; ſunt futuræ; ſed adhuc fiunt, egere præſeruatione, & curatione. Nõ videtur, quod egeãt curatione; quia omnes morbi, qui per conſenſum in aliqua parte tales ſunt; tolluntur ad ablationem alterius, & nulla egent curatione: exempli cauſa, Galen. de loc. aff. dicit: male habente liene confluunt ichores melancholici in ventriculum; vnde excitantur ſymptomata melancolica; læditur .ſ. chylificatrix, & excitatur vomitus; cui dubium, quod hæ actiones ventriculi læſæ ſupponunt non ſolùm cauſam, .i. ichores melancholicos, verùm etiam morbum factum in ventriculo pendere à vitio ſplenis? quem, ſi medicus vellet auferre, auferendo .ſ. malam ventriculi conſtitutionem, quæ ſemper pendet, & ſemper eſt etiam in fieri, fieret ridiculus, & fruſtra vexaret ægrũ; quoniam curatio eſſet applicanda ſpleni, & non ventriculo; quare morbi, qui fiunt, non videntur, quod egeant curatione, vt dicit Galenus ſed ſolum præſeruatione, quæ dirigitur ad tollendam cauſam illius affectus.

Similiter Galenus 2. de differentijs febrium cap. vltimo loquẽs de catarrho ait, aliquando caput nil pati, ſed catarrhum fieri ob ſanguinis vitium; nemini dubiũ, catarrhum tunc fieri ob læſionem alteratricis cerebri; tamen ſi quis vellet curare cerebrum, nullo adhito auxilio pro auferendo ſanguinis vitio, tempus tereret; quare affectus qui fiunt per conſenſum non videntur, quod egeant curatione, ſed ſolum præſeruatione, cauſas ſcilicet auferendo.

Itidem Galenus 1. de locis affec. c.6. recitat hiſtoriam Iuuenis Grammatici, qui ob læſionem oris ventriculi in epilepſiã incidebat; refertque ſe illum ſtatim liberaſſe, dando aliquid panis rectè parati; & uinum album modicè adſtringens, gratia corroborandi os uentriculi; cui dubium, quod actiones cerebri principes læſæ immediatè non ab ore uentriculi; ſed à læſa conſtitutione cerebri pendent? oportet igitur, ut mala conſtitutio cerebri ſit non ſolum in fieri: ſed etiam in facto

facto eſse : nulla .n. actio læditur immediatè,niſi eius ſubiectum læſum ſit: nihilominus Galen. Epilepſiam Grammatici non tractauit curatione,ſed præſeruatione, auferendo.ſ.cauſam, quæ erat in ore uentriculi. Cæterum,quia poſt explicationem tex.1.c.75.tractauimus, quomodo cognoſcantur morbi interni per arcana anatomica; ibique plurimis exemplis morbos per ſympathiam explicauimus, non eſt, ut hoc loco illa repetantur: ſatis nobis ſit , quod propoſita dubitatio per propoſita exempla reddita ſit difficilior.

Reſponderi poteſt, & aliam meliorem reſponſionẽ non inuenimus, quòd morbi per cõſenſum habeant aliquid in facto eſse,aliter non eſsent morbi, ſed pathos. Dicimus prætereà,quod ſæpè illud quod eſt in facto eſse, ſit adeo pauxillũ, ut remota cauſa, natura illicò illud ſuperet,ut in exemplis propoſitis oſtendimus : aliquando tamen morbi, ſeu intemperies, quæ partim fiunt, & partim factæ ſunt, quæ ſcilicet egẽt,& præſeruatione,& curatione , illud quod habent de facto non ſit adeo paucum , ut natura ex ſe ſola poſſit illud auferre;uidimus enim aliquãdo, qui febribus ardentibus opprimebantur : quibus euacuationes tales fuerunt adhibitæ, ut nihil remaneret, quod amplius accenderet intẽperiem calidam, & ſiccam; nihilominus ob relictam portionem factam intemperiei iecoris, iterum genita eſt bilis,& ex bile aucta fuit ardẽs febris;Itidem poteſt contingere, ut amota conſtitutione lienis perſeueret mala conſtitutio uentriculi, quæ deinde egeat curatione ; ſimiliter catarrhus poteſt à mala cerebri conſtitutione pẽdente à ſanguinis vitio prodire ; quamuis fuerit ex toto vitium ſanguinis paulò ante ſuperatum. Idem dici poteſt de hiſtoria Epileptici Grammatici;aliquando epilepſia per conſenſum longo temporis curſu ſit per eſſentiam:& tunc non ſolum partim morbus fit, & partim eſt factus, ſed totus factus eſt quo caſu , licet ablata ſit cauſa , adhuc perſeuerare poteſt epilepſia:quod diximus de his exemplis,de omnibus ſimilib. poſſet dici.

CAPITIS LXXXVIII.
Particula IV.

Tex. 34. *Prohibebitur autem ſublata ea diſpoſitione,quam ſequi natura apta eſt.Talis verò diſpoſitio cauſa antecedens appellatur.Facta autem ægritudo curabitur ſoluta ea diſpoſitione à qua primum , ea qua ſecundum naturam læditur operatio , quam quidem & ipſam morbi eſſentiam dicimus eſſe.*

Superius dixit , intemperiem factam eſſe curandam , & futuram prohibendam,& fientem eſſe curandã , & præſeruandã; quia fiẽs componitur ex facta & futura ; in hoc tex.duo facit, primo docet, quomodo eſt prohibenda futura intemperies:ſecundo quomodo facta ſit curanda.

Quo ad primum dicit,futuram intemperiem prohiberi auferendo cauſam antecedentem : ſed quid intelligat Galenus per cauſam antecedentem varij varia dicunt.

Pluſquamcommentator inquit , cauſã antecedentem impropriè à Galeno dici diſpoſitionem : putat enim, quod cauſa antecedens potius dici debeat diſponens, quam diſpoſitio ; quia in corporibus diſpoſitio,& ægritudo oriuntur à cauſa antecedente:videtur igitur Pluſquamcommentator reprehendere Galenum,quod vocauerit cauſam antecedentem , ideſt humores peccantes, diſpoſitionem.

Reijci poteſt Pluſquamcommentator, quia Galenus 2. methodi cap. 3. & alibi docet , diſpoſitionem prædicari de morbo, & cauſa : credimus tamen optima cũ ratione Galen. vocaſſe cauſam antecedentem diſpoſitionem ; quia antecedentes cauſæ tunc poſſunt efficere morbos , quando habent vim diſponẽdi viſcera ad futurum morbum ſuſcipiendum: ſi quis, exempli cauſa,haberet in ventre collectã bilem, quam per aluũ,vel vomitum reijcere ſolitus ſit : bilis illa nunquam vocabitur cauſa antecedens;quia nõ eſt eo loco retenta , quo poſſet diſponere corpus ad ægritudinem : merito igitur Galenus gratia prohibendi futurum morbũ vult , vt antecedens cauſa tollatur, quæ eſt diſpo-

ſpo-

ſpoſitio, quia niſi corpus ſit diſpoſitum, quamuis haberet vir ſanus centum libras bilioſorum ſuccorum, nunquam in morbum caderet.

Hinc Galenus lib. de cauſis morborum cap. 2. dicit, ſine diſpoſitione ſubiecti nec gladius abſcinderet, nec ignis cõbureret.

Similiter loquens in epidem. de Sileno, qui perijt ob malignam febrem, dixit, vtique non incidiſſet in morbum grauiſſimum ob errores externos, quos commiſit niſi antea præparatum fuiſſet eius corpus.

Hippocrates videns eſſe neceſſariam diſpoſitionem ad concipiendos morbos lib. 4. de morbis cap. 4. dicit, morbos non ſtatim concipi, ſed dicit, poſt longam diſpoſitionem conceptos ſtatim, ἐκλάμπειν, ideſt erumpere.

Sed quid multa? anne Ariſt. qui altius omnia excogitauit 8. phyſicorum tex. 23. reijciens Heraclitum dicentem omnia ſemper moueri, probat, nullum motum dari ſine præuia diſpoſitione? primo probat de motu augmentationis, & diminutionis exemplo guttę aquę cadentis excauantiſque lapidem dicens, quamplurimas guttas prius diſponere; & deinde aliquas paucas excauare; dat deinde exemplum in generatione arboris naſcẽtis ex lapide; dicit, arborem prius diſponere, & deinde poſt aliquod tempus ſcindere duriſſimum lapidem; dat quoque exemplum in alteratione, dum dicit, congelationem non illicò fieri, ſed prius aquam diſponi; poſtremò dat exemplum de ægroto in ſanitatem rendente, ait, non ſemper alterati, & ſanari, ſed prius diſponi, & deinde alterationem efficientem ſanitatem introduci.

Nos lib. method. vitandorum 6. multum laborauimus in perquirendis cauſis antecedentibus, conſtituimuſq; ſyndromen ex ſex fontibus, in qua hic fons pro cognoſcendis diſpoſitionibus corporis exactiſſimè declaratur. Interim colligimus, Galenum per cauſam antecedentẽ intelligere illam, quæ eſt cum diſpoſitione viſcerum, ſine qua, cauſæ antecedẽtes non poſſunt vocari cauſæ, quia quæ non habent potentiam cauſandi morbos, cauſæ morbi dici non poſſunt.

In 2. parte Galenus inquit, ægritudinem, quę eſt facta, curari, ſoluta, ſeu ablata ea diſpoſitione, quæ primò lædit operationem.

Quid autem intelligat Galenus per hanc diſpoſitionem, quæ primò lædit operationem, varij varia dicunt, prout quoque vario modo legitur Græcus Codex.

Leonicen. non legit, ut antiquiſſimus codex, quem & Latini, & Arabes habebant; in quo legebatur, diſpoſitionem lædentem primò operationem eſſe morbi αἰτίαν, ideſt cauſam; Leonicenus enim legit diſpoſitionem, quæ primò lędit operationem, eſſe morbi οὐσίαν, ideſt eſſentiam; & hanc opinionem ſequuntur plures Moderni, inter quos eſt Oddus: Reijcitur hæc expoſitio, & meritò, quia non conuenit, ut expoſitores mutent verba antiquiſſimi codicis Græci.

Pluſquamcommentator exponit hoc modo: quam ſcilicet actionem læſam dicimus eſſe ægritudinis cauſa, ideſt cauſa ægritudinis (in ablatiuo) actio læditur: negat enim, quod morbi facti habeant cauſas, non enim tolluntur per cauſæ ablationem, ſed ſuum contrarium: hectica, quæ eſt morbus factus, non tollitur auferendo cauſam; quia illam non habet, & quando cauſam haberet, tunc in cura hecticæ febris, non ſimplex, ſed compoſita methodus conueniret. Si quis diceret, hecticam habere cauſam formalem, hanc omnes concedent, ſed hæc non efficit methodum compoſitam: illi, qui ponunt cauſam contentiuam; ideò vacillant, quia putant, contentiuam cauſam eſſe cauſam efficientem morbi.

Expoſitio Pluſquamcommentatoris eſt uera, ſed non explicat Galeni intentionem; quoniam in codice Greco ſic legitur diſpoſitionem lędentem operationem eſſe αἰτίαν, ideſt cauſam, & non αἰτία, ideſt cauſa in datiuo: Græci enim non habent ablatiuum; ſed eius loco vtuntur datiuo: Excuſandus tamen eſt, quia & Græcum, & Latinum codicem habuit deprauatum.

Saluus Sclanus putat, non eſſe mutandum verbum αἰτίαν; quia illa vox erat in antiquiſſimis codicib. Græcis: ſed ait, Galen. eſſe locutum ſecundùm opinionem antiquorum, qui putabant actionẽ

læſam eſſe morbum: dicebat enim 2. meth. & alibi, cæcitatem, & claudicationem ab antiquis vocari morbos, & non actiones læſas: ideò Galenus antiquum inſequens loquendi vſum per cauſam intelligit cauſam morborum, ideſt actionum læſarum, quia omnes Medici fatentur, quòd morbi ſint cauſæ actionũ læſarum.

Reijcitur hæc ſententia vt alijs deterior, & ridicula; quia Galen. vbiq; reijcit Antiquos, quia actiones læſas vocent morbos; quomodo igitur Galenus in hac arte medicinali ſummo artificio exculta per morbum intelliget actiones leſas. Sclanus in comm. inuehit in Marcum Oddum his verbis dicit, *Miror de Marco de Oddis, qui putat hanc opinionem eſſe ridiculam.* Ego verò valde miratus ſum Sclanum, qui in hanc expoſitionem adeò à Galeni mente alienam inciderit.

Nos autem putamus, non eſſe mutandam particulam *αἰτίαν*, ideſt cauſam; quia eodem modo legebatur apud Arabes, & Latinos Antiquiſſimos; dicimuſq; diſpoſitionem, quæ primò lædit operationem, eſſe cauſam in duplici genere cauſæ: formalem ſcilicet morbi, & efficientem læſę operationis: dum dicit, morbus eſt diſpoſitio: hæc propoſitio eſt in primo modo dicendi per ſe, quia diſpoſitio eſt genus: omnia enim genera de ſpeciebus prædicantur formaliter, & in primo modo. Dum dicimus, diſpoſitio morboſa lædit operationem, propoſitio eſt in ſecundo modo dicendi per ſe; quia dicit potentiam agendi: dum dicimus, morbus eſt diſpoſitio, dicimus actum, & formam; in primo enim modo quinque ſunt prædicata, genus remotum, & ſic qualitas prædicatur de morbo; genus proximum, quod eſt diſpoſitio, quæ prædicatur de morbo; differentia remota, quæ eſt diſpoſitio preter naturam; proxima quę eſt illa diſpoſitio, quę dicitur mala conſtitutio ſimilarium, uel diſſimilarium: quare miratus ſum tot celebres Auctores, qui vt vendicarent Galenum à contradictione, eò perducti ſint, vt putent, textum eſſe deprauatum; an ne diſpoſitio lædens operationem, ut probauimus, reſpectu actionis læſæ eſt cauſa efficiens? qui hæc arcana analytica negarent, in omnibus contemplationibus deficerent; quare potuit Galenus optima ratione vocare diſpoſitionem lædentem operationem cauſam efficientem, non morbi, ſed actionis læſæ.

1 Dub. datur intemperies fiens, quæ nihil facti habet; quia omne, quod fit, primum habet in quo fit, ubi eſt nihil facti, & deinde eſt vltimum, in quo deſinit, ubi nihil fiens eſt; de hac intemperie; quæ ſolùm eſt in fieri, & nihil facti habet, ne verbum quidem in hoc loco Galenus, ergo diminutus. Præterea antequam aliquid ſit generatum, & factum, nonne facit tranſitum à generatione ad rem factam, & genitam? quare dabitur intemperies fiens tantùm, de qua nil dicit Galenus.

Reſpondetur, partem fientem, ſeu generationem intemperiei eſſe quamdam alterationem accidentalem de prædicamento qualitatis; omnemque alterationem fieri in tempore; & omne tempus eſſe diuiſibile, & nunquam hanc generationem incipere, niſi particula aliqua ſtatim facta ſit. Præterea per fiduciariam reprobationem reſpondemus, eſto ſcilicet, quod fiens intemperies detur, dicimus, illam non eſſe morbum, ſed paſſionem; omne enim, quod eſt in fieri ex Galeno in methodo, lib. de loc. affectis, & multis in locis eſt pathos, & non affectus permanens.

2 Dub. Argenterius reprehendit Galenum, quod non fecerit mentionem de cauſis procatarcticis; quia inquit, cauſas procatarcticas, ut ſunt ira, triſtitia, ephemeras, & alias febres excitare poſſe.

Reſpondetur ex Hippocrate, & Galeno, quòd procatarcticæ cauſæ Græcè dicuntur *προφάσεις*, ideſt occaſiones morborum, & non cauſæ; cauſæ enim antecedentes internæ calidæ calefaciunt; frigidæ frigefaciunt; iſtæ verò externæ, & procatarcticæ non ſic; aliquæ enim, quæ ſunt calidæ frigefacient, & frigidæ calefacient. Hinc Galen. 3. de temperament. 2. dicit, vinum copioſum, licèt per ſe calidum ſit, tamen generare vitia frigida. Similiter tempore æſtiuo in flumine frigido aliqui ſe lauant, & inde frigeſcunt, & ob adiapneuſtiam febricitant; aliqui verò nihil febricitant; ſed fiunt atto-

niti,

niti, ſicuti contigit Alexandro Magno (referente Galeno libro de cauſis procatarcticis) ſe abluenti in Cydno Ciciliæ flumine; quomodo igitur vis; vt procatarcticę vocentur cauſæ efficientes ęgritudinum?

Neq; aliquis obijciat. Nos hæc dicentes incidere in ſententiam Eraſiſtrati aſſerétis,cauſas procatarcticas nō eſſe cauſas, qui à Gal. libello de cauſis procatarcticis quoq; reprehenditur. Differentia inter Gal.& Eraſiſtratum eſt,quia hic dicebat,cauſas procatarcticas abſolutè non eſſe cauſas:Gal.verò eas negabat eſſe cauſas,dum ad ſubiectum non diſpoſitum referuntur, maluaticum enim in aliquibus febrem excitat; in aliquibus paralyſim. Hinc Gal. in hiſtoria Sileni videns illum incidiſſe in morbum grauiſſimum poſt nimiam potationem,& exercitium dicit, vtiq; Silenus non incidiſſet in tam graue morbum ob externos errores, niſi antea ſuiſſet præparatum corpus; quare cū incerti affectus prodeant poſt errores externos, Gal.in numero cauſarum efficiétium intéperiem, noluit illos in numero cauſarum collocare,ſed quia nos lib.1.& 6.methodi noſtræ diffusè oſtendimus,externos errores non eſſe cauſas,non eſt vt hic omnia acta repetantur.

3 Dub.probant nonnulli, dari morbos, tantum fiétes, qui hic à Gal.omittuntur; citant Gal.8.meth.c.1.& 1.de loc.aff. c.4. vbi hæc profert; *At quæ in generatione febris eſt ſola ablatione efficientis cauſæ ceſſat*; Ergo dabitur febris, quæ nihil facti habet,& ceſſat ſtatim ablata cauſa.

Soluitur,quia nos non negamus,febrē eſſe in generatione;negamus,quod febris dum eſt febris, non habeat partem genitam; implicat enim contradictionem dicere,febrem eſſe in generatione,& non habere aliquid illius eſſe. Similiter implicat dicere,eſſe febrem,& non habere aliquid illius in facto eſſe; quia febris eſt qualitas, & quale; & omne quale eſt in facto eſſe; Inſuper fiens morbus, vt eſt fiens ex Galen.3.de cauſis ſymptomatum non eſt in genere qualitatis,ſed in genere paſſionis; ideò à Galeno affectus, qui ſolum fit,& non eſt factus,dicitur pathos & non affectus permanens.

Præterea quod eſt ſolum fiens, & non eſt factum,non eſt qualitas;quia qualitas ex Ariſt.in prędicamento qualitatis; eſt ſecundum quam quales dicimur; ſed ſic eſt, quod nos ſecundum affectum in fieri non dicimur quales; ergo: quod nō dicamur quales patet; quia, dum quis habet febrim in fieri,nō dicitur febricitās, quia qui febricitat, febrim habet in actu, & in facto,& non in fieri,ſeu in ſola potentia.

4 Dub.multi videntur eſſe morbi ſolū in fieri,& non in facto eſſe; ſicuti fuit ille affectus,quem recitat Gal. 1. de loc. aff.c. 6.qui contigit Pauſaniæ, dū veniret Romam, qui ob caſum è vehiculo percuſſus circa ſeptimam vertebram ceruicis, amiſit ſenſum trium digitorum;affectus digitorum erat ſolum in fieri; quia adiunctis à Gal.emolliētibus ſeptimæ vertebrę ceruicis,illicò digiti ſanati ſunt.Similiter aliquando vulneratur cerebrum, & inde ſtatim excitatur vomitus, qui fit ob conſenſum cuiuſdam ſurculi neruei ambientis ſtomachum à ſexto pari prodeuntis; omnes admittunt,affectū ventriculi cauſatum à læſione cerebri,ſolum eſſe in fieri,& nihil facti habere.

Ad eundem modū propter communicantiam,quæ eſt inter renes, & os vētriculi per ſextam neruorum coniugationē in nephriticis,vomitus excitatur.

Itidem inter renes,& coxas ob muſculum ſextum fæmoris,qui ſub renibus habet principium,talis eſt conſenſus, vt nephritici ſtuporem in coxis patiantur.

Simili modo Gal.5. aphoriſmorum recitat caſum cuiuſdam Adoleſcentis, qui patiebatur conuulſionem,quia in ventriculo aderat materia æruginoſa, inquit Gal.quod materia æruginoſa per vomitū auacuata, ſtatim & vapores infeſtantes neruorum radices,& conuulſiones ceſſarunt;ecce quot ſint affectus,quorum eſſe ſolum in fieri conſiſtit.

Sed qui deſiderat alios plures, videat digreſſionem noſtram de ſympathia poſt explicationem cap.81. huius libri; ibi 60. caſus ſimiles obſeruare poterit notatu dignos.

Reſp. his, & pluribus alijs exemplis, quæ poſſent adduci de affectibus in fieri; quod affectus, quatenus ſunt in fieri, nullo modo ſint morbi; ſi verò in illis, aliquid facti perexigui ſit, dicimus,natu-

ram

ram illud perexiguum ſtatim corrigere, & vincere ſine vlla Medici ope; ſicuti Galen. nos admonet loquens primo lib. de locis aff.c.2. de dyſenteria incipiente, in qua animaduertit, aliquando fieri vlcuſcula à materia acri, quæ ſi omninò euacuetur, inde ait, naturam ſtatim vlcuſcula ſanare. Itidem dici poteſt de exemplis propoſitis.

Quo ad caſum Pauſaniæ dicimus, ſenſum prodire à neruis; læſionem factam in digitis oriri ab anguſtia facta in radice neruorum ceruicis, qua ablata, facultatem ſenſitiuam illicò ad digitos confluere.

Quo ad Adoleſcentem conuulſum ob æruginoſam bilem occupantem vētriculum, dicimus, ablata bile ceſſaſſe conuulſionem, quia nihil morbi facti in neruis aderat; ſi enim fuiſſet aliquid factum, id non fuiſſet ablatum auferendo cauſam; quia quod factum eſt non cauſæ ablatione, ſed contrarijs auxilijs curandum eſt; idem de alijs eſt dicendum.

CAPITIS LXXXIX.

Particula I.

De Communiſſima intentione curatiua.

Tex. 35. *Curatio verò vnam præcipuam, ac cōmuniſſimam habet intentionem, ad id, quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium. Ex hoc ſi quidē genere ſunt cauſa illa omnes, quæ ſanitatem efficiunt. Secundum partem verò, ex vniuſcuiuſq; diſpoſitioni contrarijs. Calido igitur affectui cauſa frigida contraria exiſtit, frigido autem calida; eadēq; in cæteris proportione: Etenim ſi omne immoderatum eſt præter naturam, moderatum verò ſecundum naturam, neceſſe eſt omninò, vt immoderatum ab immoderato contrario ad mediocritatem redigatur.*

SVperius declarauit modum, quo intemperies factæ; & intemperies, quæ partim ſunt factæ, & partim fiunt, & quomodo futuræ tractentur. In hoc tex. tria facit; primò proponit communiſſimam intentionem curatiuam, quæ inſeruit intemperiei factæ; Notandum tamen hanc intentionē communiſſimam, non ſolùm ad intemperiem factā, ſed ad omnes affectus auferendos, qui ſunt præter naturam, & in facto eſſe, transferri poſſe, hæc communiſſima intentio eſt tamquam dignitas, ſeu axioma in tota medicina, & eſt, quòd contraria contrarijs curentur; docuit enim Galen. lib. de conſtitutione artis, c.12.& 3.methodi c.3. duo eſſe axiomata in arte medica: alterum, quæ ſunt ſecundum naturam ſimilibus conſeruari: alterum verò, quæ præter naturam contrarijs auferri; de hoc poſtremo principio in medicina notiſſimo hic loquitur.

Secūdò in hoc tex. docet; intentionem communiſſimam, quæ eſt; vt omnes affectus præter naturam per contraria auferantur, ſæpè eſſe vaniſſimam niſi ſecundum partem applicetur, id eſt ſecundum particularem, & ſpecificam conſiderationem affectibus applicetur; cauſa verò, cur non ſufficiat intentio communiſſima propoſita, niſi ante applicationem ſecundum partem conſideretur, eſt, quia contrarium genericum quàm maximè diſtat à ſpecifico; contrarium enim, quod tollit febrem, vt eſt febris, valdè differt à contrario, quod tollit febrem vt tertiana, & vt talis tertiana; vt probauimus lib.11. methodi vitand. ex Galeno 1. ad Glauc. cap.1. vbi diximus; Medicos dupliciter in eligendis contrarijs pro pellendis affectibus in facto eſſe, aberrare poſſe; primò, quando ſumunt contrarium aliquod generaliſſimum, & illud applicant affectibus ſpecificis: ſecundò, quando ſumunt contrarium ſubalternum, illudque applicant ſimiliter affectibus ſpecificis: hanc cognitionem, niſi medici perfectè conſequantur, in facienda medicina, vt plurimùm falluntur.

Galenus lib. de ſectis ad eos, qui introducuntur cap.13. valde reprehendit methodicos, qui ab affectibus generatim, & non ſpeciatim ſumunt indicationes; ſed hanc cognitionem ſpecificam contrariorum methodici ob medicinæ difficultatem fortaſsè deſpiciebant; refert enim Gal. c.14. lib. de ſectis, methodicos obiurgaſſe Hippocratem, quia dixerit, artem eſſe longam.

Methodici perſiſtentes in communiſſimis, & generaliſſimis indicationibus artem medicam breuiſſimam faciebant;

bant; ſed toto cœlo aberrabant, vt infra oſtendemus.

Similiter errabat Theſſalus, quem Galenus 1. methodi cap. 3. reprehendebat, quia diuidebat morbos in generaliſſima, & in generaliſſimis differentijs quieſcebar, quod erratum eſt inexcuſabile, quia affectus curantur indicatis, ideſt remedijs ſpecificis, & non genericis.

Hanc artificioſiſſimam medicinam hauſit Galenus ab Analyticis fontibus; primo enim poſteriorum c. 5. dicit Ariſt. vnum ex tribus erroribus, qui committuntur circa vniuerſale eſſe, dum quod conuenit ſuperiori applicetur inferiori; febris, gratia exempli, indicat humectandum, & refrigerandum; ſed cùm non ſit curanda febris in vniuerſali, ſed talis vt ſpecifica, ideò ſi calor fuerit vt duo, verum remedium erit frigidum vt duo, & non frigidum vniuerſaliter ſumptum, quod poteſt eſſe vt vnum, ut tria, &c. immò ex omnibus refrigerantibus, quæ sūt ſub orbe lunæ, vnicum tantùm inuenietur, quod poſsit hanc febrem calidam vt duo depellere; & erit, vt dictum eſt, frigidum vt duo; cætera omnia erunt uel ſuperflua, vel diminuta, & minimè conferentia; ſuperflua, quia non ſolùm depellent morbum, ſed nouum introducent; diminuta uerò erunt uana.

Præterea qui vtetur contrario generico pro tollendo morbo ſpecifico, incidet in paralogiſmum ſecūdæ figuræ ex duabus affirmatiuis. Ariſt. enim 2. poſter. tex. 12. conſequentiam à genere ad ſpeciem explodit, quia ſemper ſupponit petitionem principij; exempli cauſa, ſi quis vellet pleuritidem curare, & deſumeret indicatum, ideſt remedium à pleuritide, quatenus eſt inflammatio, & deinde pleuritidi illud applicaret, committeret tranſitum à genere ad ſpeciem.

Inſuper reluctaretur Gal. 1. ad Glauconem, qui valde reprehendit eos, qui in genericis perſiſtunt. Itidem aduerſaretur Gal. lib. de opt. ſect. lib. 9. methodi c. 11. & 2. methodi c. 13. vbi dicit, vnum indicare vnum, & non plura.

Dehinc quemadmodum contraria generica non poſſunt auferre affectus ſpecificos, ſimiliter contraria particularia non poterunt auferre affectus ſpecificos; quamvis verò omnes morbi prima facie videantur eſſe indiuiduorum, tamē neque indicationes poſſunt hauriri ab indiuiduis, nec indicata, vt talia inueniuntur, quæ vni ſoli apta ſint iuuare; quia de ſingularibus, nec methodus, nec ars, nec ſcientia datur; ſcientia enim ex Ariſt. 1. poſteriorum eſt æternorum; quare omne remedium, quod aliquem particularem hominem poteſt ſanare, & omnes morbi indiuiduorum naturas quaſdam ſpecificas, & æternas habent; nulla igitur medicina ſanabit affectum alicuius particularis hominis, quæ id non efficiat virtute aliqua ſpecifica, ſub qua infinita poſſunt eſſe indiuidua; & nullus morbus poteſt eſſe adeò particularis, qui non ſit ſpecificus, & qui non prædicetur de infinitis indiuiduis; Hinc indiuidua, nec indicantia, nec indicata eſſe poſſunt. De indiuiduis enim non habetur, niſi hic, & nunc; vnde Gal. hac philoſophia peritus ſuſtinuit à loco, & tempore non ſumi indicationes, atque tanto minus ab hoc loco, & ab hoc tempore, quæ ſunt conditiones indiuiduorum.

Sed quia de his nos lib. 11. fusè egimus, oſtendimusque artem medicam in perquirendis indicationibus deſcendere vſque ad ſpecifica, & ibi quieſcere, ideò nō eſt, ut iterum acta diffusè agamus.

Poſtremò in hoc text. Galenus reddit rationem, cur remedium curatorium debeat eſſe contrarium; ſupponitque duo; primum quod eſt ſecundum naturam eſſe moderatum; ſecundum, quod eſt præter naturam eſſe immoderatum; quibus ſuppoſitis, dicit neceſſarium eſſe, quod immoderatum redigatur ab immoderato contrario ad mediocritatem; moderatum enim non habet vim introducendi ſanitatem; ſed ſolum conſeruandi, ut notat Pluſquamcommentator.

1 Dubit. dicit Galenus immoderatum eſſe contrarium immoderato; quod ſi eſſet ſequeretur, quod vni duo eſſent cōtraria, quod eſt inconueniens. Primum eſſet, dum immoderatum eſt contrarium alteri immoderato; ſecundum, dum immoderatum eſt contrarium moderato; veluti dum morbus, qui eſt res immoderata contrariatur ſanitati, quæ eſt res moderata; ità vt ſi quis morbo calido inter-

tertio gradu vexetur; primum contrarium ſit frigidum immoderatum in tertio gradu; ſecundum contrarium ſit moderatum,quę eſt ipſa ſanitas,quæ eſt contraria morbo.

Solutio facillima eſt, quia immoderatum eſt contrarium immoderato, & habet medium;ſanitas verò,quę eſt res moderata non eſt contraria morbo: ſed oppoſita priuatiuè; oppoſita enim ex Ariſt. in poſtprędicamētis quatuor ſunt, & inter ſe valdè diuerſa; alia enim ſunt contraria, & hæc habent medium; alia ſunt contradictoria; alia priuatiua, & alia relatiua, quæ carent medio.

2 Dub Galenus in tex. inquit immoderatum ab immoderato ad mediocritatem redigi; ratio deſumitur à Galeno 3. de ſimplici medicina cap. 12. vbi ait, remedium debere eſſe in gradu æquali; quia ſi aderit affectus calidus, vt duo, & ei propinetur potio frigida vt tria, introducetur frigidus affectus præter naturam; ſi verò propinetur potio frigida, vt vnum, remedium erit inſufficiens; quare ſi remedium debet eſſe æquale, illud erit moderatum, & non immoderatum, vt docet Galenus.

Solutio facilis eſt; quia immoderatum conſideratur dupliciter: vel immoderatū reſpectu corporis ſnai, vel reſpectu morbi; qua poſita diſtinctione dicimus, quod primo modo eſt immoderatum: ſecundò verò modo eſt æquale; quia calidum, vt duo, tolli debet per ſuum æquale contrarium,quod eſt frigidum vt duo.

3 Dub. Gal. dicit 8. meth. c. vlt. eſſe metiendum affectum præter naturam per receſſum ab habitu naturali,quæ quidem doctrina eſt veriſſima, confirmaturque auctoritate Hippocratis 2. aphoriſm. 34. vbi protulit hunc aphoriſmum, *Ægri minus periclitantur, quorum naturæ, aut habitui, aut ætati, aut tempori magis congruit morbus*, ratio eſt, quia vbi morbi sūt ſimiles naturæ, habitui, & ætati, paucus eſt receſſus, veluti ardens febris, dum accidit iuuenibus in tempore æſtiuo: Ex alia parte Gal. 11. meth. in calce tertij capitis habet hæc verba, magnitudinem morbi duplicem eſſe vel ratione propriæ ſubſtātiæ, vel ratione receſſus à naturali habitu: quare, non omnis morbus erit metiendus per receſſum ab habitu naturali, ergo, vel malè hic, vel locis ſuperius citatis.

Reſpondet Sclanus, ſemper eſſe metiēdū receſſum ab habitu naturali: ſed dicit, eſſe verum, quod quo ad nos aliquando morbi magnitudo melius cognoſcatur metiendo receſſum à naturali habitu, & aliquando melius cognoſcatur conſiderando magnitudinem ſecundum propriam eſſentiā: ſicuti dum in iuuene conſideramus febrem ardentem, ea melius (vt inquit ille) intelligimus, conſiderando eſſentiam, ideſt ardorem, acrimoniā, & alia accidentia, quam illam dimetiendo ab habitu naturali. In ſene verò melius intelligimus naturam ardētis febris, & eius magnitudinē metiendo receſſum ab habitu naturali, qui frigidus eſt, quam conſiderando naturam, & eſſentiā febris.

Reijcitur, quia ſupponit magnitudinem morbi duplicem eſſe, ſed non duplicem reſpectu rei, ſed vnam magnitudinē eſſe reſpectu rei, & aliam reſpectu noſtrę cognitionis, quod reluctatur Galeno, qui docet duplicem eſſe magnitudinem reſpectu rei tantum, & non aliam reſpectu rei, & aliam reſpectu cognitionis.

Dicimus itaque nos magnitudinem morbi duplicem eſſe aliam ratione receſſus, aliam ratione propriæ eſſentiæ; exēpli gratia, aderit aliquis vir natura debilis frigidiſſimę naturę: Hic incidit in hydropem, an ne receſſus eſt paruus? tamen moritur, in hoc viro morbus eſt magnus ratione propriæ eſſentiæ, & non ratione receſſus, negamus nos, omnem magnitudinem metiendā eſſe per receſſum ab habitu naturali. Pręterea inuenietur vir fortiſſimus ſua natura frigidus potius, quam calidus, incidet in ardentem febrem; hic morbus ratione propriæ ſubſtantiæ, quāuis recedat, tamen non eſt adeo magnus; quare rectè cum Gal. dicemus, duplicem eſſe magnitudinem, vnam ratione receſſus, aliam verò ratione propriæ eſſentiæ.

4 Dub. Argenterius ex tex. colligit, remedia curatoria nō pugnare cōtra morbum, ſed contra cauſam coniunctā; dicitque ad ablationem cauſæ morbum tolli, ideò morbū nihil indicare; quod deſtruit artificioſam Gal. methodum, argumentum Argenterij tale eſt; ex Gal. immoderatum ab immoderato contrario ad medio-

diocritatē redigitur; ſed ſic eſt, quod immoderatum non contrariatur morbo, quia quod cōtrariatur morbo eſt ſanitas, quæ eſt res moderata: ergo ex ipſo Gal. remedia dirigi debent ad cauſam contentiuam morbi, & non ad morbum.

Reſpōſio eſt facillima, quamuis Argēterius putet argumentum propoſitum in confirmāda cauſa contentiua eſſe demōſtratiuum: oppoſitio .n. ex Ariſt. quatuor modis accipitur, vel vt eſt contradictoria, vel contraria, vel relatiua, vel priuatiua: dum igitur Argenterius ait, immoderatum non eſſe contrarium morbo, quia ſanitas eſt, quæ contrariatur morbo, dicimus, ſanitatem non eſſe oppoſitam morbo oppoſitione cōtraria, vt remedia .ſ. debeāt morbo aduerſari, ſed eſſe oppoſitam morbo priuatiuè, quod etiā admonet Ariſt. c. de oppoſitis: ibi .n. dicit, morbū eſſe priuationem ſanitatis, & cæcitatem eſſe priuationem viſus: dum igitur Galenus ait, immoderatum eſſe contrarium immoderato, tunc dicimus, vnum immoderatum eſſe remedium, aliud verò immoderatum eſſe morbum, & nō cauſam coniunctam: Nec dicat, vnum qualitatis exceſſum eſſe contrarium alteri, qui efficit morbum; quia exceſſus cauſæ antecedentis, quæ efficit exceſſum, quem vocat cauſam coniunctam, vel cōtentiuam, erit intemperies ſimilarium, quæ eſt morbus, & non cauſa, & ab hoc morbo immediatè lædūtur actiones; quare dicimus, cauſam contentiuam ſeparatam a morbo eſſe puram chimeram. Præterea dum dicit Argēterius, actiones lædi à cauſa cōtentiua, & nō a morbo, oſtēdit ſe non intellexiſſe arcana analytica; apud Ariſt. enim actiones propriæ nunquā ab aliqua cauſa pendent, ſed à ſubiecto, & per ſubiectum definiuntur: quia omnes actiones propriæ ſunt in ſecūdo modo dicēdi per ſe, in quo non cauſa, ſed ſubiectū propriæ paſſionis collocatur: quo poſito, cui dubium, quod mala cōſtitutio ſimilarium ſit ſubiectum actionum læſarum, & à conſtitutione immediatè pendeant actiones? ergo mala conſtitutio indicabit immoderatum, & non cauſam malæ conſtitutionis; quia mala conſtitutio eſt illa, quæ immediatè lædit actionem; illa igitur eſt tollenda, & præter illam non datur alia cauſa, quæ immediatè actionem lædat.

5 Dub. ex Galeno in tex. habetur, morbum tolli à ſuo contrario immoderato, dicit immoderato, quia vnū vni eſt contrarium, vt probauimus ſuperius: cæterum non videtur, quod contrarium à ſuo contrario tollatur; quia ex Hippocrate conuulſio facta à pituita tollitur frigidæ perfuſione; & ex Galeno habetur, maniā mediocrem extaſi, ideſt vehementi mania tolli, ergo non à contrario remedio, ſed à ſimili morbi tolli poſſunt.

Reſpondetur, morbos tolli à ſuo contrario, ſemper eſſe per ſe verum, per accidens tamen affectum frigido à frigido remedio auferri, exempli gratia conuulſio, quæ fit à frigida pituita ab aquæ frigidæ perfuſione tollitur, quia ob perfuſionem frigidæ concentratur calor, qui concentratus, & redditus maior vincit, & ſuperat frigidum: Ego non ſemel colicum dolorem à frigidis flatibus factum in his, qui habitu ſunt carnoſo, perfuſione frigidæ illicò ſanaui. Similiter mania mediocris, extaſi aliquando tollitur, ſed per accidens, quatenus, ſcilicet in vehementi mania excitatur expultrix facultas ad expellendum id, quod non poteſt expelli in mania mediocri.

6 Dub. non videtur, quod ſemper morbus tollatur à ſuo contrario immoderato: curatur exempli cauſa apoſtema, dū pungitur, & pus egreditur: non tamen videtur contrarium immoderatum. Similiter membrum luxatum reponitur in ſuum locum: repoſitio tamen non eſt contrarium immoderatum.

Reſpondet Argenterius, Galenum loqui de intemperie, & non de alijs affectibus: dicimus tamen nos ad omnes affectus præter naturam transferri poſſe hoc Galeni præceptum, quod ſcilicet ab immoderato cōtrario tollatur affectus morbificus, quia vni cōtrario vnicum eſt contrarium, & illud vocatur immoderatum; cur verò vnum tantum ſit hoc contrariū, quod eſt remedium, & non plura, fusè egimus lib. 11. methodi noſtre, oſtēdimuſque quam maxime aberrare, qui arbitrātur non eſſe neceſſarium, quod contraria remedia inter ſe plurimum diſtent.

Ad exemplū de pure reſpondemus, euacuationem puris eſſe remedium immoderatum,

deratum, & contrarium plenitudini: repoſitionem verò membri luxati eſſe remedium contrarium membro luxato, vt luxatum eſt.

Præterea eſt præceptum Hippocr. 2. de natura humana text. 1. his verbis expreſſum; *Præterea, quæ dicta ſũt, noſce oportet morbos, quos repletio gignit, euacuatione quos euacuatio, repletione, quos labor, quiete quos nimium otium, labore curari. In ſumma debet Medicus ſcire inſtãtibus & morbis, & formis, & temporibus, & ætatibus obſiſtere, & contendentia laxare, & laxa contendere, hac enim potiſſimũ ratione quod moleſtũ eſt ſedaretur; atque hoc ipſum mihi videtur eſſe curatio.* Ex his verbis Hippocratis clariſſimè oſtenditur, curationem omnem fieri per contraria: & quamuis poſſem teſtimonia alia innumera ex Hippocrate, Galeno, Auicenna, & Ariſtotele afferre de hac re, nolo tamen in re tam manifeſta tempus conterere.

CAPITIS LXXXIX.

Particula II.

Tex. 36. *At manifeſtum eſt, quod ſecundum potentiam, non autem imaginationem, & calefaciens, & refrigerans, & quæcunque alia huiuſcemodi oportet aſſumere, Voco autem ſecundum potentiam quod re ipſa verè tale exiſtit, quale eſſe dicitur. Secundum imaginationem autem, quod ex prompto quidem ſenſu tale eſſe imaginamur, cum tamen verè tale non ſit. Sed quæ ſint, hac ratione diſtinguenda, diximus in libris illis, in quibus de ſimplicium medicamentorum facultatibus agitur.*

IN tex. ſuperiori oſtendit, quod curatio fieri debeat per contrarium: in hoc tex. verò docet, quodnam ſit hoc contrarii, quod in curandis morbis ſufficiat, & dicit, contraria, quæ habent vim curandi eſſe talia ſecundum potentiam, id eſt quod re ipſa talia ſint, ſiue operentur per ſe, ſiue per accidens, nihil enim refert, dummodo ſanent: & non ſecundum imaginationem, id eſt ſecundum apparentiam, qua plebei, & ſtolidi homines mouentur.

Quid verò intelligat per talia ſecundum potentiam, quæ re ipſa talia ſunt: variæ ſunt opiniones.

Acachias per talia ſecundum potentiam intelligit, quę ità ſint à natura facta: excluditque ea, quę ſunt aſcititia qualitate prædita.

Reijcitur, quia omnis aſcititia qualitas poteſt cõtrarium ſuum tollere: aqua, quæ ſua natura eſt frigida, ſi aſcititiam qualitatem ligni ſancti, vel ſalſæ per decoctionem acquiret, exſiccabit; attamen aqua ſua natura non habet vim exſiccandi.

Pluſquamcommentator, Scianus, & alij multi intelligunt per re ipſa tale, quod per ſe eſt tale: per ſecundum imaginationem tale intelligunt quod per accidens ſit tale.

Reijciuntur, quia Medicus ſæpiſſimè ſuperat morbos per ea, quæ per accidens ſunt talia: exempli cauſa, conuulſio facta ex pituita, tollitur, ſi eſt in iuuene benè carnoſo, perfuſione frigidæ, vt dicit Hippocrates 5. aphoriſ. 21. ſimiliter colicus dolor à flatu exortus, ſi fuerit in habitu carnoſo, perfuſione frigidę illicò tollitur: ecce quam benè in medicina ea, quæ per accidens agunt, conferant.

Oddus putat, illa eſſe re ipſa, & ſecundum potentiam talia, quæ deprehenduntur talia à ſenſu tactus, & guſtus. quæ verò ab odoratu, viſu, & auditu deprehenduntur, eſſe ſecundũ imaginationem talia. Hinc dicit calcem, & niuem, quæ candida ſunt à ſenſu viſus non deprehendi; quia nix eſt frigida, calx verò potentiam exurendi poſſidet: ineptus igitur eſt viſus (ait ille) pro dignoſcendis qualitatibus. Similiter dicit de odoratu, dum ex odore indicamus temperamentum: Itidem de auditu: colligit ergo, guſtum, & tactum deprehendere quæ re ipſa talia ſunt, reliquos verò ſenſus deprehendere quæ ſunt ſecundum imaginationem. Poſtremò comprobat ſuam ſententiam auctoritate Galeni 3. de temperamẽtis c. 4. vbi dicit, *Attendere quam maximè oportet, & diſcernere ea quæ per ſe ſunt ab ijs, quæ ſunt per accidens, non ſolũ in calidis, & frigidis, ſed in humidis, & ſiccis: quæ enim ſicca ſunt, ſicuti æs, ferrum, largo calore liquata, humiditatis phantaſiam præbent:* Ecce dicit, quod per ſecundum phantaſiam, ſeu imaginationem Galenus intelligit, quę ſenſu viſus cognoſcuntur,

&

& non tactus uel guſtus.

Reijcitur, quia omnia medicamenta, quę poſſunt curare, habent potẽtiam curandi, & re ipſa talia ſunt; ſed ſic eſt, quod non ſolum, quæ per ſe talia ſunt, habent potentiam curandi, ſed etiam quæ nullo ſenſu deprehendũtur; ergo nõ eſt verum, quod per ſecundum imaginationem intelligantur ſolum, quæ auditu, uiſu, & odoratu percipiuntur: ſimiliter non eſt uerum, quod re ipſa talia ſint, quæ tactu, & guſtu cognoſcuntur. Quod uerò multa, & innumerabilia ſint, quæ re ipſa talia ſunt, & nullo ſenſu percipiuntur, patet ſexcentis exemplis: an ne frigidæ perfuſione curatur colicus? certum eſt, quod hæc virtus aquę, quę tollit colicum à cauſa frigida prodeuntem, nullo ſenſu percipiatur: ergo hæc diſtinctio de ſenſibus in hoc tex. mihi videtur ridicula; quamuis in ſe ſit vera.

Argenterius interpretatur per re vera talia, quę habent vim calefaciendi, vel refrigerandi, vel aliud faciendi in corpore, ſiue id propria, ſiue aſcititia facultate, quę vel per accidens, vel per ſe id efficiãt: putatque illa dici ſecundum imaginationem, quę non habent talem vim, qualem aſpectu iudicamus: emplaſtra enim dantur mollia, tamen non habent vim emolliendi; quia aliqua quamuis ſint mollia exſiccant, & indurant, &c. Hæc ſententia videtur probabilior, quia, qui diceret, quod ea quæ ſunt per accidens, nõ includantur in ijs, quæ talia exiſtunt ſecundũ potentiam, excluderet ab arte Medica quæ ex accidenti operantur, quæ infinita ſunt, vt dictum eſt ſuperius.

1 Dub. videtur quod Gal. per ea quæ re vera talia exiſtunt, & ſecundum potentiam operantur, & non ſecundum imaginationem intelligat ea, quæ per ſe operantur; quia in tex. habet hæc ferè verba, *Qua ratione ſint diſtinguenda, quæ operãtur ſecundum potẽtiam, & ſecundum imaginationem diſtinximus in lib. de ſimplici medicina*. Addunt: at ſic eſt, quod in 1. lib. & tertio de ſimplici med. egit de modo diſtinguendi, quæ operantur per ſe ab ijs, quæ per accidens; ergo per quæ re vera talia ſunt, intelligit ea, quæ per ſe operantur; & per ea quæ ſunt ſecundum imaginationem intelligit ea, quę operantur per accidens.

Propoſitum argumentum eſt multorum expoſitorum, ſed eſt vaniſſimum: non enim valet dum dicunt, in hoc tex. Gal. ait, ſe egiſſe de modo diſtinguendi ea, quæ ſecundum potentiam operantur ab ijs, quæ ſecundum imaginationem, in lib. verò de ſimplici medicina tradit modum diſtinguendi ea quę operãtur per ſe, ab ijs, quæ per accidens, ergo idem quoque intelliget hic: valeret ſi ſolum traderet in libris de ſimplici medicina modum diſtinguendi ea quæ habent virtutem per ſe ab ijs, quæ per accidens; ſed cum tradat virtutes ſimplicium operantium per ſe, & per accidens: neq; comprehendat optimas operationes, quæ à cauſis per accidens fiant, ſed ſolum illas, quæ nec per accidens, nec per ſe agere poſſint, quæ ſunt ſecundum imaginationem, quas virtutes ſolum plebei, & ſtolidi ſequuntur, non eſt dicendum, vt hic Galenus intelligat per ſecundum imaginationem ea, quæ per accidens operantur.

Prudens enim Medicus ſæpius vtitur ijs, quę per accidens ſanãt, quam quæ per ſe; & ratio dictat, quia quodlibet indicatum per ſe vnam actionem ſolam habet, per accidens verò infinita. Ego ſanè ſi ægrotarem æquè gratum eſſet mihi remedium, quod per accidens me ſanaret, ac illud quod per ſe: ecce quam ridicula eſt expoſitio dicentium ſolum illa eſſe contraria, quæ morbos per ſe ſanant.

Inſuper dictæ expoſitionis vanitas cõfirmatur auctoritate Hippocratis, & Galeni. Hippocratis 5. ſect. aphor. 21. vbi conuulſionem à cauſa frigida in iuuene carnoſo larga profuſione frigidæ ſanari dicit; ecce quod aqua frigida concentrando calorem ſanat per accidens morbum frigidum. Eadem ratione, Galenus 3. de temperamentis, cap. 5. dicit, calorem contractum, ſupple à rebus frigidis, ſuccos benè concoquere: addit & diſtentionem, ſeu conuulſionem auferre.

Sed audiamus Galenum 11. meth. c. 9. vbi docet, quando in curatione febris vti debeamus potius ijs, quæ ex accidenti refrigerant, quam illis quę per ſe; docetque tunc nos debere vti ijs, quæ per accidens iuuant, quando indicationes inter ſe pugnant: ſicuti ſi febris fiat à craſſis, & viſcidis

ſcidis humoribus,dicit tunc refrigerantia per ſe non conuenire pro febris remotione: ſed potius aperientia, quæ, licet calida ſint,per accidens refrigerant.

Demum Galenus 10.meth.c.10.diſtinctè admonet,quod nihil referat, an contrarium ſit per ſe,vel per accidens actu, vel potentia, dummodo tollat, & vincat ſuum contrarium; colligas igitur, veriorem eſſe ſententiam Argenterij exponētis Galenum,quod per contrarium, quod re ipſa tale ſit, intelligat, quòd habet potentiam vincendi, vincat per ſe, vel per accidens, actu, vel potentia, & meritò, quia quomodocunque vincatur, ſemper victoria laudatur.

Colligas quoque,Galenum intelligere per ea quæ ſunt ſecundum imaginationem ea quæ nullam habent virtutem, nec per ſe,nec per accidēs; ſed ſolum ſint ſecundum apparentiam;quibus non medici, ſed omnes plebei, & ſtolidi fidem præbent; exempli cauſa, ſi vulgares homines preberent vinum generoſum niue refrigeratum cauſa refrigerandi illud eſſet remedium refrigerās ſecundum imaginationem; quia vinum huiuſmodi neque per ſe, neque per accidens refrigerat: vinum enim ſua natura calefacit, ſimiliter maximum introducit calorem, ſi ſit redditum valde frigidum, obſtruendo, ſcilicet meatus, & prohibendo conſuetam perſpirationem; ex hoc exemplo quiſque poterit intelligere, quid Galenus per ſecundum imaginationem tale intelligat.

CAPITIS LXXXIX.

Particula III.

Tex. 37. *Ad inuentionem autem ſalubrium cauſarum,quæcunq; quidem, vt ad eam, quæ iam facta eſt,ægritudinem,cauſa ſalubres exiſtunt, via illa doctrinæ vtendum, qua id,quod imaginamur,ab eo,quod talem habet poteſtatem ſeparetur. Quæcunq; verò vt ad eam quæ adhuc fit, & hac eadem via, atque illa præterea, ex qua ægritudinum cauſæ inueniuntur.*

IN tex. ſuperiori dixit Galenus eſſe eligendas cauſas ſalubres contrarias, quæ re vera habeant poteſtatem tollendi ægritudinem factam.

In hoc tex.duo facit primò dicit pro ægritudine facta eſſe eligenda illa contraria, quæ re vera habent poteſtatem vincendi morbum factum, ad differentiam illarum cauſarum,quæ ſecundum imaginationem videntur cōtraria, veluti ſi nimio calore quis opprimeretur,indeq; vino niue refrigerato vteretur;hoc contrarium eſſet ſecundum imaginationem, & non ſecundum veritatem;homines enim vulgares, & plebei imaginantur pro nimio calore extinguendo optimum fore vinum in exceſſu niue frigefactum,quod ratione vini calefacit, & ratione nimij frigoris obſtruentis meatus, per quos ventilatur calor naturalis, exurit.

Secundò docet in hoc tex. eadem via eſſe incedendum in ægritudine,quæ partim fit,& partim eſt facta, veluti ſunt febres putridæ; in his quoque oportet eligere cauſas ſalubres curantes febrem factam, & præſeruantes partem fiendam, tollendo ſcilicet cauſam antecedentem, quæ facit febrem: Hancq; viam eligendi cauſas ſalubres nos quoque docuit Galenus multis in locis, ſed præcipuè in libris de ſimplici medicina.

CAPITIS LXXXIX.

Particula IV.

Tex. 38. *Eſto enim ſi ita contigerit in humoribus putreſcentib. accendi febrem. Indicatio in huiuſmodi eſt euacuatio, atque alteratio, hæc quidem quæ putredinem finiat manēte adhuc ſubſtantia, euacuatio verò, quæ totam ex corpore ſubſtantiam educat.*

SVperius dixit in morbis, qui adhuc fiunt, procedēdum eſſe non ſolum contra morbum factum,ſed etiam contra cauſam generantem morbum,qui adhuc fit: Cæterum, quia febris putrida eſt morbus,qui partim eſt factus, & partim fit: ideò in hoc tex.exemplo febris putridæ docet, quæ remedia conueniant pro auferēdis humoribus putridis, qui ſunt cauſæ generātes,per quos febris adhuc fit:dicitq;duò eſſe remedia: quæ & futuram febrē inhibent,& auferunt cauſam illam generantem; horum alterum

dicit

dicit in euacuatione conſiſtere: alterum verò in alteratione.

Deinde definit quid ſit alteratio, & quid euacuatio: inquit igitur, alterationem eſſe, quæ putredinem finit manente adhùc ſubſtantia, quaſi dicat, quamuis humores incipiant putreſcere, tamen eos alterando ad benignum, & priſtinum ſtatum naturalem reducere poſſumus, ita vt nullo modo ſubſtantia humorum corrumpatur, ſed maneat, & conſeruetur. Quæ verò ſint hæc alterantia, quæ putredinem prohibent, Galenus docet 11. methodi c. 13. quatuor eſſe oppoſita putredini, euacuationem, quæ tamen non pertinet ad alterationem, refrigerationem, ventilationem, quæ fit aperientibus; & ſemiputridorum coctionem.

Secundò definit quid ſit euacuatio, quæ reſpicit quod putrefactum eſt, & nõ quod eſt in putreſieri. Dicit euacuationem eſſe, quæ totam humorum ſubſtantiam è corpore educit; dicit totam ſubſtantiam, quia eſt in putrefacto eſſe, & nullo modo ad benignum, & priſtinum ſtatum poteſt educi.

Notandum in morbis, qui adhuc fiunt, ſemper eſſe auſpicandum à cauſa; ideò Galen. proponit in febre, quæ eſt morbus, qui partim fit, & partim eſt factus: à cauſa, ideſt ab humorum euacuatione, & alteratione eſſe auſpicandum; quia euacuatio, & alteratio reſpiciunt cauſam febrilem, ideſt humores putridos, & non febrem.

Eandem doctrinam habet varijs in locis 8. enim methodi cap. 1. dicit, ſi cauſa efficit febrem, à cauſa eſſe curationẽ auſpicandam; ſi non amplius fiat, ſed ſit factus morbus, tunc non eſſe opus, vt medicus de auferenda cauſa cogitet. Similiter 3. meth. c. 9. docet, in vlcere phlegmonoſo non eſſe exordiendam curationem ab vlcere, ſed ab inflammatione, quę eſt præcipua cauſa vlceris. Itidem 4. methodi 4. dicit, dum morbus adhuc fit, à cauſa eſſe exordiendum. Inſuper 10. methodi c. 1. & 12. niſi prius cauſa remoueatur, quæ morbum facit, morbum non poſſe curari: & in hoc cap. paulò infrà dicit, commune præceptum eſſe, vt prius reſcindamus cauſam, & deinde ægritudinem, quæ ab illa dependet.

1 Dub. dicit Galenus 3. methodi cap. 9. ſi in vlceribus phlegmonoſis ſuperueniat conuulſio, prius eſſe tollendam conuulſionem, quam inflammationem, quæ eſt præcipua cauſa, ergo non ſemper à cauſa erit incipienda cura.

Solutio facilis eſt, quia dum dicimus, à cauſa prius eſſe exordiendam curam, intelligimus facta comparatione inter cauſam, impedimentum, & morbum, ideſt ſemper prius à cauſa eſſe exordiẽdam curam, quam ab impedimentis, & à morbo, dicimus tamẽ ex Galeno ſemper eſſe faciẽdam comparationem inter cauſam, & vrgens; quia ſemper Galenus admonet prius eſſe incipiendam curam ab vrgente, quàm à cauſa; quare quamuis inflammatio ſit cauſa conuulſionis, cura tamen eſt incipienda à conuulſione, quia conuulſio eſt vrgens, & ex Hippocrate ei, quod magis vrget, ſemper eſt attendendum. Hinc Gal. 3. methodi cap. 9. & 7. methodi c. 12. ſummo artificio, & miro ordine reduxit omnia indicãtia, quæ precedunt indicationem, quæ deſumitur à morbo, vt morbus eſt, ad tria. ſ. ad vrgens, ad cauſam, ad impedimentum hac lege, vt prius vrgens, ſi adſit, tollatur: ſecundò, cauſa principalis: tertiò, impedimẽta. Nos lib. 15. de indicantium æquilibrio, de ordine, & poteſtate indicantium, quæ deſumuntur ab vrgentibus, cauſis, & impedimentis fusè egimus, & Lectores ad illum ſermonem remittimus.

2 Dubit. inquit Galenus in tex. febrem accendi in humoribus putreſcentibus, quod non videtur; quia febris in ſolidis accenditur, & Galenus 10. methodi eam vocat accenſionem cordis; & Auicennas in definitione febris ait, febrem eſſe accenſionem cordis, & mediante ſpiritu diffundi per vniuerſum corpus, ità vt cor ſit ſubiectum principale febris, & totum corpus ſit adæquatum: quare malè Galenus dum in tex. dicit, febrem eſſe accenſionem factam in humoribus.

Reſpondet Pluſquamcommentator, eſſe legendum febrem accendi ex humoribus, & non in humoribus. Reijcitur, quia nõ eſt officium commentatoris mutare verba Auctoris antiqua. Ego autem dicerem, febrem accendi in humoribus quo ad cauſam, & originem; quia hu-

mor putridus eſt principium quo, & non quod ipſius febris. Vel dicerem, fientem febrem, de qua loquitur hic Galenus, & non factam eſſe accenſionem in humoribus: facta enim eſt accenſio in ſolidis. Hinc Galenus loquitur in hoc loco de præſeruatione à futura febre, quæ non eſt in facto eſſe; & proponit duo remedia, alterationem, ſcilicet & euacuationem, quæ reſpiciunt febrem futuram, & fientem, & non factam: Quod verò hæc duo remedia reſpiciant partem futuram febris, patet, quia vocantur à Galeno remedia præſeruatoria, & non curatoria.

Quod verò præſeruatio exigat alterationem, & euacuationem, patet ſimiliter ex Galeno lib. de conſtitutione artis cap. 19. vbi habetur, corpora præſeruari à futuro morbo alteratione, & euacuatione.

Modus verò, quo corpora alterantibus præſeruamus à futura febre triplex eſt, alius, qui procedit refrigerando; alius ventilando, & coquendo; & alius, qui procedit euacuando: euacuatio enim à putredine præſeruat; nam Gal. 11. methodi cap. 13. dicit, quatuor eſſe oppoſita putredini, refrigerationem, ventilationem, ſemiputridorum coctionem, & euacuationem.

3 Dub. Galenus ait, alterationem auferre putredinem, manente adhuc ſubſtantia; quod non videtur, quia putredo ex Ariſtotele, & Galeno eſt corruptio: ſed in corruptione non remanet ſubſtantia: corruptio enim eſt mutatio totius in totum.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Galenum per putredinem intelligere ſolum alterationem. Nos tamen diſtinguimus putreſcibile ab eo, quod eſt in putrefieri, & ab eo, quod eſt in putrefacto eſſe: poſita hac diſtinctione, dicimus, quod virtute alterantium prohibemus, ne quod eſt in putrefieri, perueniat ad putrefactũ eſſe; atque hoc ex Gal. 11. meth. c. 13. fiet triplici alterantium genere, refrigerantibus, ventilantibus, & ijs, quæ ſemiputrida coquunt; hinc Gal. 11. meth. c. 8. dicit, eadem arte nos tollere putredinem humani corporis, qua extra corpus; quia dum aliquid incipit putrefieri, & adhuc non eſt putrefactum, prohibemus, ne putreſcat, refrigerando, vel ventilando, aeri ſcilicet libero corpora exponendo. Quod verò eſt omninò putridum non alterantibus, ſed euacuantibus, quæ ſubſtantiam humorum totam per aluum, vel per vrinam, vel alias partes educant.

Cauſæ verò putredinis quot ſint, colligi quoque poſſunt ex remedijs, quæ aduerſantur putredini; oppoſitorum enim eadem eſt ſcientia; remedia, quæ ſunt oppoſita putredini, diximus ex Gal. eſſe quatuor, videlicet, refrigerantia, ventilãtia, ſemiputridos humores coquentia & euacuantia; quatuor erunt quoq; cauſæ, quæ efficient putredinem.

Dicimus igitur, ſi refrigeratio naturalis iuuet, & inhibeat putredinem, calefactionem non naturalem externam, vel internam cauſare putredinem.

Si ventilatio prohibebit putredinem; ergo prohibita perſpiratio conſpirabit in putredinis productionem. Hinc Galenus 11. meth. cap. 4. & 2. de differentijs febrium cap. 2. dicit, potiſſimam cauſam putredinis eſſe prohibitam perſpirationem, quæ ſolum fit ab anguſtia; & anguſtiam à coaleſcentia, ſubſidentia, cõpreſſione, occluſione, vel obſtructione; obſtructionem deinde à viſcidis, craſſis, vel copioſis, humoribus; auferas igitur cauſas efficientes anguſtiam, & præcipuè obſtructiones, tunc ventilabis, & arcebis ægros à putredine.

Si ſemiputrida non poterunt coqui, putrida fient; oportet igitur roborare vires, vt poſſint ſemiputrida coquere; ergo vires debiles putredinem cauſari poſſunt; ecce quod ex remedijs putredinis dignoſci quoque poſſunt cauſæ putredinis. Quomodo verò roborentur vires collapſæ totius, vel partium legas librum quintumdecimum methodi noſtrę, ibi intelliges quomodo roborentur.

Similiter dignoſcimus plenitudinem, quatenus adiapneſtiam efficit, cauſari putredinem, quia euacuatio prohibet, & tollit putredinem. Notandum tamen, euacuationem non ſolum prohibere putredinem, ſed etiam tollere putrefactum eſſe; per putrefactum eſſe intelligimus humores incineratos. Ariſt. enim 4. meteororum, cap. de putredine dicit, finem rerum putridarum eſſe cinerem, qui pertinet

tinet ad putrefactum eſſe: ſciendum tamen, euacuatione reſpicere putrefactum eſſe, quatenus ſubſtantiam tollit, vt dicit Galenus in tex. reſpicere quoq; putreſcibile, non quatenus tollit ſubſtantiam, ſed quatenus tollit illos humores, qui apti ſunt, vt quam citiſſimè putreſcant. Hinc quando Gal. 1. methodi cap. 15. vbi dicit, venæ ſectionem eſſe remedium ſaluberrimum in omnibus putridis febribus, intelligit non ſolum pro inhibitione putredinis, id eſt pro auferenda occaſione, & diſpoſitione humorū putreſcibilium; ſed etiam pro eradicatione humoris, qui eſt in putrefacto eſſe, id eſt pro eradicatione cineris, qui in venis febricitantium colligitur.

Quod verò venæ ſectio conferat quoque ventilationi, patet ex Gal. 8. methodi c. 4. vbi ait, ob venæ ſectionem putridum perſpirare; arbitror per putridum non intelligere cinerem, quia cinis non eget ventilatione.

Quomodo verò poſt ſanguinis euacuationem putredo in humoribus non ità officiat, puto inde pendere, quia vapores putridi ſoliti ad cor excurrere, non ità in cor inclinēt, ſed in venarum vacuitatem redditam ob præſentem phlebotomiam maiorem, atque hęc eſt cauſa cur phlebotomia, licèt fiat per euacuationem optimi ſanguinis, iuuet.

4 Dub. ait Galenus, putredinem tolli duobus remedijs, alteratione ſcilicet, & euacuatione: videtur diminutus; quoniam nil dicit de phlebotomia, quam in auferenda putredine tantum percelebrat Galenus 11. methodi c. 15. Similiter Gal. 2. aphor. 22. dicit pharmaca electiuè purgantia eſſe illa, quæ putridum euacuant: erant igitur prædicta duo remedia proponenda.

Reſpondemus, non ſolum hæc duo propoſita reduci ad euacuationē, ſed plura alia diuerſimodè conferre ad euacuationem: phlebotomia enim iuuat, quia exonerata ſarcina, natura, quod reliquum eſt, melius concoquit: pharmaca verò euacuant per aluum illum cinerem, qui poteſt per aluum euacuari: euacuant quoque putreſcibile, & tollunt cauſas, & occaſiones nouæ putredinis.

5 Dub. Galenus in tex. pro auferenda putredine refert duo remedia, vacuationem, ſcilicet & alterationem; quod præceptum non videtur vniuerſaliter verum, quia dum humores ſunt putrefacti non egent alteratione, ſed omnimoda euacuatione.

Reſpondetur, in putridis humoribus ſemper eſt putredinem factam, fientem, & futuram; qua poſita diſtinctione dicimus, pro putredine facta nullum alterans remedium iuuare; quia, quod eſt in putrefacto eſſe non eſt ad benignum reducibile; ideò euacuatione ſolum eget: dum Galenus propoſuit alterationem, & euacuationem, conſiderauit non ſolum humores, qui ſunt in putrefieri, verum etiam qui ſunt in putrefacto eſſe.

Notandum tamen in putridis humoribus, euacuationem eſſe duum generum; alteram eſſe, quæ inhibet putredinem: alteram verò, quæ educit, quod eſt omninò putrefactum: dicimus in vtroque caſu alterationem præcedere euacuationē: debet enim præcedere euacuationem humorum ſemiputridorum, quia, niſi illi humores concoquantur, non poſſunt electiuè purgari: ſecundum hanc intentionem Hippocrates 1. aph. 22. protulit hunc aphoriſmum, *Concocta medicari, & non cruda*. Concoquuntur enim humores, dum redduntur ab alterantibus, liquidi. Similiter ante euacuationem humorum, qui ſunt in putrefacto eſſe, requiruntur alterantia, quæ ſunt aperientia meatus pertinentes ad renes, & ad ſurculos venę portæ, quia per has regiones euacuantur cineres putredinis: humores enim qui ſunt in putrefacto eſſe nihil aliud ſunt, quam veluti cineres.

Demum fac memineris ante euacuationem, quæ fit per lenientia mollia, & blanda, quę euacuant primas vias, vt non præcedant alterantia; imò alterantia ceterapia, niſi primæ viæ ſint euacuatæ, potius officiunt, quia illa excrementa impediunt tranſitum alterantium, & eorum virtutes retundunt.

QVÆST. CVII.

Digreſſio de putredine.

QVæritur in hoc loco, an putrefactio in humoribus ſit putredo diuerſa ab

ab illa propoſita ab Ariſt.4.meteororum c. 2. & an putrefactio in humoribus ſit putredo, quam vocat Ariſt.ſimpliciter, vel ſit illa, quam vocat ſecundum partem. Vt hæc rectè intelligantur, videndum eſt, quid dicat Ariſt.de natura putredinis.

Ariſt.4.met.c.2.ſic definit putredinem; putredo eſt corruptio propriæ caliditatis in vnoquoque humido ab aliena caliditate, quæ eſt ambientis; deinde ſubdit, & à propria rei putreſcentis frigiditate.

Quo ad cauſam formalem putredinis dicimus, eſſe corruptionem, & totalem, & abſolutã; quia finis putredinis eſt incineratio; Nec valet, dum obijciunt, ſi caliditas omninò, & abſolutè corrumperetur, animalia, quę ex putrida materia fiũt, nõ generarentur; quia propria caliditas extinguitur, & ex noua materia nouus calor, fit illo modo, quo in candela fit lumen, quod ſemper deſtruitur; & ſemper nouum ex materia accenſa generatur.

Quo ad cauſam materialem putredinis dicimus eſſe vnumquodque humidũ proprium, ſicuti enim putredo eſt corruptio propriæ caliditatis, & non alienæ: ſic hæc corruptio fit in humido proprio, & non alieno.

Quo ad cauſam efficientem ait, eſſe alienam caliditatem ambientis: illa enim euocat calorem proprium: nos enim intelligimus per ambientem non ſolum caliditatem, quæ eſt in aere, & aqua; ſed etiam in fuliginibus retentis per adiapneuſtiam; quia prohibita perſpiratione, retinentur fuligines; quibus retentis, non ventilatur calor ab aere per inſpirationẽ, vel per diaſtolem pulſus attracto; vnde incaleſcit, & deſtruitur propria humorũ caliditas; ecce igitur, quod cauſa efficiens eſt etiam calor fuliginum, quatenus euocat proprium calorem, & illum corrumpit.

Dum verò Ariſt. ſubdit, putredinem quoque prodire à propria rei putreſcentis frigiditate, ſic intelligendus eſt, quod ſcilicet calor proprius ab externo calore ambiẽtis euocetur, egrediaturque cũ humido proprio; accidentia enim non trãſmigrãt ſine ſubiecto; egreſſoque calore, ſtatim interna frigiditas ſuboritur, ita vt perexiguus calor naturalis, qui relinquitur nõ poſſit amplius humidum cum ſicco retinere; vnde terreus puluis, ſeu cinis relinquatur oportet, quo fit, vt Ariſtot.4. met.dicat; cinerem eſſe finem putredinis.

His poſitis facilè eſt videre, cur aere exiſtente frigido, ſicuti dum ſpirat aquilo, difficilius mixta putreſcant; è contra in locis calidis. Similiter dum humidum dominatur calori, eo citius mixta putreſcunt; quo fit, vt Galenus 1. de temperamentis c. 4. dicat, humiditatem eſſe putredinis matrem; Hinc ſi arcendi ſint fructus à putredine humiditas abundans, vel igne, vel ſole ſiccatur, vt calor illorum proprius, qui erat ab illa oppreſſus fortior redditus magis reſiſtat externæ caliditati ambientis; ecce igitur, quod definitio Ariſt. non ſolum conuenit omnibus mixtis, ſed etiam humoribus, qui putreſcunt in venis.

Quærebatur quid Ariſt.4.meteororum intelligat per putredinem ſimpliciter, & quid per putredinem ſecundum partem; Medici enim diſputant, an putredo febrium putridarum ſit, quæ dicitur ſecundum partem, vel ſit, quæ dicitur ſimpliciter.

Albertus Magnus per putredinem ſecundum partem intelligit putredinẽ elementorum, Eraſtus intelligit formæ interitum, ſed non vſque ad elementa; illam enim putredinem vocat vniuerſalem, & ſimpliciter. Archangelus Mercenarius diſputat contra Eraſtum, dicitque putredinem ſecundum partem non eſſe interitum formæ, ſed ſolum alterationem qualitatum: Iacobus Zabarella cenſet, putredinem ſecundum partem modo eſſe interitum formę, veluti dum animal corrumpitur, & fit cadauer, vel dũ vinũ putreſcit & fit vappa; modo dicit, eſſe alterationem qualitatum, veluti dum vnum incipit putreſcere; attamen diligentia practicantiũ tranſponentium uina ex dolio in dolium reduci ad priſtinam bonitatem; hanc putredinem uocat Zabarella ſecundum partem, quamuis ſit in ſolis qualitatibus; hancque opinionem recipimus.

Sequitur, ut modo quæramus, an humores in febribus putridis putreſcant ſimpliciter, uel ſecundum partem; Mercenarius, Zabarella, & alij putant, putre-

dinem

dinem humorum efficientium febrem eſſe ſecundum partem, & non ſimpliciter.

Cenſet enim Mercenarius, putredinem humorum eſſe alterationem, & non formæ interitum.

Zabarella verò aſſerit, aliquando eſſe formæ interitum, aliquando verò ſolam alterationem qualitatum: datque exemplum, dum ſanguis mutatur in bilem, vel alium humorem toto genere præter naturam, dicit eſſe cum interitu formæ ſanguinis; dum verò ob putredinem humorum alterantur ſolum qualitates, nõ corrumpi formas humorum; dicitque tunc medicum auferẽdo occaſionem, aperiendo ſcilicet euacuando, & refrigerando poſſe humores, qui incipiunt putreſcere, ad priſtinam temperaturam transferre.

Ego arbitror, Galenum velle putridos humores non ſolum putreſcere ſecũdum partem cum interitu formæ, ſed etiã putreſcere ſimpliciter; & ratio eſt, quia portio putrida reſoluitur vſque ad elementa, & ad cinerem; tunc enim putredo eſt ſimpliciter putredo, quando illius finis eſt cinis. Quod verò humores putridi reſoluantur in cinerem eſt Galeni 2. de differentijs febrium, & 3. prẽſagiorum 32. vbi habet hẽc verba, *Si natura illum veluti cinerem ſupra modum aduſtorum vacuare non anteuerteret, ille rurſus in corpore manens, & concalfactus magnam quandam ad putredinem propenſionem contrahit.*

Quare ſi cauſa cur putredines excitentur ſit cinis humorum aduſtorum, putredo febrium erit ſimpliciter, & non ſecundum partem; apparet enim hic cinis in vrinis in fine putridorum morborum & prẽſeferet ſpecimen arenularum perexiguarum; differt autem ab arenulis, quia hẽ in fundo matellẽ colliguntur, cinis verò in nubeculis diſperſus conſpicitur.

Dum verò Zabarella dixit, putredinẽ, quẽ eſt in ſolis humorum qualitatibus tolli per leuem medicinam; putredinem verò cum interitu formẽ humorũ nullo modo corrigi, vel reduci poſſe ad priſtinum ſtatum; eius pace diſtinctio eſt vana; quia nulla putredo per leuem medicinam corrigitur; hẽc tria ſunt natura diſtincta; putreſcibile, putredo, & putrefactum; putreſcibile alteratione, & euacuatione tollitur, vt dicit Galenus lib. de conſtitutionẽ artis cap. 19. & in hoc loco corpora ſcilicet prẽſeruari à futura putredine, ſeu à futuro morbo alteratione, & euacuatione: putredo verò ſolum eſt in fieri, putoque eſſe fumos, ſeu exhalationes putridas, quæ neque ſunt putreſcibiles, neque adhuc omnino putrefactæ sũt; putrefactum eſſe eſt cinis, qui debet euacuari, ne ad inſtar fermenti in humoribus nouam excitet putredinem.

1 Dub. Galenus 11. methodi c. 8. comparat putredinem humorum putredini iumentorum, & fructuum, pomorum videlicet, & carnium: ſicuti enim quod putridum eſt in inanimatis amouere, vel amputare par eſt, & quod relinquitur flabellatione corrigi: ſic fieri debet in humoribus putridis efficientibus febrem quod putridum eſt ſubitò euacuare, & quod tendit ad putredinem flabellatione, & libera perſpiratione inhibere ne putreſcat: qua poſita ſimilitudine ſequitur, ſicut ſtatim, quod putrefactum eſt in carne indicat ſui amotionem abſcindendo quocunque modo; ſic quod putrefactum eſt in humoribus ſtatim purgandum; ergo prima die ideſt poſt primum paroxyſmum, & non poſt concoctam materiam corpora erunt purganda.

Reſpondent nonnulli, hãc putredinem non eſſe ſimilem putredini inanimatorum. Quæ reſponſio non accipitur; quia ſicuti in inanimatorum putredine cinis eſt finis: ſic in humoribus putridis; Dicimus enim quod eſt ſimillima, & ſi poſſet amoueri quod putrefactũ eſt, ſtatim poſt primum paroxyſmum, optimum eſſet; ſed non eſt poſſibile; eſt. n. naturæ officium ſeparare putridum à nõ putrido, & deinde illud euacuare: quod vt fiat requiruntur multi dies: nos tamẽ interim vtimur aperientibus, diureticis, incidentib. craſſitiẽ, & detergentibus viſcoſitatẽ; quibus omnibus peractis mox natura incipit putridos humores propellere, & medicus naturæ imitator eò illos ducit, quò natura vergit; & tandem illos è corpore expellit.

CAPITIS LXXXIX.
Particula V.

Tex. 39. *Sed dicta quidem alterationis ſpeciei concoctio exiſtit, quam vbi inuenerimus*

à quibuſnam cauſis fieri contingat, tunc vtique eorum, quæ hoc pacto ſalubria ſunt ſcientiam tenebimus.

IN tex. ſuperiori dixit, quod duo ſint remedia pro humorum putredine auferenda: alterum eſt alteratio, alterum eſt euacuatio. In hoc tex. ait, ſe intelligere per alterationem concoctionem: ſecundò, quod ſi inuenerimus ex quibus cauſis concoctio fiat, nos ſtatim ſcire quęnam fuerint cauſę ſalubres, quæ conferunt ad melius, & promptius concoquendum. Quæ autem iuuant coctionem, vt infra dicemus, ex Gal. 1. epid. 2. comm. 43. ſunt quies moderatè calida, frictio, & balnea; addas ſomnum, aperientia meatus, & alia, de quibus in dubijs diligenter tractabitur; hæc eſt continuatio, & ſenſus verborum text.

1 Dub. à Gal. 11. methodi cap. 13. tria proponuntur alterantia, quæ inhibent putredinem, ventilatio ſcilicet, refrigeratio, & ſemi putridorum coctio, ergo malè hic Galenus, dum per alterationem inquit ſe intelligere concoctionem, quia omittit ventilationem, & refrigerationem.

Reſpondent nonnulli huic difficultati, interpretando verba tex. hoc modo; ſed dictæ quidem alterationis ſpecies eſt cõcoctio, ideſt quod concoctio ſit quædam ſpecies alterationis; ſed hæc expoſitio non explicat vim verborum Græcorum, quæ ſic ſe habent, ἀλλὰ τὸ μὲν εἰρημένον εἶδος τῆς ἀλλοιώσεως πέψις ἐστίν, ideſt, ſed dicta quidem alterationis ſpecies concoctio eſt: non dicit dictæ alterationis genitiuo, ſed dicta, ita vt videtur, quod Galenus dicat alterationis vnicam eſſe ſpeciem, & hanc eſſe concoctionem.

Reſponderi igitur poteſt, vnicam tantum eſſe ſpeciem illius alterationis, quæ putredinem finiat, manente ſubſtantia; & hanc eſſe concoctionem, quia natura ſine concoctione nunquam ſemiputrida vincet; dum verò dictum eſt præter concoctionem eſſe refrigerationem, & ventilationem; dicimus, hæc eſſe iuuantia concoctionẽ, & in vnicam concoctionẽ dirigi; ideò Galenum dicere dicta alterationis ſpecies eſt coctio, & non dictæ.

Quæ autem iuuant coctionem ſunt, quæ vires roborant; vt ſomnus, quies, & debitus vſus aliarum rerum non naturalium: in quibus continentur quoque refrigerantia, & ventilantia, quæ inſeruiunt ad debitum vſum cauſarum neceſſariò alterantium.

2 Dubit. dicit Galenus, inhiberi putredinem alteratione, & per alterationem interpretatur coctionẽ, quæ coctio quomodo fiat, non videtur Galenus ſibi conſtare: quia 8. methodi cap. 3. docet, aquæ potionem corporibus biliosis iuuare coctionem; nihilominus 3. de ratione victus, comm. 29. ait, calidum ſemper iuuare coctionem; frigidum verò nocere.

Reſpondetur, quæ iuuant coctionem duplicia eſſe aliqua per ſe; & hoc dicimus eſſe robur virium: aliqua per accidens, quæ ſunt illa, quæ tollunt impedimenta; dicimus aquæ potionem iuuare per accidens, quatenus refrigerat intenſum calorem; quo refrigerato, inde naturam alacrius aggredi ſuorum officiorum munera, inter quæ præcipuum eſt coquendi officium; Hinc plura ſunt, quę per ſe nocẽt coctioni, & per accidens iuuant, ſicuti narcotica, quæ ſunt inimica coctioni, tamen quatenus ſomnum inducunt; iuuant. Hinc quando Galenus 2. in epid. comm. 9. docet, coctionem effici per contrarias qualitates, intelligit, contrarias qualitates iuuare, quatenus minuunt morbum, qui impedit coctionem; omnis enim morbus, & omnis labor coctioni ſunt impedimento.

3 Dub. Galenus 4. de ratione victus 44. & 1. epid. 2. comment. 43. docet, coctionem iuuari à moderatè calidis, frictione, quiete, & balneo, quod non videtur, quia ſi quies iuuat, frictio, vel balnea non iuuabunt; ſunt enim quieti oppoſita.

Reſpondetur, coctionem dupliciter ſumi, uel pro conuerſione nutrimenti in ſubſtantiam nutriti, uel pro digeſtione; Quod uerò concoctio, & digeſtio differant inter ſe, nos docet Gal. 3. de ratione uictus, & 12. methodi cap. 3. ubi protulit hanc ſententiam; ſomnus concoquit, uigilia uerò digerit; digeſtio enim nil aliud ſignificat, quam translationem humorũ ab uno ad alium quod locum; poſita hac diſtinctione dicimus, quod ſumendo coctionẽ pro cõuerſione, quietem moderatam, caliditatem, & ſomnũ iuuare co-

ctio-

ctionem; ſi verò per coctionem intelligamus digeſtionem, dicimus, frictionem, balneum, & exercitium coctioni ſuffragari.

4 Dub. Si concoctio eſt ex Gal. in tex. alteratio, & eſt naturæ opus, ergo non pertinebit ad medicum alterare; patet enim ex Ariſtotele 4. meteororum cap. 3. primæ ſummæ, vbi dicit, coctionem à propria, & naturali caliditate fieri, ergo non à virtute medicorum.

Reſpondetur, coctionem immediatè à calore proprio fieri; auxilia verò medica iuuare naturam, vel auferendo impedimenta, vel virtutem corroborando; quare Ariſtoteles loco citato fatetur, concoctionem iuuari ab alterantibus à medico propoſitis, & non fieri; hæc ſunt verba philoſophi: *Concoctio & ſi ab aliquo exteriore auxiliū ſumpſerit, vt per balnea, & per alia talia, tamē principium eius eſt caliditas propria.* Ecce, quod à balneis, à frictionibus, à ſerapijs incidentibus, & detergentibus, à ſomno, & ab alijs natura ſumit auxilium, quo calor proprius facilius concoquat, & aſſimilet.

5 Dubit. Galenus 11. methodi de curatione febris putridæ inquit, duplici ingenio tolli putredinem in viuis, & in mortuis: primò, ſeparando id, quod eſt putrefactum à bono, ſecundò reducēdo, quod eſt in putrefieri ad ſymmetriam motibus moderatis, refrigeratione, & perſpiratione: de concoctione verò ne verbum quidem: quomodo igitur in hoc tex. Galenus docet, alterantia, quæ emendant putredinem, eſſe ſolam concoctionem?

Reſpondetur, quod Galen. in methodo egit de auxilijs, quæ adiuuant coctionem: quia eius intentio eſt ibi tradere auxilia per indicationem; ſicuti ſunt aperientia, quæ tollunt prohibitam perſpirationem; refrigerantia, quæ minuunt calorem febrilem; & motus moderati, ſeu frictiones, quæ poros aperiunt; quæ omnia mirificè ad concoctionem perficiendam conferunt. Hic verò non de ad iuuantibus coctionem, ſed de ipſa coctione.

6 Dub. Galenus 11. methodi dicit, eodem modo in viuis, ſicuti in mortuis tolli putredinem, quod non videtur, quia in mortuis nulla fit concoctio, neque euacuatio; quia quod eſt putrefactum in mortuis ſeparatur, & non euacuatur; quod eſt in putrefieri, cum vita careat, non habet vim concoquendi, quod contrarium euenit in viuis; quia putrefactum à virtutibus naturalibus ſeparatur, & euacuatur; & quod eſt in putrefieri concoquitur.

Reſpondemus, dum putreſcunt ſolida, & fit gangrena in parte externa, vt ſunt in putrefieri, euentantur, & exſiccantur oxymelite, tonſorum lixiuio, eo modo, quo exſiccatur carnes, vel piſces, ſale, vel aceto, ne putreſcant: quæ verò ſunt iam putrefacta, ſeparantur igne, vel ferro; quare ſeruatur eadem ſimilitudo in viuis, & mortuis; dum verò humorum putredines ſunt in fieri, euentantur, & refrigerantur, vt natura uincat incipientē affectū: ſi uerò ſunt putrefacti, ſunt euacuandi humores medicamento proportionato; ſed hac lege, ut ſint cocti, & uicti à natura: ecce quam benè Galenus aſſerat, eandem eſſe rationem in tollenda putredine in uiuis, ut in mortuis.

7 Dub. uidetur, quod eſſet utilius ante concoctionem humores putridos euacuare, quam poſt factam coctionem, quia non inficerent alios, & ſtatim ceſſaret inquinamentum.

Reſponderi poteſt duobus modis dubitationi. Primò, quod ſi poſſent euacuari humores, qui ſunt in putrefieri, ante coctionem, eſſet lōgè utilius; cauſa uerò, cur nō poſſint euacuari, eſt craſſities, & uiſciditas humorum obſtruentium meatus, per quos pharmacis educuntur; ideò tunc dicimus eſſe putridos humores coctos, quando meatus ſunt aperti, & tunc ui pharmaci educi poſſe prauos humores. Secunda reſponſio, & eſt melior, & artificioſior, eſt, quod putrefacta excremēta ante coctionē nullo modo poſſint euacuari, quia, nō ſunt adhuc excremēta: excrementa .n. eo ſunt excremēta, quia præceſſit aliqua coctio, & deinde ſubſecuta eſt aliqua ſeparatio; quare cum in principio morbi nulla ſit facta ſeparatio utilis ab inutili, uel boni à malo, excremēta euacuanda non aderunt; & hæc eſt uera, & legitima ratio, cur Hippocrates 1. aphoriſmorum 22. dixerit, cōcocta medicari, & non cruda; nō quod non poſſint

educi;ſed quia ante coctionem,ideſt ſeparationem non dantur excrementa, neque putrida,neque non putrida;de ratione enim coctionis ex Gal. in aphor. tria ſunt; primum eſt transmutare,ſeu vincere: ſecundum ſeparare vtile ab excrementis; tertium expellere; quod ſi natura non poteſt,medicus eius miniſter efficere debet.

8 Dub. dicit Galenus in tex. quod alteratio, qua vtimur pro cohibenda putredine ſit concoctio.Similiter Hippocrates 2.de ratione victus tex.44.nominat bilioſorum humorum concoctionem; nihilominus ex multis Gal. locis colligimus,alteratione humorum non eſſe concoctionem: primo enim de differ. febrium cap. 6.dicit,illud,quod ſubſidet in vrinis,oſtēdit quæ in venis, & arterijs continentur, proportione reſpondere puri; ſed ſic eſt quod puri non conuenit concoctio, ſed putrefactio,vt dicit Galenus 4.ſimpliciũ, cap.de pus mouentibus. Similiter humorum alterationi, quæ cognoſcitur ex vrina, non concoctio, ſed putrefactio conuenit, quia ex Galeno 1.prognoſticorum cap.vlt.& 3.de præſagijs ex pul.cap.habetur,quod in partibus inflammatis eſt pus, illud in vrina eſſe ſedimentum: ecce quod ſi concoctio non conueniat puri; neque conueniet alterationi humorum in venis putreſcentium, qui ex vrina cognoſcitur.

Auctores,qui tractant hanc difficultatem ſunt bipartiti: Aliqui ſuſtinent, alterationem humorum putreſcentium à natura ſuperatorum eſſe vocandam concoctionem; Aliqui putrefactionem; Qui verò eam vocant concoctionē,ſic reſpōdent dubitationi propoſitæ, concoctionem duplicem eſſe, perfectam & imperfectam: dicunt hanc humorum alterationem eſſe concoctionem imperfectam, & non perfectam;quare quando in Galeno legitur eſſe putrefactionem, & non concoctionem, intelligunt non eſſe perfectam,ſicuti eſt illa, in qua fit aſſimilatio, & conuerſio in ſubſtantiam nutriti.

Præterea, dũ Hippocrates primo prognoſticorum, capite vltimo dicit, ſedimentum album, læue, & æquale concoctionem perfectam indicare, dicunt, intelligi perfectam reſpectu morbi, & non abſolutè,ideſt in vrina,dum ſedimentum eſt album,læue, & æquale, in illo morbo non dari perfectiorem concoctionem.

Valeſius libro quinto contra.cap.3.ſoluit dubitationem,ſuſtinens alterationem humorum putreſcentium eſſe medium quendam motum participem concoctionis, & putrefactionis, colligitque hanc opinionem ex Galeno 1. prognoſticorũ, vbi habet hæc ferè verba;Si natiuus calor propria temperie plurimum exceſſerit, vt in cadauere, ſanguis putreſcit. Si verò corpus habet vim contra humores malos dicitur mutatio quædā mixta ex cauſa præter naturam, & ſecundum naturam.Similiter Gal.2.aphor.comm.47.ait, pus ſemimalam accipere commutationem:mala enim ſimpliciter eſt quādo putrefactio eſt olida; ſicuti ſimpliciter bona eſt nutritio, at quæ pus generat medium inter has obtinet locum: neque à ſolo calore extra naturam, neq; à ſolo ſecundum naturam; ſed mixtus ex vtriſque eſt calor inflammationis; ex his Galeni verbis clariſſimè patet, alterationem humorum putreſcentium, & pus eſſe mediam quandam naturam, quæ à calore mixto ex vtroque prodit.

Nos autem putamus,hos Auctores nō eſſe diſcordes; quia qui dixerunt, alterationem humorum putreſcentium eſſe coctionem,rectè dixerunt, ſumēdo coctionem non ſolum pro victoria putridę qualitatis;ſed etiam pro aliqua aſſimilatione; putridi enim humores ſubacti in ſedimēto oſtendunt aſſimilationē; albedo enim ſedimenti indicat humores redditos eſſe ſimiles venarum, & arteriarum tunicis, quæ albæ ſunt;læuitas, & æqualitas indicant non ſolum eſſe ſuperatos; ſed etiam ſeparatos.

De ratione coctionis tria ſunt, vt ſuperius ex Galeno loc.cit. diximus; primũ eſt victoria actiuarum qualitatum ſupra paſſiuas; ſecundum ſeparatio mali humoris à bono;tertium euacuatio.

Similiter pus,cum fiat ex ſanguine, dũ inter tunicas ſpermaticas continetur, ſi alteratrix particularum partium ſpermaticarum vincit fit album. Qui verò dixerunt eſſe putrefactionem, intelligendo mediam putrefactionem inter abſolutè putrefactum, & abſolutè coctum, rectè di-

dixerunt; diſtinctius tamen Valeſius ex Galeno declarauit, alterationem humorum putreſcentium eſſe mutationẽ quandam mediam inter perfectam coctionẽ, & perfectam putrefactionem.

Quod verò cõcoctio duplex ſit, alia perfecta, & alia imperfecta, perfecta eſt, quę conuenit alimentis, patet ex Galeno 3. de facultatibus naturalibus cap. 7. vbi eam definit ſic; concoctio eſt alteratio in propriam eius, quod nutritur, qualitatẽ; alia verò imperfecta, quę cõuenit coctioni excrementorum, & puris; & hæc à Galeno vocatur maturatio; quam Galen. 1. epid. comm. 2. 44. ſic definit; maturatio morbi eſt concoctio eorum, quę ſunt prę ter naturam; differunt hæ duæ concoctiones ſecundum maiorem, & minorem aſſimilationem; quia concoctio alimenti habet omnimodam aſſimilationem, puris, & excrementorum coctio habet paucam, albedo enim puris, & ſedimentum in vrinis æmulatur tantum albedinem ſpermaticarum partium, quæ pus, & excrementa continent.

9 Dub. non videtur, quod concoctio cohibeat putredinem humorum efficientium febres putridas; quia bilis, & melancholia ex Gal. non coquuntur, 4. enim de tuenda ſanitate dicit, citra, & infra ſanguinem eſſe pituitam, dicitque hanc coqui poſſe; addit ſupra ſanguinem eſſe vtranque bilem, ideſt flauam, & melancholiam, quæ non coquuntur, immò Galenus 5. de vſu partium dicit, ſupra ſanguinem non ſolum eſſe vtranque bilem, ſed etiam ſerum, quæ ſunt excrementa, quæ non coquuntur; Ad quid ergo Galenus ad cohibendam putredinem excrementorum dicit iuuare coctionem?

Reſpondent nonnulli, dum expectatur coctio in tertianis, & quartanis, non expectari coctionem bilis, vel melancholiæ; quia dicunt hæc excrementa eſſe inepta, vt coquantur; ſed dicũt expectari coctionem illarum materierum, quę ex debilitate caloris naturalis crudæ manent; & has vocari materias communes, ideſt cruditates: Reijciuntur iſti, quia tota ars medica rueret, Hippoc. enim vult concocta medicari: intelligitque de omnibus excrementis, & non de pituita tantum.

Reſpondetur ex Galeno 2. de ratione victus comm. 44. coctionem eſſe duũ generum: quandã perfectam, & propriam, quæ omninò aſſimilat, & hanc dicimus conuenire alimentis; quandam impropriam, quæ aſſimilat quantum poteſt, vt pus reddatur coctum, & aſſimilatũ in colore; excrementa verò putrida victa ſuperata aſſimilari tunicis venarum, & arteriarum; ſicuti in ſedimento albo, læui, & æquali vrinæ conſpiciuntur; ſecundo enim de ratione victus 44. Gal. ait, excrementa linioſa eo modo coqui, quo pus.

10 Dub. non videtur quod cohibenda ſit putredo concoctione, quia concoctio fit incraſſando, vt docet Ariſt. 4. meteororum c. 2. Medici tamen dum volunt iuuare concoctionem vtuntur attenuantibus, & incidentibus. Præterea Hippocr. 1. aph. 22. dicens, concocta purgari, & non cruda, declarat, quid intelligat per concocta, 2. aphoriſ. 9. & ait, eſſe liquida, & fluida, his verbis; *Corpora cum quis purgare voluerit oportet fluida facere*: Similiter Galenus libello quos, & quando purgare oportet, dicit, oportet prius craſſos humores attenuare, & ſecare lentos, & meatus per quos trahuntur aperire primo aphor. 24. dicit, Galenus oportet humores reddere quammaximè fluxui paratos; quomodo igitur erunt propoſitę auctoritates intelligendæ?

Reſpondet Galenus huic difficultati in comm. 22. 1. ſec. aphor. naturam, & medicum contrario modo operari; naturam ſcilicet incraſſando, medicum verò attenuando: quare errant Auicenniſtæ, dum vtuntur alterantibus incraſſantibus; quæ nullo modo cõueniunt, niſi catarrho tenui in pectus dilabenti, & nõ humoribus putridis; Hinc errat Auicennas, dum lib. 4. fen. 1. c. de curatione vniuerſali febriũ putridarum dicit, humores nõ rectè præparari ſyrupis, quando ad mediocritatem reducuntur, vt ſcilicet tenues reddantur craſſiores; & craſſi tenuiores: in putridis igitur febribus, ſi doctrinam Galeni, & Hippocratis inſequi velimus, expedit, vt alterantibus humores attenuemus, & nunquam incraſſemus.

11 Dub. non videtur, quod coctio fiat incraſſando, vt dicit Ariſt. 4. meteororũ cap. 2. quia chylus fiet ex cibo, qui craſſior eſt; & ex ſanguine fiunt ſpiritus, qui ſunt te-

tenuiores. Inſuper lotium, quando eſt nimium tenue, & nimium craſſum eſt crudum, ergo concoctio non fit incraſſando; ſed fit dum reducuntur humores ad mediocritatem, vt docet Auicennas loc.cit.

Reſpõdent Auicenniſtæ, quod alimẽta quæ concoquuntur, aliqua debent conuerti in partes craſſas, vt in oſſa: aliqua in mediocres, vt in carnes: & aliqua in tenues: hoc ſuppoſito fundamento dicũt, partem alimenti, quæ in oſſa conuerti debet, ſemper coctione craſſeſcere: & de his tantum putant, Ariſt. & Galenum intelligere, dum inquiunt coctionem fieri incraſſando.

Reijciuntur, quia Ariſt.4. meteororum vniuerſaliter intellexit, omnẽ concoctionem fieri incraſſando; quia ſi cauſa efficiens eſt caliditas, oportet, vt tenuiſſima ob calorem exhalent, & quod relinquitur craſſeſcat.

Nos reſpondemus ad dubia, chylum eſſe tenuiorem cibo, quia ſecernitur à cibo fæx: coctus dicitur chylus, & non cibus: aliud.n. eſt coctum; & aliud ſecretum: dum dicunt, vrinam craſſiorem connumerari in numero crudorum. Reſpondemus, dum dicitur, quod craſſa vrina ſit cruda, intelligimus vrinæ liquorem eſſe crudum, & non illam craſſitiem ſedimẽtoſam, quæ eſt materia non pertinens ad vrinam: inſpicienda igitur eſt vrina poſt depoſitionem materiæ ſedimentoſæ, quia ſedimentum craſſum, & turbidum non pertinet ad naturalem, & proprium contentum; quare concoctio fit incraſſando in re, quæ concoquitur, & non in materia ex qua generatur ſedimentum.

QVÆST. CVIII.

Quid ſit concoctio.

QVoniam variæ ſunt opiniones circa definitionem concoctionis, ideò par eſt, vt breuibus illas expendamus, & quæ videtur melior proponatur. Quidam definiunt coctionem ſic; Coctio eſt ſeparatio boni à malo. Reijcitur, quia Galenus lib. de potentijs naturalibus hanc ſeparationem boni à malo attribuit facultati expultrici, & nõ concoctrici: ſed quia dum fit concoctio expultrix exercet hoc officium ſeparandi bonum à malo, non erit omninò aliena.

Iulius Delphinas dicit, concoctionem eſſe reductionem caloris ad temperamẽtum: Hæc eſt imperfecta definitio, quia ſolum explicat illud, quod poſt coctionem ſequitur; facta enim coctione calor naturalis temperatur; proponitur tamen hæc definitio à Galeno 6.epid. 5. tex. 6. Argumenta, quæ ab Argenterio contra hanc definitionem ſunt propoſita, videntur hoſtilia, quia Argenterius non amore perquirendi veritatem, ſed odio percitus in Delphinam inuehitur.

Manardus affert tres definitiones concoctionis; aliam, quæ conuenit alimentis, aliam humoribus putridis, & aliam humoribus, qui non ſunt putridi, coctionem alimenti dicit, eſſe alterationem in qua alimentum omninò aſſimilatur; coctionem putridorum eſſe alterationem, quæ facit ceſſare putredinem; coctionem humorum non putridorum eſse alterationem, in qua quadamtenus quod concoquitur, aſſimilatur.

Reijcitur ab Argenterio, quia ſi multiplicabuntur concoctiones, debent etiam multiplicari expultrices, & aliæ facultates; ſicuti enim eadem eſt expultrix facultas, quæ expellit copioſius alimentum, & medicamentum, ſeu venenum; Similiter vnica debet eſſe concoctio, quæ alimentum, quæ putridos humores, & quoſcunque alios coquit; addunt autem vnam eſse cauſam efficientem coctionis, ideſt facultatem; coctioniſque vnum eſſe inſtrumentum, calorem ſcilicet natiuum, & vnum eſse finem, aſſimilationem ſcilicet ſaltem aliqualem; vnica igitur erit definitio quædam communis concoctionis; illa enim facultas, quæ cõcoquendo tollit mordacitatem, & calorem, illa eadem frigiditatem vincit, illa eadem incraſsat, aſſimilat; illa eadem pus conficit, & vincit putredines. Si verò ob materiæ diuerſitatem natura non conſequitur omnimodam aſſimilationem; non tollitur, quin ſit concoctio.

Hæc dicuntur ab Argenterio contra Manardum; non tamen tollit, quin tres ſint cõcoctiones; non enim negabat Manardus, dari genericam definitionem, ſeu deſcriptionẽ, quæ reſpiciat tres propoſitas;

poſitas; ſicuti eſt illa à Galeno propoſita 6. epid. 5. text. 6, quæ eſt; concoctio eſt adductio ad mediocre temperamentum; ſimiliter, & illa quæ 1. epid. text. 6. comm. 2. & 1. aphor. 13. & 2. acutorum tex. 44. à Galeno proponitur, illa ſcilicet vocari concocta, quæ à calore, & à natura ſunt ſuperata, & victa; quæ definitio eſt communis omnibus tribus ſpeciebus; Quare non inconuenit dari expultrices, & attractrices varias, ideſt varios modos attrahendi, & expellendi, cui differant inter ſe definitione; cui dubium, quod expultrix facultas, quę feces naturales expellit vario modo definietur, quam definiatur expultrix, quæ venenum, & putridos humores expellit? an ne homo, quatenus eſt cauſa efficiens, motus, licet vtatur eodem inſtrumento vario modo definitur? audias, an ne homo, vt cauſa efficiēs generationis vt cauſa alterationis motus localis, vectionis, vt cauſa motus vertiginoſi vario modo definiri debet? nihilominus idē efficiēs, et idē inſtrumentum, quod eſt calor naturalis concurrit: dum dicit, finem coctionis eſſe aſſimilationem, dico quod eſt valdè diuerſus hæc enim aſſimilatio ſuſcipit magis, & minus; facultas enim coctrix non intendit putridos humores omninò aſſimilare; quare Argenterij argumenta cōtra Manardum parum firma eſſe videntur.

Fernelius lib. de purgandi ratione dat hanc communem definitionem concoctionis; concoctio eſt mutatio ſubſtātię in conuenientiorem ſtatum, caloris vi; dicit hanc definitionem eſſe communem alimento, puri, & omnibus humoribus, qui aliquo modo concoquuntur. Verum hęc definitio eſt nimis communis, quia etiam generatio eſt mutatio in conuenientiorem ſtatum, caloris vi. Similiter aſſatio, & nutritio. Præterea hæc definitio non explicat concoctionum officium, quod eſt aſſimilare quantum poſſit.

Galenus proponit definitionem concoctionis vndequaque perfectam, quæ conuenit concoctioni alimentorum, puris, & humorum putridorum, & non putridorum; quam definitionem Argenterius, qui ferè ſemper Galenum mordet, ad ſydera extollit.

Traditur à Gal. hęc definitio 8. de comp. med. ſ. l. cap. de affectibus iecoris, & hæc eſt; concoctio eſt alteratio, quę eouſque procedit, donec in ſimilitudinem partis, quod concoquitur ſit tranſmutatum. Hęc definitio conuenit alimentis; quia tunc dicuntur cocta, quando ſunt aſſimilata; conuenit puri, quia tunc dicitur coctum, quando eſt album, & redditum ſimile ſpermaticis partibus, minimūque fętoris habeat: idē dicēdum eſt de ſedimento vrinę, quod oſtēdit, ſi eſt lęue, album, & ęquale, humores eſſe aſſimilatos tunicis venarum, & arteriarum.

Pręterea hac definitione concoctionis tradita à Galeno diſtinguitur concoctio à nutritione, quia nutritio eſt vnio eius, quod eſt aſſimilatum; concoctio verò eſt aſſimilatio: diſtinguitur à generatione, & mixtione propter aſſimilationem, quæ eſt eius finis; illæ enim alterationes non ſeruant ſimilitudinem.

1 Dubitat. dictum eſt à Galeno 4. de tuenda ſanitate, & 5. de vſu partium, humores qui ſunt ſupra ſanguinem, vt eſt bilis, & melancholia, non eſſe capaces concoctionis, ergo definitio tradita non poterit conuenire humoribus biliosis, & melancholicis putreſcentibus.

Soluitur, quia concoctio duplex eſt, alia perfecta, & alia imperfecta; quando Galenus dixit, humores, qui ſupra ſanguinē ſunt, vt eſt bilis, & melancholia, non concoqui, intellexit de perfectiſſima concoctione, in qua fit conuerſio alimenti in ſubſtantiam nutriti; pituita verò, cum ſit infra ſanguinem, & dicatur ſemiſanguis eo, quia per vlteriorem coctionem fit ſanguis, & conuertitur in ſubſtantiam nutriti, ideò pituita quoque debet collocari in numero eorū humorum, qui perfectiſſimè concoquuntur.

Quod verò humores omniū generum poſſint eſſe crudi, & cocti, patet ex Galen. 2. de victu acutorum, vbi ait, bilem acriorem quoque concoqui, & lib. de conſt. ar. dicit, humorem melancholicum difficillimè, & poſt illum bilem admittere coctionem, 1. epi. 6. comm. 2. dicit, ſcirrhoſas diſpoſitiones, quæ à pituita craſſa, vel ab humore melancholico fiunt, concoqui; immò lib. 6. de ſimplici medicina, capit. de ariſtolochia docet, flatus concoqui; quarę prius vincit, deinde temperat, & poſtremo

mo aſſimilat quantum poteſt: quod non ſolum de pituita, & de ſanguine, ſed de omni contento verificatur: crudum enim dicitur, dum per aliquam qualitatem eſt valde diſſimile: dum verò redditur ſimile, dicitur concoqui: & hac ratione omnes humores, qui poſſunt aliquo modo aſſimilari, & vinci à natura dicuntur concoqui, ſit bilis, ſit melancholia, ſit flatus, ſint putredines cuiuſcunque gradus, qui apti ſint, vt à natura ſuperentur, dum ſunt ſuperati, poſſunt dici cocti.

CAPITIS LXXXIX.

Particula VI.

Tex. 40. *Euacuationes autem fiunt, & per ſanguinis miſſionem, & clyſteris vſum, & per vrinæ vias, atque eam, quæ per cutem fit tranſpirationem, ac præterea per eam, quæ fit ad partes oppoſitas attractionem, atque ad alias propinquas deriuationem. Nam & ad hec idem genus pertinet citare menſtrua, atque ora venarum, quæ Græci hæmorrhoidas appellant, aperire, ac per palatum, nareſque expurgare. Cum igitur, & hæc materias inuenerimus, quibus in qualitate, & quantitate, & modo vſus adhibitis, euacuatio ſit in ipſa parte ſalubria inuenientur, Atque eorum omnium inuentio traditur in eo volumine, quod de arte curatiua inſcribitur.*

EGit ſupetius de cauſis ſalubribus alterantibus, & cohibentibus putredinem. In hoc tex. agit de euacuantibus quod putridum eſt.

Diuiditur hic tex. in duas partes: in prima commemorat nonnullas ſpecies euacuationis, quæ poſſunt & prohibere ne augeatur putredo, & euacuare quod putridum eſt; quæ ſpecies euacuationis hæ ſunt: ſanguinis miſſio, clyſteres, euacuatio per vrinam, per cutim, per reuulſionem, quæ ad oppoſitas partes, per deriuationem, quæ fit per partẽ propinquam, per menſtrua, & per hæmorrhoidas.

Actuarius inter Antiquos tertio ſuę methodi cap. 3. refert, ſi ora venarũ hæmorrhoidalium ſint obcæcata, eſſe admouendas hyrudines.

Pręterea Galenus inter ſpecies euacuationis proponit illas, quæ per palatum, & per nares fiunt.

In ſecunda parte dicit, quod ſalubres erunt prædictæ euacuationes, ſi eas in debita quantitate, & qualitate, & modo vſus adhibeantur: omittit tamen multas alias euacuationes, vt quæ per balnea, per frictiones, & per pharmaca electiuè purgantia fiunt; tum quia hic non eſt locus de omnibus ſpeciebus euacuationũ verba facere; tum quia potentia continẽtur ſub propoſitis; an ne ſub reuulſione, & deriuatione, quas nominat in text. poſſunt contineri omnes aliæ euacuationes: Similiter non ne ad euacuationem, quæ fit per cutim, poſſunt reduci cucurbitulæ, balnea, & frictiones? ſed in dubitationum ſolutionibus diſtinctius percipiemus Galeni intentionem.

1 Dubit. Gal. in hoc tex. vult proponere euacuationes, in quibus euacuatur quod putridum eſt: at ſic eſt, quod ſanguinis miſſione ex Galeno 11. methodi, cap. 14. nec putredo, nec obſtructio tolli poſſunt, ergo in hoc loco non erat à Galeno ſanguinis miſſio proponenda pro putredine euacuanda.

Reſpondemus, Galenum hic agere de iis, quæ iuuant quoque per accidens; ſicuti eſt ſanguinis miſſio, quæ nõ iuuat, quia euacuet putredinem, ſed quia naturam roboret tollendo ſarcinam, qua premebatur: quam doctrinam habemus 11. methodi capite 15. vbi Galenus protulit hanc ſententiam; *In omnibus putridis febribus euacuare ſanguinẽ eſt ſaluberrimũ* (addit) *leuata namque, quæ corpus noſtrum regit, natura, exonerataque eo quo veluti ſarcina premitur, haud ægrè quod reliquũ eſt vincet.* Ecce quo pacto ſanguinis miſſio iuuet putredinẽ. Præterea iuuat, quia vena, quæ diſtat à corde, dum euacuatur, redditur magis vacua, & per conſequens capacior; vnde ſuſcipit aliquid illius putredinis, quod ante phlebotomiam inuadebat cor; & quia beneficium ex ſanguinis miſſione vel maximũ colligitur; ideò Galenus, quamuis per accidens iuuet, phlebotomiam aliis euacuationibus antepoſuit.

Demum poteſt quoque defendi, quod per ſanguinis miſſionem poſſit egredi quod putridum eſt; habemus enim 2. de ratione victus, tex. 10. ſi pleuritidis dolor ver-

vergat ad ſuperiora, quod ſanguis euacuari debeat,ſi vires permittant,donec in ſanguine mutatio appareat; ecce igitur, quod vult Galenus per ſanguinis euacuationem aliquid putridi occupantis partem affectam egredi poſſe.

2 Dubit. Argenterius inſurgit contra Galenum multis modis; primò,quia dum agit de euacuationibus in hoc loco non tangat omnes ſpecies euacuationum per quas putredines tolluntur ſecundò, quia ſine methodo ait, Galenum de his agere; probat quod non tangat omnes euacuationes, eò quia omittit euacuationem per vomitum,per ſuppoſitoria,per cucurbitulas, per ſudorifica, & per inciſionem partis ſuppuratæ; dicitque omittere euacuationes, quæ fiunt per mediam, per vigilias, & per motiones animi, & corporis.

Inſuper mordet Galenum, quia ſine methodo agat de his, quia debebat diuidere,inquit,euacuationes in ſenſibiles, & in inſenſibiles, in vniuerſales, & particulares,in æquales,& inæquales, & demum in euacuationes per ſe, & per accidens; quas omnes debebat ordine, & methodo proponere.

Reſpondemus, quod qui libros componunt in vnico tex. nec debent,nec poſſunt inſerere omnia, quæ dici poſſent de illa materia; ſi Galenus voluiſſet omnes ſpecies euacuationum conſiderare illo modo, quo propoſuit Argenterius, hæc ars medicinalis non eſſet veluti compendium, & paruus,ſed craſſiſſimus liber.

Præterea Galenus in vltimo cap. huius libri citat omnes ſuos libros,in quibus fusè egit de his, quæ pauciſſimis verbis hic aguntur; doctrina enim definitiua non patitur diſgreſſiones.

Inſuper reſpondemus,Galenum nomine euacuationis, reuulſionis, & deriuationis omnes alias euacuationes ſubintelligere.

3 Dubit. Galenus nihil dicit de euacuationibus,quæ per electiuè purgantia fiût, quæ in putredine auferenda mirificum auxilium præbent,ergo diminutus.

Reſpondent nonnulli, quod in codicibus quibuſdam leguntur quoque electiuè purgantia;ſed quia non adferunt tex. aliquem Græcum antiquum, vel modernum: ideò reſponſio non eſt tuta.

Aliqui reſpondent, Galenum omiſiſſe electiuè purgantia, quia ſunt calida, & ſicca, & putridum calorem augent; dicit enim Galen. 2. de ratione victus, comm. 11.tutius in febribus putridis nos eligere venæ ſectionem, quam pharmaca; quia hæc ſuo calore febrem incendunt, & augent.

Reſpondemus nos Galenum noluiſſe omnes ſpecies euacuationis ſigillatim enumerare; quia hic non eſt locus de omnibus verba facere; quod verò pharmaca habeant locum in putridis febribus,patet ex Galeno 11. methodi capite 8. & 9. vbi pro euacuatione humoris putridi inter cętera commendat euacuationem per aluum factam medicamêto electiuè purgante; ſed maxima cum præmeditatione, ait,eſſe faciendam.

Si igitur tempore Galeni fuiſſet cognitus vſus caſſiæ,mannæ, & ſimilium, quæ apud nos mirificum vſum præbent, forſitan in hoc loco,licet vtatur paucis verbis, de illis mentionem feciſſet.

4 Dubit. Pro euacuatione illius, quod putridum eſt,proponit vſum clyſteris,qui videtur omninò vanus; quoniam inter colum, & cæcum inteſtinum adſunt valuulæ, quæ omninò impediunt, ne clyſteres aſcendant: quomodo igitur illud putridum, quod efficit febres, quod re vera ſupra craſſa inteſtina continetur, per clyſteres euacuabitur?

Quod verò nihil clyſteris permeet ad ſupernas partes propter valuulas, anno elapſo Aloyſius Regocia Anatomicus ſecuit humanum cadauer, & deinde ſumpſit illius inteſtina, quæ nuper erant è cadauere euulſa, & ab alijs repurgata: & per rectum inteſtinum aquam impoſuit, quæ deſcendens ad coli vaſtitatem, nihil inde aquæ potuit vltra valuulas ad tenuia inteſtina excurrere; è contra tamen fuit impoſita aqua per pylorum, & ſtatim præcipitans ad tenuia, & deinceps ad craſſa inteſtina ſine vllo impedimento per rectum inteſtinum celeriter egreſſa eſt. Aderat Henricus VVotonus Legatus Regis Magnæ Britaniæ ad Rempublicam Venetam Vir eximiæ virtutis, & in omni doctrinarum genere vſquequaque præfulgens; & alij perceleбres Barones

rones in cuius gratiam ego fuſa oratione de anatomiæ arcanis ſermocinabar: ſi igitur aqua ſyncera immiſſa per rectum inteſtinum euerſum ad partem ſupernam non poteſt excurrere, quantò minus clyſteres id efficient?

Reſpondetur, clyſteres inteſtinorum craſſorũ feces euacuare, quibus redditis vacuis, iterum impleri; natura enim ad vacua loca facilè, quod noxium eſt propellit; & hac ratione clyſteres per accidens depellere poſſunt putredinem.

Notandum tamen, quod clyſteres debent eſſe ita efficaces, vt poſſint omnes fęces, quæ occupant inteſtini coli capacitatem, euacuare; debent igitur præter ſaccharum, oleum cum ſale addere iuſculum, in quo ſenæ ſemiuncia ebullierit, addendo lenitiui vnciam, quę in euacuandis inteſtini coli recrementis efficaciam habet; immò Hippocrates 4. de ratione vict. tex. 20. loquens de angina, & pleuritide admonet, clyſteres alternis diebus febricitantibus eſſe inijciendos.

5 Dub. non videntur, quod diuretica iuuent ad expellendam putredinem febricitantium, vt docet Galenus, quia diuretica ſunt calida, & ſicca: febris verò putrida indicat refrigerandum, & humectandum.

Reſpondetur cum Galeno 6. de ſimpl. med. c. 13. & 23. diuretica eſſe duum generum, aliqua intensè calida: aliqua verò moderatè calida, vt aſparagi, & ſemina melonum, quæ non vt frigida habent virtutem diureticam, ſed vt leuem calorem participantia: Galenus 2. prognoſticorum 26. vſque ad 38. commendat, ſi ex vrina animaduertatur, naturam per illam partem materiam peccantem propellere, diureticorum vſum. Similiter 1. ad Glauconem cap. 15. in curatione tertianæ laudat diuretica: & lib. de tuenda ſanitate, vbi loquitur de valetudine ſenum conſeruanda, proponit diuretica, ſi ſenũ corpora ſeroſis humoribus ſcatere videantur.

Ego tamẽ poſtquam expertus ſum omnium generum medicamina curſu 29. annorum, agẽs, dum hæc ſcribo anno ſalutis 1611. annum 50. vix animaduerti, quod diuretica, quę per vrinam promptè tranſeunt, euacuent excrementa plus ſolito more; dum quis comedit aſparagos, eorum odores ſentiuntur; aſparagi tamen vix cient lotium in maiori copia, quam quod natura ſine diureticis excernat.

Similiter, dũ quis cantharides ſumit, tota die ſummũ in meiendo ardorem patitur, dum vrina ſtillatim egreditur; vrinæ quantitas tamen vix excedit conſuetam lotij euacuationem. Similiter aquæ thermarum diureticæ tranſeunt per vrinam, ſed non mouent præter ſe ipſas aliquam maiorem vrinæ quantitatem: eſſet ſanè fælicitatis munus, ſi ea quantitate, qua expurgantur fęces medicamentis, poſſet diureticis euacuari vrina.

6 Dub. Galenus hic propoſuit, quod putrefactum eſt, per cutim eſſe euacuandum: at quod eſt putrefactum eſt cinis, & cinis eſt quid terreum, quod per vrinam ſolet euacuari; & non per cutim; ergo malè Galenus.

Reſpondetur, non valere, cinis euacuatur per vrinam, ergo non per cutim: Auicennas enim lib. 4. vbi de febribus putridis agit, inquit, caliditatem in materia putrida concluſam ſeiungere humiditatem à parte cineritia, & in febribus intermittentibus illam foris per cutim facilè propellere: quia materia putrida eſt extra venas; in continuis verò, quia materia eſt in venis, difficilius.

Num verò cinis quoque per cutim poſſit propelli, Auicennas fuit dubius: Galenus tamen 3. prognoſticorum comm. 27. dicit, aliquando cineritium putridarum febrium in ſudorem exſolui, ſi moderatè humores in cinerem conuertantur; ſi verò putredo ſit magna, tunc non poſſe totum cinerem, qui eſt finis putredinis, per ſudorem egredi, ſed commodius per vrinam: experientia enim ſæpè videmus, cineres moueri per vrinam, & in nubeculis diſperſos, nunquam petentes fundum, conſeruari: tuncque cum vrina egreditur, quando putredo eſt in venis, quia inde mouetur ad emulgentes, & deinde ad renes, & demum ad veſicam.

Quod verò per cutim aliquando euacuetur cinis, patet experientia, quia induſia nigro, & terreo colore inficiuntur.

Præterea in ſtatica noſtra probatum eſt, ex nouem partibus cibi, & potus quinque partes circiter perſpirare; quare non eſt mirum, ſi cum ſudore ſubtiliſſimus cinis

poſt

poſt factas criſes perſpiret.

7 Dub. ſuperius dixit Galenus, de ratione optimi remedij eſſe duas conditiones, ſcilicet debitam quantitatem, & qualitatem: nihilominus in hoc tex. præter debitam quantitatem, & qualitatem proponit modum vſus remedij. Augetur dubitatio, quia 1. ad Glauconem in principio proponit Galenus præter debitam quantitatem, & qualitatem tempus opportunum, ergo vel malè hic, vel ibi.

Reſpondetur, occaſionem, ſeu tempus opportunum, quod idem eſt, & modum vſus reduci ad debitam quantitatem, & qualitatem; remedia enim non dicuntur eſſe in debita quantitate, & qualitate, niſi in tempore opportuno, & recto vſu adminiſtrentur: quare dum Auctor ſuperius dixit, ſufficere duas conditiones, quantitatem, ſcilicet, & qualitatem, rectè dixit: dum verò 1. ad Glauconem addit tempus opportunum, & in hoc tex. modum vſus, id ea arte fecit, vt admoneret in debita quantitate, & qualitate contineri non ſolum tempus opportunum, ſed etiam rectum remediorum vſum.

Vt verò dignoſcatur, quæ ſit hæc debita quantitas, & qualitas remedij; perpendendæ ſunt conditiones propoſitæ à Galeno ſecundo ad Glauconem cap. 2. & ab Hippocrate 1. aphoriſmorum 2. quæ ſunt, natura ægrorum, ætas, anni tempus, regio, morbus, conſtitutio præſens, robur, habitus, conſuetudo; atque expendendæ ſunt conditiones traditæ ab Auicenna 4. primi cap. 3. & alibi, quæ ſunt ars ſolita, cauſa, locus, ſymptomata, ſimiles morbi vagantes, proprietates morbi, mos, motus, repletio, pulſus, excrementa, animi mores, figura, iuuantia, & lædentia, habitus corporis, & vires: ad rem dicimus, ſi natura ægrorũ fuerit debilis, pauca quantitas medicamenti requiretur: ſi ætas grauis, tempus calidiſſimum, pauxillum medicamenti dabimus: quiſque igitur Medicus poterit expenſis conditionibus præuidere, cui paucum, & cui multum medicamenti conueniat.

Itidem de loco per quem, duæ præcipuæ ſunt conditiones, prima colligitur à natura humorum peccantium; ſecunda ab anni tempore: Hippocrates enim in aphoriſmis dixit, melancholicum ſuccum per inferiora, bilioſum verò per ſuperiora eſſe euacuandum. Similiter hyeme non per ſuperiora, ſed per inferiora; æſtate tamen ait optimè conducere vomitum bilioſis; ſed hæc paucis ſint hìc propoſita: fuſa enim oratione de his, & certa methodo egimus lib. 12. noſtræ methodi vitandorum errorum.

8 Dub. Galenus definiens in hoc tex. reuulſionem, dicit, eſſe attractionem ad oppoſitas partes; In hac definitione videntur eſſe duo defectus; primus eſt, quia attractio non eſt genus proximum reuulſionis; dantur enim reuulſiones, quæ non ſunt attractiones, ſed expulſiones; dicit enim Galenus 13. methodi c. 3. cauſas fluxionum non ſolum poſſe eſſe partes recipientes, quæ attrahunt; verum etiam partes mittentes, quæ expellunt; Hinc Galenus 4. de loc. affectis cap. 2. dicit ſe, hominem quẽdam ſuffuſione affectum nullo adhuc vitio in pupilla exiſtente per litteras curaſſe exhibitione hieræ; hæc eſt reuulſio per expulſionem; quia humor exiſtens in ventriculo petens oculos reuellitur à ſtomacho ad pylorum virtute hieræ expellentis.

Secundus defectus huius definitionis reuulſionis eſt, quia ex ipſo Galeno 13. meth cap. 11. & alibi non vnica eſt conditio reuulſionis, quam ſolum proponit, videlicet ad oppoſitas partes auertere humores; ſed quatuor aliæ magni momenti; quarum prima eſt, vt fiat auerſio ſecundum rectitudinem; ſecũda per diſtantiſſima: tertia, vt trahantur humores verſus originem; & quarta, vt reuulſio fiat per vaſa communia.

Reſpondetur ad primum defectum hìc Gal. non definire reuulſionem; quia dum illam definit c. 99. huius libri, & 5. methodi cap. 3. ait, reuulſionem eſſe antiſpaſim, ideſt auerſionem in contrarium, & non attractionem; deriuationem verò eſſe parocheteuſim, ideſt auerſionem ad proxima; auerſio enim eſt genus, quod prædicatur de reuulſione, & deriuatione.

Ad ſecũdum defectum dicimus; in hoc loco Galenum tetigiſſe conditionem reuulſionis, quæ per ſe conuenit reuulſioni, quæ eſt in oppoſitas partes auertere; ſed quia de his fusè lib. 14. methodi noſtræ egimus; hic paucioribus agemus; ibi enim

enim ex profeſſo reiecimus attractionem non eſſe genus proximum reuulſionis; diſputauimuſque de hac re contra Horatium Eugenium.

QVAEST. CIX.

An auerſio per diſtantiſſima ſit conditio, quæ conueniat per ſe reuulſioni.

PRima Dub. Galenus in tex. dicit, reuulſionem eſſe attractionem ad oppoſitas partes; diſputant in hoc loco Expoſitores, an ſit de ratione reuulſionis, vt fiat per diſtantiſſima. Curtius lib. de mittendo ſanguinem, Fuſchius, Acachias, & Manardus putant, dum affectus eſt leuis, vel chronicus, vel dum præſeruamus, reuulſionem eſſe faciendam per diſtantiſſima; Dum verò curamus, & affectus ſit acutus, per propinqua. Laurentius Ioubertus dicit, per propinqua, & numquam per diſtantiſſima eſſe faciendam reuulſionem. Petrus Briſotus in lib. apologetico de pleuritide dicit, in principio eſſe reuellendum per proxima; in fine verò per remota.

Ego autem puto, quod auerſio per diſtantiſſima non ſit conditio, quæ per ſe conuenit reuulſioni; quia non conuenit ſemper; valet enim conſequentia, hoc non conueniat alicui ſemper, ergo neque per ſe. Qui enim per hæc analytica arcana in arte medica nõ incedit, ſi aliquid veri, & artificioſi percipit id bonæ fortunæ referendum eſt. Dum verò probabimus, quod reuulſio non fiat ſemper per diſtantiſſima erit certum, quod hæc conditio non conueniet per ſe reuulſioni.

Quod uerò reuulſio fieri poſſit per proxima, patet ex Gal. 5. met. c. 14. qui applicat commiſſuræ coronali ceratum ex thapſia, ut fiat reuulſio ab intima cerebri parte ad pericraneum, ne pituita ſalſa in pectus procumbat. Præterea Hippocr. 2. in 6. epid. tex. 31. habet hæc verba; in oculorum fluxu in fauces reuellere oporter, & Galenus in comm. habet hæc; hoc vnum eſt remediorum reuellentium genus, vt diuturnas fluxiones ad fauces reuellamus acribus medicamentis; quid clarius?

Ratio verò, cur reuulſiones ex Galeno ſæpiſſimè fieri debeant per diſtantiſſima, non eſt ob affectum, qui indicat reuelles; ſed ob prohibens: prohibens verò eſt redundantia excrementorum, quæ ad locum affectum facilè confluere ſolet: immò dum impendet periculum, ne copiam excrementorum recipiat læſa pars, tunc reuulſio adeò per diſtãtiſſima fieri debet, vt ſpernatur quoque diuiſio, quam fecit Hippocrates, & Galenus infra renes, & ſupra renes: Hinc ſapientiſſimus Galenus, ſi morbus ſit in genu, & adſint plura excrementa, docet 2. ad Glauconem 2. ſãguinem ex brachio eſſe mittendum: neque dicit ex altero pede; & in eodem capite idem admonet his verbis; retrahes à locis mulieribus, ſi eas, quæ in cubito ſunt ſecueris venas; aut iuxta mammas cucurbitulas appoſueris; ecce quod genu, & vterus ſunt ſub renibus; tamen reuulſio fit ſupra renes; & ratio eſt, qui ad genu, & vterum prauè affecta facilè excrementa, ſi in corpore redundant, confluunt.

Cauſa, cur in omni reuulſione debet ſeruari rectitudo, eſt, quia linea recta eſt omnium breuiſſima; ratio, verò cur per lineam breuiſſimam debet auerti humores, eſt, vt citius curentur ægri; audias Galenum lib. de ratione curandi per ſ. m. cap. 15. *Si venas ſecueris gratia reuulſionis indirectè oppoſitis partib. citiſſimè vtilitatem afferes; ſi contra ſeces, nil profeceris*; Quare non ſolum de ratione deriuationis, ſed etiam reuulſionis, & omnium remediorum eſt, vt citiſſimè operari debeamus, niſi quid prohibeat: omnes. n. medici amplexi ſunt Aſclepiadis conſilium, quod ſcilicet citò, tutò, & iucundè ſit medicandum. Hinc Galenus, dum non eſt magna redundantia, quæ prohibeat, ſeruat diuiſionem antiquam infra, & ſupra renes.

Hinc laudat 3. in 6. de morbis vulgaribus 22. Sabini ſententiam, dum in fluxu ſanguinis è naribus venam cubiti, quæ eſt vicina, gratia reuulſionis, ſecat. Similiter Galenus 5. meth. c. 8. dum rumpitur aliquod vas in pulmone, dicit, tunc venam cubiti protinus eſſe ſecandam bis, & ter reuellendi gratia, libro verò de curandi ratione per ſanguinis miſſionem cap. 6. ait, in pleuritide venæ ſectionem factam in contrario latere, vel obſcuram, vel poſt multum tempus aliquam vtilitatem afferre:

ferre: ecce, quod per proxima, & non diſtantiſſima reuulſio fieri debeat: verũ, quia fusè hanc opinionem confirmauimus 14.metho.noſtræ c.6.non eſt, vt omnia ibi dicta,& probata transferantur in hunc locum.

Quãtum attinet ad Curtium, Acachiã, Fuſchium, Manardum, & Petrũ Briſorũ, qui dicũt reuulſionem modo fieri per diſtantiſſima, modo per proxima, dicimus, quod faciunt naturam variabilem, & inconſtantẽ, quod eſt omninò incõueniens, quia de ratione vnius naturæ vnicus debet eſſe procedẽdi modus, & non plures; de qualibet enim re ſimpliciſſima debet fieri vniuerſalis propoſitio, vniformis, & veritatis æternæ: quare de natura reuulſionis eſt, vt talis ſemper per diſtãtiſſima, vel per proxima per ſe debeat fieri; quia ſi reuulſio ratione prohibentis, ideſt redundantiæ humoris debet fieri per diſtãtiſſima, non eſt ratione ſui: quãdo igitur Gal. dixit, reuulſionem eſſe faciendã per diſtantiſſima, id debet intelligi ratione prohibentis, ne ſcilicet humores confluãt verſus locum affectum; quia vbi non imminet hoc periculum, per proxima fit.

Laurentius Ioubertus 1. deca, parad. 10. non rectè tamen ſentit, dũ dicit, ſemper per proxima eſſe reuellendum: dat exemplum, dum Gal.2.in 6.epid. 9. dicit, reuellẽs locale eſt retrahens ad proxima, & non ad remota; quod Gal. per proxima reuellat, quia nõ apponitur locale reuellens, niſi corpus antea ſit purgatum: ideò cum non adſit prohibens, conuenit, vt reuulſio fiat per proxima; rectè ſẽtiret Ioubertus, ſi putaret, de ratione reuulſionis eſſe, quòd fiat per proxima; per lõginqua verò ratione prohibentis: errat tamen, dũ abſolutè tenet, ſemper per proxima, quãuis ſit excrementorum redundantia, eſſe reuellendum; quia nihil magis prohibet eſſe reuellendum per proxima, quàm excrementorum ſeu humorum plenitudo.

QVÆST. CX.

Quod rectitudinem ſeruandam in reuulſione intelligi debeat.

PEtrus Briſotus in libro apologetico de pleuritide: Curtius: Ioan. Fernelius 2.metho.c. 5. per rectitudinem intelligunt longitudinem reſpectu partium, quæ ſurſum, & deorſum ſunt, negantque à dextris ad ſiniſtras, ab anterioribus ad poſteriores, & ab internis ad externas partes fieri reuulſionem; de cauſa verò litigant inter ſe Briſotus, & Fernelius, dicunt, fieri ſolum ſecundum lõgitudinem ſurſum, & deorſum; quia humores trahũtur à fibris rectis, quæ in longum ſolum ſunt exporrectę: Altimarus reijcit hoc cõmentum de fibris rectis; tenet enim ſanguinẽ egredi virtute vacui; Argenterius putat, ſanguinem è venis egredi à dolore ſectionis, vel vinculorum brachij; Recentiores arbitrantur egredi ſanguinem, vt eſt grauis; quæ opinio eſt omnibus deterior; quia vulnerato pericraneo in homine ſtante nihil exiret: Ego verò ob ſpiritũ infuſum in omnes partes venarum, & ob arteriarum motum ſanguinem effluere cenſeo; quam opinionem certiſſimis experimentis, & inſtrumentis fluentium aquarum confirmauimus libro 14. methodi noſtrę cap.5. vbi reiecimus aliorum chimeras.

Rijciuntur Briſotus, & Fernelius, qui dicunt, reuulſionem fieri ſecundum longitudinem ſurſum, & deorſum ob fibras rectas, quia innumerabiles ſunt venę extenſæ à dextro ad ſiniſtrum latus, ab anteriori ad poſteriorem partem; ſic vena porta ab hepate ad ſplenem mittit propagines; ſimiliter vena caua à centro ad circumferentiam; quare Briſoti, & Fernelij opinio eſt omninò vana.

Præterea Galenus 5.meth.c.3.dicit, reuulſionem fieri non ſolum à partibus ſupernis ad infernas, ſed etiam ab internis ad externas, & à dextris ad ſiniſtras partes; quare vanũ eſt dicere, quod reuulſio ſolum conueniat lõgitudini, quæ eſt ſurſum, & deorſum; fatemur tamen reuulſionem vt plurimum fieri ſecundum longitudinem, quia vt plurimum vaſa ſunt hoc modo exporrecta.

Quod verò per rectitudinem Galenus intelligat omnes differentias poſitionis, legamus librum 3.de fracturis 10. vbi interpretatur κατἶξιν ſecundum rectitudinem, ideſt è regione: an ne dextrum brachium reſpicit ſiniſtrum è regione? auricula dextra è regione alterã reſpicit?

Inſuper Gal.4.meth.c.6. loquens de fluxu ſanguinis è naribus dicit,quod pars anterior,ita poſteriori aduerſatur,vt ſuperior inferiori; hæc ſunt verba; *Aduerſatur ei, quod ſupra eſt id, quod infra, & ei quod poſt habetur,id quod ante.* Præterea Gal.c. 99.non dicit,quod reuulſio fieri debeat à loco ſuperiori ad inferiorem,vel viceuerſa; ſed dicit ad oppoſitas partes .i. ſecundum omnes poſitionum differentias. Amplius Auicennas loquens de pſoris, & lepra ait,poſſe tolli purgantibus;hæc reuulſio eſt ab externis ad internas partes.

Similiter Practicantes prohibent ſomnum à miſſione ſanguinis; quia ſanguis per ſomnum retrahitur ad interna, vnde incæpta reuulſio à phlebotomia excitata non perſeuerat; quare, & ratione, & auctoritate, & experientia patet, reuulſionem fieri ſecundum omnes differentias poſitionis; atque in ſuo genere ita eſſe perfectam reuulſionem ſecundum differentiam ſurſum, & deorſum ſicuti aliæ ſunt;ita vt Argenterius erret,dum putet, perfectiſſimã reuulſionem eſſe inter partes,quæ ſurſum,& deorſum ſunt;eam verò,quæ intus,& extra fit, eſſe minus perfectam; dicimus nos, ſi dolores vteri non poſſint tolli phlebotomia, ſed pharmaco, hanc reuulſionem ab externis ad interna eſſe perfectiorem, quam illam per phlebotomiam,quæ eſt ſecundum longitudinem ſurſum,& deorſum.

QVÆST. CXI.

Quid intelligendum ſit, dum dicimus reuulſionem fieri per vaſa communia.

GAlenus lib. 13. c. 11. docet,reuulſionem eſſe faciendam per vaſa communia:omnes Auctores conſentiunt,hãc conditionem per vaſa communia conuenire reuulſioni per ſe: niſi enim eſſent communia,nihil euacuaretur: quid verò ſit intelligendum per vaſorum communionem Auctores diſſentiunt.

Curtius lib. de venæ ſectione, & alij plures per vaſa communia,per quæ fit reuulſio,dicunt eſſe venas:quia nulla particula eſt ſine uenis: omnes enim habẽt ſocietatem cum porta,vel caua vena: & hæ ab hebate, vt à primo fonte procedunt. Confirmant auctoritate Galeni 2. ad Glauconem cap.2. vbi declaratur à Galeno communiſſimus venarum conſenſus his verbis. *Retrahes à locis muliebribus,ſi cubitũ ſecueris,aut iuxta mammas cucurbitulas appoſueris: & deinde deriuabis,ſi poplitibus, vel coxis applicaueris cucurbitulas.* Ecce dicũt à qualibet parte reuulſionẽ fieri poſſe ob venarum communionẽ.

Reijcitur hæc opinio, quia præter venas plurimi ſunt canales, vt inteſtina, ventriculus,vterus,vretere s,arterię, ſpacia varia inter carnes, nerui, muſculi, membranæ, &c.

Ego autem puto non ſolum venas eſſe vaſa communia; ſed etiam omnes partes inter ſe conſentire per vias latentes, & nobis incognitas: Galenus enim habet hęc verba ſeptimo aphoriſmorum 54. *Hippocrates opinatur, naturam validam ſemper inuenire viã materiebus, licet ſint quammaximè craſſæ,& debeant per anguſta foramina permeare.* Hinc Galenus 1. methodi, cap. 2. habet hæc alia verba; *Hippocrates rectè affirmat, totum corpus eſſe, vt Græcè dicitur σύμπνουν καὶ σύῤῥουν, quaſi conſpirabile,& confluxibile dictum.* Quis vias,quæ ſunt inter proceſſus mammillares,qui ſunt inſtrumenta odoratus, & vterum penetrabit? an ne continuò obſeruatur ſympathia inter vterum,& illos proceſſus? an ne odores gratiſſimi alliciunt vterum ad partes ſupernas: mali verò odores propellunt illũ deorſum? Ariſt.1.de hiſt. animal. cap.23.dicit, odore extinctæ lucernæ aliquando ſequi abortum:quid multa? vanum igitur erit dicere,quod per vaſa communia ſolum venæ intelligantur.

Demum ſunt experimenta quamplurima, quæ docent præter venas eſſe alias vias latentes; veluti dum iſchias acri clyſtere curatur; quis mihi oſtendet vias, per quas pituitæ vitreæ ab iſchiade ad inteſtinum rectum virtute clyſteris auertuntur?

Similiter quis oſtendet,dum aura dira, atque ſceleſta à pedis digito conſcendens efficit epilepſiam, quã ſit eius iter tam velox?

Ad hæc Hippoc. 2. aphoriſ. 32. & lib. primo coac.habet hæc;quibus in febribus dolores lateris fiunt;ijs aluo multa aquoſa bile

ſa bile permiſta deiiciente remedio eſt; ecce quod natura per viã ignotam à pleura ad inteſtina mouet; & ſoluit; alibi quoque ex Hipp. habetur, pleuritidem, & peripneumoniam per vrinam ſolui; de quo conſenſu in c. de internis affectibus ex anatomiæ arcanis deſumptis egimus.

Præterea 3. de criſibus, Gal. & Areteus dicunt, pleuritidem, & peripneumoniam fluxu ſanguinis è naribus ſolui; quo pacto verò materia ſanguinea in pleura, & pulmone exiſtens in venas regrediatur, & inde per nares, eſt penetratu admodum difficile; Valeriola lib. 4. obſeruationum, obſeruatione prima, refert, mulierem pleuriticam ſanatam fuiſſe ſudore abſque alia tuſſi.

Hippocrates 6. epi. & lib. de humoribus ſcripſit, pleuritidem per hemorrhoidas ſolui; & 2. ſect. aphor. 38. & lib. 5. coac. præno. ait, peripneumoniam ſolui parotidibus; Quis igitur anatomicorum poterit diſtinctè vaſa perquirere, per quę ſeruantur huiuſmodi ſympathiæ?

Ego multas obſeruaui communiones, eaſque propoſuimus in digreſſione de ſympathicis affectibus; ſed hic non omittam, quin hiſtoriam ſatis notam ſubnectam; contigit puellæ Venetijs acum magnum deglutienti, qui poſt aliquot menſes in veſicam deſcenderat; vbi cum diu conſtitiſſet, calculus circa illum eſt adauctus, & tandem à lithotomo fuit tranſpoſitus; Quis inueniet viam, qua acus ille magnus potuerit tranſire ſine iecoris læſione? Hinc colligimus multa eſſe vaſa nobis occulta, quæ tamen ſunt naturæ apertiſſima; quęque in cadaueribus ſunt inuentu impoſſibilia; per hæc tamen ſeruatur conſenſus, & non per venas tantum, vt Curtius, & Alij arbitrati ſunt.

QVÆST. CXII.

An auerſio humorum ad originem ſit conditio, quæ conueniat per ſe reuulſioni.

GAlenus 1. ad Glauconem c. 14. docet, eſſe retrahendos humores in reuulſione ad fluxionis originem; habetque hæc verba, *In aduerſum trahere oportet, aut ad communia membris patientibus aut ad ea, in quibus eſt fluxionis origo.* Experimentis à Galeno deſumptis idem cõfirmatur; quia catarrhus ſalſus, ne in pectus deſcendat, ceratum ex thapſia commiſſurę coronali applicatur. Similiter Galen. 2. ad Glauconem 2. docet, in cruris inflammatione eſſe ſecandũ cubitũ eiuſdem lateris, quæ retractio eſt ad originẽ.

Vnde ego non nego, reuulſionem ſæpiſſimè fieri retrahendo humores ad originem; nego tamen hoc conuenire ſemper, & per ſe reuulſioni; quod quidẽ facilè probari poteſt ex Gal. 5. methodi c. 3. vbi dicit, quod reuulſio fieri poſſit ſecundum omnes poſitiones, ſed nemo dicet, quod ab omni differentia poſitionis humor poſſit trahi ad originem, ergo in reuulſione hęc auerſio humorum ad originem non erit conditio neceſſaria.

Inſuper Hippocrates 5. aphoriſmorum 68. docet, ſecta vena frontis tollit laborem partis poſterioris capitis; Quis dicet frontem eſſe originem fluxionis?

Similiter cucurbitulæ, & frictiones trahunt humores ad cutim, vbi non eſt fluxionis origo.

Pręterea iecur inflammatur; tunc, ne maiori inflammatione opprimatur, ſanguis retrahitur ad cubitum, vbi non eſt origo fluxionis.

Quare, dum Curtius, & alij propoſuerunt quatuor conditiones tamquam neceſſaria reuulſionis, ſi putẽt, omnes per ſe conuenire reuulſioni, aberrant toto cęlo.

Hactenus nos oſtendimus, duas tantum conditiones ex propoſitis conuenire per ſe optimę reuulſioni; quarum altera eſt, ut reuulſio fiat per vaſa communia, altera, ut fiat ſecundum rectitudinem; alias duas, uidelicet ad diſtantiſſima, & ad originem trahere, eſſe conditiones accidentales, & quæ non conueniunt ſemper reuulſioni. Non negamus tamen reuulſionem, ut plurimum retrahere humores ad originem; ſicuti deriuationi conuenit, ut longius ab origine humores abducantur.

QVÆST. CXIII.

In quibus conueniant, & in quibus differant reuulſio, & deriuatio.

COnuenit reuulſio cum deriuatione; quia utraque eſt auerſio; ſed reuul-

ſio ut plurimum eſt per diſtantiſſima; deriuatio uerò per proxima; quod uero aliquando deriuatio fiat per longinqua inueniemus apud Gal. centum exempla. Secundo.n.in ſextum epid.tex.7. dicit, quod renibus uitiatis optimum ſit per aluum deriuare; magis diſtant renes ab aluo, quam dexter cubitus ab hepate, inter quas partes eſt locus reuulſioni. Inſuper 2.ad Glauconem 2. dicit, cucurbitam applicatam mammis ab utero reuellere, & ſectam uenam tali ab utero deriuare; cum igitur magis diſtet uena tali ab utero, quam mammillæ, ſequitur, quod aliquando deriuatio fiat magis per longinqua, quam reuulſio; Quod reuulſio ſæpè fiat per longinqua non pendet, ut oſtendimus, à natura reuulſionis; ſed à prohibente; oſtẽdimus enim ob duplicem cauſam prohiberi, cur ſemper per proxima non fiat reuulſio, & deriuatio; quarum altera eſt, quando non eſt locus aptus ſectioni, qui proximus ſit, per quem humores auerti poſſint, ueluti ſi uena tali in coxa, uel inguine appareret, nos eam ſecaremus; & deriuatio ab utero melior, & velocior fieret: altera cauſa, quæ prohibet eſt, ne ad locũ affectum, uel ad partes uicinas excurrant redundantes humores, qui poſſent reddere curam difficiliorem; quę cum ità ſint, dicere poſſumus quòd reuulſioni, & deriuationi, niſi adſint impedimenta, per ſe conueniat, ut per proxima fiant.

Diſcrepat reuulſio à deriuatione; quia ſicuti reuulſio conuenit magis fluẽtibus; quam fluxis, & fluxuris; ſic deriuatio magis fluxis. Diſcrepat, quia deriuatio ſequitur motum, & inclinationem: reuulſio contrarium. Præterea reuulſio ut plurimum retrahit humores ad originem fluxionis; deriuatio longius ab origine abducit.

Conuenit, quia cauſa efficiens reuulſionis æquè, ac deriuationis eſt æquiuoca. modò enim fit deriuatio attrahentibus, modò expellentibus, & modò utriſque uirtutibus, ut oſtendimus ſuperius. Conuenit, quia utraque fit per uaſa communia, & ſecundum rectitudinem. Quid autem intelligi debeat per uaſa communia, & ſecundum rectitudinem ſuperius declarauimus. Conuenit, quia non ſolum humores fluxi; ſed etiam fluentes, & fluxuri apti ſunt, ut deriuentur, & reuellantur, ut paulò infrà probabimus. Quod uerò deriuatio conueniat fluxis omnes concedunt. Quod uerò poſſit conuenire fluxuris patet: dum enim ſupprimuntur menſes, quia caua uena ſit ſanguine referta, tunc ſi nolueris deriuare per talum, prompte defluent menſes, qui antea erãt fluxuri. Similiter patet, quod conueniat fluentibus; quia dum diminutè fluunt, ſi uenam tali ſecabimus, indè promptius fluent; ecce igitur, quod non ſolum deriuatio conueniat fluxis, uerum etiam fluentibus, & fluxuris.

QVÆST. CXIIII.

An reuulſio conueniat non ſolum fluentibus, verum etiam fluxis, & fluxuris humoribus.

QVod uerò poſſint quoq; reuelli humores non ſolum qui ſunt in fluxu, ſed qui ſunt fluxi, & fluxuri, patet; patet inquam quod fluxi poſſint reuelli, quod eſt contra Curtium, & Manardum; quia cum omnes humores poſſint deriuari, poterunt quoque moueri; ſi poterunt moueri; ergo non erit impoſſibile, quod à facultatibus naturalibus, uel à medicamentis poſſint aliquando in contrarium auerti. Præterea patet auctoritate Hippocratis, qui 2.de ratione uictus tex. 10. loquens de pleuritide dicit, ſanguinem eſſe euacuandum donec liuidus exeat; quare euacuabimus humorem fluxum; liuidus enim eſt fluxus. Videns Curtius, & Manardus hunc locum interpretãtur, quod per reuellere legi debeat deriuare: ò pulchram interpretationem, ò mirabilem, & reconditam artem ſoluendi omnia dubia! non negant in codice Græco eſſe uerbum reuellere, attamen uolunt conuertere, ut defendant ſuas nugas, uerbum reuellere in deriuare.

Ad hæc Gal. 4. de ratione uict. text. 30. habet hęc uerba; *Medicamenta circũpoſita ceruici in angina reuellũt humorẽ, qui in partem anteriorem fluxit.* Si igitur fluxos medicamenta reuellent, ergo reuulſio poterit quoque conuenire fluxis humoribus. Amplius 5. methodi cap. 14. Gale-

Galenus applicat commiſſuræ coronali ceratum ex thapſia, vt reuellat: cui dubium, quod catarrhus reuellendus ibi quieſcit: Demum patet argumēto efficaciſſimo, reuulſionem conuenire poſſe humoribus quieſcentibus, qui ſunt, vel fluxi vel fluxuri, quod negant Aduerſarij: argumentum eſt, an ne humores potentes exempli cauſa partes ſupernas poſſunt reuulſorijs auxilijs deorſum trahi? quod conceditur: at ſic eſt, quod inter motiones oppoſitas mediat quies; ergo reuulſio, ſi conueniet humoribus, qui ſunt in motu, conueniet quoque humoribus quieſcentibus, qui poſſunt eſſe fluxi, & fluxuri, quod eſt contra illorum ſententiam; ſed quia fuſius de hac re egimus lib. 14. methodi noſtræ, ideò paucis hic hanc rem tractamus.

QVÆST. CXV.

A quo indicetur miſſio ſanguinis.

QVoniam in tex. ſuperiori Galenus dixit, per ſanguinis miſſionem tolli cauſam putredinis; ideò agendum breuibus, à quo indicetur miſſio ſanguinis. Prius aliorum opiniones in medium afferemus; deinde noſtram, quæ ab alijs omninò eſt diuerſa.

Prima opinio, quæ eſt communis, & videtur eſſe Hippocratis, & Galeni, quam multi, & præcipuè Maſſaria in ſuo libro de ſcopi mittendi ſanguinē defendit; eſt, quod ſcopi mittendi ſanguinem ſint tres, magnitudo morbi, virium robur, & ætas florens: hoſque colligunt ex Hippocrate 4. de ractione victus in ac. 19. vbi hæc leguntur; In acutis morbis ſanguinem detrahes, ſi vehemens morbus videatur, florueritque ætas, & virium robur adfuerit: Galenus verò in illo comm. & 7. methodi cap. 2. adeò percelebrat hos tres ſcopos ab Hippocrate propoſitos, vt miretur cur illos inter aphoriſmos non propoſuerit: habetq; hæc verba; *Miror, quod Hippocrates eam ſententiā de ſcopis, ſcilicet mittendi ſanguinē inter aphoriſmos nō ſcripſerit, quia in paucis verbis vis magna continetur, quod aphoriſmorum eſt proprium;* Dicit quod vis magna continetur, quia tota doctrina de miſſione ſanguinis continetur his tribus verbis, in morbi ſcilicet magnitudine, robore, & ætate florenti: vbi enim hi tres concurrent, ſumma cum vtilitate quiſque poterit ſanguinem mittere. Similiter Galenus lib. de miſſione ſanguinis habet hanc ſententiam; *Tria ſunt, quæ cōtinēt dignotionē mittendi ſanguinem, morbi magnitudo, aut præſens, aut imminēs, ætas vigēs, & robur virium;* Repetit Galenus eandem ſententiam 4. methodi cap. 6. & pleriſque alijs in locis.

In hoc loco meritò Argenterius reprehenditur, dum putat Hippocratem, per morbum magnum intelligere ſolum acutum; cum Galenus morbum magnum non ſolum ad acutos, ſed ad diuturnos, & ad imminentes extendat: 6. enim aphor. 47. Galenus inter morbos, qui anteuerti poſſunt vſu phlebotomiæ, connumerat morbos quoque articulares, qui ſunt chronici, ſeu diuturni, & non acuti.

Quid verò intelligat Hippocrates per morbum magnum, Galenus 4. methodi cap. 6. declarat dicens, morbum magnum trifariam dici; primò, ob affectæ partis præſtantiam; ſecundò propter affectus magnitudinem: Tertiò ob cacoethiam.

Quid verò intelligat per virium robur rectè interpretantur, qui de vitali præcipuè dictum eſſe arbitrantur: Galenus enim 7. meth. cap. vlt. dicit, maximam eſſe cordis actionis dignitatem, & ægrotis maximè omnium neceſſariam: Hinc ex Galeni ſententia 6. aphoriſmorum 47. habetur, per phlebotomiam præcaueri quoque apoplexiam, quæ ſupponit facultatem animalem eſſe ferè extinctam. Similiter dum naturalis eſt valdè læſa, dummodo virtus cordis permittet, poterit extrahi ſanguis.

Quo ad ætatem, Galenus 9. methodi cap. 17. & 11. methodi cap. 14. docet, pueros nō indigere ante decimum quartum annum miſſione ſanguinis; quia habent ex ſe vndè euacuentur, id eſt per inſenſibilem perſpirationem; docetque nec ſenem poſt 70. annum pati poſſe phlebotomiam. Quod verò Auenzoar ſanguinem miſerit filio ſuo trium annorum, vt refert Auerroes 7. colliget cap. 3. dicunt eſſe contra Galenum; qui alijs quoque in locis admonet non eſſe ſanguinem mitten-

dum ante decimum quartum annum: quam Galeni ſententiam, nos interpretamur vt plurimum eſſe veram; vel eſſe intelligendam de euacuatione ſanguinis copioſiſſima; quia pueri decem, & duodecim annorum,& etiam iuniores(exceptis tamen infantibus) ſæpè liberantur à diuturnis morbis per hemorrhagias è naribus: tantò magis Medicus imitator naturę poterit ſimili vti remedio. Fernelius, Valeriola,& Fuſchius dicunt, Galenum pueris interdixiſſe venæ euacuationem plenam à veteribus vſitatam, & non moderatam; Ego autem puto, ſententiam Galeni; vt plurimum eſſe veram: concedoque illorum ſententiam,qui hoc negotium no limitant annorum curſu eſſe veram: poteſt enim contingere, vt puer duodecim annorũ ſit firmioris habitus, quam puer decem, & octo. Similiter ſenex 70. annorum poteſt inueniri robuſtior, ſene ſexagenario, & iuuene iuſto debiliori; Accipienda igitur eſt Celſi ſententia lib.2.cap.10.vbi dicit; *Firmus puer, robuſtus ſenex,& valida mulier vtero gerens tuto phlebotomatur*: Hinc Gal.lib.de ſectis volens à miſſione ſãguinis excipere ſenes, & pueros, habet hæc verba; *Nec ſenectute confectis, nec admodũ pueris etiã ſi plenitudine laborēt, vena eſt ſecanda*; Nemo ſanè intelliget per admodum pueros; puerum quatuordecim annorum; quia admodum pueri ſunt quatuor,vel quinque annorum: Hinc Galenus conſiderans,ætatem potius conferre ad cognoſcendum,an robur adſit, quam quod ætas ſit ſcopus mittendi ſanguinem: dicit lib. de miſſione ſanguinis cap. 9. ſcopos mittendi ſanguinis admodum præcipuos eſſe duos ſcilicet magnitudinem morbi, & robur; primo de ratione victus in ac.45.dicit, Hippocratem adijcere ætatem, quia ætas confert ad cognoſcendum,an robur adſit.

Reijcitur hæc prima opinio à Trincauellio, & à multis præſtantiſſimis Medicis, qui negant, magnitudinẽ morbi per ſe primo indicare miſſionem ſanguinis; eorum argumenta hæc ſunt. Primum eſt tale, & eſt efficaciſſimum; morbus magnus per ſe primo indicat magnum remedium; ergo non venæ ſectionem; patet conſequentia; quia vnum primò, & per ſe indicat vnum; & vnum, vt vnum indicatur ab vno, quia indicans, & indicatum ſunt contraria, & vni vnum eſt contrarium,& non plura, vt docet quoque Galenus 2.methodi cap. 13.quare, ſi magnum remedium eſt magno morbo contrarium,non erit venæ ſectio primo, & per ſe contraria magno morbo; magnum enim remedium prædicatur de purgatione, de venæ ſectione, & de alijs pluribus.

Secundum argumentum contra illos, qui ſuſtinent,magnitudinem morbi indicare venę ſectionem, eſt hoc, & eſt inſolubile; magnitudo morbi cum robore virium, & ætate florenti nõ ſolum indicat uenæ ſectionem,ſed etiam purgationem ergo hi tres ſcopi propoſiti pro mittendo ſanguine erunt uani.

Tertium in tex.ſuperiori Galenus propoſuit euacuationem ſanguinis pro tollenda cauſa quę efficit morbum futurum qui adhuc non eſt factus,ſed ſolum fit, & nullam habet permanentiam qui affectus ad cauſæ abſciſſionem tollitur,& cauſam inſequitur, ut umbra corpus; quia euacuamus ſanguinem, ut inhibeamus morbum;ſed ſic eſt,quod morbus iminens nõ eſt præſens,adeſt tamẽ præſens eius cauſa,quæ illum efficere poteſt; quare miſſio ſanguinis, ſi morbus non eſt factus; ſemper reſpicit cauſam, & non morbum; ſi uera eſt Galeni doctrina 4. methodi cap. 3. quod ab eo,quod non eſt, nulla ſumatur indicatio; & 4. methodi cap. 3. ubi oſtendit de ratione indicantis eſſe, ut ſit præſens.

Quartum argumentum: Galenus 9. methodi 14.dicit,non eſſe in diuiſione indicantium tranſeundum de genere morborum in genus cauſarum;at qui dicunt, morbum magnum indicare miſſionem ſanguinis, tranſeunt de genere morborum in genus cauſarũ; ergo; patet maior auctoritate Ariſtotelis 2. poſteriorum tex. 19. ubi dicit, quod quid eſt non poſſe inueniri, niſi facta diuiſione in eodem genere;ſi igitur inuenire uelimus remedium, oportet ut diuidamus genus uſque ad ultimas differentias: in quibus inueniemus indicans,& indicatum,quia ſunt contraria, & contraria ſtant ſub eodem genere; dum uerò ſit tranſitus de genere

in

in genus non poterit inueniri vnquam remedium: quia nunquam contrarium vnius generis poteſt eſſe contrarium alterius: quia ex Ariſtotele, prædicamenta, & eorum differentiæ, & proprietates ſunt impermiſcibiles.

His motus principijs Galenus 9. meth. c. 14. dicit, quod nullo modo morbus debet diuidi in cauſas. Hinc remedium cauſæ non poteſt conuenire morbo. Hinc, qui perquiret remedium in alieno genere, ſi centum annorum tractu inquiret; illud nunquam inueniet: cauſa eſt, quia vni contrario vnica ſola eſt contrarietas: aliæ igitur non inuenictur. Quo fit, quod qui putant magnitudinem morbi per ſe primo indicare pharmacum, & venæ ſectionem videntur multis modis peccare: primo enim, cum vni vnica ſit contrarietas, errant quia putant venæ ſectionẽ, & pharmacum æquè aduerſari morbo magno: ſecundò, quia tranſeunt de genere in genus: morbus magnus eſt vnum genus, venæ ſectio verò, cũ euacuet, primo reſpicit cauſam, & eſt aliud genus: tertiò errant, quia morbus magnus eſt differentia ſubalterna, in qua non eſt perſiſtendum: Quartò ſi remedium magnum eſt indicatum, quod à morbo magno per ſe indicetur: ergo venæ ſectio per accidens indicabitur à morbo magno, quia quod vni per ſe, alteri per accidens conuenit: ſed quia fusè de hoc errore egimus lib. 11. methodi noſtræ c. 3. non conuenit, vt illa omnia huc transferantur.

Verùm, quia dictum eſt ab Hippocrate, & Galeno locis citatis, quod magnitudo morbi indicet venæ ſectionem: Reſpondet Hippocratem, & Galen. propo ſuiſſe magnitudinem morbi cum virium robore, & ætate florenti indicare miſſionem ſanguinis tanquam ſignum veri indicantis, ideſt, dum morbus eſt magnus, & eſt virium robur, tunc ſignum eſſe quod indicans ſit præſens: Quodnam ſit hoc uerum indicans, uariæ ſunt ſententiæ. Nonnulli dicunt eſſe plenitudinem ſanguinis. Alij morbum magnum cum plenitudine, vel cum fluxu: Alij magnum peccatum ſanguinis; & Alij aliud dicũt.

Ego uerò infra proponam meam opinionem, quæ erit (ni fallor) auctoritatibus Gal. & ueris philoſophiæ principijs ualde conſentiens.

Secunda opinio eſt ſatis communis: & eſt Trincauellij, & aliorum multorum, & Salui Sclani, quod indicans miſſionem ſanguinis ſit plenitudo ſanguinis, quę excitat, uel excitare poteſt morbum magnum.

Primum iſtorum fundamentum hoc eſt: contraria contrarijs curantur: & plenitudo ſanguinis, & miſſio ſanguinis sũt contraria: ergo plenitudo indicabit per ſe primo miſſionem ſanguinis: roborant argumentum auctoritate Hippocratis 2. aphoriſmorum 22. ubi habetur hæc ſententia: morbi, qui ex repletione fiunt, euacuatione curantur: & quicunq; ex uacuatione oriuntur, repletione, & Gal. in comm. dicit, plenitudinem ſectione uenę auferri.

Secundum fundamentum deſumunt à Galeno 4. meth. c. 6. ubi habentur hæc uerba: ſicuti miſſio ſanguinis propter ipſius plenitudinem, uel propter morbi magnitudinem: ità purgatio, & propter abundantiam alterius ſucci, & propter uim adhibetur.

Tertium fundamentum deſumunt à Gal. 9. methodi cap. 11. & lib. de curandi ratione per ſ. m. c. 11. dicente, ſectionem uenæ competere duobus præcipuis ſcopis, euacuationi uidelicet humorum in uenis redundãtium, uel auerſioni humorum fluentium, quod fit reuellendo, uel deriuando; dicuntq; magnitudinem morbi iuuare ad cognoſcendum, quando indicans uerum ſit præſens: quia quamuis magnitudo morbi per ſe primo non indicet uenæ ſectionem, dicunt tamen eſſe accidens inſeparabile; quia nunquam ſe offert occaſio mittendi ſanguinem, niſi ſit morbi magnitudo præſens, uel imminens cum uirium robore.

Reijcitur hæc opinio, quia eſt à ueritate, & à recto loquendi modo aliena. Primo reijcitur quia uidetur aduerſari Galeno 9. methodi, cap. 11. ubi dicit: oportet rectè adminiſtrare euacuationem ſanguinis; quia eſt naturæ ualde utilis: ſubdit, ſit inutilis, uel dum non ſeruat exactè qualitatem, uel ſi nimis creſcit multitudine: ecce quod euacuari poteſt ſanguis non ſolum dum copia peccat, uerum etiã

Rr 4 qua-

qualitate;ergo plenitudo ex ſe non indicat miſſionem ſanguinis. Præterea Auic. lib. 1. fen 4. c. 2. dicit, vnuſquiſq; phlebotomatur aut propter ſanguinis multitudinem, aut propter malitiam, aut propter vtrunque: ecce quod non plenitudo ſola indicat miſſionem ſanguinis.

Secundò Galenus 8. methodi cap. 4. dicit in diaria ex obſtructione facta à vitioſis humoribus, vbi nulla adſunt ſigna plenitudinis, eſſe phlebotomandū, de diaria in putridum tranſeat; additque ibi Galenus hæc verba; *Si obſtructionibus liberādis prius quam vacuaueris ſtudeas metus eſt, ne ipſas magis impingas*; Dicit enim Galenus, non poſſe inhiberi putredinem, niſi tollatur prohibita perſpiratio; hanc verò non tolli, niſi remoueatur obſtructio; Similiter obſtructionem auferri nō poſſe, niſi eius cauſa auferatur, cauſa autem eſt, vel craſſities, vel viſcoſitas, quæ incidentibus, vel detergentibus tolluntur; & demum incidentia, & detergentia non poſſunt ægrotantibus exhiberi, niſi corpus euacuetur; quia hæc aperientia reddunt humores aptos, & pronos, vt confluant in partem obſtructam.

Tertiò, & eſt ratio demonſtratiua; in hæmorrhagia è naribus, quando ferè totus sāguis eſt egreſſus, ne ille paucus, qui eſt relictus, etiam egrediatur, ſecatur vena, vt ratione reuulſionis illa paucitas ſanguinis detineatur; Hoc argumentum conuincit illos, qui putant dari duplicem plenitudinem, cōmunem ſcilicet, & partialem; quia in hac hæmorrhagia nulla omninò eſſe poteſt plenitudo, non ſolum ratione totius, ſed neque ratione alicuius partis.

Quartò Galenus 5. methodi c. 14. proponit duos ægros: Socratem, qui paucū; & Platonem, qui multum ſanguinem habet; ſtatim accepta indicatione à magnitudine morbi dicit, vtrique eſſe emittendum ſanguinem; video tamen aduerſarios reſpondere, Socratem non habere plenitudinem ſanguinis communē: habere tamē propriam, ideſt reſpectu alicuius partis læſæ, in qua magnus ſit morbus ſed non video, quomodo poſſint reſpondere ad argumētū deſumptum ab hæmorrhagia inſigni, quam ſuperius propoſuimus.

Quintò Galenus 4. method. c. 6. & lib. de ſ.m.c.8. ſimiliter lib. de plen[illegible] alibi reijcit. Empiricorum, & Menodoti pletoricam ſyndromen; dicitque non eſſe mittendum ſanguinem in omni plenitudine; ratio eſt, quia balneo, inedia, exercitio, & ſimilibus plenitudo tolli poteſt. Præterea Gal. probat his ferè verbis, plenitudinem non indicare miſſionem ſanguinis: *ſi quis cadat ab alto, & prorſus ſit redundantiæ ſanguinis expers, tunc cōfugimus ad ſanguinis euacuationem*: Ecce, quod dicit, prorſus.

Nec valet, dum dicunt Aduerſarij, plenitudinem in homine, qui ab alto cadit, eſſe reſpectu partis cōtuſæ, & non reſpectu totius corporis: talis enim plenitudo reſpectu partis, vocata partialis eſt nimis metaphorica, ne dicam chimerica: quoniam poſita hac diſtinctione de plenitudine reſpectu totius, & reſpectu partis poſſet quoque Menodoti opinio defendi, adhibita præcipuè diſtinctione de ſyndrome plethorica reſpectu totius, & reſpectu partis.

Inſuper ſi Gal. mens fuiſſet, quod plenitudo reſpectu partis indicaret ſanguinis miſſionem, an ne Gal. ſemel ſaltem hanc plenitudinem, dum diſputat contra Menodotum, vel dum hanc materiam fuſiſſimè tractat, nominaſſet?

Demum qui, admittet hanc plenitudinem reſpectu partis poterit quoque dicere, quod in pituitoſo ſit plenitudo bilis; quia eſt impoſſibile, quod in aliquo pituitoſo, & hydropico in aliqua particula non ſit redundantia bilis reſpectu alicuius particulę; quo caſu, qui bilem euacuaret, peſſimè ageret.

Sexto Galen. lib. de ſanguinis miſſione cap. 9. determinat plenitudinem non indicare miſſionem ſanguinis; habet enim ferè hæc verba; *Scopi mittendi ſanguinem in ſe primo plenitudinem non complectuntur, ſed ſuſpicionem eius, qui adhuc ſit, morbi; quia ſanguis in magno morbo euacuatur, quamvis nulla plenitudinis nota ſit*; Ecce, quod Galenus nullo modo vult admittere, plenitudinem indicare ſanguinis miſſionem; ſed potius ad magnitudinem morbi confugiendum eſſe.

Quo ad fundamenta: reſponderi poteſt, quod oſtendunt plenitudinem indicare

care miſſionem ſanguinis;ſed non per ſe primo:dicimuſque miſſionem ſanguinis, & plenitudinem non eſſe contraria:quia mittitur ſanguis à Galeno, dum nulla quoque plenitudinis adeſt nota.

Tertia opinio eſt Horatij Eugenij, qui cenſet, magnitudinem morbi factam à ſanguinis plenitudine,& à fluore indicare miſſionem ſanguinis: ratio potiſſima eſt, quia nullus vnquam caſus mittendi ſanguinem accidit in quo, vel ſanguinis plenitudo,vel fluor non ſit.

Reijcitur, quia vnũ indicatur ab vno, vt ſuperius ex Galeno oſtenſum eſt: at magnitudo morbi, plenitudo, fluor ſunt multa, & non vnum. Præterea ſi dum euacuatur ſanguis, neceſſariò concurrit vel plenitudo, vel fluor; atque dum euacuatur ſanguis neceſſariò concurrit magnitudo morbi præſens, vel imminens cum virium robore; ſatius eſt defendere cum Hippocrate, & Galeno magnitudinem morbi eſſe indicans verum, quam plenitudinem, & ſanguinis fluorem.

Quarta opinio eſt Valeſij, & eſt alijs ſuperius citatis probabilior: lib. enim 7. controuer. cap. 2. dicit venæ ſectionem non eſſe vnicum remedium: negatque dari vnum affectum, qui per ſe indicat venæ ſectionem; quia modo fit gratia euacuationis: modo reuulſionis: & concludit, quod ille affectus indicet venæ ſectionem, cui miſſio ſanguinis contraria eſt: exempli gratia plenitudini venæ ſectio eſt contraria: quod dicitur de plenitudine, de alijs affectibus intelligit: nõ tamen explicat quiſnã ſit hic affectus indicans venæ ſectionem; ſed ſub dubio inextricabili illud relinquit: ſolum aſſerit, magnitudinem morbi cum virium robore ex accidenti indicare miſſionem ſanguinis; fatetur tamen nunquam ſanguinem mitti,niſi adſit magnitudo morbi, & virium robur. Prima ratio Valeſij eſt, quia morbo magno non aduerſatur venæ ſectio; ſed remedium magnum; accidit tamen,quod hoc magnum remedium ſit venæ ſectio. Secunda ratio Valeſij(omiſſis alijs)quam nemo ſoluere poteſt, eſt, ſi ſola magnitudo morbi, & virium robur eſſent ſcopi proprijſſimo; tunc indicarent per ſe venæ ſectionem, & non indicarent purgationem; quia; quod eſt proprijſſimum non ſolum conuenit ſemper; verum etiam ſoli.

Reijcitur Valeſius à Maſſaria hoc modo; Galenus magnitudinem morbi, virium robur, & ætatem florentem vocat ſcopos κυριωτάτυς, ideſt Principes, ergo iſti tres ſcopi non per accidens indicabunt ſanguinis miſſionem,ſed per ſe primo. Præterea ſectio venæ indicatur à plenitudine, ſed non omni, ergo non vt eſt plenitudo. Similiter indicatur à phrenitide, à ſynocho, ſed non primo, ſed à morbo magno, vt magnus eſt.

Ego tamen arbitror: Maſſariam non infringere rationem Valeſij: quia oportet probare, quod magnitudo morbi per ſe indicet venæ ſectionem: quod non eſt probatum; quia, quod per ſe indicat ſui ablationem: debet eſſe contrarium; & contrarium debet eſſe vnum:quare dum ſanguis mittitur, ſemper à ſuo contrario indicatur,quod non eſt magnitudo morbi; quia ſi morbus magnus fit à plenitudine, plenitudo, & non magnitudo indicabit euacuationem. Similiter ſanguis petit vulnus capitis, & in contrarium auertitur: tunc contrarietas ſeruatur per differentias poſitionis,& non per magnitudinem morbi.

Ad ſecundam rationem Valeſij varij varia reſpondent. Quidam dicunt maiorem magnitudinem requiri in ſectione venæ, quam in purgatione.

Alij dicunt,Galenum,& Hippocratem propoſuiſſe tres ſcopos indicantes venæ ſectionem; non tamen impedire,quin illi tres ſcopi propoſiti alia remediorum genera poſſint indicare.

Nonnulli alij ſic diluunt: magnitudinem morbi indicare venæ ſectionem, & purgationem; ſed prius ſectionem venæ, deinde purgationem.

Maſſaria explicat hoc modo; tres ſunt ſcopi mittendi ſanguinem, ſcilicet magnitudo morbi,robur,& ętas,;ſcopi verò, qui indicant purgationem, præter hos tres,ſunt hi alij conſiderãdi,ſcilicet morbus,cauſa,& temperamentum. Hæ omnes reſponſiones allatæ ſunt adeò vanæ, & futiles, vt non ſolum tollant nodum propoſitum à Valeſio;ſed Lectori confuſionem & tandem riſum moueant.

Nos putamus argumentum Valeſij eſ-

ſe

ſe inſolubile. Propterea dicimus, magnitudinem morbi, virium robur, & ętatem florentem non eſſe id, quod per ſe primo indicat miſſionem ſanguinis.

Valdè tamen miror Valeſium, dum dicit magnitudinem morbi, robur, & ætatem perpetuò indicare venæ ſectionem, & viceuerſa; quia quod eſt conuertibile eſt proprium, quod non conuenit alijs, quomodo igitur ſecundum opinionem Valeſij magnitudo morbi, virium robur, & ætas florens indicabunt purgationẽ?

Quinta opinio eſt Hieronymi Capiuacei, qui cogitauit, quod indicans venæ ſectionis ſit vehemens peccatum ſanguinis, ſed triplici modo ſumptũ: primo modo vt ſit peccatum ſecundum formam: ſecundo modo ſecundum quantitatem; tertio modo ſecundum motum; poſita hac diſtinctione dicit, ſi ſanguis peccat ſecundum formam indicat eradicans: ſi ſecundum quantum indicat minuens: ſi ſecundum motum dicit indicare reuellens; quæ opinio quamuis videatur methodo accommodata, tamen eſt à veritate aliena.

Reijcitur, quia non conceditur Capiuaceo, quod dum humores mutando formam per putredinem, vel alio modo, poſſint indicare venæ ſectionem: quoniam in hoc peccato ſecundum formam oportet purgare, & nõ ſanguinẽ mittere.

Præterea, dum ſanguis peccat ſecundum formam, vires erunt omninò languidæ: vbi enim ſanguis caret ſua forma, non poteſt amplius nutrire; quo fit, vt ſtatim vires langueant: dum addit eſſe eradicandum: hoc nomen ſignificat eſſe totum euacuandum ſanguinem: ſi verò ſolùm quod peccat intelligit eſſe eradicandum, hoc eſt factu impoſſibile, quia dum euacuamus ſanguinem, præcipuè egreditur bonus, qui eſt fluidus.

Dum verò dicit, vt peccat quantitate eſſe minuendum, non rectè explicat; quia ſanguis dicitur quantitate peccare non ſolum quando eſt abundantior; verum etiam dum eſt iuſto parcior; quo caſu non eſt ſanguis minuendus, quare debebat addere vt peccat quantitate nimia, & hoc modo quoque erraſſet, quia incidiſſet in opinionem Menodoti à Galeno adeo exploſam.

Præterea ſi venæ ſectio eſt vnũ remedium indicans, deberet eſſe vnum, & non plura; quare propoſita diſtinctio ſecundum formam, ſecundum quantitatem, & ſecundum motum, non probatur.

Mea opinio, ijs qui in philoſophia ſunt parum verſati, qui non vident, quam ſæpè philoſophantes incidãt in genera innominata, videbitur omnibus deterior: puto igitur, quod verum indicans venæ ſectionis ſit innominatum: huius verò innominati indicantis illa tria verba, id eſt magnitudinem morbi, virium robur, & ætatem florentem eſſe diſcriptionem.

Quod verò in Philoſophia, & Medicina ſæpiſſimè contingat, vt genera, & multa alia, quæ inquiruntur ſint innominata, poſſumus in philoſophia Ariſt. facillimè obſeruare: Hinc quærens philoſophus 2. de anima obiectum adæquatum viſus dicit, non eſſe calorem; quia lux cernitur, quæ non eſt color: dicit igitur, quod obiectum adæquatum, quod prædicatur de colore, & luce ſit innominatum.

Similiter Ariſt. 1. poſt. c. 5. dicit, nos ſæpiſſimè errare, circa vniuerſale, quando genus eſt innominatum. Quis eſt ille, qui ſciret nominare genus, cui paſſiones cõmunes Aſino, & Equo adequatè conueniant? Itidem ex mille differentijs vix vna percipitur, quia nos latent.

Hinc Hip. ſapientiſſimus videns, quod humanus intellectus adhuc non potuit nominare ſpecificum indicans miſſionis ſanguinis cogitauit tria nomina ſiue tres ſcopos κυριωτάτυς. id eſt Principes, qui deſcriberent indicans proprium, & ſpecificum, quod eſt innominatum: quaſi dicat Hippocrates 4. de ratione victus 19. quando videris morbum eſſe magnum (magnum vocat, vel quando pars corporis præſtantiſſima eſt læſa, uel quando morbus eſt malignus, vel quando eſt magnus, qui affectus ſit in ſumma intenſione) & eſſe robur virium, & floridam ætatem, tunc ſanguinem detrahere poteris; quia certiſſimum eſt, tunc indicãs, quod eſt innominatum, eſſe præſens, hoc verò indicans innominatũ eſt adeò multiplex, vt neque ante Hippocratem, neque poſt Hippocratem inuentus ſit philoſophus, qui vnico nomine illud nominare potuerit, ſi obiectum viſus, quod prædicatur

tur ſolum de calore, & luce, neque Ariſtoteles, neque Optici ſciuerunt illud nominare, quanto minus ſciemus nos attribuere vnicum nomen proprijſſimo indicanti venæ ſectionis, quod prædicatur non de duobus tãtum, ſed de multis alijs, vt de plenitudine, de vitio ſanguinis ſecundum motum, de magnitudine morbi cum virium robore, & de multis alijs: quare nihil videtur eſſe magis æquiuocum, quam hoc indicans.

Hinc qui voluerunt aſſignare certum, & determinatum indicans in re tam varia, & indeterminata fuerũt decepti, quia qui dixerunt hoc indicans eſſe magnitudinem morbi, non potuerunt reſpondere ad hoc dubium; quod eſt, verum indicans indicat vnum: at magnitudo morbi indicat duo, ideſt venæ ſectionem, & purgationem: ergo magnitudo morbi non erit verum indicans.

Similiter, qui putant plenitudinem ſanguinis indicare primo, & per ſe, non potuerunt diluere illum nodum, dum quis ita patitur hæmorrhagiam, vt totus ſanguis ferè ſit egreſſus ex venis: attamen aperta vena ſtatim ceſſat fluor: ecce: quod ſectio venæ iuuat illos, qui ſunt exangues: quomodo ergo plenitudo ſanguinis erit verum indicans?

Hinc Valeſius prudentiſſimus non poteſs explicare quodnam ſit hoc proprijſſimum indicans venę ſect:onẽ; poſtquam omnes opiniones rejec't, dixit illum affectum indicare miſſionem ſanguinis, cui miſſio ſanguinis eſt contraria: putatque hunc affectum ob eius naturam multiplicem eſſe inexplicabilem; quia modo eſt plenitudo, modò eſt motus, modò eſt calor viſcerum; modò ſunt plagæ, & vulnera &c.

Neque opinio doctiſſimi moderni dicentis miſſionem ſanguinis à nullo indicari, eò quia miſſio ſanguinis nõ ſit indicatum, ſed materia indicati, affert aliquid noui; quia omnes percelebres auctores ſuperius citati ſimul conueniunt, quod, dum agitur, an miſſio ſanguinis indicetur à magnitudine, vel plenitudine, vel magno peccato ſanguinis, vel ab alijs indicantibus, non intelligatur de illa particulari miſſione ſanguinis à chirurgo facta. quæ reuera eſt materia indicati, & nõ indicatum; ſed per miſſionem ſanguinis intelligunt virtutes, & facultates, quæ cõtinentur in miſſione ſanguinis, quæ ſunt euacuare, reuellere, deriuare, refrigerare; quę sũt vera indicata, & de his omnes quærunt à quo radicãte indicentur. Concludimus ergo, quod indicans miſſionis ſanguinis ſit innominatum: ſed qui vult videre qua arte poſſit inueniri indicans venæ ſectionis per analogiſmum, legat librum noſtrum 12. meth. vitandorum, c. 4. vbi de hac re fusè egimus.

CAPITIS LXXXIX.

Particula VII.

Tex. 41. *Eadem ratione in alijs tribus intemperaturis, ſi vnum commune præceptum obſeruabimus, vt vnamquamque prius, quæ efficit cauſam, reſcindamus, Deinde ità ad illam, quæ ab eadem cauſa facta eſt ægritudinem accedamus, cauſarum ſalubrium inuentionem faciemus.*

SVperius docuit, intemperiem factam contrarijs tolli: intemperiem futuram tolli ijs, quæ auferunt cauſam; fientem, quæ eſt compoſita ex parte facta, & futura, docuit partem factam tolli contrarijs, futuram tolli auferendo cauſam. Sed quia præceptum hoc applicauit febri putridæ, quæ pertinet ad intemperiem calidam; Ideò in hoc tex. duo facit; primò idem præceptum applicat alijs tribus intemperaturis, quæ ex cauſa aliqua fiunt, quaſi dicat, ſi intemperies frigida pendet à cauſa, tunc vt facta tollitur contrarijs, vt futura tollitur anferendo cauſam; vt fiens partim tollitur contrarijs, reducendo ad benignum ſtatum, quod eſt reducibile, & partim euacuando, quod eſt irreducibile; idem dicitur de intemperie humida, & ſicca, quæ à cauſa fit.

Secũdò dat aureum præceptum obſeruandum non ſolùm in omni intemperie, quæ à cauſa fit, ſed in omnibus morbis, qui à cauſa fiunt, quod videlicet ſemper prius cauſa ſit auferenda, quam affectus fiens, vel factus; qui tamen à cauſa adhuc pendeat. Ablata cauſa, tunc tempus eſt, vt accedamus ad partem factã, ſi tamẽ morbus factus differt à cauſa; quia in febribus putridis præcipuè aliqua remedia, quæ con-

conuenit cauſæ, conueniunt etiam febri, vt eſt pars facta: aliqua verò, quæ conueniunt cauſæ non conueniunt febri, vt eſt pars facta, exempli cauſa: in quotidiana remedia auferentia cauſam debēt eſſe calida, & ſicca, auferētia verò febrem frigida, & humida: in febribus verò biliofis, remedia, quæ aduerſantur bili ſunt calida, & ſicca; ſimilia quoque ſunt, quæ aduerſantur febri, vt eſt pars facta; non tamen in omni biliofa febre remedium reſpiciens omnem cauſam reſpicit febrem.

Putredo exēpli gratia indicat exſiccās, quod febri, vt eſt pars facta non conuenit: hoc exſiccans, quod reſpicit cauſam, eſt euacuans: attenuans, aperiens, detergens, incidēs, quæ omnia vel calefaciunt, vel exſiccant: ecce quod in febre quoque maligna, vel ardenti remedium cauſæ nō eſt diuerſum à remedio morbi, vt ſolū eſt pars facta; ſed eſt omninò contrarium.

Hinc valdè errat Argenterius, dum putat, quod remedia ſemper dirigantur in cauſas, & nunquam in morbos: dicebat enim nulla remedia auferre primo, & per ſe morbos, ſed ſolum cauſas: illiſque ablatis, morbos ſemper, & ſtatim ceſſare: dicit enim ſi fiat intemperies febrilis, illa fiet à calore, & calor erit cauſa: cui reſpondemus in calida intemperie non ſolum dari calorem facientem intemperiem, ſed, cum agens naturale ſemper multiplicet ſuam ideam, intendi calorem proprium ſimilarium partium, qui conſtituit intemperiem, quæ non eſt cauſa morbi, ſed eſt morbus, qui deinde eſt cauſa ſymptomatum.

1 Dubit. Galenus in hoc loco dicit, in omni intemperie, quinimmò in omni morbo, qui à cauſa fit, curam prius eſſe à cauſa auſpicandam: Idem dicit 4. methodi cap. 4. loquens de vlceribus; ait in vlceribus, quæ à cauſa fiunt, ſi cauſa adhuc manet, à cauſa prius eſſe auſpicandum curam. Similiter 7. methodi c. 12. habet hanc ſententiam, impoſſibile eſt, vt aliquis affectus ſanetur, manente adhuc ipſa, vnde natus eſt, cauſa. Inſuper 10. meth. c. 1. ait, in morbis dependentibus à cauſa indicationem, quæ ſumitur à cauſa, eſſe primam: deinde factum morbum eſſe abſcindendum. Amplius 8. methodi primo dicit, ſi cauſa efficiat morbum, à cauſa exordiendam curationem.

Hæc admiranda Galeni doctrina videtur pati aliquam dubitationem; quia 3. methodi c. 9. & 7. methodi cap. 12. dicit, omnia indicantia ad tria, ante morbum curandum, reduci, videlicet ad vrgens, ad cauſam, & ad impedimentum; dicitque prius eſſe attendendum vrgenti, quam cauſæ; qua ratione igitur in hoc loco, & locis citatis dixit, prius eſſe attendendum cauſæ?

Reſponſio eſt facillima; quia dicimus, Galenum non feciſſe comparationem inter vrgens, & cauſam; ſed ſuppoſuiſſe, vt notiſſimum, quod vrgenti prius ſit vacandum, quam cauſæ; exempli gratia, vlcus fiet ob humorum confluxum, accidetque conuulſio; cui dubium, tunc prius conuulſioni eſſe attendendum, quam humoribus efficientibus vlcus?

2 Dubit. non videtur, quod præceptum Galeni ſit perpetuò verum, dum docet, ſemper à cauſa prius eſſe curam incipiendam, quàm à morbo; quia ſi quis vulnerabitur in abdomine, & egrediantur inteſtina, vulnus erit cauſa prolapſus inteſtinorum; tunc cura non erit auſpicanda à vulnere, quamuis ſit cauſa prolapſus inteſtinorum, ſed prius reducenda ſunt inteſtina in proprium ſitum; & deinde vacandum eſt vulneri abdominis.

Reſpōdemus, prolapſum inteſtinorum eſſe morbum re vera pendentem à vulnere, ſed dicimus ſe habere per modum vrgentis: niſi enim reponerentur in ſuum locum, putrefierent, & animal interiret, vel propter voluulum, vel propter grangrænam. Præterea ſemper prius eſt attendendum ſymptomati, quod poteſt auferre vires, quod re vera dicitur vrgens, quàm cauſis, & morbis. Hinc Galen. 6. epid. 3. comm. 43. dicit in medicina eſſe ſupponendum tanquam notiſſimum, quod prius viribus ſit attendendum, quàm cauſæ, & morbo.

3 Dub. aliquando Medici prius vacant ſymptomatibus, quamuis non vrgeant, quam cauſis, & morbis; exempli cauſa Socrates lue gallica corripitur, imminetque periculum alopeciæ; tunc Medici, ne Socrates depiletur, vtuntur adſtringentibus, ſpreto morbo, & virulentia, quæ eſt morbi cauſa.

Solu-

Soluimus hoc dubium lib. 5. methodi noſtræ; vbi propoſuimus quatuor claſſes vrgentium; prima quarum continet vrgentia, quæ illico minantur exitium, ſeu vitæ extinctionem, vt conuulſio, ſyncope, apoplexia, & cæt. ſecunda continet vrgentia, quæ non ſubitò vitam tollunt, ſed prius vires proſternunt, vt ſunt fluores ſanguinis, & dolores inſignes; Tertia continet vrgentia, quæ reſpiciunt affectuum longitudinem; de his Galenus 4. methodi cap. 2. habet hæc verba; *Sunt nonnulli homines, qui dummodo citius ſanentur, ſunt parati quiduis ſubire: ſunt qui malunt pati, vt teſticulus tumidus euellatur, & præcidatur, quàm toto vitæ curriculo illud pondus ſufferre:* In his ægrotantibus Medicus deſpicit cauſam, & vacat breuitati curationis. Quarta claſſis continet urgens, quod pertinet ad decorationem; & in hac continetur depilatio; quare dicimus, quòd aliquando urgentibus huius quartæ claſſis prius ſit attendendum, quàm morbis, & cauſis; ideò Medicus in his, licet utatur adſtringentibus, ne depiletur æger, & aſtringentia officiant, prius affectibus, quàm eorum cauſis aliquando eſſe attendendum putat.

4 Dubit. non uidetur, quod ablata cauſa debeat Medicus morbo uacare; quia ablata cauſa ſtatim uidetur morbus ceſſare; ſic Galenus 3. methodi cap. 9. inquit, quòd ablato urgente, & cauſa principali, & cauſa ſine qua non, ſtatim ulceris cauitas impletur, & ulcus ex ſe ſanatur. Similiter tumores ſtatim ceſſant ablatis humoribus illos efficientibus; & ſic de alijs.

Reſpondetur, morbos pendentes à cauſa eſſe duum generum; aliquos ablata cauſa ſtatim ipſammet naturam ſanare; Aliquos uerò egere Medico; ſic dicimus, aliquando naturam ablata ſorditie implere cauitatem, aliquando uerò naturam indigere ſarcoticis, & exſiccantibus ulcus. Hic notatur error Chirurgorum, qui primis diebus, ante uidelicet ablationem cauſæ principalis, & cauſarum ſine quibus non, applicant ulceribus exſiccantia, & de hoc errore multa animaduertimus lib. 15. meth. noſtræ uitandorum err. c. 6.

QVÆST. CXVI.

De ordine, & poteſtate indicantium.

Galenus in tex. ſuperiori dedit commune quoddam, & aureum præceptum, quòd .ſ. in morbis, qui habent cauſam, cura ſit auſpicanda à cauſa; deinde amota cauſa ad morbum, qui ab ea factus eſt, ſit accedendum; eandem doctrinam nos docuit lib. 8. methodi cap. 1. lib. 4. methodi cap. 3. 7. methodi cap. 12. & 10. methodi cap. 1. Verum quia ſæpiſſimè in ægrotantibus non una, uel duæ ſe offerunt indicationes, ſed adeò plures, ut decem & quindecim, & ultra aliquando obſeruentur affectus complicati; ideò præſtat, ut harum indicationum ordinem, & poteſtatem breuibus hic declaremus.

Loquens igitur Gal. de numero indicantium, quæ occurrunt ægrotātibus ante curationem morbi, docet lib. 3. meth. c. 9. & 7. meth. c. 12. omnia indicantia reduci ad tria; ità ut primum ſit urgens; ſecundum ſit cauſa principalis; tertium cauſa ſine qua non, ideſt impedimentum; tractet enim medicus ægrotum, qui centum habeat affectus ante morbum curādum, non inueniet plures indicationes tribus; lib. enim 3. methodi cap. 9. proponit ulcus cum inflammatione, ſorditie, cauitate, & immodico ſanguinis profluuio, docet eſſe prius attendendum profluuio ſanguinis, quia eſt urgens, & imminet periculum, ne uires deſtruantur; ſecundò loco eſſe attendendum cauſæ ulceris, ideſt inflammationi; tertiò ſorditiei, quæ eſt cauſa ſine qua non; nunquam enim cauitas implebitur, niſi auferatur ſordities; quibus omnibus ablatis ſtatim ulcus, uel ex ſe uel breui ſpatio exſiccantibus ſanatur.

Quo ad urgens. i. quo ad illum affectū, qui minatur uirium caſum, dicimus, illi primo eſſe uacādum; quia Galenus 9. methodi cap. 13. aſſerit, uirtutem omnium primam eſſe cuſtodiendam; quia à uiribus pendet uiuere; addit Galenus uitam, uel eſſe ipſas uires, uel earum actiones. Hinc ſi eſſet febris ardentiſſima, & uires ualde deficerent ad uinum confugimus; immò Galenus 10. methodi c. 3. proponit caſum cuiuſ-

cuiuſdam iuuenis, quem ob virtutẽ proſtratam in ipſamet acceſſione nutriuit; hic æger erat temperamenti calidi, & ſicci, & febre continua torquebatur. Huic dedit Galenus tres cyathos cremoris ptiſanæ, & duos cyathos vini albi diluti, & tenuis; de quo caſu refert hæc verba: *Æger ſi antea ſine voce, & ſenſu iacebat ſuſtulit oculos, & tum audire, tum loqui, tum præſentes noſſe capit.* Ecce, quod ſpreta febre, & eius cauſa Gal. virtuti vacans, in acceſſione cibum, & vinum præbet.

Hinc Galenus 9. methodi cap. 13. habet primum indicatum deſumi à virtute; deinde ab affectu: additq; ſi indicãtia quoq; eſſent paria, ſimiliter primo virtute, & deinde ab affectu indicata eſſe deſumenda; exempli cauſa, ſi aliquis affectus valde perturbet, & virtus ita deficiat, vt medicus æquè de virtute, ac de morbo dubitet, addit, vt tutius agatur, primum à virtute, & deinde ab affectu eſſe auſpicandam curationem; per affectum intelligimus cauſam, vel morbum.

Hinc Gal. 10. methodi cap. 1. habet, ſi virtus eſt robuſta, febrem, & cauſam profligare oportet; quo fit, vt Gal. 9. methodi c. 7. dicat, virtutem robuſtam eſſe deſpiciendam, & mediocrem mediocriter conſeruandam.

Hinc errant valde nonnulli, qui ſtatim in morbi principio virtute exiſtente robuſta ouis, & pullis plenè nutriunt. His motus rationibus Gal. videns ſemper eſſe prius attendendum virtuti. 12. methodi cap. 1. docet, ſi aliquod ſymptoma vrgeat mutari curationem, & ſymptomati prius attendendum ſpreta cauſa, & morbo: & 9. methodi c. 13. dicit, dum virtus eſt collapſa: tunc nullum remedium, quod affectum ſanet exhibendum: habetque hæc verba; *Tempus quo vires reficimus, eorũ, quæ affectum ſanent, nihil planè ægrotant, exhibemus: vbi verò eo roboris eas perueniſſe coniicimus, vt nihil, vel parũ ex vacuando ſint lædendæ, tunc ad affectus curationem eſt accedendum.*

Quoad cauſam principalem, tunc dicimus ei eſſe attendendum, oculoſq; dirigẽdos, quando vrgens nõ adeſt; cauſa enim principalis ante impedimentũ, & morbũ eſt auferenda: Chirurgi Empirici fruſtra in vlceribus vtuntur exſiccãtibus, quæ ſanant vlcera: & fruſtra vtuntur lotionibus deterſorijs, quæ eluunt ſordes, fruſtraque ſarcoticis, quæ cauitatem implent; niſi prius demant cauſã principalem idest intemperiẽ partis circumſtantis, vel humorem fluentem, & confluxum circa vlcus.

Quo ad impedimenta, quæ à Galen. 7. methodi cap. 12. vocantur cauſæ ſine quibus non; dicimus, nunquam vlcus ſanari, niſi prius cauſa principalis auferatur; ſi in vulnere exempli cauſa enſis fruſtũ relinquatur, vel oſſis fragmentũ, vel ſanies, vel ſordes, vel ſanguis in thrombum uerſus, vel alia impedimenta, niſi prius auferantur, uulnus nunquam ſanari poterit.

Hic notatur erratum quorundam Chirurgorum, qui uolunt in omni uulnere citò; quando impedimẽta non ſunt ablata, unire uulnus, quod quam ſit deteſtabile, experientia miſerorum ſæpiſſimè detegitur.

Quod Galeno magnæ curæ fuerit auferendi prius impedimenta, quam cauſas, patet ex prolixo ſermone, quem habuit aduerſus Theſſalum 6. methodi cap. 2. ubi reprehendit Theſſalicum quendam medicum, qui impoſuit emplaſtrum ſupra nerui puncturam ex farinis; emplaſtrum enim claudẽs uulnus inter ſeptimum diẽ hominem reddidit conuulſum, eumq; iugulauit: ibique Galen. docet, uulnus nunquam eſſe uniendum, dũ neruus punctus eſt; tum propter urgens imminens, ideſt conuulſionem, tum propter cauſam principalem, quę nõ ità facilè ſuperatur, tum propter impedimenta, ideſt ſaniem, quæ detenta illicò conuulſionem facit; ibique mira arte docet, quo pacto ſit uulnus apertum cõſeruandũ; & quo pacto ſanies è profundo uulneris trahenda, admonetque ſi habitus ægri fuerit mollis, tunc nos uti debere terebinthina; ſi durus habitus, tunc cũ terebinthina paululum euphorbij admiſcendum; uideas quam uaria cura ſit in curatione unius affectus; uideaſque quantum recedant à recta medendi norma, qui non penetrant hæc methodi arcana, non enim ſat eſt ſcire indicantium ordinem, & poteſtatem, ſed oportet naturam affectuum, & diſtinctionem habituum penetrare.

Si uerò affectus non ſolum ſint complicati; ſed etiam confuſi, uarij, & inter

ſe

ſe omninò diſtincti,& contrarij; tunc dicimus, illum affectum eſſe prius tollendum, qui eſt maioris momenti, ideſt qui actionem magis præcipuam lædit.

Præterea ſemper memoria tenendum eſt Galeni præceptum traditum primo de compoſitione medicamentorũ ſecundum genera c.16. vbi dicit, ſi in affectibus complicatis habueris remedium, quod poſſit ratione vnius affectus multum iuuare; poſſit tamen lædere ratione alterius; & ex altera parte habueris remedium, quod poſſit, ſed non adeo iuuat ratione vnius, ſed non poſſit lædere ratione alterius, iubet eſſe eligendum illud, quod non poteſt lædere: quia ſemper ſeruandum eſt præceptum Hippocratis 1. epid. comm.2. tex. 5. vbi dicit; *Videas ne ſaltem noceas*; Quod quidem non eſt ità facile, vt obſeruetur; quia ex centum remedijs, quæ iuuant, nonaginta nocent, ideò optimo in illo conſilio, & examine eligenda ſunt remedia, quæ nõ noceant; ſatius eſt, vt eligamus remedium quod parum iuuet, & nihil noceat, quam quod ualde iuuet, & parum noceat; Equidem putò, medicos, qui ſtatim in occaſione non vrgenti multam ſanguinis copiam euacuant; vel abundè electiuè purgant à præceptis Hippocratis, & Galeni recedere, qui iubent Medicos ità tutò procedere, vt non noceant ægris.

Dum verò vrgens eſt præſens cauſa, conſeruandæ vitæ, quoduis damnum inferimus ægris, dummodo viuant: Hinc qui lapide veſſicæ laborant à Lithotomo permittũtur ſecari non ſine euidenti uitæ periculo; qui ſphacelo anguntur his pedes, brachium ferro cãdenti ſecantur.

Colligimus itaque, quod ſi fiet comparatio inter urgentia præſentia, & imminentia, ſemper urgentibus præſentibus prius ſit attendendum; ſi inter urgentia, & cauſas, ab urgẽtibus ſemper exordienda cura; Si uerò inter cauſas principales fiet comparatio, dicimus potentiori eſſe attendendum; plures.n.in ęgrotante poſſunt eſſe morbi, iique ſeparati, plures per conſequens poſſunt eſſe cauſæ principales; Hippocrates enim de Pythione loquens in libris de morbis uulgaribus, habente pectoris affectionem, & febrem dicit, in illo homine duas fuiſſe cauſas principales, alteram fuiſſe catarrhum in pectore collectum, alteram fuiſſe humores putridos; unica die apparuerunt ſputa ſubcocta, & urina tenuis; ſputa cocta oſtendebant cauſam principalem affectionis eſſe à natura domitam, & ſuperatam; urina tenuis humores efficientes febrim eſſe adhuc crudos.

In his ſeparatis cauſis eſt ſemper expendendum, quæ ex illis magis poſſit, quod fiet hoc modo; debet uideri, quænam ex illis ſit magis reducibilis ad urgentia primæ, uel ſecundæ claſſis; quæ.ſ. citius, certius, & potentius uires opprimere poſſit; exempli cauſa in Pythione, erat catarrhus tenuis in pectore collectus, & in uenis putridi humores; dicimus, quod magis poterat putridi humores uires opprimere, quã catarrhus; quia in pectore nulla aderat inflammatio: magis igitur humores putridi erant reducibiles ad urgentia; quia putredo uiribus magis eſt inimica, quã tenuis catarrhus: ideò medicatio incipiẽda erat à putredine, non tamẽ ſpreto catarrho: ſi uerò catarrhus fuiſſet ſalſus, uel admodũ craſſus, unde phtiſis, uel ſuffocatio immineret, tunc curatio eſſet à catarrho incipienda.

Si fiet comparatio inter cauſas principales, ex impedimento, à cauſis cura erit inchoanda: quando impedimenta talia ſint, ut non poſſint auferri, niſi prius auferantur cauſæ: alioquin impedimenta ante omnia debent auferre. Si inter cauſas, & morbos, ſemper à cauſis: ſi demum fiet comparatio inter cauſas, & partes roborãdas, ſimiliter à cauſis incipienda cura: nõ poteſt enim pars debilis roborari, niſi humorum concurſus in ipſam partem prohibeatur. Sed ſi uolueris omnium indicãtium comparationes exactè penetrare, adire poteris librum 15. meth. noſtræ, ubi uidere poteris plura, & magni momenti pertinentia ad hoc negotium.

CAPITIS LXXXIX.
Particula VIII.

Tex. 42. *Secundùm verò compoſitas intemperaturas ex ſimplicibus compoſitio commonſtrabit ſalubria præcepta, cum hic quoque ſtuduerimus pro magnitudine intemperaturæ eidem conueniens inuenire remedium,*

veluti

veluti ſi ita contigerit, quod in decem quidem numeris ad caliditatem maiorem ea, quæ naturæ conueniat, decidat corpus, ſeptem verò ad ſiccitatem maiorem: tunc ſalubrem cauſam in huiuſmodi affectibus eſſe oportebit, decem quidem numeris frigidiorem, ſeptem verò humidiorem.

POſtquam Galenus ſuperius docuit modum curandi intemperiem ſimplicem quo ad partem factam, & fientem: In hoc tex. admonet, quod cognitio intemperierum ſimplicium nos diſponat ad cognoſcendum, quomodo compoſita intemperies ſit curanda: dicit igitur, quod ſicuti in ſimplici intemperie requiritur remediũ habens hæc duo attributa; primum, quod morbo ſit contrarium: ſecundum, quod ſit æquale. Similiter in compoſita intemperie requiritur remedium contrarium, & æquale magnitudini intemperaturæ; hocque exemplo clariſſimo Galenus id patefacit: ſi corpus ſit intemperatum in calore per decem numeros; & in ſiccitate per ſeptem, tunc, ſi uelimus hanc compoſitam intemperiem curare, oportet, ut eligamus remedium cõtrarium, & æquale, quod erit frigidum per decem, & humidum per ſeptem.

Eandem doctrinam docuit Gal. 3. de ſimplici medicina c. 12. & 9. methodi cap. 15. dum dicit, contrarium eſſe trium generum; primum eſt, contrarium maius; & hoc nõ ſolum aufert morbum, ſed nouum introducit; exempli cauſa ſi intemperies excedat in calore per decẽ gradus, cui dubium, quod ſi eligerimus remediũ frigidum per duodecim, quod non ſolum ſuperabit calorem per decem numeros, ſed introducet frigidam intemperiem; ſecundum eſt remedium contrarium minus; & hoc non poteſt auferre morbum; tertium uerò eſt contrariũ æquale, quòd ſolum poteſt auferre intemperiem.

1 Dub. (omiſſis nugis ab Argenterio in hoc commento contra Galenum propoſitis, cuius argumenta ſunt adeò in hoc loco puerilia, ut oſtendant illum, neque grauem, neque ſyncerum philoſophum extitiſſe) non uidetur Galenus ſibi conſtare; quia hic ſupponit dari decem numeros, ſeu gradus caloris; tamen alibi ex omnium Medicorum conſenſu in quatuor gradus totam latitudinem qualitatum diuiſit.

Reſpondent Haly, & Pluſquamcommentator, Galenum per numeros intelligere manſiones; in quolibet enim gradu ſunt tres manſiones: erunt igitur in quatuor gradibus duodecim manſiones; propterea non eſſe mirandum, ſi Galenus ſeptem & decem numeros nominet. Nos tamen dicimus Gal. exempli gratia accepiſſe illum numerum, & non ità ſtrictè intellexiſſe, ut ſeuerè interpretes putant. Hinc ſi Galenus etiam dixiſſet centum; non propterea ſibi contradixiſſet.

Demum dicimus, non ſolum unum gradum diuidi in tres mãſiones; ſed probauimus alibi unam manſionem adhuc diuidi in alias; nullumque eſſe peccatum, ſi quiſpiam ſuſtineret unum gradum diuidi in tres manſiones; & tres in nouem, eaſque cognoſcibiles.

Præterea pro uaria cõſideratione graduum primarum qualitatum uarij uaria dicunt: Philoſophi enim putant non quatuor eſſe gradus primarum qualitatum, ſed octo, quia incipiunt numerare gradus à principio latitudinis, & non à medio ut medici; quod enim ſecundum medicos eſt calidum in primo gradu, erit ſecundum philoſophos in quinto; medici tamen, dum dicunt eſſe in primo gradu, intelligunt reſpectu temperati, ideſt eſſe calidius, quam ſit temperatiſſimum per unum gradum. Hinc Galenus 2. de ſimplici medicina cap. 3. dicit, quod quando quærimus, quæ ſint calida, & frigida, inquirimus quæ calefaciunt, & refrigerant, humectant, uel exſiccant corpus temperatiſſimum.

2 Dubit. dicit Gal. in tex. quod remedium contrarium debeat eſſe proportionatum. i. cõtrarium æquale, ut docet Gal. 3. de ſimplici medicina c. 12. ſi .n. intemperies erit calida ut duo, remedium debet eſſe frigidum ut duo; hæc doctrina uidetur reluctari uniuerſæ philoſophiæ, in qua eſt hoc axioma, ab agente æquali non prouenire actionem, & meritò, quia calor ut duo nunquam permittet, ut uincatur à frigido ut duo.

Reſpondetur, quod dum medicus uult remedio frigido ut duo auferre intẽperiem

riem calidam vt duo, non vult vincere, ſed ad mediocritatem reducere; quia ſi vinceret, deſtrueret naturale temperamentum: dum enim accipitur aqua calidiſſima, & miſcetur frigidiſſimæ, reſultat temperatiſſima per mixturam, ſeu contemperationem, & non per victoriam; ſi frigidiſſima vinceret calidiſſimam aqua, tunc non tepida; ſed in ſuo exceſſu conſeruaretur: quo fit, vt medici, qui putant remedijs vincere, & ſuperare intemperaturas per modum pugnæ, & victoriæ, & non per reductionem ad mediocritatem, à veritate quam longiſſimè diſtant; & ex hoc ſuppoſito errore in alios plures labuntur.

3 Dub. Galenus in hoc tex. & alibi vult, quod remedium pro depellēda intemperie ſit contrarium æquale: calidum enim vt duo non poteſt vinci, niſi à frigido vt duo: attamen 8. meth. nō videtur hoc præceptum obſeruaſſe: ibi enim dixit, ſi febris ſit in corpore calido, & ſicco, in regione, & tempore calido, & ſicco, & victus præceſſerit calidus & ſiccus, non eſſe exhibendum victum directè contrarium, ſed temperatum; ecce igitur quod Gal. in eadem ſententia non perſeuerat; ergo vel hic, vel ibi non decepit.

Argenterius cum neſciat reſpondere huic dubitationi, Galenum reprehendit, quòd ſanè non conuenit illis, qui interpretis officio funguntur; & præcipuè, dum dubia facilè ſolui poſſint.

Reſpondemus igitur nos, ſemper eſſe faciendam comparationem inter indicans vitale, & curatorium; dicimus igitur ratione indicantis curatorij eſſe certiſſimum, quod remedium proportionatum pro auferenda intemperie debeat eſſe contrarium æquale: Concludimus tamē, dum virtus hoc æquale contrarium prohibet, tunc eſſe eligendum remedium minus; In caſu propoſito dicimus, quæ ſunt temperata, reſpectu calidi ſe habere per modum frigidi; ſed minoris, quam requiret intemperies calida: Dum verò dictū eſt, quod ea, quæ ſunt minoris virtutis nunquam poſſint ad mediocritatem reducere, quod eſt maioris virtutis.

Reſpōdemus ex Gal. 7. meth. c. 7. & 3. de ſimp. m. c. 12. quod hęc contraria minoris virtutis multoties repetita poſt aliquod temporis interuallum poſſe ad mediocritatem reſtituere, quod eſt intemperatum: gutta enim cauat lapidem non bis, ſed ſæpè cadendo. Similiter planta exoriens à marmoreo lapide temporis interuallo illum ſcindit, & diuidit in plures partes.

4 Dub. Gal. 8. methodi cap. vlt. inquit, quod in ſene febris ardēs ſit maior, quàm in iuuene; quia in ſene eſt cum maiori receſſu à ſtatu naturali; ſi igitur eſſet vera regula Galeni hic; & alibi tradita, quod ſcilicet remedia debeant eſſe contraria, ſed in æquali gradu, vt ſcilicet calidum vt duo requirat frigidum vt duo; tunc remedia frigida pro remouenda ardente febre ſenis extinguent calorem naturalem ſenis, & ſic frigida non erunt remedia, ſed deleteria.

Reſpondetur, in omni ægrotante eſſe faciendam comparationem inter prohibentia, & indicantia; quia ſi magis poſſit prohibens, quam indicans, tunc non debet medicus indicanti ſatisfacere; quod igitur prohibet, ne medicus vtatur magno refrigerāte, eſt paucitas natiui caloris ſenum. Eadem ratione Galen. 9. meth. cap. 5. non exhibet hecticæ febri frigidæ potum; exhibet tamen ijs, qui ardenti febre corripiūtur, quia paucitas caloris natiui in hectico prohibet; quare regula Galeni, quod curatio fiat per contrarium in eodem gradu, intelligi debeat, dum aliquid non prohibeat, dum enim eſt aliquod prohibens, tunc ſumimus contraria minora, quæ tametſi non ſanent citò, lōgioris tamen temporis curſu id efficient, vt probauimus ex Gal. in ſuperiori dubij ſolutione.

CAPITIS LXXXIX.

Particula IX.

Tex. 43. *Si igitur ipſi particulæ patienti admoueatur tale remedium: tantò erit frigidius, atque humidius, quantum exigit partis affectæ indicatio. Quod ſi particula affecta in penitioribus locis ſita ſit, machinari oportet inſuper tale inuenire ſalubre remedium, cuius vis nequaquam in itinere antea ſoluatur. Si itaque calidius eſſe oportuerit, eo quod eſt moderatum, non ſolum tantam habeat calidi:atem, quã [illegible] exigit morbus, ſed vltra eandem menſurã*

tantum adijciatur, quantum ex ſitu, vt pertingere poſſit ad locum patientem, ſit neceſſarium. Si verò frigidius: non ſimpliciter tantum frigiditatem oportet augere, ſed & materia quoque prius eſt animaduertenda. Si enim craſſa ſit, non admodum poterit ad profunda penetrare, at potius contrarium præſtabit effectum, ſpiſſando ſuperficiem, atque denſando. At ſi tenuioribus partibus conſtet, poterit ſanè plurimum ſubire profundum. Idem in humectantibus, atque exſiccantibus accidit, in quibus craſſitudo atq; ſubtilitas partium ſubſtantiæ eſt inſpicienda.

Tex. 44. *A ſitu quidem loci, vt nuper diximus, inuenit indicatio ſalubre remedium.*

SVperius Gal. docuit, quod remedia debeant che ità contraria morbo, vt neque maiora, neque minora ſint, ſed æqualia; Galenus enim 3. de ſimpl. medicina cap. 12. & 9. meth. cap. 18. dixit, remedia, quæ aduerſantur intemperiebus eſſe triplicia, aliqua maiora, ideſt quæ habent maiorem vim, quam requiratur; aliqua minora: & aliqua æqualia: concludit, quod erant eligenda æqualia; quia hæc citò reducunt corpora intemperata ad veram mediocritatem; maiora enim non ſolum curant morbum præſentem; ſed nouum introducunt; minora verò non poſſunt, niſi poſt diutinam applicationem ſanare.

In hoc tex. agit de applicatione remedij ad particulas affectas; dicitque ſi pars affecta ſit in corporis ſuperficie; tunc remedia omninò æqualia eſſe applicanda; ſi verò ſit in pernicioribus locis, vt in renibus, Pulmone, & ſimilibus partibus à corporis ſuperficie, & ventriculo diſtantibus, ait, quod remedium tantum excedere debeat æquale, quantum illius virtutis in itinere conſumitur; ità vt peruentum remedium ad partem affectam redditum ſit æqualis virtutis: quod quidem præceptum in omni intemperatura inquit verificari; ſed clarioris doctrinæ gratia afferamus exempla. Sint igitur, quibus frigida, & flatulenta pituita inhæreat colo inteſtino; his, ſi per os remedium propinetur, debet eſſe calidius, quã ſi eadem materia frigida, & flatulenta eſſet in ventriculo; tanto verò debet eſſe calidius, quanto poſtquam peruenerit ad colum inteſtinum excedentem caliditatem amiſerit; & in ſe retineat virtutem æqualem, ſed contrariam morbo.

Deinde Galenus dat ſingulare præceptum obſeruandum in remedijs frigidis, humidis; & ſiccis, quando ad partes remotas debeant deduci; præceptum eſt, quod & frigida, & humida, & ſicca eligantur tenuium partium, & non craſſarũ: & præcipuè in remedijs frigidis; quia omne frigidum eſt penetrationi inimicũ: ſi verò frigidum adiunctam habuerit craſſitiem; tunc erit impoſſibilis penetrationis.

Hic eſt ſenſus textus, qui clariſſimus eſt: & miror illos expoſitores; qui illum diuidunt, & deinde ſubdiuidunt, & rem claram reddunt obſcuram.

1 Dub. Gal. 3. de ſimpl. med. c. 12. & ſuperius tradidit hoc præceptum, quod remedium debeat eſſe æquale morbo; exẽpli cauſa, ſi morbus ſit frigidus vt tria, eius remedium etiam calidum, vt tria; at ſic eſt, quod hæc cognitio quantitatis remedij ex ipſo Gal. eſt imperceptibilis; ergo præceptum traditum videtur vanum, & irritum; quod cognitio quantitatis remedij ſit imperceptibilis, Galenus 3. method. 7. in principio inquit, ſi quantum agendum perciperem, talem me eſſe putarem, qualem fuiſſe ferunt Æſculapium; & 3. methodi 3. dicit, *Si quidem (vt ſæpè diximus) nulla eſt in arte medica nec res, nec medela, quæ ſpecies dicibilis non ſit; ſed quod nec dici, nec ſcribi, nec omninò percipi poteſt, id quantitas in quoque eſt;* Ecce igitur quod quantum eſt omninò incognoſcibile, & quod Galeni præceptum de quantitate remedij eſt vanum.

Reſpondetur, quod certa ſcientia quãtum non poteſt ſciri; ſed ſolum coniectura; ſicuti Gal. 3. methodi cap. 7. admonet, quomodo in coniectura progredi oportet; ibi enim docet, in primis eſſe ſciendum, quantus ſit receſſus à naturali ſtatu aduentitio; de qua re nos egimus lib. 4. noſtræ methodi: morbus enim ex Gal. 9. methodi c. 13. tantus eſt, quantus eſt receſſus à naturali habitu; deinde ſcire

oportet conditiones partium affectarũ, quæ ſunt meatus,figura,ſitus,cõpoſitio, exordium, ſubſtantia, temperatura, numerus,progreſſus,& officium; de quibus Galenus lib. de vſu partium: & lib. de conſtitutione artis medicæ cap. 6. & nos integrũ librũ, qui eſt tertius noſtræ methodi fecimus:exẽpli gratia,ſi affectus calidus eſſet in cerebro,neruo,vel mẽbrana quæ partes ſũt ſua natura frigidæ, maior eſſet receſſus,quã ſi affectus calidus eſſet in hepate, in corde, & in alijs partibus calidis: Hinc Hippocrates dicit, dum morbi nõ valdè recedunt,ſed ſunt ſimiles naturis ægrotantium, non eſſe adeò periculoſos. Hinc febris ardens in ſene eſt periculoſior, quàm in iuuene; quia eſt magis diſſimilis ſeni, quàm iuueni, qui ſua natura eſt calidus: ſententia .n. Hippocratis 2. aphoriſmorum 34. *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætatis magis conuenit morbus.*

Demum adeſt apud nos inſtrumentũ, quo cũ circino metimur receſſum caloris omnium partium externarum corporis,& aeris, quo quotidie quantũ magis, vel minus recedimus à temperatiſſimo, certiſſimè animaduertimus: Adeſt præterea aliud inſtrumentum, quo non coniectura, ſed certiſſima ſcientia cognoſcimus quantum recedant pulſuum motiones ægrotantium à ſtatu ſuo naturali, de quo inſtrumento egimus in lib.de inſtrumentis medicis non amplius viſis: & in cõm.noſtris ſupra primã Fen. Poſtremò habemus certiſſimum modum, quo metiri poſſumus aeris humiditatem, quanta qualibet hora ſit in aere: His igitur modis quam maximè ad illud quantum adeo difficile cognitu accedimus.

2 Dub.Galenus hic aſſerit,quantitatem remedij indicari à ſitu partium affectarum, quod eſt contra id quod dicit 3.metho.c.1.vbi habet indicans eſſe, quod curatur. Præterea indicata deſumuntur, vel ab eſſentia, vel à conſequentibus eſſentiam; ſed locus affectus, neq; eſt morbi eſſentia, neque pertinet ad ea,quæ cõſequuntur eſſentiam: ergo nõ indicabit; pars enim affecta modò calida,modò frigida ægritudine afficitur. Demum locus affectus indicat ſimile, vt conſeruetur, & non contrarium; vt in hoc loco nos docet Galenus, & nos idem probauimus altioribus principijs 11.lib.methodi noſtræ cap. 11.

Reſpondetur, quod indicans ſumatur dupliciter,vel pro affectu,cui primo reluctatur indicatum, vel pro ſigno indicãte affectũ præter naturam,quod indicãs nõ indicat primo, & per ſe remediũ; ſed indicat,qualis ſit natura affectus,qua natura rectè præcognita ſtatim remedij quãtitas eluceſcit; quare non à ſitu; ſed à natura affectus deſumitur quantitas.

3 Dub. ex Ariſt. omnes propriæ paſſiones collocantur in ſecundo modo dicendi per ſe, quo fit vt debeant definiri per ſubiectum; ſed ſic eſt, quòd ægritudines ſunt propriæ paſſiones locorum affectorum: ergo debent definiri per locos affectos, ergo loci affecti erunt de ratione ægritudinum; ergo ſi ægritudines indicabunt contrarium, etiam loci affecti idem indicabunt. Hinc idem morbus,& eadem cauſa genericè conſiderata faciet affectus ſpecie diuerſos,ratione diuerſorum locorũ affectorum: eryſipelas enim conſideratum in pleura efficit pleuritidem; in dura, vel pia membrana efficit phreneſim. Similiter bilis ſi in vniuerſo corpore redundet ex Galen. 3. de ſympt. cauſis c.2 efficit,iterum;ſi in parte, eryſipelas, & ſic de alijs affectibus præter naturam.

Ad eundem modum ob varios ſitus partium corporis variatur quoque habitus naturalis; ſcribit enim Galenus 2. de ratione victus in acutis 29. de Paulo Rhetore, & Eudemo Philoſopho, quod ob varios ſitus canalis veſſicę felleę varius eſſet habitus Pauli ab habitu Eudemi: Paulus enim habens ductum, per quem fertur bilis, inſertum fundo ventriculi vomebat bilem, & propterea vocabatur; πικρόχολος ἄνω Eudemus, cum ductum ferentem bilem haberet implantatum ieiuno, vocabatur πικρόχολος κάτω: his & quamplurimis alijs exemplis lib. 3.meth. noſtræ c.2. oſtendimus ob varietatem ſitus partium corporis,affectus ſpecificos fieri varios atque diuerſos; ecce igitur, quod ſitus indicat remedium, quod eſt, & contra illud, quod probatum eſt & contra Galenum, qui 10. methodi cap. 2. docet, non dari plura indicantia

tribus; quæ ſunt morbus, cauſa, & virtus.

Reſpondetur locum affectum dupliciter conſiderari, vel communiter, vel ſecundum differentias ſpecificas, ideſt ſecundum cōditiones propoſitas, videlicet ſecundum temperaturam, ſitum, meatus, & cæteras ſuperius propoſitas; ſi igitur cōſideretur cōmuniter, & ſine limitatione, dicimus, locū affectum eſſe omninò ſeparabilem ab affectibus præter naturam: ſic accidit pleuræ inflammatio; poteſt enim ſtare pleura ſine pleuritide: Si verò cōſideretur locus affectus ſecundum illas ſpecificas differentias, per quas formantur affectus; ſic pars affecta conuertitur cum affectibus: & pars affecta fit proprium ſubiectum, quod definit paſſiones, ſeu ægritudines proprias, quæ in ſecundo modo dicendi per ſe prædicantur: pleura enim affecta ſecundum tales meatus, talem figuram, talem ſitum, & talem temperaturam, & reliquas conditiones dicitur ſubiectum pleuritidis, ità vt ablato hoc ſubiecto auferatur pleuritis; & verſa vice: ſed quia fusè de hac re egimus lib. 3. noſtræ methodi, ſi lectoris mens adhuc verſetur in ambiguo, illùc poterit adire, vbi quamplurimis exemplis redditur hoc negotium clarum atque prænitens.

Totum enim medicinę artificium cōſiſtit in perfecta cognitione anatomiæ: reliqua non pertinentia ad anatomiam, ſeu diſtinctā cognitionem partium affectarum ſunt facillima: quo fit vt Galen. 13. metho. cap. 20. habeat hanc ſententiam: ſi ab arte medica auferantur indicia, quæ ſumuntur à diſtincta cognitione partium affectarum, tota ars addiſci poſſet non ſolum ſex menſium ſpatio, vt dicebat Theſſalus; ſed ſex diebus; Hinc ſi Medici aliquando aberrant; id ex eo pendet, quia non omnia anatomiæ arcana penetrarunt.

Hinc Veſalius, & alij Anatomici auſi ſunt contra Galen. multa ſumma cum ratione in lucem promere, cauſa eſt, quia Galenus non erit valdè in anatomia humana verſatus; primo enim de anatomicis admini. cap. 2. fatetur, ſe toto vitæ ſuæ curſu duo tantum vidiſſe humana cadauera admodum imperfecta; quorum alterum poſt aliquot menſes ſepultum à cuiuſdam fluuij impetu fuit ad ripam quandam delatum, alterum erat latronis cadauer à coruis biduo dilaniatum, quæ cadauera erant imperfectiſſima: ideò nunnulla de humano cadauere pertinentia ad ſitū (omiſſis alijs erratis pertinentibus ad alias conditiones locorum affectorum) non videtur percepiſſe; ſicuti dum aſſerit dextrum renem, & dextram emulgentem eſſe altiorem ſiniſtra; cum re vera, & ren, & emulgens ſiniſtra ſit prominentior dextra; quamuis in brutis horum ſitus ſit eo modo, quo Gal. de hominibus putabat. Simili modo dum de ſitu ventriculi agit, decipitur; quia 4. de vſu partium cap. 7. putat, ventriculum magis eſſe in dextro latere, quā ſiniſtro; quod ſanè repugnat αὐτοψίᾳ, ſeu propriæ inſpectioni: ſed de his pertinentibus ad ſitum, quam plurima diximus lib. 3. metho. noſtræ, quæ non ſunt huc tranſponenda.

CAPITIS LXXXIX.

Particula X.

A formatione autem, & ſitu ſimul, quando effluxus ſenſibiles, atque ad alium locum foraminibus patentes habuerint, aut his omninò caruerint. Quos enim effluxus ad principales deferri partes cognouerimus, auertemus, atque ad illas impellemus, quæ nullum habent principatum.

SVperius docuit à temperatura, & à ſitu partium affectarum colligi quantitatē rediorum; à temperatura, quia tantus eſt morbus, quātus receſſus à ſtatu naturali; à ſitu, quia quo profundior eſt ſitus partium affectarum, tanto maior quantitas remedij adhibenda eſt; quia in itinere remedium amittit aliquid virtutis; quantum verò amittat in varijs diſtantijs experientia nos docet; de qua re ſuperius in dubiorum ſolutione ſumus locuti.

In hoc tex. docet, à formatione vnitā cum ſitu partium adhùc melius colligi poſſe quantitatem remedii: quia ſi partes affectæ tali modo, & tali ſitu ſunt à natura formatæ, vt habeant meatus, & foramina patentia, per quę medicamenta facile

cile penetrant, tunc ſine dubio minor medicamenti quantitas eligi debet: Si verò meatus non erunt patentes, ſed inſenſibiles, tunc maior medicamenti quātitas exigetur, & tanto maior, quanto pars interiacens ſit denſior, & durior. Si verò non ſolum pars affecta caret patentibus meatibus; ſed ſit inter præcipuas, vt eſt iecur, cor, cerebrum, tunc vtimur ea remedij quantitate, quæ poteſt auertere in contrarium humores, eos impellendo ad partes minus nobiles: Hac ratione moti Medici trahunt humores virtute frictionum, & cucurbitularum ad partes ignobiliores: Hac ratione conueniunt phænigmata, & ſynapiſini, & alia id genus attrahentia medicamenta; & Galenus 3. de compoſitione medicamētorum per loca cap. 3. ait, quod in principio parotidis liceat vti medicamentis attractorijs; & ſi hæc non ſufficiant, laudat cucurbitulas.

Notandum, quod natura plures grauiores, & maligniores ſuperat ægritudines traſponendo humores malos à partibus nobilibus ad partes ignobiles, quam euacuando per vias patentes: quia dum natura valdè excrementis grauatur, vt plurimum excrementa ſunt in loco, à quo per canales patentes nō poſſunt euacuari; facilè ſanantur homines ſi ad ignobiliores partes humores excrementicij propellantur: quod quidem non ſemel in Hippocratis ægrotis obſeruatur, & præcipuè in virgine in veſtibulo templi decumbente, quæ erat correpta delirio: refert enim Hippocr. quod pedes illius virginis vigeſima die dolere cæperunt, & mox delirium ceſſauit, ſimiliter refert caſum illius ægri qui in Dealcis horto iacebat, & febre maligna oppreſſus cum vrinis, & ſtillis è naribus nigris liberabatur, quia ad pedes humores confluxerunt: Refert ex alia parte caſum Lariſſæ calui, in cuius pedes cōfluxerunt humores, ſed quia humores retroceſſerunt, caputque inuaſerunt, ait Lariſſam perijſſe. Idem quoque in Chritone obſeruatur. Hic enim maligna febre corripitur cum puſtulis nigris, deinde toto pede doluit: cumque pes totum humorem non caperet, inde delirium, & mors ſuborta eſt. Ecce, dum humores tranſmittuntur ad partem ignobiliorem, quæ ſit capax, vel reddatur capax uirtute frictionum, oleorum laxantium, cucurbitularum, & ueſicantium, quod morbi maligniſſimi curabiles fiant.

Verum ſi Medicus non percipiat ſocietatem, & conſenſum partium corporis nihil ſanè ægris proficere poteſt, cum non intelligat, ubi ſit morbus; Ego autem ſuperius caput compoſui, in quo quamplurima anatomię arcana propoſui quibus cognitis poterūt interni affectus, & eorum ſympathiæ facilè dignoſci.

CAPITIS LXXXIX.
Particula XI.

Tex. 45. *Illud verò manifeſtum, quod earum quæ intemperaturam efficiunt cauſarum, curatio fit per euacuationem; nam ipſæ intemperatura ſola alteratione curantur.*

In hoc tex. qui eſt finis huius capitis, duo concludit Gal., primum quod curatio cauſarum, quæ efficiunt intemperaturas, fiat per euacuationē: ſecundum, quod intemperaturæ, quatenus ſcilicet factæ ſunt, non curentur euacuatione, ſed ſola alteratione.

Argenterius aduerſatur Galeno, dicitque non eſſe uniuerſaliter, & perpetuò uerum, quod cauſæ efficientes intemperaturas euacuatione tollantur: quia aliquando fiunt febres ab animi affectibus, qui ſine humoribus putreſcentibus perſeuerantes illas foueant, efficiant, & augeant, quare ſi noluerimus euacuatione curare animi affectus, erit ridiculum, addit Argenterius, febrem diariam, & ſynochum ſine putredine fieri à conſtipatione, attamen conſtipationem non euacuatione, ſed rarefactione tolli. Similiter fieri poſſe febrem ab obſtructione, quæ non euacuatione, ſed incidentibus, & detergentibus aufertur, & ſimilibus remedijs. Ex his colligit Argenterius contra Galenum, quod nō omnis cauſa, quæ efficit febrem, tolli debeat euacuatione.

Haly putat, Gal. ſententiam eſſe omninò uniuerſalem: ità ut omnis cauſa interna efficiens febrem euacuatione ſenſibili, uel inſenſibili auferatur.

Marcus Oddus inſequens interpreta-

tionem Haly reſpondet Argěterio,quod licet animi affectus nō curentur euacuatione; tamen humores, qui mali fiunt ob animi affectus ait, eſſe illos, qui debent euacuatione curari; ratio eſt, quia animi affectus, antequam morbum aliquē efficiant, prius conturbant,& vitiant humores,qui deinde alteratione,& euacuatione curantur. Simili modo reſpondet de conſtipatione dicens, licet conſtipatio rarefactione adimatur, tamen ait, humores facientes conſtipationem euacuatione ſanari. Itidem de obſtructione aſſerit, quod ſcilicet quāvis aperientibus auferatur, aliquid tamen attenuatum euacuatione ſaltem inſenſibili euacuari; ità vt ſecundum Oddi expoſitionem hæc Gal. ſentētia ſit veriſſima, & vniuerſaliſſima, cauſam ſcilicet morbi per euacuationem ſenſibilem,vel inſenſibilem ſemper auferendam eſſe.

Reijcitur Oddus, quia Galenus ſuperius ne verbum quidem de euacuatione inſenſibili habuit, dum enim loquitur de euacuatione, ſemper de ſenſibili intellexit.

Pluſquamcommentator melius explicat dicens, Galenum concludere in hoc tex. quod euacuatio pertineat ad cauſas; alteratio verò ad intemperiem, quaſi dicat,aduertas,quando in morbis fit aliqua euacuatio, illā ſemper fieri ratione cauſæ,& non ratione morbi;quia morbus eſt factus, & formaliter eſt conſtitutio partium viuentium,quæ conſtitutio nō euacuatione tractatur: ſed ſola alteratione; atq;hoc modo regula à Gal.propoſita erit perpetuæ veritatis.

1 Dub. dicit Galenus cauſas efficientes temperaturas ſanari euacuatione;intemperaturas vero ſola alteratione, quod vtrumque videtur falſum, primò, quia cauſæ,quæ officiunt intemperaturas non ſolum tolluntur euacuatione, verū etiam alteratione; an ne dicimus, bilem efficientem febrem,quatenus calida eſt, eſſe refrigerandam? Secundò non videtur, quod intemperaturæ alteratione ſola curentur; quia etiam euacuatione ſine vlla alteratione aliquando ſanantur.

Reſpondetur,veram & germanam expoſitionem verborum Galeni eſſe, quod curatio per euacuationem ſolum competat cauſis efficientibus intemperiem; & nō quod curatio cauſarum efficiatur per euacuationem, quaſi quod cauſæ non egeant alteratione:dum vero dictum eſt: intemperaturas ſola alteratione curari.

Reſpondemus primò, quod intemperaturæ dupliciter conſiderentur, vel vt fientes,vel vt factæ:quo poſito cēſemus, vt fientes nullo modo tolli, vt docuit Gal.ſuperius,niſi per cauſę abſciſſionem, vt verò ſunt factæ,ſolum alteratione:Dū verò dictum eſt, per euacuationē aliquādo ſanari intemperaturā, dicimus id fieri per accidens, & non per ſe:per accidens, quia illud,quod aufertur ad alterius ablationem,per accidens auferri dicitur, & non per ſe; quando igitur Gal. docuit intemperaturas ſola alteratione tolli, dicimus intellexiſſe de remedio, quod per ſe conueniat alterationi;atq;hoc modo,nos cum Gal. concludimus, intemperaturas nullo remedio tolli per ſe,niſi alteratione.

CAPITIS XC.

Particula I.

Tex. 46. *Continuitatis autem ſolutionis curatio, intentionem quidem habet vnionem, quæ in partibus quidem inſtrumentarÿs impoſſibilis eſt;in ſimilibus verò non ſemper poſſibilis. At quandoque, ſicuti in carnoſis ſanitas conglutinatione perficitur: nil verò differt,neque ſi coalitum appellaueris.*

IN cap. ſuperiori Galenus egit qua arte,ſeu quibus remedijs intemperaturę poſſint curari. In hoc c.verò tractat,qua arte curari debeant ſolutiones continui.

In hoc tex.duo facit; primò aut, ſolutionem continui, vt eſt ſolutio, indicare vnionem, ſecundò admonet hanc vnionem in partibus organicis diuiſis,ſeu ſolutis,veluti quando à toto ſeparatur oculus,vel naſus,vel digitus,eſſe omninò impoſſibilem: addit vnionem in ſimilaribus non ſemper, ſed ſolum aliquādo eſſe poſſibilem: caro enim, & adeps ſi diuidantur, vel ſoluantur, ob earum mollitiem conglutinatione ſecundum primam intentionem vocata perficiuntur. Cæteræ

verò

vero partes ſpermaticæ, quæ duræ ſunt, non vniuntur ſecundum primam intentionem, ideſt per coalitum, ſed per callum, qui fit per ſecundam naturæ intentionem.

Notandum, Gal. in hoc cap. in ſequenti, & alibi docere, duplici modo partes ſolutas vniri poſſe, vel κατα πρῶ τον σκο-πον ideſt ſecundum primam intentionē, quæ non per callum fit, ſed per medium eiuſdē ſpeciei, vel vniuntur κατὰ δεύτερον σκοπόν ideſt ſecundum intētionem ſecundam, quæ fit per callum, qui eſt diuerſæ ſpeciei: callus enim qui fracta oſſa vnit, non eſt os: nec qui vnit cartilaginem, eſt cartilago; ſed quid tertium: non ſic verò eſt in carne, & adipe, quæ vniuntur ſecūdum primam intentionē: quia dum caro ſoluta vnitur, per carnem eiuſdem ſpeciei vnitur, & hæc vnio dicitur fieri ſecūdum primam naturæ intentionem.

1 Dub. Galenus agit hic de ſolutione continui, antequam agat de affectibus partium organicarum; quare videtur, ordinem peruertere; quia cognitio ſolutionis continui præſupponit cognitionem organicarum, ſolutio enim vnitatis eſt communis partibus ſimilaribus, & organicis: accedit, quòd Gal. in hoc lib. agens ſuperius de cauſis conſeruantibus vnitatem; primo egit de cauſis conſeruantibus temperaturas, ſecundo loco de cauſis conſeruantibus organicas partes: tertiò verò de cauſis conſeruantibus vnitatem. Præterea lib. de differentijs morborum agens de morbis, prius agit de intemperaturis; ſecundò de mala compoſitione; tertiò verò de ſolutione vnitatis: ergo & hic debebat ſecundo loco agere de mala compoſitione, & non de ſolutione vnitatis.

Argenterius proponit hanc dubitationem, ſed non, vt eam ſoluat; ſed vt aliquo modo carpat Auctorem, ſicuti ſui moris eſt, tanta enim eſt in hoc homine contradicendi libido, vt in leniſſima quaque re, dum ſe offert illi contradicendi occaſio, velit latrare.

Quidam reſpondet, Galenum exordiri ab illis morbis, in quibus natura alterando, & concoquendo eſt primum efficiēs, & deinde Medicus: taleſque morbi præcipuè ſunt intemperaturæ; deinde ſolutiones continui: poſtremò verò ſunt malæ compoſitiones: quippe ſola ope Medici, & non naturæ curantur; ſicuti in luxatione, & oſſium fractione non natura, ſed Medicus reponit; & in fractione malè tractata à Chirurgo, callū perfringit; quod natura facere non poteſt. Hanc reſponſionem contra Argenteriū ſequitur Oddus, quæ mihi non diſplicet, quāuis alio modo ſimus nos reſponſuri.

Sclanus putat, hac de cauſa, Gal. 2. loco mentionē feciſſe de ſolutione continui; quia ſuperius eligebat indicationes à parte affecta; ad quam cognitionē ſummoperè conferebat, vt quæ dicta ſint, applicarentur morbis in ſolutione vnitatis: ideò Gal. ratione ſolutionis cōtinui dicit eſſe vniendū; ratione verò partium dicit aliquas poſſe vniri, & aliquas non poſſe; quæ quidē reſponſio non eſt improbāda.

Ego autem nō laudo Expoſitores, qui in diluendis his leuiſſimis difficultatibus tempus conterunt; dubitatio. n. eſt leuiſſima, quia non eſt Galeni mens in quolibet ſuo lib. ponere ordinem inter morborum genera, ſed ea offerre lectoribus, quę promptius, & facilius addiſcuntur: præceptum enim eſt Ariſt. 5. metaph. tex. 1. illum ordinem eſſe obſeruandum, vnde quis facilius diſcat. Similiter Gal. in methodo medendi incipit à ſolutione continui; quia eſt affectus facilior, & ſenſibus noſtris euidentior: ſimili modo, cum diuiſerit Gal. in hoc loco morbum in partem factam, fientem, & futuram; quia diuiſio hæc erat intēperiebus accōmodatiſſima, & facillima, ideò in hoc lib. illam prius applicauit intēperiebus: verū, quia ſupradicta diſtinctio eſt magis accōmodata morbis in ſolutione continui, quàm in mala compoſitione: ideò prius egit de ſolutione continui. Quòd verò conſideratio partis fientis, & factæ magis accōmodetur ſolutioni continui, quàm morbis in mala compoſitione, facilè patere poteſt: dantur enim luxati, qui ſunt in facto eſſe, & non in fieri. Similiter lapis in veſſica, lumbrici, pterygium, & alij plures affectus in mala compoſitione ſunt ſolùm in facto eſſe, & nō in fieri: his igitur de cauſis Galenus ſtatim poſt intemperaturas conſideratas ſecundū partem factam, fientem, & futuram egit de ſo-

ſolutione continui; in qua non ſolùm eſt pars morbi facta, ſed fiens, & futura: quod in morbis malæ compoſitionis non eſt ita conſpicuum.

2 Dubit. Galenus docet, intentionem curandi ſolutionem continui eſſe vnionem, quę quidem intentio eſt adeò nota, vt nulla ſit muliercula, quæ illam neſciat; quare Galenus non debebat in arte medicinali breuiſſima, & artificioſiſſima hęc vulgaria proponere.

Reſpondet Galenus huic dubio 3. methodi cap. 1. quòd quamuis indicatio hæc generica omnibus nota non mereatur in arte reponi; tamen quia eſt tamquam carcer, à quo methodus ſumit initium, atque eſt tanquam ὁρμητήριον, ideſt incitamentum pro hauriendis artificioſis, & ſpecificis indicationibus, non erat eius conſideratio omninò omittenda. Præterea indicationes quoq; genericæ, quamuis ſint notiſſimæ, quia conueniunt omnibus ſubalternis, & ſpecificis differentijs, ideò erant ante oculos ſtudioſis obijciendæ hoc fine, vt hoc præſciant, quod niſi aliquid impediat, & prohibeat, illis ſtatim ſatisfaciendum ſit; accedit, quod tantò magis hæc intentio communis vniendi, quod diuiſum eſt, confert, quantò ſæpiſſimè occurrit, quod Chirurgi huius præcepti obliuiſcantur; Ego autem ſæpiſſimè obſeruaui hoc erratum in Chirurgis, qui curantes vulnera ſimplicia conſeruant vulnus apertum, & non vniunt; quemadmodum Galen. docet in omni ſimplici vulnere eſſe faciendum, niſi aliquid prohibeat.

QVÆST. CXVII.

Diſputatio contra Falloptum, Trincauellium, & Argenterium: De ſolutione continui.

PRima Dub. Galenus lib. de differentijs morborum capit. 11. & in hoc lib. & alibi ſupponit, ſolutionem continui eſſe morbum communem ſimilaribus, & organicis partibus; Contra Galen. ex vna parte eſt Auerroes, qui 3. colliget 14. putat, ſolutionem cõtinui conuenire ſolùm ſimilaribus partibus; ſolutionem verò contigui organicis; Quam opinionem ſuperius reiecimus; & paulò infra aliquid dicemus. Ex altera parte eſt Falloppius, & Argenterius qui cenſet ſolutionem continui nullo modo conuenire ſimilaribus: ſed ſolum diſſimilaribus ſiue organicis; paulò infra reijciemus Argenterij rationes; præſtat tamen, vt contra Falloppium diſputemus, qui lib. ſuo de vulneribus cap. 1. his efficaciſſimis vtitur rationibus.

Prima ratio Faloppij, qua probat cõtra Galenum, ſolutionem continui non conuenire ſimilaribus partibus, hæc eſt; Ea ratione, qua aliquid competit vni per ſe primò, non poteſt competere alteri; ergo, ſi ſolutio continui competit per ſe primò ſimilaribus, non conueniet organicis.

Reijcitur hæc prima ratio Falloppij: quia eſt certiſſimum in logica, quòd per ſe primò competit vni, alijs nunquam per ſe primò competere; dùm verò addit, ſolutionem continui per ſe primo conuenire organicis, vel ſimilaribus. Reſpondemus, ſolutionem continui non conuenire per ſe primo ſimilaribus, neque organicis ſeorſum conſider. tis; cu dubiū, quod habere tres angulos non conueniat per ſe primo iſoſcheli, vel ſcal no, ſed triangulo, vt triangulus eſt: ſic dicimus ſolutionem continui non conuenire per ſe primo ſimilaribus, vel organicis, ſed communi generi, quod eſt continuum, quod de ſimilaribus, & organicis ſine diſſimilaribus prædicatur.

Secunda ratio Falloppij, qua probat, ſolutionem cõtinui non conuenire ſimilaribus per ſe, hæc eſt: Nulla pars ſimilaris, vt ſimilaris in ſolutione continui amittit propriam actionem, niſi alter morbus oriatur, per quem amittatur actio: probat ſic: quia ſecta carne, caro nutritur, concoquit, attrahit &c. ergo continui ſolutio non eſt affectus ſimilarium.

Hæc ſecunda ratio eſt nulla; quia licèt nõ amittantur functiones, diminuuntur tamen: ſed melius, dicimus, quod propria actio, quę læditur in ſolutione continui non debeat eſſe niſi vna; quia vnius ſubiecti vnica eſt proprietas, & viceuerſa: qui verò hæc fundamenta non intelligunt, neque intelligēt medicinam: ideo dicimus, ſubiectum cõmune, quod cõuenit partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus

eſſe proportionatam continuitatẽ viuentis, hocque ſubiectum ex neceſſitate habere aliquam actionem, quæ primo, & per ſe illi competit;& talem eſſe innominatam:quæ actiones innominatæ in Philoſophia,& Medicina, cum ſint innumerabiles,reddunt ſcientiam difficillimam: ſic Philoſophus 2. de anima probat dari genus innominatum,quod prędicatur de luce,& de colore;& 1.poſt. c. 5. docet eſſe errorem cõmunem, qui fit circa vniuerſale,dum genus eſt innominatum: immò 2.poſt. valdè laborat philoſophus in docẽdo quomodo ritè problemata proponantur, dum ſubiecta ſunt innominata: ſed hęc paucis non poſſunt logicæ imperitis communicari: par eſt enim, vt accedant ad arcana analytica, ſi in ſcientijs, quæ occulta ſunt,velint penetrare.

Quare valde miror non ſolum diſputationem Fallopij, ſed ipſius Trincauellij, quid vt defenderent cum Gal. ſolutionem continui eſſe affectum communem ſimilaribus,& organicis, inciderint in paralogiſmos.

Primum autem Trincauellij argumentum probans ſolutionem continui conuenire ſimilaribus,hoc eſt: in vulnere regignitur caro,& fit pus,ergo ſolutio continui eſt affectus ſimilarium; quia caro eſt ſimilaris.

Reſpondet Falopius Tincauellio,quod illa affectio,per quam primo, & per ſe in carne ſoluta fit pus, ſit intemperies carnis,& non ſolutio continui.

Hæc ſanè mihi videtur cæcorum pugna: errat enim Trincauellius, quia nec carnis, nec puris generatio pertinet primo,& per ſe ad ſolutionem continui; errat quoque Falopius, quia non ſeparabat ſolutam continuitatem genericam, quæ prædicatur de continuitate ſimilarium, & organicarum partium à ſpecifica; neque putabat, hanc genericam habere actionem ſuam genericam, quæ eſt ſibi proprijſſima, quæque eſt innominata. Ariſt. non ſolum vult ſpeciem quamcunque habere ſuum proprium; ſed genus generaliſſimum, & tranſcendens. Hinc primo de Cælo tex.5.aſſerit, corpora naturalia ſumpta vt naturaliam vnicam habere proprietatem, quæ eſt localiter moueri 5. metaphyſices in principio proponit proprietates entis vt ens eſt:& in Topicis doctius definiens proprium, quam Porphyrius, qui putabat proprietates ſolum ſpeciebus conuenire, ait, proprium eſse, quod conuerſim dicitur de eo cuius eſt proprium: ſic nos dicimus, continuitatem ſolutam quatenus prædicatur de ſimilaribus, & diſſimilaribus habere ſuam actionem conuertibilem, quæ eſt innominata.

Secundum argumentum Trincauellij relatum à Falloppio, quod oſtendit dari ſolutionem continui, quæ conueniat ſolum ſimilaribus partibus,eſt tale: pungatur neruus,tunc ſtatim fit dolor, & ſolutio continui, quæ non conuenit parti organicæ, ſed ſolum ſimilari, ideſt neruo, qui ſolus dolore afficitur: ergo.

Reſpondet Falloppius, dolorem, qui accidit in punctura,duplicem eſse, alium dum acus eſt in neruo;alium qui ſuccedit ſolutioni continui nerui. Qua poſita diſtinctione, reſpondet,primum dolorem, dum.ſ. acus eſt in neruo, non conuenire neruo,vt eſt pars ſimiliaris,quia quo maior eſſet ſolutio cõtinui in neruo, eo maior eſſet dolor; quod tamen experientię aduerſatur: quia remediũ pręſentaneum pro auferendo magno dolore puncturę netui,eſt per tranſuerſum neruum ex toto ſecare:qua facta ſectione,ſtatim ceſſat conuulſiuus dolor. Similiter neque ſecundus dolor conuenit neruo, vt pars ſimilaris; ſed vt diſſimilaris, & organica; dolor enim vt ſentiatur, requirit organum,quod non ſolum recipiat; ſed etiam dignoſcat:ecce quomodo in percipiendo dolore non vnum, ſed plura requirantur organa.

Falloppius ſanè optimè diluit argumentum; ſed neque ipſe intelligit, quomodo dolor pertineat ad ſolutionem cõtinui. Primò enim dicimus, ſolutionem continui eſse ſymptoma;& non morbum Præterea ſuppoſito, dolorem eſse ſolutã vnitatem,& in facto eſse,quod eſt falsũ, dicimus, in dolore eſse varios morbos, & non vnum;primò dum pungitur,eſt ſoluta vnitas;dum dolet,eſt ſymptoma: dum alteratur neruus,eſt intemperies dum intumeſcit,eſt magnitudo aucta,&c. Quare dicimus, ſolutam vnitatem eſſe communẽ ſimiliaribus,& diſſimilaribus, quatenus

nus ſoluit illam proportionatam cõtinuitatem, quæ primò, & per ſe pendet a ſimilaribus, & diſſimilaribus ſimul ſumptis, & non ſeorſum conſideratis.

2 Dub. dicit Gal. in carnoſis partibus fieri conglutinationem ſecundum primam intentionem, id eſt, per mediũ eiuſdem naturæ, quòd non videtur; quia caua vulnera, quæ ſunt in carne, non poſſunt agglutinari per primam intentionem, & ratio eſt; quia cum deficiat caro, labia non poſſunt adduci, vnde fit callus heterogeneus, qui pertinet ad ſecundam intentionem, & non ad primam.

Reſpondetur Gal. in tex. docere vulnera carnoſa agglutinari ſecundum primã intentione, ſi ſimplicia ſint: at ſic eſt quod caua vulnera non ſunt ſimplicia, ſed compoſita, quæ vniuntur per cicatricem, ideſt per callum, ſeu medium heterogeneum, qui fit κατὰ δεύτερον σκοπὸν, ideſt, per ſecundam intentionem.

3 Dub. Gal. dicit in tex. eſſe impoſſibile, quod partes inſtrumentales, & organicæ diuiſæ poſſint agglutinari; attamen 2. de ſemine, & lib. 13. methodi medendi, dicit, venas, & arterias puerorum ſectas poſſe agglutinari; quod verò venæ, & arteriæ ſint partes inſtrumentales, Gal. id affirmat lib. de differentijs morborum cap. 4. ergo ſibi contradicit.

Reſpõdetur, partes inſtrumentales eſſe duum generum, alias cõcurrere ad compoſitionem aliarũ partium organicarum vt ſunt venæ, & nerui: alias eſſe organicas per ſe, & non concurrere ad compoſitionem aliarum; ſed ſolum ad totius: vt pes, oculus, manus, &c. qua poſita diſtinctione dicimus, Gal. dum inquit eſſe impoſſibile, vt partes inſtrumẽtales, ſiue organicæ agglutinentur, intellexiſſe de inſtrumentalib. concurrentibus ad compoſitionem totius, & non de alijs: vel reſpondetur in hoc tex. Gal. loqui de ijs, quæ agglutinantur per primam intentionem, ideſt per medium eiuſdem naturę, & ſpeciei, quæ agglutinatio in carne fieri ſolet, & admodum rarò in ſpermaticis, quia ſolum fit in pueris, vel in ſpermaticis partibus exilibus; hancque agglutinationem, de qua in tex. loquitur, vocare cap. 99. huius libri κόλλησιν, ideſt agglutinationem factam per idem medium; ſi eſt in carne fieri per carnem, in oſſe puerorum per os, ſi in venis per venas.

4 Dub. non videtur, quod ſolutio continui ſemper ſit communis partibus ſimilaribus, & diſſimilaribus; quia aliquando videtur conuenire ſolum diſſimilaribus, ſiue organicis: veluti dum os ab oſſe ſeparatur; vel pars aliqua carnoſa à ſua membrana: tunc partes ſimilares nullam continui ſolutionem habent: ſed ſolum continui ſolutio eſt reſpectu organicarum partium.

Reſpondetur ex Galeno lib. de differentijs morborum; hanc ſolutionem continui, quæ pertinet ad organicas partes, dum. ſ. vnus tendo in muſculis ſeparatur ab alio illæſis partibus ſimilaribus, dici ἀπόσπασμα, ideſt auulſionem, quæ re vera non eſt ſolutio continui; eſt enim morbus, vel in figura, vel in ſitu: neque medicus vel natura intẽtionem habet, vt auulſa eo modo vniantur, & deducantur ad σύμφυσιν, ideſt ad coalitum, quo vniuntur vulnera carnis ſimplicia, quæ ita vniuntur, vt deducantur ad peſectiſſimam ἕνωσιν, ideſt vnionem: docet enim Galenus in tex. medium in auferenda ſolutione continui pro ſcopo, & intentione habere veram ἕνωσιν, quæ conuenit partibus inſtrumentalibus, ſed ſolum ſimilaribus mollioribus, vt eſt caro, adeps, & in pueris aliquando venæ, & arteriolæ; quare dum vnus tendo ſeparatur ab alio, non curatur per σύμφυσιν, neque per ἕνωσιν: σύμφυσις enim ſignificat reditum ad eandem naturam: ἕνωσις verò reditum in vnum factum non per callum, ſed per medium eiuſdem ſpeciei, ità vt σύμφυσις ſignificet motum: ἕνωσις verò terminum ad quem ipſius motus, quæ non conueniunt auulſioni partium organicarum.

Nec propterea Auerroes, dũ 3. colliget c. 14. aſſerit contra Galenum ſolum ſimilaribus, & continui conuenire ſolutionem non organicis, & ſolutionem contigui organicis ipſi aduerſatur: immò oſtendit ſe non legiſſe Galenum, qui lib. de differentijs morborum c. 11. ſe declarat, quid intelligat per cõtinuum, dicens, lato modo cõtinuum ſumere, prout ſcilicet prædicatur de continuo, & contiguo; immò ipſe Ariſt. aliquando, vt in primo meteororum, ſumit continuum pro contiguo, ha-

habetque ibi hæc verba : *Oportet mun. dum hunc inferiorem eſſe ſuperioribus lationibus continuum*; Nemo eſt qui neget, Ariſt. ſumere continuum pro contiguo : quare non erat Galenus ab Auerroe reprehendendus.

5 Dubit. dicit Galenus in tex. vnionem ſolutionis cõtinui partium organicarum eſſe impoſſibilem:attamen 6. methodi, & in ſequenti cap. dicit, in pueris oſſa aliquando regenerari ob eorum humiditatem, & mollitiem. Similiter 1. de ſemine cap. 13. & 5. methodi cap. 7. dicit, venas in pueris regenerari ; Hæc videtur contradictio manifeſta,quia venæ,& oſſa ſunt partes organicæ, & non ſimilares : quomodo igitur dixit in text. vnionem ſolutionis partium organicarum eſſe impoſſibilem?

Reſpondetur huic argumento duplici modo: primo Galenum in tex. dum dicit vnionem partium inſtrumentalium eſſe impoſſibilem, intelligere per partes inſtrumentales membra compoſita, vt eſt oculus, manus, digitus, & ſimilia, quæ dum ſunt ſeparata à corpore , non amplius regenerantur:non autem intelligere particulas componentes,vt ſunt venæ, arteriæ, oſſa, quæ in catalogo ſimilarium enumerari poſſunt , quia particulæ oſſium, & venarum retinent idem nomen, & eandem definitionem, quod eſt proprium partium ſimilarium.

Secundò reſpondetur Gal. dum negat in text.partes inſtrumentales vniri poſſe, intelligere de partibus inſtrumẽtalibus in adultis,& nõ in pueris: demum poſſumus etiam dicere nõ vniri partes inſtrumẽtales ſecundum primam intentionem.i. per medium eiuſdem naturę:ſicuti vnitur caro per carnem; ſed vniri per ſecũdam intentionem,ideſt per callum,ideſt per medium alterius generis, ita vt ſi vniantur oſſa,vniantur per callum,qui non eſt os: ſic venæ, & arteriæ ſimiliter per callum, qui non eſt vena, vel arteria : hoc enim vinculum vocatur heterogeneum.

6 Dub.Galen.5.meth.c.7. & 1. de ſemine 12. dicit, neruos, & venas regenerari in pueris ob humiditatem, & mollitiem partium : in ſenibus verò omninò negat neruos regenerari poſſe ; quod quidem aduerſatur experiẽtiæ, quia in cauis vlceribus ſenum,quæ ſanãtur, locus impletus non caret ſenſu: ergo nerui ſunt de nouo regenerati;vbi enim eſt ſenſus,ibi eſt neruus. Argenterius videns hanc difficultatem ſumpſit occaſionem mordendi Galenum qui docuit in ſenibus non regenerari neruos:ſed quantum aberrauerit,ex ſolutione dubij animaduertes.

Reſpondetur, non valere conſequentiam;vbi eſt ſenſus,ibi eſſe neruum : dentes : enim in omni parte ſentiunt: tamen neruus dentium non eſt diſperſus per totum dentem,ſufficit enim vt ſub dente, ideſt in radice ſit neruus, quia ſenſus fit per irradiationem prodeuntem à neruo, & peruenientem ad locum,vbi eſt ſenſus: quia ſi valeret, vbi eſt ſenſus, ibi eſt neruus, ſequeretur quod totum corpus ferè eſſet vnus neruus;ſic dicimus de callo,vel poro ſarcoide, neruum non ſe extendere ad callum:ſed ſolũ ſpiritus irradiationem.

7 Dub. videtur quod partes inſtrumentales poſſint vniri; quia abſciſſæ autes, & naſi, Chirurgica virtute aliquando vniũtur, ergo falſum, quod dictum eſt à Galeno in text. quod partes inſtrumentales non poſſint vniri.

Acachias reſpondet, Galenum intelligere de organicis omninò abſciſſis,& ſeparatis à corpore,tunc enim vt rectè ſentit Tagaultius abſciſſis venis, & arterijs ſpiritus quamcitiſſimè exhalant, vnde facultates naturales amittuntur; quod non euenit in plantis abſciſſis;quia earum calor non ita exhalat ; ſed tenaciſſimè adhæret plantarum glutini, quo fit, vt abſciſſæ iterum regenerentur: ſi verò in plantis eſſent ductus,& canales, per quos calor plantarum in humore fluxili contineretur, ſicuti in arterijs euenit, ſine dubio abſciſſa planta non amplius regeneraretur.

Ego autem puto, Acachiam non aſſequi mentem Galeni,quia omnibus eſt notum,non amplius vniri partes organicas, ſi omninò ſint ſeparatæ; quia hoc verificari poteſt etiam de ſimilaribus omninò ſeparatis, quod ſcilicet non regenerentur,quare dicimus,intentionem Gal.eſſe, organica, quatenus ſunt organica, non vniri per primam intentionem, ſed per ſecundam, ideſt per callum. Præterea, ſi partes quoque ſimilares ex toto quoque

ſunt

ſunt abſciſſæ, non amplius regenerantur, quod Hippocr. 6. aph. 19. docet: ibi enim protulit hanc ſententiam; *Cum diſciſſum fuerit os, aut cartilago vel neruus, aut genæ particula tenuis, vel præputium, neque augetur neque coaleſcit.* Gal. in comm. interpretatur particulam, *neque augetur*, idest neque generatur aliqua ſubſtantia, qualis eſt abſciſſa; ſicuti in cauis vlceribus caro germinare videtur, neque coaleſcit, ſed callo vniuntur: quem callum, dicit Galenus, ſi abraſeris, conſpicies fracturæ profundum glutinatum.

8 Dub. videtur, quod pars organica omninò diuiſa, & ſeparata poſſit regenerari; quia naſus totus abſciſſus regeneratur: & hoc modo Chirurgi illum ab integro efficiunt: excitatur prius vulnus in radice naſi, & in cubito, & ſtatim ligatur illa pars cubiti cum nare vulnerato, & ſic vnita ſpatio 40. dierum conſeruatur: quo tempore fit naſi, & cubiti conglutinatio: deinde ligatura ſoluitur, & caro, quæ vnit brachium cum nare eo modo inciditur, vt priuſquam cubitum ſeparetur à naſo, relinquatur noua naſi forma adnexa, quę deinde cicatrizantibus exſiccatur. Hanc operationem annis elapſis executus eſt ſumma gloria Tagliacotius Bononienſis; & de hac re librum in lucem edidit.

Reſpondetur, hanc naſi compoſitionē, non eſſe regenerationem partis organicæ, ſed eſſe factam regenerationem carnis, quæ eſt pars ſimilaris, & non organica; quia illa caro, quæ agglutinatur naſo non efficit naſum organicum, ſed ſimilarem, & valde aſſimilatur illis carunculis, quæ vocantur mariſſæ.

9 Dub. dicit Galenus in carnoſis partibus carnem regenerari, quod nō videtur perpetuò verum; quia aliquando muſculi patiuntur vlcera concaua, & quamuis os non ſit læſum, tamen cauitas poſt agglutinationem remanet: ergo caro ſoluta nō regeneratur: dum excauantur oſſa, & fit callus, omnes ſciunt reſpondere ſupra callum oſſis non regenerari carnem; quia callus eſt res inanimata, & ſupra inanimatum caro animata fieri non poteſt. Hinc Hippoc. 6. ſect. aph. 45. dicit; *Quecunque vlcera annua ſunt, in his os abſcedere eſt neceſſe, & cicatrices cauas fieri.* Sed magna difficultas eſt, quan- ...re- ra ſunt caua, & os eſt illæſum: & tamen cauitas poſt agglutinationē relinquitur; cur igitur natura non regenerat carnem illam deperditam, ſi in carnoſis partibus ſecundum primam intentionem, & per medium eiuſdem ſpeciei, & nequaquam per cicatricem, ſeu per callum vnitur?

Ego cogitaui, quod foueæ in carnoſis vlceribus relinquantur non ratione carnis, ſed ratione cicatricū membranæ carnoſæ arteriarum, & venarum partis carnoſæ; quare cum in hoc negotio ſit tamquam principium notiſſimum, quod callus, ſeu cicatrix ſit res mortua, & quod ſupra rem mortuam non poſſit caro regigni; cauſa cauitatis, ſeu foueæ relictę erit, quia non eſt regenerata caro ob ſubiectas cicatrices membranæ carnoſæ.

10 Dubit. ſtatim ex dictis exurgit quomodo callus, ſeu cicatrix ſit res mortua: an ne nutritur, alitur, & creſcit?

Reſponderi ſolet, cicatrices non verè augere, ſed iuxta poſitione coagmentari, ſicuti vngues, & pili: ſi uerò accidat, ut in callo ſit ſenſus, eo modo eſt, quo in unguibus, in quibus ratione radicum ſenſus eſt.

CAPITIS XC.

Particula II.

Tex. 47. *Ipſam verò antecedit, quando vulnus maius extiterit, partium applicatio diſtantium, quæ ex formationis genere exiſtit, Vt autem hac ipſa firma, ac ſtabilis fiat, & alligatio cogens in vnum, quæ diſtant, & fibulæ, & ſuturæ vtiles ſunt.*

IN tex. ſuperiori dixit Gal. intentionem in ſolutione continui eſſe unionem, & in carnoſis ſimilaribus eſſe poſſibilem ſecundum primam intentionem, quæ fit per medium homogæneum, ſeu eiuſdem ſpeciei: in reliquis verò partibus ſpermaticis docuit, unionem non eſſe poſſibilem ſecundum primam intentionem; ſed ſecundam, quæ fit per cicatricem, ſeu per medium heterogeneum, ſeu diuerſæ ſpeciei.

In hoc tex. (quia ſolutio continui, uel eſt ſimplex, uel miſta cum alijs affectibus impedientibus unionem) incipit agere de remedijs curantibus ſimplicem continui ſolutionem, & præcipuè il-

...m,

lam, quæ in carne fit.

In tex.verò ſequenti proponit quatuor intentiones pertinentes ad medicum, & non ad naturam.

Prima eſt, vt partes diſtantes ſimul alligentur.

Secunda vt ligatę,& in unum commiſſæ firmæ,& ſtabiles conſeruentur.

Tertia ut curet medicus,ne aliquid cadat inter labia uulneris.

Quarta ut tota pars uulnerata,uel continui ſolutione correpta conſeruetur ſalubris.

In hoc tex. incipit de uulnere ſimplici carnis, quod ſtatim indicat unionem; quia eſt morbus ſimplex, & ſimplicem habet indicationem, quæ fit per agglutinationem.

Senſus huius tex.talis eſt:antequam fiat uulneris agglutinatio,oportet, ut antecedat partium diſtantium recta adductio, & applicatio,dum ſcilicet uulnus eſt magnum; quia de hoc loquimur, dum indigemus pro adductione labiorum manibus medicis: quia in paruo uulnere natura eſt illa,quæ unit,& agglutinat:dicitque Gal. labiorum diſtantium applicationem pertinere ad uitium in conformatione: quia ob continui ſolutionē uitiata eſt forma, & figura partis uulneratæ: quare ut tollatur conformatio, ſeu mala figura, & tandē ut uulnus ſanetur, Gal. duo recitat requiſita; primum ut labia adducantur in unum,& rectè cōmittantur: Secundum, ut adductio firma, & ſtabilis diu conſeruetur. Demū docet,quod tribus remedijs labia uulnerum uniantur;primum eſt ligatura;ſecundum ſutura; tertium fibula.

Quo ad ligaturas ex Hipp. & Gal. in ijs quæ fiunt in med. & ex Auicenna 4. quarti tractatu 1.cap.3. habetur,ligaturas eſſe trium generum: alia ligatura dicitur retentiua,qua gratia retinēdi medicamēta in uulneribus capitis utūtur Chirurgi: alia dicitur glutinatoria, quæ per faſcias unit labia,& unita conſeruat: de qua intelligit in hoc loco Gal. hacque utimur, quādo uulnera non ſunt admodum profunda: alia eſt ligatura, quæ uocatur expulſiua; quæ habet uim comprimendi, illaque utimur,ubi ſunt ſinus,gratia expellendi excrementa retenta.

Quo ad ſuturam:ſimiliter,& ipſa adducit labia uulnerum;& adducta conſeruat; hæcque ex Guidone,& Tagaultio eſt triū generum: prima eſt ſutura glutinatoria, quæ adducit labia, & conſeruat, eaque utimur in uulneribus:Secunda eſt ſanguinis ſuppreſſoria, eſtque dum Chirurgi conſuunt eo modo,quo faciunt,qui pelles conſuunt: ſed hac non utimur; quia uno laxato puncto,cætera laxantur.Tertia eſt ſutura retentiua,qua utimur,dum in uulneribus caro deficit, ut labia eo meliori modo, quo fieri poſſit, poſt aliquod temporis interuallum adducantur.

Præterea glutinatoria ſutura ſecūdum opinionē Guidonis ſub ſe habet quinque ſpecies: ſed de his ad hunc locum minus pertinentibus nihil dicemus, quia pertinet ad Chirurgos de his diſtinctius uerba facere,uidelicet,quæ ſutura ſit melior, de numero, & de loco punctorū, de filo, quamdiu permittēda ſit ſutura, & de alijs ſimilibus;ideo lubens hæc omittimus.

Quo ad fibulas,quæ ſimiliter labia uulnerum adducunt, & conſeruant; Auctores inter ſe diſſident:Oribaſius lib.de machina:c.4.dicit,fibulas fieri ex ære,ferro, auro, & habere formam circuli: Guido fibulas uocat hamos; ſed hami iſti pungentes non admittuntur eſſe fibulæ, quia excitarent fluxiones,inflammationes, & affectus ſæuiores uulneribus.

Montanus putat; quod fibula ſit illud gluten, quod tenet labia unita; quod ab omnibus medicis damnatur; quia fibulæ non fiebant ex glutine.

Falloppius uerò putat, fibulam eſſe illud genus ſuturę,quo communiter noſtri Chirurgi utuntur in magnis uulneribus: fitque,ut Celſus nos docet lib.5.ca.26. ex acia molli non nimis torta, per quod genus ſuturæ labia aliquantulum attrahuntur,& non uniuntur, ut communis ſutura efficere ſolet: differentia .n. inter fibulam, & ſuturam eſt, quia fibula in lateribus uulneris fit ex acia cum ſemicirculo, quæ uulgo aſola dicitur, quippe in ſimplici ſutura non fit. Hinc ualde errat Argenterius,putans nos ignorare;quid eſſet Antiquorum fibula.

Præter ligaturas, ſuturas, & fibulas adeſt gluten, quod eſt tutum, & ſine dolore,& à Modernis inuētū, & uario modo fit: accipiūtur uidelicet lintea glutino obli-

oblinita, & applicantur cuti, gratia adducendi labia; ſed non ligantur; niſi prius cuti valde adhæreant, quod fit ſpatio ſex horarum.

Glutem fit ex albumine oui, bolo arme. thure, ſarcocola, ſanguine draconis, maſtiche, farina volatili, fuligine fabrorum, gypſo, tragacanto, & reſina pingni, & cōficitur ad craſſitiem mellis; quod gluten eſt tenaciſſimum. Fit quoque tenaciſſimum quod ab omnibus commendatur ex gypſo cum oui albumine; quia ità adhæreſcit corpori, vt non malè Rhaſis dicat, non niſi lima auferri poſſe.

Gluten commune optimum quoque eſt; accipiunt albumen oui, & cum puluere tenuiſſimo calcis conquaſſatur; ſed illicò applicatur, aliter ammittit vim agglutinandi: puluiſque calcis redditur tenuiſſimus, antequam cum albumine permiſceatur, alioquin exureret.

Chirurgi vtuntur glutino præcipuè in vulneribus faciei, & non futuris, vel fibulis, ne punctorum veſtigia deturpent. Similiter, dum in longis vulneribus factæ ſunt futuræ, vtũtur etiã glutino: ratio eſt, quia antequã vulnera agglutinẽtur ſolẽt rumpi punctæ, & glutinatio impeditur.

Præterea magis eſt laudandus glutinis vſus, quam ſuturarum; quia dum fiunt ſuturæ, dolores excitantur: immò dum factæ ſunt, filum mordet cutim, & maior ſuboritur ſanies, vnde glutinatio tardior fit: quare gluten magis confert, quam ſutura.

Sed quammaximè cōferet, ſi loco glutinis pro adducendis labijs eſſent manus periti Chirurgi, quibus detinerentur partes vnitæ, donec aliqua conglutinatio fieret: quem modum vniendi laudat in hoc loco Argenterius, & multi alij, quorum opinionem nos valde approbamus.

Ligatura ex Galeno lib. 3. meth. c. vlt. eſt imbecillior, quam ſutura, & ſutura eſt debilior fibulis, vt dicit Celſus lib. 5. cap. 3.

Modus verò vniendi vulnera hic eſt: ſi vulnus eſt minimum, & ſimplex, tunc natura illud ſanat; ſed oportet ad hoc vt citiſſimè ſanetur, cum petia ligare, vt conſeruetur vnitum: quia ſpatio vnius diei erit ſanatum.

Errant Chirurgi, dum dicunt, parua vulnera non indigere ligatura, quoniam experientia quoque comprobatur, paruula vulnera ſine ligatura tardius ſanari; quamuis Galenus dicat in magno vulnere per ligaturam eſſe partes diſtantes vniendas, non negat tamen, ligaturam non poſſe iuuare vulnera quoque paruula. Hinc Galen. ſi vulnus ſit paruum, ſed non ità minimum, ſecundo ad Glauc. c. 8. vel imponit aliquod glutinans, aut telam aranei, eo fine, quo vniatur, & vnitum conſeruetur, & citiſſimè ſanetur: vnitumque non poteſt conſeruari ſine aliqua ligatura.

Si verò vulnus ſit longum, tunc præter ligaturam indigemus quoque ſutura. Si verò ſit magnum, tranſuerſum, & profundum, & labia multum à ſe diſtent; tunc non ſolum requiritur ligatura; ſed etiam ſutura cum fibulis.

Sed notandum, ſi vulnus ſit profundũ, relinquitur foramen in parte decliuiori, vt ſanies expurgetur. Si verò non ſit profundum, tunc totum eſt ſuendum; quia tunc non eſt opus carnis regeneratione; ſed ſola agglutinatione; quare Chirurgi, qui relinquunt foramen in vulneribus non profundis, in quibus nulla regeneratione carnis egemus, peſſimè agunt; quia cicatricem turpem relinquunt, cauſa eſt quia vulnus cum foramine in parte decliuiori redditur tamquam cloaca, & ſentina excrementorum.

1 Dub. Gal. pro agglutinandis vulneribus proponit ligaturas, ſuturas, & fibulas; omittit tamen glutinum, quod eſt adeò vtile in agglutinandis vulneribus, vt hactenus non ſit alter modus vtilior inuentus.

Reſpondetur ex Gal. 3. meth. c. 4. quod glutinum valde conueniat in partibus duris, & ſiccis; talis pars non eſt caro, de cuius vulnere loquitur Gal. in præſentia.

2 Dubit. Gal. hic agit de vulnere vt eſt morbus ſimplex ſine vlla affectuum complicatione; attamen videtur, quod agat de affectu complicato, dum dicit, in hoc vulnere habente labia diſtantia eſſe etiam morbum in mala conformatione; ergo vulnus, de quo agit, erit affectus mixtus, & complicatus, & non ſimplex; ergo methodus

thodus quoque medicandi erat ab illo proponenda mixta,& non ſimplex.

Reſpondetur conformationem ex accidenti conuenire vulneri; quia tollitur ad ablationem vulneris; & propterea nihil indicare: morbi enim qui nihil indicant non dicuntur complicati, nec methodum mixtam faciunt, ſed ſimplicem; illa enim eſt methodus ſimplex, quæ vnicam indicationem continet, quemadmodum vulnus magnum in quo ſolum caro ſine alijs vaſis maioribus inciſa ſit.

CAPITIS XC.

Particula III.

Tex. 48. *Coaleſcere autem facit ea, quæ inuicem diſtant, ac priſtinam reſtituit vnitatem ipſa natura. Noſtrum verò opus eſt, vt diximus, applicare extrema diſtantium partium, atque ità vt in vnum coacta ſunt, conſeruare: & tertio loco cauere ne quid labris vlceris intercidat: & quarto ipſam partis ſubſtantiam conſeruare ſalubrem.*

IN hoc tex. declarat, quid faciat natura pro ſanatione ſimplicis vulneris: & quid debeat efficere medicus. Quantum attinet ad opus ſeu officium naturæ, dicit Galenus quod reducere labia vulnerata ad vnionem, ſeu σύμφυσιν pertineat ad ipſam naturam.

Modus verò, quo natura vtitur in ſanando ſimplici vulnere talis: ſanguine nutriuntur labia vulneris, ſed ante nutritionem ſanguineus ros ſpargitur; deinde ros fit viſcoſior, & fit ſecunda humiditas, quę dicitur cambium; & demum fit tertia, quæ dicitur gluten, cuius virtute dum labia ſe tangunt conglutinantur, & fit vnio, quæ dicitur (ſi vulnus ſimplex ſit in carne, vel adipe) κατὰ πρῶτον σκοπόν, id eſt ſecundum primam intentionem, quæ fit per medium homogeneum, & non per cicatricem: cicatrix enim eſt medium heterogenem, quæ ſolum in ſpermaticis fieri ſolet.

Quantum attinet ad officia medici dicit Galenus quatuor eſſe.

Primum applicare, & cogere in vnum partes diſtantes.

Secundum coactas in vnum conſeruare.

Tertium cauere, ne quid labijs vulnerum intercidat: ſi enim, & pilus intercideret, nunquam ſanaretur, niſi Medicus, vel natura illum ſecerneret: Immò 3. method. cap. 4. ſi rectè recolo, dicit, labia eſſe ità adducenda, vt nihil aeris in vulnus penetret; quia & aer ipſe prohibet, ne fiat agglutinatio.

Quartum conſeruare partem ſalubrem in ſuo temperamento; quia ratione ſalubris temperamenti efficitur bona nutritio, & bona agglutinatio.

Notandum facultatem naturalem, vt dicit Gal. 1. de locis affectis c. vl. eſſe conatam omnibus corporis partibus, eo modo, quo vis attrahendi ferrum eſt conata magneti; Hinc valdè errat Pluſquamcōmentator, qui putat, facultatem naturalem nō eſſe conatam corporis particulis, ſed à iecinore communicari, quod eſt falſiſſimū; quia à iecore non facultas, ſed alimentum communicatur, quo innata facultas naturalis omnium partium quotidie reſarcitur: Veriſſimum tamen eſt, vt ex Gal. & Hipp. in 1. lib. fusè probauimus, facultatem vitalem, & animalem non eſſe omnibus partibus conatam; ſed influere vitalem à corde, & animalē à cerebro, quam opinionē ſequitur quoque Pluſquamcommentator, & omnes boni medici, & Philoſophi.

1 Dub. dicit Gal. in text. eſſe cauendum ne quid labijs vulnerum intercidat; quia impediretur agglutinatio; quod eſt contra experientiam, quia noſtrates Chirurgi intra labia vulnerum immittunt pulueres ſummo cum beneficio.

Reſpondent nonnulli non eſſe immittendos pulueres in vulnus, niſi prius ſupra labia vulneris ſuperponatur linteum, & deinde ſupra linteum pulueres.

Quorum animaduerſio eſt irridenda, quia omnis actio fieri debet per contactum: ſi pulueres non tangent labia, nihil efficient. Ego puto pulueres in ſuperficie vulnerum, & non in profundo, eſſe inſpergendos, vt nos admonet Auerroes 3. colliget: vel ſi opus ſit, vt in profundo inſpergantur, immittantur in locum, vbi poſſint commodè pulueres linteis à Chirurgo auferri.

CA-

CAPITIS XC.

Particula IV.

Tex. 49. *Sed quo pacto, & primum, & ſecundum impleamus officium, dictum eſt. Tertium verò in cogendo in vnum partes diſtantes exequemur, ſi nihil extrinſecus incidere permittamus, quoniam ſæpius vſu euenit, vt pilus, aut oleum, aut aliqua alia humiditas interueniens, earum, quæ copulandæ ſunt, partium vnitatem impediat. In eo autem quod ſequitur tempore per ſubfluxiones tertia inſectio retinetur. Ipſam verò ſubfluxionem ex eiuſdẽ, & contrarij loci diuiſione, & figura opportuna comparandũ. Partis autem ſubſtantiam ſalubrem cum mediocriter exſiccantib. conſeruabimus.*

IN text. ſuperiori docuit, quomodo exequi debeamus primum, & ſecundum præceptum, quæ pertinent ad Medicum: primum præceptum erat, vt labia vulneris adducantur: Secundum, vt adducta conſeruentur.

In hoc tex. duo facit, primò agit de tertio præcepto, quod eſt, vt prohibeatur, ne quid labijs vulneris intercidat.

In ſecunda parte agit de quarto præcepto, quod eſt, vt ſubſtantia partis vulneratæ conſeruetur ſalubris: docetque vnico verbo, partem ſalubrem conſeruari exſiccantibus.

Quantum attinet ad tertium præceptũ quod eſt, vt prohibeatur, ne aliquid intercidat labijs vulnerum, duo docet Gal. primo quid ſit faciendum, vt prohibeamus, ne aliquid intercidat in principio, quando adducimus in vnum partes diſtantes: Secundum quid poſt adductionem ſit faciendum.

In principio dicit, non eſſe permittendum, vt aliquid extrinſecus in uulnus cadat, ſicuti pilus, oleum, & præcipuè aliqua humiditas; quia Gal. 3 method. c. 4. dicit, ichorem maximè impedire agglutinationẽ; ideò, vt ichor ſanguineus, qui impedit vnionem, auferatur, Chirurgi ante adductionẽ labiorum vulneris linamẽtis ſiccis auulſis ex pãno lineo ità exſiccãt, vt nihil alterius generis in vulnere relinquatur.

Ratio verò, cur quæ intercidant prohibeant vnionem, eſt; quia vnio, & agglutinatio fit mediante glutine carnoſa; ſi igitur vna pars, ità eſt diuiſa ab alia, vt inuicem non ſe tangant; quomodo fiet agglutinatio? nunquam ſanè, niſi prius vtraque pars ſimul iuncta ſit.

Hinc eſt, quod non ſolùm pilus, oleum, ſpina, arena, & ſimilia poſſunt impedire agglutinationem; verum etiam, vt dicit Gal. 3. metho. 4. & Pluſquamcommentator in hoc loco, aer ipſe, ſi inter vnam, & alteram partem ſit incluſus; ecce igitur quam accurati debeant eſſe Chirurgi in principio vulnerũ in adducendis in vnũ eorum labijs: aer nãque ipſe poteſt & penetrare inter labia, & impedire vnionẽ.

In reliquo verò tempore, poſtquam ſ. adducta ſint in vnum labia, dicit Galen. prohibendum eſſe, ne à partibus internis fluant humores ad labia adducta; quia ſi fluerent, uel in pus conuerterẽtur, vel in aliam putrilaginem longè maiorem.

Accedit quod pars quàm primum vulneretur, illicò, vt docet Gal. 3. meth. 3. fit imbecillis; quare tunc medici munus eſt impedire defluxum humorum, ne pars læſa reddatur omnium corporis excrementorum ſentina; prohibebit medicus, ne humores fluant ad partem vulneratam, reuellentibus. Similiter curabit, vt materia fluxa inter labia, egrediatur per aliquod decliue foramen: vteturque ligaturis expreſſorijs, de quibus ſuperius egimus; ligaturæ enim exprimunt continuò influxam materiam, & quando ſine dolore adminiſtrantur mirificum exhibent beneficium.

Quod verò pars vulnerata ob imbecillitatem attrahat excremẽta aliarum partium nos docet Gal. lib. 3. de naturalibus facultatibus cap. 13. ubi habet hæc uerba; *Sicuti inter ſe particulæ altera ab altera nutrimentum trahit, ita altera in alteram quod ſuperuacuum eſt à ſe deponit; & ſicuti trahentium ea vincit quæ erat valentior, ſic & à ſe deponentium*; Subdit; *Vbi aliqua particula affectus cuiuſpiam occaſione imbecillior eſt reddita; ex omnibus in illam, quæ ſuperuacua ſunt, confluere eſt neceſſe, namque quæcunque pars valentiſſima eſt in vicinas omnes reponit, & rurſus earũ ſingulæ in alias, quæ ipſis ſunt imbecilliores, & rurſus in alias donec omnium imbecillimã inueniant*; Eccè quomodo ex

Gale-

Galeno in partem vulneratam, vt imbecillimam concurrant totius corporis excrementa.

QVÆST. CXVIII.

De hyporryſi, ſiue de ſubfluxione.

IN *eo autem, quod ſequitur tempore*. In hoc loco Gal. declarat quando eſt facienda, ὑπόῤῥυσις, ideſt ſubfluxio: dicitque fieri dum in vulnere ſanies non liberè egreditur:nihil .n. magis agglutinationem impedit,quã pus retentum: vt igitur pus genitũ, & in poſterũ generandum liberè expurgetur, dicit procedendum eſſe per diuiſionem eiuſdem,& contrarij loci, & aptam figuram, ideſt ſi orificium vulneris non eſſet in parte decliui, vel eius orificium eſſet anguſtum;tunc ait illud in contraria parte eſſe faciendum, in parte ſcilicet magis decliui, vel ſi eſſet anguſtum foramen,eſſe dilatandum hac lege, vt Chirurgi ſecundum longitudinem fibrarum incidant: hæc enim inciſio eſt ſecundum figuram opportunam.

Ego verò de ſectione faciẽda in quamplurimis muſculis longis ſecundum opportunam figuram egi lib.2. meth. vitandorum quem librum ſi perlegeris, plurima non ſpernenda in ſecandis apoſtematibus percipies.

1 Dubit. Gal. dicit,primum præceptum pro agglutinatione vulneris contineri in adducendis labijs:ſecũdum,adducta conſeruare: tertium, ne quid intercidat labijs vulnerum. Hic Galeni ordo videtur reprehenſione dignus; quia tertium præceptum debet eſſe primum,& non tertium; quia non oportet prius labia adducere, & adducta conſeruare, & deinde prohibere ne aliquid intercidat labijs; ſed par eſt, vt primum præceptum in curandis vulneribus ſit auferre, quod inter labia vulneris continetur: ſecundum vt partes diuiſæ vniantur,quod Galenus non videtur obſeruaſſe.

Argenterius proponit hanc dubitationem contra Gal. eamque non ſoluit, ſed Galenum reprehendit: cæterum meritò ad omnibus Expoſitoribus Recentioribus reprehenditur, quia Gal. in tex. quamuis dicat eſſe tertium officium, ſeu præceptũ medicum, vt prohibeatur ne aliquid extrinſecus in vulnus cadat; non propterea intelligit eſſe ſolum poſt primum, & ſecundum,& ante quartum exequendum; ſed dum alia quoq; exequimur, quia hæc ſunt verba Gal. tertium verò in cogendo in vnum partes diſtantes exequemur: ecce quod exequi debeamus hoc officiũ,ſeu præceptũ tertium in cogendo,ideſt dũ ad vnũ partes diſtantes adducũtur,quo tempore exequimur etiam primũ præceptum: ecce quod non intelligit primum, ſecundum, vel tertium ſecundum prioritatem temporis,vt putabat Argenterius: poſuit tamen tertio loco, hoc artificio, quia & ante, & poſt omnia præcepta Chirurgus quotidie mane ſcilicet & veſperi debet prohibere, ne aliquid extrinſecus intercidat labijs vulnerum.

Præterea Gal. nõ collocauit tertiũ præceptum primo loco; quia agit de vulnere ſimplici,in cuius principio neq; fragmẽta oſſiũ,neq;pilæ plũbeæ,vel ferreę per ſclopetos immiſſæ, poſſunt eſſe;quia hæc efficerent vulnus compoſitũ,& non ſimplex.

Hinc Argenterius agens de his permiſcet vulnus ſimplex cum cõpoſito, de quo Gal. hic non loquitur; immò hæc eſt cauſa,cur Gal.ſolum mentionẽ faciat de pilo, oleo, ſiue alia humiditate, quæ in vulnus incidere poſſunt, & non de fragmentis, oſſium, vel de pilis plumbeis,quæ dum in vulnus proiectæ ſunt, non ſtatim adducuntur labia diſtantia ad vnum, vt nos docet Gal. in hoc loco, quia ſunt vulnera admodum compoſita.

2 Dub. dicit Gal. in tex. partem vulneratam exſiccantibus eſſe conſeruandam; quod non videtur conuenire vlceri, quia exſiccantia,uel ſunt ſarcotica, uel cicatrizantia; ſed neutra iſtorum habet uim agglutinandi;non ſarcotica, quia hæc habẽt duo officia: primum,ichorẽ,qui eſt excrementum tertiæ coctionis, exſiccandi: ſecundum officium ſorditiem,que ſimiliter eſt excrementum craſſum eiuſdem coctionis,detergendi; ea uerò, quæ habent uim agglutinandi uulnus ſimplex, non debent detergere,ſed ſolum aſtringere,& exſiccare.Similiter cicatrizantia non debent agglutinare ſimplex uulnus; quia de ratione cicatrizandum eſt abſumere non ſolum humiditatem influentem, & icho-

rem,qui eſt excrementum tertiæ coctionis, ſed propriam humiditatem.

Reſpondemus, exſiccantia, quibus in vulnere vtimur eſſe trium generum, alia eſſe ſarcotica,& hæc habere vim exſiccādi moderatiſſimam;ſupra iſta eſſe agglutinantia, quæ vniunt labia vulneris; & hæc habere vim exſiccandi,& aſtringēdi.

Differētia inter ſarcotica,& agglutinā tia labia ſimplicis vulneris eſt, quia agglutinantia paulò magis exſiccant: ratio eſt,quia nō ſolum debent exſiccare ichorem,qui eſt excrementum tertiæ coctionis, ſed debent aliquātulum adſtringere, ne concurrant humores, qui deinde poſſint impedire agglutinationem.

Præterea ſarcotica habent virtutem detergendi ſorditiem,quæ eſt excrementum craſſum tertię coctionis, qua virtute, agglutinantia prædita non ſunt.

Tertium genus exſiccantium ſunt cicatrizantia, quæ magis exſiccant, quam agglutinantia; quia ſua virtute exſiccatiua conuertunt carnem in rem duram, ideſt in cicatricem, quæ non eſt eiuſdem generis cum agglutinantibus. Ideò Galenus in tex. docet, conſeruandam eſſe partem vulneratam ſalubrem cum mediocriter exſiccantibus; dicit mediocriter, quia agglutinantia mediāt inter ſarcotica, & cicatrizantia; ſarcotica enim ex Galen.in methodo ſunt ſicca in primo gradu;agglutinantia verò ſunt frigida,& ſicca in ſecundo; cuiuſmodi ſunt,vt dicit Hippo. lib. de vlceribus, ſpongiæ.

Præterea eſt ceratum barbarum,quod deſcribitur à Gal.2. de compoſitione medicamentorum per genera cap. vlt. cicatrizantia ſunt ſicca in tertio:hanc doctrinam ferè totam deſumpſimus à Gal. 3. methodi cap. 4.

3 Dubit. Gal. dicens in tex. exſiccantia cōſeruare partem vulneratam ſalubrem, videtur errare; quia dum exſiccantia adhibentur, vt auferant humiditatem ſuperfluam vulneris,curant,& non conſeruant: contraria enim contrarijs curantur; hanc dubitationem propoſuit Pluſquamcommentator.

Reſpondeo id curari, quod lædit aliquam actionem; ſed ſic eſt, quod illa humiditas in vulnere ſimplici non lædit actionem;ergo non eſt curanda,ſed conſeruanda; oſtendimus ex Gal. ſuperius naturam in conſeruando ſemper corrigere,& emendare,auferēdo ſcilicet contrarium,ſed dum actio non eſt læſa, dicitur conſeruatio, & non curatio.

4 Dubit.Gal.3. methodi 3.& vlt.& alibi inter exſiccantia ponit thus, quod tamen in nauta, ſeu robuſto homine, & in parte ſicciori ex Galen. pus mouet; quomodo pus mouebit,ſi exſiccat? Similiter in vlceribus ſœdis, & penis vtitur pro exſiccante conſeruante partem læſam carta combuſta,cadmia, pini cortice, quæ ſunt ualde exſiccantia; quomodo, ſi ſunt ualdè ſiccantia, defendi poterit Gal.dum dicit in hoc tex.eſſe procedendum moderatis exſiccantibus?

Reſponſio eſt Galeni,quia exſiccantia dicuntur moderata, & immoderata pro ut magis,& minus recedunt à parte conſeruanda;cadmia,& carta combuſta ſunt exſiccantia immoderata reſpectu carnis mollis puerorum, & mulierum, quia multum recedunt à temperamento molliori; reſpectu uerò habitus hominis robuſtiſſimi,uel partis duræ dicentur exſiccantia moderata.

5 Dubit. non uidetur, quod ſufficiant illa quatuor præcepta ad Chirurgum pertinentia pro explenda communiſſima intentione, quæ conſiſtit in adducendis in unum labijs, in illis conſeruandis in prohibēdo,ne quid intercidat, & in conſeruando partem ſalubrem: Guido enim præter illa quatuor addit, quod opus ſit, ut medicus curet, ne dolor ſuperueniat uulneri,uel ſanguinis fluxio, uel aliquod aliud ſymptoma;ergo non ſufficient quatuor propoſita à Galeno.

Falloppius reſpondet hæc propoſita à Guidone reduci ad illa quatuor propoſita; at errat toto cælo; quia dolor ſuperueniens, & fluxio ſanguinis nullo modo pertinent ad communiſſimam intentionem ſanandi uulnus, quam Gal. in hoc loco propoſuit: Fluxio enim copioſiſſima ſanguinis, & magnus dolor ſemper à uulnere compoſito, & non ſimplici proueniunt.

6 Dubitat. Gal. loquens in text. de hyporrhyſi, uel ſubfluxione dicit, ſemper eſſe faciendam, dum pus in uulnere retinetur, & liberè non egreditur; quod

non

non uidetur uniuerſaliter uerum, quia hyporrhyſis in faciei uulneribus ſimplicibus, de quibus hic agitur, nullo modo eſt admittenda; quia efficit tandem turpiſſimam cicatricem: immò nullus inuenietur optimus Chirurgus, qui in ſimplici uulnere faciei hyporrhyſim efficiat, vel tortundas, linamenta in vulnus imponat, & meritò; quia iſta deinde efficiunt, vt dictum eſt, turpiſſimam cicatricem; ergo falſum eſt quòd in omni vulnere ſimplici ſit facienda hyporrhyſis in parte magis decliui, vt in tex. Gal. docet.

Reſpondemus Gal. laudare hyporrhyſim in vulneribus, quando aliquid puris, vel alterius humoris non egreditur; non tamē docet, in omni vulnere eam eſſe faciendam: ratio eſt, quia omnia Gal. præcepta in curandis morbis debent eſſe ſubiecta huic examini, an præter vulnus curandum ſit aliquod ex tribus indicantibus, quibus medicus prius vacare debeat, quam vulneri; quorum primum eſt vrgens: ſecundum eſt cauſa: tertium eſt impedimentum.

Hæc doctrina eſt Gal. 3. meth. 9. & 7. meth. c. 12. vbi dicit, omnia indicantia ante morbum curandum ad hæc tria eſſe reducenda, ad vrgēs, ſcilicet cauſam principalem, & impedimenta; exemplum huius obſeruationis eſt intenſiſſima febris cum virium proſtratione, in qua occaſione vinum ratione uirium urgentium cōcedimus, & febrem ſpernimus.

Similiter in uulnere ſimplici faciei, quod periculo uacat loco urgētis eſt turpis cicatrix; ideò ne hæc turpitudo in facie relinquatur, omittimus tortundas, linamenta, puncturas, & hyporrhyſim, uel ſubſluxionem, quæ in alijs partibus ſimplici uulnere affectis adminiſtrantur.

Notandum hyporrhyſim eſſe faciendam in parte decliui nō ſolum occaſione puris, ſed etiam alterius humoris partem aliquam inflammantis exurentiſque; ſicuti his diebus in muliere præclariſſima, cui, non eſſent inguina uſque ad genua inflammata, corpore priùs repurgato, Zacharias à Puteo in omni doctrinarum genere præſtantiſſimus, cuius ſupremæ laudes in hoc paucorum uerborum contextu exprimi non poſſunt, conſuluit duo cauteria ſupra genua inurenda; quibus inuſtis cœpit hyporrhyſis non ſine euidentiſſima ſceleſtiſſimi, & antiquiſſimi affectus imminutione.

7 Dub. Gal. in tex. docet, quod ante adductionem labiorum uulneris extrahenda ſint, quæ intercidunt labijs uulnerum: Similiter Galenus 3. methodi cap. 4. docet ante agglutinationem eſſe remouenda, quæ ſunt in uulnere, & impediunt ſanationem; attamen hoc præceptum aduerſatur experientiæ, quia ſæpè agglutinantur uulnera, quamuis relictæ ſint glandes plumbeæ, uel oſſium ſquammæ, uel ſagittæ.

Albuchaſis lib. 2. c. 94. citat quatuor, qui ſupra uixerunt, quibus nō fuerunt extractæ ſagittę; & tamen uulnera fuerunt agglutinata: immò citat caſum cuiuſdam, cui poſt ſeptem annos exiuit ſagitta longè à uulnere.

Fallopius refert ſe è thorace cuiuſdam hominis eduxiſſe laminam ferream ſatis inſignem, quæ per nouem annos in cauſtate manſit; ſed quid multa? nemo Chirurgorum eſt, cui aliquando non contingat obſeruaſſe, uulneratos ſanatos, telo, uel plumbeis glandibus intus relictis.

Accedit, quod aliquando ſagitta alicui parti infigitur, quæ tamen ab illa parte non ſit extrahenda, immò ſit conſeruanda, quia dum extrahitur, ſtatim ſuccedit mors: ueluti dum eſt infixa cordi, hepati, pulmoni, ſepto trāſuerſo, uel arteriæ magnæ, tunc enim ſi extrahatur illicò homo moritur; ſed cum omninò debeat mori, ſunt ſaggittæ, uel arma relinquenda; quia diutius uiuit, & dum moritur culpam in Chirurgum non referunt: immò ſi ſagittæ, uel arma infixa ſint uenis, uel arteriæ maioribus ſi extrahantur; illicò moriuntur; ſi uerò relinquantur, ſuperuiuere poſſunt; quia natura interim id poteſt efficere, quod Chirurgus efficere non poteſt, quando uerò ſagittæ ſubitò extrahendę ſint paulò infrà docebimus.

Reſpondetur, Galen. dum docet ante agglutinationem eſſe amouendos pilos, uel oleum, aut alia id genus, loqui de uulnere ſimplici, & non compoſito. Præterea medicus debet ſibi ante oculos ſemper obijcere hæc duo Hippocratis præcepta alijs digniora; primum quod ſem-

per attendere debeat ei, quod magis vrget: ſecundum vt videat, ne ſaltem noceat.

Quando verò tela, vel glandes plumbeæ ſint extrahendæ, ſcias, id eſſe faciendum tribus occaſionibus; primò quando dolor eſt intenſiſſimus; ſecundò quando arma relicta in vulnere ſunt venenata; tertiò quando telum acutum eſt infixum in principio muſculi, & imminet periculum, ne deſcendat in cauitates muſculorum: quando enim telum eſſet latũ, tunc nullum immineret periculum, quod ſcilicet in cauitate muſculorum deſcenderet.

Arma verò extrahuntur dilatando vulnera: ſi verò ſint venenata confugimus etiam ad ferrum candens.

8 Dubit. Quartum præceptum pro ſanandis ſimplicibus vulneribus dictum eſt cum Gal. eſſe cum mediocriter exſiccantibus conſeruando partem ſalubrem.

Similiter 3. meth. cap 9. docet temperaturam loci habere rationem futurorũ; quia illa eſt opifex omnium bonorum: ſanat enim & inhibet tẽpeſtatem futuram.

Itidem Hipp. lib. de vlceribus dicit, ſiccum ſano vicinius eſſe; humidum verò non ſano. Contra Galen. & Hippoc. eſt Celſus lib. 5. cap. 149. qui curat vulnera ſuperimpoſita ſpongia ex aqua frigida expreſſa. Præterea omnes boni Chirurgi illiniunt partem vulneratam oleo: quomodo igitur ſolum mediocriter exſiccantia iuuabunt?

Reſpondemus primò ad Celſum, laudandam eſſe aquam frigidam in vulneribus paruulis; & non in magnis. Cæterum liberè optimi Chirurgi reprehendunt frigidæ vſum, quia plurimi vſu frigidæ in gangrænam incidunt.

Quo ad oleum, dicimus, olea quæ nõn habẽt vim exſiccandi, vel per ſe, vel per accidens nullo modo conuenire: oleum enim roſatum quatenus refrigerat partem, & aufert dolorem, ex accidenti exſiccat: ratio eſt, quia ablato dolore, & calore partis non amplius excrementa confluunt in partem læſam: ſimiliter dicimus, oleum Hiſpanum per ſe exſiccare, quia eius compoſitionem ingrediuntur exſiccantia.

9 Dub. Gal. 3. præſag. 29. docet, humores confluxos in partem debilem nunquam per excretionẽ inſenſibilem iudicari, ſed ſolum per conuerſionem in pus: quare cum pars vulnerata ſit debilis, & humoribus referta, ei non conueniunt remedia ſicca; ſed humida, & ſuppurantia; quare vulneratis humida, & non ſicca debent applicari. Hinc Gal. 4. methodi c. 5. dicit, dum cupimus pus in vlcere, non eſſe exſiccandum.

Reſpondetur, eſſe veriſſimum, quòd vlceribus, & partibus debilibus cõueniãt exſiccantia, vt docet Gal. in tex. & Hipp. lib. de vlceribus, quia ſano vicinus eſt ſiccum, id eſt illa conueniunt exſiccantia, quę reddunt partem vulneratam ſiccam, & eam liberant ab excrementis: at ſic eſt, quod ſuppurantia liberant partem ab excrementis, quatenus conuertunt in pus, & euacuantur, ergo; quare dum Galen. laudat exſiccantia, laudat omnia exſiccãtia, quæ vel per ſe, vel per accidens exſiccant, vt efficiunt ſuppurantia, quæ ſunt humida, ſed per accidens exſiccant: intentio enim Gal. eſt partem vulneratam liberare excrementis, quia illis euacuatis natura agglutinat, & eſt ſanitas opifex; virtus enim agglutinandi vulnus non in remedijs, ſed in parte circũſtante reſidet.

Hinc D. Thomas, qui medicam artem non tractat 2 de anima ſupra tex. 58. ſententiam præclaram magno philoſopho dignam his verbis protulit, *Sanitas ſi alicui reddi debeat oportet, vt ei ſit aliqua pars ſana*. Similiter nos cum Gal. dicimus, quòd niſi pars, quæ circundat vulnus fuerit ſana, nunquam ſanabitur vulnus; ſana verò præcipuè redditur, dum ea confluxis humoribus liberatur, qui præcipuè ſuppurantibus, & non digerentibus tolli poſſunt.

Hinc Gal. 11. meth. c. 12. videns ſuppurantia pro curãdis vlceribus ſæpiſſimè conuenire, habet hæc verba; *Si vlcus cauum iunctum ſit cũ inflammatione partis circũſtantis, niſi inflammationem, ſeu tumorẽ, vel materiam imbibitam prius curaueris, vlcus efficies ſordidius, & inde magis cauum.* Quid igitur erit faciendũ pro auferenda materia imbibita? certè, niſi humidã, ſuppurantiaque adiungamus parti vulneratæ, vel vlceratæ eſt omninò impoſſibile, vt vlcus ſanet: pars enim circumſtans ſana habet vim generandi

car-

carnem, agglutinandi, & cicatrizandi.

10 Dub. Gal. 1. de compoſitione per genera cap. 18. ait, vlcera vel cacoethica, quæ ſunt, quando pars vlcerata eſt adeò intemperata, vt influentem humorem (licet ſit ſuccus benignus) corrumpat; vel eſſe dyſepulota, quę ſunt, quãdo humores, qui confluunt peccant copia, vel qualitate, nulla exiſtente in parte affecta virtute corrumpendi fluentes humores; nos dicimus moderata exſiccantia, neq; cacoethicis: neque dyſepuloticis vlceribus conuenire, non cacoethicis; quia huic generi vlcerum conuenit ignis actualis, uel potentialis, qui non conſeruat partem ſalubrem; ſed eam deſtruit; non dyſepuloticis, quia ſi humor influxus quãtitate peccat, eſt ſuppurantibus, quæ humida ſunt, tollẽdus, ſi qualitate, ſuo contrario quod nõ eſt ſolum ſiccum: poteſt enim eſſe frigidum, & humidum, & calidum; ergo in vlceribus non eſt incedendum exſiccantibus.

Reſpõdetur, quod omne vlcus, vel cacoethicum, vel dyſepuloticum eſt cõpoſitum, & non ſimplex: Galenus verò hìc loquitur de ſimplici, & non de compoſito: curatio verò in compoſito vlcere non exorditur ab vlcere; ſed, vt docet Gal. 11. meth. 12. & alibi, à cauſa, & deinde ab impedimentis: nunquam enim ſanabitur vlcus, niſi eius cauſæ prius auferantur: & deinde impedimenta.

Hinc Gal. 3. de fracturis 43. in vlcere cũ inflammatione non vtitur exſiccantibus, ſed ijs, quæ leniunt, ne inflammatio incrementum ſuſcipiat: ea verò quæ leniũt non ſiccant, ſed humectant, & vlcus ſordidius efficiunt.

Similiter Gal. 4. meth. c. 5. dicit, dum cupimus pus in vlcere non eſſe exſiccandum; quomodo igitur in vlceribus, vel vulnerib. erit exſiccantibus procedendũ?

Ideò dicimus Gal. voluiſſe, vt exſiccentur partes circũſtantes vulnerum, vel vlcerum; quia partis circũſtantis ſalubritas eſt illa, quæ ſanat: at ſic eſt, quod tũc pars circunſtans eſt ſalubris, quando eſt ſicca, ideſt priuata humoribus pręter naturam: quare omnia remedia, quæ auferent humores influxos impediẽtes ſalubritatem partis circunſtantis dicentur exſiccantia, ſint ſuppurantia, vel ſint digerentia; quia ſuppurantia, ſi per ſe non exſiccãt, per accidens exſiccabunt: effectus enim dũmodo benè ſuccedant, tum à medico, tum ab ægrotante ęquè laudãtur, nec inde diſputant an per ſe, vel per accidẽs id euenerit.

Quod verò ſuppurantia iuuent partem ſalubrem, patet experientia, & auctoritate; experientia: quia per puris euacuationem maximè iuuantur ægri, & meritò, quia tollitur humorum crudorum ſarcina: auctoritate, docet enim Gal. 5. aphor. 22. his verbis; *Pus in vlcere eſſe maxime ſecuritatis ſignum ſuperata enim inflammatione breui ſpatio epuloticis ad ſanitatem reducitur*; Ego autem lib. 15. meth. noſtræ c. 7. oſtendi quot modis errẽt, qui in ſanandis vlceribus putant exſiccantibus ſemper eſſe procedendum.

CAPITIS XC.

Particula V.

Tex. 50. *Hæc quidem eſt ſoluta continuitatis cuẽ ratio, cũ ipſa ſola ſeorſum in carnoſa parte conſtiterit. Quod ſi alicui alteri morbo coniungatur, plures ſunt indicationum intentiones quas in compoſitorum, vel complicatorum, ſiue, vt cuiq; appellare libuerit, doctrina deinceps trademus: In præſenti autem ſermone ad reliquas vnitatis ſolutiones accedendum.*

IN huius capitis epilogo Gal. ait, ſe egiſſe de curatione ſimplicis vulneris, quæ ſolum per primam intentionem in carne fit, & non de vulnere complicato cum oſſis fractura, vel cauitate, vel apoſtemate, vel ſorditie, dolore, vel cum humorum affluxu, vel cum alio vrgente ſymptomate: de quorum affectuum complicatione docuit in meth. lib. 3. c. 9. & 7. meth. c. 12. vbi omnia indicantia ante vlcus curandum Gal. ad tria reduxit, ad vrgens videlicet, cauſam principalẽ, & cauſam ſine qua non, ideſt impedimentum, quod in idem recidit: docuitque prius eſſe attendendum vrgenti, non ſpretis alijs: deinde amoto vrgente docet ſecundo loco eſſe attendendũ cauſæ principali, qua amota, eſſe auferenda impedimenta, quæ tamen etiã antea poſſunt auferri; quibus omnibus ablatis tẽpus ſanandi vlcera ſe offert: quam doctri-

nam clariſſimis exemplis lib.15.met. noſtræ ex Gal. deſumptis illuſtrauimus.

CAPITIS XCI.

Particula I.

Tex. 51. *Fractio igitur eſt continuitatis in eſſe ſolutio: quæ quantum ad intentionem primam inſanabilis exiſtit: quo ad ſecundam verò quodammodo ſanabilis fit. Prima igitur intentio eſt coalitus partium, qui ob oſſis duritiem fieri nõ poteſt. Secunda alligatio, quæ fit callo ſupernato partes fractas alligante. Calli autem generatio, quæ quidem ex materia, & à natura fit, eſt & ad alia communis: Quæ verò formam oſſis vicinam habet, ex eiuſdem fit alimento: Molle verò, & puerile os coaleſcere poteſt.*

IN capit. ſuperiori tradidit modum curandi ſolutionem continui in carne.

In hoc docet modum curandi fracturam, ideſt ſolutionem continui in oſſe: quod enim dicitur vlcus in carne: in oſſe ex Galeno 3. methodi, cap.1. dicitur caragma, ideſt fractura.

In hoc tex. duo facit, primo ait fracturas oſſium per callum ſanari: ſecundò docet, quomodo generetur callus.

Senſus huius text. eſt iſte: Fractura nihil aliud eſt, quam ſolutio continui in oſſibus, quæ nullo modo ob eorum duritiem κατα πρῶ τον σκοπὸν, ideſt ſecundum primam intentionem, quæ fit per medium eiuſdem generis poteſt vniri, ſicuti vnitur ſoluta caro per medium eiuſdem naturæ, ideſt per carnem ipſam: oſſa verò fracta ſanantur, & vniuntur κατὰ δεύτερον σκοπὸν, ideſt per ſecũdam intentionem, quæ fit per callum, qui dicitur mediũ diuerſi generis, quia callus in oſſa non eſt os, ſicuti quod vnit carnem ſolutam, eſt ipſamet caro; ideò Galen. in tex. vocat agglutinationem oſſis δεσμὸ, ideſt alligationem factam per callum, qui nullo modo eſſe poteſt os: Hinc Gal. hanc oſſis fracti ſanationem meritò dicit eſſe quodammodo ſanabilem; quia vnio non eſt ſecundum profundiores partes; ſed ſolum ſecundum externas: itá, vt ſit callus admodum imperfectus.

In 2. parte tex. docet; quod callus vniẽs oſſa quatenus à natura fit, vt efficiente, & fit à materia alimentali, communicat cũ alijs corporis partibus, quę ſimiliter à natura, & ab alimento fiunt; quatenus verò callus fit à virtute nutritiua oſſis; & ab alimento oſſis; ſic non communicat cum alijs partibus, ſed habet naturam diſtinctam; addit quod callus itá fit à virtute, vt itá dicam, oſſifica, & ab oſſis alimento, vt ſi in adultis eſſent mollia, ſicuti in pueris coaleſcerent ſecundum primam intentionem, ideſt callus in oſſe eſſet os, & hoc modo in ipſis fieret agglutinatio ſecundum primam intentionem.

In hoc loco errat Argenterius dicens, non eſſe credendum, oſſa in infantibus fracta coaleſcere ſecundum primam intentionem; & reprehendit Galenum ſed experientia conuincitur; quia in infantibus conglutinantur oſſa ſine callo; quia ſunt mollia; immo in infantibus ſunt 80. oſſa quæ adhuc ſunt cartilagines, & non oſſa, ſcilicet duo oſſa bregmatis, quæ adhuc ſunt cartilagines, quatuor oſſa coccygis, 48. ſeſamoida, 8. tarſorum, & 16. carporum, & duæ patellæ, quæ adhuc oſſa non ſunt.

1 Dub. Gal. in tex. dum dicit, oſſa fracta quo ad ſecundam intentionem quodammodo ſanabilia eſſe, videtur errare, quia, quæ agglutinantur per callum, verè agglutinantur, ergo non debebat dicere quodammodo per callum agglutinari, omne enim quod agglutinatur, id fit vel per primam intentionem, ideſt per coalitum, ſeu ſyphyſim, vel per alligationem factam per callum, ſicuti oſſa fracta ligãtur, ergo non quodammodo per callum ſanantur.

Reſpondetur ex Gal. 6. aphoriſ. 19. vbi docet eſſe verè per callum non agglutinari; ibi enim habet hæc verba; *Inquiunt nõnulli perſpicuè videri oſſa fracta agglutinari: ſed aberrant, vt doceri poſſunt in Brutis, quorũ pars aliqua fracta contraxit callum: hæc enim ſeu viua, ſeu mortua, ſi quis velit inſpicere diſeccãdo, videbit manifeſtè à callo veluti vinculo quodam circumducto partes oſſium diſciſſas eſſe conſtrictas, quas ſi abraſerint fracturæ profũdum videbunt non agglutinatum*: Ecce quod oſſa in ſuperficie callo agglutinantur, ſed non in profundo; & hac de cauſa

ſa dicuntur oſſa fracta quodammodo per ſecundam intentionem ſanabilia.

2 Dub. videtur Gal. dum agit de oſſis fractura, diminutus: quia agit ſolum de officijs naturæ, veluti dum dicit per callum oſſa fracta quodammodo ſanari, quod opus ad naturam pertinet: de officijs verò pertinentibus ad medicum, quæ ſanè ſunt admodum neceſſaria, ne verbum quidem fecit.

Reſpõdemus Gal. in hoc loco omiſiſſe officia pertinentia ad medicum, quia in capite ſuperiori diſtinctè agens de ſolutione continui in carne, propoſuit quatuor præcepta pertinentia ad medicum, quæ mirificè inſeruiunt in curatione fracturæ: primum præceptum erat, partes vulneratas in vnum adducere; ſecundum, adductas conſeruare; tertium prohibere, ne cadat in vulnus aliquid; quartum, partem vulneratam ſalubrem conſeruare; quæ omnia æquè curationi fracturarum applicantur.

Præterea Gal. 6. methodi cap. 5. de iis, quæ pertinent ad medicum in curandis fracturis expreſsè egit; ueluti, quod oſſa fracta ſint adducenda, adducta conſeruanda, impedimentaque remouenda, & temperies partis ſeruanda, & alia accidentia prohibenda.

Primum præceptum pertinens ad medicum pro adductione ſeu coaptatione oſſium fractorum in ſuum locum, ſic obſeruatur; oportet prius extendere membra fracta, quia in fractura redduntur omnia breuiora; ratio eſt, quia maſculi ſemper trahunt ad ſuum principium; quandò uerò non adducuntur per debitam extenſionem in ſuum locum in illo opere eminentiæ oſſis franguntur, & fractæ impediunt coaptationem; immò illæ eminentiæ ſolent pungere tendines uel neruos, unde conuulſiones, & mortes ſuccedunt.

Hinc Hipp. loquens de fracturis, admonet, quod partes oſſis fracti adduci debeant der antiſtaſim, ideſt per tractionem partium fractarum ad partes oppoſitas; ne in reductione eminentiæ, ſeu extantiæ unius cum extantijs alterius ſe tãgant, & collidantur; ſecus ſequerentur puncturæ, inflammationes, & conuulſiones.

Medicus igitur, ſi uocetur prima die, poteſt ualidius extendere; ſed ſi ſecunda, nullo modo propter humores confluxos debet, uel poteſt ualidam efficere extenſionem, ut nos docet Celſus lib. 8. cap. 10. quia fieret inflammatio.

Cognoſces membrum fractum eſſe rectè coaptatum his tribus ſignis; primum; membrum fractum reſpondebit in figura ſano, ſecundum, nullam habebit cauitatem; aſperitatem eminentiam; uel inæqualitatem; tertium dolor erit mitigatus.

Quo ad ſecundum præceptum; quod eſt, adducta oſſa conſeruare; dicimus per quietem, & per ligaturas; & ferulas, uel per laminas ligneas prohiberi, ne humores fluant; & fluxi exprimantur hac lege tamẽ ſeruata, vt faſcia ſuper partem fractam magis ſtringatur, quia hoc modo ab humoribus fluentibus defendetur. Demum præcipuè eſt obſeruandum, quod omnia adminiſtrentur cum bona laborantis tolerantia.

Quo ad tertium præceptum, quod eſt, vt prohibeamus, ne in partem fractam oſſis ſcilicet fracti cadat aliquid, oritur hæc intentio, vt præuideamus, ne extantiæ, vel oſſis eminentię intercidant in fracturam; quia nunquam oſſa fracta agglutinarentur, nec poſſet fieri callus: Quo caſu oporteret aperire carnem ſummo cum vitæ diſcrimine, & amouere oſſis fragmentum, quod impedit agglutinationem.

Quo ad quartum præceptum, quod eſt conſeruare oſſis ſubſtantiam ſalubrem, dicimus, eligenda eſſe adſtringentia defenſiua, ne excrementa confluant fracturam: inter defenſiua ab Hippoc. & Celſo vinum nigrum auſterum commẽdatur: adduntur tamen alia valentiora, prout corporis habitus eſt firmior, & durior. Præterea ſunt eligenda anodyna, quæ prohibent fluxionem, dolorem auferendo.

Quinto loco generandus eſt callus, quod eſt faciendum, poſtquam timor inflammationis receſſerit; quia vt plurimum calli circa diẽ ſeptimum fieri incipiunt. Cum igitur callus fiat ab alimento oſſis, quod excludat à labijs fracturæ; ideò cibos pro calli generatione eligimus,

mus,quales ſunt oryza,farrum,pedes vituli,& ſimilia eſculenta craſſa, & viſcida.

Notandum tamen, quod ante ſeptimum diem æger vti debeat cibo tenui; immo ſanguis euacuatur, corpuſq; purgatur,ne inflammatio ſuccedat: prohibitaque inflammatione tunc incipimus propoſito victu craſſo vti. Sed qui vult diſtinctè dignoſcere ſymptomata,quę ſuperueniunt fracturis legat Hippoc.lib.de fracturis,& Gal.6.meth. & alios Chirurgos, qui integros ediderunt libros de faſcijs, de ſplenijs, vel ferulis, vbi plura alia intelliget.

Notanda ſimiliter eſt differentia inter cura fractura propoſita ab Antiquis, & Modernis. Antiqui enim ante ſeptimum diem non vtebantur ferulis timentes inflammationem. Noſtrates verò moderni nulla habita conſideratione huius timoris prima die ferulis vtuntur, parum de inflammatione facientes. Nos verò dicimus, primis diebus ligaturas, faſcias, & ferulas eſſe adminiſtrandas cum tolerantia patientis, quia dolores poſſunt excitare fluxiones, & inde lethalia ſymptomata.

3 Dub. Gal. in hoc loco, & 6.methodi, & in libris de differentijs morborum vocat ſolutionem continui in oſſe catagma, ideſt fracturam, quod reprehenditur à nonnullis, & præcipuè ab Argenterio, qui dicit ſolutionem continui oſſium aliquando à rebus incidentibus fieri; aliquãdo in oſſe fieri rimulas, quę non ſunt fracturę,neque callo ſanantur,ergo non omnis ſolutio continui in oſſe eſt fractura.

Reſpondetur,nunquam oſſis continui ſolutionem poſſe alio modo accidere, quam fractura, incidat quis, quovis inſtrumento inciſorio,os ſemper frãgetur: ſic rimulæ oſſium ſunt fracturæ, & per callum ſanantur,& non alio modo:de ratione enim rerum durarum eſt, vt ſolum fractura ſoluantur: cauſa verò, cur hoc Argenterius non intellexit, fuit philoſophiæ imperitia.

4 Dub. dicit Gal. oſſa non coaleſcere ob eorum duritiem; videtur potius quod non coaleſcant (vt quidam dicunt) ob eorum ſiccitatem, quia priuata ſunt alimento.

Reſpondetur, quod tranſeunt per oſſa venę magnæ, quæ tantum, alimenti ferunt, quantum, ſi materia oſſium eſſet mollior, ſufficeret pro agglutinatione.

Quæ verò impediunt callum varia ſunt, & non ſiccitas tantum vt nonnulli putant; aliquando enim eſt motus continuus partium, qui impedit vnionem, vt euenit in ſoluta vnitate ſepti tranſuerſi, & pulmonis: natura enim quiete priuata non concoquit,& per conſequens non vnit.

Aliquando impeditur vnio ob tenuitatem membri; ſicuti accidit in veſſica, vel aliquo inteſtino pertuſo, quod accidit,quia paucus ſanguis concurrit;excipimus tamen duram, & tenuem membranam cerebri, in qua ob venarum multitudinem ſanguis abundat; quapropter callus, ibi facilè fit.

Aliquando,dum ſoluitur vas, ſi ab illo egrediatur aliquid, quod careat exitu, vt ſunt inteſtina, veſſica, venæ maiores, & viſcera interna, non fit agglutinatio.

Cauſa verò, cur oſſa non agglutinentur ſecũdum primam intentionem,ideſt, per medium eiuſdem naturæ non eſt carentia alimenti, ſed eorum durities.

Notandum ſi in fractura eminentiæ aliquæ,quę vocitur extantiæ,ſepararentur ab oſſe, & pungerent neruoſam partem, & conuulſionem excitarent, vt dictum eſt,tunc non eſſe expectandam agglutinationem, quia ſpes ſalutis conſiſtit in apertione, cauſtico, & ferro facienda, qua poſſit manus chirurgica extrahere extantias, ſiue fragmenta oſſis, quæ impediunt vnionem: illis enim non ablatis, non ſolum non agglutinatur os;ſed quod peſſimum eſt, inflammationes, conuulſiones, & mortes ſuccedunt; ideò Chirurgus in prima coaptatione debet obſeruare præcepta ſuperius propoſita, ægrotus verò debet perpetua quiete fractum os conſeruare,donec videlicet ſolidus callus genitus ſit.

CAPITIS XCIX.
Particula VI.

Tex. 53. *Sed perraro ſit talis affectus, quin cum altero ſocietur. Magna enim ex parte muſculi adiacentes vnà corporibus alijs, fractis*

ctis oſſibus, patiuntur. Quare & curationis intentio oritur duplex, quarum altera quidem circa oſſa, altera verò circa corpora adiacentia verſatur: ſed hac quidem in carnoſarum partium complicatis dicetur affectibus. Nunc verò de fractionibus dicendum.

VIdens Galenum cauſam externam, quæ frangit oſſa, lædere quoque partes circumſtantes ideò dicit, in fractura indicationes oriri duum generum: aliud ab oſſe fracto: aliud verò genus à partibus circumſtantibus, quales ſunt carnes, nerui, membranę, venæ, & aliæ, quæ circundant oſſa: dicit tamen Gal. hic ſe de ſimplici fractura verba facere: de complicatione verò cum alijs affectibus inquit, paulò infrà eſſe locuturum.

1 Dub. non videtur, quod rectè dicat Gal. fracturam rarò inueniri ſine complicatione aliorum affectuum: debeat dicere, quòd nunquam detur fractura ſine complicatione affectuum partium, quæ circundant os fractum. Immò Argenterius contra Galenum dicit, mente excogitari non poſſe, quod detur fractura ſine læſione partium circunſtantium.

Reſpondetur, dari poſſe fracturam ſine læſione partium circumiacentium, ſicuti dum ex ſaltu quis in fracturam incidit: Ego autem vidi iuuenem robuſtiſſimum, qui erat frater mei cymbatoris parua pila ludentem, qui in terram figens palmā ſiniſtræ manus, vt dextra reijceret pilam, cubiti radium fregit ſine vlla aliarum partium læſione. Hic iuuenis poſt coaptationem valde intempeſtiuè cepit mouere cubitum, vnde extantiæ, vel eminentiæ oſſis adhuc non obducti callo, extra ſuum locum exierunt, vnde ſecutæ ſunt puncturæ, & ſpatio vnius diei conuulſus obijt; neque Chirurgi eum potuerunt liberare: omnia .n. fecerunt præter apertionem cutis, & carnis, quæ eſt vera via auferendi extantiam, vel iterum coaptandi: ſed veriti ne ſuccedente obitu illis adſcriberetur mors, ſuum officium apprimè neceſſarium omiſerunt. Illius miſeri iuuenis exemplo fui admonitus in conuulſionibus factis ab aculeis fragmentorum oſſium nullam ſpem concipi poſſe, niſi in apertione vſque ad os, quæ cauſtico prius applicato fiat, & deinde ferro: niſi enim fragmentum vellicans auferatur, actum eſt de vita.

Ad dubitationem verò reſpondemus, non ſolum dari ſimplicem oſſium fracturam, ſed etiam puncturam nerui ſimplicem; quia licèt aliqua læſio fiat in carne, non tamen indicat ſuam curationem, immò ſui dilatationem. Quo ad Argenterium reſpondemus, ipſummet in hoc comm. conceſſiſſe fracturam ſimplicem ex motu aliquo violento; ſed ille vir dum inuehitur contra Galenum, propriorum dogmatum ſæpiſſimè obliuiſcitur, quo fit vt illius dubia vt vana, & irrita à medicorum ſchola exiſtimentur.

CAPITIS XCI.

Particula III.

Tex. 53. *Quoniam enim harum ſanitas calloſitate procuratur, vt callus generetur, proprij oſſis alimenti ſuperfluitatem natura ſuggerere oportet. Hanc verò ſuperfluitatem in qualitate, & quantitate ſeruare modum eſt neceſſarium; vnde & ratio victus eſt adhibenda: quæ tantum, ac talem influere oſſibus ſanguinem præparet, qualis & quātus generando callo ſit opportunus. Quoniam verò per fracti oſſis cauernas idem effunditur ſanguis: eiuſdem qualitatem & multitudinem animaduertere oportet; atque ità vel ſicciorem vel humidiorem victum inſtituere; ſed hæc omnia in libris, in quibus de curandi ratione tractatur, plenius ſunt explicata.*

IN tex. ſuperiori docuit fracturam oſſis nō ſanari κατὰ πρῶτον σκοπὸν, i. ſecundum primam intentionem, quæ eſt per medium homogeneum & eiuſdem ſpeciei; ſed per callum, quod eſt medium heterogeneum. i. diuerſi generis, quam ſit os: callus enim oſſis differt genere ab oſſe.

In hoc tex. agit de generatione calli, docetque alimentū pro generatione calli eſſe proportionatum, ideſt, quod in quantitate, & qualitate alimentum ſeruet modum, neque enim quantitas maior eſſe debet, quia antequam perueniat ad generandum callum debet pertranſire primam, ſecundam, & tertiam coctionem;

ideò

, . ò cibus eligi debet illius quantitatis, qui poſſit à natura in concoctionibus commodè digeri.

Cibi verò, qui conferunt ad callum generandum, ſunt humidi, craſſi, & terreſtres; de quib. egit Gal. 6. meth. c. 5. ſi cibi erunt proportionati generationi calli, eo citius fiet callus: quælibet enim pars corporis trahit portiones ſanguinis ſibi magis familiarem ſicuti docet Gal. lib. 3. de facultatibus naturalibus c. 5. pulmoni enim qui componitur ex tenui ſubſtantia, pro eius nutritione magis confert ſanguis tenuis, & cholericus.

Similiter oſſa, quæ terreſtria ſunt, ſanguinem craſſum in ſui nutritionem aſſumũt; quare ſi in ſanguine multa erit craſſities, citius callus generabitur; quòd verò alimenta debeant eſſe ſimilia, & eiuſdem naturæ nos docet Ariſt. corpora ex ijs nutriri, ex quibus conſtant. Notandum maiorem copiam ſanguinis craſſi requiri in fractura puerorum, & adoleſcentium, quam eorum, qui ſunt adulti: ratio eſt, quia puerorum, & adoleſcentium oſſa debent non ſolum nutriri, ſed etiam augeri: Adulti verò, qui non creſcunt, minori copia ſanguinis terreſtris egent.

Notandum ſimiliter, quod ſumma diligẽtia medicus vti debeat in præſcribenda victus ratione ijs, qui fracturam patiuntur, quia ſi ſanguinem copioſum, & ipſum pro generatione calli non habeant tunc non in callum ſanguis conuertitur, ſed in carnem oſſi vicinam, quę ſuſcipit, & rapit pro ſui nutritione illud alimentũ, hoc quidem non euenit, ſi ſanguis ſaltem aucto craſſior ſit. Hinc Gal. 1. de ſemine c. 13. docet cauſam, cur ſpermaticæ partes non regenerentur, eſſe, quia requiritur multum temporis pro earum generatione, interimque carnẽ vicinam attrahere illum ſanguinem, qui erat deſtinatus pro ſpermaticis, quod non accidit in regeneratione dentium puerorum, quia in cauitate maxillarum non eſt caro, quæ abſumat dentium alimentum, cum igitur oſſa paucum habeant alimentum, illo aluntur, & pro generatione, vel augumentatione calli, quod reliquum eſt non ſufficit.

1 Dub. non videtur, quod callus fiat ab alimento emanãte ab oſſe, & à virtute oſſis: quia Galenus infra nos docebit, callum eſſe de natura carnis, & non oſſis: at ſic eſt, quod caro, & oſſa differũt inter ſe, & alimento, & virtute aſſimilatiua, ergo. Hinc callus dicitur porus ſarcoides, id eſt carnoſus, vbicunque fiat.

Reſpondetur, quod in principio callus videtur eſſe de natura carnis, quia eſt mollis, in fine tamen eſt de naturis oſſis: ſed re vera, neq; de natura carnis, neque oſſis eſſe poteſt: quia callus in viuente eſt res mortua; oſſa verò, & carnes ſunt partes viuentes: callus non augetur, neque nutritur; ſed ſolum maior fieri poteſt per iuxtapoſitionem, quæ nec carnibus, nec oſſibus conuenit: dicitur tamen de natura carnis; quia aſſimilatur carni, & quia ad eius generationem concurrit temperatura carnis circunſtantis, & oſſis: ideo callus dicitur de natura carnis eo modo, quo ſemen eſt de natura ſpermaticarum, & pus de natura membranarum illud continentium, & hypoſtaſis de natura tunicarum venarum.

2 Dub. Gal. in lib. de fracturis dicit, in principio fracturarum tenuem, & paucũ cibum requiri; in hoc loco tamen dictum eſt, copioſiorem, & craſſiorem requiri, vt generetur callus, & nutriantur oſſa.

Reſpondetur, fracturam non eſſe affectum ſimplicem, ſed cum dolore, & magnæ inflammationis periculo: reſpiciens igitur Gal. in principio fracturarum ad id, quod magis vrget ad dolorem ſcilicet, & ad imminentem inflammationem admonet, cibo tenui, & pauco eſſe procedendum, vt fluxiones arceantur, & callus melius fiat. Hinc in ijs, qui inflammationem, & dolores patiũtur, callus ex neceſſitate debilis fit, qui malè concoquunt; quod verò malè concoquitur non attrahitur, quod verò non attrahitur non pertranſit oſſium foramina, & ad callum generandum non peruenit; hac de cauſa in ſenibus, & debilibus callus tenuis, & parùm fortis fieri ſolet: quia ob concoctiones diminutas ſanguis redditur ineptus ad penetrationem.

CAPITIS XCII.

Particula I.

Tex. 54. *Nerui, & tendonis punctura propter ſenſus vehementiam, & quoniam hac pars*

pars principio continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam: ac tum præſertim cum nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis vulnere. Aperiendum eſt igitur, atque exſiccandum ſubſtantia tenui, qua vſque ad ima nerui offenſi poſſit penetrare. De his verò exactè diximus in libris de arte medendi conſcriptis.

Tex. 55. *In ſimplicibus quidem huius generis affectibus, ſalubrium cauſarum forma talis exiſtit.*

IN cap. ſuperiori egit de curatione fracturæ. In hoc cap. verò de punctura nerui,& tendonis. Incæpit à continui ſolutione carnis, quæ eſt affectio tuta, & facilis; deinde egit de ſolutione continui oſſium, quæ eſt difficilior; Hic verò de punctura neruorum, & tendonum, quæ eſt alijs periculoſior.

In hoc tex. tria facit; primo docet, neruorum, & tendonum puncturas ob tres cauſas eſſe periculoſiſſimas; in ſecunda docet quomodo puncturæ neruorum, & tendonum ſint curandæ, in tertia duo facit: primo refert, ſe egiſſe de hac materia in lib. de arte medend. id eſt lib. 6. methodi cap. 2. deinde epilogat dicens, ſe egiſſe de ſolutione continui ſimplici: aget enim in ſequenti cap. de continui ſolutionibus compoſitis.

Quo ad primam partem: prima cauſa cur nerui,& tendonis punctura ſit admodum periculoſa eſt vehemens ſenſus neruorum, & tendonum: vbi eſt ſenſus adeo acutus, ibi quælibet cauſa acris, & mordax continuum ſoluens efficit dolores truces,& ſceleſtos.

Secunda cauſa eſt,quia nerui cõtinuantur immediatè cerebro, vel mediatè per ſpinam: ità vt ille dolor inſignis ſtatim communicetur cerebro cum euidentiſſima partis animalis pernicie; cauſa tanti mali eſt,quia cerebrum conſentiens cum neruis tentat expellere,quod noxium eſt, & id non poteſt efficere, niſi conuellendo: accedit, quòd in partem dolentem concurrunt humores,vnde inflammationes non ſolum, vbi ſunt puncturæ, ſed etiam in cerebro fiunt ob maximam cerebri agitationem.

Tertia cauſa,cur nerui,vel tendonum puncturę excitare poſſint conuulſionem, eſt,quia puncto neruo,cutis, & carnis foramen obcæcatur,vnde ichor, qui ſtatim fit in neruo, vel tendone puncto non poteſt excerni, & fit acris, vnde vellicat, & lancinat tali pacto neruum, vt radices nerui puncti conuellantur ad expellendum retentum illum ichorem,vnde fiunt conuulſiones.

Quo ad ſecundam partem,Galen. proponit pauciſſimis, & clariſſimis verbis curationem puncturæ,dicens, ſi obcæcatur pũctura in cute,& carne, ità, vt ichor qui generatur in neruo non expiret; neque extrorſum propelli poſſit, tunc aperiendum eſt, vt liberè totus ichor egrediatur: alter præter iſtos non datur modus ſanandi hoc conuulſionis genus. Præterea docet non ſolum eſſe aperiendum, ſed exſiccandum tenui aliqua ſubſtantia, quæ tamen ſit temperata; quia calida mordent,& frigida adſtringunt.

Quæ verò pertinet ad neruum punctum; ratione tenuitatis aperiũt vulnus, ratione verò ſiccitatis roborant neruos, & exſiccant ichorem, qui eſt cauſa omnium malorum; ſed de his Galen. egit plenius 6. meth. c. 2. vbi laudat, ſi vulnus non eſt apertum, reſinam terebinthinam, & deinde laricinam, & abietinam: ſi verò punctura ſit in homine robuſtiſſimo, & ſit cæca, addit pauxillum euphorbij, quod tamen, ſi vulnus eſſet apertum, quammaximè noceret.

1 Dub. puncturis neruorum, & tendonum deberent conuenire frigida ſimilia, quia omnia ſimilibus conſeruantur: attamen vbique gentium frigida in neruis prohibentur: Hipp. in aphoriſ. habet, frigida inimica eſſe neruis,& oſſibus: & lib. 3. de compoſitione medicamentorum per genera cap. 2. citat caſum cuiuſdam, qui, cùm ex nerui vulnere primis diebus rectè ſe haberet, quia per loca frigida ambulauit, ob aerem frigidum inciderit in conuulſionem.

Reſpondetur huic difficultati, quod frigida ſimilia conueniunt ſolum neruis ſanis,& temperatis,& non intemperatis: exempli cauſa nerui erunt frigidi vt vnũ; ſiquis applicabit frigidum vt duo, neruis omninò nocebit: Hinc aer frigidus ex Hippo. eſt inimicus neruis, non quia ſimilis, ſed quia diſſimilis: ex Gal. lib. 8. de vſu

vſu par. c. 2. & 3. cerebrum, & nerui ſunt calidiores aere æſtiuo, quare aer frigidus erit omninò diſſimilis, ſicuti diſſimilis eſt hyems ab æſtate.

2 Dub. Gal. agens de neruorum, & tendonum ſolutione continui agit ſolum de punctura: nihilominus vario modo continuitas neruorum, & tendonum ſolui poteſt: modò enim cæſim, modò per longitudinem, modò per tranſuerſum vulnerantur, modò per contuſionem, & modò ex toto abſcinduntur: ergo agens Galenus ſolùm de punctura eſt diminutus.

Reſpondetur, Gal. intentionem eſſe de ſimpliciſſimo, affectu neruorum, & tendonum agere: dicimuſque ſolam puncturam eſſe affectum neruorum ſimpliciſſimum: quia cutis, & carnis punctura, dum pungitur neruus tantum abeſt, quòd indicet curationem, vt pro remedio puncturæ, Gal. dicat eſſe aperiendum, & dilatandum cutis, & carnis vulnus.

Præterea quomodocunque vulneretur neruus, ſemper eſt timenda conuulſio ob rationes à Gal. relatas in tex. ideſt ob ſenſus neruorum vehementiam; & ob ſympathiam neruorum, & tendonum, quam habent cum cerebro.

Accedit, quod in punctura neruorum vulnus obcæcatur, vt nihil extrorſum expiret; quo fit, vt ſit dilatandum: ecce quam mirabili artificio Galen. progrediatur in hoc lib. breuiſſimo: vidit enim quod omnia, quę ſint conſideranda in omnibus nō ſolum vulneribus neruorum, & tendonum, ſed etiam in quacunque læſione in vna punctura reluceant: quocunq; enim modo lædatur neruus ob ſenſus vehementiam, & ob conſenſum, quem habet cum cerebro, imminet periculum conuulſionis, & tantò magis, quanto ichor factus in vulnere nerui, vel tendonum expirare extrorſum non poteſt, quòd in punctura præcipuè accidit.

Colligas, quàm temerè, & oſcitanter Argenterius in hoc loco occaſionem ſumat mordendi Gal. quod ſolū de punctura neruorum, & tendonum egerit, & non de alijs neruorum ſolutionibus, de quibus egit diſtinctè lib. 6. metho. ad quem locum nos quoque remittit; ſæpiſſimè iſte vir, quando Gal. ad ſydera eſſet extollendus ob ſummum ſcribēdi artificium, non percipiens Auctoris arcana incipit Gal. lacerare, & mordere: quomodo poterat Galenus melius, & diuinius pertinentia ad omnes ſolutiones cōtinui neruorum, quam ſub conſideratione vnius puncturæ proponere omnia neceſſaria prò cognitione, & curatione vulnerum inflictorum in neruos, & tendones quocunq; modo? Demum in hoc paruo libello non ſunt inſerenda, quę fuſiſſima oratione ab illo 6. meth. acta ſunt, quia ab initio Gal. pepigit ſe per modum compendij omnia capita artis proponere, eaque ab vnica definitione medicinæ colligere.

3 Dub. Galenus agens de vulnere carnis prohibet oleum; quia putredinem gignit, & vnionem impedit: 6. verò methodi, & alibi laudat oleum pro neruorum, & tendonum punctura.

Reſpondet Argenterius, quod Gal. 6. meth. c. 2. laudet oleum in punctura nerui, & tendonis, non ratione vulneris, ſed ratione præſeruationis ab imminentibus ſymptomatibus. i. vt mitiget acrimoniam, ne dolores, & conuulſiones ſuboriantur.

Alij verò melius reſpondent dicentes Galen. laudare oleum, non tamen quodcunque, ſed tenue ſubantiquum, quod nō habeat vim putrefaciendi; ſed exſiccandi, quòd non ſolum præſeruabit, ſed etiam vulnus curabit: Hinc Galen. in tex. dicit, in punctura eſſe exſiccandum vſque ad ima aliquo tenui auxilio, quale eſt oleum rutaceum, coſtinum, de caſtoreo, de ſcorpionibus, vulpinum: Rhaſis verò commendat præ cæteris lumbricatum: Galen. 6. methodi laudat ſummoperè ſuccum cyrenaicum, & ſulphur viuum cum oleo communi.

4 Dub. Galenus aſſerit, quòd in punctura nerui imminet conuulſio ob morſum ichoris, qui generatur in puncto neruo: ex altera parte 6. methodi cap. 2. & alibi in punctura nerui vtitur euphorbio, quo nihil eſſe poteſt mordacius; ergo.

Reſpondetur, euphorbium in minima quantitate alijs permixtum habere vim penetrandi ſine morſu; & tali pacto Gal. in metho. & lib. 3. de compoſitione med. per genera illud ſic permiſcet; Rec. ceræ partem 1. euphorbij partem 12. terebinthinæ picis ana partem dimidiam: ecce quod Gal. laudat euphorbium non ſo-

lum

lum permixtũ in minima quantitate, ſed permixtum cum pice, ità vt adhæreat pici, & ceræ, & ſit iſtis ligatum, vt ſolum eius qualitas iuuet per partem poſt partem pro apertione foraminis, unde ſequitur exitus ſaniei, uel ichoris exiſtentis in neruo puncto, quod eſt illud quod deſideratur; maior tamen, & minor quantitas euphorbij in compoſitionem ingreditur pro habitus, & naturæ corporis uarietate: in habitu enim molli non conuenit euphorbium, quia ſufficit uſus terebinthinæ, vel eius olei: in robuſto verò quantitas propoſita præſcribitur: in robuſtiſſimo verò poteſt aliquantulum augeri vſus euphorbij. Aliud à Galen. 3. methodi cap. 2. proponitur medicamentum, quod habet vim ſarcoticam, & attrahendi extrorſum ſaniem, quod fit ex cera, oleo, & ærugine: ibi dicit Galen. nec ceram, nec oleum ſiccare, nec ambo ſimul, nec æruginem ſolam conſerre, quia inmodicè ſiccat; ſed omnia ſimul accommodatiſſimè exſiccare.

5 Dub. frigida ex Hippo. in aphoriſmis ſunt neruis inimica: nihilominus frigidę perfuſione dicit Gal. 5. aphor. 21. ſe curaſſe iuuenem conuulſum: conuulſio enim eſt neruoſi generis affectio.

Reſpondet, conuulſionem frigidæ perfuſione tolli ex accidenti, quatenus .ſ. côcentrat calorem, qui deinde tollit conuulſionem factam à cauſis frigidis. Similiter dolor maior ex accidenti dicimus, quod tollat minorem; eodem modo colicus dolor in habitu carnoſo à frigidę perfuſione certiſſimè aufertur.

6 Dubit. Galen. docet, in puncto neruo paucum ichorem retentum ob eius mordacitatem conuulſionem efficere poſſe; quod non uidetur uerum, quia omnis conuulſio uel eſt per inanitionem, uel repletionem, ut docet Hipp. 6. aphor. 39. & Gal. in comm. probat exemplo fidiũ, quæ ob duas cauſas conuelluntur, uel quia humectantur, uel quia nimium exſiccantur, & non alio modo. Præterea 2. de cauſis ſympt. 2. & 8. de compoſit. med. ſ. l. c. 3. habet hæc uerba; *Ego verò in conuulſione tertiam aliquam cauſam ſupra euacuationem, & repletionem nondum reperi.* At ſic eſt, quod mordacitas ichoris puncti nerui efficit conuulſionem, nec id efficit per repletionem, nec euacuationem, ergo non ſunt tantum duæ cauſæ conuulſionis, ut nos docent Hipp. & Gal.

Reſpondetur, conuulſionem dupliciter ſumi, ſtricto modo, uel lato modo: primo modo dicimus, duas tantum eſſe conuulſiones, alteram ex repletione factam, & alteram ex inanitione; ſecundo modo uerò ſumpta, dicimus quatuor eſſe cauſas conuulſionis; ut dicit Galenus 12. meth. in fine ult. cap. inanitionem, ſcilicet repletionem, humorem mordentem, & frigus; uel dicimus Galenum lib. de compoſ. med. cap. 3. & alibi dixiſſe, duas eſſe cauſas conuulſionis, intelligendo de conuulſione, quæ per eſſentiam in neruis fieri poſſit; nulla facta conſideratione conuulſionum pendentium à cauſis externis, ut à mordacitate humorum, & à frigore.

7 Dubit. Galen. in tex. dicit, puncturam nerui minari conuulſionem, omiſit tamẽ alios affectus neruoſos, qui ex neruorum uulnere oriri ſolent, quales ſunt paralyſis, tremor, & ſtupor, de quibus erat aliquid dicendum.

Reſpõdetur ex Gal. lib. 1. de motu muſculorum cap. 1. ſubſtantiam neruorum eſſe ſimilem ſubſtantiæ cerebri, neruumque eſſe denſatum, & durum quoddam cerebrum: lib. .n. 8. de uſu partium cap. 6. dicit, neruum eſſe paruum cerebrum reſiccatum, & durum; & lib. 7. de placitis ca. 3. docet, neruum conſtare ex hac triplici ſubſtantia, ex medullari, & ex duabus tunicis; medullaris à cerebro originem habet, & per hanc ſubſtantiam facultas, & iudicium mittitur, caret tamen ſenſu, ut cerebrum; adſunt præterea duæ tunicæ altera à pia, & altera à dura meninge cerebri originem trahentes; in hiſque exquiſitiſſimus ſenſus uiget.

His poſitis dicimus, in punctura nerui lædi duas tunicas, quæ circundant ſubſtantiam medullarem nerui, doloreque truci, & conuulſiuo uexari; ſubſtantia uerò medullaris, dum læditur, ſtatim amittit ſenſum, & motum; quia perit iudicium. Præterea dum hæc medullaris ſubſtantia repletur humoribus, tunc ſi integra fiat obſtructio, oritur paralyſis in partibus infra, & non ſupra; ſi ſemiobſtructio fiat, tunc ſtupor, & tremor ſiet.

Ceterũ paralyſis, ſtupor, & tremor ma-

gis

gis fiunt, dum cæſim, quam dum punctim vulneratur neruus; quia punctura non occupat totam ſubſtantiam medullarem, ità vt non poſſint radij facultatis animalis penetrare, dum verò cæſim vulneratur neruus, dicimus ſi totus abſcindatur, infra ſectionem fieri paralyſim, ſi pars non paralyſim, ſed ſtuporem, & tremorem. Verùm, quia agitur in hoc loco de organo tactus, quodnam ſit, nos hanc quæſtionem omittimus, quia ſuperius aliquid diximus de hac re.

CAPITIS XCII.

Particula II.

Tex. 56. *In compoſitis verò complicatur vlceribus prima quidem cauitas, quam non alterum affectum, ſed vlceris differentiam eſſe arbitrantur. Eſt autem non differentia huiuſcemodi res, ſed alterum aliquod totius ægritudinis genus, in quo ipſius ſubſtantiæ iactura facta eſt. Et quidem curatio in duplici morbo, duplicem exigit intentionem. Nam continuitatis ſolutio, vnitate: ſubſtantiæ autem iactura, generatione indiget; paulò verò ſupra generationis intentiones expoſitæ ſunt.*

EGit ſuperius de cauſis ſalubribus, ſeu de remedijs ſimplicis ſolutionis continui carnis, oſſium, neruorum, & tendonum.

In hoc text. incipit agere de remedijs vlcerum complicatorum: vlcus enim complicari poteſt cum cauitate, quæ eſt affectio ſeparata, cum tumore, intemperie, & inflammatione.

Explicatio verborum hæc eſt; dicit Gal. primam affectionem, quæ ſimplex vlcus reddit compoſitum, eſſe cauitatem: ratio, cur cauitas ſit prima, eſt, quia in omni vlcere ſimplici ex neceſſitate fit pus, quod putrefaciens carnem cauitatem facit.

Præterea pars caua, cum infirma, & debilis ſit, non poteſt rectè conuertere in ſui ſubſtantiam ſanguinem, vnde aliquid magnitudinis ob defectum bonæ nutritionis amittitur, & cauitas fit.

Aduertit tamẽ Gal. cauitatem in vlcere non eſſe differentiam quandam vlceris, vt putabant Antiqui; quia indicationes, quæ deſumũtur ab vlcere, vt vlcus eſt omninò differunt à cauitate; cauitas.n. eſt morbus in mala cõpoſitione, cauitas verò in magnitudine diminuta; vlcus verò eſt in ſoluta vnitate; ità vt vlcus, & cauitas non ſolum differant ſpecie, ſed etiam genere ſupremo: tria enim ſunt morborum genera ſuprema intemperies, mala compoſitio, & ſoluta vnitas: cauitas igitur non erit vlceris differentia. Præterea de ratione differentiæ eſt, vt de ſua ſpecie prædicetur in primo modo dicendi per ſe; ſed ſpecies vnius generis nũquã poteſt per ſe prædicari de ſpecie alterius generis, quia ſpecies omnes ex ſe ſunt omninò impermiſcibiles, & præcipuè illæ, quæ ſunt ſpecies, ſeu differentiæ diuerſorum generũ.

Hinc Ariſtoteles protulit in anteprædicamentis hanc ſententiam: diuerſorum generum non ſubalternatim poſitorum diuerſas eſſe ſpecies, & differentias: quare cum ſoluta vnitas ſit vnum genus, & mala compoſitio aliud, eorum generum ſpecies, & differentiæ variæ erunt, & differentia vnius non erit differentia alterius; ſi igitur cauitas eſſet differentia vlceris, prædicaretur per ſe de vlcere, & conſtitueret vnum; ità vt vlcus cauum eſſet vnus affectus, & non duo, & indicationes, quæ deſumuntur à cauitate, & vlcere in vnam inciderent, & per conſequens vna eſſet curatio, quod non ſolùm eſt falſum, ſed valdè ridiculum; quia ſolutio vnitatis indicat vnionem; cauitas verò indicat carnis regenerationem.

Quo pacto verò regeneretur caro, ſuperius ex Gal. agẽte de calli regeneratione, dictum eſt. Ibiq; ſtatuimus carnis regenerationem nõ ſolum ad naturam pertinere: ſed etiam ad medicum, quatenus, ſcilicet virtute ſarcoticorũ remouet impedimenta, quæ ſunt excrementa tertiæ coctionis: quorum excremẽtorum tenue eſt ichor: & craſſum eſt ſordes: quia ſicuti ſanguis craſſus, & multus confert ad calli generationem: ſic moderatus à victu moderato prodiens eſt proportionatiſſimus ad gignendam carnem.

2 Dubit. dictum eſt, cauitatem vlceris pertinere ad magnitudinem diminutam, quod videtur falsũ, quia cauitas eſt morbus in mala cõformatione; ſub genere .n. malæ conformationis eſt figura, cauitas, meatus, ſuperficies aſpera, vel læuis.

Reſpon.

Reſpondet Pluſquamcommentator diſputans contra nonnullos, qui credebant cauitatem vlceris eſſe morbum in mala cõformatione; ſi cauitas eſſet morbus in conformatione; ſequeretur, quod cauitas naturalis præcederet, dum enim cauitas minuitur, vel augetur, morbus fit in conformatione in vlceris verò cauitate nulla præceſſit cauitas, neque forma illius partis naturaliter caua erat: quare morbus in cauitate vlceris eſt in carnis defectu, & diminutione; & non in formatione.

Neque alij poſſent obijcere, cauitatem eſſe morbum in numero diminuto; quia morbus in numero diminuto eſt quando deficit aliquod totũ, veluti ſi totus digitus deficiat, dicitur affectus in numero; ſi verò pars digiti ſolum dempta ſit, à Gal. lib. de conſtit. art. c. 12. non morbus in numero, ſed in magnitudine diminuta, vocatur.

CAPITIS XCII.

Particula III.

Tex. 57. *Quod autem primum quidem hunc affectum oporteat ſanare, demum vnitatem reſtituere tentare, ipſa rerum natura commonſtrat. Cum itaque repletum quidem fuerit cauum, vlcus verò ad æqualitatem perductum, alteram intentionem aboleri contingit. Nam media exiſtente inter labia vlceris ea carne, quæ nuper eſt genita, partes quidem diſtantes vniri eſt impoſſibile, vnde fit vt alia ſit intentio perquirenda. Intentionem autem conſequemur ex eo, quod eſt ſecũdum naturam ipſi parti comparando, erat autem eidem cuti obduci naturale. Quare hoc ipſum à nobis procurandum, aut ſi hæc intentio effectum ſortiri non poteſt, ſimile aliquid cuti, carnem ſcilicet, quæ cutis natura vicina ſit, inſtaurandum. Eſt autem huiuſmodi, quæ, & ſicca, calli ſimilitudinem præ ſe fert. Ad cicatricem igitur obducendam neceſſaria erunt exſiccantia, ac ſine mordacitate adſtringentia medicamina.*

IN text. ſuperiori exemplo vlceris caui cæpit de morborum compoſitorum remedijs verba facere.

In hoc text. quod etiam facit tertio met. c. 3. oſtendit, quo ordine vlcus cauum ſit curandum, atq; prius cauitatem eſſe implendã carne, quia cauitas eſt cauſa ſine qua non, id eſt non poteſt vlcus ſanari, niſi hoc impedimentum, quod eſt cauitas; auferatur: tollitur. n. cauitas generando carnem; quod eſt officium naturæ; & medici, quatenus, ſcilicet medicus tollit impedimenta virtute ſarcoticorum impedimenta ſunt duo excrementa tertiæ coctionis, ichor, ſcilicet, & ſordes, quę plus debito abundare ſolent in omnibus partibus debilibus, inter quas ſunt partes cauo vlcere affectæ: tolluntur que exſiccantibus, & detergentibus: exſiccantia abſumunt ichorem, qui eſt excrementum tenue tertiæ coctionis: digerentia eluunt ſordes: hæc . n. exſiccantia, & detergentia ſunt ſarcotica, & eliguntur intenſiora, & remiſſiora pro varietate habitus corporis; in robuſtiſſimis hominibus eliguntur ſarcotica exſiccantia in ſecundo, & tertio gradu: in moderatis in primo: quæ autem ſint iſta inferiùs declarabimus.

Sed redeuntes vnde diſceſſimus, dicimus in cauo vlcere eſſe duos ſcopos, primum carnem generare: ſecundum, illam carnem genitam tegere, quod fit exſiccãdo, & indurando ſuperficiem carnis regenitæ, vt quid ſimile cuti efficiatur.

Hìc notatur error Delphini, & Acachiæ, qui putant præter duos ſcopos dari tertiũ, qui eſt agglutinare, ita, vt primus ſit carnem generare, ſecundus, carnẽ regenitam aliquo, quod ſimile ſit cuti tegere, tertius agglutinare: quẽ tertium ſcopum reijcimus; quia vera carnis agglutinatio ſolum eſt per adductionem labiorum, vbi non relinquitur in medio aliquod vinculum apparens.

Quod verò in vlcere cauo ſufficiat carnis regeneratio, donec vlcus ad æqualitatem ſit perductum, & quod ſuperficies carnis genitæ exſiccetur, & induretur, ſi ſolutionem cutis ſuſcipiat, non ſolum hìc Gal. nos docet, ſed etiam 6. aphor. 19. quod ſcilicet fiet exſiccantibus, & adſtringentibus, quę careant mordacitate, de quibus nos paulò ſupra egimus.

1 Dub. non videtur, quod in cauis vlceribus ſenum caro regenerari poſſit; quia in illis vix fit nutritio; augetur dubitatio, quia ſi in vlceribus ſenũ regeneraretur caro, in illis nerui quoque, & arterię

teriæ regenerarētur,quod eſt contra Gal. lib.de ſemine,& alibi,vbi negat, in ſenibus neruos, & arterias regenerari poſſe; quod verò nerui, & arteriæ regenerentur in ſenibus,patet, quia caro in illis regenita ſentit, & viuit, & ſenſus non eſt ſine neruis,nec vita ſine arterijs.

Reſpondetur,quod in macilentis ſenibus regeneratur caro in cauis vlceribus; quia natura magis ſollicita eſt de vnione, quam de nutritione;huius rationem reddit Pluſquācommentator, qui dicit,quēadmodum, ne in mundo detur vacuum, grauia aſcendunt, & leuia deſcendunt; idem natura in viuēte efficit, dum aliqua pars eſt vacua; tunc.n.magis eſt ſollicita de vnione,quā de nutritione;Hinc,vt uacuum repleatur, partes uicinæ perperam nutriūtur, immo emaciatæ relinquūtur.

Dum addebatur in cauis ulceribus ſenum regenerari neruos, & arterias, nos negamus, quia non ualet illorum conſequentia, viuit, ergo eſt arteria; totum enim corpus eſſet arteria. Similiter non ualet, ſentit, ego eſt neruus,quia quælibet pars dentis ſentit, non tamen totus dens eſt neruus:ratio vero, cur dictæ cōſequentiæ non valeant, eſt, quia per neruos,& arterias fiunt irradiationes ad loca,vbi non eſt neruus,vel arteria:ſic dicimus, carnē regeneratam in cauo vlcere ſentire per irradiationem factam à neruis vicinis ad calloſam carnem,quæ neruis caret, & eſt res mortua: ſed quia fuſius ſuperius de hac re egimus; ideò hic paucis illam abſoluimus.

2 Dub.Gal.3.meth.c.9.& 7.meth.capit. 12. docet ante curandum ulcus, & quēuis morbum tria prius eſſe auferenda indicantia,ſi adſint; quorum primum eſt urgens:ſecundum cauſa principalis; tertium cauſa ſine qua non,ideſt impedimēta: Gal. tamen in hoc tex. ante ulcus ſanandum,proponit unicum ſolum indicās ideſt cauitatem quæ uidetur pertinere ad cauſam ſine qua non: omiſit igitur urgens,& cauſam principalem ulceris; urgens enim in ulcere poteſt eſſe conuulſio; cauſa uerò principalis ulceris poteſt eſſe humorum affluxus; ergo Gal. uidetur mancus,& in hac re magni momenti ſibi ipſi deficiens.

Reſpondet Pluſquamcommentator, quod à Gal.ſub affectu ſine quo nō comprehendantur urgens,& cauſa principalis:ideò Gal.agens de ulcere proponit cauitatem, quæ eſt affectio ſine qua non, ſub qua cętera omnia indicantia debent contineri: ſic dicit, urgens eſſe affectum ſine quo non tollitur morbus: cauſam uerò principalem eſſe affectum ſine quo non tollitur ulcus.

Oddus reſpondet intentionem Galeni eſſe agere de morbis complicatis: ſicuti eſt ulcus; & cauitas: ulcus enim eſt morbus in ſoluta unitate: cauitas vero in magnitudine diminuta: ecce ait, Galenum non velle in hoc loco de cauſis,& vrgentibus uerba facere.

Ego autem puto,utranque ſolutionem poſſe ſuſtineri: dico tamen Galenum egiſſe in vlcere de cauitate: quia eſt primus affectus,qui accidit vlceri, vel vulneri ſimplici: intentio tamen Galeni eſt tractare de complicatis, & non de omnibus indicantibus: incipitque ab vlcere cū cauitate,quia cauitas eſt primus affectus, qui adoritur in vlcere ſimplici, quia ſanies ſimplicis vulneris uel vlceris ſemper excauat:& in parte vulnerata,uel vlcerata ob eius debilitatem generantur copioſiſſima excrementa tertiæ coctionis,quę neceſſariò putreſiunt,& putrefacta excauant,ideò de cauitate, & non de urgentibus,& de cauſa principali hic egit: quot uerò poſſint accidere affectus ulceri, & quis illorum magis poſſit, & quo ordine in eorum curatione ſit incedendum ſuperius in explicatione tex. capit. 89. fusè egimus.

In hoc loco verò non eſt de alio affectu tractandum,niſi de illo,qui ex neceſſitate complicatur vulneri,uel vlceri ſimplici, & talis eſt cauitas, & non conuulſio, quæ eſt urgēs,uel humorum affluxio,quę aliquando eſſe poteſt cauſa principalis: ſed affluxus num perpetuò complicetur, ne verbum quidem fecit Galenus in hoc tex.quamuis in tex. ſequenti de omnibus alijs affectibus, qui inſequi ſolent vlcus, mentionem faciat.

3 Dub. Gal. in text. pro ſanando vlcere cauo duos ſcopos proponit: quorum primus eſt carne cauitatem replere; ſecundus,exſiccare ſuperficiem carnis regenitę epuloticis:per hos duos ſcopos nos docet,

cet, quomodo ſint curanda vlcera caua, videtur tamen diminutus, quia quatuor ſunt ſcopi, & non duo: primus eſt dum vtimur concoquentibus: ſecundus detergentibus; tertius, ſarcoticis, quibus cauitas carne repletur: quartus epuloticis, ideſt cicatrizantibus, quæ cutim ſuperficialem valde ſiccant, & adſtringunt.

Reſpondemus, Galenum loqui ſolum de cauitate iuncta cum vulnere ſimplici, dum igitur applicantur concoquentia; dicimus concoquentia non reſpicere cauitatem, uel vlcus, ſed humores confluxos, qui niſi digerantur, & concoquantur euacuari non poſſunt: dum verò applicantur detergentia, dicimus, hęc reduci ad ſarcotica, quæ ſimiliter detergunt: quare duo tantum erunt ſcopi pro vulnere, uel vlcere cauo curando, & non quatuor.

Conditiones ſarcoticorum variæ ſunt pro varietate habitus corporis: etenim in habitu forti, & tempore hyberno valentiſſima conueniunt, qualia ſunt vnguentum iſidis, vel apoſtolorum: in ęſtate verò & in habitu molliori vnguentum de tutia, vnguentum de betonica, baſilicum, vnguentum de ceruſſa, quod refrigerat: vel tale. Recipe reſinę terebinthinę vn. 4. cerę vnc. 1. thuris, maſtiches ana vn. mediam, olei communis drachmas 10. miſce ad ignem ſecundum artem: ſed de his nos alibi fuſius.

Quæ verò ſint epulotica, ideſt cicatrizantia, quæ quid ſimile cuti inducunt (dicimus ſimile cuti, quia vera cutis, cum ſit ſpermatica ſolum in vtero matris fit à natura) dicimus eſſe ceratum de minio, linamentum ſiccum, diapalma, aqua vitæ, oleum de calcantho, & de ſulphure, quæ ſunt potentiſſima. Præterea cadmia, æs vſtum lotum, & emplaſtrum diacalciteos, & alia id genus.

Sed niſi Chirurgus ſciat diſtinguere varietatem habitus, vt poſſit iſta propoſita applicare, nihil boni efficiet, omnia enim non ſunt omnibus accommodata. Galenus enim 3. methodi cap. 5. in naturis humidioribus, vt in pueris, & mulieribus laudat gallam immaturam, & corticem granatorum: in robuſtioribus verò lib. 5. ſimplicium cap. 15. laudat maximè æs vſtum lotum, & cætera ſimilia propoſita: ratio diuerſi vſus horum medicamentorum eſt, quia munus cicatrizantium eſt abſumere humiditates naturales partium, quare pro vt pars eſt magis, vel minus robuſta, epulotica, quæ applicantur, debent quoque eſſe maioris, & minoris virtutis: ideò Galenus modo dicit, epulotica eſſe ſicca in ſecundo; modo, ut lib. 4. de compoſitione med. per genera cap. 1. eſſe ſicca in tertio.

Verùm quia ſæpè accidit in cicatrice aliqua deformitas, ideò oritur indicatio tollendi deformitatem: ſciendum igitur, quod in ætate adulta inclinante non poteſt emendari eius cauitas; in ætate verò robuſta, & inclinante ſæpè emendatur, ſcarificando ipſam cicatricem; & deinde ſuperponendo unguentum de ſucco betonicę ſine pulueribus. Si uerò cicatrix eminentior iuſto ſit, ſimiliter ſcarificatur & ſupra applicatur epuloticum. Si cicatrices ſint albidiores, Celſus lib. 5. c. 26. ſuperponit plumbeam laminam, & elaterium: ſi nigriores laudat æruginem, & plumbum lotum paris portionis: deinde omnis cicatrix, uel rugoſa, uel eminentior tollitur ſcarificatione, & epuloticis.

Quomodo uerò prohiberi poſſit, ne cicatrices augeantur, dicimus, ut optimè notat Pluſquamcommentator ante ęquationem ſuperficiei, id eſt quando adhùc reſtat aliquid augendum de carne, applicandum eſſe cicatrizans; ſed in forma liquida; quia hoc modo carnes augeri non poſſunt ſupra cutim ſanam.

CAPITIS XCII.

Particula IV.

Tex. 58. *Ita & ſi ſordities aliqua fuerit adnata; intentio quidem erit abſtergendi, & erit medicamen ſalubre abſterſiuum. Eorundē verò materiam in libris, in quibus de medicaminibus agitur, ſcripſimus. Et quidem ſi aliqua inflammatio, vel attritio, aut tumor praeduruſ, vel mollis, & laxus eum vlcere fuerint, prius eorum curationi intendere oportet, eas ſequendo vias, ac ratione, quas prius expoſuimus. Sic & ſi aliquid vlceri illabitur, ad illabentium rationem intendendum. Eodem pariter modo ſi aliqua intemperies vlceratum locum obſe-*

derit, ad eiuſdem intemperiei remedia antea veniendum. Sed de his quidem ſatis.

Docuit ſuperius quid agendum ſit in ſolutione continui cum cauitate coniuncta.

In hoc tex. verò duo facit, primò proponit alios plures affectus, qui coniunguntur cum ſolutione continui: ſecundò dat quoddam præceptū vniuerſale mirificæ vtilitatis, & eſt, quod quando affectus coniunguntur cum vlcere, prius eorum curationi ſit attendendum, quam vlceri: quod quidem præceptum alibi ſæpè repetit, & præcipuè lib. 3. meth. c. 9. & 7. meth. c. 12. ibi enim docet, quod ante vlcus curandum, ſint remouenda illa tria indicantia, ad quæ omnes affectus, qui coniunguntur cum vlcere, reducuntur; vrgens ſcilicet, cauſa principalis, & cauſa ſine qua non, idest impedimenta.

Nullum enim affectum mente fingere, vel imaginari poſſumus, qui coniunctus cū vlcere non reducatur ad aliquod ex illis tribus, ità vt omnis affectus, qui ſolutioni continui iungitur, ſit vrgens, vel cauſa vlceris, uel impedimentum, ſine quorum ablatione vlcus non eſt ſanabile.

Notandum tamen, hoc præceptum dilatari ad omnes morbos, Medicus enim ſemper debet ante morbum curandum reducere indicantia ad illa tria, ſi adſint, id eſt ad vrgens, ad cauſam principalem, & ad impedimenta; quia iſtis ablatis natura ex ſe ut plurimum morbum tollit: & tantò dignius eſt hoc præceptum, quanto medici vulgares vt plurimum illud nō intelligunt: dum enim vocantur, vt morbum aliquem auferant ſæpiſſimè nullum examen faciunt de urgentibus, de cauſis principalibus, & de impedimentis: ſed ſolum animum dirigunt in remedia reſpicientia morbum, quæ ſolum vltimo loco ſemotis alijs affectibus iuuant.

Affectus igitur, qui complicantur cum ſolutione cōtinui ex Gal. in hoc tex. ſunt ſordities, inflammatio, tumor durus, mollis, uel laxus, humorum affluxus & intemperies partis circumſtantis.

Quo ad ſorditiem dicimus, quod reducitur ad cauſam ſine qua non, idest ad impedimentum ſanationis ulceris; quia niſi auferatur ſordities, nunquam ſanari poteſt ulcus.

Quomodo verò auferatur ſordities, Gal. docet, abſterſiuis remedijs commodè tolli, de materijs verò abſterſiuorum Gal. egit in lib. de ſimplici med. ſuntque mel, terebinthina, farina fabarum, hordei, lupinorum; de quorum abſterſiuorū natura eſt, ut mundificent, & tollāt craſſitiem, & uiſcoſitatē hærentem poroſitatibus carnis vlceratæ: iſtæ enim viſcoſitates, & craſſities ſunt impedimento ulceri, ne ſanetur.

Quomodo verò cognoſci poſſit, an ulcera ſint ſufficienter abſterſa, dicimus ſi rubeo colore tincta uidebuntur ſufficienter eſſe abſterſa: ſi uerò ulcera eſſent ità profunda, ut Chirurgus ea non poſſit inſpicere, nos docet Galen. 4. de compoſitione med. per genera capite ſecundo, his uerbis, an alia indigeant abſterſione; *Purum vlcus eſt, ſi medicamenta incipiāt ſenſum mordicationis inferre;* Tunc igitur abſtinēdum eſt ab uſu abſterſiuorum, quando mordicatio incipit perſentiri; niſi enim ab illis abſtineremus, non generaretur caro, ſed humorum affluxus excitaretur.

Quo ad inflammationem dicit Gal. impediri vlceris ſanationem ab inflammatione; ideò prius eſſe attendendum inflammationi partium vlceratarum, quam vlceri: multi enim Chirurgi hanc Galeni admonitionem non obſeruantes, ulcus cum inflammatione partis circunſtantis, & cum aliquo affluxu humorum abluunt uino, apponuntque cerata exſiccantia, quæ augent inflammationem, & affluxum; unde ualdè lædunt: eādem doctrinam Gal. repetit 11. methodi c. 12. his uerbis; *Si vlcus cauum iunctum eſt cū inflammatione partis circunſtantis, niſi inflammationē auferes, vlcus fiet ſordidius, & magis cauum;* Curanda igitur eſt inflammatio, quod fiet prius amouendo cauſam fouentem, ſeu mandantem ſanguinem ad ulcus. Sed ſciendum prius à parte mandante non ſemper mitti humores, quia ipſa pars ſit imbecillis, ſæpiſſimè enim mittuntur humores à parte mittente, non imbecilli, ſed robuſta ad partem recipientem debilem & infirmā: quam doctrinam nos docet Gal. 3. de natu-

turalibus facultatibus c.13. his verbis; *Vbi aliqua particula affectus alicuius occaſione imbecillior eſt reddita, ex omnibus in illam, quæ ſuperuacua ſunt, confluxere eſt neceſſe, namque quæcumq; pars valentiſſima eſt, in vicinas omnes repouit, & rurſus in alias, donec omniū imbecillimā inueniat;* Si igitur fluat ſanguis ad partem ulceratam ob imbecillitatem partis recipientis, & non ob uitium ſanguinis, tunc à Chirurgis laudantur faſciæ imbutæ aliquo corroborante, & repercutiente, quale eſt uinum auſterum, & ſimilia, quæ mirificè iuuant; dum uerò inflammatio amplius non fouetur, tunc humor fluxus non poteſt digerentibus abſumi, quia Gal. 3. præſagiorum 29. docet, in parte debili, qualis eſt ulcerata, non digerentibus, ſed ſuppurantibus eſſe incedendum; Hinc Galen. 4. methodi 5. dicit, dum ulcus eſt cum apoſtemate cupimus pus, quia ulcus ſanari non poteſt, niſi apoſtema ſanetur; ſanabiturque, ſi humores conuertentur in pus; quod quidem ex Galeno 5. aphoriſ. 22. comprobatur, quia dicit, in ulcere pus apparens eſſe magnum ſecuritatis ſignum; ſi uerò uitium eſt in ſanguine fluente, tunc ſanguinem euacuantibus, & reuellentibus, eiuſque qualitatem malam corrigentibus ulcus ſanari.

Quo ad attritionem, quam Galen. dicit prius eſſe tollendam, antequam ulcus curetur, dicimus, per attritionem Galenum intelligere contuſionem; duo enim mala parit contuſio, primum, corrumpit propriam tēperaturam membri contuſi; ſecundum, excitat humorum affluxum in partem contuſam; Hinc Gal. 12. methodi ca. 7. dicit contuſionem, ruptionem, & eroſionem efficere ſolutionem continui, & corrumpere propriam membri naturam; quare non licet aggredi curationem vlceris, niſi priùs tollatur intemperies introducta ab attritione, & affluxu: immò pertinet ad Chirurgum, vt ſtatim expendat, an magis poſſit affluxus, vel intemperies, & cui magis ſit attēdendū: quod hac via penetrari poterit: ſi viderimus, humorum affluxum ſolùm à parte contuſa eſſe excitatum, nulla exiſtente læſione in aliquo viſcere: tunc magis erit attendendum parti contuſæ, quam affluxioni: è contra verò, ſi aliter obſeruabitur.

Verùm ſi in parte contuſa ſint dolores, & tumores ſemper primò vacandum eſt doloribus, quia in numero vrgentium collocantur.

Similiter obſeruandum eſt, ſi in contuſione neruus læſus ſit, tunc nullo modo applicanda eſſe pus mouentia, quia impediunt perſpirationem, & inde humores adeo acres fiunt, vt conuulſiuos pariant dolores; ideò in læſione nerui laudantur aperientia, vt ſuperius agentes de punctura neruorum diximus: ſi verò ſint tumores, qui impediant ſanationem membri contuſi, dicimus, pro varietate tumorum, varia eſſe remedia adhibenda: tumores enim ſanguinei tolluntur ſuppurantibus: ſcyrrhoſi emollientibus: & ædematoſi exiccantibus.

Quo ad fluxionem humorum dicimus, impediri vlcerum ſanationem ob continuum humorum affluxum, & hæc vlcera, quæ habent cauſam fouentem in affluxu, & non in partis circunſtantis intemperie, vocari *δυσεπούλωτα* ideſt cum difficultate ad cicatricem peruenientia, vlcera verò quæ habent cauſam fouentē in humoribus influentibus, & in partis circunſtantis temperatura, vocantur à Galeno lib. 4. de compoſi. med. per genera ſupra modum maligna, ſeu cacoethica: ſi verò vitium eſt in parte vlcerata, & non in humoribus fluentibus, ſunt maligna; ſed non ita pernicioſa: his poſitis dicimus, quod ſi volueris, cacoethica vlcera curare, expedit prius amouere malam temperaturam partis, per quam humores quoque benigni, qui inſeruiunt partis læſæ nutritioni, nitiantur, ſi uerò curare uolueris ulcera dyſepulota debes auertere fluxionem, & humores corrigere, & temperare.

Signa ulceris dyſepuloti quinque proponuntur; primum, ſi remedia, quæ curant ulcus, nihil proficianr: ſecundum, ſi ſemper plus dilatetur; tertium, ſi ulceris labia tumida appareant: Quartum ſi maior copia ſaniei egrediatur, quam ſit pro magnitudine ulceris; quintum, ſi ut plurimum ulcus ſit doloroſum.

Signa ulceris cacoethici tria ſunt; primum caro ulcerata eſt ſqualida, & ſicca, ut nulla ferè ichoroſa ſanies effluat, quod ex Gal. colligitur lib. 4. methodi

cap. 2. Secundum ſignum, pars vlcerata eſt aſperior, & durior. Tertium, ſumitur à cauſis ſiccitatis prægreſſis, veluti ſi medicamenta nimium ſiccantia ab imperitis Chirurgis prius eſſent applicata: vel, ſi illud corpus, & membrum vlceratum eſſet temperaturæ ſiccæ.

Curatio vlceris eſt per cauſæ ablationem; quare ſi impediatur ſanatio à membri vlcerati ſiccitate, oritur indicatio humectandi partem exſiccatam trahendo alimentum picatione, & fomento aquæ calidæ parti circũſtãti applicandæ bis, vel ter in die, donec pars rubeſcat; quod remedium nos docet Gal.4.metho.ca.2. Similiter, ſi vlcus eſt nimium ſiccum, quia totum corpus eſt ſiccum, oritur indicatio ſubſtantificè humectandi totum, & partem circumdantem vlcus.

Si verò impediatur ſanatio vlceris ob intemperiẽ humidam, quod dignoſcetur ex ſuperflua humiditate, & ex mollitie partis vlceratę, oritur indicatio exſiccandi: quo caſu Gal.li.4. de cõpoſitione med. per genera c.1.laudat cadmiam, æruginẽ, alumen, veluti, R ec. cadmiæ ℥.5. æruginis æris cõbuſti ana ℥.1. aluminis ſciſſilis ℥. 5. ceræ nouæ pinguis vnc.5. m. ad ignẽ: hoc medicamentum exſiccat, & detergit peroptimè; docetque Gal. hoc medicamentum eſſe valentiſſimum: addit tamẽ ſi cera in maiori quantitate ponatur, medicamentum reddi mite, veluti ſi ceræ vnciæ decem ponerentur; cera enim mitigat acrimoniam aliarum materierum. Præterea in hunc vſum proponitur laudanum cum aqua vitæ, & multa alia de quibus hìc non eſt tractandi occaſio.

Si intemperies partis fuerit calida, quod cognoſcetur ex colore rubicũdiori vlceris, & ex tactu calido, & à ſenſu laborantis à quo duæ orientur indicationes, altera refrigerandi, altera repellẽdi; quia calor ſemper attrahit: in huiuſmodi vlcere vnguentum ſandalinum extra vlcus iuuabit. Idem facit refrigerans Galeni: ſi verò ratione vlceris voluerimus exſiccare, & refrigerare, optimum erit vnguentum de tutia, de ceruſa extra vlcus ſuperponendo linimentum ſimplex; ſi uerò intemperies fuerit intensè calida, unguentum populeum mirificè iuuabit.

Præterea cum duum generum ſint repellentia, alia ſcilicet frigida, & alia adſtringentia; ideò præter prædicta ualebit ſpongia ex uino nigro auſtero, in quo ebullierint balauſtia, gallę, ſemina acacię, uel alia id genus expreſſa, & ſuperpoſita; Auicennas commendat ſolanum cum bolo ar. & aceto; ſed ſi plura uolueris poteris adire Galen. in lib. de comp. med. & alibi, ubi de materijs remediorum ſermonem habet.

Si uerò frigida intemperies partis ulceratæ impedierit ſanationem ulceris, ea tollenda erit contrarijs; agnoſcemus uerò hanc frigidam intemperiem ex colore ulceris albicante, ex tactu Chirurgi, & ex ſenſu frigido laborantis; & demum ex beneficio calidarum rerum; quare intemperies, ut frigida, non ſolum indicabit calefacientia, ſed relaxantia, & poros rarefacientia; ratio eſt; quia ibi frigida eſt intemperies, ubi ſtatim ſuboritur denſitas; & durities partis; In paruo ulcere cum frigida intemperie mitiſſimum medicamentum applicatur, quale eſt ſpongia madefacta in uino albo, deinde in ulcere maiori utimur unguento apoſtolorum, uel iſidis in proportionata quantitate; parti uerò circundanti ulcus applicatur unguentum de betonica; ſi uerò intemperies eſſet intensè frigida tunc ſumimus loco uini albi maluaticum, quo partem ulceratam abluimus, uel utimur oleo de ſpica; extra uerò ulcus fomento ex lixiuio, aqua uitæ, & ſimilibus.

Curatis his intemperiebus, deinde ulcus tractatur exſiccantibus, & tandem epuloticis.

Colligas igitur, quæ impediunt ſanationem eſſe ſorditiem, inflammationes, tumores, humorum affluxus, & intemperaturas, ad quæ impedimenta omnia alia redigi poſſunt, ut propterea ualdè erret Argenterius, dum ſuſtinet, Galenum in hac cõtemplatione eſſe diminutum; quia præter ſupra dicta ait, Argenterius, dari gangrænam, putredinem, cancros, eryſipelata, & herpetes; ſed fallitur, quia omnia reducuntur ad propoſita; gangræna enim & putredo poſſunt reduci ad ſorditiem; cancri uero eryſipelata, & herpetes ad intemperies, & ad tumores.

1 Dub. proponitur ab Argent. in hoc tex. contra Galen. quod non ſit verum, in vlceribus concauis ſemper eſſe detergendam ſorditiem; quod probat auctoritate Hipp. lib. de vlcerib. vbi proponit in ſanãdis vlcerib. exſiccantia, & non abſterſiua, ſeu detergentia, ibi enim dicit ſiccum eſſe vicinius ſano, quam humidum: de abſterſiuo nil dicit; imò ipſemet Gal. lib. de compoſit. med. per genera, & alibi laudat dictam Hipp. ſententiam quod in vlceribus exſiccantia, & non abſtergentia conueniant. Præterea Argent. probat experientia, ſorditiem non eſſe excrementum vlceris, vt vlcus eſt, ſed potius fieri in cura Chirurgorum, quia in vlcere cauo humida, & ichoroſa ſunt in principio; in progreſſu verò eſt ſanies, & non ſordities: infert ergo, in cauo vlcere non ſemper eſſe ſorditiem, nec ſemper eſſe ichorem, & per conſequens ichorem, & ſorditiem nõ eſſe duo excrementa propria & naturalia vlceris, quia ſi eſſent propria eſſent per ſe & ſemper, quod eſt falſum.

Reſpondet Quidam modernus, & Oddus, craſſum & tenue excrementum non fieri in ſimplici vulnere; ſed ſolum in cauo: quando verò Hipp. in prin. lib. de vlcerib. laudat exſiccantia, & nil dicit de abſterſiuis pro ſanandis vlcerib. reſpondent, Hipp. ibi loqui de vlcerib. ſimpliciſſimis, & non de compoſitis; inter quæ eſt vlcus cauum.

Reijci debet hæc reſponſio, quia dum dicit, nõ generari in ſimplici vlcere craſſum excrementum, ideſt ſorditiem, eſt dogma arti medicæ nimium repugnans, quod probatur hoc argumento: ſi colliguntur ſordes in cute temperatiſſimorum, & ſanorum hominum, quanto magis in parte vlcerata, quæ eſt pars magis excrementoſa, colligentur? an ne in qualibet concoctione colligitur excrementum craſſum, & tenue? an ne in parte vlcerata eſt aliqua nutritio, & concoctio? dicant mihi qualianam ſint excrementa tertiæ concoctionis; nemini dubium, quod excrementum tertiæ concoctionis craſſum ex omnium Medicorum conſenſu eſt ſordities, quare, & in parte vlcerata ſordities erit perpetua, immò poſt factam cicatricem adhuc ſordities perſeuerabit.

Dicimur igitur nos nemine contradicente, excrementum tenue, & craſſum in omni concoctione concurrere: in prima tamen dicimus fæces, & ichorem fæcum: in ſecunda bilem, vrinam, & melancholiam; in tertia ſordes; & quod inſenſibiliter perſpiratur: quæ quidem perſpiratio inſenſibilis, vt ſuperius probauimus ex Galeno in debili in ſudorem cedit: ſic dicimus in omni vlcere, ichorem, & ſordes fieri, quæ ſi à Chirurgo non mundentur, vlcera fieri longè maiora, & ſordidiora.

Quare ridiculum eſt, quod dicit Argenterius, experientia ſcilicet patere, non inueniri perpetuò ſorditiem in vlcere; quia non ſemper videtur: non enim valet, non videntur, ergo non ſunt: quoniam in ambitu totius corporis perpetuò generantur ſordes, tamen non ſemper conſpiciuntur: ſed quod valdè mouet riſum, eſt, dum Argenterius primo videns vlceratas particulas ex neceſſitate nutriri, & poſt nutritionem neceſſariò colligi excrementa: deinde tamen reſpondet: excrementa facta in nutritione vlceris non euacuari per labia, & cauitates vlcerum, ſed per ſuperficiem externam partis circunſtantis; quod ſubterfugium eſt quoque admodum vanum, & puerile.

Hinc videns Argenterius ſe in paradoxum incidere, addit hæc verba: hæc defendimus vt vera, aut veris maximè vicina, quaſi quod non ſint vera, ſed ſolum ueritati uicina, ergo falſa: qui enim non attingit ueritatem, ſit uicinus, uel toto Cælo diſtans: æquè illam non percipit: quidditas enim eſt obiectum intellectus, & quidditates ex Ariſt. in metaphy. non ſunt partibiles, ſed ſunt ſicuti numeri impartibiles.

Quo ad auctorit. Hipp. quod exſiccantia ſint illa, quæ conferant ulceribus: Reſpondemus non eſſe contra nos; quia remedia quoque abſterſiua ſunt exſiccantia. Præterea non ualet conſequentia, laudantur ab Hipp. exſiccantia, ergo detergentia, ſeu abſterſiua ulceribus non conferent; alibi enim Hippocr. & Galen. laudant pro ulceris ſanatione abſterſiua, qualia ſunt mel, linamenta ſicca, & alia id genus, quæ abſterſiuis ſubrogantur.

Ratio uerò, cur cauitas ulceris non ſanetur, niſi tollatur ſordities, eſt, quia hoc ſor-

ſordidum viſcoſum, & craſſum excrementum adeo hęret vlceratis partibus, vt caua vlcera non poſſint nutriri, & per conſequens nō poſſit noua caro regenerari: impeditur enim hæc regeneratio ob malam ſorditiei qualitatem, quæ adeò inficit, vt ſanguis deſtinatus vlceris nutritioni reddatur ineptus; atque hæc eſt cauſa, cur vlcera indigeant ſarcoticis, quæ abſumant humiditatem ichoroſam, & auferant ſorditiem.

2 Dub. non videtur, quod in omnibus cauis vlceribus conueniant ſarcotica; quia aliquando vſu ſuppurantium humor impediens ſanationem conuertitur in pus, quo omninò conuerſo, natura ex ſe generat carnem, & perfectè vlcera ſanat: ergo ſine ſarcoticis vlcera caua poterunt ſanari, ergo indicatio, quæ oritur à ſorditie indicante ſarcoticum, de ratione cuius eſt abſtergere, non erit neceſſaria.

Reſpondetur, dum ſuppurantibus ſanantur vlcera caua, pus confectum virtute ſuppurantium habere mirificam virtutem abſtergendi ſorditiem, quia pus exſiccat, incidit, & detergit, & in numero ſarcoticorum optimorum debet collocari.

3 Dub. Galenus loquens de ſarcoticis dicit, eſſe exſiccantia in primo, vt abſumere poſſint redundantem humorem, qui impedit carnis regenerationem. Quæ quidem doctrina ab Argenterio reijcitur, eo quia humiditatem vlceris ait, tolli poſſe non ſolum ijs, quæ habent potentiam ſiccandi in primo gradu; ſed alijs materijs, quæ ſunt deſtitutæ potentia exſiccandi, veluti ſunt filamenta, linamenta ex cannabe: immò & aquæ ablutione auferri poteſt vlceris humiditas.

Reſpondetur, quod Gal. non negaret, humiditatem vlceris abſumi poſſe linamentis, & petijs ex lino, vel cannabe, & aquæ ablutione; Argenterius debebat probare, quod ſarcotica non habeant talem potentiam abſumendi ichorem vlcerum, & non afferre alia, quæ ex accidenti idem faciunt: immò nos Argenterio concedimus, quod omnia, quæ exſiccant, vlcera, exſiccent per ſe, vel per accidens, habeant potentiam exſiccandi: Nos enim docet Ariſt. libello dę ſomno in principio hoc perpetuæ veritatis dogma, eiuſdem eſſe actum, cuius eſt potentia, & viceuerſa, quare ſi aqua exſiccabit vlcus, ei non denegabitur potentia exſiccandi; quomodo verò vlceris cauitatem exſiccet, dicimus id efficere, quatenus in ablutionis motu aqua ſecum aufert, & amouet vlceris excrementa.

4 Dub. non videtur, quod cauis vlceribus ſemper ſint applicanda abſtergentia; quia humores excrementoſi imbibiti circa vlceris cauitatem non poſſunt tolli, niſi ſuppurantibus: Gal. enim 3. præſag. 29. dicit, humores detentos in parte debili nunquam iudicari per excretionem inſenſibilem, ſed ſolum per conuerſionem in pus; quare nō remedia ſicca, vel deterſoria, vel ſuppurantia conuenient vlceri cauo. Ego quam plurimis cauo vlcere correptis, qui non poterant ſanari ob multitudinem humorum imbibitorum in parte vlcus circundante, præſcripſi remedia ſuppurantia, quæ in bonum pus totum humorem imbibitum tranſmutarunt, & deinde nullo alio adhibito auxilio natura perfectè illos ſanauit; ergo caua vlcera ſine abſterſiuis ſanari poſſunt.

Reſpondetur, quando Gal. dixit, vlceri cauo eſſe applicanda deterſoria, conſideraſſe vlcus vt cauum, & non vt inflammatum, vel vt habens humorem confluxum aptum ſuppurationi. Hinc Gal. 11. meth. cap. 12. & alibi docet, ſi vlcus cauum iunctum ſit cum inflammatione partis circunſtantis, vel cum tumore, vel materia imbibita, prius eſſe tollendam inflammationem, vel materiam imbibitam, quam vlcus: humor verò imbibitus ſuppurantibus in pus conuertitur. Similiter Gal. 4. meth. cap. 5. dicit, primam vlceris vt vlcus eſt, indicationem eſſe mediocrem ſiccationem: addit, ſi vlcus ſit cum alio affectu iunctum, eſſe illius affectus indicationem priorem; mox & ipſius vlceris; addimus nos, quod ſuppurantia ex accidenti habeant vim abſterſiuam, quatenus conficiunt pus, in quo eſt vis abſtergendi, & exſiccandi ichorem, & ſorditiem, quę in cauo vlcere generantur.

5 Dub. in tex. Galen. & alibi dixit, in omni vlcere eſſe exſiccandum: & Hipp. in 1. lib. de vlceribus habet, ſiccum

ſano

ſano proprius eſſe;humidum verò non ſano;immò Gal. 3. meth. cap. 6. haber hanc ſententiam, nullum humectans, vel primariò,vel ex accidenti vlceribus commodum eſt:nihilominus 4.meth.cap. 2. dicit, vlcera cum intemperie ſicca eouſque fouenda aqua tepida, quouſque pars incipiat colore aliquo rubro tingi;quare dantur ſaltem nonnulla vlcera, quibus conuenient humida, quod eſt contra illud, quod dixit Hipp.& Gal.locis citatis.

Solutio facilis eſt;quia Galen. vtebatur aquæ dulci tepida, non ratione vlceris, vt vlcus eſt, ſed ratione intemperiei ſiccæ partis circunſtantis. Hinc Gal. 4. methodi cap. 2. aquam in vlceribus curandis damnat, quamvis ibi loquatur de vlcere cum intemperie humida: nocet enim humidæ intemperiei, & vlceri, vt vlcus eſt.

6 Dubit.Galen.in hoc cap.profitetur de omnibus affectibus, qui cum ſolutione continui complicantur,verba facturum: ideò egit de ſorditie, cauitate, inflammatione, tumoribus,humorum affluxu, & de intemperiebus partis circumſtantis omiſit tamẽ affectum magis præcipuum, qui ſæpiſſimè complicatur cum vlcere,& vulnere: & eſt dolor, à quo attrahuntur humores,vlcera recrudeſcunt, fiunt eryſipelata,cõuulſiones,& mortes:affectũ igitur huius momenti nõ debebat omittere.

Reſpondetur, Galenum in hoc libello loqui de iis,quæ non ab omnibus ſciũtur; quod dolor in omni affectu prius ſit auferendus,quam alij,patet .n. quia dolor inter vrgentia collocatur: omnes .n. ſciunt ei,quod magis vrget,prius eſſe attendendum:quo fit, vt Galeni intentio ſit in hoc loco agere de complicatione cauſarum, impedimentorum, & morborum, & non vrgentium,quod verò prius ſit attendendum impedimentis, quam vlceribus, & prius cauſis,quam impedimentis, non ità omnes ſciũt.

Vulgares ſciũt in omnĩ complicatione affectuum dolorem,cõuulſionem, ſyncopem, & alios pernicioſos prius eſſe auferendos, non tamen ſciunt prius eſſe attẽdendum intemperiei partis circunſtantis, quam vlceri; prius inflammationibus, tumoribus,& humoribus fluentibus, quam vlceri,& prius eſſe tollendam carnẽ mollem,vel laxam,vel creſcẽtem,quam Græci vocant hyperſarcoſim, & deinde vlcus eſſe exſiccantibus ſanandum.

CAPITIS XCIII.

De ſpeciebus morborum in conformatione.

Tex. 59. *Nunc verò tranſeundum eſt ad formationis genus, quod in plures ſecatur differentias. At ab eo,quod euidentiſſimum exiſtit, exordium eſt ſermonis faciendum,quod ex figura permutatione contingit. In his igitur qui adhuc creſcunt, poſſibile eſt plurium partium figuram emendare: in his autem qui iam aucti ſunt,minimè. Intentio tamẽ quead fieri poteſt, curationem adhibere ad contrarium euerſionis adducendo. Si verò fractione aliqua non rectè conformata, alicuius membri figura fuerit vitiata, cuũ ſubſtantia calloſa innaſci præuenerit, ſi quidem hæc adhuc recens extiterit, perfringere oportet, ac rurſus rectè efformare, deinde callum ſuperinducere.*

POſtquam Galenus egit ſuperius de cauſis ſalubribus, ideſt de remedijs intemperierum, & ſolutæ vnitatis tum ſimplicis, tum complicatæ;Hic incipit de remedijs malæ conformationis; rationem huius ordinis ſuperius tradidimus;verum,quia ſub conformationis genere quinque ſpecies continentur,meatus .ſ. cauitas,ſuperficies,orificia, & figura: ideo dicit Galen. in hoc cap.eſſe incipiendum à figura, tamquam à notiori;læſio enim figuræ oculis noſtris illicò ſubijcitur, meatus verò, cauitates, orificia, & ſuperficies non ità ſunt conſpicua.

Tria in hoc cap.ſcitu digna pauciſſimis verbis admonet;primum, quod in iis, qui creſcunt ſit poſſibile,vt læſiones in figura plurium partium emendemus: dicit plurium partium; quia aliquando in pueris demitur oſſis portio, tamen ſeruatur eadem figura; in iis verò, qui non amplius creſcunt, & ſunt adulti, dicit plurium partium figuras non emẽdari.

Secundum,admonet intentionem, ſeu modum curationis prauæ figuræ fieri per deductionem in partem oppoſitam membri malè figurati; oportet enim mem-

brum diſtortum in partem oppoſitam diſtorquere tenſione, vel expulſione, couſque deducendo, donec æquetur, & æquatum conſeruetur, & ſuſtentetur ligaturis, & puluillis, obſeruando ea, quæ dicta sūt ſuperius de fracturis; ac prouidendo, ne apoſtema, pruritus, vel ſiccitas in cura dislocationis, vel fracturæ ſuccedat.

Tertium præceptū dat, dum cauſat imperitorum Chirurgorum oſſis figura nō rectè conformetur, & ad priſtinum ſtatum reducatur; dicit, ſi callus ſit recens, & figura malè conformata optimus Chirurgus iterum callum frāgit, & deinceps illicò reducit oſſa ad locum proprium, & naturalem, ità vt nulla tortura remaneat; & poſtremò curat, vt ſuperinducatur nouus callus; Si verò callus ſit inueteratus, non poterit frangi ſine periculo doloris conuulſiui, & apoſtematis muſculorum ſuperiacentium; ſicuti contigit cuidam ſeni, cuius hiſtoriam refert Hali; qui volens quoddam os rectius conformare, quando callus erat iam inueteratus, perijt ob nimios dolores, & alia accidentia; melius igitur eſt, vt in callo inueterato relinquatur figura diſtorta, & imperfecta.

Aderat nuper in comitatu Bergomenſi quidam verſatiſſimus in frangendis callis fracturæ malè figuratæ, & in illis reducendis ad bonam figuram; audias, qua arte ſemel vſus ſit, vt patiens in frangendo callo nullo ferè vexaretur dolore; cæpit cum patiente ſpatiari, & multa ſermocinari: Interim, dum videt patientem mente diſtractum confertim extraxit enſem fingens ſe adoriri patientem; tunc non enſe illum percutit; ſed pede callum tibiæ vetuſtum fregit; quo peracto, enſeque proiecto, oſculatur patientem, & cum illo lætatur de peracta calli fractione, quam ſine vllo patientis dolore executus eſt; deinde repoſuit oſſa ad priſtinam figuram naturalem.

Malæ figuræ fiunt ob luxationes; luxationes verò ſunt trium generum.

Primum, quando oſſa, quæ erant iuncta, dehiſcunt, quæ ex Celſo lib. 8. cap. 10. contingunt, vel quando os latum ſcapularum ab humero disiungitur, aut radius à cubito, vel ſura à tibia. Cognoſcitur hæc luxatio; quia craſſities membri eſt maior reddita.

Secundum genus luxationis eſt, quādo oſſa elongantur propter mollitiem ligamentorum; non eſt tamen vera luxatio; quāuis os poſſit excidi à ſuo ſinu: cognoſcitur hæc luxatio, quia ſi os comprimitur redit in ſuum ſinum, & pendet veluti filo appēſum, & hùc, & illùc inordinatis motibus mouetur; hæc autem duo genera à cauſis internis fieri ſolent.

Tertiū genus dicitur propria luxatio, & eſt quādo caput oſſis excidit à ſuo ſinu; ſi perfectè excidat, dicitur dislocatio: ſi verò imperfectè, vocatur à Rhaſi diſtortura: ſciendum tamen omnes articulos ob viſcoſitatem capitum oſſium pati poſſe diſtorturam, exceptis articulis fæmoris, & humeri; quia horum capita quaſi in puncto tangunt ſupercilia: ideò prolabuntur ex toto, & nullo modo efficere poſſunt diſtorturam, vt alij articuli.

Signa dislocationis quatuor afferūtur; primum, amittitur motus articulorum: ſecundum eſt concauitas inſolita, vbi eſt articulus, & eminentia in loco oppoſito: tertium membrum breuius fit: quia muſculi ſemper trahūt ad ſuum principium: quartum, membrum luxatum fit diſſimile ſano in figura, & ſitu.

Cura luxationis tota à manu Chirurgi dependet: quatuor tamen ſunt ſcopi, extenſio. ſ. repoſitio, deligatio, & collocatio, vt docet Gal. 2. de fracturis cōm. 52. & 53.

Requiritur extenſio, quia de ratione muſculorum eſt trahere os prolapſum ad ſuū principium, vnde ſemper membrum luxatum redditur breuius: ſed hic quatuor ſunt valde notanda: primum eſt, vt uideamus in extēſione, ne caput muſculi ſit in parte interna, & finis in externa; quia excitarentur dolores inſignes, & inflāmationes; quare miror, quod multi luxatione correpti audeant accedere ad imperitos anatomiæ in hoc negotio re vera pertinente ad optimum anatomicum.

Secundum notandum eſt, quòd dum reponitur os luxatum cauendum ſit, ne fiat capitis oſſis circumrotatio; quia facilè frangi poſſet ſupercilium.

Tertium, quòd repoſito oſſe fiat ligatura, & ſuperponatur ceratum barbarum, oxyceroceum; & alia, quæ adſtringunt, miſceātur: ſi verò adſint dolores inſignes, oleo roſato, vel alio anodyno mitigentur.

Quar-

Quartum membrum repoſitum, & ligatum debet cõſeruari per quatuor dies immotum; ſi verò adſit pruritus, locus aqua calida perfundẽdus eſt: plura tamen Gal. & Hippoc. lib. de articulis, & fracturis, & Celſus aduertunt, quæ ſimiliter ab alijs Chirurgis traduntur, de quibus particulatim hic non eſt agendum.

1 Dubit. Gal. ſuperius loquens de conformatione reducẽda ad melius, dixit in pueritia, & infantia figuram conformari poſſe: in hoc loco verò non ſolum docet, eſſe verum de infantia: ſed etiam de adoleſcentia; ergo Galenus eſt varius, & non ſibi conſtans.

Reſpondetur, dum ſuperius dicebat in pueritia rectè conformari poſſe malam figuram, intelligebat de illis, qui ab ortu naturæ, vel ſtatim ab ortu in figura vitiãtur; & de ijs eſt dicendum, quod poſſint reduci ad bonam figuram; quia oſſa habent mollia, & fluxilia; in hoc loco verò loquitur de illa figura, quæ in diuerſis ætatibus vitiatur; & de hac inquit in ijs, qui creſcunt, ſi callus eſt recens, poſſe figuras plurium partium emendari.

QVÆST. CXIX.

De generatione morbi.

PRima Dubit. non videtur, quod praua figura ſit connumeranda in morborum catalogo; quia morbus eſt in prima ſpecie qualitatis, in habitu ſcilicet & diſpoſitione: praua figura verò eſt in quarta ſpecie: Quod verò morbus ſit habitus, vel diſpoſitio, patet auctoritate Ariſtot. in prædicamento qualitatis. Præterea non ne adeſt morbus in quãtitate diminuta, vel aucta, & in numero? quomodo ergo genus remotum morbi erit qualitas, & proximum genus erit diſpoſitio, & habitus?

Reſpondet Pluſquamcommentator, quod non omnis ægritudo ſit in prima ſpecie qualitatis: additque, non dari vnum cõmune genus ægritudinum: ideò inquit, quod Galenus definiens morbum non dixit, eſſe habitum, & diſpoſitionem; ſed eſſe compoſitionem præter naturam lędentem operationem; dicitque compoſitionem videri vnionem, & vnum nõ eſſe in genere, ſed eſſe tranſcendens omne genus: ſed miſer adeo tergiuerſatur, vt tandem eo veniat, vt dicat, genus commune morborum eſſe ſitum.

Leonardus Fuſchius videns Gal. lib. de differentijs morborũ dicentem morborum aliquos conſiſtere in qualitate: aliquos in quantitate; aliquos in ſubſtantia, negat dari commune quoddam genus ægritudinum; putatque aliam ægritudinem eſſe in prædicamento ſubſtantiæ; aliã in quantitate; aliam in qualitate, quæ genera non habent vnũ cõmune genus.

Alij putarũt genus commune ægritudinum eſſe prædicamentum relationis, quia dicunt Gal. lib. de differentijs morborum definire morbum per ametriam; ſanitatem verò per ſymmetriam; hanc ametriam dicunt eſſe relationem realem, quia ea de cauſa eſt ametria, quia talem habet relationem ad ægrotantem.

Pręterea cõfirmant ſuam opin. auctorit. Ariſ. 7. Phyſ. tex. 17. vbi habet hęc verba; *Virtus autem omnis, & vitium eorum, quæ ad aliquid, ſicut ſanitas quidẽ calidorum, & frigidorum commenſuratio quędã eſt:* Quare ſi ſanitas per Ariſt. & morbus ſunt ad aliquid, morbus nõ erit qualitas.

Verior opinio, & in ſcholis ferè ab omnibus recepta eſt, quod genus morbi ſit qualitas; primo patet auctoritate Ariſ. in prædicamento qualitatis, ubi clariſſimè docet, genus proximum morbi, & ſanitatis eſſe habitum, & diſpoſitionem.

Similiter Gal. ſemper dicens morbos, docet, aliquos morbos eſſe in habitu, ut hecticæ febres: aliquos in diſpoſitione, ut putridę. Preterea lib. de differentijs morborum c. 4. habet hæc uerba; *Age ſint prima elementa numero quatuor, calidũ, frigidũ, humidũ, & ſiccum, quib. inuicem moderate cõfuſis ſanũ ſit animal; immoderatè verò ægrotum: erunt continuò, & primæ ægritudines quatuor, prima calor, qui naturalẽ exceſſerit modũ, ſecũda frigus, tertia humor, & quarta ſiccitas:* Ecce igitur, quod qualitates, dũ excedũt, ſunt morbi.

Hinc Galen. 2. methodi c. ultimo definiens febrem dicit, febris eſt calor tãtus, quantus poſſit actionem lædere; Nec ualet, dũ dicunt, qui putãt morbos eſſe relationes, quod calor non ſit febris, ſed cauſa febris; quia operationes, quæ læduntur à febribus, immediatè prodeunt à calida,

lida,& ſicca intemperie:ſi calor eſſet cauſa febris, eſſet ſua natura à febre ſeparabilis, quod eſt imperceptibile.

Errant,qui dicunt,morbos eſſe relationes; quia relationes ex ſe non habent actiones: & per conſequens non poſſunt lædere actiones, immò eſt ridiculum aſſerere, quòd qui nullam habent potentiam agendi agere poſſint.

Præterea agendi potentia nullibi eſt, niſi in categoria qualitatis,& non in omni ſpecie, ſed in ſua ſpecie determinata; ità vt neque habitus, neque diſpoſitio, vt tales, habeant potentiam operandi, nec figura,nec paſſio,& poſſibilis,qualitas,vt tales; quamuis habitus, & diſpoſitio dum agunt, agant per potentiam, & non alio modo. Quod cum ita ſit, quomodo dicere poterimus, relationes agendi potentiam habere.

Cæterum,qui vult profundè intelligere,vnde agendi potentiæ prodeant,legat librum octauum methodi noſtræ, vbi diſputauimus contra Gregorium Ariminenſem,& omnes illos,qui putarunt potentias agendi eſſe in categoriæ ſubſtantiæ: ibi enim propoſuimus nouam,& hactenus inauditā ſeriem,& ordinem qualitatum omnium, eas omnes redigendo ad prima ſua certa,& determinata initia.

Quo pacto verò de medio tollantur: inſtantiæ illorum, qui putant, morbum eſſe in prædicamento relationis, & eorū, qui puant, morbū non habere propriam categoriam, non mihi videtur difficile; ſed conuenit, vt paucis eas diluam; quia hic non eſt locus agendi de his:immò niſi Pluſquamcommentator in hoc loco de hac re egiſſet, quamuis admodum ruditer, ne verbum quidem dixiſſem.

Ad Fuchſium, & Pluſquamcommētatorem reſpondemus,morbos, qui ſunt in quantitate,in ſubſtantia,in ſitu non eſſe formaliter quantitatē,ſubſtantiam,vel ſitum; ſed tātum materialiter,quatenus .ſ. in quantitate,ſubſtantia,& ſitu fundatur illa mala diſpoſitio, vel mala conſtitutio, quæ non eſt vna vt tranſcendens, ſed eſt natura quædam ſpecifica, & determinata, quæ ab Ariſt.& Gal. in qualitate, in habitu,ſcilicet & diſpoſitione collocatur.

Ad illos qui probarunt ex Ariſt.& Gal. morbos,& ſanitatem eſſe relationes, reſponſio eſt facillima; quamuis Valeſius lib.4. cap.1. contr. longo diſcurſu conetur, illorum nugas diluere; concedimus nos, morbum, & ſanitatem eſſe ad aliquid:ſed medicum,dum conſiderat morbum, vt lædit operationes, dicere non debere eſſe relationem, ſed eſſe qualitatem aliquam efficientem; & hanc dicimus eſſe quoque habitum,ſeu diſpoſitionem, ſeu malam conſtitutionem.

Dum verò ab Ariſt.7. phyſicorum tex. 17. morbus, & ſanitas vocantur relationes, concedimus eſſe relationes ſecundū dici,ſed non ſecundum quidditatem:nullus enim eſt philoſophus, qui non admittat omnia prædicamenta eſſe poſſe relatiua ſecundum dici. Hinc dum Gal.vocat morbū ametriam, & ſanitatem ſymmetriam,dicimus, præter relationem ſecundum dici, morbum & ſanitatem eſſe qualitatem, quæ habet vim mouendi ſecundum naturam,vel præter naturam. Quod verò relatio nullam habeat vim lædendi, probat Ariſt. 3. phyſ. vbi dicit, in relatione non eſſe motum: quare relatio non poterit eſſe genus morborum, vel ſanitatis,quorū naturæ in motu conſiſtunt .i. in bonis, vel malis operationib. naturalibus,vitalibus, vel animalibus.

CAPITIS XCIV.

Particula I.

Tex. 60. *Eſt verò & obſtructio ex eodem genere ægritudinum, quæ quidem ex lentis,& craſſis humoribus fit,vnam & ipſa habens intentionē morbo contrariam: dico autem apertionem. Cauſæ verò ſalubres ſunt abſtergentia,atque incidenti a medicamina.*

IN capite ſuperiori cępit agere de remedijs morborum in mala conformatione, egitque de remedijs prauæ figuræ, læſio eſt euidentiſſima, omnibuſque conſpicua:ſemper enim Galen. à notoribus auſpicatur.

In hoc cap. verò vult agere de remedijs auferētibus malas conformationes, quæ dicuntur in cauitate; ſed quia cauitas prædicatur de meatibus exiguis, de ventre, & de quolibet loco capaci, & de orificijs vaſorum; incipit in hoc tex. ab obſtructione,quod cauitatis vitiū notiſſimum

mum eſt; occupatque meatus exiguos.

In hoc tex duo facit, primò proponit remedium quoddã commune omnibus obſtructis cauitatibus: dicitque eſſe apertionem.

Secundò deſcẽdit ad remedia auferentia obſtructionem magis ſpecifica, & docet eſſe medicamina abſtergẽtia, & incidentia: abſtergentia eſſe illa, quæ abſtergunt, eluunt, & remouent à meatib. humores lentos, & viſcoſos. Incidentia quæ humores craſſos attenuant, vt attenuati facilius illorum meatuum anguſtiam penetrant. Hinc ſi cauitas eſt laxa, & adſint humores craſſi non indigemus incidentibus: ſed ſufficiunt abſtergentia; ſicuti, dum ventriculo adhæret materia viſcoſa, & craſsa, tunc vtimur abſterſiuis, ſicuti eſt mel roſatum.

Hinc notatur illorum error, qui vtuntur pro amouenda materia pituitoſa adhærẽte ventriculo oxymellite, & præſertim ſcillitico, quia in hoc caſu ſufficiunt abſterſiua: incidentium enim officium eſt attenuare humores, vt melius penetrent; ad quid ergo his attenuantibus in magna cauitate vtuntur?

1 Dub. Gal. agens de morbis in cauitate agit de morbis in anguſtia; de morbis verò in dilatatione ne verbum quidem fecit, ergo mancus.

Reſpondetur, quòd breuitati ſtudens id omiſit, & meritò, quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina, vt docet Philoſophus 1. top. cap. 8. cognitis enim remedijs auferentibus anguſtiam, facilè patebunt remedia auferentia dilatationes.

2 Dub. Gal. proponens remedia pro auferendis obſtructionibus refert hæc duo, abſtergentia, & incidentia: omiſitque attenuantia, quæ videntur differre ab incidentibus; quia attenuantia reſpiciunt humorem craſſum, & melancholicum: incidentia, vt docet Auicennas, reſpiciũt humorem viſcoſum: putat enim Auic. attenuãtia reddere humorem ſubtilem: incidentia verò penetrare ſine attenuatione.

Pluſquamcommentator proponit hãc Dubitationem, & eam ſoluens dicit, Galenum ſub nomine incidentium intellexiſſe etiam attenuantia, ſeu ſubtiliatiua, quæ reſpiciunt craſſitiem humorum: dicit enim de ratione incidentium eſſe penetrare inter duas ſuperficies, idest inter ſuperficiem humoris viſcoſi, & meatus in quo continetur viſcoſitas: de ratione verò attenuantium eſſe reddere ſubtiles humores craſſos, quod non faciunt incidentia; quæ verò attenuant, dicit eſſe hyſſopum, camomillam, & eupatorium; addit tamen in eupatorio non ſolum eſſe virtutem attenuandi; verùm etiam incidendi; de ratione verum abſterſiui non eſſe attenuare, vel incidere, ſed amouere humorẽ à loco, vbi eſt inuiſcatus; hancq; doctrinam deſumpſit ab Auicenna neq; omninò reijci debet, vt faciũt Moderni. poteſt enim Auicennas cum Galen. concordari dicendo, quod incidentia ſint duum generum, alia penetrãtia inter duas ſuperficies, vt ſuperius dixerũt: & alia attenuãtia, ſeu ſubtiliantia (vt aiunt) ipſam humorum craſſitiem: hocq; modo dubitatio ſoluitur, & defenditur ab aculeis Argenterij, qui iniuria illum reprehendit, quòd nihil dixerit de attenuantibus.

3 Dub. Gal. pro tollendis obſtructionibus proponit incidentia, & abſtergentia, quæ remedia pro auferendis omnibus obſtructionibus non videntur ſufficere; quia ſi denſabitur cutis ab externo frigore non conuenient incidentia, vel detergentia: ſed rarefacientia: quæ calefaciendo agunt: ſi cutis exſiccabitur à Solis feruore, ſi conſtringetur ab aquis aluminoſis, ſi à copia humorum obſtruetur, tunc non incidentibus, & abſtergentibus erit procedendum; ſed alijs contrarijs remedijs: ſententia eſt ipſius Galeni 11. methodi c. 8. denſitatem curari per ea, quę rarefaciunt; conſtrictionem per ea, quæ fundunt: abundantiam per ea, quæ euacuãt: craſſitudinem per ea, quæ diſſecant, lentorem per ea, quæ detergunt.

Reſpondetur, Gal. hic agere ſolum de obſtructionibus propriè ſumptis, quæ reuera, vel a lentis, vel à craſſis humoribus fiunt; neque loquitur de denſitate, & anguſtia in communi. Hinc Gal. 3. de ſan. tuen. c. 10. dicit, dum cutis adſtringitur, vel à refrigerantibus, vel ab aquis aluminoſis fieri affectũ in denſitate: obſtructionem verò dici, dum à craſſis, vel lentis humoribus ad cutim irruẽtibus fit. Pręterea in tex. Gal. proponit intentionem cõmuniſſimam in curandis obſtructionibus, dicitque

citque eſſe aperiendum;ſub qua intentione omnia continentur,quę per ſe,vel per accidens aperire poſſunt;quinque enim à Gal.lib.de differentijs morborum ſpecies anguſtiæ numerantur, obſtructio, compreſſio,coaleſcentia, ſubſidētia, & occluſio in meth.ponit quoq; conſtipationem.

4 Dub.Gal.9.meth.c. 1. & 3. de tuend. val.c.10. dicit, obſtructionem fieri à craſſis,vel à glutinoſis,vel à copioſis ſuccis:in hoc loco tamē referr, obſtructionem fieri è craſſis,vel glutinoſis; nihil verò dicit de obſtructione,quæ fit à copioſis ſuccis: ergo vel hic mancus, vel locis citatis ſuperfluus.

Reſpōſio facillima eſt:quia licèt in hoc primo tex. nil dicat de obſtructione, quæ fit à multitudine humorum;tamen in tex. 4.huius capitis refert obſtructionem fieri quoque ab humorum copia,& multitudine,quæ obſtructio à multitudine non poteſt eſſe, niſi à ſanguinis copia, quoniam cęteri humores pituitoſi videlicet,& melancholici non obſtruunt, niſi vt viſcoſi, & craſſi.

CAPITIS XCI.

Particula II.

Quæ verò fit à ſtercore duro, quod interſepit inteſtinum, primum quidem habebit duritiei remedium ex humidis, pinguibuſque clyſteribus, demum ex acribus euacuationem expoſcet.

DAt Gal.aliud exemplum de affectu in cauitate,dum ſcilicet inteſtinū aliquod à duro ſtercore conſtipatur,& fit quędā ſpecies colici doloris:proponitq;remedia, quorum primum eſt, vt inijciantur clyſteres humidi, & pingues,qui fieri ſolent à noſtratibus ex oleo,butyro,& ex iuſculo,in quo ebullierint malua, blitū, & alia emollientia id genus:emollito verò ſtercore,dat ſecundum remedium, quod cōſiſtit in clyſteribus acribus, qui electiuè quoque ſoluere poſſint. Noſtrates imponunt per clyſteres electuarium diaphinicon ad vnciam: aliqui verò hieram ad ſemiunciā:alij ſemiunciā ſenę in infuſione paratæ, quę maximè iuuāt ad euacuandā pituitam,& alia excrementorum genera.

Hinc maxima ſunt digni reprehēſione, qui in aluo apprimè conſtipata in dolore colico à duro ſtercore prodeunte illicò acribus clyſteribus vtuntur, & alijs calidis fomentationibus, vel inunctionibus,quę omnia magis exſiccāt,& magis conſtipāt: docet.n.Gal.prius emollientibus,& deinde acribus euacuationib.incedendū. Ego præteritis dieb. incidens in ægrotantem, cuius aluus à duro ſtercore erat cōſtipata: & dolorem ventris patiebatur, illi exhibui prius decē vncias olei amygdalini, & die ſequenti iuſſi,vt clyſter ex amygdalino,& hiera inijceretur:quib.peractis omnia excrementa ab oleo liquata,& emollita,virtute hieræ euacuata ſunt.

Prætereà ego in doloribus colicis ortis ab induratis fæcibus, vel à quacunque alia cauſa, quamplurimos magnis doloribus liberaui,illis ſpacio 24.horarum exhibens 30.vncias olei amyg.dul.hoc ordine, vt manè vncias decem; veſperi alias decem ſine permiſtione diluti,& ſequenti diluculo alias decem:hęc olei quantitas certiſſimè peruenit ad locum dolentem, inungitq; omnia inteſtina, & certiſſimè dolorem ſedat, neque alium cibum hoc tempore exhibemus: quia oleum ſufficienter nutrit.

Dum verò noſtrates vtuntur ſex, vel ſeptem vncijs olei, redduntopus uanum; quia hæc pauca olei quantitas non ita peruenit ad locum dolentem,ut commodè emollire poſſit.

Sed duo ſunt noſtratum errata, quæ mouent riſum. Primum eſt,dùm credentes dolorem ſedare permiſcent cum dulci oleum amygdalinum amarum; quòd remedium nullo modo poteſt eſſe anodynum. Secundum eſt, dum cum oleo iuſculum permiſcent:quod permiſceri non poteſt; unde iniuria uexant ægrum maiori potione,quam par ſit. Facta emollitione exeremētorum,acres clyſteres, qui à Gal. proponuntur in tex. ſummoperè iuuare poterunt.

Notandū,quod cōſtipatio, de qua Gal. in tex.loquitur, non poteſt intelligi, niſi de conſtipatione,quæ fieri poteſt in inteſtino colo, & recto; quia clyſteres non poſſunt peruenire ad alia ſuperiora inteſtina ob ualuularum impedimentū,quòd inter cæcum,& colum eſt. Ego in anatomia

mia pluribus oſtendi per humani cadaueris inteſtina ſeparata, & mundata, per rectum .ſ. inteſtinum infuſam aquam ob valuulas nullo modo penetrare ad tenuia inteſtina;oſtēdi quoq; quod iniecta aqua per pyloron, illicò deſcendat ad colum, & rectum inteſtinum. Itaque dum Gal. de conſtipatione inteſtini à ſtercore duro loquitur, intelligit de conſtipatione coli; vel recti; non ilei, ieiuni, vel pylori,quia clyſteres eſſent vaniſſimi, cùm illùc non perueniant: Inſuper fæces dureſcere incipiunt in colo, & non in tenuibus, in quibus adhùc ſunt liquidæ, quia chyloſi adhuc non ſunt deſtitutæ.

1 Dub.non videtur, quod ſemper inteſtinum ſtercore duro conſtipatum iuuetur clyſteribus: debebat enim Galenus, dùm ſtercore duro tenuia inteſtina conſtipantur, proponere emollientia ſumenda per ſuperiora, & non per clyſteres propter valuulas,quæ impediunt,ne perueniant ſupra craſſa inteſtina.

Reſpondetur,Gal.per conſtipationem à ſtercore duro innuere dolorem ventris occupantem colum inteſtinum: quia admodum raró inteſtina tenuia ſtercore duro conſtipantur;quia in illis fæces ſunt liquidæ: ſolùm in colo vt plurimum dureſcunt: quòd verò Galen. quoque animaduertat modò per ſuperiora, modò per inferiora eſſe exhibenda medicamenta, paulò infra declarat: quare inſtantia eſt nullius momenti.

CAPITIS XCIV.

Particula III.

Qua autem à lapide fit in veſſica, in præſenti quidē tranſpoſitionē requirit: integra verò ſanitatis cauſa inciſionē, & extractionē.

TRadit in hoc tex.Gal. duo remedia, alterum quid agendum ſit, dùm lapis veſſicæ claudit meatum vrinarium, & impedit vrinæ exitum: alterum quid agendum pro integra ſanitate calculoſi ſumma vtens in tanto negotio breuitate: quaſi dicat Gal. ſi lapis efficiat morbum in cauitate, & impediat meatum vrinarium, ne vrina exire poſſit, tunc lapis eſt ab illo meatu ad alium locum tranſponendus; quod fieri ſolet ſyringa, vel ſaltu patientis: Si verò integrè velis calculoſum ſanare, oportet, vt inueniatur Lithotomus peritiſſimus,qui incidat,& extrahat lapidem.

Cæterùm hìc notatur communiſſimū quoddam erratū omnium ferè Expoſitorum,videlicet Pluſquamcommentatoris, Argenterij,immò, & Colūbi Anatomici lib.5.ſuæ anatomiæ c.26.qui putāt Lithotomum, dum incidit gratia extrahēdi lapidem,incidere quoq; colū veſſicæ;quod vulnus dicunt non eſſe læthale; quia colum eſt carnoſum; Opinio eſt falſiſſima: qui.n.ſemel vidit Lithotomū ſecātem, vt nos multoties vidimus,vel ſemel ſaltem vidiſſet in anatomia veſſicæ ſitum,nō incidiſſet in hunc errorem; quia colum veſicæ diſtat à vulnere, quòd fit à Lithotomo medij palmi circiter tractu: vulnus enim Lithotomi eſt ſolùm in fiſtula, qua defertur vrina,neque vltra penetrare poteſt; quia impeditur à magna quadam ſyringa, quæ imponitur, & ſectio ſupra ipſam fit,& quę eſt vulneris terminus:ita vt ſit ridiculum arbitrari, quòd hoc externum vulnus a Lithotomo factum penetret vſq; ad ceruicem: ſed nos in 3. lib. methodi noſtrę c.6.propoſuimus ſchema, in quo quiſque videre poteſt, vbi incidat Lithotomus:quare non eſt,vt in hoc loco plura dicamus,cum plenè lib.noſtro citato de hac re dictum ſit.

Secundū erratum eſt,dùm plurimi exponunt illum aphoriſmū Hipp.6.ſec.aph. 18. .ſ. pertuſa,perfectaq; veſſica,cerebro, corde,&c.eſſe lęthale,intelligi de veſſica, & non de colo: quia colum eſt carnoſum:quæ expoſitio eſt omninò falſa:quoniam in colo veſſicæ eſt maior neruorū, venarum, & arteriarum implexus,quàm in qualibet veſſicę parte;& per cōſequēs maius periculum:ſurculi enim ſexti paris neruorum cerebri irrigant veſſicam, & in ceruicem tanquam in centrum excurrunt, & in vnum ſimul cocunt: vnde exquiſitior ſenſus: Itidem venæ, & arteriæ in ceruicem deſinunt, vnde maius periculum inflammationis ſuboriretur, ſi ſecaretur colum, quàm veſſica.

Tertium erratum, idque communiſſimum eſt, dùm Noſtrates putant, colum veſſicę eſſe carnoſū,quòd reluctatur ſenſui, quia neq; vnica fibra carnea ibi conſpici-

ſpicitur,quare qui malunt credere auctoritati, quàm αὐτοψίᾳ, ſeu inſpectioni propriæ poſſunt ſuſtinere in collo nō ſolùm eſſe has fibras carnoſas,ſed quidquid imaginantur;ſed qui ſenſui,& inſpectioni maiorem adhibent fidem, ſi Lynceos quoque oculos haberent,non uiderent fibras,ſi nō ſint: Credimus ſanè, quòd qui omittunt ſenſum, & quærunt rationem, habeant,ut dicit Ariſt.8. phyſ. tex.22. intellectum imbecillum; ſed qui magis auctoritatibus, quàm ſenſibus fidem adhibent, puto eſſe omninò inſanos.

Hinc putamus cum Auerroe,muſculū ut muſculum nō eſſe organum adæquatum motus uolūtarij, quia uidemus inſecta edere motus ſpontaneos ſine muſculis; & in animalibus omnibus linguam exeri ſine muſculis illam foras attrahentibus.Similiter totam dorſi ſpinam flecti, & curuari;& non dari talem muſculum, neque omnes unitos, qui hoc efficiant; quare potiùs credendum eſt,neruum eſſe partem principem muſculorum, quàm caro; quia non datur motus uoluntarius ſine neruis; datur tamen ſine carne.

In hoc loco obiter reprehendi poteſt opinio Veigæ, qui dicit,tendonem eſſe partem magis principalem organi motus uoluntarij, quia dantur muſculi ſine tendone, ut ſunt muſculi laryngis, ani, &c. quòd uerò muſculus ſit præcipuum organum libertatis, uidetur eſſe Galeni lib. de plenitudine cap. 5. quamuis diuerſimodè alijs in locis loquatur.

Cauſa uerò, cur pereant aliqui, qui à Lithotomis ſecantur,eſt;quia poſt ſectionem immittunt forcipem, & ut uideantur peritiores,& in operatione tanti momenti ueloeiores, uiolenter collum dilatant,& dilaniant;& ſic laceratum in gangrænam incidere ſolet, unde mors;ſi uerò Lithotomus ſit peritus,& ſumma cum dexteritate fungatur ſuo officio; eſt ferè impoſſibile,ut inflammatio,& gangræna ſequantur.

Sed unum uolo obſeruatione dignum admonere, quod dùm Lithotomi ſecant, adeò lædunt muſculos duos penis, quorum officium eſt ſperma expellere,ut inde eorum officium amittatur;quo amoto coeundi tempore ſemen ſponte in ueſſicam defluit; & deinde cum urina elabitur,& infęcundi redduntur.

Quomodo uerò fiat inciſio inter teſtes, & anum poſt immiſſam ſyringam; & quomodo cum forcipe Lithotomus extrahat lapidem non eſt ut declaremus; quia niſi quis ſemel inſpiciat eſt impoſſibile,ut ex lectione rectè percipiat.

1 Dub.Gal.ſuperius, & alibi dixit, lapidem in ueſſica eſſe morbum in numero. Hic uerò dicit eſſe morbum in mala conformatione; ergo hic, uel ibi errauit.

Reſpondetur,quamlibet rem reſpectu diuerſorum conſideratam poſſe eſſe in omnibus prædicamentis; homo ut ſubſtantia eſt in prædicamento ſubſtantiæ, ut quantitas in quantitate, ut pater in relatione, &c.Similiter lapis quatenus occludit,uel obſtruit meatum urinarium eſt morbus in mala conformatione, & ut tali morbo remedio eſt tranſpoſitio; ut uerò grauat ueſſicam,dici poteſt morbus in numero,& ut talis eget inciſione.

Quomodo uerò lapis in ueſſica ſit morbus in numero ſuperius egimus.

2 Dub. Galenus pro lapidis ueſſicę curatione proponit ſolùm inciſionē; quòd eſt contra iuſiurandum Hippocratis, qui decreuit non eſſe ad huiuſmodi remecium unquam accedendum.Preterea uidentur multa alia remedia à Græcis, & Latinis Auctoribus propoſita, quæ minuere poſſunt calculum ueſſicæ; ergo Galenus diminutus.

Reſpondeo, quòd ex hoc tex. cognoſcitur diuinum Galeni ingenium, quia re uera omnia remedia pro minuendo calculo ueſſicæ per os aſsūpta ſunt uaniſſima;ſicuti ſunt electuarium ex uitro,decoctum ſaxifragię,cinis ſcorpionum,hirci ſanguis,& alia,quæ Arabes proponūt, & à Pluſquàcommentatore, & à quamplurimis alijs medicis laudantur; hæc enim ſi haberent uim minuendi lapidem, antequam peruenirent ad renes, & ueſſicam, minuerent, ſeu exederent uentriculum, iecur, & omnia uiſcera lacerarent,& exanimarent. Similiter omnia remedia extrinſecus appoſita pro minuendo lapide ſunt uaniſſima.

Hic non poſſum omittere erratum, ne dicam facinus à quodam medico noſtrate perpetratum, qui ut minuere lapidem veſſicę in pręclariſſimo viro uiſus eſt ele-

ctu-

ctuario ex uitro: & dùm putabat calculum minuere, effecit dyſenteriam, quæ deinde patientem præmaturè exanimauit; ſed quia hoc erratum reiecimus lib. 13. meth. noſtræ c.4. non eſt, vt hic plurib. verbis vtamur.

Audias ſimiliter caſum præclariſſimi viri lapide veſicæ laborantis à circulatore famoſo ſceleſtiſſima morte perempti. Hic circulator porrexit illi valentiſſima diuretica, quæ reddiderunt lotia fæculétiſſima; quia viſcoſam, & lubricam pituitam, quæ erat tanquam calculi puluinar, à calculo viu diuretici ſepararunt, & illicò miſer ità melius habuit, vt putaret ſe iam eſſe liberum: circulatorem laudibus, & pręmijs ſtatim exornauit: verum poſt paucos dies calculus nudus, & aſper redditus cæpit vellicare, & terebrare veſicam, mox facto vlcere, eoq; gangrænoſo, vt vidimus poſt ſectum cadauer, tot pœnis lacerabatur, vt fatear me nunquã vidiſſe hominem truciori, & crudeliori morte peremptum: Ecce quampeſſimè agant diuretica, & lapidem minuentia; ecce quàm melius fuiſſet, ſi ſe Lithotomo tradidiſſet; & licet Hipp. iureiurando decreuerit ſe non inciſurum calculoſum; non tamen negaſſet in tanto diſcrimine eſſe ad Lithotomum confugiendum.

Colligimus igitur omnia diuretica, omniaque remedia pro calculo veſicę eſſe omninò vana: immo, & pro calculo renali, arbitror valdè erraſſe Priſcos, & Modernos, qui putarunt calculum renalem frangi poſſe: fateor tamen arenulas, & paruos lapillos ab aquis diureticis loco dimoueri poſſe, eo modo, quo lutum ab aquis decurrentibus abſtergitur; ſicuti ſunt aquæ minerales B. M. Virginis, Lucenſes, Porretanę, & aqua montis Catini quæ primum tenet locum; quia eſt ſalſior, & magis deterſoria: doſis harũ aquarum eſt duodecim circiter librarum actu calidarum.

3 Dub: admonet Gal. dum à lapide veſicæ impeditur tranſitus vrinæ, lapidem eſſe tranſponendum: quomodo tranſponi poterit, ſi tenaciſſimè hęret ceruici veſicæ, vel fundo?

Reſpondetur, opinionem multorum, & præcipuè Argenterij credentium lapidem hærere veſicę tenaciſſimè, eſſe falſiſſimam: quia non poſſet tranſponi à cãdela molliſſima de loco ad locum. Præterea Lithotomi dum extrahunt lapidem non inueniunt ipſum hærere veſicæ, nec tenaciſſimè, nec tenaciter, nec vllo modo quare valdè miratus ſum hanc Argenterij, & aliorum vanitatem.

Hinc in expoſitione huius tex. Argenterius in quatuor errata inexcuſabilia incidit: primum, dum dicit lapidem veſicæ collo tenaciſſimè hærere: ſecundum, ſibi manifeſtiſſimè contradicit, quia prius dixit lapidem tenaciſſimè hærere; deinde à candela tenuiſſima loco dimoueri: tertium putat in ſectione à Lithotomo incidi colum veſicæ; quod oſtendit illum nũquam uidiſſe Lithotomum incidentem: quartum commendat diuretica in calculo ueſicæ, quæ, ut oſtendimus ſuperius ſunt pernicioſa.

CAPITIS XCI.

Particula IV.

Humiditatis autem, quæ præter naturam continetur ſanatio in omnimoda euacuatione conſiſtit quemadmodum etiam in ſuppuratis. Immodica autem repletio immodica euacuatione curatur, vt cum ſanguis intra venas redundat.

IN hoc tex. Gal. duo facit, primò proponit remedium pro conſtipatione perinente ad cauitaté: ſecundò pro conſtipatione pertinente ad uenas facta ob nimiam ſanguinis repletionem: primò tamen exemplificat de ſuppuratis, ideſt de empyematicis, qui dicuntur ſuppurati: pus enim, quod colligitur in pectore, impedit reſpirationem, quia non poteſt pectus, & pulmo commodè dilatari: Remedium uerò horum morborum in cauitate conſiſtit in omnimoda euacuatione: dicit in omnimoda; quia pus eſt toto genere pręter naturam; ideò totum eſt euacuandum, & eradicandum, quod tamen non conuenit immodicè repletioni uenarum; quia nimia copia eſt minuenda, & non eradicanda.

Notandum tamen per ſuppuratos Gal. non intelligere ſolum empyematicos: ſed omnem affectum qui eſt in cauitate pure

re-

referta: ſæpiſſimè enim ſolet inflammari iecur: & eius tunicam ab illo ſeparari, & magnam puris copiam ibi contineri.

Similiter renes, & meſenterium, cuius abſceſſum hoc anno in Illuſtr. Antonio Ceruino nobili Veneto curauimus: cæteris Medicis nomine Primatibus mihi reluctantibus illum affectum eſſe meſenterij abſceſſum: immo neque ipſemet patiens mihi fidem adhibuiſſet, niſi mea opinio paulò poſt fuiſſet experientia confirmata, & deinde ab omnibus medicis, qui uidebant medicamenta à me propoſita ualdè profeciſſe, laudata. Omnes igitur corporis partes internę eo modo, quo in externis uidere ſolemus, bubones, & abſceſſus uarios pati poſſunt.

Quo pacto verò pus ſuppuratorum, empyematicorum è thorace auferatur: dicimus, quod curatio per apertionem thoracis ſit facillima: quamuis rarò inueniãtur Chirurgi, qui audeant eam aggredi: pus enim per tuſſim ob eius tenuitatẽ non poteſt aliquando expelli; tunc relinquitur ſolùm, ut thorax aperiatur, ut Aetius, & alij ante, & poſt ipſum ſunt executi. Duobus modis foramẽ fieri poteſt, uno modo ſecando inter ſecundam, & tertiã coſtam, ad locum enim decliuem pus defluens ſperandum eſt, totum egreſſurum cum certa ſalutis ſpe, niſi aliquod ulcus à pure fuerit relictum in pulmone, uel in pleura, quod ex ſe inſanabile eſt. Alio modo fit foramen non inter coſtas, ſed fit terebrando ipſam coſtam, applicato prius cauſtico, ut cutis poſſit commodè ſine dolore incidi, & ſeparari; ſecundum hunc modum res tutior erit; quia nullus muſculus ſecatur, & nullus neruus, uena, uel arteria lædi poteſt.

Quo pacto uerò in iecore ſuppurato poſſit pus collectum euacuari, nos docet Hippocr. 7. ſect. aph. 46. his uerbis, *Quibus purulentum iecur aduritur, ſi purum pus effluat, & album, ſalui fiunt: ſi vero ſeberuentum, & faeculentum ac fætidum, pereũt.* Ecce igitur, quod diuinus Hippocr. nos docet, quomodo purulentum iecur poſſit ſanari: Quòd ſanè Noſtrates, quod ſciam, nunquam tentarunt: ſed omnes, qui purulento iecore afficiuntur, indicãt deploratos, & conclamatos. Curatio ſanè non eſt, ut puto adeò difficilis, ut non poſſit cum aliqua ſalutis ſpe tentari, ſed ægri, & aſtantes eam non permittunt. Prętered medici timentes, ne pus ſubcruentum, & fætidum inueniatur, quo caſu certò pereunt, verentur, ne ipſis mortis culpa adſcribatur, quod re vera vel ſæpiſſimè mirificas medicorum operationes impedire ſolet.

Ego elapſis menſibus viſitaui Scipionem Oliuetum Romanum, cuius iecur inflammatum, & purulentum ſtatim iudicaui. Alij verò febre maligna vexari crediderunt: ideò bezoarticis illum tractarunt; quæ in hoc caſu omninò vana, & irrita fuere. Ego putabam ſecandum eſſe locum è regione, vt pus egredi poſſet; quod remedium cùm fuerat deriſum, die decima ſeptima obijt: poſt obitum iuſſi, vt aperiretur locus, quem miſer, quando adhuc lucis vſura fruebatur, digito oſtendebat ſumma torqueri afflictione; idque factum fuit ab Aloyſio Regozia Chirurgo; inuenimuſque iecoris tunicam à parenchymate ſeparatam, & inter illud ſpatium quinque libras puris albi, ſicuti prędixi. Magnum ſanè eſt miſerorum ægrotantium infortunium, quòd adſtantes, mulieres, conſanguinei, & illorum amici ſępè auocent medicorum animum à vera medendi arte ſicuti in miſero Oliueto contigit, in cuius caſo deſperato non ſine aliqua fiducia boni euentus propoſui eius purulentum iecur eo modo curare, quo nos docet Hippocr. 7. aph. 46.

1 Dub. Gal. proponit remedium pro ſuppuratis, & empyematibus, quòd eſt omnimoda euacuatio; at ſic eſt, quod non medicus, ſed natura ſola ſibi parat iter, modò per tuſſim, modò, vt dicit Gal. 6. de loc. aff. cap. 4. per aluum: admonet enim Hipp. in coacis præ. *Empyricis a pulmone pus duci per aluum, lethale:* & 6. aphor. 16. habet, *Pleuritide, aut perpneumonia detento diarrhæa interueniens, malũ:* modò per abſceſſus partium inferiorum, vt fæmorum, & crurum, &c. vt dicit Hip. in coacis his verbis; *Qui ad crura deſcendũt abſceſſus in perpneumonia omnes vtiles ſunt.* Ecce quod natura, & per vrinam, per aluum, & per abſceſſus partium inferiorum euacuare ſoleat pus thoracis: & modò per vterum, vt dicit Aretæus libr. de morbis; quomodo igitur

Ga-

Galenus in hoc tex. admonet medicum vt omnimodè euacuet hoc pus?

Reſponſio facilis eſt; quia Galen. non admonet, niſi caſu, quo medicus naturam iuuare poſſit. Præterea dicimus in hoc tex. non loqui de empyematicis, niſi gratia exempli: vel dicimus, ſi contingat, vt empyici, pleuritici, & peripneumatici expurgentur per tuſſim; tunc medicum expectorantibus iuuare. Similiter ſi per vrinam, diuræticis, ſi per aluum loricantibus, ne inteſtina à pure vellicentur, & ijs quæ iuuant ad exitum; ſi per abſceſſum, illum aperire; conſeruareque foramen apertum, donec omnimoda euacuatio puris facta ſit: ecce quod medicus opportuniſſimis auxilijs naturam iuuat: Per quas vias verò à pectore ad vrinam, vel ad aluum pus moueatur, paulò infrà declarabitur.

1 Dubitat. Galenus docet in text. quod ſuppuratis conueniat omnimoda euacuatio; nihilominus contrarium aſſerit Hipp. 6. ſect. aphoriſ. 27. & Galen. in eodem commento: iſte eſt aphoriſmus; *Quicunque empyi, aut hydropici vruntur, aut ſecantur, ſi pus, aut aqua vniuerſim effluxerit, omninò moriuntur*. Quomodo igitur conueniet ſuppuratis omnimoda puris euacuatio? dum enim vnica vice pus euacuatur, ſimul egrediuntur multi ſpiritus non ſine vitæ periculo.

Reſponſio facilis eſt, quia quamuis Galе. dicat conuenire omnimodam euacuationem, non intelligit, quod hæc euacuatio omnimoda ſubito fiat; ſed per vices, prout vires permittere poſſunt, ſed quia ſuppurati languidi, & debiles ſunt: ideo ſi fiet ſectio inter ſecundam, & tertiam coſtam, parum pro vice euacuandum eſt: eadem norma obſeruanda in paracenteſi hydropicorum. Hinc errant nonnulli Expoſitores, qui dicunt cum Pluſquamcommentatore, Galenum per omnimodam euacuationem intelligere quo ad vaſa, & non quo ad vires, quia etiam in repletione quo ad vaſa, ſicuti in athletis, non conuenit omnimoda euacuatio. Galen. enim 1. aphoriſ. 3. dicit immoderatam euacuationem eſſe fallacem; ibi de repletione quo ad vaſa intelligebat.

3 Dubit. Gal. dicit hic, ſanguinis redundantiam indicare immodicam euacuationem: minorem redundantiam minorem euacuationem indicare: 7. method. c. 2. & Hipp. 4. de ratione victus 19. dicunt, non redundantiam ſanguinis indicare immodicam miſſionem ſanguinis, ſed magnitudinem morbi.

Reſpondetur, quod non valet hæc: immodica repletio ſanguinis indicat immodicam euacuationem ſanguinis vſque ad animi deliquium: ergo redundantia, ſeu plenitudo ſanguinis eſt indicans adæquatum: conceſſimus ſuperius in propria quæſtione ſcilicet ſtatim poſt tex. 6. capitis 89 plenitudinem ſanguinis indicare, ſed non adæquatè: dicimus magnitudinem morbi cum virium robore adequatè indicare vt ſignum, & non vt indicans: indicans verò adæquatum, quod eſt illud quod curatur, & quod non eſt ſignum alterius indicantis, eſſe innominatum, & prædicari de plenitudine, de humoribus fluentibus, de magno peccato ſanguinis ſecundum formam, ſecundum quantitatem, & de alijs quoque magis ſpecificis.

QVÆST. CXX.

Per quas vias pus Empyicorum expurgetur per vrinam, aut per aluum.

IN text. ſuperiori dixit Galen. ſuppuratos eſſe omnimoda euacuatione tractandos; verùm, quia ex Hippo. & Galen. probauimus, empyicos: per vrinam aliquando expurgari: quæritur per quas vias pus feratur ad renes, & ad veſicam.

Communis opinio eſt, quod in viuentibus omnia ſint peruia, & quod per vias latentes, & nobis incognitas non ſolùm poſſit euacuari pus, uerum etiam humores craſſi; Hinc Gale. 7. aphor. 54. dicit, Hippocrates opinatur naturam validam, & fortem ſemper inuenire viam materiebus, licèt ſint quammaximè craſſæ, & debeant per anguſta foramina penetrare: Hippocrates verò 2. epid. dicit, naturam moliri abſceſſus per oſſa, aquam hydropicorum in concauitate exiſtentem penetrare poroſitates inteſtinorum, & per aluum euacuari, aliquando penetra-

re veſicam, & per vaſa vrinæ expurgari. Similiter Galen. 1. metho. cap. 3. dicit, ex Hippocrate totum corpus eſſe σύμπνουν καὶ σύῤῥοον, id eſt tranſpirabile, & confluxile: nos lib. 2. methodi noſtræ egimus de omnium partium corporis ſympathia, quæ fit per vias nobis incognitas, quæ naturæ tamen ſunt apertiſſimæ.

Eraſiſtratus putat, quod pus exiſtens in thorace recipiatur à ſiniſtro ventriculo cordis, & deinde per venam cauam ad renes, & ad veſicam prolabatur; dicit enim prius exugi à carne rara pulmonis, & mox ingredi in venã arterioſam, quæ nutrit pulmonem, inde à vena arterioſa duci ad ſiniſtrum ventriculum cordis, & ab eo in truncum venæ cauæ, indeque ad emulgentes, & renes, & demum ad veſicam. Negabat Eraſiſtratus, quod poſſet pus ingredi in arterias, vt oſtendemus voluiſſe Galen. qui putabat in arterijs ſolum ſpiritus contineri, quæ opinio eſt falſiſſima.

Reijcitur Eraſiſtratus, quia à vena arterioſa in dextrum ventriculum cordis nihil poteſt penetrare ob membranulas impedientes, & dato quod penetraret in ſiniſtrum ventriculum cordis, dicimus, nihil à corde per venam cauam egredi poſſe ob valuulas: verum qui dicunt, corpus eſſe ita tranſpirabile, vt oſſa quoque à pure penetrentur, & humores craſſi per meatus nobis inſenſibiles, ſibi parent iter, deſpicient has rationes: Nos tamen eas magni facimus; quia niſi vaſa iſta ſeparata impedirent, & non ſepararent contentorum naturas, fruſtra fuiſſent condita.

Meſues agens de pleuritide cenſet, hanc expurgationem puris fieri aliquando à thorace ad venam chyli, vel ad partem concauam iecoris: & ſic poſſe aliquando per aluum euacuari: & aliquando per conuexam ad emulgentes, & inde per vrinam.

Reijcitur, quia hæ viæ, per quas dicit, pus ferri ad venam cauam, ſunt difficiliores, quam ſi penetraret diaphragma, emulgentes, & renes.

Fallopius in anatomica inſtitutione nouam viam profitetur ſe inueniſſe, à vena ſcilicet ſine pari enaſci quendam ſurculũ, qui prius interualla coſtarum excurrat; & deinde ſeptum tranſuerſum penetrans inſeratur venæ cauæ, & ei coniungatur ſupra exortum emulgentis: dicitque à nullis anatomicis antea fuiſſe hanc viam obſeruatam, qua pus in thorace contentum ad vrinæ vaſa transferri poſſit.

Hæc opinio Fallopij aliquam difficultatem patitur, qua petere ab illo poſſumus, vt nos doceat, qua via pus contentum in cauitate deferatur intra venas vocatas ſine pari: pulmo qui eſt rarus; quique eſt in perpetuo motu, exugere poteſt aliquid à venis; ſed quod venæ ipſæ, quæ habent tunicam quoque denſam à cauitate thoracis recipiant aliquid in ſuam cauitatem, quod ſit quoque ipſis inſuaue, non videtur poſſibile.

Bartholomæus Euſtachius lib. de ſtructura renum c. 16. refert, quod uena, quæ ſiniſtrum renem adit, tandem ſpargat quoſdam ſurculos in ſeptum tranſuerſum; unde pus in pectore collectum ad renes mittatur, & per urinam reijciatur: lib. uerò de renum adminiſt. c. 46. dicit, ſi Galen. agnouiſſet coniunctionem uenarum emulgentium cum ramis uenæ ſine pari; & pariter agnouiſſet propaginem uenæ portæ uniri cum ueuis ſepti, ueram etiam uiam intellexiſſet; quia pulmo, & thorax aliquando expurgari per urinam, & inteſtina poſſint: ecce quomodo quotidie ab Anatomicorũ ſolertia inueniantur uiæ patentes: quare puto ego multas alias quoque humana diligentia inueniri poſſe, & naturam non unicam uiam ſemper obſeruare; ſed innumerabiles, prout humor, uel pus eſt magis in unam partem, quàm in aliam propenſum.

Gale. lib. 6. de loc. aff. cap. 4. uidetur amplecti opinionẽ Dioclis, quod ſcilicet leuis arteria pulmonis prius ſuſcipiat pus collectum in thorace; deinde per lænem arteriã pus deferatur ad ſiniſtrum cordis uentriculum, indeq; ad arteriã magnam, & demum ad arterias emulgentes, & ad uaſa urinæ. Ego autẽ puto, quamlibet opinionem ex propoſitis aliquando poſſe uerificari: puto tamen hãc Galeni, quamuis à multis non admittatur, non eſſe impoſſibilem. Qui eam non admittunt, putant quod pus inficeret cor, & ſpiritus, eo modo,

do,

do,quo venenoſæ qualitates inficere ſolent. Verùm pro Gal. dicere poſſumus quod quemadmodum pus abſceſſum renum excretum cum vrina non fætet, ut pus veſicę: ſic dicimus pus contentum in thorace,antequam perueniat ad cor, eſſe adeò domitum, & euictum à natura, vt nullam cordi inferre poſſit noxam:quod quidem hoc ſit verum patet quoque in externis bubonibus rectè ſuppurat's quorũ pus nec malè olet,nec mordet, neque nullum excitat dolorem. Accedit,dũ pus non quieſcit, ſed loco dimouetur, nihil mali adferre poſſe. Similiter dicimus de qualitatibus venenatis à natura ſuperatis, quòd nullam noxam inferre poſſint: ecce igitur quòd pus quoque recipi poſſit à leui arteria pulmonis,& deinde ad ſiniſtrum cordis ventriculum, & ad magnam arteriam, & inde ad arterias emulgentes,& renes penetrare.

CAPITIS XCIV.

Particula V.

Sic,& quibuſcunque,vel in ventriculo, vel inteſtinis, vel aſpera arteria, vel pulmone, pus,aut ſanguis cõtinetur,integra euacuatio eſt neceſſaria;ſuperflui autem cibi, aut potus adhuc recentis aſſumptio ab euacuatione corrigitur.

IN hoc tex. Gal. complectitur omnes conſtipationes pertinentes ad vẽtres: verum quia cauſæ cõſtipantes ſunt duum generum, aliæ ſunt toto genere præter naturam, vt eſt pus, & ſanguis extrauenatus; Aliæ pertinent ad ſuperfluum, cibum,& potum recenter aſſumptum;quaſi dicat Gal. quamuis diximus ſuperius, dum ſanguis redundat in venis, modica conueniat euacuatio; non tamẽ omnimoda: quia ſanguis in venis non eſt toto genere præter naturam; dùm verò pus, & præcipuè ſanguis extra venatus eſt in aliquo loco collectus,vt in ventriculo,inteſtinis, aſpera arteria, vel pulmone; dicit Gal.indigere omnimoda, ſeu integra euacuatione: diximus quòd pręcipuè ſãguis extra venatus omnimodè ſit eradicandus, quia nullum pus eſt adeò inimicum naturæ,vt eſt ſanguis extra uenatus & in thrombon conuerſus:ratio cur ſanguis extrauenatus ſit longè pernicioſior quàm peſſimum pus, eſt, quia pus primò eſt res domita aliquantulum a natura: ſecundò pus eſt tenue, & facile penetrat meatus nobis quoque incognitos; quæ conditiones non conueniunt ſanguini congelato: cæterùm quamuis pus ſit minus pernicioſum, tamen pus non minus eſt omnimodè euacuandum, quam ſanguis extrauenatus.

Cibus verò,& potus ſuperfluus recenter aſſumptus in ventriculo, non indicat omnimodam euacuationem: ſed ſolùm abeuacuationẽ: in græco codice legimus ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, ideſt minuitionem euacuationis: ad differentiam omnimodæ, & integræ euacuationis:dicit Gal.recentis cibi; quia cibus ingeſtus ante ſex,vel ſeptem horas non debet minui vomitu, ſed vel ſtatim à cibo, vel poſt duas, uel tres horas plus minúſue prout ventriculus eſt validioris,uel inualidioris chylificatricis.

r Dubit. uult Gal. in tex. quod ſanguis extra uenas collectus in aliqua concauitate debeat omnimoda euacuatione eradicari,quia extra uenas citò putreſcit, & in uenenũ conuertitur,omnia enim quæ extra ſuum locum ſunt in corruptionem tendunt:Hinc ex Ariſt.de ratione loci eſt cõſeruatio locati: contra tamen hoc præceptum adſunt nonnulla: primò in corde conſeruatur ſanguis extrauenatus, & tamen non putreſcit, imò eſt perfectiſſimus. Similiter in torculari cerebri continetur ſanguis; ibique conſeruatur extra ſuas venas,ergo ſanguis extra venas non indicabit euacuationem, neque abeuacuationem.

Reſpondent nonnulli, quòd ſanguis extra venas putreſcit, quia ſpiritus, qui eſt in ſanguine, & qui illum conſeruat, euaneſcit,& ideò à natura derelinquitur, & putreſcit:at in corde, & torculari cerebri non euaneſcit ſpiritus; ſed ibi cum ſanguine conſeruatur, ideò non putreſcit.

Ego alio modo ſoluerem dicendo in corde, & in torculari ſanguinem nõ morari; quia ſtatim ibi conuertitur in ſpiritus: ſi enim moraretur, & in ſpiritus quotidie non conuerteretur ſine dubio putreſceret; quare propoſitio erit

vniuerſaliter vera; videlicet, quod extra venas ſanguis non poſſit diu morari ſine corruptione, ſit in corde, vel in torculari.

CAPITIS XCIV.

Particula VI.

Quæcunque igitur in pulmone, aut pectore continentur, cum tuſſi educuntur, aut à medicamentis extenuantibus.

SVperiùs docuit, quod ea, quæ continent in cauitate aliqua, vt pus, & ſanguis extrauenatus omninò ſint euacuanda, vel eradicanda: aliqua verò ſolum ſint minuenda, vt eſt ſanguis in venis copia peccans.

In hoc tex. docet per quas vias ſit facienda euacuatio eorum, quæ continentur in pectore, vel pulmone: Senſus tex. eſt clariſſimus: dicit, quę ſunt præter naturam, ſi ſint in pectore, vel pulmone, per tuſſim, virtute expectorantium eſſe euacuanda: Notandū tamen, quod quæ ſunt in pulmone, vel ſunt in ſubſtātia pulmonis, vt eſt pus, vel aſperis arterijs pulmonis, vt eſt ſanguis concretus, humor pituitoſus; vel ſi aſpera arteria eſt vlcerata eijcitur per tuſſim particula tunicæ aſperæ arteriæ; ſi verò vlcus eſt maius, eijciuntur quoque, vt notat Gal. 1. de loc. affec. bronchia, ideſt annulli cartilaginoſi, quibus aſpera arteria conformata eſt.

1 Dub. dicit Gal. in tex. quæ continentur in pulmone per tuſſim eſſe euacuanda, quod non videtur, quia quæ continentur in venis, & arterijs leuibus, non poſſunt euacuari per tuſſim; quare Gal. præceptum non videtur vniuerſaliter verum.

Reſpondet Argenterius, quæ ſunt in arterijs læuibus, & venis ipſis non per tuſſim, ſed ſolum per cor, vt ex anatome colligitur, poſſe euacuari. Hæc expoſitio mihi non probatur; quia ſi in pleuritide à pulmone exſugitur materia cōtenta in pleura, quæ eſt membrana dura, & denſa: quantò magis pulmo ſuo motu poterit exſugere, quę continentur in venis, & leuibus arterijs; & deinde expellere ad aſperam arteriam, & per tuſſim euacuare; Præterea ſi materia craſſa in pleura contenta per poroſitates pleuræ tranſmittitur per reſudationem ad cauitatem thoracis, & à pulmone ſua natura ſpongioſo ſuguntur, non debemus igitur cum Argenterio ſuſtinere, quod ſolum ichoroſa inſtar roris penetrent tunicas arteriarum, ſed humores ipſi, ſi vires validæ ſint; dicit enim Galenus 7. aphoriſ. 54. naturam in iuuenibus inuenire vias materiebus, quamuis maximè craſſæ ſint; quare dicendum eſt, quod natura omnia quæ continentur in pulmone, ſint in ſubſtantia, ſint in venis, vel arterijs leuibus, ſi non ſit viribus deſtituta, per tuſſim expellere poſſit.

2 Dub. Gal. tradit in tex. duo remedia euacuantia ea, quæ ſunt in pulmone, vel pectore; primum eſt tuſſis; ſecundum ſunt medicamenta extenuantia; videtur tamen Gal. diminutus, quia præter medicamenta extenuantia ſunt quoque remedia incraſſantia; imò dum humor eſt tenuis, efficitque ob ſuam tenuitatem tuſſim ſiccam extenuantia nocent; & incraſſantia, vt diacodium, farina amyli, & alia id genus maximè iuuant; quia redduntur humores craſſiores, & natura ſtatim per tuſſim illos poteſt propellere, quod efficere non poteſt, ſi ſint tenues; quia dum mouentur, ſcinduntur, & diuiduntur, & iterum deorſum per aſperam arteriam delabuntur.

Argenterius, qui profitetur Gal. doctrinam reijcere, proponit hoc dubium tanquam inſolubile; ſed nec dubium, nec eius iudicium magni facimus quia etiam dubia facillima contra Gal. ab alijs quoque propoſita ſemper in catalogo inſolubiliū collocat. Oddus reſpondet, Argenterium nō poſſidere Galeni mentem, quia obſtructio in pulmonibus, vel pectore, de qua loquitur Gal. in hoc loco, ſolum fit à craſſis, & viſcidis humoribus, & non à tenuibus; ideò remedia propoſita ab Auctore, quæ ſunt tuſſes mouentia, & extenuātia humorum craſſitiem, & dicit eſſe ſufficientiſsima.

Hæc reſponſio Oddi non mihi omninò probatur; quia licet verum ſit Galenum, loqui in hoc loco de obſtructione, nō poteſt tamen negari, quod obſtructio fieri quoque poſsit ab humore copia pec-

can-

ente, qui poſſit eſſe tenuis.

Ego igitur reſponderem, incraſſantia remedia non poſſe conuenire pulmoni, uel pectori; quia ad illum locum nòn penetrant; quare dum utimur diacodio, & alijs incraſſantibus, non exhibentur eo fine, ut humores tenues exiſtētes in pulmone, uel pectore illorum uirtute incraſſentur; ſed qui ſunt in ore, uel in larynge, ut commodè expui poſſint, & ne labantur in pectus; quare cum incraſſantia non ſint remedia pectoris, uel pulmonis, neque de illis Galenus debebat mentionem facere.

3 Dub. dicit Gal. per tuſſim euacuari quę ſunt in pectore, ideſt quæ ſunt in cōcauitate, quæ eſt inter pectus, & pulmonem, at non uidetur, quod quę ſunt extra pulmonem per tuſſim poſſint euacuari; nulla enim eſt uia à concauitate, quæ eſt inter pectus, & pulmonem ad aſperam arteriam; quare tuſſis non poterit expurgare, quæ ſunt in pectore.

Reſpondetur, quòd in uiuente meatus à pectoris concauitate ad aſperam arteriam ſunt patentiſſimi, patet experientia, quia pleura inflammata, quæ eſt mēbrana ſuccingens coſtas, quæque eſt denſa, à motu pulmonis ſugitur, & recipitur eius humor purulentus, & craſſus; quare quanto facilius pulmo poterit ſugere humores contentos in cauitate pectoris? cauſa uerò, cur tuſſis excitetur ad expellendos humores contentos in pectore; & pulmone, eſt, quia ab humoribus ibi contentis impeditur reſpiratio, unde natura magno conatu excitatur ad expellendum aerem inſpiratum, quo omnes canales pulmonis mundificantur; & dùm dilatantur per magnam inſpirationem, pulmonis tunica adeò rara, & ſubtilis redditur, ut ad inſtar ſpongiæ exſugat humores contentos in cauitate thoracis; deinde expirando magno conatu propellit aerem incluſum, & cum illo impetu aeris, ſurſum per aſperam arteriam aſcendunt humores, qui antea erant in cauitate, & per tuſſim foras eijciuntur: hæc enim actio eſt mixta ex voluntaria, & naturali, uidelicet expultrice pectoris, & pulmonis irritata.

4 Dub. Gal. lib. de loc. aff. & alibi docet, quæ ſola expuitione eijciuntur oſtendere morbos oris, vel palati; quæ uerò eijciuntur excretione, dicit faucium morbos oſtendere: quæ leui tuſſi ait, indicare laeſionem aſperæ arteriæ ſecundum illam partem, quæ in ceruice continetur; quæ verò per tuſſim ueram eijciuntur oſtendere à pulmone exire; quod non videtur ſemper uerum; quia experientia aliquando docet, ſine tuſſi aliquid à pulmone, uel aſpera arteria exire: imò Argenterius refert caſum ſuæ uxoris, quæ expuit ſanguinem è pulmone prodeuntem ſine tuſſi; habet ferè in ſuis commentarijs hæc verba; quæ à pulmone eijciuntur non ſemper cum tuſſi expuuntur; & hoc meo magno malo didici. Quia vxor mea dilectiſſima in autumno cæpit ſanguinem excreando ſine tuſſi expuere. Ego uerò adhibens fidem Galeni doctrinæ non putabam, quod aliquid è pulmone ſine tuſſi expui poſſit; nihilominus paulò poſt cæpit pituitam, & pus ſine ſanguine cum tuſſi reijcere; & in menſe Maij ex tabe inſpirauit; infert ex hoc caſu Argenterius, quod non ualeat conſequentia, eſt a pulmone, ergo cum tuſſi, quia uxor ſua erat phthyſi affecta, & ſanguinem vlceris pulmonis expuit excreando ſine tuſſi, ergo.

Nonnulli reſpondent experimento propoſito hoc modo; quod quæ continentur in pectore, uel pulmone per tuſſim eijciantur ſolum quando obſtruunt, & anhelitum impediunt: at ſic eſt quod ſanguis in exigua quantitate non impedit anhelitum; quare nō debet reijci per tuſſim: tuſſis enim fit ab irritata expultrice naturali & uoluntaria: dum uerò ſanguis eſt paucus non ſufficit ad expultricem irritandam, & propterea potuit vxor Argenterij ſine tuſſi ſanguinis pauxillum excernere à pulmone.

Ego potius ſupra dicto experimento reſponderem, ſanguinem prius fuiſſe rejectū ab uxore Argenterij in limine morbi per excreatum ſine tuſſi, quod non à pulmone, ſed à capite in fauces fuit prolapſus; miror quod Argent. non referat pro ſuæ opinionis confirmatione, an ſanguis ille eſſet ſpumoſus ſecundum omnes partes; quia eſt indicium ferè certum, dum eſt ita totus ſpumoſus, quod non à faucibus, ſed à pulmone ſit rejectus; dicimus

ferè certum;quia 1.lib.noſtræ meth.c.25. probauimus, communem opinionem nō eſſe sēper uerā, eſt ſpumoſus, ergo à pulmone:phtyſici enim ut plurimum fiunt; quia à capite procumbunt humores ſalſi, uel ſanguis acer, & mordax, qui exedit pulmonem. Nos quoque cum Gal. concedimus,non omnes humores,qui continentur in aſpera arteria, tuſſim excitare: eſt enim Gal.ſentētia in methodo,& alijs in locis,catarrhum duplici modo à capite ad pectus per aſperam arteriam deſcendere, uno modo ad inſtar aquæ per muros deſcendentis;atque ita non impedire anhelitum,nec tuſſim facere: alio modo dum deſcendit per cauitatem tracheæ,& non per tracheæ parietes: & hoc modo minimam catarrhi portionem poſſe excitare tuſſim:Dum igitur Gal.inquit,quę ſunt in pectore,uel pulmone,eijci per tuſſim,intelligit de ijs,quæ ſunt in pectore, & pulmone,& in cauitate aſperę arterię, quæ faciunt obſtructionem: & de his in hoc loco Galenus intelligit, quia eius intentio eſt hic loqui de mala conformatione,& de conſtipatione cauitatum thoracis.

CAPITIS XCIV.

Particula VI.

Quæcunque verò in hepate,vel venis, vel arterijs,vel renibus, aut per vrinam, aut per ventrem:ſed per vrinam quidem, ab his, quæ vehementer extenuant: per ventrem verò,ab his,quæ attrahendi, aut aperiendi ora vim habent.

IN hoc tex. Gal. duo nos docet: primum per quas vias euacuentur ea, quæ hepar,venas arterias, & renes cōſtipant:dicitque eſſe duas, aliam per vrinam;aliam verò per ventrem: Secundò docet,quibus remedijs id fieri debeat: ait remedia mouentia per urinam eſſe vehementer extenuantia, & talia eſſe incidentia, & abſtergentia: remedia verò mouentia per ventriculum, ſiue per aluum eſſe duo, attrahentia.ſ. & aperientia meatus:attrahentia ex Gal.3.de potentijs naturalibus ſunt duum generum,alterum quòd fit ſucceſſione illius, quod euacuatur; alterum quod qualitatis conuenientia fit; vt dùm magnes trahit ferrum; & rhabarbarum bilem, &c. Sed quia ex ſolutionibus dubiorum melius intelligetur uera,& germana Gal.intentio,ad dubitationes illicò deſcendimus.

1 Dub. Galen. in hoc loco ex omnium Expoſitorum ſententia loquitur de humoribus efficientibus obſtructionem in hepate, uenis, arterijs,uel renibus, dicitque hos humores eſſe euacuādos per uaſa urinæ uirtute eorum,quæ uehementer extenuant;at ſic eſt, quòd hæc humorum tranſpoſitio à uaſis maioribus ad uaſa anguſtiora renum eſt periculoſa, & à Gal. ualdè reprehenſa; quare pro euacuandis humoribus craſſis per urinæ uaſa hæc diuretica uehementer extenuantia nullo modo conuenient.

Reſpondetur,nullum craſſum,& viſcidum per vrinam,vel per aluum euacuandum eſſe,niſi prius præparetur: eſt enim præceptum Hippocr. & Gal. 2. aphor. 9. quod corpora cùm quis purgare voluerit debeant fluida fieri: quare Gal. ſibi conſentiens dixit, ſi humores craſſi,& viſcidi exiſtentes in venis,arterijs maioribus, & in renibus per vrinam debeant euacuari oportet vti vehementer extenuantibus, quæ incidant, & præparent, antequam propellātur per urinam. Sciant Lectores non dari,quæ ita purgent per vrinam,ſicuti dantur,quę purgant per aluum;quia illud dicitur diureticū, quod per vrinam mouetur; non video tamen,quòd diureticum ſecum ferat purgamenta; aquæ .n. thermales vocantur diureticæ, quia ipſæ tranſeunt;imò rarò inueniuntur diuretica,quæ omninò,& ex toto euacuētur per vrinam; ſi enim quis ſumat decem libras aquarum thermalium,& per urinam exeant nouem, uel decem libræ, illa erunt diuretica optima;nō ſic dicimus de pharmacis; quia medius ſcrupulus diagridij euacuabit centum ſcrupulos & ultra excrementorum. Idem dicimus de alijs; aſparagi.n.odor tranſit per urinam; ſed parùm, uel nihil aliorum excrementorū fert; imò cantharis, quæ ualentiſſimè lotium mouet,excitat ardores propellendo ſolùm aliquas urinæ guttas, & non urinam copioſam,uel alia excrementa.

Eſſet ſanè fęlicitatis munus,ſi in officinis haberentur diuretica, quæ non ſolùm ſe ipſa, ſed alia plura excrementa in

uenis

venis contenta per vrinam euacuarent: quia expedite omnia mala, quæ in venis ſunt, ſuperarentur. Sed redeamus ad dubitationem, pro qua dicimus, Galenum proponere vehementer extenuantia, quia ablata humorum craſſitie per incidentia, inde fluidi fiunt, & liquidi, & tunc naturam ex ſe illos mouere per vrinam.

2 Dub. Gal. in tex. dicit, ea quæ mouent urinam eſſe uehementer extenuantia: Argenterius Galenum reprehendit, ait enim multa eſſe diuretica, quæ nõ extenuant, ſicuti ſemina melonum, vina aquoſa, ſemina plantaginis, terebinthina, caſſia, rhabarbarum, aquæ thermales, quę mouent vrinam, & non extenuant: ergo Galenus decipitur.

Reſpondetur, Galeni mentem in hoc loco eſſe agere de obſtructione, quæ eſt morbus in cõformatione, obſtructionemque fieri ab humorib. craſſis, qui vt craſſi ſunt extenuandi: & miror Argenterium, qui in explicatione huius tex. fatetur Galen. loqui de humoribus in venis, arterijs, & renibus, quatenus efficiunt obſtructionem; nihilominus ſtatim reprehendit Galenũ quod in humoribus per vrinam euacuandis ſolùm proponat vehementer extenuantia: ecce quomodo, qui nimia contradicendi libidine ſunt uolutati, ſint omninò mente cæci: non ne Galenus, ut ipſe Argenterius fatetur, loquitur de obſtructione? non ne obſtructio fit ab humoribus craſſis, & uiſcidis? ergo extenuandi, quòd non fiet per ſemina melonum, per vina aquoſa, ſed per ſemina apij, petroſelini, fœniculi, & per ſimilia.

Secunda reſponſio (quam aliàs, dum interpretabar hunc locum, proponebam) eſt quod ſub vehementer extenuantibus omnia diuretica contineãtur: quia extenuãs prædicatur de incidente, detergente, & tenui, ſicuti ſunt uina aquoſa, quæ mouentur per vrinam, non ut incidentia, uel detergentia, ſed ut tenuia, & familiaria, & amica renibus.

3 Dub. Gal. dicit, quæ ſunt in hepate, venis, arterijs, uel renibus eſſe uel per urinam, uel per aluum purganda: contrarium habetur 13. meth. cap. 15. vbi dicit, ſimam iecoris per aluum; gibbam uerò per ea, quæ modicè urinam mouent.

Reſpondetur, Gal. in hoc tex. diſiunctiuè loqui, quaſi dicat, quæ ſunt in hepate. ſ. in ſima, vel in gibba, in venis, ſcilicet in porta, vel caua eſſe euacuanda per vrinã, aut per aluum, id eſt, quæ ſunt in porta, & in ſima hepatis per aluum; quæ in gibba, in venis cauis, arterijs maioribus, & renibus per vrinam: non erat igitur occaſio contradicendi Galeno in hoc loco ita facili, & conſpicuo.

4 Dubit. dicit Galen. humores exiſtentes in hepate, venis, arterijs, & renibus eſſe educendos per ventrem, vel vrinam: tamen 2. aph. 29. Galen. habet, dùm morbus coquitur, id eſt dùm eſt in ſtatu, nec purgationem, nec venæ ſectionem conuenire; ergo illi humores per aluum non debent educi.

Reſpondetur, purgationem eſſe duum generum, aliam eſſe catharticam, quæ effectiuè ſoluit; & hanc nullo modo conuenire, niſi appareant ſigna coctionis; aliam eſſe purgationem lenientem, vt ſunt caſſia, tamarindi, & alia id genus, hæcque dicimus adeò conuenire, vt neque obſtructiones, vllo modo auferri poſſint, niſi hæc præcedant: Idem Galenus 8. meth. cap. 4. docet his verbis; *Si obſtructionibus liberandis priuſquam vacuaueris ſtudeas, motus eſt, ne ipſas magis impingas.*

Secundò reſpondemus, dubitationem non facere contra Gal. qui negat in ſtatu morbi eſſe purgandum; quia reuera, tunc natura maximè laborat, eſtque in ſingulari certamine cum morbo; neque eſt impedienda medicinis, vel ſyrupis, imò neque cibis, niſi tenuiſſimis, quòd non cognoſcunt mulieres, quæ in ſtatu præcipuè plenos cibos ægrotantibus non ſine pernicie, & maxima ægrotorum clade exhibent.

QVÆST. CXXI.

Digreſſio de virtute attractrice per ſubſtantiæ ſimilitudinem.

QVæritur quid intelligat Galen. dum dicit, quæ ſunt in hepate, venis, arterijs, & renibus attrahi per ventrem, ſeu per aluum virtute medicamentorum attrahentium; & aperientium meatus vaſorum: Galen. 5. ſimp. medic. docet, duplex

eſſe genus medicamentorum attrahentium; alterum calidum, & tenuium partium, alterum verò, quod attrahit ſimilitudinem ſubſtantiæ.

Argenterius contra primum medicamenti genus inuehens dicit, nō dari medicamenta, quæ purgent, ſeu attrahant humores ratione caloris, & partium tenuium: quia ſi darētur, ſequeretur, quod etiam anodyna, quæ ſunt calida, & tenuium partium electiuè purgarent, ſeu attraherent humores, quod eſt falſiſſimum: anodyna enim potiùs rarefaciunt, & diſcutiunt, quàm attrahant, ſeu purgant humores per ventrem.

Reſpondetur, medicamenta calida attrahentia, quę ſunt tenuium partium, eſſe longè calidiora, quàm anodyna: anodyna enim non excedunt primum gradum caloris, ſicuti excedunt attrahentia; quare mirandū eſt, quomodò Argenterius tàm leuiſſimis inſtantijs contra Gal. inſurgat.

Præterea Pluſquamcommentator, & ipſe Argenterius negant, medicamēta attrahere, & purgare ratione ſimilitudinis, vt docet Gal. probat Pluſquamcommentator hac experientia: cartamum, & vrtica attrahunt phlegma; attamen, neque quo ad actiuas, vel paſſiuas qualitates; neque quo ad accidentia habent ſimilitudinem cū phlegmate. Similiter dicit, aloem attrahere, & purgare choleram, & phlegma, nihilominus aloe non poteſt eſſe ſimilis duob. omninò diuerſis, id eſt phlegmati, & cholerę; infert ergo contra Gal. aloem, vel alia medicamenta non attrahere ratione ſimilitudinis; quæ Pluſquācommentatoris rationes ſunt omninò à veritate alienæ; imò neque ille, neq; Argenterius, neque alij plurimi Expoſitores intellexerunt quid ſibi velit Gal. per ſimilitudinem ſubſtantiæ.

Reſpondetur Pluſquamcommentatori; ſupponendo prius cum Ariſt. 1. de generatione tex. 50. ſimile non agere in ſimile, neque pati à ſimili in ſpecie, ſed in genere, id eſt in materia, ſic dicimus, cartamum, & vrticam cum phlegmate differre ſpecie, & cōuenire in materia quadam communi, quæ tamen non eſt materia prima, vel genus generaliſſimum; ſed proximum: quodnam verò ſit, dicimus carere nomine: quare valdè miror Pluſquamcommentatorem, qui volens ſimilitudinem inter vrticam, & cartamum, & phlegma, dicit hæc nō eſſe ſimilia quo ad actiuas, vel paſſiuas qualitates, neq; quoad accidētia: quia ea quoq; quæ ſunt eiuſdem ſpeciei ſæpè non ſunt ſimilia quoad qualitates actiuas, vel paſſiuas: non ne inter homines dantur calidiſſimi, & frigidiſſimi: ſicciſſimi, & humidiſſimi? non ne dantur nigri, & albi in eadem ſpecie? dum verò dicit, aloem purgare cholerā, & phlegma, & nō poſſe eſſe ſimilem ſubſtantiæ cholerę, & phlegmatis; primò negamus, aloem purgare cholerā, & phlegma; quia ex Gal. & omniū conſenſu aloe eſt medicamentum ſtercorarium.

Secundò admittatur, aloē purgare duos humores, quod reuera eſt falsū, cū vnius rei vnica ſit operatio, & vnum det vnū, & non plura, vt alibi ex Gal. & Ariſt. probauimus, dicimus tamen, aloem eſſe quid diſſimilare, & ratione diuerſorū diuerſa purgare poſſe: vel dicere poſſumus in aloe eſſe communem quandam virtutem reſpondentem cholerae, & phlegmati.

Ratio verò Argenterij contra Gal. docentem lib. 3. & 5. de ſimplici medicina, medicamenta purgare humores ratione ſimilitudinis ſubſtantiæ, hæc eſt, ſi medicamenta ratione ſimilitudinis attrahērent, ſeu purgarent, ſequeretur, quod etiam humores attraherent medicamenta; ergo non ratione ſimilitudinis, ſed ob alias cauſas.

Hęc ratio eſt vaniſſima, & indigna philoſopho; quia ad hoc, vt agens attrahat non ſufficit ſimilitudo; ſed requiritur, vt ſit maioris virtutis, quàm quod attrahitur: hanc doctrinam deſumimus à Gal. 3. de ſimplici medicina c. 23. vbi dicit, quod attrahens eſt efficacioris virtutis, quàm quod natum eſt attrahi.

Argenterius, vt deſtruat hanc Galeni propoſitionem, quod medicamēta attrahant ſimilitudine totius ſubſtantiæ dicit, an ne caſſia, tamarindi purgāt bilem flauā? tamen nulla eſt ſimilitudo inter caſſiam, & bilem; caſſia enim eſt frigida, bilis calida; caſſia eſt nigra, bilis eſt flaua. Similiter magnes trahit ferrū, & electrum feſtucas, tamē inter ſe nulla eſt ſimilitudo: infert ergo contra Galenum medicamēta ratione ſimilitudinis non attrahere

bu-

humores, neque magnetem ferrum, vel electrum feſtucas. Præterea quia aliquis pro defenſione Galeni poſſet dicere, medicamenta attrahere humores, non ſolùm ob ſimilitudinem; ſed quia ſunt calidiota humoribus: ideò Argenterius inſtat, caſſiam attrahere bilem, & eſſe frigidiorem bile.

Decipitur valdè Argenterius, primò, quia ſupponit quoddam falſiſſimũ, quòd ſcilicet caſſia,& thamarindi purgent electiuè,vel ſimilitudine ſubſtantiæ: quia ex omnium medicorum conſenſu iſta euacuant leniendo primas vias, & non electiuè purgando:Secundò errat: quia non ſibi conſtat; primò enim putat medicamenta attrahere humores propter virtutem cæleſtem infuſam:deinde vult, calorem bilis proportionari caſſiæ.

Ioannes Meſues,cuius opinionem laudat Argenterius, cenſet omnia conſtare duplici virtute, cęleſti ſcilicet & elementari:dicit de ratione cęleſtis eſſe purgare, vrinas mouere, putatque, omnes proprietates indiuiduales prouenire à ſua forma,& non à temperatura,illaſque cognoſci ſolùm à Deo:, demum concludit omnia medicamina ſecundum ſuam formam,quæ eſt cœleſtis,purgare, quæ ſunt in hepate, venis, & renibus.

Ego hanc opinionem Meſuis,& Argẽterij reieci lib. 8. noſtræ meth. & in propria quæſtione poſt explicationem tex.4. c.85. huius libri:Nulla ſanè eſt opinio deterior iſta,quòd ſcilicet mixta ex quatuor elementis habeant in ſe incluſas portiones cęleſtes: cęlum enim cogitet quis centũ annis non inueniet,quòd alio modo agat, quã lumine,& motu, vt nos docet Ariſt.in lib.de cęlo 2 tex.72. ideò vacillant Aſtrologi,dũm putant,cęlum non ſolùm lumine,& motu agere in hęc inferiora;ſed influxu,& figura;ſed hanc inanitatem reijcit Picus in tractatu contra Aſtrologos, & Sauonarola. Præterea dicẽdum eſt, Cęlum concurrere in productionem omniũ inferiorum qualitatum, quas vocãt occultas,non vt ſubiectum ex quo, ſed vt efficiens, & principium quo: Qui perciperent analytica arcana nunquam admitterent proprietates prędicari de principio quo, ſed de principio quòd, quia per illud definiuntur: riſibile enim definitur per hominem,& non per rationale; proprietates igitur occultæ non poterunt definiri per Cęlum, neque poterunt eſſe portiones cœleſtes, vt Meſues, & Argenterius dicunt.

1 Dub. videtur ex ſententia Gal. quod forma mixti ſit cęleſtis: quia lib. de ſimp. medicina circa finem, vbi loquitur de teperatiſſimo corpore,quod eſt aliorum regula, dicit, præter optimam temperaturam, corpus hoc habere formationem, quæ fortaſſe eſt diuinior, habereque ſupernam originem, à cęlo videlicet, ergo ex Gal.forma mixti eſt cęleſtis.

Reſpondetur Gal.non intelligere hanc formam mixti habere originem cęleſtẽ, tamquam principium ex quo,ideſt, quod formæ iſtæ, vel qualitates occultæ ſint,vt dicit Meſues, portiones cœleſtes, ſed ſint cęleſtes,vt habent principium à Cœlo, & non ex Cœlo; omnia enim, quæ ſunt ſub cœlo tanquam à cauſa efficiente dependent à cœlo, & à Deo ipſo, vt nos docet Ariſt.1. de Cœlo tex.100. vbi dicit, quòd à primo principio omnibus tributum ſit eſſe, aliquibus quidem clarius, aliquibus verò obſcurius.

Quòd verò Gal. inteligat per qualitates occultas, quæ agunt ſimilitudine ſubſtantiæ,nos fusè lib.8.meth. noſtræ, & in hoc lib. poſt explicationem tex. quarti c. 85. diſputauimus: oſtendimuſque qualitates occultas non eſſe cœleſtes, ſed elementares; non prodire tamen à primis quatuor:neque eſſe ſubſtantias immediatè operatrices,vt Gregorius Ariminẽſis, Argenterius,& Fernelius, & plurimi alij cenſent, ſed eſſe in prædicamento qualitatis: quomodo verò fiant, ibi omnia diſtinctè Gal.& Ariſt.auctoritate examinauimus. Præcorque Lectores, vt meam ſententiam ibi fusè explicatam perlegãt, & reijciant; quia ego quoque aliorum opinionem reieci: neminem ſanè adhuc audiui, qui, non dico lucidè, ſed neque ſub nube de generibus proximis, & remotis proprietatum occultarum aliquid tetigerit.

QVÆST. CXVII.

Quid intelligat Galenus per Anaſtomatica.

GAlenus in tex. præcedenti conclu-dit, quæ ſunt in hepate, venis, arterijs, vel renibus, vel per vrinã euacuari, ijs, quæ vehementer extenuant; vel per ventrem, ijs, quæ attrahunt, vel quæ habent virtutem anaſtomaticam, id eſt, quæ habent vim aperiendi ora: Quæritur quæ ſint iſta medicamenta, quæ habent vim aperiendi ora.

Argenterius dicit, per anaſtomatica non eſſe intelligenda aperientia ora vaſorum, quia hæc ſanguinem effundũt, ſed intelligi illa aperientia, quæ obſtructas venas ab humoribus aperiunt.

Reijcitur, quia anaſtomatica ſignificat aperientia ora; dum dixit, aperientia ora ſanguinem effundere, vacillat; quia aliud eſt aperire ora venarum, dilatando venarum ora, & aliud auferendo, quod obſtruit venas.

Nonnulli alij per anaſtomatica intelligunt medicamenta acria, quæ euacuant humores hærentes inteſtinis, & ſic aperiunt ora venarum meſeraicarum.

Reijciuntur, quia Gal. dicit, quæ ſunt in venis, & renibus, vel tolli attrahentibus, vel aperientibus anaſtomaticis; quomodo quæ ora meſeraicarum aperiunt, iuuabunt renes? Præterea Gal. per anaſtomatica non intelligit euacuantia, quia ex Gal. euacuantia pertinent ad attrahentia, & non ad anaſtomatica, quæ per Gal. diſtincta ſunt ab attrahentibus. Inſuper non ſolùm acria aperiunt; ſed etiam aperientia acredinis expertia, vt ſemina melonum, aquæ Lucenſes, Calderianæ, & alia innumera acrimonia deſtituta ſunt, quæ aperiunt.

Oddus per anaſtomatica intelligit omnia, quæ aperiunt oſcula venarum, ſiue ſint medicamenta purgãtia, ſiue ſanguiſugæ, ſiue cucurbitulæ, ſiue alia aperientia. Hæc opinio Oddi eſt alijs omnibus deterior; quia, ſi per anaſtomatica intelligi debent euacuantia, Gal. non debebat præter anaſtomatica addere attrahentia, quę ſunt euacuantia; quia & iſta ſub anaſtomaticis continerentur.

Ego autem puto, quòd per anaſtomatica, id eſt aperientia ora intelligat præparantia aperientia, quia nõ conuenit euacuare; niſi prius præparentur humores, ideſt reddantur fluidi. Hippocr. enim 2. aphoriſ. 9. habet hunc aphoriſmum: *Corpora cùm quis purgare voluerit oportet fluida facere.* Gal. in eo commẽto inquit, quæ reddunt corpora fluida eſſe incidentia, & detergentia, quæ aperiunt meatus, per quos euacuantur euacuanda; inter aperientia verò ſunt iuſcula alterata, oxymel, & ſyrupi, quibus vtimur, qui ſũt anaſtomatici, quia quòd aufert viſcoſum, & craſſum, & adhærens orificijs vaſorum dici debet aperiens; vt hinc erret Oddus dicens, vſuales ſyrupos aperientes incidentes, & detergentes non eſſe anaſtomaticos. Demùm ſi ea, quæ per ventrem euacuantur indigeant his duob. remedijs, ideſt attrahentibus, & anaſtomaticis, atq; ex Gal. Hipp. & omnium medicorum conſenſu duo ſint adminiſtranda pro cõpleta curatione, alterũ, quòd eſt euacuãs, & alterum præparans; atque per attrahẽtia, ut omnes concedunt, intelligantur euacuantia; ergo per anaſtomatica ex neceſſitate debemus intelligere præparantia, quæ ſunt ſyrupi alterantes, aperientes, detergentes, & incidentes.

CAPITIS XCIV.

Particula VIII.

Quæcunque verò in ſuperiori ventre comprehenduntur, per vomitum; quæ verò in inferiori, per ſubductionem.

QVælibet medicorum ſecta Aſclepiadis conſiliũ amplexa eſt, quod videlicet citò, tutò, & iucũdè ſint medicorum ſcopi; itá vt hi tres fines Aſclepiadis ſint de ratione omnium medicarum operationum; quantò enim citius, tutius, & iucũdius medicabis, eò meliùs; idcircò Gal. in tex. ſtatuit, quę in ſuperiori ventre (per vẽtrem intelligens ventriculum) continentur, per vomitum expurgãda; quæ in inferiori, ideſt in inteſtinis, per alui ſubdũctionem; quia medicatio citiùs fit, quanto magis per proximiora fit.

1 Dub. Gal. loquens de cura inflam-

ma-

mationis lib.13.meth, cap.11. habet hanc ſententiam; Ad partes, quæ maximè longinquæ ſunt, ſemper facies reuulſionem. Qua poſita Galeni admonitione ſequetur, quæ continentur in ventriculo, non per vomitum, ſed potiùs per loca aliqua diſtantia eſſe euacuanda. Præterea humores non ſunt ad locum affectum attrahendi, ergo humores contenti in ventriculo non erunt euacuandi per vomitum, vt Galen.in tex.docet.

Reſponſum fuit huic dubitationi in tractatu noſtro de reuulſione, quòd conditio per diſtantiſsima non conueniat per ſe reuulſioni, ſed per accidens, ratione .ſ. prohibentis, & non indicantis: ſtatutum enim eſt ex Galen.de ratione reuulſionis eſſe, ut quātò citius humores reuellantur, & κατ' ἴξιν, ideſt, ſecundū rectitudinem, quæ fit per lineam rectam, quæ eſt omnium breuiſsima: ſtatutúmq; eſt diſtantiam loci duplicem habere reſpectum, vel ad locum læſum, vel ad humores in locū læſum irruentes, atq; diximus, reuulſionem ſemper habere reſpectum ad humores irruentes, qui ſunt proximi loco euacuationis, & nō ad locum affectum: exēpli gratia inflammatio eſt in crure; humores verò irruentes in crus ſunt in vena caua; auxilium reuulſorium eſt phlebotomia cubiti: ecce quòd cubitum eſt valdè proximum humoribus in vena caua exiſtentibus; ſed in quæſtione propria fuſiùs hæc declarauimus.

Quo ad illud, quod dictum eſt, nō eſſe ad locos affectos trahendos humores, nō eſt ad rem, quoniam hîc Galen. non ſupponit, dùm humores ſunt euacuandi per vomitum, os ventriculi eſſe læſum: quia tunc nullo modo conueniret vomitus; ſicuti non conuenit in cardialgia. Galen. in hoc cap. propoſuit agendum de amouendis humoribus efficientibus obſtructionem in uenis, hepate, & renibus: dicitq; ſi humores iſti propulſi ſint in ventriculum, quòd per vomitum ſint euacuandi.

1 Dub. Hipp. 4. ſect. aph. 4. & 6. & 7. admonet, hyeme eſſe humores mouēdos per alluū; æſtate verò per vomitum; quomodo igitur Gal. ſententia erit perpetuæ veritatis, quod quæ ſunt in ventre ſuperiori per vomitum euacuentur? quid agendum igitur erit ſi fuerit hyems? Præterea Hippocr. 4. ſect.aph. 9. docet, melancholicos infra vehementiùs purgabis, ergo non per vomitum.

Reſpondetur, nō vnam Hipp. ſententiam efficere optimum medicū; ſed omnes ſimul rectè expenſas, & conſideratas. Hinc Hippocr. 1. aphor. 2. ſic admonet; Inſpicere oportet non ſolùm tempus, ſed regionem, ætatem, & morbos, in quibus conueniant, aut non. Similiter 1. aph. 21. habet hunc aphoriſ. Quo natura vrgit eo docere oportet, & per loca conferentia: ſi natura nullo modo inclinaret per vomitum, non eſſet per illam viam tentanda euacuatio. Præterea conſuetudini: ex Hippocr. eſt condonandum; quare ſi aliquis nunquam eſſet conſuetus vomitionibus, & illas ualdè abhorreret, tunc uomitus non eſſet tentandus.

Amplius methodi medendi principiū indemonſtrabile eſt, quòd de ratione optimi medici ſit perpendere, an magis poſſit indicans, quàm prohibens.

Demùm uerò, quod præ cęteris eſt obſeruandum eſt illud Galen, 3. methodi 9. & 7. methodi 12. quòd ante morbum curandum tria ſint auferēda; urgens, ſcilicet prius, deinceps cauſa principalis, & poſtremò impedimenta. His optimè expenſis medicus ſciet mederi, & ſoluere quoque ex ſe propoſitum dubium, & alia ſimilia infinita: cauſa uerò, cur medici non euacuent per uomitum melanchóliam, præ ceteris hæc affertur, quia melancholia ut grauis, & deorſum inclinans faciliùs per aluum, quàm per uomitum euacuatur.

CAPITIS XCIV.

Particula IX.

Sed quæcunq; ſub cute per ſectionem, vel ignem, aut per medicamina aduerentia. Sic verò aliquando quæcunque in aliqua naturali cauitate, vt in thorace.

DVo admonet in hoc tex. primò materiam ſub cute obſtructionem efficiētem tolli uno ex triplici remedio, ſectione, ſeu inciſione, quæ fit à Chirurgo. Secundò igne actuali, qui ferro candēte

aperit cutim. Tertiò igne potentiali, ideſt cauſtico.

Nota, errare Argenterium credentem Galenum in hoc loco intelligere de abſceſſibus, qui fiunt in muſculis cuti ſubiectis. Quæ expoſitio eſt vaniſſima; quia in inflammationibus, gangrænis, cancris, & in omnibus affectib. cutis, ſi materia craſſa, & inepta reſolutioni contineatur, vtimur ferro; vel igne. Miſereor Argenterij, quod ita malè fortunatus ſit in Galen. quia dùm illum interpretatur, ſemper eligat peſſimam interpretationem: dùm verò illum reprehendit, in re apertiſſima ſemper cæcutiat.

Secundò admonet, in omni cauitate, & præcipuè in thorace, ſi contineatur aliquid, vt pus, vel ſanguis congelatus, qui diu retentus, in venenum conuertitur, eſſe aperiendum ferro, vel igne: per ignem intelligendo ferrum candens, vel cauſticum.

Notandum, ſi in empyemate pus per ſputum non expurgetur, duobus modis, ſiue duobus locis poſſe fieri apertionem: Primò fieri inter ſecundam & tertiam coſtam, adhibito priùs cauſtico exurente, ne ferri inciſio doloroſa ſit.

Secundò terebratur os coſtæ ſecundæ, vel tertiæ, facta tamen ante terebrationem cutis exuſtione cauſtico: ſic nullum ſubeſt periculum lædendi venam, vel arteriam; atque inde commodè per foramen terebra factum, pus egreditur: ſi verò in thorace ſit ſanguis concretus injicitur priùs mulſa, quæ illum diſſoluat: inde enim egreditur facilius.

Notandũ ſimiliter, per foramen igne paratũ, vbi eſt hepar, ſi aliquo apoſtemate tentatur, poſſe eius pus euacuari; niſique hoc modo paretur, neminem, qui apoſtemate hepatis correptus ſit, euadere poſſe: eſt enim omninò neceſſariũ, vt tales inteteant: quod verò hæpatis pus hoc modo euacuetur, nos docet Hippocrates 7. ſect. aphoriſmorum 45. his verbis; *Quibus purulentum iecur aduritur, ſi purum pus effluat, & album, ſalui fiunt: in tunica enim ipſe pus continetur; ſi vero qualis amurca profluat, intereunt.*

His tamen temporibus nemo audet hanc purulenti hepatis curationem aggredi: ideo omnes, qui apoſtemate hepatis vexantur neceſſariò moriuntur, cauſa cur medici, & Chirurgi percelebres, nec tẽpore Galeni, neq; poſt, vſq; adhæc tempora tẽtarunt hãc curã, fortaſſe eſt, quia ſi poſt rectam quoque adminiſtrationem apertionis ægri intereant, vel quia pus, qualis eſt amurca, defluat, quod eſt ſignũ læthale: vel ob alias cauſas; adſtantes, amici, & conſanguinei mortis cauſam referunt in medicum, quod eſt iniuſtum.

Similiter aqua hydropicorum in cauitate abdominis per paracenteſim .i. per puncturam prope vmbilicum, vt docet Gal. 14. meth. c. 13. aufertur: ſed ſi fiat, debet parùm pro vice auferri: quia ſi tota ſimul euacuabitur, ſimul cum aqua egredientur ſpiritus, & vita: quamuis, ſi parùm pro vice auferantur, vt plurimum intereant. Ego omiſſa paracenteſi pro aqua hydropicorum euacuanda vtor vncijs tribus ſucci ireos cum duabus vncijs mannæ diſſolutæ in aqua è floribus citri: in hũc vſum radix ſalapæ nuper ex India delatæ ad drachmam, mirificam efficit euacuationem: tutiùſque his euacuari poterit aqua, quàm paracenteſi.

Ad eundem vſum paratur vinum medicatum ex ſalapa iucundiſſimum in auferenda hydropicorum aqua: in eo conficiendo vtor opera, & diligentia Alberti Stechini pharmacopæi ad Signum Strutij, qui in hac, & in alijs præparandis medicinis adeò eruditus, & diligens eſt, vt hactenus ſummas laudes in ampliſſima hac Ciuitate Veneta promeritus ſit.

1 Dub. Gal. agens de humoribus ſub cute exiſtentibus proponit apertionem, quę ferro, vel igne, fit, omittit verò diſcutientia, ſeu reſoluentia, quæ ſunt tutiſſima, & & iucundiſsima, ergo diminutus.

Reſpondent nonnulli, Gal. omiſiſſe diſcutiẽtia, ſeu reſoluẽtia: quia ſtuduit breuitati: ſed hæc reſponſio eſt omninò indigna: quia, vel reſoluentia ſunt neceſſaria in abſumendis humorib. ſub cute exiſtentibus, vel non; ſi ſunt neceſſaria, vt omnes fatentur, non erant omittenda.

Reſpondemus nos, reſoluentia nullo modo eſſe neceſſaria; quia humores, de quibus Galenus agit hic, ſunt qui efficiũt obſtructiones; & tales ſunt tenaces, & craſſi, qui non per reſoluentia, ſed per aperientia cutim tolluntur.

2 Dub.

2 Dub. Gal. 13. meth. dicit, non ſtatim vomicas eſſe aperiendas,ſed prius eſſe tẽtandam reſolutionem;ergo Gal. non debebat hic admonere, vt in omni inflammatione ſit confugiendum ad ferrum, vel ignem. Præterea in inflammationib. puerorum vtimur reſoluentibus pus, & ſanamus ſine aliqua apertione.

Reſpondetur, quod Gal. in hoc cap. ſibi ante oculos propoſuit agendum de obſtructione,quæ à craſſa, & viſcida materia fit; quod cum ita ſit, dicimus,dum accidit in pueris ſimilis materia, eam nõ poſſe reſoluentibus auferri; ſed apertione ferro, vel igne facta: aliquando enim vtimur ferro candente, tum quia magna eſt facienda apertio, tùm ne ſanguis totus effluat; per oſcaram enim commodè id prohibetur.

Notandum admonere Argenterium, quòd non ſolùm purulenta thoracis ſint per inciſiones inter coſtas, vt dictum eſt ſuperius,educenda,ſed etiam facienda ſit inciſio in pleuritide: multi enim pereunt ex pleuritide, qui per inciſionem (vt ait) ſaluarentur: quia inflammatio,quæ muſculos thoracis, & membranam interiorem occupat, tutò admittit ſectionem: quare admonet, vbi vires conſtẽt;& ſputum ita ſit cohibitum, vt nihil per tuſſim egrediatur, ſectionem eſſe tentandam.

Argenter. ſanè eſt vir ſatis ſolers; ſed libenter ab illo percunctarer,quoties expertus ſit cum pleuritici beneficio hanc ſectionem: non par eſt,quæ experiri non audemus alijs conſulere, vt experiantur: Accedit,quòd hæc ſectio faciẽda in pleuritide eſt vaniſſima: quia pleuritici qui pereunt,dum ſputum cohibetur,pereunt. Vel quia materia eſt ita glutinoſa, vt per nullum foramen egredi poſſit, vel pereunt,quia pleura gangrænoſa ſit: quare ſectio propoſita ab Argenterio in pleuritide nullo modo iuuaret; propterea non fuit vnquam ab Hippocrate: Galeno, & alijs pręſtantiſſimis Medicis pro ſananda ſæuiſſima pleuritide propoſita.

CAPITIS XCIV.

Particula X.

Tex. 61. *Et vt ſummatim dicam, quicquid præter naturam in aliquibus partibus continetur, ſanationis intentio eſt ablatio; quæ ſi fieri non poſſit, tranſpoſitio. Quæ verò non ſunt ex genere præter naturam,at quãtitate damnantur, in his intentio eſt abeuacuatio. At inuentio eorum, quæ ad ipſorum ſanationem perducunt, partim quidem ex affectu, ſed præcipuè ex ipſis affectis particulis ſumitur.*

IN hoc tex. tria facit Galen. primò concludit ea,quæ in aliqua cauitate ſunt toto genere præter naturam, duplici ingenio auferri poſſe; ablatione, veluti dùm lapis eſt in veſſica; & dùm catarracta inter corneam & chryſtallinum occupat pupillam: ſi verò hæc non poſſint omninò auferri, dicit, eſſe tranſponenda; ſic dum lapis obſtruit colum veſſicæ, & impedit vrinam, eum cum ſirynga impingimus in cauitatem. Similiter trãſponimus catarractam acu, eam, ſcilicet deorſum flectendo,ut viſionem non impediat.

Secundum, quod dicit Gal.eſt;quæ nõ ſunt toto genere præter naturam, ſed ſolùm quantitate nimia peccant, veluti eſt nimius ſanguis in venis tolli abeuacuatione,quæ fit tollendo portionem ſuperfluam humoris peccantis.

Tertiò, vt tolleret omnes ſcrupulos, dat præceptum vniuerſale, docetque ex quibus fontibus haurienda ſint remedia pro auferendis propoſitis affectibus: dicit igitur, veram intentionem eorum, quæ ad ſanitatem perducunt, à duplici fonte deſumi, ab affectibus, & præcipuè à locis affectis:Hinc ex Gal.probauimus, quod ab eſſentia morbi generica remedia deſumantur; remedia verò ſpecifica à locis affectis: ſic dolor vt dolor dicitur affectus genericus: vt verò eſt in membrana redditur ſpecificus, pungitiuus videlicet:in carne laceratiuus,in neruis cõnulſius: in perioſtijs frangitiuus: ſi vlcus, vt vlcus eſt affectus genericus, vt eſt ſub genu poteſt eſſe cauterium, quod vlcus ſalubre eſt; vt eſt in pulmone efficit perniciosam phthyſim. Similiter frigida intemperies in cerebro obliuionem facit, in hepate hydropem, in ventriculo lienteriam.

Notandum tamen, adſtringentia, & omnia remedia eſſe varia pro varietate partium:exempli cauſa ſi velimus corroborare

borare cerebri ſubſtantiam eligimus mitiora adſtringentia; quia ſua natura cerebrum eſt molle. Similiter ſi conſideretur eius temperatura, quæ frigida eſt, oleum roſatum ex Galen. erit concoctorium; quamuis in alijs corporis partibus ſit repercutiens.

Hinc Gal. 5. metho. cap. ultimo reprehendit methodicos, qui dicebant cognitionem partium corporis eſſe ad inuentionem curationis inutilem: loquens .n. ibi Gal. de ulceribus ſtatuit, partes ſicciores indicare ſicciora remedia; dicitque ulcerib. penis eſſe applicanda ſicciora remedia, quàm carnis; imò addit in ipſomet pene mutanda eſſe remedia; quia in poſtrema parte requiruntur ſicciora remedia; & in cute ipſius penis adhuc minus ſicca, quàm in pene.

Præterea refert Gal. loco citato, quòd dùm quam citiſsimè ſanaret ulcus penis potentiſsimis exſiccantibus, aderat quidã medicus ex ſecta methodica, qui miratus tam celerem ſanationem dixit, non tantùm fuiſſe lętatũ de ſalute hominis, quam triſtatum, quòd in mala diſciplinæ ſecta fuerit educatus; quo fit, ut Gal. 7. meth. c. 3. dicat, quòd, qui in ſecta prauæ doctrinæ alitur, geminum tempus requirat, alterum in quo prauas opiniones dediſcat, alterum in quo melioribus ſe exerceat.

Colligimus igitur ex Gal. 1. de locis affec. in principio, & alibi, quòd partes affectæ ſint illæ, quæ curationem morborum uariãt; lib. uerò 13. meth. c. 16. in arte medica ait, nullam eſſe maiorẽ difficultatẽ, quã perfectè cognoſcere indicationẽ deſumendam à locis affectis; additque hanc uериſsimam ſententiam, qui adimeret indicationem ſumptam à parte, medicinã ſex diebus addiſceret. Inſuper 1. de loc. affec. in principio laudat Eraſiſtratũ, qui dicere ſolebat, oportere hominem eſſe exercitatiſsimæ conſiderationis, ſi uoluerit affectum, & locum effectum probè dignoſcere; ex alia parte 1. meth. Gal. uituperat Theſsalum, qui dicebat ſpacio ſex menſiũ totam medicinam addiſci poſſe; additq; Gal. quinimò ablata contemplatione à partib. affectis deſumenda, ut Theſſalus uolebat, ſpacio ſex dierum totam medicinam addiſci poſſe; qui .n. ſtat in genericis facillimè poteſt diſcurrere; ſed qui ad ſpecifica cuiuslibet partis deſcendit, non poteſt, niſi poſt longum interuallum artem adipiſci.

Theſſalus totam artem ad laxum, & denſum, uel mixtum ex his referebat, & ex his colligebat tantũ tria remedia, quæ dicebat ſufficere pro auferendis uniuerſis affectibus præter naturam; Cæterùm hæc uaniſsima ſunt, & qui uult uanitatem Theſſali altius penetrare, legat lib. 1. & 2. methodi medendi, ubi Galenus exactiſsimè illum conuincit.

1 Dub. Gal. in tex. aſſerit, quod ea, quæ non ſunt ex genere præter naturam, & quantitate damnantur, in his intentio ſit ablatio; de qualitate uerò, quæ eſt toto genere præter naturam, ut eſt lentor, & craſsities, quę obſtructionem efficiunt, nil dicit; ergo uidetur diminutus.

Haly reſpondet; quòd quantitas dupliciter ſumatur, alia eſt quantitas qualitatis, alia eſt quantitas molis. Quæ reſpõſio mihi uidetur ridicula. quia genera, ſeu prædicamenta ſunt impermiſcibilia. Præterea Gal. hic loquitur de ſuperflua euacuatione; ergo nullo modo ſub quantitate continetur qualitas.

Reſpondemus cum Pluſquamcommentatore Gal. epilogare ſolùm ea, quæ dicta ſunt de humoribus quantitate peccantibus, & non omnia, quæ enarrata ſunt in toto capite.

2 Dub. Gal. in methodo docet, locum affectum nõ indicare ſui curationem, ſed ſolum ſui conſeruationem: quomodo igitur Gal. aſſerit, intentionem eorum, quæ ad ſanationem perducunt, præcipuè à membris affectis eſſe ſumendam? Præterea affectus eſt accidens ſuperabile loci affecti, ueluti pleuritis reſpectu pleuræ eſt accidens ſeparabile, & ſic de alijs omnibus.

Reſpondemus, locum affectum dupliciter conſiderari, vel communiter, vel ſecundum differentias, & conditiones ſpecificas: primo modo affectus eſſe accidẽs ſeparabile: ſecundo modo nequaquã: ſic dicimus hominem reſpectu animalis eſſe accidens ſeparabile; quia animal poteſt ſtare ſine homine; conſideratus verò homo ſecundum differentias ſpecificas, eſt ſubſtantia animalis. Similiter quilibet ſpecificus affectus reſpectu loci affecti.

fecti abſolutè,& communiter conſiderari accidit loco affectus: ſic inflamatio accidit pleuræ: ſi verò conſideretur locus affectus ſecundum ſpecificas differentias, in quolibet affectu locus affectus redditur conuertibilis, & fit proprium ſubiectum,quod definit prædicatum,vt faciũt omnia ſubiecta, quæ ingrediuntur ſecũdum modum dicendi per ſe: ſic pleura affecta ſecundum tales meatus, talem figuram, talem ſitum, & reliquas differentias locorum affectorum eſt inflammatio pleuræ, & viceuerſa, quod diximus de pleuritide, de omni affectu intelligimus.

3 Dub.ex Gal.9.meth. 12. & 2. methodi 13.vnum indicat vnum, & vnum ab vno indicatur:tamen Gal. hîc proponit duo, quæ indicant vnam ſanationem, ideſt morbum,& membrum affectum.

Reſpondent nonnulli,membrum affectum eſſe ſignum indicantis, & non verum indicans. Nonnulli alij dicunt,locũ affectum indicare conſeruationem, & non curationem. Nos tamen dicimus vnum indicare plura ratione diuerſorum: morbus enim conſideratus ſine parte affecta indicat quid genericum; conſideratus verò vt eſt in parte affecta quid ſpecificum: ſed alibi, & ſuperius fusè declarauimus, quomodo id intelligatur.

4 Dubit. dicit in tex. quod intentio ſanationis præcipuè ab affectis partibus ſit ſumenda, eas videlicet corroborando 2. methodi verò c. 15. inquit, adſtringentia eſſe illa, quæ roborant partes. Hæc doctrina videtur contraria methodi arcanis:docet enim Gale. quando agendum à præſentia indicantis, & abſentia prohibentis deſumi: quòd cùm ita ſit, nunquã pars affecta corroborabitur: quia in parte affecta morbus impedit: ſi enim Chirurgus vellet in vulneribus vti adſtringẽtibus, non ablatis oſſium fragmentis, & alijs impedimentis, carne adhuc non regenerata, materiâque illùc confluxa adhuc non ſuperata, valde noceret. Similiter qui roborant ventriculũ abſcynthio, miua, maſtiche, & ſimilibus ante omnimodam euacuationem excrementorum lædunt perinde, ac qui in proprio domicilio hoſtem occultant, qui inde ſumpta commodiori occaſione hoſtilibus armis trucius ferit.

Reſpondetur, quòd adſtringentia non ſola, ſed permixta alijs remedijs curatiuis concedantur, hac tamen lege, vt adſtringentia ſint talis virtutis, vt non ſtuperent, ſed ſuperentur à viribus aliorum ſimplicium, & talia non occultant arma hoſtilia.

CAPITIS XCV.

Particula I.

De aſperitate, & lenitate.

Tex. 62. *Quæcunque partes verò ob id, quod exaſperata naturalem amiſerint habitum, his lenitas naturalis eſt reſtituenda, oſſa quidem leuigando: arteriam autem, & linguam leniendo, humidis quæ nihil mordeant, & lentorem habeant. Sed quibuſcunque lenitas ineſt non naturalis, aſperitas eſt reuocanda medicaminibus, quæ ſufficienter abſtergant, & parum adſtringant.*

IN hoc cap. agit de remedijs aſperitatis, & læuitatis; quæ ſunt duæ ſpecies morborum in mala conformatione, & de remedijs ſpecierum anguſtiæ; & meritò de his affectibus loquitur poſt obſtructionem communiter conſideratam quia obſtructio eſt affectus præcipuus in conformatione: aſperitas vero, & lenitas ſunt affectus tantum ſuperficiei membrorum.

Natura effecit quaſdam partes aſperas & rugoſas; ſicut eſt ventriculi fundum, & inteſtina, vt chylus moretur, & non diffluat,vt accidere ſolet in affectib.liertericis. Similiter natura quaſdam alias partes effecit lenes,ſicuti ſunt venæ,arteriæ,oſſa,lingua,&æſophagus,& aliæ plures,quarum lenitatem,vel aſperitatem,ſi aliqua cauſa præter naturã demat,tũc in illarum ſuperficie ſtatim conſurgit morbus: in ventriculi fundo & inteſtinis ſi ſua naturalis aſperitas à lubrica aliqua humiditate dematur, chylus non poteſt detineri, ſed defluit, & oritur lienteria; ſic,ſi in oſſa introducatur aſperitas, vel à vulnere, vel ab aliqua corruptela caro non poteſt generari,& affigi oſſibus.

Notandum tamen,quòd quælibet corporis

poris pars poteſt pati aſperitatem,& lęnitatem, & quæ ſua natura aſpera & lenia ſunt,poſſunt iuſto magis, vel minus aſpera,vel lenia reddi; vnde læditur actio, & morbus fit: Quæ verò aſperitas, & quæ lænitas vnicuique parti conueniat nemo percipiet, niſi videat anatomiam, & partium aſperitatem, & lænitatem tangat.

In hoc tex. Galenus duo facit, primò proponit remedia pro auferenda aſperitate, & exemplificat in oſſibus, aſpera arteria, & lingua; ſecundò dat remedia pro auferenda lenitate non naturali.

Remedia auferentia aſperitatem duo ſunt; primum eſt abſterſiuum lęuigans, quod oſſibus aſperis conuenit;& hoc duplici modo adminiſtratur, vel ferro abradente,& læuigante; vel pulueribus, & folijs fici, mirobalano, & ſimilibus: hoc enim modo tolli ſolet aſperitas palpebrarum, quæ ex humore nitroſo aliquando fit:niſi enim tollatur nimia aſperitas oſſis cauſata vel à putrefactione, vel à vulnere,eſt impoſſibile, vt ſupra os caro noua, & ſana gignatur.

Secundum remedium,quod tollit aſperitatem non eſt abſterſiuum,ſed quod lenit, & humectat; tale enim remedium, ait Gal. habere tres conditiones: prima eſt, vt ſit humidum; ſecunda, vt careat morſu; tertia, vt habeat quendam lentorem; talia ſunt, quæ aſperitatem vocis, & tracheæ auferre ſolent, vt ſunt penidia, polychreſtum, ptiſana, allium elixum, mucilago ſeminum cotoneorum, & pſylij, porrum, & cæpæ elixæ,&c.

Remedia verò auferentia nimiam lenitatem, dicit Galen.habere duas conditiones, primam vt ſufficienter abſtergant: ſecundam vt parum adſtringant, ſicuti in liēteria accidit: fit enim dum nimia viſcoſitas cooperit, & tegit naturalem aſperitatem fundi ventriculi,& inteſtinorum; quæ aſperitas cibum retardat, & detinet in ventriculo,donec coquitur: quando enim eſt coctus, fit chylus, qui aſſimilatur ſucco ptiſanę,quique eſt ex ſe adeò fluidus, vt rugoſitas, ſeu aſperitas ventriculi illum detinere non poſſit.

Remedium verò pro auferēda hac nimia lenitate primò cōſiſtit in auferendo lentore,ſeu viſcoſitate virtute auxilij deterſorij: ſecundò in roboranda parte correpta lenitate.

Colligimus ex Galeno, duplicem eſſe aſperitatem,& lenitatem: alteram à cauſa interna, & alteram ab externa; quod verò lenitates ſint duum generum, patet ex verbis Gal. quia duo proponit remedia,alterum eſt detergens,alterū eſt moderatè adſtringens; quando enim fit lenitas externa,id accidit, quando naturalis rugoſitas, ſeu aſperitas impeditur à lento, & viſcoſo humore. Afferamus pro faciliori intelligentia duo exempla: primum eſt, quod ſolet accidere in lientericis,in quibus lenta pituita cooperit aſperitatem fundi ventriculi: hæc lienteria tollitur ſolis detergentibus: quando verò fit lenitas,non ob pituitam; ſed ob læſam facultatem retentricem partis, dicimus, quòd hæc nullo alio modo ſeparatur, niſi roborando fundum ventriculi, ijs, quæ modicè adſtringunt;ſicuti nos docet Gal. 2. methodi c. 15. & 16. vbi docet in lienis affectibus ſemper eſſe admiſcenda adſtringentia,eo fine, vt roboretur lien, ne amplius ſuſcipiat excrementa.

Secundum exemplum eſt, dum mulieres fiunt ſteriles:quia vterus ob lenitatem præter naturam non poſſit continere ſemen viri; quæ lenitas ſimiliter duplici de cauſa fieri poteſt, vel ob retentricem facultatem ablatam, vel diminutam: vel ob cauſam externam, ideſt ob lentam pituitam obuallantem vterum,& eius os ſi ob læſam facultatem accidat, tunc modicè adſtringentibus vtimur; ſi ob cauſam externam, ideſt ob lentorem, ſemen nō poteſt contineri, docet Pluſquamcommentator hic,& Haly 4.aphoriſ.28. quod ille lentor tolli debeat per lanam liquore aphronitri ablutam immiſſam in vterum, gratia ſcilicet abſtergendi pituitam: natura enim efficit in ore vteri rugoſitatem gratia continendi ſemen viri.

Quod vero aſperitas ſimiliter fieri debeat a duplici cauſa,externa ſcilicet & interna, patet; quia contrariorum eadem eſt diſciplina, patet quoq;, quia ſi lenitas fit à cauſa humida,aſperitas fiet à ſicca,& dura,ſeu inæquali:ſi lenitas fit à retentrice ablata exorta ab humida intemperie: aſperitas fiet à retentrice deprauata;quæ à ſicca intemperie ortum habet.

Hinc

Hinc rectè animaduertitur quod dictum eſt a b Hippoc. & Gal. 1. de ratione victus in ac. comm. 18. ptiſanam ſcilicet mirificè conferre febricitantibus; quia calor febrilis parit in vniuerſo corpore quandam inæqualitatem,& aſperitatem præter naturam, quam ſola ptiſana mirificè auferre poteſt; quia de ratione remedij auferentis aſperitatem tria ſunt; primum vt ſit humidum: ſecundum vt careat morſu: tertium vt habeat quendam lentorem,& talis eſt ptiſana. Hinc Hipp. ibi dicit,ptiſanam in acutis morbis eſſe præponendam, quia eius viſcoſitas eſt lenis,& continua, & non adſtringit. Gal.vero in comm.ait ex Hipp.viſcoſitas priſanæ eſt lenis, & lene exaſperanti opponitur; exaſperant autem acria, acida, & adſtringentia. Ex his colligitur, cur ptiſana ab antiquis in acutis febribus tam valdè celebretur:qui enim putant ea de cauſa ſolùm præberi febricitantibus, quia refrigeret,& humectet, non percipiunt Hipp. & Gal. mentem; quia præcipua cauſa, cur febricitantes iuuet, eſt quia tollit aſperitatem introductam à calore febrili in vniuerſum corpus. Hinc quoque colligitur, cur acetum, quamuis frigidum, non conferat febricitantibus, cauſa enim vera, cur illis non conceditur, eſt quia exaſperat, & inde febris curatione redditur difficilior.

Sed redeamus vnde digreſſi ſumus; dicamuſque, quod aſperitas ſit duum generum, alia quæ in oſſe fit, quæ tollitur per abradentia, & hæc vel eſt externa, vt eſt illa, quæ à vulnere facta eſt, vel interna, dum .ſ. per putrefactionem, vel intemperiem ſiccam, & calidam, vt in lingua, & alijs particulis corporum febricitantium: alia verò aſperitas conuenit aſperæ arteriæ;quæ eſt inæqualitas à dilabente catarrho effecta, quæ humidis continuantibus, ut dictum eſt, tolli debet.

1 Dub. Gal. cap.68.huius libri, vbi agit de voce,aſſerit, lenitatem ſequi moderatam temperaturam;aſperitatem verò inſequi temperaturam ſiccam; quod non videtur, quia lenitas, & aſperitas ſunt affectus ſuperficiei membri, quare non indicabit temperaturam. Præterea oſſa omnia ſunt lenia, tamen ſunt ſicca; ergo aſperitas, vel lenitas non ſequuntur temperaturam. Inſuper oſſa non mutata temperatura modo ſunt aſpera, modo lenia,ergo non ſequuntur temperaturam.

Reſpondetur duplici modo; primo intemperiem, vel conſiderari in ſuperficie, & ſic aſperitatem indicare temperaturam ſiccam ſuperficiei tantum: ſecundò reſpondetur, aſperitatem non eſſe ſignum proprium temperaturæ ſiccæ. Galenus enim in hoc libro, vbi agit de temperaturis, adfert plura ſigna, vt ſimul vnita indicent temperaturas, quare ex vnico tantum nihil certi colligitur. Hinc miror Argenterium, qui neſciens ſoluere hunc nodũ leuem ſanè, qui quoque propoſitus eſt multo ante à Pluſquamcommentatore, reijciat Galenum, qui ad ſydera in omni contemplatione medica eſt extollendus.

2 Dub. aſperitas vocis fieri aliquando ſolet à catarrho dilabente in tracheam arteriam, ergo aſperitas indicabit humiditatem,& non ſiccitatem, vt dicit Galenus cap.68.huius libri, vbi agit de voce.

Reſpondetur,quod aſperitas ob catarrhum fiat;quia in ſuperficie tracheæ humiditas non eſt continuata: ideò, quia deficit in aliquibus particulis humiditas, dicitur,quod aſperitas indicet ſiccitatem; hecque eſt cauſa, cur Gal. pro auferenda aſperitate proponat humida glutinoſa, quæ ſunt illa, quæ continuant, & quæ à Pluſquamcommẽtatore dicuntur applanatiua:hanc verò virtutem continuandi, ſeu leniendi habet priſana, vt docent Hippocrates, & Gal. 1. de ratione victus in ac. tex. 18. habeturque ibi, iuſculum maluæ, atriplicis, ficus ſiccas, oua ſorbilia ſine ſale & aceto, pro tollenda aſperitate aliquid opis afferre: ibi enim Gal. docet acetum, & omnia acria exaſperare.

3 Dub. aſperitas palpebrarum, vel oſſium,auxilijs abſterſiuis tollitur: ergo abſterſiua non debent conuenire lenitati, vt in tex. nos docet Galenus.

Reſpondet Pluſquamcommentator, & rectè,quod abſterſiua conueniant alicui aſperitati, ratione cauſæ tantum; lenitati verò ratione cauſæ, & morbi. Præterea dicimus,abſterſiuum dupliciter poſſe

poſſe conſiderari, vel per ſe, vel per accidens; per ſe, omne abſterſiuum eſt exaſperatiuum; per accidens vero habet vim leniendi, quatenus ſcilicet tollit, quod eſt aſperum.

CAPITIS XCV.

Particula II.

Tex. 63. *Quæ verò, vel obſtructiones, vel anguſtiæ meatuum alias ſequuntur ægritudines, ab illarum curatione prius eſt incipiendum. Oſtenſum ſiquidem eſt in lib. de differentijs morborum, quòd & inflammationibus & duris, laxiſque tumoribus, & ſiccitatibus, aliquando immodicis, ac præterea vitioſis partium continentium figuris, ea, quæ nuper diximus, ſæpius adueniunt: ſicuti, & quibuſdam tumoribus eorum, quæ ſunt in ambitu corporum.*

POſtquam Gal. egit de aſperitate, & lenitate, quæ ſunt vitia pertinentia ad ſuperficiem.

In hoc tex. tranſit ad declarandum quid ſit agendum, ſi fortè fortuna obſtructiones, & anguſtiæ meatuum inſequentur alios morbos: exempli cauſa, dicit Gal. ſi fieret tumor præter naturam ab humorum confluxu, ſtatim fieret anguſtia meatuum: vel ſi ob nimiam ſiccitatem conſtiparentur meatus, vt dùm in febre ardente ob ſiccitatem nimiam impeditur deglutitio, vel ob vitiatam figuram, vt in luxatis, quomodocunque clauſi eſſent meatus, admonet Gal. hic, & lib. de differentijs morborum, curam eſſe inchoandam non ab abſtructione, vel anguſtia; ſed à morbis illas efficientibus: quia illæ oſtructiones, & anguſtiæ non ſunt morbi; ſed ſymptomata, quia tolluntur ad ablationem aliorum morborum: etenim ſi aliquis tumor comprimat, & anguſtiam meatuum efficiat, tumore ablato ſtatim anguſtia tollitur.

Miror valde Argenterium, qui ſumit occaſionem reprehendendi Gal. in rebus leuiſſimis. Primò enim dicit Gal. negligentiæ vitio condemnari: quia ſuperius propoſuit agendum de morbis in cauitate, tamen ſolũ de obſtructione egit: quod quidem falſum eſt, quia ſuperius egit de morbis in cauitate, vt legentibus patet.

Secundò addit Gal. inordinatiſſimum eſſe, quia hic tex. de obſtructione erat proponendus, antequam ſermonem haberet de aſperitate, & lenitate; ſed miſer vacillat; quia Gal. debebat perficere tractatum de morbis in mala conformatione, aſperitas enim & lenitas, quæ pertinent ad membrorum ſuperficiem, ſunt quoque morbi in mala conformatione: in hoc tex. verò non agit de obſtructione, & anguſtia, vt ſunt morbi; ſed vt ſiint ſymptomata inſequẽtia quamplurimos alios morbos, docetq; dum inſequuntur alios morbos, nihil indicare, quia tolluntur ad ablationem alterius.

Deinde decipitur valdè, dùm dicit Gal. abuti nomine obſtructionis, quia obſtructio fit à materia occupãte internam cauitatem: compreſſio verò anguſtiam efficit, & non occupat internam cauitatem: defenditur enim Gal. dupliciter, primò, quia intelligit de materia faciente tumores, & ſimul occupãte internas cauitates: nemini dubium eſt, quod in omni tumore non ſolum eſt anguſtia à compreſſione prodiens; ſed etiam ab obſtructione.

Secundò poteſt reſponderi, quod ἐμφράξις aliquando ſumatur pro qualibet anguſtia: ſed prima expoſitio mihi magis probatur; quamuis enim nõ agat de omni anguſtia; hic tamen non eſt locus, vt ſigillatim enumerẽtur omnes ſpecies anguſtiæ, quia ſubintelligitur, quòd anguſtia, & quiuis alius morbus, ſi dependentiam habeat, & ſit ſolum in fieri, quod illud ſit ſymptoma, & non egeat remedijs; quia tollitur ad ablationem alterius: quã doctrinam fusè ſuperius declarauit.

Demum docet Gal. obſtructionum, vel anguſtiarum meatuum, quę fiunt ab alijs morbis, vt à tumoribus, curam eſſe incipiendã à tumoribus; quaſi dicat, ſi obſtructiones, & anguſtiæ fiant à tumoribus, curam eſſe incipiendam à tumoribus; nõ ſolum, quia tumores ſint in fieri, & ſemper pendentes, ſed etiam quatenus ſunt affectus facti: idem dicimus ſi anguſtiæ fierent à ſiccitatibus, vel à morbis in figura, eſſe ſcilicet à cauſa auſpicandam curationem.

1 Dub. Gal. in hoc tex. loquens de morbis in anguſtia quatenus inſequuntur alios

alios morbos nō nominat omnes ſpecies anguſtiæ;ſed ſolum tres,videlicet obſtructiones, compreſſiones, & cōſtipationes potorum à ſiccitate factas; nihilominus non tres,ſed ſex ſpecies continentur ſub anguſtia ſcilicet coaleſcentia, ſubſidētia, occluſio, compreſſio conſtipatio, & obſtructio.Preterea varij quoque ſunt affectus in cauitate, de quibus nil dicit; ergo diminutus.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Gal.in hoc tex.reducere ad duos affectus omnes qui ad cauitatem pertinent, ſcilicēt vel ad illos qui proueniūt à cauſa exiſtente in cauitate,quę alio modo vocatur obſtructio,ſit lapis in veſica, vel carnoſitas, vel verruca, & alia huiuſmodi, quæ obſtructiones vocantur: vel ad illos, qui fiunt à cauſa extra cauitatem exiſtente, qui reducuntur quoque ad anguſtiam.

2 Dub.Gal.agens hic de anguſtia vtitur omiſiſſe anguſtiam,quæ fit à ſtercore duro, de qua ſuperius: aliquando enim à fæce indurata dolores collici, & plurima ſymptomata oriūtur:memini,me ęgrum nouiſſe,qui timore quodam duro in parte ſiniſtra ſub ſplene ſpatio duorū annorum valdè opprimeretur:Medici unctionibus,& fomentationibus illum cōtinuò tractarunt ſine ullo beneficio;tandē alijs ſuperuenientib. ſymptomatibus interijt. Ego deſiderans antequā eſſet funeratus, intueri locum affectum, iuſſi, ut Chirurgus illius cadaueris tumorem uſque ad imum incideret, inciſioque peruenit uſque ad inteſtinum ileum,facta apertione inuenimus cauſam illius antiqui tumoris eſſe, (quod riſum ualdè mouit) ſtercus quoddam duriſſimū: deinde cauſam cur aliquādo ille miſer excerneret per aluū, globulos quoſdam uirides, & duriſſimos inuenimus:fęx enim ob pondus deorſum grauitans ſecundū aliquam portionem conuertebatur in globulum,qui quotidie uirtute enematis excernebatur, & deinde ob incendium magnæ arteriæ, quæ propè erat, iterum noua fæx illi maſſæ applicabatur,& exſiccabatur,unde ex his & alijs cauſis non exigua ſymptomata exoriebantur.

Ex præcognitione prædicti caſus alios ſimiles non paucos ſanaui oleo amygdalarū dulcium ad duas uncias menſis curſu quotidie ſumpto; quatuor horis antè cibum.

Sed vnde digreſſi ſumus redeuntes reſpondemus ad dubium, quòd fæx dura efficiat illam anguſtiæ ſpeciem,quæ dicitur occluſio; ſicut dum verruca aliquem meatum occludit, vel dùm lapis collum veſicæ.

CAPITIS XCV.

Particula III.

Quod ſi nonnulla ex proximè dictis inuicem complicentur; varias habebunt indicationes:ſufficiet autem in vno exemplo habuiſſe ſermonem,quoniam de omnibus in libris de arte curandi plenius ſumus exequuti.

Tex. 64. *Supponatur cuipiam particulæ multitudinem ſanguinis influi, adeò vt intendantur in ea venæ, non maiores tantum, ſed etiam paruæ;quæ prius ſenſum effugiebāt: nunc verò iam plenæ viſu,comprehenduntur, ſicuti plerumque in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſſimè patet:par ſi quidem eſt,quòd & alia vaſa,quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur.nondum & ipſa ob paruitatem viſui manifeſta: & iam periculum imminet, ne quod ex vaſis exſudat, ad ſpacia vacua, quæ in medio ſunt, effundantur, aut ne iam paucum aliquod ſit effuſum.*

Tex. 65. *Huius quidem affectus ſanatio intentionem habebit euacuationem, aut,vt manifeſtiori vocabulo vtamur, abeuacuationē: ſi quidem morbus erat immoderata partis repletio.*

IN tex.ſuperiori docuit,dum obſtructiones, vel anguſtiæ ſunt factæ à cauſis,ſeu tumoribus comprimentibus, vel ab alijs affectibus, quòd cura ſit auſpiciēda ab illis affectibus, qui anguſtias efficiunt;docuit Galen. fusè in meth.lib.3.c.9.& lib.7.c. 12. omnes indicationes, antequā medicus aggrediatur morbi curationem reduci ad tres,uidelicet ad vrgens,ad cauſam principalem,& ad cauſam ſine qua non: Nos quoque edidimus lib. decimumquint. meth. vitand. err.qui eſt de indicantium equilibrio,vbi omnes indicationum comparationes enumerauimus, & mox quæ primum locum,quæ ſecundum,quę tertiū obtineāt

ex Galeni ſententia declarauimus.

In hoc text. Gal. ſupponens doctrinam de indicantium ord ne eſſe explicatam in arte curatiua, ideſt in methodo, hic breuiſſimè, & clariſſimè docet exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partē confluxi, quod ſemper ſit auſpicanda cura à ſanguinis multitudine; & à quouis affectu, qui cæteros efficere ſolet.

Textus poteſt diuidi in tres partes: in prima docet in affectibus complicatis oriri indicationes complicatas.

In ſecunda, quod in hoc lib. compendioſo ſatis ſit, vt indicationes exemplo anguſtiæ factæ à multitudine ſanguinis declarentur, quia pleniſſimè de his egit in methodo.

In tertia parte duo facit; primò proponit pro exemplo fluxionem ſanguineam, deinde quomodo ſecundum intentionem communem ſanguinis confluxi multitudo curetur.

Gal. conſiderans ſanguinis confluxum in aliquam partem dat nobis occaſionem conſiderandi, quomodo fiat apoſtema; quamuis Galeni intentio in hoc loco non ſit, vt omnes Expoſitores falluntur, agere de apoſtemate, imò neque de nomine apoſtematis fecit mentionem; concedimus tamen, quòd ex hoc loco colligi poſſit, quomodo fiat apoſtema, fit enim vt docet in tex. dùm ſanguis à maioribus venis in minores fertur, eaſque replet: ob nimiam enim repletionem non ſolùm aperiuntur illarum orificia; ſed ſanguis in ſpacia effunditur, mox per diapedeſim, id eſt reſudationem factam à tunicis venarum ſpacia implentur; & deinde ſanguis à ſpacijs ad partium ſubſtantiam effunditur: dum enim ſanguis, vel ſanguinea ſeroſitas eſt effuſa inter ſpacia, adhuc non eſt factum apoſtema: immò accidere ſolet, vt ſanguis inter ſpacia contentus aliquando non penetret partium poroſitates, & per conſequens non fiat apoſtema, ſed ſolum abſceſſus.

Differt enim abſceſſus ab apoſtemate, quia in abſceſſibus humor peruenit ad ſpacia, quę ſunt inter partes, & nō ad poroſitates, apoſtema verò fit dum humor ſanguineus nō ſolùm à maiorib. venis ad minores, & à minoribus ad minimas, & capillares, ſed ad ſpacia, & poroſitates partium transfertur.

Docet deinde Gale. quæ ſit communiſſima intentio: dicitque eſſe euacuationē, aut vt manifeſtiori vocabulo nos docet abeuacuationem, ideſt diminutionē ſanguinis; differentia enim inter κένωσιν, ideſt euacuationem, & ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, eſt, quòd euacuatio amplectitur totalem euacuationem; abeuacuatio verò ſolùm partem redundantem humoris euacuandi.

1 Dub. Gal. intentio in hoc tex. videtur eſſe, quod proponat ſub exemplo apoſtematis varias anguſtias, in quibus variæ oriantur indicationes, nihilominus non videtur, quòd apoſtema contineat in ſe plures ſpecies anguſtiæ; quia omne apoſtema ſolùm comprimendo efficit anguſtiam, non obſtruendo, vel alio modo.

Reſpondetur, in apoſtemate contineri omnia affectuum genera; & varias ſpecies anguſtiæ; quod verò apoſtema cōſtet ex omnibus morborum generibus, ex eo patet; quia primò apoſtema eſt magnitudo aucta, quæ eſt ſpecies malæ compoſitionis: ſecundò eſt intemperies calida, & humida partium ſimiliarum apoſtemate correptarum: tertiò eſt ſoluta vnitas.

Præterea qui vellet percurrere omnes ſpecies morborum inueniet in parte apoſtemate obſeſſa omnes ſpecies ferè morborum contineri: Quod hoc verum ſit patet, quia præter compreſſionem adeſt quoque obſtructio venarum, ſpatiorum, & pororum inflammatæ particulæ.

Quod verò in multitudine ſanguinis tranſmiſſi in aliquam partem corporis obſeſſam inflammatione ſanguis tranſmiſſus ſit à maioribus venis ad minores, & ab his ad minimas, Gal. probat exemplo venarum capillarium oculorum, quæ in aphtalmia conſpiciuntur rubræ, & repletę, quod accidit ob albedinem tunicæ adnatę: quod igitur accidit in inflammatione oculorum, idem contingit in omnibus corporis partibus inflammatione obſeſſis: quamuis capillares aliarum partium tumidæ & rubræ, cùm internæ ſint, fugiant oculorum obtutum.

2 Dub. videtur, quod Gal. nos decipiat; quia exemplo apoſtematis vult mixtos, & complicatos affectus conſiderare; tamen

tiam exemplum eſt de affectu complicato cũ ſuis cauſis,ideſt de apoſtemate cum ſanguinis multitudine illud generante,

Reſpondetur, quòd agens Galen. de complicatione affectuum non excludat cauſas generantes; quia cauſæ quoque à Galeno vocantur affectus. Præterea non agit in hoc loco de apoſtemate,immò neque illud nominat; ſed ſolùm ſub exemplo multitudinis ſanguinis oſtẽdit complicationem omnium ferè morborum; quia primò multitudo ſanguinis confluxa efficit aliquam magnitudinem auctam; ſecundò intemperiem calidam, & humidam; tertiò ſolutam vnitatem; quartò anguſtiam in compreſsione, & in obſtructione, quatenus capillares venæ, ſpatia, & poroſitates muſculorum ſunt repletæ.

Hinc valdè errat Argẽterius,dum occaſione huius leuiſsimi dubij Galen. reprehendit, qui magno artificio uſus eſt, quia declarauit unico exemplo multorum affectuum complicationem; ſi quis enim percurreret omnes affectus præter naturam, non inueniret alium, qui eſſet cum tanta complicatione, quanta eſt affectus, qui fit à copia ſanguinis confluxi in aliquam partem.

3 Dubit. Galen. proponit ſub exemplo multitudinis ſanguinis confluxi in aliquam partem affectus complicatos: tamẽ in tanta complicatione vnicum proponit ſcopum curationis, ideſt euacuationem, ſeu abeuacuationem; quomodo igitur affectus erunt multi, & complicati, ſi vnicus tantùm ſufficiet ſcopus?

Argenterius occaſione huius dubij ait, Galen. parùm fœliciter de ſcopis morborum complicatorum egiſſe; quia in complicatis affectibus non vnicus, ſed multi, & inter ſe diuerſi proponuntur ſcopi. Quæ omnia conceduntur Argenterio, quia Galen. multos, & varios quoq; ſcopos in textib. ſequentibus proponit, vt infra patebit: indeque modo conijcimus,& conijciemus,quam oſcitanter Argenterius interpretatus ſit Galen. quia recitat eius opinionem antequam tex.ſequentes percurrat, in quibus tradit Gal. varios ſcopos,ſeu intentiones, quas deſiderat Argenterius in complicatis affectibus; & quòd venia ſit indignus, patet, quia oſtendit, ſe fuiſſe hominem omninò memoria deſtitutum: dùm enim expoſuit ſequentem textum, in quo leguntur,quæ ab illo deſiderantur, debebat ſe corrigere, & præſentem expoſitionem contra Galenum obliterare. Neque poteſt auctor, quæ in quolibet tex. ſunt inſerta, & fœliciter declarata, in hoc vnico explicare: demùm in hoc libello non poteſt ſemper pleniſſimè de qualibet re ſermonem inſtituere: quia in hoc libro continentur capita artis, ſed non eo modo, quo in alijs libris à Galeno fœliciter explicantur.

Reſpondemus nos, quod in hoc tex. Gal. vnicum proponat ſcopum, & in ſequentib. alios: non ne dicet in ſequenti tex. quod ſuperfluitas retrocedẽs ſit euacuanda per patientem particulam? non ne declarat modos retroceſſus,& modos quibus per patientem particulam ſit euacuandum: deinde in alijs textibus,nonne omnes ſcopi ſummo ordine declarati ſunt?

Præterea Gal. proponit multitudinem ſanguinis,in aliquam partem confluxi: cui dubium, quòd hic affectus eſt communis,indicatque abeuacuationem, quæ multitudini ſatisfacit? neque ait hic de affectibus prodeuntibus à ſanguine mala qualitate peccante.

Quæ fiunt à ſanguine mala qualitate peccante ſunt,vt ædemata,quæ à pituitoſo; vel ſcyrrhi, qui à melancholico; vel eryſipelata, quæ à bilioſo ſanguine fiunt; hi tumores non ſolùm euacuationem,ſed alterationem variam pro affectuum varietate indicant: demùm licet multitudo ſanguinis confluxa vnum ſolùm ſcopum habeat, ideſt abeuacuationem, tamen quatenus eſt confluxa, inde multi ſuboriuntur ſcopi, qui à Gal.traduntur, quia vel repellentib.vel digerentibus,vel cutim aperientibus eſſe procedendum docet.

4 Dub. Gal. in tex. videtur errare,quia effuſionem ſanguinis factã in aliqua parte dicit fieri per diapedeſim, ideſt, per exſudationem; de apertione verò oſculorum venarum capillarium nil dicit,quod repugnat generationi apoſtematis, quod vt fiat non ſolùm eſt neceſſarium, vt ſanguis ichoroſus è tunicis venarum exſudet;

ex Galeni ſententia declarauimus.

In hoc text. Gal. ſupponens doctrinam de indicantium ordine eſſe explicatam in arte curatiua, ideſt in methodo, hic breuiſſimè, & clariſſimè docet exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partẽ confluxi, quod ſemper ſit auſpicanda cura à ſanguinis multitudine; & à quouis affectu, qui cæteros efficere ſolet.

Textus poteſt diuidi in tres partes: in prima docet in affectibus complicatis oriri indicationes complicatas.

In ſecunda, quod in hoc lib. compendioſo ſatis ſit, vt indicationes exemplo anguſtiæ factæ à multitudine ſanguinis declarentur, quia pleniſſimè de his egit in methodo.

In tertia parte duo facit; primò proponit pro exemplo fluxionem ſanguineam, deinde quomodo ſecundum intentionem communem ſanguinis confluxi multitudo curetur.

Gal. conſiderans ſanguinis confluxum in aliquam partem dat nobis occaſionem conſiderandi, quomodo fiat apoſtema; quamuis Galeni intentio in hoc loco non ſit, vt omnes Expoſitores falluntur, agere de apoſtemate, imò neque de nomine apoſtematis fecit mentionem; concedimus tamen, quòd ex hoc loco colligi poſſit, quomodo fiat apoſtema, fit enim vt docet in tex. dùm ſanguis à maioribus venis in minores fertur, eaſque replet: ob nimiam enim repletionem non ſolùm aperiuntur illarum orificia; ſed ſanguis in ſpacia effunditur, mox per diapedeſim, id eſt reſudationem factam à tunicis venarum ſpacia implentur; & deinde ſanguis à ſpacijs ad partium ſubſtantiam effunditur: dum enim ſanguis, vel ſanguinea ſeroſitas eſt effuſa inter ſpacia, adhuc non eſt factum apoſtema: immò accidere ſolet, vt ſanguis inter ſpacia contentus aliquando non penetret partium poroſitates, & per conſequens non fiat apoſtema, ſed ſolum abſceſſus.

Differt enim abſceſſus ab apoſtemate, quia in abſceſſibus humor peruenit ad ſpacia, quę ſunt inter partes, & nõ ad poroſitates; apoſtema verò fit dum humor ſanguineus nõ ſolùm à maiorib. venis ad minores, & à minoribus ad minimas, & capillares, ſed ad ſpacia, & poroſitates partium transfertur.

Docet deinde Gale. quæ ſit communiſſima intentio: dicitque eſſe euacuationẽ, aut vt manifeſtiori vocabulo nos docet abeuacuationem, ideſt diminutionẽ ſanguinis; differentia enim inter κένωσιν, ideſt euacuationem, & ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, eſt, quòd euacuatio amplectitur totalem euacuationem; abeuacuatio verò ſolùm partem redundantem humoris euacuandi.

1 Dub. Gal. intentio in hoc tex. videtur eſſe, quod proponat ſub exemplo apoſtematis varias anguſtias, in quibus variæ oriantur indicationes, nihilominus non videtur, quòd apoſtema contineat in ſe plures ſpecies anguſtiæ; quia omne apoſtema ſolùm comprimendo efficit anguſtiam, non obſtruendo, vel alio modo.

Reſpondetur, in apoſtemate contineri omnia affectuum genera; & varias ſpecies anguſtiæ; quod verò apoſtema cõſtet ex omnibus morborum generibus, ex eo patet; quia primò apoſtema eſt magnitudo aucta, quæ eſt ſpecies malæ compoſitionis: ſecundò eſt intemperies calida, & humida partium ſimiliarum apoſtemate correptarum: tertiò eſt ſoluta vnitas.

Prҽterea qui vellet percurrere omnes ſpecies morborum inueniet in parte apoſtemate obſeſſa omnes ſpecies ferè morborum contineri: Quod hoc verum ſit patet, quia præter compreſſionem ad eſt quoque obſtructio venarum, ſpatiorum, & pororum inflammatæ particulæ.

Quod verò in multitudine ſanguinis tranſmiſſi in aliquam partem corporis obſeſſam inflammatione ſanguis tranſmiſſus ſit à maioribus venis ad minores, & ab his ad minimas, Gal. probat exemplo venarum capillarium oculorum, quæ in aphtalmia conſpiciuntur rubræ, & repletę, quod accidit ob albedinem tunicæ adnatę: quod igitur accidit in inflammatione oculorum, idem contingit in omnibus corporis partibus inflammatione obſeſſis: quamuis capillares aliarum partium tumidæ & rubræ, cùm internæ ſint, fugiant oculorum obtutum.

2 Dub. videtur, quod Gal. nos decipiat; quia exemplo apoſtematis vult mixtos, & complicatos affectus conſiderare; tamen

Item exemplum eſt de affectu complicato cū ſuis cauſis, ideſt de apoſtemate cum ſanguinis multitudine illud generante.

Reſpondetur, quòd agens Galen. de complicatione affectuum non excludat cauſas generantes; quia cauſæ quoque à Galeno vocantur affectus. Præterea non agit in hoc loco de apoſtemate, immò neque illud nominat; ſed ſolùm ſub exemplo multitudinis ſanguinis oſtēdit complicationem omnium ferè morborum; quia primò multitudo ſanguinis conflu xa efficit aliquam magnitudinem auctam; ſecundò intemperiem calidam, & humidam; tertiò ſolutam vnitatem; quartò anguſtiam in compreſsione, & in obſtructione, quatenus capillares venæ, ſpatia, & poroſitates muſculorum ſunt repletæ.

Hinc ualdè errat Argēterius, dum occaſione huius leuiſsimi dubij Galen. reprehendit, qui magno artificio uſus eſt, quia declarauit unico exemplo multorum affectuum complicationem; ſi quis enim percurreret omnes affectus præter naturam, non inueniret alium, qui eſſet cum tanta complicatione, quanta eſt affectus, qui fit à copia ſanguinis confluxi in aliquam partem.

3 Dubit. Galen. proponit ſub exemplo multitudinis ſanguinis confluxi in aliquam partem affectus complicatos: tamē in tanta complicatione vnicum proponit ſcopum curationis, ideſt euacuationem, ſeu abeuacuationem; quomodo igitur affectus erunt multi, & complicati, ſi vnicus tantùm ſufficiet ſcopus?

Argenterius occaſione huius dubij ait, Galen. parùm fœliciter de ſcopis morborum complicatorum egiſſe, quia in complicatis affectibus non vnicus, ſed multi, & inter ſe diuerſi proponuntur ſcopi. Quæ omnia conceduntur Argenterio, quia Galen. multos, & varios quoq; ſcopos in textib. ſequentibus proponit, vt infra patebit: indeque modo conijcimus, & conijciemus, quàm oſcitanter Argenterius interpretatus ſit Galen. quia recitat eius opinionem antequam tex. ſequentes percurrat, in quibus tradit Gal. varios ſcopos, ſeu intentiones, quas deſiderat Argenterius in complicatis affectibus; & quòd venia ſit indignus, patet, quia oſtendit, ſe fuiſſe hominem omninò memoria deſtitutum: dùm enim expoſuit ſequentem textum, in quo leguntur, quæ ab illo deſiderantur, debebat ſe corrigere, & præſentem expoſitionem contra Galenum obliterare. Neque poteſt auctor, quæ in quolibet tex. ſunt inſerta, & fœliciter declarata, in hoc vnico explicare: demùm in hoc libello non poteſt ſemper pleniſſimè de qualibet re ſermonem inſtituere: quia in hoc libro continentur capita artis, ſed non eo modo, quo in alijs libris à Galeno fœliciter explicantur.

Reſpondemus nos, quod in hoc tex. Gal. vnicum proponat ſcopum, & in ſequentib. alios: non ne dicet in ſequenti tex. quod ſuperfluitas retrocedēs ſit euacuanda per patientem particulam? nonne declarat modos retroceſſus, & modos quibus per patientem particulam ſit euacuandum: deinde in alijs textibus, nonne omnes ſcopi ſummo ordine declarati ſunt?

Præterea Gal. proponit multitudinem ſanguinis, in aliquam partem confluxi: cui dubium, quòd hic affectus eſt communis, indicatque abeuacuationem, quæ multitudini ſatisfacit? neque ait hic de affectibus prodeuntibus à ſanguine mala qualitate peccante.

Quæ fiunt à ſanguine mala qualitate peccante ſunt, vt ædemata, quæ à pituitoſo; vel ſcyrrhi, qui à melancholico; vel eryſipelata, quæ à bilioſo ſanguine fiunt; hi tumores non ſolùm euacuationem, ſed alterationem variam pro affectuum varietate indicant: demùm licet multitudo ſanguinis confluxa vnum ſolùm ſcopum habeat, ideſt abeuacuationem, tamen quatenus eſt confluxa, inde multi ſuboriuntur ſcopi, qui à Gal. traduntur, quia vel repellentib. vel digerentibus, vel cutim aperientibus eſſe procedendum docet.

4 Dub. Gal. in tex. videtur errare, quia effuſionem ſanguinis factā in aliqua parte dicit fieri per diapedeſim, ideſt, per exſudationem; de apertioue verò oſculorum venarum capillarium nil dicit, quod repugnat generationi apoſtematis, quod vt fiat non ſolùm eſt neceſſarium, vt ſanguis ichoroſus è tunicis venarum exſu-

ex Galeni ſententia declarauimus.

In hoc text. Gal. ſupponens doctrinam de indicantium ordine eſſe explicatam in arte curatiua, ideſt in methodo, hic breuiſſimè, & clariſſimè docet exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partē confluxi, quod ſemper ſit auſpicanda cura à ſanguinis multitudine; & à quouis affectu, qui cæteros efficere ſolet.

Textus poteſt diuidi in tres partes: in prima docet in affectibus complicatis oriri indicationes complicatas.

In ſecunda, quod in hoc lib. compendioſo ſatis ſit, vt indicationes exemplo anguſtiæ factæ à multitudine ſanguinis declarentur, quia pleniſſimè de his egit in methodo.

In tertia parte duo facit; primò proponit pro exemplo fluxionem ſanguineam, deinde quomodo ſecundum intentionem communem ſanguinis confluxi multitudo curetur.

Gal. conſiderans ſanguinis confluxum in aliquam partem dat nobis occaſionem conſiderandi, quomodo fiat apoſtema; quamuis Galeni intentio in hoc loco non ſit, vt omnes Expoſitores falluntur, agere de apoſtemate, imò neque de nomine apoſtematis fecit mentionem; concedimus tamen, quòd ex hoc loco colligi poſſit, quomodo fiat apoſtema, fit enim vt docet in tex. dùm ſanguis à maioribus venis in minores fertur, eaſque replet: ob nimiam enim repletionem non ſolùm aperiuntur illarum orificia; ſed ſanguis in ſpacia effunditur, mox per diapedeſim, id eſt reſudationem factam à tunicis venarum ſpacia implentur; & deinde ſanguis à ſpacijs ad partium ſubſtantiam effunditur: dum enim ſanguis, vel ſanguinea ſeroſitas eſt effuſa inter ſpacia, adhuc non eſt factum apoſtema: immò accidere ſolet, vt ſanguis inter ſpacia contentus aliquando non penetret partium poroſitates, & per conſequens non fiat apoſtema, ſed ſolum abſceſſus.

Differt enim abſceſſus ab apoſtemate, quia in abſceſſibus humor peruenit ad ſpacia, quę ſunt inter partes, & nō ad poroſitates; apoſtema verò fit dum humor ſanguineus nō ſolùm à maiorib. venis ad minores, & à minoribus ad minimas, & capillares, ſed ad ſpacia, & poroſitates partium transfertur.

Docet deinde Gale. quæ ſit communiſſima intentio: dicitque eſſe euacuationē, aut vt manifeſtiori vocabulo nos docet abeuacuationem, ideſt diminutionē ſanguinis; differentia enim inter κένωσιν, ideſt euacuationem, & ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, eſt, quòd euacuatio amplectitur totalem euacuationem; abeuacuatio verò ſolùm partem redundantem humoris euacuandi.

1 Dub. Gal. intentio in hoc tex. videtur eſſe, quod proponat ſub exemplo apoſtematis varias anguſtias, in quibus variæ oriantur indicationes, nihilominus non videtur, quòd apoſtema contineat in ſe plures ſpecies anguſtiæ; quia omne apoſtema ſolùm comprimendo efficit anguſtiam, non obſtruendo, vel alio modo.

Reſpondetur, in apoſtemate contineri omnia affectuum genera; & varias ſpecies anguſtiæ; quod verò apoſtema cōſtet ex omnibus morborum generibus, ex eo patet; quia primò apoſtema eſt magnitudo aucta, quæ eſt ſpecies malæ compoſitionis: ſecundò eſt intemperies calida, & humida partium ſimiliarum apoſtemate correptarum: tertiò eſt ſoluta vnitas.

Prǽterea qui vellet percurrere omnes ſpecies morborum inueniet in parte apoſtemate obſeſſa omnes ſpecies ferè morborum contineri: Quod hoc verum ſit patet, quia præter compreſſionem adeſt quoque obſtructio venarum, ſpatiorum, & pororum inflammatæ particulæ.

Quod verò in multitudine ſanguinis tranſmiſſi in aliquam partem corporis obſeſſam inflammatione ſanguis tranſmiſſus ſit à maioribus venis ad minores, & ab his ad minimas, Gal. probat exemplo venarum capillarium oculorum, quæ in aphtalmia conſpiciuntur rubræ, & replete, quod accidit ob albedinem tunicæ adnatę: quod igitur accidit in inflammatione oculorum, idem contingit in omnibus corporis partibus inflammatione obſeſſis: quamuis capillares aliarum partium tumidæ & rubræ, cùm internæ ſint, fugiant oculorum obtutum.

2 Dub. videtur, quod Gal. nos decipiat; quia exemplo apoſtematis vult mixtos, & complicatos affectus conſiderare; tamen

tum exemplum eſt de affectu complicato cũ ſuis cauſis, ideſt de apoſtemate cum ſanguinis multitudine illud generante.

Reſpondetur, quòd agens Galen. de compllicatione affectuum non excludat cauſas generantes; quia cauſæ quoque à Galeno vocantur affectus. Præterea non agit in hoc loco de apoſtemate, immò neque illud nominat; ſed ſolùm ſub exemplo multitudinis ſanguinis oſtẽdit complicationem omnium ferè morborum; quia primò multitudo ſanguinis conflu xa efficit aliquam magnitudinem auctam; ſecundò intemperiem calidam, & humidam; tertiò ſolutam vnitatem; quartò anguſtiam in compreſsione, & in obſtructione, quatenus capillares venæ, ſpatia, & poroſitates muſculorum ſunt repletæ.

Hinc ualdè errat Argẽterius, dum occaſione huius leuiſsimi dubij Galen. reprehendit, qui magno artificio uſus eſt, quia declarauit unico exemplo multorum affectuum complicationem; ſi quis enim percurreret omnes affectus præter naturam, non inueniret alium, qui eſſet cum tanta complicatione, quanta eſt affectus, qui fit à copia ſanguinis confluxi in aliquam partem.

3 Dubit. Galen. proponit ſub exemplo multitudinis ſanguinis confluxi in aliquam partem affectus complicatos: tamẽ in tanta complicatione vnicum proponit ſcopum curationis, ideſt euacuationem, ſeu abeuacuationem; quomodo igitur affectus erunt multi, & complicati, ſi vnicus tantùm ſufficiet ſcopus?

Argenterius occaſione huius dubij ait, Galen. parùm fœliciter de ſcopis morborum complicatorum egiſſe, quia in complicatis affectibus non vnicus, ſed multi, & inter ſe diuerſi proponuntur ſcopi. Quæ omnia conceduntur Argenterio, quia Galen. multos, & varios quoq; ſcopos in textib. ſequentibus proponit, vt infra patebit: indeque modo conijcimus, & conijcimus, quam oſcitanter Argenterius interpretatus ſit Galen. quia recitat eius opinionem antequam tex. ſequentes percurrat, in quibus tradit Gal. varios ſcopos, ſeu intentiones, quas deſiderat Argenterius in complicatis affectibus; & quòd venia ſit indignus, patet, quia oſtendit, ſe fuiſſe hominem omninò memoria deſtitutum: dùm enim expoſuit ſequentem textum, in quo leguntur, quæ ab illo deſiderantur, debebat ſe corrigere, & præſentem expoſitionem contra Galenum obliterare. Neque poteſt auctor, quæ in quolibet tex. ſunt inſerta, & fœliciter declarata, in hoc vnico explicare: demùm in hoc libello non poteſt ſemper pleniſſimè de qualibet re ſermonem inſtituere: quia in hoc libro continentur capita artis, ſed non eo modo, quo in alijs libris à Galeno fœliciter explicantur.

Reſpondemus nos, quod in hoc tex. Gal. vnicum proponat ſcopum, & in ſequentib. alios: non ne dicet in ſequenti tex. quod ſuperfluitas retrocedẽs ſit euacuanda per patientem particulam? non ne declarat modos retroceſſus, & modos quibus per patientem particulam ſit euacuandum: deinde in alijs textibus, nonne omnes ſcopi ſummo ordine declarati ſunt?

Præterea Gal. proponit multitudinem ſanguinis, in aliquam partem confluxi: cui dubium, quòd hic affectus eſt communis, indicatque abeuacuationem, quæ multitudini ſatisfacit? neque ait hic de affectibus prodeuntibus à ſanguine mala qualitate peccante.

Quæ fiunt à ſanguine mala qualitate peccante ſunt, vt ædemata, quæ à pituitoſo; vel ſcyrrhi, qui à melancholico; vel eryſipelata, quæ à bilioſo ſanguine fiunt; hi tumores non ſolùm euacuationem, ſed alterationem variam pro affectuum varietate indicant: demùm licet multitudo ſanguinis confluxa vnum ſolùm ſcopum habeat, ideſt abeuacuationem, tamen quatenus eſt confluxa, inde multi ſuboriuntur ſcopi, qui à Gal. traduntur, quia vel repellentib. vel digerentibus, vel cutim aperientibus eſſe procedendum docet.

4 Dub. Gal. in tex. videtur errare, quia effuſionem ſanguinis factã in aliqua parte dicit fieri per diapedeſim, ideſt, per exudationem; de apertione verò oſculorum venarum capillarium nil dicit, quod repugnat generationi apoſtematis, quod vt fiat non ſolùm eſt neceſſarium, vt ſanguis ichoroſus è tunicis venarum exſudet;

ex Galeni ſententia declarauimus.

In hoc text. Gal. ſupponens doctrinam de indicantium ord'ne eſſe explicatam in arte curatiua, ideſt in methodo, hic breuiſſimè, & clariſſimè docet exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partē confluxi, quod ſemper ſit auſpicanda cura à ſanguinis multitudine; & à quouis affectu, qui cæteros efficere ſolet.

Textus poteſt diuidi in tres partes: in prima docet in affectibus complicatis oriri indicationes complicatas.

In ſecunda, quod in hoc lib. compendioſo ſatis ſit, vt indicationes exemplo anguſtiæ factæ à multitudine ſanguinis declarentur, quia pleniſſimè de his egit in methodo.

In tertia parte duo facit; primò proponit pro exemplo fluxionem ſanguineam, deinde quomodo ſecundum intentionem communem ſanguinis confluxi multitudo curetur.

Gal. conſiderans ſanguinis confluxum in aliquam partem dat nobis occaſionem conſiderandi, quomodo fiat apoſtema; quamuis Galeni intentio in hoc loco non ſit, vt omnes Expoſitores falluntur, agere de apoſtemate, imò neque de nomine apoſtematis fecit mentionem; concedimus tamen, quòd ex hoc loco colligi poſſit, quomodo fiat apoſtema, ſit enim vt docet in tex. dùm ſanguis à maioribus venis in minores fertur, eaſque replet: ob nimiam enim repletionem non ſolùm aperiuntur illarum orificia; ſed ſanguis in ſpacia effunditur, mox per diapedeſim, id eſt reſudationem factam à tunicis venarum ſpacia implentur; & deinde ſanguis à ſpacijs ad partium ſubſtantiam effunditur: dum enim ſanguis, vel ſanguinea ſeroſitas eſt effuſa inter ſpacia, adhuc non eſt factum apoſtema: immò accidere ſolet, vt ſanguis inter ſpacia contentus aliquando non penetret partium poroſitates, & per conſequens non fiat apoſtema, ſed ſolum abſceſſus.

Differt enim abſceſſus ab apoſtemate, quia in abſceſſibus humor peruenit ad ſpacia, quę ſunt inter partes, & nō ad poroſitates; apoſtema verò fit dum humor ſanguineus nō ſolùm à maiorib. venis ad minores, & à minoribus ad minimas, & capillares, ſed ad ſpacia, & poroſitates partium transfertur.

Docet deinde Gale. quæ ſit communiſſima intentio: dicitque eſſe euacuationē, aut vt manifeſtiori vocabulo nos docet abeuacuationem, ideſt diminutionē ſanguinis; differentia enim inter κένωσιν, ideſt euacuationem, & ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, eſt, quòd euacuatio amplectitur totalem euacuationem; abeuacuatio verò ſolùm partem redundantem humoris euacuandi.

1 Dub. Gal. intentio in hoc tex. videtur eſſe, quod proponat ſub exemplo apoſtematis varias anguſtias, in quibus variæ oriantur indicationes, nihilominus non videtur, quòd apoſtema contineat in ſe plures ſpecies anguſtiæ; quia omne apoſtema ſolùm comprimendo efficit anguſtiam, non obſtruendo, vel alio modo.

Reſpondetur, in apoſtemate contineri omnia affectuum genera; & varias ſpecies anguſtiæ; quod verò apoſtema cōſtet ex omnibus morborum generibus, ex eo patet; quia primò apoſtema eſt magnitudo aucta, quæ eſt ſpecies malæ compoſitionis: ſecundò eſt intemperies calida, & humida partium ſimiliarum apoſtemate correptarum: tertiò eſt ſoluta vnitas.

Preterea qui vellet percurrere omnes ſpecies morborum inueniet in parte apoſtemate obſeſſa omnes ſpecies ferè morborum contineri: Quod hoc verum ſit patet, quia præter compreſſionem adeſt quoque obſtructio venarum, ſpatiorum, & pororum inflammatæ particulæ.

Quod verò in multitudine ſanguinis tranſmiſſi in aliquam partem corporis obſeſſam inflammatione ſanguis tranſmiſſus ſit à maioribus venis ad minores, & ab his ad minimas, Gal. probat exemplo venarum capillarium oculorum, quæ in aphtalmia conſpiciuntur rubræ, & repletę, quod accidit ob albedinem tunicæ adnatę: quod igitur accidit in inflammatione oculorum, idem contingit in omnibus corporis partibus inflammatione obſeſſis: quamuis capillares aliarum partium tumidæ & rubræ, cùm internæ ſint, fugiant oculorum obtutum.

2 Dub. videtur, quod Gal. nos decipiat; quia exemplo apoſtematis vult mixtos, & complicatos affectus conſiderare; tamen

tum exemplum eſt de affectu complicato eũ ſuis cauſis,ideſt de apoſtemate cum ſanguinis multitudine illud generante.

Reſpondetur, quòd agens Galen. de complicatione affectuum non excludat cauſas generantes; quia cauſæ quoque à Galeno vocantur affectus. Præterea non agit in hoc loco de apoſtemate,immò neque illud nominat; ſed ſolùm ſub exemplo multitudinis ſanguinis oſtẽdit complicationem omnium ferè morborum; quia primò multitudo ſanguinis confluxa efficit aliquam magnitudinem auctam; ſecundò intemperiem calidam, & humidam; tertiò ſolutam vnitatem; quartò anguſtiam in compreſsione, & in obſtructione, quatenus capillares venæ, ſpatia, & poroſitates muſculorum ſunt repleræ.

Hinc ualdè errat Argẽterius,dum occaſione huius leuiſsimi dubij Galen. reprehendit, qui magno artificio uſus eſt, quia declarauit unico exemplo multorum affectuum complicationem; ſi quis enim percurreret omnes affectus præter naturam, non inueniret alium, qui eſſet cum tanta complicatione, quanta eſt affectus, qui fit à copia ſanguinis confluxi in aliquam partem.

3 Dubit. Galen. proponit ſub exemplo multitudinis ſanguinis confluxi in aliquam partem affectus complicatos: tamẽ in tanta complicatione vnicum proponit ſcopum curationis, ideſt euacuationem, ſeu abeuacuationem; quomodo igitur affectus erunt multi, & complicati, ſi vnicus tantùm ſufficiet ſcopus?

Argenterius occaſione huius dubij ait, Galen. parùm fœliciter de ſcopis morborum complicatorum egiſſe;quia in complicatis affectibus non vnicus, ſed multi, & inter ſe diuerſi proponuntur ſcopi. Quæ omnia conceduntur Argenterio, quia Galen.multos, & varios quoq; ſcopos in textib. ſequentibus proponit, vt infra patebit: indeque modo conijcimus,& conijciemus,quàm oſcitanter Argenterius interpretatus ſit Galen. quia recitat eius opinionem antequam tex.ſequentes percurrat, in quibus tradit Gal. varios ſcopos,ſeu intentiones, quas deſiderat Argenterius in complicatis affectibus; & quòd venia ſit indignus, patet, quia oſtendit, ſe fuiſſe hominem omninò memoria deſtitutum: dùm enim expoſuit ſequentem textum, in quo leguntur,quæ ab illo deſiderantur, debebat ſe corrigere, & præſentem expoſitionem contra Galenum obliterare. Neque poteſt auctor, quæ in quolibet tex. ſunt inſerta, & fœliciter declarata, in hoc vnico explicare: demùm in hoc libello non poteſt ſemper pleniſſimè de qualibet re ſermonem inſtituere: quia in hoc libro continentur capita artis, ſed non eo modo, quo in alijs libris à Galeno fœliciter explicantur.

Reſpondemus nos, quod in hoc tex. Gal. vnicum proponat ſcopum, & in ſequentib. alios: non ne dicet in ſequenti tex. quod ſuperfluitas retrocedẽs ſit euacuanda per patientem particulam? nonne declarat modos retroceſſus,& modos quibus per patientem particulam ſit euacuandum: deinde in alijs textibus,nonne omnes ſcopi ſummo ordine declarati ſunt?

Præterea Gal. proponit multitudinem ſanguinis,in aliquam partem confluxi: cui dubium, quòd hic affectus eſt communis,indicatque abeuacuationem,quæ multitudini ſatisfacit?neque ait hic de affectibus prodeuntibus à ſanguine mala qualitate peccante.

Quæ fiunt à ſanguine mala qualitate peccante ſunt,vt ædemata,quæ à pituitoſo; vel ſcyrrhi, qui à melancholico; vel eryſipelata, quæ à bilioſo ſanguine fiunt; hi tumores non ſolùm euacuationem,ſed alterationem variam pro affectuum varietate indicant: demùm licet multitudo ſanguinis confluxa vnum ſolùm ſcopum habeat, ideſt abeuacuationem, tamen quatenus eſt confluxa, inde multi ſuboriuntur ſcopi, qui à Gal.traduntur, quia vel repellentib.vel digerentibus,vel cum aperientibus eſſe procedendum docet.

4 Dub. Gal. in tex. videtur errare,quia effuſionem ſanguinis factã in aliqua parte dicit fieri per diapedeſim, ideſt, per exſudationem; de apertione verò oſculorum venarum capillarium nil dicit,quod repugnat generationi apoſtematis, quod vt fiat non ſolùm eſt neceſſarium,vt ſanguis ichoroſus è tunicis venarum exſu-

poſſe conſiderari, vel per ſe, vel per accidens; per ſe, omne abſterſiuum eſt exaſperatiuum; per accidens vero habet vim leniendi, quatenus ſcilicet tollit, quod eſt aſperum.

CAPITIS XCV.

Particula II.

Tex. 63. *Quæ verò, vel obſtructiones, vel anguſtiæ meatuum alias ſequuntur ægritudines, ab illarum curatione prius eſt incipiendum. Oſtenſum ſiquidem eſt in lib. de differentijs morborum, quòd & inflammationibus & duris, laxiſque tumoribus, & ſiccitatibus, aliquando immodicis, ac præterea vitioſis partium continentium figuris, eæ quæ nuper diximus, ſæpius aduenıunt: ſicuti, & quibuſdam tumoribus eorum, quæ ſunt in ambitu corporum.*

POſtquam Gal. egit de aſperitate, & lenitate, quæ ſunt vitia pertinentia ad ſuperficiem.

In hoc tex. tranſit ad declarandum quid ſit agendum, ſi fortè fortuna obſtructiones, & anguſtiæ meatuum inſequentur alios morbos: exempli cauſa, dicit Gal. ſi fieret tumor præter naturam ab humorum confluxu, ſtatim fieret anguſtia meatuum: vel ſi ob nimiam ſiccitatem conſtiparentur meatus, vt dùm in febre ardente ob ſiccitatem nimiam impeditur deglutitio, vel ob vitiatam figuram, vt in luxatis; quomodocunque clauſi eſſent meatus, admonet Gal. hic, & lib. de differentijs morborum, curam eſſe inchoandam non ab abſtructione, vel anguſtia; ſed à morbis illas efficientibus: quia illæ oſtructiones, & anguſtiæ non ſunt morbi; ſed ſymptomata, quia tolluntur ad ablationem aliorum morborum: etenim ſi aliquis tumor comprimat, & anguſtiam meatuum efficiat, tumore ablato ſtatim anguſtia tollitur.

Miror valde Argenterium, qui ſumit occaſionem reprehendendi Gal. in rebus leuiſſimis. Primò enim dicit Gal. negligentiæ vitio condemnari: quia ſuperius propoſuit agendum de morbis in cauitate, tamen ſolũ de obſtructione egit: quod quidem falſum eſt, quia ſuperius egit de morbis in cauitate, vt legentibus patet.

Secundò addit Gal. inordinatiſſimum eſſe, quia hic tex. de obſtructione erat proponendus, antequam ſermonem haberet de aſperitate, & lenitate; ſed miſer vacillat; quia Gal. debebat perficere tractatum de morbis in mala conformatione, aſperitas enim & lenitas, quæ pertinent ad membrorum ſuperficiem, ſunt quoque morbi in mala conformatione: in hoc tex. verò non agit de obſtructione, & anguſtia, vt ſunt morbi; ſed vt ſunt ſymptomata inſequẽtia quamplurimos alios morbos, docetq; dum inſequuntur alios morbos, nihil indicare, quia tolluntur ad ablationem alterius.

Deinde decipitur valdè, dùm dicit Gal. abuti nomine obſtructionis, quia obſtructio fit à materia occupãte internam cauitatem: compreſſio verò anguſtiam efficit, & non occupat internam cauitatem: defenditur enim Gal. dupliciter, primò, quia intelligit de materiã faciente tumores, & ſimul occupãte internas cauitates: nemini dubium eſt, quod in omni tumore non ſolum eſt anguſtia à compreſſione prodiens; ſed etiam ab obſtructione.

Secundò poteſt reſponderi, quod ἔμφραξις aliquando ſumatur pro qualibet anguſtia: ſed prima expoſitio mihi magis probatur; quamuis enim nõ agat de omni anguſtia; hic tamen non eſt locus, vt ſigillatim enumerẽtur omnes ſpecies anguſtiæ, quia ſubintelligitur, quod anguſtia, & quiuis alius morbus, ſi dependentiam habeat, & ſit ſolum in fieri, quod illud ſit ſymptoma, & non egeat remedijs; quia tollitur ad ablationem alterius: quã doctrinam fusè ſuperius declarauit.

Demum docet Gal. obſtructionum, vel anguſtiarum meatuum, quę fiunt ab alijs morbis, vt à tumoribus, curam eſſe incipiendã à tumoribus; quaſi dicat, ſi obſtructiones, & anguſtiæ fiant à tumoribus, curam eſſe incipiendam à tumoribus; nõ ſolum, quia tumores ſint in fieri, & ſemper pendentes, ſed etiam quatenus ſunt affectus facti: idem dicimus ſi anguſtiæ fierent à ſiccitatibus, vel à morbis in figura, eſſe ſcilicet à cauſa auſpicandam curationem.

1 Dub. Gal. in hoc tex. loquens de morbis in anguſtia quatenus inſequuntur

alios

alios morbos nõ nominat omnes ſpecies anguſtiæ;ſed ſolum tres,videlicet obſtructiones, compreſſiones, & cõſtipationes pororum à ſiccitate factas; nihilominus non tres,ſed ſex ſpecies continentur ſub anguſtia ſcilicet coaleſcentia, ſubſidẽtia, occluſio, compreſſio conſtipatio, & obſtructio. Prçterea varij quoque ſunt affectus in cauitate, de quibus nil dicit; ergo diminutus.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Gal.in hoc tex.reducere ad duos affectus omnes qui ad cauitatem pertinent, ſcilicet vel ad illos qui proueniũt à cauſa exiſtente in cauitate,quę alio modo vocatur obſtructio,ſit lapis in veſica, vel carnoſitas, vel verruca, & alia huiuſmodi, quæ obſtructiones vocantur: vel ad illos, qui fiunt à cauſa extra cauitatem exiſtente, qui reducuntur quoque ad anguſtiam.

2 Dub.Gal.agens hic de anguſtia vtitur omiſiſſe anguſtiam,quæ fit à ſtercore duro, de qua ſuperius: aliquando enim à fæce indurata dolores collici, & plurima ſymptomata oriũtur:memini,me ęgrum nouiſſe, qui timore quodam duro in parte ſiniſtra ſub ſplene ſpatio duorũ annorum valdè opprimeretur:Medici unctionibus,& fomentationibus illum cõtinuò tractarunt ſine ullo beneficio;tandẽ alijs ſuperuenientib. ſymptomatibus interijt. Ego deſiderans antequã eſſet funeratus, intueri locum affectum, iuſſi, ut Chirurgus illius cadaueris tumorem uſque ad imum incideret, inciſioque peruenit uſque ad inteſtinum ileum,facta apertione inuenimus cauſam illius antiqui tumoris eſſe, (quod riſum ualdè mouit) ſtercus quoddam duriſſimũ: deinde cauſam cur aliquãdo ille miſer excerneret per aluũ, globulos quoſdam uirides, & duriſſimos inuenimus:fęx enim ob pondus deorſum grauitans ſecundũ aliquam portionem conuertebatur in globulum,qui quotidie uirtute enematis excernebatur, & deinde ob incendium magnæ arteriæ, quæ propè erat, iterum noua fæx illi maſſæ applicabatur,& exſiccabatur,undè ex his & alijs cauſis non exigua ſymptomata exoriebantur.

Ex præcognitione prædicti caſus alios ſimiles non paucos ſanaui oleo amygdalarũ dulcium ad duas uncias menſis curſu quotidie ſumpto; quatuor horis antè cibum.

Sed vnde digreſſi ſumus redeuntes reſpondemus ad dubium, quòd fæx dura efficiat illam anguſtiæ ſpeciem,quæ dicitur occluſio; ſicut dum verruca aliquem meatum occludit, vel dùm lapis collum veſicæ.

CAPITIS XCV.

Particula III.

Quòd ſi nonnulla ex proximè dictis inuicem complicentur; varias habebunt indicationes:ſufficiet autem in vno exemplo habuiſſe ſermonem,quoniam de omnibus in libris de arte curandi plenius ſumus exequuti.

Tex. 64. *Supponatur cuipiam particula multitudinem ſanguinis influi, adeò vt intendantur in ea vena, non maiores tantum, ſed etiam paruæ;quæ prius ſenſum effugiebãt: nunc verò iam plena viſu,comprehenduntur, ſicuti plerumque in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſſimè patet:par ſi quidem eſt,quòd & alia vaſa,quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur.nondum & ipſa ob paruitatem viſui manifeſta: & iam periculum imminet; ne quod ex vaſis exſudat, ad ſpacia vacua, quæ in medio ſunt, effundantur, aut ne iam paucum aliquod ſit effuſum.*

Tex. 65. *Huius quidem affectus ſanatio intentionem habebit euacuationem, aut,vt manifeſtiori vocabulo vtamur, abeuacuationẽ: ſi quidem morbus erat immoderata partis repletio.*

IN tex.ſuperiori docuit,dum obſtructiones, vel anguſtiæ ſunt factæ à cauſis,ſeu tumoribus comprimentibus, vel ab alijs affectibus, quòd cura ſit auſpiciẽda ab illis affectibus, qui anguſtias efficiunt;docuit Galen. fusè in meth.lib.3.c.9.& lib.7.c. 12. omnes indicationes, antequã medicus aggrediatur morbi curationem reduci ad tres,uidelicet ad vrgens,ad cauſam principalem,& ad cauſam ſine qua non: Nos quoq; edidimus lib. decimumquint. meth. vitand. err.qui eſt de indicantium ęquilibrio,vbi omnes indicationum comparationes enumerauimus, & mox quæ primum locum,quæ ſecundum,quę tertiũ obtineat

ex Galeni ſententia declarauimus.

In hoc text. Gal. ſupponens doctrinam de indicantium ord'ne eſſe explicatam in arte curatiua, ideſt in methodo, hic breuiſſimè, & clariſſimè docet exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partẽ confluxi, quod ſemper ſit auſpicanda cura à ſanguinis multitudine; & à quouis affectu, qui cæteros efficere ſolet.

Textus poteſt diuidi in tres partes: in prima docet in affectibus complicatis oriri indicationes complicatas.

In ſecunda, quod in hoc lib. compendioſo ſatis ſit, vt indicationes exemplo anguſtiæ factæ à multitudine ſanguinis declarentur, quia pleniſſimè de his egit in methodo.

In tertia parte duo facit; primò proponit pro exemplo fluxionem ſanguineam, deinde quomodo ſecundum intentionem communem ſanguinis confluxi multitudo curetur.

Gal. conſiderans ſanguinis confluxum in aliquam partem dat nobis occaſionem conſiderandi, quomodo fiat apoſtema; quamuis Galeni intentio in hoc loco non ſit, vt omnes Expoſitores falluntur, agere de apoſtemate, imò neque de nomine apoſtematis fecit mentionem; concedimus tamen, quòd ex hoc loco colligi poſſit, quomodo fiat apoſtema, fit enim vt docet in tex. dùm ſanguis à maioribus venis in minores fertur, eaſque replet: ob nimiam enim repletionem non ſolùm aperiuntur illarum orificia; ſed ſanguis in ſpacia effunditur, mox per diapedeſim, id eſt reſudationem factam à tunicis venarum ſpacia implentur; & deinde ſanguis à ſpacijs ad partium ſubſtantiam effunditur: dum enim ſanguis, vel ſanguinea ſeroſitas eſt effuſa inter ſpacia, adhuc non eſt factum apoſtema: immò accidere ſolet, vt ſanguis inter ſpacia contentus aliquando non penetret partium poroſitates, & per conſequens non fiat apoſtema, ſed ſolùm abſceſſus.

Differt enim abſceſſus ab apoſtemate, quia in abſceſſibus humor peruenit ad ſpacia, quę ſunt inter partes, & nõ ad poroſitates; apoſtema verò fit dum humor ſanguineus nõ ſolùm à maiorib. venis ad minores, & à minoribus ad minimas, & capillares, ſed ad ſpacia, & poroſitates partium transfertur.

Docet deinde Gale. quæ ſit communiſſima intentio: dicitque eſſe euacuationẽ, aut vt manifeſtiori vocabulo nos docet abeuacuationem, ideſt diminutionẽ ſanguinis; differentia enim inter κένωσιν, id eſt euacuationem, & ἀποκένωσιν, ideſt abeuacuationem, eſt, quòd euacuatio amplectitur totalem euacuationem; abeuacuatio verò ſolùm partem redundantem humoris euacuandi.

1 Dub. Gal. intentio in hoc tex. videtur eſſe, quod proponat ſub exemplo apoſtematis varias anguſtias, in quibus variæ oriantur indicationes, nihilominus non videtur, quòd apoſtema contineat in ſe plures ſpecies anguſtiæ; quia omne apoſtema ſolùm comprimendo efficit anguſtiam, non obſtruendo, vel alio modo.

Reſpondetur, in apoſtemate contineri omnia affectuum genera; & varias ſpecies anguſtiæ; quod verò apoſtema cõſtet ex omnibus morborum generibus, ex eo patet; quia primò apoſtema eſt magnitudo aucta, quæ eſt ſpecies malæ compoſitionis: ſecundò eſt intemperies calida, & humida partium ſimiliarum apoſtemate correptarum: tertiò eſt ſoluta vnitas.

Præterea qui vellet percurrere omnes ſpecies morborum inueniet in parte apoſtemate obſeſſa omnes ſpecies ferè morborum contineri: Quod hoc verum ſit patet, quia præter compreſſionem ad eſt quoque obſtructio venarum, ſpatiorum, & pororum inflammatæ particulæ.

Quod verò in multitudine ſanguinis tranſmiſſi in aliquam partem corporis obſeſſam inflammatione ſanguis tranſmiſſus ſit à maioribus venis ad minores, & ab his ad minimas, Gal. probat exemplo venarum capillarium oculorum, quæ in aphtalmia conſpiciuntur rubræ, & repletę, quod accidit ob albedinem tunicæ adnatę: quod igitur accidit in inflammatione oculorum, idem contingit in omnibus corporis partibus inflammatione obſeſſis: quamuis capillares aliarum partium tumidæ & rubræ, cùm internæ ſint, fugiant oculorum obtutum.

2 Dub. videtur, quod Gal. nos decipiat; quia exemplo apoſtematis vult mixtos, & complicatos affectus conſiderare; tamen

tum exemplum eſt de affectu complicato cū ſuis cauſis, idest de apoſtemate cum ſanguinis multitudine illud generante.

Reſpondetur, quòd agens Galen. de complicatione affectuum non excludat cauſas generantes; quia cauſæ quoque à Galeno vocantur affectus. Præterea non agit in hoc loco de apoſtemate, immò neque illud nominat; ſed ſolùm ſub exemplo multitudinis ſanguinis oſtēdit complicationem omnium ferè morborum; quia primò multitudo ſanguinis confluxa efficit aliquam magnitudinem auctam; ſecundò intemperiem calidam, & humidam; tertiò ſolutam vnitatem; quartò anguſtiam in compreſsione, & in obſtructione, quatenus capillares venæ, ſpatia, & poroſitates muſculorum ſunt repletæ.

Hinc ualdè errat Argēterius, dum occaſione huius leuiſsimi dubij Galen. reprehendit, qui magno artificio uſus eſt, quia declarauit unico exemplo multorum affectuum complicationem; ſi quis enim percurreret omnes affectus præter naturam, non inueniret alium, qui eſſet cum tanta complicatione, quanta eſt affectus, qui fit à copia ſanguinis confluxi in aliquam partem.

3 Dubit. Galen. proponit ſub exemplo multitudinis ſanguinis confluxi in aliquam partem affectus complicatos: tamē in tanta complicatione vnicum proponit ſcopum curationis, ideſt euacuationem, ſeu abeuacuationem; quomodo igitur affectus erunt multi, & complicati, ſi vnicus tantùm ſufficiet ſcopus?

Argenterius occaſione huius dubij ait, Galen. parùm fæliciter de ſcopis morborum complicatorum egiſſe, quia in complicatis affectibus non vnicus, ſed multi, & inter ſe diuerſi proponuntur ſcopi. Quæ omnia conceduntur Argenterio, quia Galen. multos, & varios quoq; ſcopos in textib. ſequentibus proponit, vt infra patebit; indeque modo conijcimus, & conijcimus, quam oſcitanter Argenterius interpretatus ſit Galen. quia recitat eius opinionem antequam tex. ſequentes percurrat, in quibus tradit Gal. varios ſcopos, ſeu intentiones, quas deſiderat Argenterius in complicatis affectibus; & quòd venia ſit indignus, patet, quia oſtendit, ſe fuiſſe hominem omninò memoria deſtitutum: dùm enim expoſuit ſequentem textum, in quo leguntur, quæ ab illo deſiderantur, debebat ſe corrigere, & præſentem expoſitionem contra Galenum oblitterare. Neque poteſt auctor, quæ in quolibet tex. ſunt inſerta, & fœliciter declarata, in hoc vnico explicare: demùm in hoc libello non poteſt ſemper pleniſſimè de qualibet re ſermonem inſtituere: quia in hoc libro continentur capita artis, ſed non eo modo, quo in alijs libris à Galeno fælicitet explicantur.

Reſpondemus nos, quod in hoc tex. Gal. vnicum proponat ſcopum, & in ſequentib. alios: non ne dicet in ſequenti tex. quod ſuperfluitas retrocedēs ſit euacuanda per patientem particulam? nonne declarat modos retroceſſus, & modos quibus per patientem particulam ſit euacuandum: deinde in alijs textibus, nonne omnes ſcopi ſummo ordine declarati ſunt?

Præterea Gal. proponit multitudinem ſanguinis, in aliquam partem confluxi: cui dubium, quòd hic affectus eſt communis, indicatque abeuacuationem, quæ multitudini ſatisfacit: neque ait hic de affectibus prodeuntibus à ſanguine mala qualitate peccante.

Quæ fiunt à ſanguine mala qualitate peccante ſunt, vt ædemata, quæ à pituitoſo; vel ſcyrrhi, qui à melancholico; vel eryſipelata, quæ à bilioſo ſanguine fiunt; hi tumores non ſolùm euacuationem, ſed alterationem variam pro affectuum varietate indicant: demùm licet multitudo ſanguinis confluxa vnum ſolùm ſcopum habeat, ideſt abeuacuationem, tamen quatenus eſt confluxa, inde multi ſuboriuntur ſcopi, qui à Gal. traduntur, quia vel repellentib. vel digerentibus, vel cutim aperientibus eſſe procedendum docet.

4 Dub. Gal. in tex. videtur errare, quia effuſionem ſanguinis factā in aliqua parte dicit fieri per diapedeſim, ideſt, per exſudationem; de apertione verò oſculorum venarum capillarium nil dicit, quod repugnat generationi apoſtematis, quod vt fiat non ſolùm eſt neceſſarium, vt ſanguis ichoroſus è tunicis venarum exſudet;

det ; ſed etiam vt ſanguis perfectus ab orificijs venarum influat ad ſpatia , & poroſitates .

Reſpondetur eſſe veriſſimũ,quod apoſtema fiat non ſolùm à ſanguine, qui exſudat,ſed etiam ab illo,qui per anaſtomoſim , ideſt per apertionẽ orificiorum minimarum venarum effunditur.Ratio verò cur Galen. nil dicat de ſanguine per anaſtomoſim transmiſſo, eſt , quia loquitur de ſanguinis multitudine fluente in patientem particulam à maioribus venis ad minores , & à minoribus ad ſpatia per diapedeſim , & non per anaſtomoſim; vt propterea maximè errent: Expoſitores, qui putant , Gal. in hoc tex. vti exemplo apoſtematis:quomodo igitur agit de apoſtemate ſi ſolùm mentionem facit de ſanguine,qui exſudat è tunicis? hic certè nõ conuertitur in pus , ſed ſolùm digerentibus tollitur: Hinc de ſuppurãtibus nil dicit,quę remedia sũt propria apoſtematis.

5 Dub. indicatio ſumpta à cauſa dicitur præſeruatio : à morbo , curatio : at ſic eſt , quòd multitudo ſanguinis influxi in patientem particulam eſt cauſa , & non morbus,ergo erit vocanda præſeruatio , & non curatio .

Reſpondetur, quòd in codice antiquo ſic legebatur, huius affectus curatio . In Leoniceno verò legitur , huius affectus *ἴασις*, ſcilicet ſanatio,ſanatio enim prædicatur de curatione,& præſeruatione .

6 Dub. dicit Galen.in tex. quòd ſi multitudo ſanguinis influat in patientem particulam ; quòd eius ſanatio ſit abeuacuatio; quòd non videtur ſemper verum: quia ſępiſſimè influit ſanguis in aliquam particulam : attamen per inſenſibilem perſpirationem,quod influxum eſt,abſumitur .

Reſpondetur multis modis ; primò dicimus , per excretionẽ inſenſibilem medicum quoque digerentibus euacuare .

Secundò reſpondemus , dùm multitudo ſanguinis influit à venarum oſtiolis vſque ad ſpatia,& ad poroſitates, tũc per ſuppurationem euacuari , & de hac fluxione non eſt locutus Galen. ſed de illa , quę per exſudationem è tunicis venarum ad ſpatia,& ad poroſitates tranſmittitur, quæ materia digerentibus facilè euacuatur .

Modus verò cognoſcendi quando ſanguis influxus digerentib.ſit euacuandus; & quãdo ſuppurantibus ; & demũ quando eſt in abſceſſum conuerſurus,eſt colligendus ex Galen.lib.3.progn.29. vbi hæc omnia diſtinctiſſimè docet his verbis; *Si vires valde ſint , & humores calidi , per excretionẽ fit iudiciũ .i.per inſẽſibilẽ perſpirationem:* addit, *ſi humores frigidi ſint, & vires robuſtæ per abſceſſum fit iudiciũ; ſimiliter ſi sũt calidi, & vires debiles per abſceſſum quoq; iudicantur,* addit, *qui verò vires debiles , & humores frigidos habẽt, vel moriuntur,vel vix longo temporis interuallo humores concoquunt.* Ecce quã diuinitus Gal.docet, quãdo per inſenſibilẽ perſpirationẽ,quando per abſceſſum .i. per ſuppurationem humores ſanantur;& quando in corruptelam,& gangrenã deſinunt : dum enim humores ſunt frigidi, & vires partis ſunt debiles , tunc virtus partis ab humoribus ſuperatur , & inde moritur ; vel ſaltem fiunt abſceſſus , ateroma,ſcilicet ſteatoma,vel meliceris .

6 Dub. non videtur verum , quòd frigidi humores in parte debili non poſſint ſuppurari ; quia experientia aliquando obſeruamus empyematicos debiles catarrhum frigidum in pus conuertere .

Reſpondetur ex Hipp. & Gal. 1. præd. 35. tumores factos à frigidiſsimis humoribus in parte calida poſſe ſpatio 60. dierum ſuppurari : quare non eſt mirum , ſi humores frigidi in empyematicis conuertãtur in pus , quia cauitas thoracis eſt propè fontem caloris; dùm igitur Galen. dixit , frigidos humores in parte debili non ſuppurari , intellexit de parte frigida, quæ paupertate ſui caloris non valeat incidere materias viſcoſas , & eas in pus conuertere .

CAPITIS XCV.

Particula IV.

Neceſſarium igitur eſt , vt aut ſuperfluitas retrocedens euacuetur , aut per ipſam patientem particulam . Retrocedet autem , vel impulſa , vel attracta , vel tranſmiſſa , vel horum vno aliquo modorum , vel omnibus . Per locum verò patientem euacuabitur,partim quidem manifeſtè, & ſẽſibiliter,partim verò in vapores reſoluta.

Tex. 66. *Si*

Tex. 66. *Si igitur vniuerſum corpus plus aquo plenum fuerit per patientem locum minimè euacuandum. Nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus. Si verò calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit id, quod vi caloris ad partem attrahetur quam diſperſum. Quod ſi in eo elaborauimus, vt quod influxit retrocedat corpus plenum non admittet.*

TExtus iſte continet præcepta artis præcipua; quæ vt diſtinctè percipiantur, Gal. in hoc tex. tria facit: primò docet quot modis fiat humorum retroceſſus; ſecundò quot modis per partem affectam euacuentur humores, tertiò ſi corpus eſt plenum nullo modo partem affectam eſſe euacuandam.

Senſus igitur talis eſt; diximus ſuperius quod ſanguinis multitudo in partem aliquam influxa à maioribus venis ad minores, & deinde ad ſpatia, & poroſitates vnico remedio ſananda ſit, euacuatione ſcilicet.

In hoc loco verò duos modos docet, quibus fieri poteſt hæc euacuatio: alter eſt per retroceſſum; ideſt vt ſanguis influxus recurrat ad originem, vnde defluxerit: alter modus euacuando per patientem particulam.

Deinde ſtatim docet, retroceſſum tribus modis fieri poſſe.

Primò, per impulſionem, quæ fit repellentibus frigidis, ſeu adſtringentibus.

Secundò retroceſſus fit per attractionem, quę fieri poteſt phlebotomia cucurbitulis, ligaturis, balneis, frictionibus, clyſteribus, & pharmacis: ſicuti dum cucurbita mammis appoſita attrahit ſanguinē menſtrum, dum immodicè fluit.

Similiter phlebotomia attrahit ſanguinē confluxum ad venas capillares pleuræ, ne maior fiat inflammatio: ſimili modo ligaturæ, & balnea pedum trahunt humorem confluentem ad partes ſupernas: Itidem pharmaca trahunt humores confluentes ad cutim, eoſque auertunt ad inteſtina.

Tertio modo retroceſſus fit per tranſmiſſionem, quæ fit ab expultrice facultate naturali: Medicus ſolum eam roborat, non tantum adſtringentibus rhypticis, ſed moderatis; ſicuti eſt vinum nigrū; vel parat vias; quemadmodum dum in pleuritico vtitur expectorātibus, quorum auxilio natura faciliùs expellit materiam exiſtentem in pleura; vel medicus irritat expultricem: ſicuti dum vtitur inunctione hydrargyri, cuius beneficio natura tranſmittit ad os luem gallicam per vniuerſum corpus diſperſam.

Hic modus non eſt impulſio, ſed tranſmiſſio: quia impulſio eſt opus ſolius medici: tranſmiſſio verò medici, & naturæ: arbitror, argentum viuum non ex ſe ſolùmmodo impetū facere ad os, ſed etiam virtute facultatis expultricis: aliter ſi mortua corpora inungerentur, fieret in ipſis quoque hæc impulſio ad os, quod à nemine conceditur.

Hic notatur error Argenterij, qui putat per impelli, intelligi impulſionem factam à facultate expultrice naturali: per tranſmitti verò intelligi tranſmiſſionem factam à virtute medicamentorum adſtringentium; quòd repugnat veritati: quia impulſio eſt motus violentus: quare debet virtute medicamentorum fieri, & non expultricis naturalis: tranſmiſſio verò eſt naturæ opus; natura enim facultatis expultricis eſt ab vno in alium locum tranſmittere. Prætereà verbum græcum ὠθέω ſignificat expello, & impello, ſed cū violentia: quare id non ab expultrice naturali fiet, ſed à vi medicamētorum: colligimus igitur tranſmiſſionem conuenire naturæ, & impulſionem medicamentis contra Argenterium, qui contrariam ſententiam ſuſtinebat.

Declarat deinde duos modos, quibus euacuatur, quod eſt in parte affecta per ipſammet partem affectam: primus modus eſt per euacuationem ſenſibilem; ſecundus per inſenſibilem: ſenſibilis euacuatio fit, vel ſcarificando, vel ſudando; inſenſibilis fit vſu digerentium; quæ in vaporem conuertunt materiam confluxam, quæ euacuatio tanti eſt momenti, vt in ſanis corporibus ſit abundantior cęteris omnibus ſenſibilibus, vt nos in Staticis experimentis probauimus: ibi enim quiſque videbit, quod ex octo partibus cibi, & potus natura ſpatio viginti quatuor horarum quinque partes circiter

inſenſibiliter reſoluar.

Poſtremò Gal. dat aureum præceptum quod ſi corpus totum ſit plenum plus iuſto, nullo modo debeat euacuari per partem plenitudine affectam: quia ſi fieret euacuatio ſenſibilis quod fieri ſolet ſcarificationibus, vel ſectionibus, vel alijs modis dolorem efficientibus, tunc ratione doloris fieret maior attractio, quàm euacuatio: ſi fieret euacuatio inſenſibilis per partem affectam, quæ fieri ſolet digerentibus, tūc ratione caloris fieret maior attractio, quam euacuatio. Simili modo ſi voluerimus curare, vt humores virtute medicamentorum retrocedant; tunc corpus cum ſit plenum, non admittet retroceſſum, neque per impulſionem, neque per attractionem, neque per tranſmiſſionem: ſed ſi corpus plenum admittet, quòd medicamentum impellens, vel tranſmittens poſſit obtrudere, & tranſmittere, tūc humores petūt viſcera, & ſequitur mors: exempla apud Hippocratem huius retroceſſus in corpore pleno varia ſunt, adeſt illud Chritonis, de quo loquens Hippocrates habet hæc verba; *Chritoni toto pede doluit; ſed eum pes totum humorem nō caperet, retroceſſit, vnde delirium, & mors*; Similiter eſt illud Lariſſæ calui, qui habebat dolorem in fæmore, fæmurque dolore deſijt, quia humores retroceſſerunt, & caput petierunt, & inde perijt. Præterea qui hydrargyri inunctione ſępè vtuntur, optimè ſciunt, quòd, niſi corpus prius habeant omninò expurgatum medicamentis, & decocto guaiaci ſaltem per viginti dies eueniat, ut tanto cum impetu humores retrocedant, & petant caput, & guttur, vt aliquando ſuffocentur.

1 Dub. Gal. videtur ſupponere in hoc tex. quòd humores, qui ſunt extra venas poſſint retrocedere iterū in venas: quod videtur falſum, quia ipſemet Gal. loquens de pleuritide dicit, ſanguinem qui à venis excidit, nō amplius in venas reaſſumi, ſed per ſputum, vel per euaporationem educi; quamuis verò iubeat eſſe faciendā in pleuritide euacuationem vſque ad mutationem coloris, illud indicat, euacuari ſanguinem non contentum extra uenas, ſed illum, qui continetur in uenis vicinis pleuritidi.

Reſpondetur, Gal. in hoc loco non aſſerere ſanguinem extrauenatum poſſe retrocedere in venas; ſed intelligere de ſanguine exiſtente in venis capillaribus, quæ ità replentur, ſicuti illæ, quæ in oculis illorum, qui patiuntur ophtalmiam. Præterea eſt notandū, Gal. in hoc tex. pro exēplo non proponere apoſtema, vt omnes Expoſitores putant, ſed multitudinē ſanguinis influxam in aliquam partem, vbi venæ ſint tumidæ, & adhuc nihil ſynceri ſanguinis extrauenatum ſit: ſed ſolùm exſudauerit ichor, qui amplius in venas non reaſſumitur; ſed tollitur per inſenſibilem perſpirationem.

Hinc valdè decipitur Argenterius, qui putat, ſanguinem extrauenatum à remedijs comprimentibus poſſe iterum in venas reſumi: quia ſanguis extrauenatus ſtatim naturam propriam amittit; quoniam vel in thrombon conuertitur, vel putreſcit. Præterea ſanguine extrauenato ſtatim venarum oſtiola conſidunt, vt nihil ſanguinis ingredi poſſit, & nunquam aperiuntur, niſi dùm ſanguis egreditur attractus, vel expulſus: nec valet: quod obijciunt, ſicuti pus pleuritidis, & thoracis per vias latentes aliquando ad vaſa vrinæ penetrat: ſimiliter dicendum de ſanguine extrauenato; quod iterum in venas ingredi poſſit quia argumentum eſt vaniſſimum: pus enim eſt ſummè tenue; ſanguis verò craſſus, & fibroſus: valeret enim argumentum ſi ſanguis eſſet tenuior pure, vel ſaltem æquè tenuis; ſed cum ſit craſſior, argumentum redditur vanum.

2 Dub. Gal. dicit in tex. ſi totum corpus eſt plenum per patientem partem non eſſe euacuandum; hoc videtur reluctari experientiæ: quia ſi hirudines applicentur hæmorrhoidibus tumidis, quamuis corpus ſit plenum, iuuant. Præterea ex Galen. à quocunque loco euacuetur ſanguis minuitur plenitudo.

Reſpōdetur, quod nō ſolùm oportet ſētentias Gal. intelligere; ſed rationes, quibus mouetur ad illas proponendas, penetrare; rationes, quæ mouent Gal. ad dicendum, quod, ſi corpus ſit plenum, non cōueniat per partem patientem euacuare, ſunt, uel dolor excitatus à ſectionibus, uel calor à calidis medicamentis, quę habent uim excitandi euaporationem; at ſic eſt,

eſt, quòd hirudines applicitæ hæmorrhoidibus, neque dolorem, neque calorem excitant; ergo à Gal. non excluduntur, quamuis applicentur corpori exiſtenti pleno.

Arbitror tamen Ego, quòd ſanguiſugæ in corpore valdè pleno non poſſint tutò applicari: quia ſemper maior fieret attractio quam ſanguinis euacuatio.

Præterea hæmorrhoides dupliciter cõſiderantur, vel vt curant morbum ſuperiorem, vel vt ipſæ dolentes debent ſanari; primo modo ſemper hirudines applicatæ iuuant: ſecundo modo nunquam; quia ſemper ſuccedet maior attractio, quam euacuatio, & fient circa hæmorrhoides ſæuiora ſymptomata.

Ex his colligimus præceptum obſeruatione dignum, quòd ubi eſt dolor in parte aliqua laborante, ſemper prius ſit attẽdendum dolori, quàm cęteris ſymptomatibus; qnia dolor in urgentium catalogo reponitur; ſi uerò plura eſſent urgentia, ſicuti ſi præter dolorem eſſet aneuriſma, uel conuulſio, tunc primus dolor ſpernitur quia urgentiori prius eſt attendendum; quot uerò ſint urgentium claſſes, & quæ ſint, & quibus primò ſit attendendum, nos fusè egimus lib. 15. method. noſtræ, qui inſcribitur de indicantium æquilibrio.

3 Dub. dicit Gal. in tex. in corpore pleno non eſſe euacuandum per partem patientem, nec ſenſibiliter, quia excitatur dolor; neque inſenſibiliter; quia excitatur calor, & fit maior attractio; reddit igitur Galen. duorum effectuum ſpecie diuerſorum unicam cauſam quæ eſt plenitudo; quòd aduerſatur philoſophiæ; quia unius rei unica debet eſſe cauſa, & multorum effectuum multæ cauſæ.

Reſpõdetur, quòd multorum effectuũ una poteſt eſſe cauſa remota; ſicuti ſol eſt cauſa efficiens effectuum innumerabiliũ; quinnimò hìc obſeruatur mirabilis ordo reſolutiuus in primam cauſam; nam ſi quis quęreret cur in pleno corpore non conueniat ſcarificatio, ei reſpondebitur, quia excitatur dolor; ſi quis quæreret, cur non eſt excitandus dolor, reſpondebitur, quia dolor plus attrahit, quam ſit id, quòd euacuatur. Similiter ſi quis quæreret, cur dolor magis attrahat; reſpondebitur, quia corpus eſt iuſto plenius, & hæc eſt cauſa poſtrema, in quam aliæ reſoluuntur.

Similiter ſi quis quęreret, cur digerẽtia non ſunt alicui parti applicanda, quando corpus eſt plenũ, reſponſio eſt, quia reſoluentia calefaciunt; ſi quis quæreret cur quæ calefaciunt nocent; reſpondebitur, quia attrahunt plus, quã euacuant, ſi quis demum peteret, cur magis attrahunt, quam euacuant; ultima reſponſio eſt, quia corpus eſt plethoricum; & hæc eſt cauſa in quam omnes reſoluuntur; quæque eſt remota, & multorum effectuum cauſa.

4 Dub. dicit Galen. quod tres ſunt modi, quibus retrocedũt humores; primus eſt impulſio, ſecundus eſt attractio, & tertius eſt trãſmiſſio; Gal. autem omittit quartum modum, dùm ſcilicet humores ſponte mouentur ad partes inferiores ratione grauitatis.

Reſpondetur ex Gal. 2. de differ. febriũ c. ult. humores uidelicet nõ fluere à ſe ratione grauitatis, aliter omnes ad inferiora mouerentur, & in hominibus ſanis pedes ſemper eſſent tumidi, & caput ſanguine careret, ſed uel mouentur à parte mittente, uel recipiuntur à parte attrahente; patet experientia in illis, qui ſtant, & currunt; caput & faciem ſanguine repleri; proinde in uenis ſanguis nec grauis, nec leuis eſt; ſicuti in proprio loco elementa nec grauia, nec leuia ſunt.

5 Dubit. dicit Galen. in tex. retroceſſum fieri tantum tribus modis, omiſitque uacuum, ratione cuius fiant celerrimæ attractiones.

Reſpondemus, uacuum nihil eſſe, ideò ex ſe nihil agere; atque attractiones non fieri à uacuo, ut à cauſa efficiẽte; ſed quia, ubi eſt uacuum, ibi eſt pars omnium imbecillima, uel ibi nulla eſt reſiſtentia; ideò excrementa à quauis corporis parte expulſa facilè ibi recipiuntur; quare uacuum non per ſe, ſed per accidens attrahere dicit.

Hinc Gal. lib. de cauſis morborum c. 6. dicit, naturam ſemper depellere id quod abũdat in partes omnium imbecilliores; loca uerò imbecilla dici uacua, quia nulla eſt reſiſtentia; quinnimò ego lib. 10. metho. ſuſtinui, calorem attrahere quatenus rarefacit partem, & eam reddit capacem ad ſuſcipiendum; calor efficit hanc capa-

citas

citatem; tùm quia rarefacit poros, tum quia conuertit materiam craſſiorem in vaporoſam auram: calor enim ellychnij non alio modo ſurſum attrahit oleum, niſi quia illud prius efficit ſubtilius, & vaporoſius, de ratione cuius eſt aſcendere.

Simili modo arbitramur, nutritionem fieri in qualibet viuentis particula; primò enim ratione ſui caloris attenuat alimentum; deinde attenuatum, & factum ſubtile, & vaporoſum redditur aptiſſimum vt aſcendat, & tranet quamlibet partem vel dēſam, vel in parte ſuperiori collocatam; calor tamen, qui eſt efficiens, & attrahens eſt inſertus fibris partium viuentium. Hinc fit, quod ſi alimentum eſt nimium craſſum, vel viſcidum, difficulter penetrat, & concoquitur; valdè enim diſtat à natura tenui, & vaporoſa.

6 Dub. non videtur, quod humores ſolum illis tribus modis à Gal. propoſitis retrocedant, quia humores quoque retrocedunt à parte affecta, quando nō poſſunt detineri; exempli gratia aliquando in calore æſtiuo liqueſiunt humores, qui ſunt in cerebro, & vt liquefacti deſcēdūt, quia non poſſunt detineri à retentrice cerebri.

Reſpondetur, quando dicimus, humores non poſſe retineri, non tamen excludimus, quod à facultate expultrice non tranſmittantur; dùm enim ob nimium æſtum liquidus catarrhus deſcendit, tunc cōcurrit quoque facultas expultrix (quod nonnulli medici non intellexerunt) quæ expellit liquidum, & tenuem catarrhum; in cadauere ſanè quamuis liquidiſſimus eſſet catarrhus, non flueret.

7 Dub. aliquando contingit, vt facultas retentrix cerebri ſit ita imbecillis, vt non poſſit detinere humores aptos nutritioni: quo caſu retrocedunt humores à cerebro ad partes ſubiectas, ergo præter tres modos retroceſſus dabitur alius, qui eſt propter imbecillitatem.

Reſpondetur, Galenū enumeraſſe tres modos retroceſſus pertinentes ad medicos, .i. quibus medicus poteſt efficere, vt retrocedant humores à parte affecta: primus eſt per impulſionem: ſecundus per attractionem: tertius per tranſmiſſionē; hic modus per tranſmiſſionem conuenit naturæ expellenti, poteſt tamen medicus iuuare naturam, vt melius expellat: modus verò retrocedendi humores, qui ſunt in cerebro, propter imbecillitatem non pertinet ad medicum; quia medicus quādo vellet reddere cerebrum imbecillius, interficeret, & non mederetur; poteſt tamen externas corporis partes reddere imbecilliores cauterio, vnctionibus laxātibus; ſed tunc humores non retrocedūt; ſicuti ob imbecillitatem cerebri accidere ſolet; quomodo verò partes imbecilles recipiant excrementa, nos docet Galen. 3. de naturalibus facultatibus cap. 13. & 13. meth. cap. vlt. id, ſcilicet naſci non à facultate attractrice, ſed expultrice ſanarum partium, & non imbecillium.

8 Dub. Gal. in tex. dicit, in patiente particula duos eſſe modos euacuandi: alterū ſenſibiliter ſecando. ſ. vel quocunque modo aperiendo cutim; alterum per inſenſibilem perſpirationem; quæ doctrina præſenti propoſito non conuenit; quia dùm fiunt apoſtemata, niſi factum ſit pus non conuenit ſectio, vel apertio; dùm verò eſt factum, non eſt amplius apoſtema, ſed abſceſſus: ergo malè facit in hoc loco, dùm proponit pro curatione apoſtematis ſectionem, & apertionem.

Præterea Galen. 13. methodi, & 2. ad Glauconem non vult in curatione inflāmationis vti ſectione, & ſcarificatione: quia id ſolùm fit in grangrænis, & carbunculis; de quibus hic Galen. non agit: Hæc dubitatio proponitur ab Argenterio contra Gal. ſed quàm leuis ſit, mox oſtendemus.

Reſpondetur, quòd in hoc tex. non agitur, an conueniat in apoſtemate apertio; antequam pus factum ſit; ſed agitur de modis euacuandi partem affectam: Medicus deinde debet videre, quis ex duobus conueniat.

Præterea nos negamus, quòd Galen. pro exemplo in hoc tex. proponat apoſtema: imò hæc expoſitio Argenterij, & aliorum Expoſitorum eſt radix multorum errorum: quia Galenus ſolùm conſiderat multitudinem ſanguinis influxam in patientem particulam, & de facto apoſtemate ne verbum quidem facit: ſed eſto quòd Galen. in exemplum ſumat apoſtema, dicimus, quòd etiam in apoſtemate liceat (antequam pus factum ſit) aliquando ſenſibiliter euacuare, dùm

ſcilicet magis poteſt indicans, quam prohibens: exempli gratia aderit apoſtema in inguine occaſione luis gallicæ, & ab illo eleuantur vapores ad caput, qui dolores truces efficiunt; tunc quamuis in hoc apoſtemate pus nõ ſit factum, tamen ita crudum aperitur, vt euacuetur aliquid ſenſibiliter, & reuellatur materia cruda, & viroſa, quia per hanc reuulſionem ſtatim dolores capitis, & ſanantur, & inde alopecia euitari ſolet: proinde Argenterius non penetrans methodi arcana non intellexit Gal. præcepta.

9 Dub. dicit Gal. in tex. quod per patiẽtem particulã nõ ſit euacuandum: inſenſibiliter, neq; ſenſibiliter, ſi corpus plus æquo plenũ fuerit; quod eſt contra medendi vſum: quia Medici, quamvis corpus nõ ſit plenum plus æquo, ſed ſit mediocriter plenum, non applicant localia, niſi prius corpus purgetur: poterat igitur Gal. dicere, non eſſe euacuandum per partem affectam, ſi corpus plenum ſit: nec debebat addere plus æquo plenum.

Reſpond. quod licet vti digerentibus medicamẽtis ante euacuationem totius, quamvis corpora ſint mediocriter plena? ideò admonet, quod non liceat vti digerentibus, vel ſectionibus, ſi corpora plus æquo plena ſint. Hoc verum eſſe patet ex hiſtoria Lariſſæ calui propoſita ab Hipp. in epid. in qua Gal. habet hæc verba: *Si ex antecedentis victus ratione nulla colligitur plenitudo, ſtatim vti poſſumus localibus humidis, ſcilicet fomentis;* & addit, *ſi per hæc non ſedetur dolor, tunc corpus erit euacuandum.* Idem obſeruatur in hiſtoria Anaxionis propoſita ab Hipp. & declarata a Gal. in qua Hipp. pro ſedando dolore pleuritico vſus eſt fomentis, antequam ſanguinem euacuaret, & totum corpus purgaret: & hęc eſt cauſa quod Gal. in hoc loco dixit, localia non eſſe applicanda in corpore plus æquo pleno; quia in mediocriter pleno applicari poſſunt localia ante totius purgationem: quæ verò ſint hæc localia ex dictis colligimus, eſſe non ſolùm digerentia, & reſoluẽtia per inſenſibilẽ perſpirationẽ, & anodyna: ſed etiam repellentia, quæ in corpore mediocriter pleno, ſiunt particulæ affectæ defeſſua, ſine euidenti internorum viſcerũ læſione.

CAPITIS XCV.

Particula V.

Vt hæc igitur ambo fieri poſſint, totum corpus euacuare oportet; vel omninò ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit: Quo perfecto opere prius à parte repellendum, mox diſpergendum: quanto enim per maiora ſit, tãto expeditior eſt euacuatio.

IN tex. ſuperiori Gal. dixit dum multitudo ſanguis influit in aliquam partem à venis maioribus ad minores, & tandẽ ad ſpatia, quod ſi corpus ſit iuſto plenius non ſit conueniens, vt fiat retroceſſus humorum confluxorum; neque conueniat euacuatio per partem affectam; quia corporis plenitudo ob rationes ſuperiùs allatas eſt impedimẽto.

In hoc tex. tradit ordinem, quid videlicet primo, quid ſecundo, quid tertio, & quid quarto loco, ſit agendum pro curatione incipientis apoſtematis in corpore plethorico. Dicit igitur (hæc ambo) id eſt, retroceſſus, & euacuatio per partem affectam non fient, niſi totum corpus prius euacuetur: hæc indicatio eſt prima in executione, & poſtrema (vt oſtendimus ſuperius) in ſpeculatione.

Nonnulli diſputant, an per euacuationem totius Gal. intelligat phlebotomiam, vel inediã, vel alias euacuationes: ſed res eſt adeò clara, vt non egeat longo diſcurſu, quia cum loquatur Gal. in hoc loco de corpore habente ſanguinis multitudinẽ, non poteſt intelligere aliam euacuationem, niſi illam, quæ per phlebotomiam ſit: pharmaca enim, & inedia non diminuunt promptè & per ſe ſanguinis multitudinem.

Secunda indicatio, poſt .ſ. euacuationẽ totius eſt retrahere, & reuellere ad oppoſita, & cõtraria loca humorem influentẽ: exempli cauſa humores cõfluunt ad oculos, vt efficiant ophtalmiam, tunc medicus primo loco debet totum euacuare; ſecundo retrahere humores ad cõtraria loca, quod fiet per cauterium in occipitio iniuſtũ, vel per cucurbitulas, in hoc loco eſſet de natura reuulſionis agendum; ſed quia ſatis fusè egimus poſt explicationẽ

tex.

text.6.c. 86. ideò nihil hìc eſt dicendum; ſolùm admoneo, retractionem per loca contraria eſſe proprietatem, quæ conuenit per ſe reuulſioni.

Tertia indicatio, poſt.ſ.euacuationē totius, & poſt factam reuulſionem conſiſtit in vſu repellentium quę particulę affectę ſunt applicanda. Quòd verò repellentia prius applicentur, quàm digerentia, quæ eſt quarta indicatio, nos docet Galen. 13. metho.c.6. ubi habet, inchoantib. inflammationibus frigida, & adſtringentia magis conuenire, quàm digerentia.

Quarta indicatio conſiſtit in vſu digerentium; digerentia .n. nunquam parti obſeſſæ multitudine ſanguinis applicantur, niſi prius totum euacuetur, & deinde humores, qui ſunt in motu reuellantur, & mox repellentia applicentur: quia in corpore plus æquo pleno digerentia, quę ſua natura ſunt calida, magis attraherent quàm reſoluerent, & per conſequens magis nocerent, quàm iuuarent.

Reddit rationem Gal. cur uti debeamus apocruſticis, ideſt, repellētibus, quā digerentib. videtur aſſerere, quòd ea de cauſa antecedāt, quia repellentia pellūt humores, qui sūt in uenis minorib. ad maiores, quod contrarium efficiunt digerentia; quia hęc diſpergunt humores, qui ſunt in venis minorib. & trahunt ad uaſa longè minora; quare, cū euacuatio per maiora vaſa ſit expeditior, & facilior, erit prius illa tentanda, quàm quæ per minora ſit.

Notandū Expoſit. eſſe diuiſos: quia nonnulli interpretantur alio modo, quā nos propoſuimus in tex. atque hoc modo legunt tex. Gal. *quanto.n. per minora ſit tantò expeditior eſt euacuatio*, & in tex. Leoniceni legitur διὰ μειόνων, i. per minora, quæ doctrina reluctatur veritati; quia euacuatio redditur expeditior, quando ſit per uaſa maiora, & non per minora, ideò plurimi alij Expoſit. legunt διὰ μειζόνων, i. per maiora; rationique conſona eſt hæc expoſitio; neque deſunt Codic. antiqui, in quibus legitur διὰ μειζόνων, i. per maiora.

1 Dub. Gal. dicit in curatione incipientis apoſtematis poſt factam euacuationē totius, & poſt factam reuulſionem eſſe utendum repellentibus, quod non uidetur ſemper uerum; quia ſaltem octo ſunt caſus, in quib. nullo modo uti debeamus repellentib. in curatione incipientis apoſtematis: primus deſumitur à Gal. 3. de medicamentis localib. c.2. ubi dicit, non eſſe utendum repellentib. dum humor fluit ad emunctoria cutis, axillarum, & inguinis; ſecundus caſus eſt dūm fluit materia uenenoſa in partes externas: tertius, in motu critico ſimiliter non repellimus; quartus dum pars eſt adeò imbecilla, ut immineat periculum ne calor partis extinguatur, & hic caſus proponitur à Galen. 6. de med. loc. c.7. quintus, dum in parte obſeſſa ſanguinis multitudine eſt uehemens dolor. Gal. .n. 2. ad Glauc. 2. dicit, ſemper prius eſſe leniendum dolorem, quàm alia applicentur localia: ſextus eſt dùm fluit materia ad partem uicinam parti principi; ueluti ſi in facie eſſet eryſipelas; ibi.n. repellētia propellerent ad cerebrum humores birioſos. Similiter non licet in anginis uti repellētibus; ſeptimus, dùm humores ſunt in ſpatijs, & non amplius in uenis; quia non datur receſſus ab extrauenis ad intrauenas; hic caſus eſt Gal. 13. meth. c. 6. octauus dùm humor factus eſt per cōgeſtionem, & nō per affluxum.

Reſpond. dubitationi, quòd uera ſit ſententia Gal. in omni cura apoſtematis incipientis; dum verò prohibetur repercutientia, id fit ob prohibens magis potens.

Similiter quādo ob nimiam uirium imbecillitatem corpora non poſſumus euacuare, non propterea dicendum eſt, corpus plenius iuſto euacuationem non indicare; Medici .n. officium duplex eſt, aliud dùm proponit indicationes: aliud uerò dùm perpendit indicantia, & prohibētia, eligitque quod magis poteſt, quæ eſt dignior conſideratio; non ualet conſequentia, in hoc caſu non eſt repellendum ob prohibens, ergo humor nō indicat repellens; dubiū eſt adeò debile, ut non ſit dignum ſolutione, dū uerò dictū eſt, non eſſe repellendū, dùm humor eſt in ſpatijs ego ſuperiùs probaui eſſe uerisſimum; ad. dimus iterum, in hoc loco Gal. non ſumpſiſſe in exemplum apoſtema, ſed ſolùm multitudinem ſanguinis confluxā in aliquam partem, in qua nō ſit adhuc expulſus ſanguis per orificia uenarum ad ſpatia, ſed ſolùm per poroſitates tunicarum ſetoſitas egreſſa ſit, quæ digerētib. facillimè tolli poſſit; neque Gal. unquam nomina-

nauit in textibus ſuperioribus apoſtema.

2 Dub.dicit Gal.in curatione ſanguinis confluxi in aliquam partem corporis eſſe prius repellendum, quam digerendum, ſeu diſpergendũ,quod non videtur verũ; quiam dùm quis ab alto cadit,& percutitur,in partem percuſſam confluit ſanguinis multitudo, & ſtatim nos pro ſedando dolore vtimur anodynis digerentibus, & non repercutientib. imò ſi vteremur primò repellentib.dolor fieret longè maior. Præterea eſt ſententia Auicennæ,quod ſi volueris retrahere in oppoſitas partes humores,primò debeas dolorem ſedare.

Reſpondetur, Gal. loqui de incipiente apoſtemate, quod adhuc factum non eſt, & quod à cauſa interna fit, ideſt à multitudine ſanguinis confluentis in aliquam partem, & non de apoſtemate pendente ab externo accidente. Præterea in omni occaſione prius eſt dolor anodynis auferendum,quam ſint repercutiendi humores confluxi; quia anodynum eſt remedium vrgentis: repercutiens verò eſt remedium cauſæ; vrgentia enim tenet primum locum, cauſæ verò ſecundum, vt docet Gal. 3. meth. 9.& 7.meth. 12.

3 Dub.dixit Gal. ſuperius corpore exiſtente pleno non conuenire retroceſſum attamen in hoc tex.ait antequam vtamur repellentib.vel digerentibus opus eſſe,vel totum euacuare vel ad contraria loca humores fluentes retrahere,quaſi quòd ante vſum repellentium ſufficiat reuulſio ſine totius vacuatione: quod reluctatur principijs medicinæ, quia non poſſumus humores retrahere ad contraria loca,niſi totum prius ſit euacuatum; non debebat igitur Gal.dicere ante vſum repellentiũ, vel totum eſſe euacuandum,vel humores eſſe retrahẽdos ad loca contraria;ſed primò totum euacuandum, ſecundò verò reuellendum, & tertiò repercutiendum.

Acachias,qui vidit hanc difficultatem; non accepit interpretationem Laurentiani, neque Leoniceni; ſed aliam, quam à codice quodam græco antiquo deſumpſit, in quo non legebatur, vel euacuandum totũ, vel retrahendum ad contraria loca,ſed loco ἤ, ideſt,vel legebatur εἶτα;quod ſignificat deinceps;ita vt ſic legeretur,totum corpus euacuare oportet, deinceps ad contraria loca retrahere, quod patienti particulæ influit: quo perfecto opere prius à parte repellendum, mox diſpergendum; & meritò ſecundo loco docet eſſe reuellendum:quia in corpore æquo pleniori non conuenit reuulſio;niſi prius totum euacuetur. Hæc reſponſio Acachiæ poteſt admitti.

Reſpondemus tamen nos, nullam facientes in codice græco Leoniceni verborum mutationem,quòd ante repellentia, & diſpergentia ſit euacuandum, vel retrahendum ad contraria, intelligendo de reuulſione facta cum euacuatione:reuulſiones enim ſunt duum generum,aliæ ſenſibiliter euacuant, vt venæ ſectio, cucurbitulæ ſcarificatæ,hirudines, &c. aliæ verò non euacuant,vt vincula,frictiones balnea &c. qua poſita diſtinctione dicimus,dùm Gal.dixit eſſe euacuandum totum, vel reuellendum ante vſum repellentium, intellexiſſe de reuulſione facta cum euacuatione, quæ optimè conuenire poteſt ante aliam euacuationem: quia ipſamet euacuationem facit: atque ita nulla redditur dubitatio: quamcunque igitur accipias expoſitionem poteris Galenum defendere.

Non tamen poteſt defendi Argẽterius dùm dicit,Gal.in hoc text. intelligere per euacuationem,quando humor extra corpus educitur, per retractionem humoris ad contraria quando humor non euacuatur, ſed ſolùm retrocedit in alias corporis partes,quod fit per frictiones, & vincula:quia nos dicimus,hanc reuulſionem ſine ſenſibili euacuatione corpore exiſtẽte pleno nullo modo cõuenire poſſe: quia nulla corporis pars admittet (vt probauit Galen.ſuperius) humores, qui retrahentur, cùm vbique locorum ſit plenitudo: quòd verò Gale.loquatur de corpore, in quo omnes partes ſint ſanguine repletæ, patet ex text. Galen. vbi exemplificat de corpore, quod æquo plenius ſanguine ſit cui ſemper ante reuulſionem conuenit euacuatio.

Hinc Galen.3.method. c.19.& 11. method. 8.& 7.Auicennas, Paulus non vno in loco; Aetius ſermone 3.c.2.Oribaſius, & plurimi alij volunt, vt applicentur cucurbitulæ in principijs morborum; neque in corpore repleto: omnis enim ſcarificatio cuius vis particulæ ſupponit totius

tius euacuationem ob rationes ſuperius allatas.

CAPITIS XCV.
Particula VI.

Tex. 67. *A patiente verò loco adſtringendo, ac refrigerando, repellemus; ſed exinanita loca attrahunt ad ſe ipſa quacunque repercutiuntur. Hoc ſi quidem oſtenſum eſt in eo volumine, in quo de potentijs naturalibus agitur, & vaſa praterea vigore ex medicaminibus adſtringentibus addito, à ſe ad alia remittent.*

IN text. ſuperiori admonuit, non conuenire per partem patientem euacuare, neque vti repellentibus, niſi prius totum euacuetur; & deinde ſtatim reuellantur humores fluentes ad partem affectam.

In hoc tex. tria facit, primò docet, quibus remedijs debeat humor ſanguineus contentus in parte affecta repelli; dicit que hæc remedia eſſe refrigerantia, & adſtringentia: de ratione.n. frigidi, & adſtringentis medicamẽti eſt conſtringere, & exprimere humores, qui ſunt in venis minoribus, vt redeant ad maiores, vnde defluxerunt: materiæ huius remedij ſunt portulaca, ſemina acaciæ, balauſtia, gallæ immaturæ, & alia id genus, & demùm acetum, quod cum his ebullierit: quòd verò frigida repellant, patet loco à contrario: calida enim attrahunt, ergo frigida repellent.

Secundò dicit Gal. facta euacuatione totius, tunc vaſa maiora, quia ſunt exinanita, & vacua ad ſeſe trahere humorem repercuſſum: quare niſi totum eſſet euacuatum, repellentia eſſent vaniſſima: duo igitur requiruntur, vt dicit Gale. in hoc tex. vt fiat retroceſſus humorum à venis capillatibus partis affectæ ad maiores, & deinde ad maximas; primum vt totum ſit exinanitum virtute phlebotomiæ, ſecundum vt repellentia applicanda parti affectæ ſint frigida, & adſtringẽtia: quòd verò vaſa exinanita, & vacua habeant vim attrahendi dicit Gal. ſe oſtendiſſe in lib. de potentijs naturalibus; quo pacto verò vacuum attrahat, ſuperius oſtendimus, & lib. 10. methodi noſtræ longè plenius.

Tertiò dicit Gal. in fine tex. partem affectam circundatam medicamento adſtringente vigorem ſuſcipere, & fortiùs expellere; virtus enim expultrix roboratur à ſiccitate repellentium: idem dicit Gal. 2. meth. cap. 15. adſtringentia ſcilicet roborare partem affectam, & roboratam valentius expellere.

1 Dub. non videtur, quod adſtringentia medicamenta repellant, quia roborant facultatem expultricem, quoniam lib. de ſymptomat. cauſis 3. Gal. ait, adſtringentia roborare facultatem retentricem; quomodo igitur roborabunt expultricem, quæ eſt oppoſita retentrici? quare ſi adſtringentia augebunt retentricem, credendum eſt, quod minuent expultricem.

Reſpondetur, adſtringentia eſſe duum generum, alia eſſe adſtringentia roborãtia, & hæc non applicari, niſi euacuata materia peccante, alia verò eſſe adſtringentia exprimentia materiam peccantem, de quorum ratione eſt vnire partes, quæ ſic vnitæ deinde exprimant ad inſtar ſpongiæ aqua imbutæ, ſi manu exprimatur. Ad dubium dicimus Galenum hic non loqui de roborantibus tantùm, ſed de repellentibus exprimentibus, quæ non ſolum roborant, ſed etiam exprimunt.

2 Dub. dicit Gal. in tex. exinanita loca interna per euacuationem præcedentem attrahere quoque humores, qui repellentium virtute retrocedunt ad venas maiores: at non videtur, quod loca exinanita, & vacua habeant vim attrahendi: vacuum enim cum nihil ſit, nullas habet actiones attrahendi: quomodo igitur poterit defendi Gal. dùm dicit, loca vacua attrahere.

Argenterius aſſerit partes euacuatas per ſanguinis miſſionem, vel alio modo parum conferre ad euacuandum, & attrahendum humorem, qui repellitur, quia ſi partes iſtæ internæ vacuæ indigerent humorem, eum traherent ab hepate, & ventriculo; & non à partibus affectis, vbi humores in excremẽta conuertũtur.

Primò reijcitur Argenterius, quia non legit Gal. 2. de ratione vic. comm. 44. vbi admonet ob inediam ventrem impleri ichoribus; hoc enim eſt inſitum partibus

bus uiuentibus ut naturaliter deſiderent ſuam plenitudinem. Hinc dum uentriculus ob nimiam inediam eſt uacuus, niſi cibus ingeratur, trahit à meſeraicis, & ab hepate non bonum, ſed deteriorem ſuccum; quia quælibet pars conſeruat pro ſe, quod eſt melius. Secundò uerò reijcitur, quia loca exinanita attrahunt quod eſt in uenis capillaribus partis patientis,& non quod eſt extra uenas; quia ſuperius probauimus, ſanguinem extrauenatum non eſſe amplius ſanguinem; & non dari hunc ſanguinis regreſſum ab extrauenis ad extrauenas.

Reſpondemus nos ad dubium, eſſe ueriſſimum, uacuum ut uacuum nō habere poſitiuas operationes: negamus tamen, quod in uaſis, in quibus eſt uacuitas non ſit uirtus attrahendi. Hinc diximus alibi cauſam efficientem, quæ mouet ea, quæ creduntur à uacuo moueri, eſſe duum generum, aliam eſſe in parte continente, ſicuti dum uētriculus eſt uacuus ob nimiam inediam, qua occaſione ex Gal. loco citato impletur malis ichoribus: uirtus ſanè attrahendi non prouenit à uacuitate, ſed à naturali deſiderio plenitudinis, quod eſt inſertum tunicis uentriculi; uaſa enim omnia, & uentres uiuentium euitant quantùm poſſunt ſubſidentia tamquam morbum, & quid præter naturam pernicioſiſſimum; Aliam uerò cauſam eſſe in aere, qui ſemper grauitat, & omnia quæ uidentur ratione uacui contingere, ab aere grauitante, ut tali mouentur; ſed de his fuſius egimus 10. lib. & 13. meth. noſtræ uitan.

3 Dub. non uidetur, quod frigida adſtringētia conueniant in apoſtemate incipiente; quia ſi in uulneribus non conueniunt adſtringentia, niſi auferantur impedimenta, quę ſunt ſordities, pili, ſanguis in thrombon conuerſus, tanto minus in apoſtemate incipiente, à quo nihil expurgatur.

Reſpondetur, repellentia frigida, & adſtringentia non dari ſolum roborandi gratia, ſed exprimendi materiam à capillaribus uenis ad maiores, & ad loca exinanita. Præterea adſtringentia roborantia ſunt modicè adſtringentia; exprimentia uerò ſunt ualdè adſtringentia, quamuis pro uarietate partium roborantia, & exprimentia uaria eſſe debeant.

Gal. 5. met. c. ult. reprehendit methodicos, qui dicebant, cognitionem partium corporis eſſe inutilem ad inuentionem curationis: ibi enim docuit Gal. exſiccantia uariari non ſolum ratione diuerſitatis partium, ſed in eadem parte corporis uaria remedia requiri; dicitq; in poſtrema glandis parte ſicciora eſſe medicamenta applicanda, quam in pene ipſo; imò in cute glandis requiri minus ſicca, quam in glande.

4 Dub. dicit Gal. in tex. repellentia frigida, & adſtringētia addere uigorem facultati expultrici; contrarium tamen dicit 1. de facultatibus naturalibus, & alibi, frigida ſcilicet labefactare expultricem, & omnes alias facultates naturales.

Reſpondetur primò, Gal. in fine tex. ſtatuere, quod adſtringentia, & non frigida addant uigorem expultrici facultati. Secundò dicere poſſumus, quod frigida per accidens ualdè poſſit iuuare expultricem, & alias facultates, quatenus ſcilicet concentrant calorem, eumq; roborant.

5 Dub. non uidentur conuenire apoſtemati repellentia refrigerantia, & adſtringētia; quia apoſtemata, quæ à ſanguinis multitudine pendent, debent ſuppurari; imò augetur dubitatio, & uidetur Gal. ualdè diminutus; quia debebat poſt euacuationem totius, & poſt reuulſionem proponere ſuppurantia, quæ ſunt præcipua apoſtematis remedia.

Reſpondetur, Gal. non propoſuiſſe in hoc loco exemplū apoſtematis, vt omnes interpretes putant; quia neque hæc inſtantia, neq; multæ aliæ poſſent de medio tolli; ſed propoſuiſſe exemplum de ſanguinis multitudine confluxa à maioribus venis vſq; ad minores cum aliqua humoris ichoroſi exſudatione è tunicis venarum; quæ materia non per ſuppurantia, ſed ſolum per digerentia tollitur; quare miro artificio quoque propoſuit quatuor genera remediorum pro multitudine ſanguinis confluxa, ne efficiatur apoſtema; primum eſt totius euacuatio, ſi corpus ſit æquo plenius: ſecundum eſt reuellens à parte patiente; tertium eſt repellens: quartum eſt digerens remedium: cui dubium, ſi Gal. in exemplum propo-

ſuit-

fuiſſet curā apoſtematis, quod ſi omiſiſſet ſuppurantia non potuiſſet excuſari?

6 Dub. Gal. 13. meth. cap. 16. & Auic. 4. primi doc. 5. cap. 25. dicunt, in augmento apoſtematis ſtiptica, ſeu repellentia eſſe minuenda, & ſuperaddenda digerētia; & in ſtatu dicit conuenire æquam portionem repellentium, & digererentium: alibi tamen Gal. 13. meth. 5. c. 9. dicit, in ſtatu ſolum emollientia, & digerentia, & non repellentia conuenire.

Reſpondetur, quod apoſtema vel fit à materia craſſa, & ſic in ſtatu reſoluentia, & digerentia ſolùm conueniunt, & vel ſi apoſtema non fiat à materia craſſa, tunc æquam portionem repellentium, & diſcutientium, ſiue digerentium in ſtatu morbi eligimus.

CAPITIS XCV.

Particula VII.

Tex. 68. *Si igitur hac via ſuperfluum omne retroceſſerit, bene ſe res habet. At ſi aliquid fuerit in parte retentū, coniecturandum erit id lentum, ac craſſum exiſtere; atque ea ratione iam coactum, atque adſtrictum, vt cum difficultate ſolui poſſit, fieri autem poteſt, etiam ſi non eius natura ſit vt ad ſpacia quæ in medio ſit effuſum: in quo caſu tunc ad id veniendum eſſe tēpus ſuadet, vt hoc ipſum quod reliquum eſt per patientem locum euacuemus, imponendo ſupra iacentibus partibus ea quæ influentem humorem repellendi vim habent. Maximè verò euacuabis ſi in ſpatijs intermedijs aliquid contineri coniectura aſſequeris, & ſcarificationum auxilio, & medicaminum, quæ vim habeant diſpergendi.*

SÆpè dùm ſanguis in aliquam partem influit, facta euacuatione, reuulſione, & applicatis repellentib. auxilijs parti affectæ prohibetur, ne fiat apoſtema; ſi verò his propoſitis auxilijs non prohibeatur, in hoc tex. Gal. docet, quid deinde faciendum ſit.

Hic eſt ſenſus: ſi vſu repellentiū retrocedet humor ſanguineus, qui in venas capillares confluxit, benè ſe res habet, id eſt erit ablata occaſio faciendi apoſtema: ſi verò vſu repellentium nō erit totus ſanguis cōfluxus ad interiora vaſa repulſus, tunc vel coniecturandum eſt, in venulis partis affectæ eſſe retentum aliquod lentum, & craſſum, quod difficile poteſt vſu repellētium retrocedere, vel aliquid ſanguinis eſſe effuſum à venulis ad ſpatia: quo caſu dicit id per patientem partem eſſe euacuandum.

Quæ verò ſint remedia euacuātia humorem lentum, & craſſum, qui non poteſt repelli; & remedia, quæ euacuant humorem, qui eſt in ſpatijs effuſus, reſpondet Galenus eſſe duo; primum, apertionem factam per ſcarificationem: ſecundum, medicamenta diſpergētia, ſeu digerentia, & conuertentia humorem ichoroſum in vaporem inſenſibilem.

Admonet tamen, antequam fiant ſectiones, ſeu ſcarificationes, quod debeamus ſuperponere repellentia, ſeu defenſiua, quæ impediant nouum confluxum ſanguineum; ſectiones enim dolores excitant, & dolor excitatus attrahit nouam materiam; quare ne noua fluxio fiat ob ſcarificationes paulò ſupra locum affectum debent eſſe appoſita repellentia, quæ ſint defenſiua apta, vt nouam fluxionem prohibeant: Cæterum, dum in venulis pars craſſa, & lenta humoris ſanguinei eſt retenta, magis conuenit ſcarificatio, quam medicamentum digerens. Dum verò humor eſt effuſus in ſpatijs, magis conuenit medicamentū digerens: omnis enim humor, qui à capillaribus venis in ſpatia effunditur, eſt ſua natura tenuis, & vt reſoluatur inſenſibiliter, aptiſſimus: ideò nullo modo indiget ſcarificatione.

1 Dub. videtur Gal. mancus, & diminutus: quia non diſtinguit curam humoris fluentis in partem patientem ratione diuerſorum temporū morbi; quia in principio morbi, vt dicit Gal. 13. meth. 16. applicantur ſolùm repellentia, & in fine ſolum digerentia, in medijs temporibus, id eſt, in augmento, & ſtatu permiſcentur repellentia cum digerentibus.

Reſpond. Gal. hic proponere illa indicantia, quæ primò & per ſe indicant: ideo dictum eſt, quòd ſanguis, vt fluxus in venas capillares, ſit repercutiendus; vt effuſus digerēdus: tempora verò morborū ex ſe nihil indicare: ideò de his à Gal. nihil erat dicēdum. Hinc in methodo diſputās con-

contra Theſſalũ cõcludit, tempora morborum non indicare: ideò docet, vulnera non indicare ex eo, quòd ſint recẽtia, vel vetuſta, ſed id ſolùm indicare (vt expreſſè docet 3. meth. c. 1.) quod curatur; tẽpora enim morborũ ſunt accidẽtia, & ſunt in fieri, & non pertinẽt ad eſſentiã morborum, vel cauſarum, neq; vllam curationem poſtulant. Ad dubium dicimus, non tempora morborum, ſed naturam diuerſam humorum eſſe illam, quæ indicet, efficiatque morborum tempora, quæ ſemper ſunt in fieri, & nunquam in facto eſſe.

2 Dub. dicit Gal. in tex. ſi fuerit lentum, & craſsum, & ità coactum, quod defluxit in partem affectam, vt non poſſit vſu repellentium repelli ad intus, tunc ſuprapoſitis defenſiuis eſse ſcarificandum, vel reſoluendum; quod non videtur conueniens; quia craſſi, & lenti, & coacti humores in vno loco efficiunt affectum ſcyrrhoſum: ſed ſic eſt, quod ſcyrrhoſus affectus debet tolli per emollientia, & nõ per ſcarificationes, vel per reſoluentia: quare nõ videtur, quod Gal. poſſit defendi. Accedit, quod reſoluentia ex Gal. reſoluunt tenuius, quod verò relinquitur fit longè craſſius, & durius.

Reſpondetur Galen. nobis propoſuiſse exemplũ de ſanguinis multitudine confluxa à venis maioribus uſque ad capillares alicuius partis; quare cùm de ſãguinis confluxu agat, non intelligit per craſsũ, lentum, & coactum, quod à pituita, & humore melancholico fit; ſed quod à ſanguine; at ſic eſt, quod in ſanguine nũquã poteſt eſse tanta craſſities, & tantus lentor, qui emollientib. egeat; ſed ſolum reſoluentibus, uel ſcarificantibus præſidijs, oſtendimus enim ſuperius ex Gal. lib. de ſimp. med. duritiem eſse trium generum, aliam eſse ſcyrrhoſam, & hanc emollientibus indigere, aliam eſse duritiem ob plenitudinem, & hanc dicimus euacuatione indigere, de qua intelligit Gal. in hoc loco; aliam uerò eſse duritiem per cõgelationem, ut ſunt perniones, & hanc calefacientia poſtulare: ſi igitur Argenterius, qui hæc dubitatio tãtum faceſſit negotium, intellexiſset Gal. propoſitum, & medicinæ arcana, certè occaſione huius facillimæ dubitationis non reprehendiſſet Galenũ, quod ſcilicet nihil dixerit de emollientibus: immmo nos dicimus, ſi Gal. mentionem fecilset de emollientibus nihil magis fuiſset dictum à ſuo propoſito alienum: Dum uerò addit Argenterius, quod per reſoluentia craſsum, & lentum fiat craſſius, dicimus hoc verificari in craſſitie melancholica, & terreſtri; ſed non in craſſitie ſanguinea, quæ nunquam in ſcyrrhum conuertitur.

3 Dub. Galen. hìc docet, niſi ſanguis confluxus poſt factam totius euacuationem, & reuulſionem omninò tollatur à repercutientibus, tunc eſſe deueniendum ad reſoluentia, vel ad ſcarificationes: oppoſitum tamen docet 14. meth. c. 13. vbi inquit, ſi non iuuant repellentia, & reſoluentia, eſſe ad ſuppurantia accedendum, & non ad ſcarificationes. Accedit, quod ſcarificationes conueniant in gangrænis, & non in apoſtemate, de quo agere videtur Gal. in hoc loco: ergo, vel malè hic, vel ibi.

Reſpond. quod radix erroris Argenterij, qui hanc inſtantiã contra Gal. propoſuit, & reliquit inſolutam, eſt quia non intellexit Gal. propoſitũ: ſupponit .n. Gal. tractaſſe in hoc cap. de cura apoſtematis, quod quidem eſt falſiſſimũ; quia de apoſtemate ne verbum quidem dixit: ſolum enim agit de ſanguinis multitudine in partẽ aliquam corporis cõfluxa nõ quod per orificia capillariũ exeat ſanguis: ſed ſolum, per poroſitates tunicarum aliquid ichoroſi humores exſudet: hoc ſanè non eſt apoſtema; quia caracter apoſtematis eſt, vt ſanguis ab orificijs venarũ capillariũ effũdatur in ſpàtia, & ad poroſitates; agitur ergo hìc de confluxu ſanguineo ſine effuſione ad ſpatia, qui quidem affectus non indicat ſuppurantia, ſed reſoluentia ſeroſitatem: vel ſi ſeroſitas eſt copioſa, quæ reſoluentibus non ſuperetur, ſcarificatione ſuperetur: quę cum ità ſint facilè quiſq; intelliget, cur Gal. de ſuppurantibus nihil dicat: patet ſimiliter, quia in arte Medica ab omnibus eſt conceſſum, quòd donec ſanguis ab orificijs venarum non egrediatur nunquam poſſit fieri apoſtema: ſint igitur quantũvis venæ capillares tumidæ, & ſanguine repletæ, eleuentque in tumorem particulam læſam, nunquam niſi ab orificijs capilla-

rium ſanguis egrediatur poterit in pus conuerti.

Ad dubium dicimus, quod 14. meth. cap. 13. agat de cura apoſtematis, quæ eſt omninò diuerſa ab hac, vt probauimus.

CAPITIS XCV.

Particula VIII.

Tex. 69. *Sed quoniam diſcutientia vires calidas habent,eiuſdem verò temperaturæ effectus eſt mordere, quando caliditatis modum exceſſerint, cauenda ex eis ſunt vehementiſſimè calida,ac cùm præſertim, cum patiens locus in ſuperficie fuerit;Neque enim paruus excitabitur dolor, ſi præter propriũ affectũ inſuper mordeatur omniſque præterea dolor fluxiones commouet. Quod igitur mediocrem caliditatem obtinet, in his ſenſum doloris non inuehit, atque eo amplius omni dolore vacat, ſi humidũ extiterit. Et quidem quicquid per ſumma hæret, potens eſt id medicamen diſpergere, quod etiam validas non habuerit ad diſpergendum vires.*

CVm in tex.ſuperiori Gal.dixiſſet, diſcutientia conuenire pro abſumendo humore effuſo inter ſpatia per inſenſibilem perſpirationem.In hoc tex.duo facit, primò affert duplicẽ conſiderationem diſcutientium ſiue digerentium, quæ in idem recidunt;altera conſideratio diſcutientium eſt ratione ſuæ naturæ; altera ratione partium, quibus applicari debent: ſecundò docet in hoc tex. quæ ſint bona, & optima diſcutientia, aptaque, ut applicentur partibus exiſtentibus in corporis ſuperficie.

Quo ad digerẽtia,ſeu diſcutientia conſiderata in ſe ratione,ſcilicet ſuæ naturę, & ſine relatione ad partem aliquam corporis determinatam dicit Gal.habere ualidas uirtutes, quia ex neceſſitate sũt calida: caliditas enim eſt omnium qualitatum actiuarum prima. Si uerò conſiderentur digerentia non in ſe, ſed cũ relatione ad partes,quibus applicantur, dicit Gal.ſi excedant modum caliditatis,ita ut mordeãt,eſſe omninò cauẽda:&pręcipuè dum applicantur parti exiſtenti in ſuperficie corporis:quia ob doloris morſum,& ob calorem vehemẽtem noua fluxio excitabitur: vnde natura à noua fluxione grauata minus poterit inſenſibiliter reſoluere: quia locus plenus, & humorum ſarcina oppreſſus,doloreq;correptus longè magis attrahitur,qui reſoluat inſenſibiliter: Hęc doctrina eſt medicis notiſſima, ſed qui in ſtaticis experimentis ſe exercuerit, vt nos curſu multorũ annorũ inuigilauimus, exactiſſimè ſcire poterit; quanto inſenſibiliter corpus aliquantulũ vacuum plus reſoluat, quam plenum.

In ſecunda parte tex. *quod igitur*; Gal. docet de ratione optimi diſcutientis, ſeu digerentis,& in vaporem reſoluentis remedij duas eſſe proprietates: prima, vt diſcutiens ſit mediocris caliditatis; mediocritas enim non excitat dolorem; ſecunda, de ratione diſcutientis eſt, vt cum mediocri caliditate iunctam habeat humiditatẽ: dum enim mediocris caliditas iuncta eſt cum humiditate nullo modo poteſt inferre dolorem; & meritò, quia ſicuti ſiccitas ex Auerr. eſt lima caloris, ſic humiditas eſt eius frænum;ecce, quòd Galen.nullo modo admittit illa digerentia,quę habent validas vires,vel ſint calida ſupra mediocritatem, vel nõ habeant coniunctam humiditatem:quia cum ſint applicanda partib. exiſtentibus in corporis ſuperficie, quæ ſint male affectæ, debẽt eſſe moderata: agẽtia enim quo proximiora ſunt paſſo,eo melius agunt: Hic notatur error multorum,qui dum vtuntur digerentibus in reſoluendis humoribus confluxis eligunt calida,& ſicca,quæ mordent,quo fit vt inde excitetur maior humorum attractio,quàm reſolutio.

Quæritur hìc, quid intelligat Gal. per mediocrem calorem; Reſpondent Haly, & Pluſquamcommentator,vel eſſe ſimilem caliditati membri patientis, vel non excedere quantitatẽ unius gradus:Quod debeant eſſe ſimilia calori membri, mihi nullo modo probatur; quia hæc ſimilitudo pertinet ad concoctoria,& non ad dicutientia, ſeu digerentia: Dum uerò dicunt excedere per unum gradum libenter admittimus, dummodo tantam habeant humiditatem, ut ira contemperetur ille caloris gradus, ut non mordeat.

1 Dub.

1 Dub. non videtur, quod de ratione caloris excedentis neceſſariò ſequatur morſus, vt in tex. dicit Galen. quia 5. ſect. aphoriſ. 20. dicit, frigidum eſſe vlceribus mordax; quare ſi frigidum, ergo non calidum efficiet mordacitatem.

Reſpondemus cum Gal. citato aphor. dum dicit, frigidum eſſe mordax vlceribus, id euenire: quia refrigerat natiuum calorem; quo refrigerato, prohiberi difflationem inſenſibilem, illamque retentam efficere dolorem, vel mordacitatem; quare calor excedens per ſe mordet; frigidum verò per accidens, quatenus obſtruit, & difflationem prohibet; vel dicimus cum Gal. 4. de ſimpl. med. cap. 2. & in prædicto commento, quod mordacitas à frigore fiat; quia contrahuntur particulæ, & contractæ diuiduntur, & continuum ſoluitur, vnde conſurgit dolor mordicatiuus.

2 Dub. Gal. in hoc cap. docuit, ante digerétia, & ante ſcarificationes tria prius obſeruanda; primò, totum corpus eſſe prius euacuatum: ſecundò factas eſſe reuulſiones à parte affecta; tertiò applicata eſſe repellentia; quibus peractis, ſcarificationes, & remedia diſcutientia, ait, habere locum; Nihilominus Hippoc. 2. de ratione victus in principio; & in caſu Anaxionis pleuritici vtitur diſcutientibus ante euacuationem totius: in Anaxione enim ſexta die Hipp. applicauit lateri fomenta diſcutientia, ſeu digerentia; octaua uerò die ſecuit cubitum: ergo ex doctrina Hipp. poſſumus ante euacuationem totius corporis vti diſcutientibus: ergo, vel malè Galen. vel Hipp.

Reſpondet Alexander Trallianus lib. 5. vbi agit de pleuritide, Hipp. vſum fuiſſe fomentis in pleuritico dolore, vt videret, an corpus illud eſſet plethoricum: dum enim poſt vſum fomentationum ceſſant dolores, dicendum eſt in pleura non eſſe inflammationem, & per conſequens non conuenire totius euacuationem. Si verò dolores poſt fomentationum vſum nõ ceſſent, ex ſententia Hipp. illud corpus iudicandum eſt plethoricũ: Quæ Tralliani reſponſio non eſt bona, quoniam plethorica diſpoſitio ex alijs ſignis facilè dignoſci poteſt: non enim par eſt, vt Medicus addiſcat cum læſione patientis, quando in arte, alia eſt via dignoſcendi pleuritidem ex inflammatione.

Oddus, & alij reſpondent, quod in pleuritide attendimus dolori: quia dolor eſt ſymptoma virtutem proſternens: Hęc ſolutio, quamuis uidetur eſſe Galen. 13. meth. cap. 2. & Auicennæ tamen non eſt illa, quæ ab arcanis methodi colligi poteſt.

Ego igitur colligo ex Gal. 3. meth. 9. & lib. 7. cap. 12. quod ante morbum curandum tria ſint tollenda: primum eſt urgens: ſecundum eſt cauſa principalis; tertium ſunt impedimenta: qua Gal. doctrina ſuppoſita dicimus, dolorem eſſe ex numero urgentium, quatenus tollit uires: deinde quoque dicimus, dolorem reduci poſſe ad cauſam principalem, quatenus ratione doloris noua ſãguinis fluxio excitatur, quæ lethalem quoque pleuritidem efficere poteſt; ideò Hipp. in Anaxione exorſus eſt à fomentationibus. Dum verò Gal. docet in hoc cap. diſcutientia eſſe poſtremo loco applicanda, intelligit de humore confluxo, quatenus neq; eſt urgens, neque cauſa principalis. Similiter ſi humor confluxus eſſet ità copioſus, ut calor partis ob nimiam copiam inciperet ſuffocari cum euidentiſſimo gangrænæ periculo, tunc ubi eſt humor confluxus, ante totius euacuationem, reuulſionem, & percuſſionem, eſſet ſcarificandum; quia hoc caſu humor confluxus ſe habet per modũ urgentis, quod maximè omnium uocat manus medicas: quo fit, ut ſcarificationes, quæ prohibent caloris partis extinctionem magis poſſit, quam omnia alia præſidia. Qui igitur hac uia non incedent ſolum caſu, & fortuitò medicinam facient.

CAPITIS XCV.

Particula IX.

Tex. 70. *Quòd ſi ſumma quidem partes omni noxa caruerint, id verò, quod euacuari oporteat in penitioribus partibus fuerit intendendus, atque augendus diſpergentis medicaminis calor, cùm dubitandum ſit, ne priùſquam profundas attigerit partes, interim vires amittat: neq; tamen e[illegible] eo ſuperiores partes aliquẽ dolorem ſentie[illegible], cum*

omni vacent affectu. Quare nunc hæc duo ſimul inuitant ad calidiorum pariter, atq; acrium medicaminum vſum, & ſumma partes, quæ tolerant, & profunda, quæ egent. Hæc igitur ex patiente particula indicatio aſſumebatur.

IN tex. ſuperiori egit de diſcutientibus, ſeu digerentibus, quæ applicantur partib. læſis, quæ ſunt in corporis ſuperficie: In hoc tex. verò agit de digerentibus pro affectibus partium profundarum, quæ ſcilicet non ſunt in ſuperficie; ſed in parte aliqua penitiori: dicit igitur, quod ratione ſitus magis, vel minus profundi digerentia debeant eſſe magis, vel minus vehementia: quia ea quæ applicantur externis partib. ſunt mediocriter calida, & humida: hæc tamen ſi applicabuntur pro diſcutiendo, & diſpergendo humore occupante partem penitiorem, nihil iuuabunt, quia antequam perueniant ad locum affectum, amittunt ſuas vires; idcò Galen. vult, diſcutientia humorem exiſtentem in parte penitiori eſſe talia, vt ſint acria partibus exiſtentibus in ſuperficie: quia antequam perueniant ad partem internam amittunt acrimoniam.

Quod Gal. hic dixit de diſcutientibus pro intima corporis parte, quod ſcilicet debeant eſſe ita acria, vt peruenientia ad partem internam læſam in itinere amittant acrimoniam, & diſcutiant ſine aliqua mordacitate intelligi poteſt de omni medicamẽto; quod exhibetur pro curãda parte diſtanti, & profunda: Hinc valdè errant Plurimi, qui in catarrho falſo in pectus procumbẽte cauſa roborandi pulmonem, ne exulceretur, & fiat phtyſis, dant ſolùm duas drachmas ſacchari roſati: Galen. .n. 2. ad Glauconem 2. loquens de medicamẽto, quòd debet ad diſtantes partes peruenire, habet hæc verba; *Non præſens vis medicinæ eſt conſiderãda, ſed qualẽ obtinebit, quando ad membrum peruenerit*: Subdit; *Tantum plus roboris eſt adiungendũ medicinæ, quantum in tranſitu amittitur, vt quod relinquitur remaneat æquale ei, quod tactu ſanat*; Ibi explicat Gal. ſaccharũ roſatũ, antequã perueniat ad pulmonem pertranſire os, fauces, ſtomacum, ventriculum, inteſtina tenuia, meſenterium, hepar, venam cauam, & cor: in ſingulis verò partibus, ait ſaccharum roſatum aliquid amittere; quare niſi ſemilibra, vel ad minus quatuor vnciæ deglutiantur quotidie, vix credo, eius virtutem ad pulmonem perueneturam.

Hinc digni reprehẽſione ſunt, qui pro hepatis obſtructione eligunt vnciam cũ dimidia oxymellitis; quæ exigua quantitas vix ventriculi fundum irrigat? partim enim detinetur in pariſthmijs, & poſt aſſumptionem expuitur, partim in æſophago: quare antequam ad hepar perueniat, ita abſumitur in itinere quantitas, & eius vis, vt neque materia prima oxymellitis ad hepar perueniat. Soleo igitur ego 4. vncias, & aliquãdo ſex oxymellitis quotidie exhibere, ſed diuerſis horis .ſ. vnicam cum dimidia ſummo manè, paulò ante prandiũ, & ſimiliter ante cœnam tantundẽ: ſi .n. totum manè exhiberetur, nimium læderet ventriculum: Idque facimus admoniti præcepto Ariſt. 1. proble. 57. & 3. probl. 21. qui quærens, cur febrientibus parùm, & ſępè ſit danda portio, dicit, multam præcipitem deferri, paucã verò tardè, & profundè irrigare: ſicuti pluuia, quæ paulatim defluit, vel magis humectat, quàm quæ cũ impetu.

Quod dictum eſt de oxymellite, idem de ſaccharo dicendum: Gal. .n. 8. meth. c. 4. docet, quòd oxymel ſtrenuè detergat, neque febres accendat: addit Galen. ſaccharum habere ſimilẽ virtutem aperiendi ſcilicet & detergendi. Obiter hic notamus, illos decipi, qui dicunt Gal. tempore nullum fuiſſe ſacchari uſum.

Inſuper ſunt qui ardenti febre correptis ſeri lactis libram ſolùm porrigunt, quibus, niſi aliquid euidentiſſimè prohiberet, eſſent quinque, & ſex libræ propinãdæ: quia in cauſone cor, hepar, ſanguis qui eſt in uena caua, renes, & alia viſcera ſunt refrigeranda. Hinc Hippocr. & Galen. 4. de ratione uictus in ac. 29. admonent, quod unica die poſſint dari duodecim libræ lactis aſinæ, & ultra.

Demum ualdè miror, dũ noſtrates in ſuppreſſis menſibus dant conſeruam capillorum ueneris, iuſculum ciceris, & alia leuiſſima, quæ antequam perueniant ad uterum, omnem uirtutem amittunt: proportionatum uerò auxilium eſt miſſio ſanguinis à cubito, & deinde à ſaphena, in corpus

corpus eſt plenum: eſt enim Gal. in tex. ſuperiori, quod in corpore pleno non ſit reuellendum, & tantò minus deriuandum, niſi præcedat totius euacuatio.

Hinc qui ſecant ſaphenam, corpore exiſtente pleno, magis inplent venas minores vteri, obſtruunt, & ſanguinem defluere impediunt; quare niſi prius tundatur cubitum, & deinde ſaphena, nil fit; niſi forſitam mulier eſſet puerpera: tunc enim ſi retinentur purgationes nullo modo eſt ſecandum cubitum; quia plenitudo non eſt in toto, ſed ſolùm in venis vteri, & eius cauitate.

Hinc Gal. lib. de venæ ſectione ad Eraſiſtratū citat caſum famulæ Margei, quæ vt filiam peperit, nullo prodeunte ſanguine ab vtero, os ad vertebras coxarum detortum eſt magno cum dolore & tremore: ſecta tamē vena propè talum, dolor & tremor ceſſarūt, & inde liberatur.

Sed redeūtes vnde digreſſi ſumus, dicimus, quòd medicamenta pro partibus diſtantibus debeant eſſe ita aucta, vt peruenientia ad loca penitiora obtineant ſufficientem virtutem. De his nos fusè egimus lib. 13. methodi noſtræ, ibiq; alijs pluribus exemplis rem clariſſimam reddidimus.

1 Dub. ex Gal. 3. meth. cap. 1. & alibi habemus, nihil indicare niſi illud, quòd curatur; ſed ſic eſt, quòd ſitus partium non curatur; quia non eſt quid præter naturam; ergo: quomodo igitur Gal. in hoc loco ſumit indicationem à ſitu partium?

Reſpondetur, indicans dupliciter conſiderari poſſe, primò vt eſt quid præter naturam; ſecundò vt eſt ſignum indicans cōditionem affectionis prēter naturam: poſita hac diſtinctione reſpondemus Gal. in hoc loco intelligere ſitum indicare, vt eſt ſignum indicans facilitatem, vel difficultatem auferendi id, quòd verè indicat, quòd re vera eſt illud, quòd curatur, vt docet Galen. loco citato.

CAPITIS XCV.
Particula X.

Tex. 71. *Deinceps verò, ſi quid ad ſanitatem deſiciat conſideremus, neque enim paruum, aliquid deeſſe videtur. Affectæ partes, in quibus fluxionis ſuperſtuitas retinetur, nonnullæ quidem raræ, & laxæ, & molles natura exiſtunt; nonnullæ autem denſæ, & preſſæ, ac duræ. Priores igitur facilè deiectātur, reliquæ autem acrioribus deiectantibus, ac præterea tenuiores partes habentibus egent: atque eo etiam magis quātò profundiorem ſitum habuerint. Hæc igitur tibi rurſus ſit indicatio, altera à particulæ patientis ſubſtantia.*

Sicut in tex. ſuperiori ſumpſit indicationem à ſitu partium: ſic in hoc tex. ſumit indicationem à ſubſtantia partium: mollities verò durities, raritas, & dēſitas partium ſecundum opinionem medicorum dicuntur pertinere ad partium ſubſtantiam: docet igitur Gal. reſoluentia, ſeu diſcutientia variari, prout partes ſunt magis raræ ſpongioſæ, denſæ, vel molles: in raris verò, & ſpongioſis humor confluxus leuioribus digerentibus diſcuti poteſt, quàm in denſis.

1 Dub. ſtatim oritur, quia non videtur, quod facilius diſcutiantur humores retenti in partib. raris, & ſpōgioſis, vt dicit Gal. in tex. quam in denſis, & ſolidis; quia ſi glandulæ, ſeu adenes impleantur humoribus ſumma cū difficultate digerentibus exſiccari poſſunt; immò nullus morbus videtur magis difficilis, quam glandularum: patet enim in ſtrumis, vbi ſolùm glādulis auulſis ceſſat earum morbus: quare Gal. videtur toto cœlo errare, dū docet partes ſpōgioſas & raras humorib. imbutas citius digerentib. ſanari, quā denſas & ſolidas, ſicuti ſunt muſculi, &c.

Argenterius diſputans contra Gal. adducit in medium prædictum dubium, quod ab alijs ante illum quoque fuit propoſitum; ſed quod ridiculum eſt, putat Argenterius, dubium eſſe inſolubile, & Galeni præceptum eſſe irritum, & vanum: ſolutio tamen eſt adeò facilis, vt nil facilius inueniri poſſit.

Reſpōdemus igitur, dùm adenum, ſeu glandularum humor diſcuti non poteſt digerētibus potentiſſimis, id nō accidere ratione raritatis glandularū; ſed ratione humoris excrementitij continuò in glādulas fluentis; quia in hunc finem factæ ſunt, vt perpetuò aliarum partium excrementa ſuſcipiant; ſintq; excrementorum emunctoria: quare dicimus, ob ſuam raritа-

ritatem digerentibus facillimè ſanari poſſe, niſi de nouo implerentur: Dum verò ſtrumę redduntur incurabiles, id accidere dicimus; quia glandulæ ſunt exulceratæ, & vlcera in ipſis redduntur incurabilia ob duplicem cauſam, quarum prima eſt, quia glandularum officium eſt excrementa vicinarum partium ſuſcipere, & ſemper emungere, & propterea vocati emunctoria: ſecunda cauſa eſt, quia nullum vlcus poteſt ſanari, niſi cauſa quæ illud fouet prius ſanetur: at ſic eſt quod cauſa quæ fouet vlcus ſunt vicinarum partium excrementa naturalia, quæ debent ex neceſſitate à glandulis ſuſcipi, ergo ſtrumæ nunquam ſanabuntur, niſi euellantur, vel igne exſiccentur.

Strumæ, carnes flaccidæ, & ipſæ gangrænæ, nec repellentibus, nec digerentibus, vel ſuppurantibus tractãtur, ſed ferro ignito adurente & abſumente putredinem, quamuis in horum malorum initio (quod mirabile dictu eſt, & obſeruatione dignum) ſufficiat vt ferrum ignitũ non tangat, ſed ſolùm appropinquetur carni eouſque donec valdè calefaciendo exſiccet & abſumet quod putridum eſt. Hoc modo feliciter vſi fuimus in abſumendis reliquijs gangrænæ, quæ contigit in ſeroto illius Petri Caphij, de cuius laudibus non ſemel, in noſtris commentarijs mentionem fecimus: eodem modo & ſtrumas, & carnes flaccidas, & ipſas gangrænas abſtulimus.

Sed vt redeamus ad ſtrumas vnde digreſſi ſumus, dicimus quod ille qui poſſet prohibere, ne glandulæ excrementa vicinarum partium emungerent ſtatim digerentibus ſanaret, ſed faceret, quod glandulæ non eſſent glandulæ, quod nequè agens infinitæ virtutis efficere poſſet: ecce igitur, quod non raritas in glandulis impediat ſanationem, ſed perrenis excrementorum in ipſas decubitus.

Patet igitur, quod cognitio ſubſtantiæ partium valdè conferat ad cognoſcẽdos, & curãdos morbos; quia pars durior dolores truciores habere ſolet, quam pars mollior. Hinc eſt, quod in ſuperna ſpinalis medullæ parte humores collecti dolores mites efficiũt: deinde ſi ipſimet humores deſcendãt ad medullam, vbi eſt os ſacrum, truces fiant dolores: cauſa eſt, quia medulla inferior eſt durior, & vt durior maiori cum violentia ſoluitur eius continuum. Simili modo dicimus de remedijs, quod alia ſint, quæ tollunt dolores in parte molli, & alia quæ in parte dura. Verùm quia nos fuſè declarauimus lib. 3. meth. noſtræ, quomodo non ſolùm varientur remedia ob ſubſtantiæ varietatem; verum etiam è ſubſtantia partium colligi poſſit, quomodo ſit applicandum remediũ, vbi & quantum remedij exhibendum ſit; ideò hic nihil dicimus.

CAPITIS XCV.

Particula XI.

Tex. 72. *Alia verò à formatione ſimul, ac ſitu. Supponatur enim, ſi ita contigerit, in hepate eſſe proximè dictum affectum, in anguſtis vaſorum finibus intruſis humoribus, qui vel lenti, ac tenaces, vel craſſi exiſtant, vel ſuperabundent. Nonne in promptu eſt, primum quidem craſſitiem, vnà cum lentore, & tenacitate, cibis, ac potibus extenuantibus, ad ſubtiliorem partium ſubſtantiam transferri oportere? Secundo autem loco non per anguſtos, atque inuiſibiles, ſed latiores meatus quidquid infeſtum exiſtit, eſſe euacuandum: ſunt enim in hepate venæ non minus amplitudine, quam numero excedentes: terminantur autem hæ quidẽ in gibbis ad venã cauam, hæ verò in cauis ad portam, vnde haud difficile tibi futurum vbicunque preſſi, ac ſtipati humores fuerint, eoſdem expedite euacuare, trahendo quidem ad ventrim cum his, quæ attrahendi vim habent medicaminibus quicunque ex ipſis in venis ad cauam hepatis pertinentibus aceruati, de vrina verò meatus promouendo per cauam venam quicunque in venis ad venis ad eam pertinentibus ſunt.*

IN tex. ſuperiori docuit facilitatem, vel difficultatem reſolutionis, ſeu diſcuſſionis humorum pendere à ſubſtantiæ varietate: raritas enim & mollities partium conducunt ad facilitandam deiectionem, denſitas verò & durities ad impediendam.

In hoc text. verò oſtendit facilitatem, vel difficultatem deiectionis indicari à formatione, & ſitu partis affectæ; dicit e-

nim

enim ſuperius Gal. dum ſanguinis multitudo eſt confluxa in aliquam corporis partem,quatuor eſſe facienda: primo totum corpus euacuandum:ſecundò reuellendum: tertio repercutiendum: quarto partem euacuandam digerentibus, vel ſcarificationibus,ſi opus ſit.

In hoc loco exemplo hepatis ſumit indicationem euacuandi humorem confluxum ob hepatis conformationẽ, & ſitũ; datque exemplum de hepate, vt nos doceat,non ſolum hepar, ſed quodlibet viſcus, & quamlibet corporis partem humore repletam ſanari aliquo peculiari remedio deſumpto à conformatione, & ſitu partium. Ego de hac re lib.3.meth.vitam.agens oſtendi,quo modo ſitus,& cõformatio efficiant affectus ſpecificos, & ſpecifica incident remedia; & quomodo medici rudiores ſæpiſſimè errant, dum colligunt remedia ab affectuum eſſentia, nulla habita conſideratione conditionũ partium affectarum, quæ ſunt illæ, quæ & efficiunt morbos ſpecificos, & docent quomodo auferantur: conditiones verò ſunt ſitus, figura, meatus, ſubſtantia, & aliæ ſex,de quibus fusè egimus loco citato.

Si igitur de hepatis conformatione, & ſitu loquamur inquit in vna parte eſſe concauitatem,& in alia gibboſitatem, in ipſoque eſſe venarum capillarium inſertarum myriades; tali verò pacto eſt conformatum, vt venæ partis concauæ habeant anaſtomoſim cum vena porta, & venæ partis gibbæ cum caua, & hæc cum renibus; propter quam cõformationem, & ſitum, humor præter naturam contentus in hepate non erit difficile, vt ex parte concaua trahatur ad venam portam, & inde per meſenterium ad inteſtina; atque ex parte gibba pellantur humores mali ad venam cauam, & inde ad renes, & per vaſa vrinæ extrudantur.

Senſus verborum eſt clariſſimus; dicit enim Galen. quod alia ſumitur indicatio præter antedictas a formatione,& ſitu,& has duas indicationes vult applicare hepati;quare ſi contigeret poſt factam euacuationem totius, & reuulſionem, quod in anguſtis vaſorum finib. hepatis eſſent relicti humores craſſi, lenti, vel copioſi; dicit,remedia eſſe in promptu; quia facilè peruenire poſſunt ad locum affectum, quod non accideret, ſi ſimiles noxij humores aſſent in pulmone,corde,cerebro, & ſimilibus partibus diſtantibus à meatibus,per quos commodè euacuantur excrementa.

Primum remedium, quod affert Gal. pro tollenda craſſitie, & viſcoſitate exiſtente in orificijs venarũ capillarium hepatis,admonet eſſe cibum,& potum attenuantem: Hoc remedium facilè iuuabit pro tollenda hepatis obſtructione: quia omnis cibus, ſi debeat nutrire, debet trãſire per primam,ſecũdam, & tertiam coctionem: quare, poſtquam in ventriculũ ingeſtus eſt,attrahitur ab hepate;atque ſi habuerit vim attenuandi, auferre quoq; poterit craſſitiem,& lentorem obſtruentem orificia venarum hepatis:meritò vero Gal. exemplificauit de hac hepatis obſtructione: quia eſt ferè omnium morborum origo: ſic febres diuturnæ, & rebelles ab hac cauſa vt plurimùm oriuntur. Similes cachexiæ, mali colores, & ſymptomata omnium generum ex hoc affectu prodire ſolent.

Secundum remedium,quod affert pro affectu propoſito, ait, hepar non liberari humoribus copioſis craſſis, & lentis vſu digerentium per anguſtos, & inuiſibiles meatus; ſed per latiores, & patentiores, per aluum videlicet,& per vaſa vrinæ,vt dictũ eſt:per aluum dùm humores craſſi, & viſcidi concauam hepatis partem occupant:per vrinam,dùm gibbam. Docuit enim Galen. lib. epid.ex Hipp.in hiſtoria mulieris decumbẽtis apud Pantimidem, quando humores peccantes ſunt in caua parte hepatis,euacuari per aluum, ſicuti contigit dictæ mulieri, quæ patiebatur malam affectionem cõcauæ partis, quod agnouit Gal.ex tenuium deiectione,quæ ſemper indicat in venis meſerei, & in ſimis iecoris humores redundare:aderant quoque dictæ mulieri vrinæ crudæ, quæ oſtendebant in gibba humores redundãtes; ecce quòd vrina indicat ſtatum, & conditionem partis gibbæ; excrementa verò alui ſtatum,& conditionem ſimæ partis hepatis.

Hinc Medicus in anatomia parùm exercitatus,ignoratoq; ſitu,figura,& cæ-

teris conditionibus partium corporis ſæpiſſimè in curandis morbis labitur in maximos errores; Quomodo ergo, vt exemplis illuſtremus hanc materiam, poterit agnoſcere, an orificium ventriculi ſit læſum, ſi neſciet vbi ſit? ſicuti videntur neſcire omnes, qui dicunt orificium ventriculi eſſe ſub mucronata cartilagine, cùm reuera valdè diſtet; quo pacto non errabunt, qui dicunt, pylorum eſſe in fundo ventriculi, idest in parte decliuiori, cum diſtet ferè palmi tractu, quod Gal. nõ videtur intellexiſſe; quia in anatomia homi nis nõ erat valdè verſatus. Similiter valdè errant, qui putant, clyſteres ad ventriculum peruenire: id .n. dignoſcitur ex anatomia: nã valuulæ quæ ſunt, vbi eſt cęcũ, impediunt, ne liquores craſſorum inteſtinorum poſſint ſuperius aſcẽdere; hac de cauſa forſitan Gal. 13. meth. c. 17. protulit hanc ſententiam; *quæ infuſa ſunt per clyſteres, ea omnino ad ieiunum vſq; aſcẽdere nõ poſſunt: imò ſubdit, etiam ſi admodum nitaris, fortaſſe tantùm tenue inteſtinum contingent*; Id dixit Gal. forſitan ob valuulas, quę ſunt inter tenuia, & craſſa inteſtina; Sed qui vult intelligere partium meatus, & conformationes non ſufficit, vt Gal. imò neq; Noſtrates Anatomicos, licet diligẽtiùs inſpexerint partes humani corporis, legat: ſed in ſecandis corporibus debet ſe exercere: magis .n. vnica die in hoc exercitio addiſcet, quã ſi anni ſpatio ſine inſpectione ſtuderet anatom.

Inter meos diſcipulos, hunc ſtudendi modum, diligenter, auidè, & ſtudioſè inſequitur Paulus Parauicinus de Capellis Vulturæno Berbennenſis, iuuenis, miro feliciſſimoq; ingenij acumine præditus, in linguis verſatiſſimus, literis, ſtudijs & liberalibus artibus omninò deditus; qui aſſiduè hunc modum inſequens, mirum in Medica, & Chirurgica cognitione progreſſum facit, adeò, vt breui, euaſurus ſit perfectiſſimus.

Inter cętera, conformatio eſt perpendenda; quia forſitan magis mutat habitum, quam cęteræ cõditiones propoſitæ: exẽpla Gal. 2. de ratione victus in ac. 29. de Paulo Rhetore, & Eudemo Philoſopho valdè hoc ſuadent: refert enim ambos fuiſſe picrochólos; attamen Paulus, quia ductus ferens bilem excurrebat ad fundum vẽtriculi, bilioſum vomitum patiebatur, vocabaturque picrocholus ἄνω; Eudemus verò; quia idem ductus perueniebat ad ieiunum inteſtinum, biliſque per inferiora expurgabatur, dicebatur picrocholus, κάτω; ecce quomodo ob variam conformationem variantur habitus, & hominum naturæ.

Inſuper (liceat mihi afferre aliquot exempla, vt huius rei veritas eluceſcat) ſi de peritoneo loquamur, dicimus, alio mo do inflãmationes, ſeu vulnera peritonei ſubvmbilico tractari, & alio modo ſupra; quia ſub vmbilico peritoneum eſt magis duplicatũ ob vaſa vmbilicalia; negamus tamen contra Columbum à xyphoide ad vmbilicum peritoneum eſſe vnã tunicã, & non duplex; quia etiam pia mater, quę eſt tenuiſſima, eſt duplicata. Prætereà vena vmbilicalis fertur ad vmbilicum ad ſciſſuram hepatis, ergo duplicata; ecce quantùm referat, conformationem peritonei præſcire in cognoſcendis, præſagiendis, & curandis morbis.

Si verò de ſitu loquamur, præſtat, vt aliquo exemplo huius conditionis neceſſitatem in tractandis morbis manifeſtemus: Gal. igitur 13. meth. cap. 17. loquens de ſitu oris ventriculi docet, quando os ventriculi vrgetur phlegmone, cataplaſmata eſſe admouenda ſupra ſpinam dorſi; quia ille locus eſt ſtomacho vicinior; valeant ergo qui putant ſub mucronata cartilagine eſſe os vẽtriculi: quod erratũ ferè eſt commune. Qui verò deſiderant alia plura exempla pertinentia ad cõformationem, ad ſitum, legant 3. lib. noſtræ methodi, ex quo non ſolum colligent ſummam vtilitatem, quam medici colligunt ex cognitione conformationis, & ſitus; ſed etiam obſeruabunt rectam adminiſtrationem remediorum deſumi à conformatione, & ſitu partiũ, & ab alijs differẽtijs, de quibus egimus loco citato.

1 Dub. Galen. egit ſuperius de indicatione deſumenda à ſitu partium, ergo hic eſt ſuperfluus agens etiam in hoc loco de ſitu.

Reſpondetur, ſitum partium dupliciter conſiderari poſſe; vel prout corporis pars vel eſt in ſitu profundo; vel in ſuperficie, & de hoc ſitu Gal. ſuperius egit; vel ſumitur ſitus pro connexione partium

tium inter ſe; ſicuti in hoc loco Gal. conſiderat ſitum, quatenus in eius parte gibba eſt vena caua, quæ per vrinam: in concaua verò eſt porta, quæ per aluum expurgatur.

2 Dub. Gal. paulò ſupra egit de indicatione deſumenda à figura partium: in hoc loco verò ſumens à conformatione, videtur idem fruſtra repetere; quia figura eſt ipſamet conformatio.

Reſpondetur, conformationem non ſolùm prædicari de figura; ſed etiam de meatu: quare dicimus per conformationem Gal. præcipuè intelligere meatus, agitur enim de meatuum obſtructione facta à lentis craſſis, & copioſis humoribus, & non de figura hepatis, quæ eſt illa, quæ ſemilunium æmulatur.

3 Dub. Gal. in hoc cap. proponit curandum apoſtema: in hoc tex. verò exemplificat de hepate: remedia, quæ proponit ſunt duo, quorum primum eſt alimẽtum attenuans: ſecundum verò eſt, quòd euacuat per cauam, vel portam: ſed videtur diminutus: quia hepar apoſtemate oppreſſum poſt euacuationem totius, & poſt reuulſionem oportet adurere eo modo, quo nos docet Hipp. 7. ſect. aphor. 45. & facta apertione è diametro reſpondente hepatis apoſtemati permittere vt pus effluat: quod ſi album ſit, ait Hipp. homines ſaluari: ſi verò ſit qualis amurca, interire: mancus igitur videtur Galen. dum agens de apoſtemate hepatis in hoc loco prætermittit remedium tanti momenti ab Hipp. propoſitum, quod eſt per aduſtionem cutis ſenſim factam aperire, & permittere, vt defluat pus.

Reſpondeo, Gal. propoſuiſſe in hoc ca. exẽplum de multitudine ſanguinis confluxi à maioribus ad minores venas, è quibus aliquid exſudauerit, & nõ de apoſtemate, vt omnes Interpretes putant: Nemo vnquam ſanè propoſitum nodum exſoluet, niſi amplectatur noſtram interpretationem; quia in cura apoſtematis ex omnium Medicorum conſenſu requiritur ſuppuratio, de qua in hoc ca. ne verbũ quidem: poteſt tamen curari multitudo ſanguinis confluxa, quæ adhuc non effecerit apoſtema ſine ſuppuratione, adhibitis tamen quatuor propoſitis Gal. remedijs, ſcilicet totius euacuatione, reuulſione, repercuſſione, & diſcuſſione, ſenſibili vel inſenſibili.

4 Dub. Gal. in text. dicit, in hepate eſſe venas non minus amplitudine, quam numero excedentes: tamen ex Gal. 4. de vſu partium 13. & ex inſpectione anatomica, venæ, quæ ſunt in hepate, ſunt omnium venarum tenuiſſimæ; quomodo ergo erunt tenuiſſimæ, ſi amplitudine excedãt.

Reſpondetur, in parenchymate venas eſſe tenuiſſimas, venam tamen cauam, & portam inſertas hepati eſſe amplas, ad inſtar ſcilicet radicum magnorum ſtipitum & de his intellexit Gal. Natura verò effecit venulas illas minutiſſimas, vt ſanguis in parenchymate magis moraretur, & perficeretur. Credimus enim nos Gal. rectè ſentire, dum dicit ſanguinem perfici à parenchymate: errareque Veſalium, dum putat, ſanguificationem fieri à venis.

Similiter à veritate recedit Ariſt. dum putat ſanguificationem perfectam non ab hepate, ſed à corde fieri: cauſa erroris fuit, quia putabat venas non ab hepate, ſed à corde oriri, quod quidem in propria quæſtione reiecimus.

5 Dub. Gal. lib. 13. meth cap. 17. & 2. ad Glauconem 2. docet, gibbam iecoris expurgari per vrinã, ſimam verò per aluũ. Similiter in hiſtoria mulieris decumbentis apud Pantimidem in comm. dicit vrinas indicare quæ ſupra gibbam: deiectionem verò tenuium, quæ in meſereo, & in ſima; attamen contrarium dicere videtur 7. meth. c. 13. vbi habet hæc verba; *Renes verò, & veſica, & iecinoris gibba, ſi multo vitioſo ſucco ſint referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgantur; ſi verò mediocri, per vrinales meatus.*

Solutio colligitur ex verbis Gal. 2. ad Glauc. & 7. meth. vbi docet, quæ ſunt in gibba per vrinam eſſe mouenda, ſi corpus ſit excrementis liberum, & ceſſauerit fluxio; ſi verò vniuerſũ corpus ſit iuſto plenius prius eſſe totum euacuandum, & in hac euacuatione ante diuretica cõueniũt ſanguinis euacuatio, & medicamẽta purgantia euacuantia à toto, & à ſima, & gibba iecoris; hæc verò ſolutio valdè cohæret doctrinæ huius capitis; in quo docet ante euacuationem alicuius partis primò eſſe totum euacuandum, ſi plenum ſit; deinde reuellendum a parte affe-

ſecta: tertiò repellendum; quartò vero euacuandum per partem affectam, quod rudiores medici parum obſeruant: quia prima die applicat topica; quamuis nullũ ſit vrgens, quod eſt erratum inexcuſabile.

6 Dubit. Galen. in tex. proponit pro hepate ſanando duo remedia: primum eſt cibus attenuans craſſitiem, & lentorem; ſecundum eſt euacuans per cauam, vel per portam venam; videtur mancus; quia præter cibum attenuantem ſunt ſyrupi incidentes, & oxymel, & alia id genus, quæ obſtructioni hepatis mirificè reſiſtunt.

Argenterius occaſione huius dubij Galen. reprehendit; quia præter cibum attenuantem non propoſuit alterantia incidentia, & attenuantia: tanto magis, quãto lentor, & craſſities humorum à varijs efficientibus fit.

Reſpondemus, Argenterium toto cœlo aberrare; quia à quacunque cauſa fiat craſſities, ſemper à cibo attenuante inciditur; dùm vero addit oxymel non eſſe inter cibos collocandum, aberrat; quia mel & acetum ex quibus fit oxymel ſunt ferculorum condimenta. Similiter omnes plantæ, quæ alterant, & non purgant, poſſunt condimentis præparari, & in ciborum catalogo collocari.

CAPITIS XCV.

Particula XII.

Tex. 73. *Sed præter ſupradictas alia eſt indicatio ab hepate ipſo, veluti à venarum principio: nam cùm non tantum ſe ipſum regere natura aptum ſit, vt pleraque animalis partes ſed venis, præterea virtutem largiatur, periculum imminet ne ſi eius vigor madefacientibus, ac relaxantibus cataplaſmatibus fuerit reſolutus: & ipſum primum, ad ſui opus, atque omnes ſubinde venæ eius ratione imbecilles efficiantur. Quare in eius curationibus aliqua ex adſtringentibus meditaminibus miſcere oportet. Sed quoniam in profundo admodum loco ſitum eſt, dubitandum erit, ne adſtringentis medicaminis vis debilitetur, niſi ab aliqua altera ſubtilium partium ſubſtantia; qualis aromatum eſt, traducatur. Melius verò fuerit, ſi & ipſum adſtringẽs medicamen unà protinus ex aromatũ genere ſuerit: nã ſi duas habuerit natura inſitas qualitates, ac poteſtates, valentiùs operabitur.*

IN hoc text. Galen. ſumit indicationem à dignitate, & ab officio quodam communi partis, & ſumit in exemplum hepar, quod eſt venarum principium. Hæc verò doctrina eſt communis cordi, & cerebro: dicat igitur oriri indicationem conſeruandi hepar ob duplicem rationem, prima quia quælibet corporis pars eſt cuſtodienda, & conſeruanda: ſecunda quia hepar eſt principium aliarum partium, & virtutem ſuam per venas communicat vniuerſo corpori: illo enim læſo, totum corpus læditur: Duo igitur mala committunt qui hepar lædunt, alterum eſt, quia reſultat imbecillitas viſceris præcipui; alterum quia oritur imbecillitas venarum omnium ab illo prodeuntium, & ſanguinis imperfectio: addas, omnes facultates naturales aliarum partium ob ſanguinem imperfectum, & ob virtutes hepatis, & venarum diminutas, ex neceſſitate debiles reddi: facultates enim naturales omnium partium vires recipiunt à probo, & optimo ſanguine in iecore facto, tranſmiſſoque per venas ad nutriendas partes, earumque facultates naturales fouendas.

Quomodo uerò præcaueri poteris, ne iecur lædatur à digerentibus Gal. duo docet; primò, quid ſit vitandum; ſecundò, quid ſit faciendum. Quo ad primum dicit, eſſe vitanda madefacientia, & laxãtia medicaméta; quia hæc tollunt robur partibus viuẽtibus; quod autem hoc ſit verũ; Gal. 13. meth. c. 15. confirmat experientia; ait enim Theaginem Cynicum philoſophum hepatis inflammatione obſeſſum fuiſſe ab Atalo medico vſu laxãtium medicamentorum occiſum: quod noſtratum plurimi non videntur obſeruare; quia in omni dolore prodeunte ab inflammatione oleis laxantibus vtuntur, nulla habita conſideratione vigoris partium, quę nunquam debent tractari digerentibus; laxantibus, niſi aliquod adſtringens corroborans illis permiſceatur.

Quo ad ſecundum, quid videlicet ſit faciendum in curatione humoris cõfluxi in hepar, admonet, quod aliquod adſtringens permiſceatur digerentibus; animaduertit

uertit tamen, cum hepar non ſit in ſuperficie, ſed in corporis parte ſatis profunda, adſtringens debere eſſe ex illis, quæ conſtant ex ſubſtantia penetrante & ſubtili, qualis eſt ſubſtantia aromatum, quæ duplici virtute donata eſt; altera penetrandi, & altera adſtringendi.

1 Dubit. ab Argenterio proponitur in hoc loco, dicitque errare Gal. quia ſtatuit, hepar eſſe venarum principium: effertque has potiſſimas rationes: prima ratio, venæ inter ſpermaticas numerantur, ſed ſic eſt, quod ſpermaticæ partes à sanguineis, ideſt ab hepate naſci non poſſunt, ergo: ſecunda ratio, quam deſumit à Gal. lib. de formatione fœtus, eſt; venæ in prima generatione prius factæ ſunt, quam hepar, ergo hepar non erit illarum principium.

Reſpondetur, Argenterium ſpiritu contradicendi obcæcatum, non legiſſe diligenter tex. quia Gal. non dicit in tex. hepar eſſe principium venarum, ſed veluti venarum principium: Hinc non ſolum li. de formatione fœtus, ſed 2. de temperamẽtis ſtatuit venas prius generari, & deinde hepar, quod eſt tamquam parenchyma venis additũ: dixit tamẽ iecur eſſe veluti principiũ venarũ quatenus eſt principium nõ generationis venarum, ſed diſtributionis, & conſeruationis omnium partium corporis, quatenus ſcilicet ſanguis, qui fit in hepate, diſtribuitur per vniuerſum venarum genus gratia nutriendi, conſeruãdi, & fouẽdi omnes corporis partes vita vegetatiua præditas: oſtendimus enim in quæſtione, quæ inſcribitur, an latitudo venarum indicet caliditatem hepatis, nullam corporis partem ab alia oriri, ſed omnes ſimul inchoari, quamuis nõ omnes eodem tempore inſpiciantur; ſentẽtia. n. eſt Hipp. lib. de diæta, & lib. de locis in homine, quod omnes partes ſimul inchoentur, ſed non ſimul appareant, & quod vna non generet aliam; quod quidem mirificè quiſque obſeruare poterit in nucleis pineis in duas partes ſciſſis; in quibus, & pini truncus, ſurculi, & in aliquibus virides rami conſpiciuntur ſimul geniti, & ſimul inchoantes.

2 Dub. (& eſt Argenterij) non videtur, quod dignitas, & præſtantia hepatis, quamuis hepar non ſit debile, indicet, vt reſoluentibus permiſceantur adſtringentia gratia conſeruandi robur hepatis, ne diſſoluatur, vt docet Gal. in tex. Rationes verò Argenterij cõtra Gal. in hac re quatuor ſunt; quarum prima eſt, quod reſoluentia non egeant adſtringentibus, quia euacuant paulatim, & inſenſibiliter, & ſine virium diſſolutione: ſecunda, ſi in magnis febribus ſanguis euacuetur vſque ad animi deliquium ſine vllo periculo, quod hepatis robur diſſoluatur, quantò tutius poterimus vti reſoluentibus ſine adſtringentibus in hepatis obſtructione? tertia ratio, ſi applicabimus reſoluentia cum adſtringentibus hepati conſtipabimus cutim, & augebimus hepatis malum; quarta ſi non ſola ſubſtantia laxa, & molli poſtulat remedium adſtringens, ſed etiam dignitas, & præſtantia hepatis, tunc maximè conueniret, quando cupimus reſoluere reliquias inflammationis cerebri, quod dignitate, & pręſtantia omnes corporis partes antecellit: Gal. tamen (ait Argenterius) in cerebro vtitur reſoluentibus nulla facta mentione adſtringentium, ergo adſtringentia à viſceris dignitate non indicabuntur. Demum addit Gal. 13. meth. cap. 15. iniuſtè reprehendiſſe Attalum Medicũ, tanquam interfectorem Theagenis Cynici iecoris inflammatione correpti: quia vſus ſit laxantibus ſine adſtringentibus: dicitque, mortem illius non eſſe adſcribendam Attalo, quia vſus ſit relaxantibus ſine adſtringẽtibus; ſed quia ab hepatis inflammatione pauci euadunt: His rationibus probat viſcera, vt debilia, & flaccida, indicare adſtringentia, & non viſcerum dignitatem, vel præſtantiam.

Reſpondetur ad primam rationem negando, quod reſoluẽtia, quæ paulatim, & inſenſibiliter euacuant, id efficiant ſine virium diſſolutione: imò dicimus, ſi humidum radicale, in quo conſiſtit robur, paulatim, & inſenſibiliter euacuetur, quod ſemper pars tendat ad extinctionem, & mortem.

Secunda ratio non facit ad rem: quia dum enacuatur ſanguis vſque ad lipothymiam, dicimus, ſanguinem non pertinere ad robur partis; immò eius euacuatione iecur reuiuiſcere: in hac ſecunda ratione Argenterius fecit ſaltum ab humiditate

natiua

natiua ad aduentitiam, inciditque in argumentum ex quatuor terminis ridiculum: quia in diſcurſu intelligit de aduentitio calore, & in concluſione de natiuo.

Tertia ratio; quam affert contra Gal. eſt omnium vaniſſima; quia adſtringẽtia, quæ miſcentur digerentib. nõ ſunt vt galla, acacia, & ſimilia cutim cõſtipantia: ſed per adſtringentia Gal. intelligit ea, quæ moderatiſſimè adſtringunt, ſicuti eſt maſtix, & roſa, quæ adſtringendo non conſtipant, ſed per quandam expreſſionem iuuant ad maiorem penetrationem, quod miſer non intellexit. Quòd verò res ita ſe habeat, ex Auerroe 3. colliget experimento euidẽtiſſimo cognoſcetur, ſi accipiatur corium, & ex vna parte oleo inungatur, & ex alia oleo roſaceo, tunc citius penetrabit roſaceum, quam commune: nihilominus roſaceum habet quandam moderatam vim adſtringendi.

Ad quartam reſpondemus Gal. 13. metho. c. 18. in inflammatione cerebri vſum fuiſſe digerentib. cum aliqua portione reprimentis; quia ſic humores non amplius ad caput fluebant: Hæc adſtringentia ſunt acetum, oleum roſatũ, & alia id genus, quæ habent vim adſtringẽdi, & corroborandi: quamuis verò Galen. in declinatione inflammationis cerebri vſus ſit ſolo caſtoreo, dicimus tamen caſtoreum quatenus habet aliquam vim exſiccandi, eſſe non ſolum digerens, verùm etiam corroborans; corroborantia verò varia ſunt pro viſcerum varietate: ea enim quæ corroborant iecur, non credat Argenterius, eadem eſſe cum ijs, quæ ventriculum, vel ſplenem, vel cor, vel cerebrum corroborant; quia vnumquodque viſcus habet proprium, & peculiare corroborãs.

Hinc cerebrum corroboratur exſiccãte, & adſtringente; iecoris verò corroborans eſt adſtringens, & refrigerans; ventriculi, adſtringens, & calefaciens.

Quod verò non ſolum laxitas viſcerũ indicet corroborans; ſed etiam eorum dignitas, dum ſcilicet laxa quoque nõ ſunt; patet ex Galen. 11. metho. c. 16. vbi dicit, in ventriculo, & iecore reſolui robur, eſſe perniocioſiſſimum; quia hæc viſcera non ſolùm pro ſe ipſis, ſed etiam pro alijs corporis partibus officiorum munera exercent, ideò, quamuis ſint fortia, quando coacti vtimur digerentibus, vt aliquid reſoluamus, quod in ipſa influxum eſt, illi pemiſcemus aliquod adſtringens, ſeu corroborans; in partibus verò corporis, quæ non exercent officia pro alijs partibus, quamuis reſoluatur robur, non eſt ita periculoſum, vt notat Gal. loc. cit.

Dum verò dicit, Attalum Medicum nõ fuiſſe cauſam mortis Theagenis Cynici; reſpondemus, quòd ſaltem celerrimæ mortis cauſa fuerit; quia probatum eſt, digerentia ſine adſtringente medicamento vires affectæ partis reſoluere; citius enim moritur æger, in quo vires citiùs reſoluuntur.

3 Dub. Galen. vult, adſtringens medicamentum eſſe ex genere aromatum, quod ſcilicet habeat à natura duas inſitas virtutes, quod tamen in praxi non obſeruatur; Medici enim & priſci, & moderni componunt inira arte medicamentum corroborans; accipiunt enim adſtringens, & vehiculum; quod habet partes tenues, & ſubtiles, ſicuti ſunt cyperi, calamus aromaticus, &c. quæ ſimul permiſcent; ergo non obſeruant Gal. præceptum quod ſcilicet corroborans habeat duas virtutes à natura inſitas; cum ab arte id fiat.

Reſpondetur corroborantia, quib. medici vtuntur, habere duas inſitas naturas, cuiuſmodi sũt calamus aromaticus, cyperus, maſtix, & abſynthium, & in his cõtinetur vis adſtringens, & aromatica ſubtilis, & penetrans; quare medici practici, vt obſeruent Gal. præceptũ vtuntur adſtringente corroborante, quod habeat inſitam virtute ſubtilem, & boni odoris; tale eſt quoque præter ſupra dicta, acetum, quod vim adſtringendi, & penetrandi obtinet, & omnia, quibus utimur ad corroborandum; ſed qui uult plura, legat Galen. 8. de comp. medic. per loca cap. 7. ubi proponit plura ex ſententia Andromachi, quæ iecur corroborant, ibique ipſe Gale. (obiter dictum ſit) putat inter corroborantia iecoris uuas paſſas collocari.

CAPITIS XCV.

Particula XIII.

Tex. 74. *Et quidem euacuetur, quod præter naturã in membrum confluit. Seruet autem humorum modum natura conuenientem. Quare*

re, & illa animaduerſio à nobis eſt adhibẽda, ne quid ab humoris conſluentis qualitate, eiuſdem mẽbri tẽperies ſit alterata: ſi pituita naturam tenuerit, ad frigiditatẽ ſi verò bilis, ad caliditatem, vt hanc ipſam curantes intemperiem ſanitati reſtituamus. Curabimus autem contrariam ex aduerſo afferentes qualitatem, quemadmodũ intemperaturarum curationibus diximus, quantum vnumquodque calidius, aut frigidius factum eſt, tantum refrigerantes, aut calefacientes. Quare hic rurſus agnoſcenda eſt ipſius ſecundum naturam tẽperies. Nam quo pacto ſciemus quantũ in frigiditate ac caliditate à natura modo receſſerit, aut quando à frigefaciendo ſuperſedebimus. ſi nos latuerit ea, quæ eſt ſecundũ naturam caliditas? Ità verò & frigidius effectum calefaciemus ignorantes frigiditatis naturalis modum: neque opportunè calefacere, neque in tempore à calefaciendo deſiſtere poterimus.

INtentio Gal. in hoc c. erat ſub exemplo multitudinis ſanguinis in aliquam partem confluxi, & in hepar præcipuè, admonere omnes indicationes, quæ colliguntur non ſolùm à confluxo ſanguine in hepar; ſed etiam omnes quę colliguntur à quovis humore efficiẽte aliquam anguſtiam præter naturam.

Verùm, quia humor confluxus calidus, & bilioſus imprimit ſuum calorem in partem humore grauatam, & intemperiem calidam efficit: humor verò frigidus, & pituitoſus efficit intemperiem frigidam.

Ideò Gal. in hoc tex. videns, quod ſemper, dùm influit humor in aliquam partem, efficiatur aliqua intemperies ſimilis humoribus, admonet in omni confluxu eſſe ſumẽdam indicationem ab intemperie partis facta, & relicta ab ipſo humore meritò tamen vltimo loco poſt ſcilicet factam euacuationem, reuulſionem, repercuſſionem, & digeſtionem humoris confluxi, docet, intemperiem partis eſſe auferendam: quia hęc intemperies ab humoribus dependet, eo modo quo effectus à ſua cauſa, qui nõ tollitur, niſi auferatur cauſa: quo fit, vt Gal. 4. meth. 4. loquens de vlceribus dicat, vlcerum, quæ à cauſa fiunt, ſi cauſa adhuc manet, prius à cauſa curam eſſe auſpicandam. Similiter 7. method. c. 12. dicit eſſe impoſſibile, vt aliquis affectus ſanetur, manẽte adhuc cauſa, vnde natus eſt affectus: itidem 10. meth. c. 1. docet in morbis dependentibus à cauſa, indicationem, quæ ſumitur à cauſa, eſſe primam, & deinde factum morbum eſſe abſcindendum: ecce quomodo eſt impoſſibile, vt intemperies membri humore grauati auferatur non ablato humore, qui eſt cauſa efficiens illius intemperiei.

Hinc miror illorum abuſum, dùm in hepate humore repleto prius volunt auferre intemperiem, quàm humores in ipſo contentos, quod poſtremo loco eſſet faciendum; prius enim oportet totum euacuare, deinde reuellere: tertiò repercutere, & quartò reſoluere quod impactum eſt; quo reſoluto, docet in hoc loco Gal. eſſe amouendam intemperiem relictam ab humore peccante: Miror ſimiliter. dùm in hepatis cachexia, & hydrope prius volunt auferre intemperiem, quàm humorem contentum in hepate, vel in cauitate abdominis: prius igitur eſſet totum corpus purgandum, & deinde pars affecta ab humoribus præter naturam liberanda, & demum intemperies relicta corrigenda.

In hoc tex. tria facit; primò admonet poſt euacuatum humorem confluxum eſſe auferendam intemperiem ab humore paulò ante introductam: quę verò ſit hæc intemperies relicta, facilè cognoſcitur) vt ait Gal.) quia ſi humor erat calidus, intẽperies relicta erit calida, ſi frigidus, & pituitoſus, frigida; ſecundò dicit, quod intemperies contrarijs remedijs curabitur, ſeruata ea norma, vt quanta ſit intemperies, tantum debeat eſſe remedium: exẽpli cauſa, ſi intemperies erit calida vt duo remedium debet eſſe frigidum vt duo, & ſic de alijs: tertiò nos docet, quomodo dimetiri poſſimus quantitatem, & vehementiam caliditatis, vel frigiditatis intemperaturarum; dicitque tantam fore intemperiei quantitatem, ſeu vehementiam, quantus eſt receſſus à ſtatu naturali exempli cauſa, ſi hyeme ſenes ardenti febre corripiantur, dicimus eos maximè illos diſtare à ſtatu naturali; ſimiliter remedium pro debellanda hac ſenum febre eſſe oppoſitum & valdè diſtans à ſtatu naturali; hoc verò eſſe frigidiſſimum, quod mi-

mirificè conferret;niſi eſſent prohibentia quæ ſunt ætas ingraueſcens,caloris natiui paupertas, & anni tēpus. Simili modo ſi iuuenes bilioſi media æſtate ardenti febre præmantur, dicimus, receſſum eſſe paruum, neque indicari potentiſſima refrigerantia,vt Medici plebei putant.

Qui vult diſtinctè in omni morbo pernoſcere quantitatem receſſus,debet ſumma induſtria conditiones partium affectarum,& ægrotantium perpendere. De partibus affectis Gal.13. meth. cap.20.admonet,ſi quis adimat indicationē à parte deſumptam, addiſci totam medicinam ſex diebus;conditiones verò conferentes pro cognoſcenda quantitate receſſus à ſtatu naturali ab Hipp. Gal. & Auicenna deſumuntur: à Gal. 2. ad Glauc. 2. & ab Hipp. 1. aph. 2. hæ proponuntur; natura ægri,ætas,tempus anni, regio, morbus, præſens conſtitutio;robur,habitus, & cōſuetudo;ab Auic. 4. primi c. 3. & alibi hæ proponuntur:ars,ſeu exercitium ſolitum cauſa,locus,ſymptomata,ſimiles morbi, proprietates morbi,mos,motus,repletio, pulſus,excrementa,animi mores,figura, iuuantia & lædentia;ſed nos in lib.de falſa experientia,qui eſt 12.meth. noſtræ diſtinctius de his egimus.

Nos vtimur quatuor inſtrumentis, quibus reddimur certi de quantitate receſſus;quorum Primum eſt pulſilogium à nobis inuentum, quo quotidie quantum qui recedat ab optimo ſuo ſtatu cognoſcimus. Secundum, idem cognoſcimus per motū pilę plumbeæ penſilis filo qua quiſque filo commota, & magis, vel minus elongata obſeruare poterit naturalem pulſus motionem,& receſſum à naturali; verū nos mira induſtria ex puſilogio dimetimur motus,& quietes arteriæ,collationemque facere poſſumus cū pulſibus præteritorum dierum. Tertium inſtrumentum eſt quo per ſtaticas obſeruationes varios receſsus à ſtatu naturali penetramus. Hic tamen non eſt locus, vt de Staticæ artis arcanis aliquid dicamus, quia in lucem quadringētos aphoriſmos de Staticis experimentis edidimus.Quartum, quod mirificè quodque iuuat, eſt quoddam vas vitreū, quo poſſumus metiri non ſolum aeris, ſed cuiuslibet partis corporis temperaturam, & quantus quotidie fiat receſſus à ſtatu naturali: de quo egimus ſuperius.

1 Dub. dicit Galen. quod ſumenda ſit indicatio poſt confluxum humorem ab intemperie partis relicta ab humore qui antea opprimebat partem: contra ſic argumentamur; ablata cauſa aufertur effectus; at intemperies, quæ pendet ab humore confluxo eſt effectus, ergo tolletur ad ablationem cauſæ; vt quid igitur Gal. vult ſumere indicationem poſt ablatum humorem ab intemperie? qui eſt effectus dependens & qui ad ablationem humoris ceſſare debet?

Reſpondetur,quod ablata cauſa aufertur effectus,qui ſolum eſt in fieri: ille verò qui eſt in facto eſſe non tollitur:exempli gratia, ſi quis gallica lue adeò opprimatur, vt os narium corrumpatur, hic affectus pendet à tabo gallico, tamen poteſt eſſe,vt auferatur adhibitis optimis remedijs tota lues gallica; quæ corrupit os narium, oſſis tamen narium corruptela perſeuerante: ecce quod nō ſemper ablata cauſa ceſſat effectus: eodē modo dicimus de intemperie relicta ab humore cōfluxo, & nuper expulſo;hic enim humor introducere poteſt intemperiem adeo efficacem,vt illo ablato,nō propterea ceſſet intēperies facta; quare dicere poſſumus, affectus pendentes à cauſa eſſe trium generum, nonnullos eſſe ſolum in fieri, & hos cauſa ablata ſtatim ceſſare;nonnullos verò partim eſſe in fieri, & partim in facto eſſe, ſed quod factum eſt non agere altas radices, & hos, ablata cauſa naturā ipſam illicò ferè depellere,nonnullos verò dicimus,eſſe affectus, qui ſunt in facto eſſe,& altas radices habere,qui non tolluntur ad ablationem cauſæ; iſtos autem dicimus eſſe duum generum, aliquos ſcilicet medico auxilio, curari,vt eſt intemperies relicta ab humorum confluxu;aliquos demum eſſe incurabiles,ſicuti dictū eſt de teredine oſſis ethmoidis corrupti à lue,& de alijs.

2 Dub.dicit Gal. in tex. quod quantum aliquod membrum ſit redditum calidius, tantum etiam ſit refrigerandum; exempli cauſa,ſi intenperies erit calida vt duo, remedium auferens illam erit frigidum vt duo. Hæc animaduerſio Gal. videtur vana ob duplicem rationem, prima quia frigi-

frigidum ut duo non eſt æqualis uirtutis cum calido ut duo, primum enim actiuorum eſt calidum,& non frigidum; ſecunda;eſto, quod frigidum ut duo ſit æqualis uirtutis cum calido ut duo, negamus tamen, quod ab agente æquali proueniat actio.

Reſpondetur,quod Medici officium in auferendis intemperaturis non eſt ſuperare uerbi gratia calorem,ſed moderari, & contemperare, quod fit miſcendo frigidum cum calido; quare caliditati excedenti ſi miſcebitur frigiditas tantundem excedens,& è diametro oppoſita, cõtemperabitur eo modo, quo aqua feruens ab aqua frigidiſſima temperata fit;quare argumentum eſt nullum; quia procedit de remotione caloris per uictoriam agentis, quam medici nunquam cõſiderant, quia illa uictoria eſt læthalis, & deleteria; munus.n. medici eſt permiſcendo qualitates commoderationem efficere, quæ eſt omninò oppoſita uictoriæ agentium.

3 Dub. dicit Gal. quantùm aliquis calidior factus eſt, tantùm eſſe refrigerandum,ut reſtituatur ſanitati, ſed quomodo medicus uocatus ab ægrotis poterit ſcire eorum ſtatum naturalem, cum tempore ſanitatis illos non uiderit?

Reſpondet Gal. 1. ad Glauc. huic dubitationi,quod propterea medici melius ſanent ęgrotos,in quibus tempore ſanitatis obſeruarũt pulſus,urinas,& mores; ſi uerò contingat, ut æger à medico nõ ſit ante cognitus,poterit aliqua coniectura penetrare ſtatum naturalem. Ego uerò ſi antea nõ fuerit mihi notus æger,uſu quatuor inſtrumentorum propoſitorum paulò ſupra manuducor ad cognoſcendum, quantus poſſit eſſe receſſus,& quanta remediorum doſis;quamuis fatear cum Galen.3.meth.7. & 1.ad Glauc. eſſe impoſſibile, ut illud ultimum & ſpecificum quãtum à medico penetretur; meritòque ibi dicit; ſi ego ſcirem illud quantum agendum,talem me reputarem, qualem fuiſſe ferunt Æſculapium.

CAPITIS XCVI.

De remedijs morborum in numero.

Tex. 75. *Sed quoniam de his ſatis diximus, tranſire iam tempus eſt ad ea, in quibus numerus non eſt ſecundum naturam. Quum verò duplex ſit eorum differentia,quibus quidem aliqua particula deficit,his intentio eſt alteram efficere ſubminiſtrando natura, eo quo diximus paulò ante. At quibus ſuperabũdat,hãc reſecare oportet,aut ferro,aut igne, aut medicamine, quod vrendi vim habet. Hae igitur omnia ſanare poſſibile eſt:at non æquè omnia generari poſſunt, vt in lib.de ſemine, diximus. Quædam verò ſunt, quæ & ſi generari non poſſunt, licet tamen pro ijs alterum efficere, quemadmodum in oſſe ex toto ſublato,alteram ſubſtantiam in eius ſede reponere,à carne,atq; oſſe differentem. Eſt enim quæ in eius gignitur loco quædã veluti caro calloſa,vel callus carnoſus,& proceſſu temporis magis ac magis ad calli duritiem transfertur, cum ab initio carnis potius imitetur naturam. Quacunque parte ſublata cum neque eandem ſecundùm ſpeciem ſubſtantiam,neque ſimilem efficere poſſumus, tertia nobis intentio quemdam decorem inuenire, quemadmodum in mutilationibus.*

IN capite ſuperiori Galenus cœpit agere de remedijs aſperitatis, & lenitatis, qui ſunt affectus pertinentes ad malam conformationem;deinde de remedijs affectuum in anguſtia pendentium ab humorum affluxu; & exemplo multidinis ſanguinis in hepar confluxi omnes indicationes declarauit, quæ deſumuntur ab hepate, & ab aliqua alia parte humoribus obſeſſa.

In hoc ca. ut omnia in hoc libello ſummo ordine proponat, & nihil prætermittat, agit de morbis in numero; id tamen docet breuiſſimis uerbis; quia Galen. ſuperius, dum ageret de uitijs ſanorum, egit quoque de uitijs in numero; neque propterea hic eſt ſuperfluus,ut cenſet Argẽterius; quia ſuperius loquebatur de uitijs in numero ſpectantibus ad corpora ſanorum; Hic uerò ad ægrorum; eundem ordinem quoque ſeruauit lib. de morborum differentijs cap.8.

Cæterum, morbi in numero, uel ſunt in defectu,ut dùm deficit dens, naſus, labium &c. uel ſunt in exceſſu,ut ſextus digitus,polypus, ſuffuſio, lumbrici, grando in oculo,acrocordones, calli &c.

Quo ad morbos in numero, qui ſunt in exceſſu docet Gal. unicum remedium,

quod inſeruit pro omnibus morbis in numero auferendis, quod eſt reiectio, quæ fit, vel inciſione cum ſcalpello, vel igne actuali, vel potentiali: per ſcalpellum intelligimus quodcunque inſtrumentum, quod habet vim abſcindendi, ſit ferrum, aurum, vel ex alio metallo confectum, propterea Leonicenus nō bene vertit dictiones, διὰ σμίλης ἢ διὰ πυρὸς, ideſt ferro, vel igne, quia oportet vertere ſcalpello, vel igne; σμίλη enim ſignificat ſcalpellum ex quouis metallo factum: imò per ſcalpellum debemus intelligere quodcunque inſtrumentum, quod abſcindere poteſt: per ignem actualem intelligimus metallum aliquod ignitum: Ariſt. probl. 25. vult hoc inſtrumentum ignitum, quod tollit ſuperfluum, eſſe factum ex ære: Auicen. 4. primi ex auro: communiter tamen ex ferro laudatur: per ignem potentialem intelligit Gal. cauſtica, de quibus hic non eſt agendum: plurimi enim Auctores agunt de inſtrumentis, quę abſcindunt: Fallopius tamen lib. 1. de vlceribus c. 13. fusè, & admodum diligenter de his agit.

Verum, quia non ſemper morbi in numero poſſunt inciſione auferri; ideò docet, quod loco inciſionis fit confugiendum ad tranſpoſitionem, ſicuti dùm catarracta eſt in oculo, vel dùm lapis in veſica occludit colli orificium, & impeditur tranſitus vrinæ: catarrhacta acu tranſponitur: lapis verò candela, vel ſirynga.

Quo ad morbos in numero in defectu tria proponūtur à Gal. remedia: primum eſt vt reſtituamus partem ablatam: ſecundum, ſi non poteſt reſtitui, curandum eſt, vt alteram eius loco natura efficiat: veluti dum os eſt ablatum, natura eſt illa, quæ efficit callum, qui differt ab oſſe: tertium remedium, ſi altera à natura non poteſt fieri, à medico proponitur aliquid, quod imitetur naturam: ſicuti dùm qui carent dentibus, ſibi accommodāt fictos, vel qui carent naſo, vel labio, fictum naſum, vel labium ſibi parant ex cera, ſcilicet, vel ex ligno: niſi vellent pati: vt per inciſionem in brachio factā, noua caro gignatur, & nouus naſus, & nouum labium carne fiat, de quo modo ſuperius egimus.

Quòd verò ex ligno, vel ex cera debeāt apponi labia, & naſi, legamus Gal. 4. meth. ca. 18. vbi habet ferè hæc verba; *Si decurtata sūt, quæ in naſo, vel aure, vel labio*, dicit, *quòd his adijcienda ſunt, quæ deficiunt: poſteaquam non eſt poſſibile ab integro illa reficere*. Sed quia de affectibus in numero poſt particulam quartam 87. c. fusè egimus, & præcipuè in illa quæſtione, quæ inſcribitur, ad quem morbum reducatur lapis in veſica, non eſt, vt quę ibi dicta ſunt, iterum repetantur.

1 Dub. Gal. docet morbūm in numero excedentem tolli igne, ſcalpello, aut medicamine, quod habet vim vrendi: quæ Gal. diuiſio non videtur ſufficiens: quia carnes excreſcentes tolli poſſunt filo ex ſerico; hic modus auferendi ſuperfluum, neq; reducitur ad ſcalpellum, neq; ad ignē potentialem, vel actualē; ergo diminutus.

Reſponderi poteſt, ſericum incidere, & ſecare, quare ad ſcalpellum reducitur; ſub nomine σμίλης, non ſolùm intelligitur ferrum incidens, ſed quodcunque inſtrumentum habens facultatem incidendi, ſit ex ferro, & ex auro, vt Auicennas, vel ex ære, vt Ariſt. loc. cit. docet, vel ex ſerico, dummodo incidat, & ſecet, reducetur ad σμίλην, ſiue ad ſcalpellum.

2 Dubit. lumbrici ſunt morbi in numero, tamen neque ſcalpello, neque igne actuali, vel potentiali tolluntur; ſed medicamentis amaris, & acribus; ergo Galenus eſt diminutus.

Reſpondetur, lumbricos non eſſe propriè morbos in numero; quia alibi ex Gal. morbi in numero pertinent ad partem viuentem patientis.

3 Dub. Gal. lib. 1. de ſemine c. 13. docet ea, quæ non regenerantur eſſe ſpermatica, ideſt fieri ex ſemine, tāquam materia, & efficiente: Ariſt. tamen 1. lib. de generatione animalium c. 20. & alibi docet, mēbra generari ex menſtruo, & nō ex ſemine; quia mulier non habet ſperma: addit, quod ſperma viri non poteſt eſſe materia, ex qua membra fiunt, ſed ſolùm eſt efficiens. Præterea eſto cum Galeno, quòd ſperma eſſet non ſolùm efficiens, ſed etiā materia: quomodo ita pauxillum poterit pro omnibus partibus ſpermaticis tantùm materiæ ſuggerere? quare non ſolū Ariſtoteles reluctatur opinioni, quam ſuſtinet Galenus, verùm etiam ratio ipſa.

Reſpon-

Reſpondetur, antiquam eſſe eam diſceptationem inter philoſophos, & medicos: philoſophi enim peripatetici putant in ſemine ſolùm eſſe cauſam efficientẽ, & nõ materialem: medici verò vtramq; cauſam.

Ad rationem dicimus in prima generatione ſufficere pro gignendis ſpermaticis particulis minimam ſeminis quantitatem quia genitæ partes ſpermaticæ augentur non a ſemine partis, ſed à ſemine, quod continuò generatur ab ipſiſmet partibus ſpermaticis, quæ & ipſæ habẽt vim tranſmutandi pabulum, quod attrahunt à ſanguine matris in naturam ſeminalem, quà nutriuntur. Similiter in adultis fit, dùm eorum oſſa, nerui, & alia ſpermatica vniuerſa à ſemine in ipſis, & ab ipſis genito nutriuntur. Sicuti enim ſanguis defertur ad teſtes, & albeſcit, & fit ſemen, & teſtes illo nutriuntur, ſimiliter dicimus, deferri ad oſſa, & neruos, & in his albeſcere, & fieri ſemen, quo ſpermatica aluntur; dicit tamen Gal. lib. de ſemine, in adultis non colligi tantam copiam ſeminis, quæ ſuffi ciat ad regenerationem ſpermaticarum: ecce quòd a ſpermaticis partib. ſemen fit.

Addit tamen Gal. in tex. quòd licèt in adultis quædam partes ſpermaticæ non poſſint regenerari, tamen altera ſubſtantia fit, & hæc eſt callus, qui dicitur porus ſarcoides, ideſt carnoſus, qui vnitos, uel neruum abſciſſum.

4 Dub. dicit Galenus, morbos in numero excedentes tolli reſectione, quod videtur inconueniens: quoniã ſextus digitus eſt morbus in numero, tamen non eſt reſecandus; ergo remedium propoſitum à Gal. eſt improprium.

Reſpondetur, quòd ſextus digitus non ſit morbus, quia non lædit actionem. Similiter vngula in oculo, niſi ſit ità magna vt impediat viſionem, non eſt morbus; quare reſectio non conuenict: dicimus igitur Galenum propoſuiſſe reſectionem pro auferendis morbis in numero, ſed ſextum digitum non eſſe morbum; quia non lædit actionem.

5 Dub. Gal. vbi agit de vitijs ſanorum in numero admonet eſſe impoſſibile, ut pars inſtrumentalis regeneretur: attamen lib. 1. de ſemine cap. 13. dicit venas, & arteriolas ſectas & diuiſas in pueris regenerari poſſe.

Reſpondet. Galenum in hoc lib. intellexiſſe de illis partibus inſtrumentalibus, quæ non ingrediuntur compoſitionem aliarum partium inſtrumentalium, & tales ſunt manus, naſus, auricula, pedes, &c. venæ uerò, & arteriæ non ſunt huiuſmodi: quia componunt organica, & de his non intellexit.

6 Dub. uidetur, quòd naſus, & auricula præciſa regenerari poſſint, ut teſtatur Falloppius his uerbis lib. de uulnere ſimplici c. 7. *Ego aliquando ſanaui quendam, cui amputatus fuerat ferè totus naſus, ità vt ſola tenuis pellicula remanſiſſet. His quoque diebus conglutinaui auriculam cuidam Flandro, vt veſtrum plures norunt, licet auricula penderet a pellicula tantum conglutinata tamen eſt:* ſubdit Falloppius: *Si cuipiã amputaretur naſus, & acciperetis naſum alterius eodem ferè tempore ab eius facie reſectum, ità vt ſpiritus nõ euanuerint, & apponeretis, credo quod cõglutinaretur propter ſpiritum, & facultatẽ, quæ remanſit; & ſic ex naſo vnius reſtitui poſſet naſus alterius.* Et hæc eſt cauſa, quòd neruus, & uena reſecta uniuntur; quia ſpiritus illius partis non euaneſcit, ſicuti quando abſcinditur manus, uel alia pars externa. Demùm pars organica, ut naſus, & labium poſſunt ab integro regenerari; quia non deſunt artifices, qui facta inciſione in brachio ex carne uiua nouiter genita, iterum naſos, uel labia efficiunt. His poſitis errat Galenus dum dicit eſſe omninò impoſſibile, organicas partes regenerari.

Reſpondetur, quòd Galen. dùm dicit partes organicas diuiſas non poſſe amplius uniri, & regenerari, intelligat de partibus organicis omninò ſeparatis, vbi nec ſpiritus, nec facultas per pelliculam poſſet, ſeparatis partib. cõmunicari: dum verò cenſet Falloppius ex naſo vnius reſtitui poſſe naſum alterius, dicimus id neſciri, niſi aliquis prius experiatur: ſed eſto, quòd poſt abſciſſionem naſi, uel labij aliquis illicò apponeret naſum, vel labiũ credimus illum naſum, uel labium iterum appoſitum eſſe ſimilare, & non organicum: ſicuti etiam dicimus de naſo, qui fit per applicationem nouæ carnis genitæ per brachij inciſionem.

CAPITIS XCVII.

De Remedijs Morborum in magnitudine.

Tex. 76. *Communicat autem hoc genus totum cum eo, quod ad magnitudinem pertinet. Nam quodcunque ex eo eſt ſecundum naturam, illi propinquum exiſtit. Id verò tantum ſeiunctum eſt, ac ſeparatum, quod inter ea, quæ ſunt è genere non naturali connumeratur: in quo quidem prima intentio eſt ablatio: ſi verò hæc impoſſibilis exiſtat, ſecũda eſt trãſpoſitio, quemadmodum in ſuffuſionibus. Quæcunque verò non integris partibus, ſed partium tantummodo particulis deficiunt, aut excedunt naturæ modum: refectio quidem, vel generatio in his quæ deficiunt, ablatio vero, & abolitio in his, quæ ſuperabundant. Quare neque in ipſis altera intentio, neque medicaminum forma genere diuerſa.*

OMnes ferè Interpretes putant, Gal. in hoc cap. ſolùm agere de remedijs morborum in magnitudine; ſed reuera non ſolùm de remedijs morborum in magnitudine, verùm etiam de remedijs morborum in numero agit; quod quidem facilè probari poteſt, quia remedia, quæ proponuntur à Gal. in 1. parte capitis ſunt duo, aliud eſt ablatio; aliud uerò tranſpoſitio; at ſic eſt, quòd hæc duo remedia conueniunt morbis in numero excedentibus, ergo. Accedit, quòd tranſpoſitio, quæ eſt unum ex his duobus remedijs hìc propoſitis nullo modo magnitudini auctæ, uel diminutæ conuenire poteſt, ergo non agit in hoc capite ſolùm de remedijs morborum in magnitudine.

Nos tamen credimus in hoc cap. à Gal. tradi differentiam, & conuenientiam inter morbos in numero, & magnitudine; conueniunt, quia totum genus morbi in numero, ideſt, ſecundum ſuas differẽtias, quæ ſunt in numero diminuto & excedente, reducitur ad quantitatem, eo modo, quo morbi in magnitudine, tanquam ad commune genus reducuntur.

Differunt uerò, quia morbi in numero ad diſcretam; morbi verò in magnitudine ad continuam quantitatem pertinent differunt quoque, quia morbi in numero ſtant cum ijs, qui ſunt toto genere præter naturam vt lapis in ueſica, & catarrhacta in oculo, quæ acu argentea tranſponitur & polypus, qui nouacula ſeparatur, & lumbrici, qui amaris, ut aloe interficiuntur, & euacuantur, ecce quod aliqui ex ijs indicant ablationem; aliqui tranſpoſitionem; Morbi uerò in magnitudine non ſtant omninò cum ijs, quæ toto genere ſunt præter naturam; quia in his auferendis indigemus ablatione ſuperflui, & non totali ablatione, uel trãſpoſitione, quę ſolùm morbis in numero uidetur cõuenire.

Differunt ſimiliter, quia morbis in magnitudine aucta, ut auctæ carni ulceris conuenit reſectio, & ſeparatio à parte naturali, & ſana; morbis verò in numero conuenit aliquando totalis ablatio, vt lapidi in veſica.

Differunt ſimiliter, quia Galen. in hoc cap. proponit quatuor remedia pro morbo in magnitudine; duo ſ. pro magnitudine diminuta, quorum primum eſt refectio per alimenta, qua egent emaciati, & rabidi; ſecundum eſt regeneratio, qua egent caua vlcera. Similiter duo proponit remedia pro morbo in magnitudine aucta, quorum primum eſt ablatio, qua eget excreſentia carnis in vlcere; ſecundum verò eſt diminutio, qua egent corpora nimium pinguia.

1 Dub. Gal. docet, quòd pro magnitudine aucta duo ſint remedia ablatio ſcilicet, & abolitio; erat potiùs dicendum ablatio, & diminutio; quia abolitio, & ablatio idem ſignificant.

Reſpondetur, quòd verbum græcum, quo utitur Gal. eſt καθαίρεσις, quod ſignificat aliquando non totalẽ abolitionẽ ſed purgationem, uel diminutionem: καθαίρω enim ſignificat purgo & minuo; ideò in antiqua translatione rectè interpretabãtur loco abolitionis purgationem. Præterea dicimus, auctam magnitudinẽ dupliciter conſiderari, uel reſpectu totius partis ſanæ; & hoc modo hanc magnitudinem indicare diminutionem; uel reſpectu partis auferendæ, quæ eſt præter naturam: & hoc modo indicare abolitionem.

2 Dub. hoc caput inſcribitur de morbo in magnitudine; tamen dùm agit Gal. de remedijs morborum in numero; quæ

ſunt

ſunt ablatio, & tranſpoſitio, videtur quod hoc caput ſit de morbis in numero.

Reſpondemus ex dictis, quod Gal. agat in fine c. de remedijs magnitudinis diminutæ, & auctæ; non ne admonet, remedia pro diminuta magnitudine duo eſſe, alterum eſſe refectionem; quæ tabefactis, vſu optimorum alimentorum mirificè iuuat? alterum eſſe regenerationem, quæ in cauis vlceribus eſt in vſu? Similiter non ne pro aucta magnitudine proponit duo alia remedia, alterum, ſcilicet eſſe ablationem, quæ fit igne, vel erodentibus medicamentis, alterum eſſe diminutionem? corpora enim obæſa diminuto alimento, & exercitio reducuntur ad proportionatam magnitudinem.

Decipiuntur igitur nonnulli Expoſitores, qui putant erraſſe illum, qui librum hunc in capita diſtinxit, quia Gal. in hoc cap. non agit de morbo in magnitudine, ſed de alio genere morbi in numero, quod toto genere præter naturā eſt, quæ expoſitio nō poteſt defendi: quia Gal. in fine huius capitis propoſuit remedia morbi in magnitudine; vt paulò ſupra probauimus, & verba Galen. clariſſimè patefaciūt, vera igitur eſt expoſitio, quā ſuperius laudauimus, quod ſcilicet Gal. comparet morbos in numero cum morbis in magnitudine, & vtriuſque remedia tradat.

3 Dubitat. videtur, quod morbus in numero, & magnitudine non differant inter ſe, quia ſi per hypotheſim deficeret tota caro, vel os vnius partis organicæ, vel ſuperabundarent caro, & os, tunc eſſet morbus non ſolum in magnitudine aucta, vel diminuta; ſed etiam in numero, ergo morbus in numero, & in magnitudine idem ſunt.

Reſpondet Gal. in tex. morbum in magnitudine eſſe, dùm defectus vel ſuperabundantia accidit particulis partiū, quia ſi tota caro, uel os membri abundet, uel deficiat, dicetur morbus in numero, ſi uerò non totum membrum, ſed particula membri creſcat, uel diminuatur, dicetur morbus in magnitudine, non negando tamē, ſi totum corpus præter naturam creſcat, eſſe morbum in magnitudine: Hinc meritò reprehenditur Acachias, qui aliquando nō diſtinguit morbum in numero à morbo in magnitudine, ut in ſexto digito: dicimus enim tunc eſſe duplicem morbum, in numero ſcilicet, & magnitudine; quia per ſextum digitum, & numerus, & magnitudo manus augetur.

Errat, quia multi qui habent quinq; digitos non habent maiorē manum, quàm qui habent ſex digitos. Præterea Gal. lib. de differentijs morborum diſtinxit genus morbi in numero à genere morbi in magnitudine: Inſuper in fine huius cap. dicit, eſſe communitatem, & conuenientiam aliquam per morbos in magnitudine, & morbos in numero, quatenus ſcilicet ambo ad categoriam quantitatis pertinent: non tamen quod morbus in numero neceſſariò ſit morbus in magnitudine, ut malè interpretatur Acachias.

CAPITIS XCVIII.

De remedijs morborum in Situ.

Tex. 77. *Sed iam veniendum eſt ad reliquum ſalubrium cauſarum genus, quod ea corpora emendat, quæ in ſitu ſunt vitiata: veluti luxationes, & inteſtinum in ſcroto. Fit autem hoc ex violenta tentione, atq; impulſu. Hoc verò ex dilatato, ac rupto continente. Quare & duplex ſanādi modus, alter quidem ad oppoſitam partem ei à qua facta eſt permutatio intendendo, atque impellendo: alter verò id quod continet firmius ſolidiuſque reddendo. Quibus verò vijs, ac rationibus ſingula inueniri poſſunt, in libris de arte curandi explicauimus.*

IN Cap. ſuperiori Gal. declarauit remedia pro auferendis morbis in numero, & magnitudine: in hoc uerò cap. tradit remedia pro auferendis morbis in ſitu; & gratia exempli proponit duas ſpecies morborum in ſitu; prima eſt de luxatione; ſecunda de procidentia inteſtini in ſcrotum; cauſæ externæ luxationum duæ à Gal. proponuntur; prima eſt tenſio uiolenta; ſecunda eſt impulſus; duæ ſimiliter proponuntur cauſæ prolapſus inteſtini in ſcrotum; prima eſt dilatatio peritonei facta ob nimiam humiditatem laxantem; ſecunda eſt ruptura peritonei; ecce, quàm decipiantur, qui putant, herniam inteſtinalem ſemper fieri à ruptura peritonei; immò ut plurimū ob humiditatem peritoneum laxatur, &

diſtēditur ſimul cum inteſtino illud concomitāte vſque ad ſcrotū:quod verò duæ proponātur cauſę herniç inteſtinalis melius colligitur ex græco codice, quàm ex Latino Leoniceni,quia in latino legitur, quòd hernia inteſtinalis fiat ex dilatato, vt explicat Leoniceenus, ac rupto, nihilominus in codice Græco ſic legitur, τὸ δὲ ἐξ ἀνευρύνσεως ἢ ῥήξεως, ideſt hoc verò ex dilatato, vel rupto cum diſiunctione, quia duæ ſunt cauſæ prolapſus inteſtini in ſcrotum,altera eſt dilatatio,& altera omninò diuerſa à dilatatione eſt ruptura.

Notandum tamen, quòd dilatatio peritonei non ſemper fiat vitio peritonei, id eſt ob nimiam humiditatē, ſed aliquando fit vitio inteſtinorū, quatenus grauia ſunt, vel ob nimiam pinguedinem,vel ob nimiam excrementorum redundantiam; vnde fit, vt tenuitas peritonei non poſſit tantum pondus ſuſtinere: Qui igitur omnes cauſas paucis & methodicè vult colligere,ſic dicat, hernia inteſtinalis, & quicunque alius morbus, vt docet Gal. 3. de ſympt.cau.cap.1. fit vel ob læſam facultatem,vel ob errorem externum: error externus eſt nimia bibacitas, ſaltus, ſonus magnæ tubæ;& alia id genus; per læſam facultatem intelligimus,dùm inſtrumentum facultatis eſt læſum;quia facultas vt facultas nō patitur:ex Ariſt. in. 1.de Anima tex.65. ſi ſenex haberet oculum iuuenis videret vt iuuenis: inſtrumentum verò facultatis eſt conſtitutio peritonei,quç poteſt eſſe læſa ab ortu naturæ, veluti dū quis oritur ex patre hernioſo, quod dictum eſt de hernia inteſtinali in ſcrotum, eadem methodo dicimus eſſe procedendum in prolapſu vteri,& recti inteſtini.

Quo ad remedia admonet Galen. duos eſſe modos ſanandi morbos in ſitu: alter eſt tranſponendo membrum ad partem oppoſitam intendēdo,atque impellendo: ſed notandum, non eſſe faciendam tantā impulſionem, & tentionem, quanta fuit illa impulſio, quæ luxationem fecit; quia immineret periculum,ne excitaretur dolor conuulſiuus. Alter modus ſanandi eſt, vt reddatur illud membrum, quod continet partem prolapſam, firmius, & ſolidius. Hæc verò duo remedia propoſita cōueniunt omnibus luxationibus,& prolapſibus. Primum eſt reductiuum ad partes oppoſitas, ſicuti ſi dislocatio eſt verſus ſiniſtram, reductio debet eſſe verſus dextram partem: & ſic de alijs. Similiter in prolapſu, ſi inteſtinum eſt deorſum, reponitur ſurſum, quod eſt oppoſitum.Secundum remedium eſt ligatura,quæ quod repoſitum eſt firmius in ſuo naturali loco conſeruat; hoc verò remedium conuenit dislocationi,& herniç inteſtinali.

Admonet in fine capitis, in methodo, traditas eſſe vias,& rationes,quibus morbi in ſitu curari poſſunt. Hinc dignus reprehenſione eſt Argenterius mordens Galen. quia de omnibus ſpeciebus luxationis non egerit: non enim pertinet ad hunc locum exacta tractatio: quia hìc ſolùm intentiones communiſſimas proponit.

Eſſet in hoc loco agendum de morbis in figura,qui à luxationibus fiunt;quia de his Galen. facit mentionem;ſed quia egimus de his in explicatione c. 93. non eſt, vt acta repetantur: ibi enim nonnulla valde conferentia ad dignoſcendas,& ſanandas luxationes tradidimus.

1 Dub.Gal.docet in tex.inteſtina prolabi in ſcrotum,vel ob dilatationem, vel ob rupturam peritonei, tamen hernia inteſtinalis non ſolum fieri poteſt ob vitium peritonei continentis & ſuſtentantis inteſtinum, ſed etiam ob vitium contenti, dùm ſcilicet inteſtina quatenus ſunt pinguia, & grauia dilatare poſſunt peritoneum, alioquin ſanum:ergo.Gal. in tradendis cauſis prolapſus mancus, & diminutus videtur eſſe.Prçterea Gal.referens cauſas luxationū, dicit eſſe vel impulſionem,vel tentionē violentā,omittitq;alias cauſas,veluti dum ob materiam gypſeam in iuncturis contentam luxatio ſit; vel ob nimiam humiditatem vinculorum, quæ ſæpè adeo laxat,vt ſuccedat luxatio.

Argenterius propoſuit hæc dubia contra Gal. quæ adeò leuia ſunt, vt ſint medico indigna: quia inde conijcimus, Argenterium,neque ſcopum,quem Gal.ſibi propoſuit in hoc lib. intellexiſſe, neque quid Gal.intelligat per cauſas:non ſcōpū: quia Galeni mens eſt de communiſſimis intentionibus medicæ artis verba facere, & non de omnib.ſpecificis cauſis efficientibus:cui dubium, quod peritoneum poſ-

ſit

ſit dilatari à grauitate inteſtinorum, & à vitio alterius viſceris: ſatis enim eſt, quòd Galen. referat prolapſum fieri ob duplicem cauſam, quæ eſt, vel dilatatio, vel ruptura; neque erat conueniens vt cauſas dilatationis accidentalis proponeret.

Deinde Argenterius obliuiſcitur, quid intelligat Gal. per cauſas, quoniam ſupponit per cauſas intelligere cauſas morborum efficientes, tamen intelligit per cauſas ipſa remedia: ſi in hoc loco ex profeſſo auctor de cauſis morborum egiſſet, & nihil aliud dixiſſet, tractatio fuiſſet ridicula.

Ratio verò, cur non tractet de morborum cauſis, ipſemet admonet in tex. dùm ſe remittit ad libros methodi medendi. Præterea in lib. de differentijs morborum, & de articulis egit de luxatione, & de cauſis illius ſpecificis; Nullus enim eſt, licèt infimus Chirurgus, qui agens de cauſis luxationum diligentius, quàm Gal. non agat: quare miror Argenterium, quòd non viderit auctorem ſolùm capita communiſſima ſummo ordine propoſuiſſe, & eo fine, vt tota ars memoriæ cõmendetur: valdè quoque miror, dum putat Gal. in hoc lib. feciſſe totius artis compendium, quod eſt falſiſſimum, vt probauimus in prælectionibus: Gal. enim vocabat in limine libri hanc artem methodo definitiua traditam non compendium, ſed veluti compendium.

Ad dubium, dùm Galen. de externis cauſis loquitur, ideſt de impulſione & tentione violenta, quæ ſunt cauſæ luxationſi, & non remedia. Reſpondemus illas fuiſſe propoſitas non hoc fine, vt colligeret ex illis remedia; quia cauſæ externæ, vt paſſim in methodo nos docet, nihil indicant: ſed, vt promptè ſciamus, illum loqui de luxatione; lippis enim & tonſoribus eſt nota illa luxatio, quæ ab impulſione, vel tentione violenta fit. Idem de hernia inteſtinali dici poteſt.

2 Dub. Gal. in tex. quærens cauſas morborum in ſitu admonet eſſe has quatuor, tenſionem violentam, impulſionem, dilatationem, & rupturam partis continentis: cæterum iſtæ cauſæ non ſunt ex vſu artis, quia ex illis indicationes curandi luxationem, vel herniam inteſtinalem non poſſunt hauriri: ratio verò, eſt quia Gale. 3. meth. 1. declarans quid ſit illud, quod verè indicat, habet hæc verba; *Abſurdũ eſt aſſerere aliud eſſe quod indicat, & aliud quod curatur*; Prętere a 4. meth. ca. 3. dicit, nullam extrinſecam cauſam indicare; at ſic eſt quòd impulſio, & tentio violenta ſunt cauſæ extrinſecæ, ergo à Galen. non erant proponendæ.

Inſuper indicationes ſunt ſumendæ ab eſſentia, & ab effectu ſpecifico, & pręſenre, vt docet Gal. in meth. & lib. de optima ſecta; impulſio tamen, & tentio ſunt cauſæ extrinſecæ, præteritæ, & nõ preſentes.

Demũ Gal. 2. de temperamẽtis c. vlt. reprehendit illos, qui ex proprijs, & inſeparabilib. non procedunt; hæc ſunt verba; *In his omnibus peccant pleriq; medicorum ex eo, quòd proprias notas reſpuunt, atq; ad ea, quæ non perpetuò, ſed frequenter accidunt, conuertuntur*; Addimus nos minorẽ propoſitionem; at ſic eſt, quòd impulſio, & violenta tentio ſunt cauſæ morborum in ſitu extrinſecæ, ob quas non ſemper, ſed aliquando ſolùm fiunt luxationes; ergo malè Galen. videtur ſeruaſſe normas, & præcepta alibi tradita.

Reſpõdetur, Gal. propoſuiſſe iſtas cauſas externas, nõ vt indicaret remedia; ſed ſolùm, vt declararet de quibus morbis hìc tractet; voluit enim Gal. ſolùm admonere duo communiſſima remedia morborum in ſitu: neque eius intentio erat agere de cauſis morborum in ſitu, quia ſe remittit ad alios libros, vbi fusè de hac re egit.

Primum verò remedium communiſſimum, quod proponit eſt retrahere luxatũ os ad oppoſitam partem ei, à qua facta eſt permutatio, intendendo, atque impellendo; deinde facta impulſione partem reducere ad locum à quo exiliuit.

Signũ quod pars luxata ſit redacta, & optimè repoſita, eſt quidã ſonitus, qui auditur dũ reponitur. Secundũ remedium eſt, quòd id, quod continet mẽbrum redactum ad ſuum ſitum, conſeruetur ceratis, & ligaturis firmius atque ſolidius.

Inteſtinũ verò dũ reducitur ad ſuũ locũ, oportet, vt paulò ante æger ſedeat in aqua calida, & ſcrotum oleo amygdalino leniatur; Quæ præcepta non ſunt ita vana, & friuola, vt putat Argenterius; imo ſine illorum aſſidua obſeruatione luxati, vel hernioſi ſanari non poſſunt.

CAPITIS XCIX.

Particula I.

De Remedijs præſeruatiuis.

Tex. 78. *Conſequens eſt, vt ea omnia exequamur, quæcumque in ſuperiori ſermone dicere diſtulimus. Vocant autem eadem præſeruatiua. Eſt autem horum triplex ſecundum genus differentia. Prima quidem hominis qui integra fruitur ſanitate; Secunda verò eius qui non integrè valet: Tertia eius qui ægrotat. Primum igitur genus ad ſalubrem attinet artem, atque in duas, vt ante diximus, diuiditur partes: Secundã verò ad præſeruatiuam ſpectat; Tertium ad curatiuã.*

IN tertia parte huius libri artis paruæ Gal. ſibi propoſuit agendum de cauſis ſalubribus intelligens per cauſas ſalubres ipſa remedia. Verũ cum remedia aliqua ſint quæ conſeruent ſanitatem, aliqua verò, quæ illam efficiãt, hactenus egit, de remedijs conſeruantib. & de his, quæ efficiunt ſanitatem. Reſtat, vt Gal. agat de remedijs præſeruatiuis, quæ conueniunt corporib. neutris, & de cauſis ſiue remedijs reſumptiuis ſiue reficientib. corpora neutra conualeſcentium & ſenum: Ideò de præſeruatiuis agit in hoc cap. quo docet, quomodo ſint præſeruanda corpora neutra, ne in morbos labantur: In cap. verò ſequenti aget de reſumptiuis.

Hactenus verò miro ordine progreſſus eſt in toto hoc lib. quia omnia huius libelli arcana orta ſunt à breuiſſima definitione medicinę in limine libri propoſita, quę erat, quod medicina ſit ſcientia ſalubrium inſalubrium, & neutrorũ; egit.n. in prima parte libri de corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris; in ſecunda de ſignis omnium iſtorum corporum: conſequens erat, vt in hac tertia parte ageret de cauſis, i. de remedijs corporum ſalubrium, inſalubrium, & neutrorum, hæc autem pars diuiſa eſt in quatuor partes: in prima egit de remedijs ſanitatem conſeruantibus: in ſecunda de remedijs ſanitatem efficientibus; in tertia, quæ abſoluitur in præſenti cap. in quo agit de remedijs præſeruantibus corpora neutra, ne in morbos decidant; hæc autem pars medicinæ à Gal. lib. ad Traſyb. vocatur προφυλακτικὴ. i. præſeruatiuam corporum decidẽtiũ. In quarta de qua in c. ſequenti, agit de remedijs reficientibus corpora neutra conualeſcẽtium, & ſenum, quæ à Gal. inferius vocatur, ἀναληπτικὴ, ideſt reſumptiua corporum habentium (vt dicit Gal. lib. ad Traſyb. c. 71.) ſanitatem lubricam, & quæ vocatur in affectione.

Senſus igitur tex. hic eſt: conſequens eſt vt ea omnia exequamur, quæ in ſuperiori ſermone, ideſt in c. 88. dicere diſtulimus: quaſi dicat Gal. poſtquã egimus ſuperius de remedijs pertinentibus ad corpora ſalubria conſeruanda, & de remedijs pertinentibus ad inſalubria vt nunc, quæ ſunt illa quæ actu ægrotant, conſequens eſt, vt agamus in hoc loco de remedijs pertinẽtib. ad partem prę̨ſeruatiuam, ideſt de ijs, quæ prę̨ſeruant corpora neutra, ne in peius labantur: In cap. n. 88. Gal. diuiſit omnes cauſas ſalubres, i. omnia remedia hoc modo; alia ſunt remedia, quæ conueniũt intemperaturæ factæ; alia verò intemperaturæ, quæ adhuc fit; & alia intemperaturæ futuræ, quæ pertinent ad corpora neutra, ideſt ad partem præſeruatiuã, de qua Gal. ſibi propoſuit agendum in hoc loco: egit .n. ſuperius de remedijs curatiuis, & prę̨ſeruatiuis ſimul ideò conſequẽs eſt, vt hic agat de præſeruatiuis tantũ: dũ verò dicit; *Eſt autẽ horũ;* Repetit differẽtiam corporum, de quib. ſuperius propoſuit agendum, quaſi dicat, horũ corporũ aliqua ſunt ſana, & de his egimus in principio huius tertiæ ſectionis; alia verò ſunt corpora neutra, quę nõ integrè valẽt; alia verò ſunt, quæ ægrotant; egimus igitur de cauſis conſeruantib. ideſt de remedijs conſeruantibus corpora ſalubria; & de remedijs liberantibus corpora inſalubria vt nunc, quæ pars pertinet ad therapeuticam, ſeu curatiuam; reliquum eſt, vt agamus de remedijs præſeruantibus corpora neutra, ne cadant in peius, quæ pars pertinet ad prophylacticam, & de hac agit in hoc cap.

1 Dub. Gal. proponendo hanc differentiam primò enumerat corpora ſana, deinde neutra, & tertio loco ægra; tamen egit primò de ſanis, ſecundò de ægris; debebat ſecundo loco de neutris agere, quemadmodum ab initio agendum propoſuit.

Reſ.

Reſpondetur, quod in tractatu ſeruandus eſt ordo facilitatis; neutra enim non poſſunt intelligi, niſi intellectis extremis; at ſic eſt, quod ſana, & ęgra reſpectu neutrorum ſunt extrema; ergo.

2 Dub. Gale. agit in hac poſtrema parte libri de cauſis præſeruatiuis, & reſumptiuis; tamen in proęmio huius tertiæ partis libri non propoſuit agendum de præſeruatiuis, neque de reſumptiuis, ſeu reſtauratiuis, ergo; proponit enim agendum ſolùm de cauſis conſeruantibus, & efficientibus ſanitatem; quare tractatio hæc uidetur imperfecta.

Argenterius dum proponit aliquod dubium in ſuis commentarijs, nunquam illud ſoluit, ſed loco ſolutionis mordet Galenũ ſi omnes Commentatores ita feciſſent, arbitror, quod Hipp. Ariſt. & Gal. nomina ad hæc uſq; tẽpora obliuioni tradita fuiſſent. Accedit, quòd dubia, quæ negotium faceſſunt Argenterio, ut pluri mũ ſunt pucrilia & aniliter effutita.

Reſpondemus igitur nos, quod mira breuitate, & miro artificio Galen. uſus ſit proęmio huius tertiæ partis; quia, quæ ex ſe elucent ab ipſo omittũtur; non propoſuit in proęmio agendum de præſeruatiuis, & reſumptiuis cauſis; quia ſub genere efficientium cauſarum, ideſt remediorum conſeruantium, & efficientium ſanitatem, continentur remedia præſeruatiua, ideſt prohibentia, ne corpora neutra in peius cadant; quia qui cognoſcit extrema, cognoſcit & media; ſatis igitur erat, ut proponeret agendum in proęmio de remedijs conſeruantibus, & efficientibus ſanitatem; ſed melius, corpora neutra partim egent remedio conſeruante, & partim corrigente, ſeu efficiente ſanitatem; quia neutra mediant inter ſalubria, & inſalubria; ergo ſatis erat Gal. in proęmio proponere ſolum conſeruantes, & efficientes ſanitatis cauſas; quia qui cognoſcit extrema, cognoſcet & neutra.

Præterea ipſemet Gal. c. 82. loquens de omnib. remedijs ſalubrib. dicit, alia côuenire affectui in facto eſſe; alia affectui in fieri; alia uerò affectib. futuris, ita ut cõfecto proęmio ſemper diuidendo procedat, & miro artificio nos manu ducat ad notitiam eorum, quæ ſunt ab initio propoſita.

Hic igitur eſt modus explicãdi arcana methodi definitiuæ, quæ ſub illis tribus breuiſſimis nominibus, ideſt ſalubri, inſalubri, & neutro tota continetur.

Similiter in hac tertia parte ſub his duobus nominibus, i. ſub cauſis efficientib., & cõſeruãtib. ſanitatẽ uoluit cõtineri omnia remedia, quæ omnib. corporibus ſalubribus, inſalubribus, & neutris conuenire poſſunt; quare Argenterius, nec ſcopum, nec artificium huius libri unquã intellexit, quo non percepto, non eſt mirum, ſi in dubia friuola, & puerilia lapſus ſit.

3 Dub. Gal. confundere uidetur partem præſeruatiuam cum parte conſeruatiua, & effectiua ſanitatis; quia triplicem partem præſeruatiuam uidetur proponere; primã, quę hominib. integra ſanitate prędit is conueniat; ſecundã, quæ hominibus, qui non integrè ualent; tertiam ijs, qui ægrotant; ità ut ſub parte præſeruatiua collocet totam medicinam, quod nunquam alibi fecit; quia ſemper conſeruatiuam ſanitatis à præſeruatiua, & præſeruatiuam à curatiua ſeiunxit; ergo uel hic, uel alibi decipitur.

Reſpondet Pluſquamcommentator, Galenũ ſumpſiſſe uocabulum præſeruatiuum latius, prout ſcilicet comprehendit totam medicinam. Quæ reſponſio eſt uaniſſima; quia ubiq; Gal. diſtinxit has partes; imò in præſenti tex. eas diſtinguit, dicens, partem conſeruatiuam pertinere ad partem ſalubrem, neutram ad præſeruatiuam, & ægram ad curatiuam.

Argenterius nunquam cogitans ſolutiones, ſed ſolùm morſus, & obtrectationes; quod quidem eſt Philoſopho, & Medico indignum, Galenum reprehendit, dubium autem non ſoluit.

Reſpondemus igitur nos Gal. in text. non diuidere pręſeruatiuam partem in illam triplicem differentiam; ſed repetere differentias corporũ, quod ſcilicet aliqua ſint ſana, aliqua neutra, & aliqua ægra, ut inde colligat agendum de remedijs præſeruantibus corpora neutra, ne cadant in peius, quando uerò Gal. uoluit ſub unico nomine comprehẽdere totã medicinam, docuit lib. ad Traſyb. & lib. de cõſtitutione artis, totam medicinam comprehendi ſub correctione, quia neque ſaniſſimi homines poſſunt ita conſeruari, ut parua quædam uitia nõ fiant, nec aliqua corre-

ctione indigeant:homines.n.ægri curantur per correctionem vitiorum valdè recedentium à ſtatu ſaluberrimo; homines verò,qui non integrè valent, & quorum corpora in neutro ſtatu ſunt, præſeruantur,ne cadant in peius, corrigendo vitia non ita recedentia, vt ſenſibiliter lædant operationes; ecce quòd ſub correctione Galen. repoſuit totam medicinam: nunquam tamen inueniemus in Galen.quòd ſub præſeruatiua,vel prophylactica,quod idem eſt,contineantur curatiua, & conſeruatiua,vt cenſet in hoc tex.Pluſquamcommentator.

CAPITIS XCIX.
Particula II.

Tex. 79. *Hoc autē vniuerſum genus circa humores præcipuè negotiatur, quos neque lentos eſſe oportet,neque craſſos,neque aquoſos, neque plurimos, neque vehementer calidos, aut frigidos,neque mordaces, neque putredini obnoxios,neque veneni natura affines.Nam vbi aucti fuerint,generant morbos. Augentur verò nonnunquam eadem ex cauſa, qua eos ab initio generauit. Illud autem plerunque accidit, vt ſua alteratione inficiant eos,qui ſunt in corpore humores.*

IN ſuperiori tex.Gal.propoſuit agendum de remedijs,quæ præſeruant, ne corpora neutra labātur in peius. Tex.habet duas partes. In prima declarat circa quæ verſatur medicina præſeruatiua; dicitque de ratione partis præſeruatiuæ eſſe, exceſſus & malas humorum conditiones auferre. In ſecunda parte declarat quibus de cauſis augeatur humorum malitia.

Quo ad primam partem docet, quòd circa humores præſeruatiuum remedij genus verſatur, Medicumq; non poſſe alio modo præſeruare corpora neutra, ne cadant in peius, niſi prohibendo humorum malitiam,videlicet ne fiant lenti,vel craſſi,aquoſi,vel copioſi,vel nimium calidi,vel frigidi;mordaces, vel putridi, vel veneno affines; quia quando eſſent tales in exceſſu, innumerabiles morbi inde prodirent.

Modi verò, quibus medicus prohibere poteſt nimium humorum lapſum,vel exceſſum,tales ſunt, vt lenti tractentur detergentibus; craſſi incidentibus; aquoſi incraſſantibus;copioſi minorantibus; calidi refrigerantibus; frigidi calefacientibus; mordaces contemperantibus putredini obnoxij aperientibus; veneni verò affines bezoarticis. His modis poterunt præſeruari corpora neutra, ne in peius cadant.

Notandum, quòd genus remediorum curatiuorum non reſpiciat præcipuè humores; quia morbi manent facti, nullis exiſtentibus humoribus.

Similiter remedia non reſpiciunt morbos fientes,vt fientes:quia quod eſt in fieri nihil indicat; quo fit vt humorum peccantium conſideratio ſolùm pertineat ad partem præſeruatiuam: atque hæc eſt cauſa,quòd Gale. dicat vniuerſum genus præſeruatiuum circa humores negotiari, & meritò, quia malitia,uel exceſſus humorum non pertinent ad partem curatiuam, neque ad prohibendos fientes morbos, ſed ſolùm ad futuros præcauendos.

Quò ad ſecundam partem, *augentur verò,* malæ conditiones humorum viſcoſitas,craſſities, aquoſitas,abundantia, & quæ ſequuntur, augentur à cauſis illis, quæ ab initio illas generarunt; iſta verò cauſa generans, & augens humorum malitiam duplex eſt, alia eſt materialis, alia verò efficiens; quamuis impropriè dicta ſit cauſa materialis, quia materia non generat, ſed ex materia tanquam ex ſubiecto generatio fit. Si igitur de cauſa materiali loquamur, dicimus, lentorem, ſeu viſcoſitatem fieri ab vſu ciborum viſcoſorum,& potuum frigidorum, vt ex uſu piſcium,caſei,& eorum, quæ ex paſta conficiuntur. Similiter ex potione aquæ frigidæ.

Cauſa verò materialis craſſitiei humorum fieri ſolet ex vſu carnis uetuſti bouis, leporis, ceruorum, fungorum, boletorum,& ſimilium. Similiter ex uſu uini admodum nigri, & noui. Gal.enim 3. de loc. aff. 7. admonet vinum nigrum aptiſſimum eſſe ad gignendum humorem melancholicum, & craſſum; ceterum, quia egimus de ſex fontibus,qui per ſyndromen mira arte nos docere poſſunt craſſitiem, & uiſcoſitatem humorum pec-

peccantium, non eſt, vt, quæ dicta ſunt, repetantur.

Cauſę verò materialis coloris ſunt,ea, quæ calefiunt per ſe, vel per accidens, de quibus locis citatis abundè egimus.Idem dicimus de ijs humoribus, qui nimium frigidi fiunt.

Si de cauſa materiali putredinis loquamur dicimus eſſe eſculenta, & poculenta craſſa,& quę obſtruunt: idem dicimus de cauſa materiali illorum humorum, qui tandem veneno ſimiles fiunt.

Si verò de cauſa efficiente, & augente humorum malitiam loquamur, dicimus, virtutem debilem ventriculi, & hepatis eſſe in cauſa, quòd cibi tenuiſſimi, & temperatiſſimi conuertantur in ſuccos lentos, craſſos, & putridos: ſi verò virtus omninò debilis ſit conuertantur in ſuccos aquoſos, & crudos: ex Galeno enim lib.de facultatibus naturalibus habemus, mel ratione maioris, & minoris virtutis naturalis conuerti in bilem,& in ſanguinem:in ſene ſcilicet in ſanguinem:in iuuene verò in bilem.

Notandum tamen,vt dicit Gal. in tex. quæ aſſumuntur per os poſſe eſſe adeò mala,vt ſui alteratione in ſibi ſimiles cōuertant humores,qui ſunt in corpore,licèt boni,& optimi ſint: è conuerſo contingit, dum quis malis humoribus eſt oppreſſus,licèt comedat, & bibat temperatiſſima; quòd niſi aſſumat in minima quantitate,conuertet cibum temperatiſſimum in peſſimos humores,vel dicas in ſibi ſimiles: exempli gratia, ſi dominentur in corpore humores biliosi, & quis cibum temperatiſſimum paulò plus debito aſſumat, illum in bilem conuertet: ſi dominentur pituitoſi in pituitoſos: ſi putridi in putridos: ſi frigidi in frigidos: ſi veneni ſimiles in humores veneno ſimiles.

Fundamenta huius veritatis deſumuntur partim ab Hipp. & partim ab Ariſt. ab Hippocrate, dum dicit 2. ſect. apho.9. impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes: ab Ariſt. dum probat, quòd omne agens multiplicet ſemetipſum cōuertens in ſui ſimilitudinem materiam; quod non cognouerunt antiqui philoſophi:ignis enim efficit ignem,non quia ſegregat actualem ignē à materia, vt dicit Anaxagoras, vel quia congregat determinatos atomos,vt Democritus;ſed quia datur materia in potentia ad omnes formas, & agentia diſponentia ipſam, quæ efficiunt,quod non erat in actu.

1 Dub. dicit Gal. quòd pars medicinæ præſeruatiua verſetur circa humorum correctionem,ne ſcilicet fiant iuſto craſſiores, viſcoſiores, aquoſiores, copioſiores, &c. De ſex rebus verò non naturalibus ne verbum quidem fecit, quāuis ſuperius docuerit,ab vſu opportuno ſex rerum non naturaliū corpora præſeruari, quaſi quòd ſex res non naturales nō pertineant ad præſeruationem corporum.

Reſpōdetur,in parte præſeruatiua cōſiderari corpora neutra,quæ actu habent aliquam humorum malitiam: quia, niſi eſſent humores iuſto viſcoſiores,vel craſſiores,vel haberent aliquam ex malis cōditionibus relatis à Gal.in tex. non eſſent corpora neutra: ſex enim res nō naturales ſunt communes omnib. corporibus, quia poſſunt etiam corpora ſaluberrima ad ſtatū neutrū,& inſalubrē diſponere.

Præterea Gal.inquit in tex.partem medicinæ præſeruatiuæ verſari præcipuè circa humores:ecce quod dicit pręcipuè, neque negat in parte præſeruatiua conſiderari quoque res non naturales.

Inſuper ratio, cur præcipuè Gal. mentionem fecerit de malitia humorum, & non de ſex reb.non naturalibus, eſt, quia à rebus non naturalib. nulla ſumitur indicatio curatiua, vel præſeruatiua: indicationes enim deſumuntur ſolùm à morbis, vel ab humoribus illos efficientibus. Quæ cum ita ſint, Argenterij inſtantia vt vana,& irrita eſt abijcienda.

2 Dub. videtur, quòd ad partem præſeruatiuam pertineant potius exceſſus, qui fiunt in temperaturis, quàm in humoribus;quoniam, exceſſu illico ablato, corpora præſeruantur,ne cadāt in peius; quod cùm ità ſit, debebat Gal. præcipuè expendere temperaturarum exceſſus, & non humorum malitiam.

Argenterius proponit dubium prædictum: loco verò ſolutionis Gal. mordet; ſed miſer neque penetrat arcana,quæ in Gal.verbis continentur:neq;(quod indignum eſt expoſitore)legit textum, quem profitetur interpretari.

Re-

Reſpondemus & hanc dubitationem, & ſuperiorem eſſe puerilẽ; ratio eſt, quia Gal.in 2.parte tex.clariſſimis verbis profert ſuam ſentētiam dicens,cauſam, quæ ab initio generauit viſcoſos, & craſſos humores,eandem poſſe eouſq; malitiam humorum augere,quouſque morbos generet.

Sed dicat mihi Argenterius,an ne cauſa hæc generans viſcoſos humores eſt quoq; temperaturæ exceſſus; an ne humores viſcoſi frigidi fiunt à temperatura frigida, & calidi à calida, vt a cauſa efficiente? Præterea, an ne viſcoſi humores habent quoque originem, ſeu generationis augmentũ à ſex rebus non naturalibus? hęc ſunt certiſſima,& nemo eſt, qui dubitet,aerẽ calidũ efficere poſſe humores calidos,& mordaces:frigidũ frigidos & viſcoſos, & ſic de alijs cauſis, non naturalibus:quare Gal.non ſolum tangit humores, verum etiam temperaturas, & ſex res non naturales; vt quid igitur iſti Argenterij morſus?

Cauſa oſcitantiæ Argenterij ex eo pẽdet: quia dum exponebat Gal. verba, nil aliud cogitabat,niſi obtrectationes,quib. obcęcatus verba tex. clariſſima nõ videbat: hæc verba tex.ſunt. *Augentur verò nonnunquam eadem ex cauſa, quæ ab initio generauit.* At ex omnium conſenſu cauſa,quę ab initio generauit eſt temperatura, & ſex res non naturales, quæ in eandem generationem conſpirare poſſunt:ergo Gal.ſub nomine cauſę,non ſolum amplexus eſt humores,verum etiam temperaturas,& res non naturales.

Demum poteſt alio quoque modo reſponderi,dùm Gal.dicit præcipuè partem præſeruatiuã verſari in corrigẽda humorum malitia,intelligi magis præcipuè de humoribus, quam de temperaturis, quia dùm temperaturæ ſunt tali pacto læſæ,vt humores mali aggregẽtur, tunc corpora non ſunt præſeruanda, neque ſunt neutra; ſed ſunt inſalubria nunc; & ægra, de quibus in præſentia non loquitur Gal.

Poſtremò pręſeruatio ſumitur à cauſa, quæ reſpicit futura,& nõ à morbo,de ratione cuius hæc duo ſunt: alterum, quod ſit in facto eſſe: alterum verò, quod ſit pręſens,ſicuti ſunt intemperaturæ:agens igitur Gal.de parte præſeruatiua,quę reſpicit futura, nõ debebat conſiderare intemperaturas, ſed humores, qui poſſunt morbos parere,& qui,ſi auferantur,ęgritudines efficere amplius non poſſint.

3 Dub. Gal. enumerans malas humorum conditiones indicantes corpus neutrũ decidentię,omitrit alia humorum vitia, veluti,dum humores ſunt nimium pauci,& alia quoque plura.

Reſponſio eſt facillima:quia iam patet extrema omnia eſſe vitioſa; quare ſi humores in quantitate excedente indicant neutralitatem, idem quoque deficientes indicabunt;neque intentio Galen.in hoc lib.eſt artem medicam tractare illa prolixitate, qua in craſſiſſimis voluminibus totam medicinam declarauit.

4 Dub. Galen. in tex.vult, quòd partis præſeruatiuę officium ſit reddere humores moderatos,vt ſcilicet nec iuſto viſcoſiores,nec craſſiores, nec calidiores ſint, &c. ſed hoc præceptum non eſt commune vniuerſæ parti præſeruatiuæ, quia,dũ aliquis eſt veneno infectus, illum, dum volumus præſeruare, non humores, ſed ſubſtantiam,& temperaturam ſolidarum partium ad moderationem reducimus: quia virus occupat ſolida, & non humores: idem dicunt de rabie canina, à qua ſi velimus præſeruari, oportet non humores corrigere, ſed præcauere ne ſolida inficiantur.

Reſpond. duobus modis: primò quod veneno,vel rabie infecta non collocẽtur inter corpora neutra,quia ſũt inſalubria nunc, ſeu valdè ægrotantia, de quib. hìc non agitur. Secundo reſpõdemus,Gal.in parte præſeruatiua non ſolum expendere humorum correctionem,ſed etiã cauſas generantes,quæ duum generũ ſunt, vt rectè admonet Pluſquamcom.aliquæ enim ſunt ſex res non naturales, aliquæ verò ſũt cauſę efficientes,& generantes, pertinentes ad corpora neutra, iſtæque ſunt temperaturæ ſolidarũ partium, quæ corrigi poſsũt. Demũ dũ docet Gal.quod ad partem conſeruatricem pertineat,humores reddere moderatos, dicimus Gal. conſiderare ſtatum neutrum humorum: quaſi dicat, non oportet humores eſſe adeò lentos,craſſos,aquoſos, & vehemẽter calidos; quia corpora in morbos ob illos exceſſus caderẽt:ecce quod Gal.ſup-

ponit

ponit humores vehementer calidos, vel frigidos, qui nullo modo cõueniunt corporib. ſalubribus, conuenire neutris decidentię, quæ neque ſalubria, neque inſalubria nũc vocari poſsũt. Inſuper in parte conſeruatiua medicinæ vtimur ſimilibus: in hac præſeruatiua contrarijs: quomodo igitur pertinebit ad conſeruatiuã id quod dicit Gal. de humoribus vehemẽter calidis, vt ſcilicet prohibeatur, ne vehementer calidi ſint? an ne calidi vehementer fortaſſe ſunt vehementer calidis tractãdi: nemo id aſſentiet: Demum dum dicit Gal. ſi augentur hæ conditiones humorum, quod in morbos incidant, intelligit de ſtatu neutro, & non de ſalubri; quare hi cauilli Argenterij adeò inſulſi ſunt, vt indigni ſint confutatione.

5 Dub. dicit Gal. in tex. quod pertineat ad partem præſeruatiuam præcauere, ne humores fiãt naturę veneni affines; quod ſtare non poteſt: quia inueniũtur homines ſaluberrimi, qui ſanè nullo modo in ſtatu neutro ſunt, qui tamen illicò contagio, vel veneno læduntur, & necantur: quomodo igitur defendi poterit Gal. dũ dicit partem præſeruatiuam ſolùm verſari in corporib. neutris decidentiæ? Accedit, quod tempore peſtis plurimi, qui peſſimo corporis habitu ſunt donati, melius præſeruantur, quam aliqui ſaluberrimi.

Reſpondetur, quod peſtis ſiue venenũ non agit virtute quatuor primarum qualitatum: ſed virtute aliarum qualitatum, quæ ſunt nobis incognitæ; quamuis re vera non ſint formæ, ſeu ſubſtantiæ immediatè operatrices, vt perperam ſubſtinent Gregorius Ariminenſis, Fernelius, Argenterius, & plurimi alij, quos lib. 8. meth. vitando. fusè reiecimus: quare cum dentur qualitates aliæ non pendentes à quatuor primis vocatis, arbitramur, quod corpora, quæ videntur ſaluberrima quo ad qualitates manifeſtas, dum illicò peſte corripiuntur, ſint conſtituta in ſtatu neutro, & & non in ſtatu ſalubri: natura enim nõ patitur ſaltus: neq; agẽtia agere valent, niſi corpora ſint diſpoſita: ſi igitur vir debilis nõ inficiatur peſte, & vir fortis in eodem loco degens, eadẽ peſte inficitur, & moriatur, dicimus cauſam huius eſſe, quia debilis, & infirmus careat illa diſpoſitione ad ſuſcipiendam peſtem, quã tamen vir fortis poſſidebat, & ob quam eius corpus reſpectu peſtilẽtiæ, vel veneni erat in neutro ſtatu; credimus tamen debilem illum hominẽ reſpectu plurimorũ morborum plures alias neutralitates habere, quã virũ fortẽ, raró tamẽ credimus addere poſſe, quod vir fortis citiùs inficiatur peſte, quam debilis; obſeruatũ enim eſt tempore peſtilentiæ infirmos; & debiles homines frequentiùs è viuis decedere, quàm valentes, & robuſtos.

6 Dub. in tex. dicit, quòd de ratione partis præſeruatiuæ ſit pręcauere, ne humores reddantur affines naturæ veneni, quod quidem dici non poteſt; quia officium prohibendi, ne humores putridi reddantur affines naturæ veneni, videtur pertinere ad curatiuam medicinæ partem, & non ad preſeruatiuam.

Reſpondetur, quòd in codice gręco legitur δηλητηρίους, .i. deleterios, δηλητήριον ſignificat perniciosum; ſed apud Hipp. in aphor. deleterium dupliciter vſurpatur, modò pro læthali, modò pro imminenti malo, quòd applicari poteſt neutris corporibus, tùncq; deleterium neq; læthale, neq; mortiferum dicitur: ſicuti dũm corpora neutra decidentiæ adeò ſunt præparara ad mortiferos affectus, vt quamuis adhuc ſana ſint, illicò deinde incidant in malignam, vel peſtilentem febrem.

Hinc errat Argenterius, dùm ſemper interpretatur δηλητηρίως venenoſos. Similiter errat Acachias qui per δηλητηρίως interpretatur peſtilẽtes; quia, & venenoſa, & peſtilentia non ad neutralitatẽ, ſed ad inſalubritatem nunc, quæ conſtituit corpora ægrotantia, pertinent. Non tamen reprehẽdimus expoſitionem Leoniceni, quia etiã corpora neutra poſſunt habere humores non actu venenoſos, ſed affines naturę veneni: omnes .n. qui ſunt ęgrotaturi ante ægritudinẽ ſunt affines ægritudini, ſed re vera deleterium non ſignificat a ffinitatem, ſed malum, quod præſens eſt, & minatur aliquam perniciem.

Colligas itaq; perniciosum, ſeu deleterium dupliciter conſiderari, vel in corpore neutro, vel in corpore inſalubri nunc: primo modo dicimus non eſſe valdè malum: ſecundo modo verò conſideratum, dicimus eſſe, vt plurimum læthale.

CAPITIS XCIX.

Particula III.

Tex. 80. *Intentio verò, & horum ſanationis duplex exiſtit alteratio, atq; euacuatio. Alterantur vel ab ipſo corpore concocti, aut ab aliquibus alijs facultatibus, quæ vim medicatiuam habent: è quorum numero etiam ſunt ea, quæ exitialium ferarum venenis aduerſantur, ac præterea pharmaca, quæ venena appellantur, tranſmutat.*

IN tex. ſuperiori docuit, quòd pars præſeruatiua medicinæ præcipuè uerſetur in auferendis, à corporibus neutris, quibuſdam prauis cōditionibus, ut ſcilicet, humores non ſint uiſcoſiores, ualdè calidi, uel frigidi, nec habeant aliquas ex illis conditionibus à Gal. in ſuperiori tex. propoſitis. In hoc tex. uerò docet remedia, quibus præſeruare poſſimus corpora neutra, ne in morbos labantur.

Diuiditur tex. in duas partes: in prima affert duo remedia, quib. præcauere, & præſeruare poſſumus corpora, ne cadant in morbos: primum remedium eſt alteratio: ſecundum eſt euacuatio: propoſuit euacuationem poſt factam optimam alterationem, & humorum præparationem iuxta aphor. Hipp. 1. ſec. aphor. 22. ubi habetur; *Cōcocta medicari, & non cruda*, & 2. aphor. 9. ubi habetur hic aphoriſmus: corpora cùm quis purgare uoluerit oportet fluida facere, quòd fit uſu alterantiū.

In 2. parte docet, quid intelligat per alterationem: admonetq; duos eſſe modos alterationis: primum eſſe per concoctionem, quæ eſt naturæ officium: natura .n. ſemper pro uiribus aſſimilat: ubi uerò eſt impotens, tunc craſſiores humores ſaltem attenuat, calidiores refrigerat, frigidiores calefacit, & omne quod eſt præter naturam miris modis uincit, & ſuperat; ſecundum modum alterationis eſſe per medicamenta, quæ non concoquunt; neq; aſſimilant; ideò malè nonnulli interpretantur, quòd etiam verbum; *Concocti*; referatur ad medicamenta; quia ſequeretur, quòd etiam alexiteria, quæ aduerſantur venenis, agerent in venena, illa ſcilicet concoquendo, quod eſt omninò falſum; venenum enim ideò dicitur venenum, quia à natura non poteſt concoqui: immò rarò vincitur, & alexiterijs ſuperatur: quo pacto verò alexiteria agāt contra venena, fusè declarauimus 8. lib. noſtræ methodi, & paulò infra, & ſuperius in propria quæſtione egimus.

Simili modo dantur alexiteria, quę duplici modo ſuperare ſolent venena, alterando ſcilicet, vel euacuando: Hinc Gal. 13. meth. c. 6. & lib. 5. ſimplicium c. 18. docet, materiam virulentam quocunq; loco ſubſiſtat, ſubitò eſſe euacuandā, & eradicandam ijs, quæ vehementer attrahunt.

Addit vehementer attrahentia eſſe, vel quæ attrahunt ſimilitudine ſubſtantiæ, vel vehementi calore, dolore, vel vi vacui: addit, ſi verò materia virulenta adeò penetrauerit, vt non poſſit euacuari, debet ſuperari per alterantia: additq; ea, quę alterando venena vincunt, eſſe duum generum, alia agere ſimilitudine ſubſtantię, alia verò manifeſtiſſimis qualitatibus.

Ea quę euacuant venena ſunt vomitus excitati ab oleo, butyro, decocto vrticæ, & maluarum, quę acrimoniam quoq; obtundunt. Præterea ſunt clyſteres molles, & potentes; ſi verò venenum penetrauit, tunc euocari debet ſudore, balneo aquæ calidæ, vel laconico ſicco: vel corpus venenatum ponitur in ventre bouis, vel mulæ recenter interfectæ, vt beneficio illius caloris totum virus forinſecus euocetur: vel ſi aliqua particula fuerit demorſa, applicetur arſenicum, vt docet Gal. 5. ſimplicium c. 18. vt ſcilicet, ſit arſenici vncia cum dictami cretici, cinamomi, & ſinapis ſcrupulo 1.

Quæ verò alterant, & alterando ſuperant venenum iam penetratum, quodcūque ſit: ſunt theriaca vetuſta, bolus armena, terra lemnia, Bezuar. Præterea Gal. 6. ſimplicium laudat balſamum cum lacte; li. verò de med. paratu fa. c. vlt. laudat ſanguinem anatis; Nos vtimur diaſulphure ſūma cū fælicitate, & oleo è corticibus citri, quod mirificè prodeſſe ſolet.

Quæ verò habent peculiarem virtutē ſuperādi determinata venena varia ſunt; ſic in ſcorpionis ictu Gal. 11. ſimp. in ſermone de drac. mar. applicat integrū ſcorpionem: & 9. ſimpliciū à Gal. per os laudatur ſaphyri puluis epotus. Similiter in morſu viperæ caro viperæ applicatur; vel

epi-

epithemata illa, quæ à Gal. proponuntur 2.de antidotis cap.14. In morſu verò animalis rabidi proprium Bexoarticũ eſt cinis cancrorum fluuiatiliũ, vt docet Gal. in cura rabiei. In exhibitione opij Gal. 2. de antidotis 7. laudat copioſum vinum meracum; quia alterat calefaciēdo, & per vomitũ euacuat; ſed nos vtimur theriaca vetuſtiſſima in vino generoſo, vel aqua uitæ ſumma cum fælicitate. Pro uenenatis uerò fungis uſi fuimus oleo è corticibus citri; retulimus uerò hiſtoriam 2. metho. noſtræ præclariſſimæ mulieris, quæ uſu fungorum iam cæperat è uiuis decedere, attamen eam oleo è citri corticib. parato ſanitati reſtituimus. Alij pro uenenatis fungis utuntur allio crudo, quod ex Gal. 12. meth. appellatur theriaca ruſticorum. Pro ueneno ex gypſo, quod ſuffocare ſolet, Auic. lib.4. c. de gypſo, inter cætera laudat ſcammonium, & alia medicamenta, quæ ualenter purgant aluum. Pro lacte coagulato in uentriculo, quod poteſt infantes ſuffocare, Conciliator laudat acetum fortiſſimum permiſtum cum 3. 1. aſſæ fætidæ. Pro Riſagalo, & pro ærugine æris laudantur à Conciliatore 3. 11. puluetis coralorum cum uino, quod eſt proprium medicamētum. Proprium Bexoarticum albi ueratri ex Conciliatore aqua mellis largius bibita, & deinde flores nimphæ triti ad 3. 11. epoti ſunt mirifica auxilia. Pro ſcammonio in nimia doſi, ualent ea, quæ ſomnum conciliant. Præterea balneum aquę tepidæ, & ligaturæ coxarum, & brachiorum ſub axillis conferunt mirificè.

Ego uiſitaui quendam militem, qui uſu pillularum ex ſcammonio ob nimiam euacuationem erat ferè uita priuatus, poſt ligaturas ſtatim alui fluor ceſſauit. Pro coloſcynthide niſi butyrum, lac, & cætera iuuent, puluis ſmaragdi 3. 1. epotus cum uino eſt proprium antidotum. Hic reliquimus communia, quia ſuperius ea propoſuimus. Pro cantharidibus proprium ex Conciliatore ſunt decem grana alchechengi. Galen. uerò 2. de antidotis, & 11. ſimplicium refert auctoritate Aſclepiadis cantharides eſſe remedium proprio ueneno, ſi pedes, & alæ tritæ cum melle eclegmatis modo paulatim deglutinantur: cui ſententiæ fauet Aetius lib.13. cap.49. ubi dicit ualere pro vrinæ ardoribus, & pudendorum inflammationibus, tàm per os ſumptas, quàm exterius illitas; ſed certè ego non vterer hoc remedio: putarem me malum addere malo. Pro lepore marino dicit Athenæus, proprium Bexoarticum eſſe Triglam: eſt enim piſcis ſatis notus, & guſtui iucundus; Gal. verò 9. ſimpliciũ laudat confectionem ex fructu iuniperi, & terra lemnia: dicitq; non ſolùm pro lepore marino, verùm etiam pro cantharidibus valere. Pro aconito, ſiue napello Galen. 2. de antidotis laudat rutam ſumptam cum iure gallinaceo, ſeu vino. Pro morſu à phalangijs Gal. 8. ſimplicium laudat herbam, quæ vocatur phalangites: deſiccat enim & eſt tenuium partium. Similiter 2. de antidotis plura proponit pro ictu phalangiorum, & ſcorpionum. In morſu ab Aſpide Aetius lib.13. cap.20. laudat acerrimum acetum donec perientitur qualitas circa dextram partem hypocondriorum decurrere: in morſis ab aſpide hepar primum ſenſu priuatur: totius tamen remedium eſt partem demorſam amputare: vel ſaltem igne torrere: ſicuti ego Hieronymo Brochino pharmacopæo peritiſſimo à vipera demorſo in pollice manus tam profundè exuſſi ferro candente, quantùm dentes viperæ penetrarunt; qua facta inuſtione, illicò de medio abſtuli conuulſiones, & tumores manus, & brachij, qui iam cæperunt illum adoriri. Ad rubeti morſum, qui eſt ſpecies aſpidis, laudat Conciliator puluerem ſmaragdi ex vino potum, cui ego parùm vel nihil fido. Hæc ſunt propria Bexoartica: cæterùm communia ſine dubio magis conferunt omnibus venenatis: ſunq; theriacæ magnæ, diaſulphur, & ſimilia ſuperius propoſita.

1 Dub. Gal. in tex. dicit, quòd exitialia venena ſuperātur alterātibus contrarijs, quod nō videtur; quia exitialia, ſeu venena non per qualitates, ſed per proprias formas, & ſubſtātias aduerſantur naturę humanæ: ergo non poterunt ſuperari alterantibus medicinis, quæ per contraria procedunt: ſubſtantiæ enim ſeu formis ſubſtantialibus nihil eſt contrarium.

Reſpōdent nonnulli, quòd non inconuenit ſubſtantiæ aliquid aduerſari; quia quod

quod ſubſtantię nihil ſit contrarium non eſt vera, & conuertibilis ſubſtantiæ proprietas: ſed iſti reijciuntur; quoniam, qui admittunt ſubſtantiæ aliquid eſſe cõtrarium, incidunt in ſcopulum peiorem, & eſt, quòd ſubſtantia vna, & ſimpliciſſima habeat duo contraria, quòd deſtruit totam philoſophiam: patet antecedens: quia lues gallica quatenus ſubſtantia contrariatur homini, & guajaco vt ſubſtantiæ ſunt: quare melius eſt, vt dicimus, quod lues gallica non contrarietur guajaco, & homini vt ſubſtantia, ſed vt prædita lædendi potentia, quæ eſt in prædicamento qualitatis, quæ eſt multiplex, & non ſimpliciſſima, ſicuti ſimpliciſſima eſt ſubſtãtia: ſed quia ſuperius, & præcipuè libro octauo methafiſ. noſtræ reiecimus hanc opinionem: ideò ne acta repetantur, omittimus longiorem diſcurſum.

Alij uidentes, quòd qualitates occultæ non ſint re uera in prædicamento ſubſtãtiæ, ſed in prædicamento qualitatis, meditati ſunt aliã ſolutionem dicendo, qualitates occultas non prouenire à calido, frigido, humido, & ſicco; ſed ab altiori principio, ideſt à raritate, & denſitate corporeæ ſubſtantiæ, moti auctoritate Ariſtot. 8. phyſicorum tex. 55. dicentis, omnium paſſionum principia eſſe denſitatem, & raritatem: dicũntque occultas qualitates à denſitate, & raritate, tanquã ab effectiuo principio prodire: confirmant ſuam opinionem: quia ignis in ſua ſphera fit rarefacto aere à motu diurno rapidiſſimo: hactenus hæc opinio, niſi altioribus principijs nitatur, eſt omnino falſa, ut paulò ſupra oſtendimus.

Reijcit ſimiliter hanc chimeram doctiſſimus Rudius lib. 2. de morbis occultis c. 2. & nos lib. 8. c. 7. ubi dicimus, quamuis rarũ, & denſum aliquãdo ſint priora calido, frigido; tamẽ rarum, & denſum eſſe accidentia, accidentiaq; non eſſe accidentiũ accidentia, ut docet Ariſt. 4. metaph. tex. 14. Similiter 8. metaph. tex. 12. docet, accidentia non habere materiam ex qua, ſed ſolùm in qua; ideò nullum accidens poſſe conſtitui pro principio materiali ex quo alia fieri debeant accidentia.

Præterea probauimus principium materiale omniũ accidentium eſſe materiæ primæ trinam dimenſionem, quæ eſt tã quã natura, & eſſentia materiæ: ſed quia non ſat eſt proponere principium materiale omnium paſſionũ, niſi proponatur principium effectiuum: ideò nos c. 8. diſputauimus cõtra Democritum, & Theſſalum, qui negabant ſub atomis formas deliteſcere: oſtendimuſq; illas formas eſſe effectrices & omnium qualitatum eductrices è principio materiali, quod eſt materiæ trina dimenſio, quæ re vera efficit octo differentias poſitionis, vnde ſitus, vnde raritas, & denſitas, & infinita alia, quæ deinde ſimul permiſta efficiunt occultas qualitates.

Neq; nos inſequimur Democriti opinionem, quam Rudius parum accuratè eam percurrens, 8. meth. noſtræ vitand. nobis attribuit. Democritus .n. putabat atomos eſſe incorporeas, & inalterabiles, vt refert Gal. 1. de diff. morb. c. 2. negabatque temperaturas, & admittebat ſolùm corporum minimorum compoſitionem. Nos verò & compoſitiones, & temperaturas admittimus: imò nos alibi hac de cauſa rejecimus Aſclepiadem, quia dicebat corpora conſtare ex corpuſculis incompactis, & inalterabilibus.

Præterea rejecimus Anaxagoram, & Empedoclem, qui referente Gal. 1. de elementis circa finem, dicebant prima principia eſſe intranſmutabilia: Anaxagoras tamen putabat talia eſſe ſua corpora ſimilaria; Empedocles verò talia eſſe quatuor elementa.

Nos tamen cũ Ariſt. 1. de generatione ſuſtinemus, tẽperaturas ex miſtione elemẽtorum conſurgere: atq; cum Gal. 1. de elem. l. cit. vbi vtitur his verbis; *Corpora vicina nata sũt inter ſe mutuo trãſmutari calefaciẽdo, refrigerando, humectando, vel exſiccando, vel alijs qualitatib.* Quare ſi quis voluerit reijcere noſtram opinionẽ de qualitatibus occultis, prius debet demoliri hoc fundamentum, quòd trina dimenſio nõ ſit ipſa materia prima, & principium materiale omniũ qualitatum. Similiter quòd octo differentiæ poſitionum per varios ſitus, & raritates, & dẽſitates non diſponant materiam, vt ab efficiente extrinſeco nõ fiãt omnes qualitates tam occultæ, quàm manifeſtæ, & quod nõ ſit verum id, quod ex Gal. deſũpſimus 4. de ſimplici med. c. 15. & lib. de

con-

conſtitutione artis c.8.& 2.de loc.aff.c.8. ex infinitis alterationibus elementorum fieri qualitates occultas.

Demumq; ſi voluerit noſtram opinionem reijcere debet probare, quòd ſub vario ſitu,& raritate,& denſitate non deliteſcant formæ ſubſtantiales, à quibus tanquam à principio actiuo, vt diximus contra Democritum, occultæ qualitates dependent.

His iactis facilè ſoluitur dubitatio propoſita, quia nos negamus occultas qualitates eſſe in prædicamento ſubſtantiæ, eſſeq; ſubſtantias immediatè operatrices, quod idē eſt; ſed dicimus eſſe qualitates de prædicamēto qualitatis, quæq; habent contrarium; ſed alio modo oriri quā primæ illæ quatuor; ſed fusè admodum egimus de hac re li.octauo methodi noſtræ, & ſuperius in propria quæſtione: quare non par eſt, vt acta ab integro repetātur.

CAPITIS XCIX.
Particula IV.

Tex. 31. *Euacuantur autem ſatis calidis medicaminibus, & purgationibus, clyſteribus, & ſudoribus, & vomitibus. Hæ quidem igitur ſunt communes euacuationes. Propria autem ex locis in quibus concernantur, aſſumuntur, vt in libris de ſalubribus oſtendimus: tertiò præſertim, ac quartò in quib. de laſſitudinibus egimus, ac reliquis diſpoſitionibus, quæ laſſitudini natura proxima ſunt. Propriè enim euacuantur per ventrem, quæcunq; in primis venis continentur ſuperfluitate, quæ autem in his, quæ in hepate ſunt, per vrinæ meatus: atq; in toto corpore per ſudorem: ſicuti quæ in capite, vel per palatum, vel per nares, vel per vtrunque: quæ verò ſunt in ſpatijs pectoris laxioribus, per guttur ſimul cum tuſſi, quæ in renibus ſunt, vel veſica, per vrinam.*

SVperius Gal. propoſuit duo remediorum genera pro corrigēdis humorib. corporum neutrorū decidentium; quæ ſunt alterantia,& euacuantia: docuitq; in tex. ſuperiori duos modos alterationis: alterum eſſe per concoctionem: alterum per medicamenta.

In hoc tex. agit de euacuatione; quæ cum duplex ſit; alia communis, alia verò propria: ideò tex. diuiditur in duas partes: in prima proponit euacuationē communem, ideſt eam; quæ totum corpus euacuat, pro qua, vt rectè dicit Pluſquā com. à Gal. ſolùm quatuor euacuādi modi proponuntur: primus eſt per electiuè purgantia; ſecundus per clyſteres: tertius per ſudorem; quartus verò per vomitū. Haly,& plurimi Expoſitores putāt, quinque modos euacuationis proponi: addēdo ſcilicet præter quatuor propoſitos modum euacuādi per medicamenta vocata à Gal. ſatis calida, quæ ſecundum illorum opinionem ſunt illa, quæ inſenſibiliter euacuant. Sed valde decipiūtur, quia medicamentum ſatis calidum, eſt, quid communius, quam quæ purgant per inſenſibiles meatus. Præterea hæc, quæ mouent perſpirationē inſenſibilem ſunt ſudorifica, quę tertio loco propoſita ſunt: quare Gal. addit illa verba, *Euacuantur ſatis calidis medicamētis*: quaſi diceret, ante euacuationem propoſuimus alterantia, quia concocta medicari oportet, & nō cruda; hęc verò, quę purgant concoctos,& præparatos humores non eſſe lenientia blanda,& mollia,& refrigerātia, vt apud nos ſunt tamarindi,& caſſia; ſed eſſe ſatis calida medicamenta, qualia ſunt pharmaca electiuè purgantia.

In ſecunda parte docet, quæ ſint propriæ euacuationes; dicuntur enim a Gal. propriè, dū humores, qui ſunt coaceruati in aliqua propria, & determinata corporis parte, euacuantur, de his proprijs euacuationibus dicit Gal. ſe egiſſe lib. de tuēda ſanitate,& præcipuè lib. 3. & 4. vbi egit de laſſitudinib. & alijs paſſionib. laſſitudini ſimilibus, quę ſunt diſpoſitiones neutræ, quæq; proprijs quibuſdam euacuationib. tolluntur: ibi enim docet quomodo laſſitudo à nimio exercitio dependens proprio auxilio tolli poſſit, ſimiliter quomodo ſpōtaneæ laſſitudines proprijs euacuationibus auferantur, vt inde futurus morbus præcaueatur: Hipp. enim 2. aphor. 5. docet, ſpontaneas laſſitudines prænunciare morbos.

Inſuper Gal. non ommittit in hoc loco declarationem propriam euacuationum: immò ſigillatim exemplificat de omnibus: incipitque ab excrementis contentis in primis venis, ideſt in meſeraicis: docet-

que:

que; primò eorum propriam euacuationem fieri per ventrem inferiorem: ſecūdù docet, quòd excrementa retéta in hepatis gibba propriè euacuentur per vrinam: tertiò excrementa ſparſa in ambitu corporis propriè per ſudorem, retenta vero in capite per palatum, aut per nares, aut per vtrumque in pectore, per tuſſim: Demum docer propriam euacuationem excrementorum exiſtentium in renibus, & veſica fieri per vrinas.

Notandum, Gal. propoſuiſſe has proprias euacuationes exempli cauſa; quia multæ aliæ viæ à natura inueniuntur, vt per aures, per oculos, & occulta foramina per quæ inſenſibiles tranſpiratus fiūt, de quibus ſuperiùs egimus.

1 Dub. Gal. in tex. declarans modos euacuandi totum, omittit phlebotomiam, quæ eſt præcipuus modus ęuacuandi totum corpus; ergo diminutus.

Pluſquamcommentator fatetur, ſe neſcire, cur Gal. omiſerit phlebotomiam.

Ego puto, Gal. omiſiſſe phlebotomiam, quia loquitur in hoc cap. de corpore neutro, quatenus abūdat (vt dicit in tex.) humorib. viſcoſis, vel craſſis, circa quos pręcipuè ars præſeruatiua verſatur eo fine, ne corpora cadant in latitudinem ægritudinis; quo caſu non conuenit phlebotomia: quia craſſities, & viſcoſitas humorum non indicant phlebotomiam: quodnam verò ſit illud, quod indicat phlebotomiam in propria quæſtione huius tertiæ ſectionis tractauimus.

2 Dub. videtur Gal errare; quia tractans de totius euacuatione, ne verbum quidē fecit de leniētib. euacuātib. primas vias, qualia sūt apud nos caſſia, tamarindi oleū amygdalinū dulce, & alia id genus.

Reſpondet plurimi Expoſitores, quòd hæc leniētia continentur ſub illis verbis: *Euacuātur ſatis calidis medicamētis:* Reijciuntur: quia leniētia non debēt dici ſatis calida medicam. tamarindi .n. caſſia, mel roſatum, malua, parietaria, & ſimilia in calidorum catalogo reponi non debēt.

Reſpondemus nos hęc blanda, & mollia lenientia, quæ ſolum primas vias mūdant, non eſſe dicenda euacuantia totius corporis; ſed euacuantia partis.

Neq; obijciant, à Gal. inter euacuantia totius enumerari clyſteres; & ideo tanto magis lenientia prædicta inter euacuantia totius eſſe reponenda. Occurrimus enim obiectioni hoc modo à Gal. numerari clyſteres acres inter euacuantia totius, & non molles, & laxatiuos. Vel reſpondemus, ſub nomine purgantium cōtineri etiam lenientia: vel demùm reſpōdemus, euacuationē dici totius, vel partis ratione ægritudinis totius, vel partis: ſic dū agimus, vt auferatur ægritudo totius corporis, tunc clyſter dicitur euacuans totum: ſi ægritudo partis, ideſt vētriculi, vel coli inteſtini auferatur, clyſter dicetur remedium partis, & non totius: poſtremò poſſumus reſpondere lenientia pertinere ad ea, quæ euacuant partem; quia Gal. admonet in tex. euacuationem contentorum in primis venis, ideſt in venis meſeraicis eſſe propriam euacuationem, & non communem.

3 Dub. Gal. enumerat inter ea, quę euacuant totum, ſudorifica: deinde inter ea, quæ euacuant partes proprias, ſimiliter enumerat ſudorifica, ergo inconſtans.

Reſpondetur, dum euacuationem per ſudorem collocat inter proprias, nō conſiderare affectum communē; ſed affectū propriū muſculorū, ſcilicet ambitus corporis: dum verò enumerat ſudorifica inter euacuantia totum, conſiderare non materiam contentam in ambitu corporis, & ſub cute; ſed in toto corpore.

4 Dub. Gal. in tex. inter illa, quæ euacuant totum corpus, enumerat clyſteres: attamen clyſteres ex Gal. 13. meth. c. 17. habetur, quæ infunduntur per clyſteres non peruenire ad ieiunium inteſtinum. Præterea in anatomia hoc eſt euidētiſſimum: quia valvulæ, quæ ſunt vbi eſt cœcum, impediunt, ne liquores craſſorum inteſtinorum perueniant ad tenuia inteſtina: quod cùm ita ſit, quomodo clyſteres erunt enumerādi inter illa, quæ euacuant totum corpus, & quæ à Galen. vocantur, euacuantia communia?

Reſpondetur, licèt ſit certiſſimum, clyſteres euacuare inteſtina craſſa: tamē cōſecutiuè euacuant totum; quia natura fæcib. craſſorum inteſtinorū exonerata, tranſmittit excrementa ſuperiorū inteſtinorum, & cōſecutiuè totius corporis. Vel dicimus, Medicum euacuaturum totum exordiri à clyſterib. eo fine, vt deinde

de alijs auxilijs conſequi poſſit totius euacuationem.

5 Dubit. non videtur, quod vllo modo corpora neutra ſint tractanda pharmacis, vt Gal. in tex. admonet: quia 3. apho. com. 15. Gal. habet hæc verba; *Si quis voluerit bis in menſe, aut ſemel vti ea, veritus ne aggregetur ſuperfluitates, nocebit, & corpora trahet in malam conſuetudinem*. Ergo ex Gal. corpora neutra decidentiæ non ſunt purganda, ne trahantur in malam conſuetudinem: ergo errat in text. dum in hac parte præſeruatiua medicamenta purgantia proponit.

Reſpondetur Galen. 3. aphor. 15. loqui de corpore ſalubri, & non de neutro, ideo qui ſalubres ſunt, ſi vtantur medicamentoſe ad ægritudinem diſponunt: quòd verò Galen. in aphoriſmis locutus ſit de corpore ſalubri, patet: quia habet hæc verba; *Earū, quæ quotidie generantur in corpore, ſuperfluitatum, euacuatio minor eſt, quam vt exigat purgantis pharmaci operationē*: Addas tu, ſed corpora neutra abundāt ſuperfluitatibus, ergo vſus pharmacorū illis conueniet, & non corporibus ſalubribus.

CAPITIS XCIX.

Particula V.

At trahendi ex omni loco ad oppoſitas partes communis indicatio eſt, ad quam maximè diſtantia; deriuatio verò ad vicina.

IN tex. ſuperiori Gal. tradidit modos euacuandi totum, & partes: in hoc text. verò tradit, quomodo fiat reuulſio, & deriuatio: ratio continuationis deſumitur ex eo, quia medicus debet prius euacuare totum, deinde reuellere, & deriuare: euacuatio enim reſpicit eandem partem affectam excrementis refertam: reuulſio verò non eandem partem, ſed longinquam, & diſtantem: deriuatio non eandem, ſed vicinam.

Notandum, quod Gal. in Græco codice vtitur verbo ἀντίσπασις, quod ſignificat auerſionem, quod verbum prædicatur de reuulſione, & deriuatione. Similiter Gal. 5. meth. c. 3. dicit, reuulſionis genus eſſe antiſpaſim, ideſt auerſionem, ſed ad contraria: deriuationem verò eſſe auerſionem ad proxima, quam Gal. vocat παροχέτευσιν, ideſt auerſionem ad vicina.

Notādum præterea, ab Auctorib. proponi varias conditiones reuulſionis; ſed quatuor præcipuè obſeruari diximus: quarum prima eſt, vt reuulſio fiat ſecundum rectitudinem partis oppoſitæ: ſecunda per vaſa communia: tertia per diſtantiſſima: quarta vt humores in reuulſione auertantur ad originem. Ego de hac re poſt particulam 6. 89. cap. diſputaui, & lib. 14. noſtræ meth. admodum fusè aliorum opiniones examinaui: quare non par eſt, vt quæ fusè explicata ſunt, toties repetantur.

In hoc loco tamen nonnulla digna animaduerſione notanda ſunt: dicimus igitur, quod de natura reuulſionis tres tantùm ſint conditiones: quarum prima eſt retrahere humores ad oppoſitas partes: ſecunda vt ſecundum rectitudinem fiat: tertia verò, quod fiat per uaſa communia; aliæ verò conditiones reuulſionis ſunt dignæ obſeruatione, ſicuti eſt illa, quòd reuulſio fieri debeat per diſtantiſſima, quæ reſpicit prohibens, & non indicans; omne enim remedium, niſi aliquid prohibeat, quo proximius applicabitur affectui præter naturam, eo meliùs, & citiùs operabitur: hac de cauſa Gal. 5. meth. cap. 14. applicat commiſſuræ coronali ceratum ex thapſia, vt fiat reuulſio à cerebro ad pericraneum, quod eſt valdè vicinum. Similiter reuulſio debet fieri ſecundum rectitudinem; quia in directè oppoſitis partibus, ſi venas ſecaueris ait Gal. li. de cur. ratione per ſ.m. c. 15. citiſſimè vtilitatem afferes.

Si verò abundant excrementa in corpore, tunc reuulſio ſemper per partes valdè diſtantes fit; quia dum ſecatur locus vicinus parti affectæ facilè omnia excrementa illuc confluunt; ideò ſæpè cauendum eſt, ne pars affecta maiori noxa afficiatur; ſed quia locis citatis diſputauimus de hac materia, & aliorum opiniones, & fundamenta propoſuimus, & reiecimus non par eſt, vt illa repetantur.

1 Dubit. non videtur, quòd reuulſio, & deriuatio ſint remedia, quæ pertineant ad illā medicinæ partem, quæ dicitur præſeruatiua, de qua in hoc loco agit Gal. quia reuulſio, & deriuatio deſumuntur ab humori-

moribꝰ motu peccantibꝰ & ægritudinem efficientibus; at ſic eſt, quòd pars præſeruatiua cuſtodit, & præſeruat ne corpora neutra, quæ adhuc nō ægrotant, in ægritudinem cadant; ergo deriuatio & reuulſio non videtur præſentis ſpeculationis.

Reſpondemus, reuulſionem, & deriuationem nō ſolum deſumi ab humore, qui actu mouetur, ſed etiam à fluxuro; quod nō intellexerunt innumeri Expoſitores, ab ore quorū continuo hęc ſentētia pendet, reuulſionem ſ. deſumi ſolùm à materia, quæ actu mouetur; quod eſt falſiſſimum, vt pleniſſimè oſtendimus locis citatis, nixi præcipua illa Galen. auctoritate lib. de ſanguinis miſſione, hæcque eſt. Si quis ſingulis annis tempore æſtiuo in podagricum affectū incurrat, tunc tempore veris ante humorum fluxionem ſecatur cubitum, vt humores fluxuros ad pedes retrahamus ſurſum ad partem oppoſitam; ecce igitur, quòd reuulſio indicatur quoq; non ſolùm ab humore fluente, ſed etiam à fluxuro. Qui igitur non intelligunt hanc conditionem reuulſionis, quòd ſcilicet deſumi quoque poſſit à fluxuro humore, nunquam propoſitam dubitationem diluere poterunt.

CAPITIS XCIX.

Particula VI.

Tex. 82. *Quæcunque verò huiuſmodi curant diſpoſitionem, cauſas ſalubres appellamus: ſicuti inſalubres eas, quæ adaugent: & neutras quæ neq; obſunt, neque iuuant. Poſſet verò quiſpiam, neque omninò cauſas appellare, quemadmodum maior pars ſophiſtarum, qui rerum quidē differentiam inuenire contemnunt: plurimum vero temporis in nominibus conterunt, contra quos in alijs vberiùs diſſeruimus. At pars quidem artis præſeruatiua talis eſt.*

IN hoc tex. Gal. duo facit; primò epilogum; ſecundò reprehendit ſophiſtas, qui de nominibus ſemper certant. Quo ad primam partem dicit, quòd omnes iſtæ cauſæ (per cauſas intelligit remedia) poſſunt dici ſalubres, inſalubres, & neutræ; dicuntur ſalubres, quando curant malam diſpoſitionem, quæ eſt in corpore neutro decidentiæ: & in quovis alio corpore ægrotante; dicuntur inſalubres, quando augent malam diſpoſitionem: dicuntur verò neutræ, quādo nec iuuant, nec nocent, idest quando nec curant neutram diſpoſitionem, nec illam augent.

Quo ad ſecūdam partem dicimus, Gal. reprehēdere ſophiſtas, qui cauſas neutras, eo quod nec iuuant, nec nocent nolunt ipſas appellare cauſas; quia de ratione cauſæ eſt aliquid efficere: dicit igitur Gal. in tex. quod tempus conterant in nominibus, de quibus non eſt certandum, refertq; hic, & alibi ſcripſiſſe librum ſingularem de recto vſu nominum, medicis neceſſarium, in quo contra ſophiſtas diſputat; quem librum ſi haberemus, Auctores de nominibus tam ſæpè non certarēt, vt quotidie in ſcholis videmus.

1 Dub. Gal. videtur ſuperfluus, dùm hìc declarat, quid ſit cauſa ſalubris, inſalubris & neutra; quia ſuperiùs id pleniſſimè declarauit. Præterea tradere videtur Gal. in hoc loco nouam ſignificationem neutrarum cauſarum, dicit, cauſas neutras eſſe, quæ neque iuuant, neque obſunt, de qua ſignificatione ſuperius nihil dixit; Demū videntur ſophiſtæ non reprehendēdi, ſed laudandi, dum dicunt, cauſas, quæ neque iuuant, neque lædunt, eſſe cauſas, quia nullam habent vim agendi.

Argenterius proponit hos nodos, & vt ſui moris eſt, dùm ſcilicet non intelligit huius artis arcana: illos non diſſoluit, ſed Galen. reprehendit: ſed quantùm deflectat à vera huius artis intelligentia, iam videbitur.

Reſpondemus igitur nos, Gal. facere epilogū cauſarū de quibus egit ſuperius. Qui verò putāt, epilogos breuiſſimos eſſe ſuperfluos: non profiteātur alios docere, quia animos auditorum, vel lectorum cōfundēt: ſed mittamus hæc: oſtendamuſq; mirum artificiū, quod continetur in definitione cauſæ neutrius, dū dicit cauſas neutras, nec iuuare, nec nocere. In hoc tex. Gal. ſibi propoſuit agendum de tota arte medica methodo definitiua, quod eſt aſſecutus, referēdo ad tria nomina omnia huius immenſæ artis præcepta; hæc verò nomina ſūt ſalubre, inſalubre, & neutrū, ideò cùm ageret in hoc cap. de cauſis pręfer-

ſeruatiuis, voluit admonere, eaſdem cauſas præſeruatiuas poſſe dici ſalubres, inſalubres, & neutras; ſalubres, dùm tollunt malam diſpoſitionem corpum neutrorum; inſalubres, ſi illam augent; neutras verò ſi neque iuuant, neque nocēt; neq; noua eſt hæc neutrius ſignificatio, vt putat Argēterius; quia iuuare, & nocere nō eſt reſpectu neutrius ſtatus, ſed reſpectu ſanitatis, & ægritudinis; quaſi dicat, ſi neque iuuant .i. ſi non tollunt malam diſpoſitionem, neq; nocent .i. neque augent malam diſpoſitionem vocari neutra; nec propterea dicimus cū Argenterio cōtradicēdi ſpiritu obcęcato, quod iſtæ cauſæ, nec iuuant, nec nocēt reſpectu neutrius; quia neutrum corpus, vt conſeruetur tale, indiget remedijs parua vitia corrigentibus, & emendantib. ſine quibus corpus neutrum non conſeruaretur neutrum, ſed illicò caderet in ægritudinem; cùm igitur Argenterius non intellexerit hæc arcana, non eſt mirum, ſi ei viſus ſit hic tex. ſuperfluus, & hæc neutrius ſignificatio noua; & tandē incidat in errorē omnibus peiorem, quòd ſcilicet non ſint ſophiſtæ; qui in hoc loco reijciuntur à Galeno, ſed optimi Philoſophi.

CAPITIS C.

Particula I.

De remedijs reficientibus conualeſcentes, & ſenes.

Tex. 83. *Quæ autem reficit, atque reſtaurat in conualeſcentib. ac ſenib. locum habet. Quæ verò ſit horum diſpoſitio, & à quib. præcipuè cauſis ad naturalem reducitur habitum, in libris, in quibus de medendi arte tractauimus, abundè explicauimus, ſed nunc per capita dicetur.*

IN capit. ſuperiori egit de remedijs præſeruantibus corpora neutra ægrotatura, ne ſ. cadant in morbos. In hoc cap. verò agit de remedijs reſumptiuis .i. reſtaurantibus corpora cōualeſcentium, ne in recidiuam incidant: & corpora ſenum, ne ità citò exſiccentur, & præmaturè ſenio conficiantur.

Hæc pars medicinę, quę agit de remedijs reficientibus conualeſcentes, & ſenes, vocatur analeptica, id eſt, recuperatrix; ἀνάληψις enim ſignificat recuperatricem; quæ medicinę pars non ſolùm eſt propria, & conueniens conualeſcentibus, & ſenibus, verùm etiam iis, qui, vel nimio labore, vel coitu, vel animi paſſionibus conſumpti ſunt.

Neque mihi probatur opinio Argenterij, dicentis, analepticam nō conuenire ſolùm conualeſcentibus, & ſenibus; ſed etiam medicinæ curatrici; quia ægri ſunt curandi; cōualeſcentes verò, & ſenes dūtaxat, & propriè ſunt recuperandi, ſeu reſtaurandi. Præterea analeptica, quæ conuenit conualeſcentibus, & ſenibus, continet ſub ſe partem anatrepticam, quæ dicitur ἀπὸ τοῦ ἀνατρέφειν, ideſt renutrio, quæ ſola viuendi ratione recuperat conualeſcentes, & ſenes.

Cæterum admonet in hoc tex. quod duo ſint conſideranda in reſtaurandis conualeſcentib. & ſenibus; primum quænam ſit hæc diſpoſitio, quæ efficit, ut conualeſcentes ſint tales. Secundum quibus remedijs poſſint ad naturalem habitum reſtitui: admonet tamen in tex. de his remediis abundè locutum eſſe in methodo medendi, lib. 7. c. 6. quare in hoc lib. ſolùm tangit capita neceſſaria pertinentia ad reſtaurationem conualeſcentium, & ſenum.

1 Dub. Gal. in tex. admonet, ſenes eſſe reducendos ad habitum ſecundum naturam; at ſic eſt, quod ſenes non habent diſpoſitionem pręter naturam, imò ſi ſenes poſſent præſeruari à ſenectute, poſſent reddi iuuenes, & immortales, quod eſt factu impoſſibile.

Reſpondetur, quod ſenes quatenus recedunt à ſenectute temperata debent reduci pro virib. ad ſtatum temperatiorem; Senes .n. continuò exſiccantur, & ſenectus dicitur μοῖρα βίου, .i. fatū vitæ: dum verò prohibebitur, ne citius ſolitò exſiccentur, dicentur, reſtaurari, & ad ſtatum magis naturalem reduci.

2 Dub. Gal. dicit in tex. ſe egiſſe in methodo medendi lib. 7. qualis ſit hæc diſpoſitio, ſeu affectio conualeſcentium, & ſenum; quod videtur falſum; quia non in methodo medendi agit de ſenibus, & cōualeſcentibus, ſed de ſenibus egit 5. de tuenda ſanitate. Similiter lib. ad Traſ. pau-

ca dixit de ſtatu conualeſcentium & ſenum; vt quid igitur Gal. refert ſe de ſenib. & conualeſcẽtib. egiſſe, vbi non egit? Legat enim aliquis totum illum librum, vt nos legimus, non inueniet Gal. de conualeſcentib. & ſenib. verba feciſſe: agit ſolum de ſiccitate ventriculi.

Reſpondetur, quod Gal. 7. meth. c. 6. agens de ſiccitate ventriculi, ibi tradat præcepta communia cõualeſcentib. & ſenibus: ſenes enim ob ſiccitatem plus iuſto ſeneſcũt; quare qui ſciet modũ reſtaurãdi ventriculum ſiccum, optimè ſciet modũ reſtaurandi ſenes, & conualeſcentes.

Argenterius putans propoſitum nodũ eſſe inſolubilẽ, mordet Gal. ſed hoc eſt in hoc homine ſingulare, qui tunc præcipuè Gal. reprehendit, quando ad ſydera eſſet extollendus, & quando miro artificio docet, & tangit pręcipua artis arcana; an ne artificioſiſſimè docet, quomodo ſenes ſint reſtaurandi, quando agit de ſiccitate ventriculi; an ne uentriculi ſiccitas amouetur humidis ſubſtantificis? ſed dicat mihi quęſo Argenterius, an detur alter modus reſtaurandi ſenes, & conualeſcentes quam per humectantia, quod cum ita ſit, & nemo negare poſſit, dicimus Gal. dũm admonet modum reſtaurandi ſiccitatem ventriculi, ſimul docere partem analepticam, ſeu reſtauratiuam ſenum & conualeſcentium.

Quod verò attinet ad victus rationem conualeſcentium & ſenum, dicimus cum hæc corpora ſint neutra, ideò victus rationem mediam debere eſſe inter ægrotantem, & perfectè ſanum: quæ verò ſint hæc media corpora, & media victus ratio, facilè ab illo, qui percipiet extrema, cognoſcentur.

CAPITIS C.

Particula II.

Tex. 34. *Diſpoſitio quidem igitur talis eſt, optimus quidem, ſed exiguus eſt ſanguis, atque vna cum ipſo ſpiritus animalis, atque vitalis. Ipſa vero particula ſolida ſicciores, & idcircò eorum vires ſunt imbecilliores, atque earundem ratione corpus vniuerſum frigidius.*

Tractaturus Gal. de remedijs reſtauratiuis conualeſcentiũ & ſenum, prius docet, quæ ſit hæc conualeſcentium & ſenum diſpoſitio: deinde verò à præcognita natura rei colligit remedia: eandem doctrinam 1. met. c. 5. tradit quod ſcilicet ante curationẽ morbi, eius cognitio præcedere debeat. Similiter 1. de artic. 32. ante curationem dicit, duo eſſe præcognoſcenda, naturam affectus, & locum affectum. Nos quoque 11. meth. noſtræ c. 7. altiori quadam philoſophia probauimus, cur indicans debeat eſſe notius indicato.

Si igitur de diſpoſitione conualeſcentium, & ſenum loquamur, dicit Gal. quod conualeſcentes, & ſenes habent paucum ſanguinẽ, qui optimus ſit; poſita paucitate ſanguinis ex neceſſitate, pauci quoque ſunt ſpiritus vitales, & animales; quia ſpiritus à probo, & optimo ſanguine fiunt. Similiter partes ſolidæ ob paucitatem ſanguinis redduntur ſicciores: ideò vires earũ ſunt imbecilliores: valet enim paucus eſt ſanguis, qui optimus eſt, ergo pauci ſpiritus, ergo ſicciores ſunt partes ſolidæ; ſiccitas enim partium ſolidarum, vt à cauſa materiali dependet à paucitate ſanguinis, vt à cauſa efficiente, immediatè verò à paucitate ſpirituum.

Hippoc. 6. epid. 8. tex. 7. diuidit corpus in ἴσχοντα, ἰσχόμενα, καὶ ὁρμῶντα, ideſt in continentia, contenta, & impetum faciẽtia, ἴσχοντα, ideſt continentia ſunt omnes partes ſolidæ; ἰσχόμενα, ideſt contẽta ſũt humores alimentales: ὁρμῶντα, ideſt impetum facientia ſunt ſpiritus vitales, & animales; eandem diuiſionem corporis obſeruat Gal. in hoc tex. ſed mira arte ex paucitate contẽtorum optimi ſanguinis quatuor colligit: primum paucitatem ſpirituum animalium, & vitalium; ſecũdum continentia, ideſt partes ſolidas reddi ſicciores; tertium vires fieri imbecilliores; quartum corpus vniuerſum reddi frigidius.

1 Dub. non videtur, quod ſenes, & conualeſcẽtes habeant ſanguinem optimum, vt dicit Gal. in tex. Proprium enim eſt ſani corporis ſanguinem optimum habere. Argenterius neſciens ſoluere hunc nodum, mordet Gal. qui nunquam in hoc libello aliquid propoſuit, quod nõ ſit ſummo

mo artificio excultum. In ſolutione mea intelligeris quo artificio Gal. hoc dixerit.

Reſpondent nonnulli mutando verba Gal. quod ſcilicet loco optimi debeat legi vtilis. Quæ reſponſio eſt indigna, quia non pertinet ad interpretem Auctoris verba mutare.

Nonnulli alij dicunt optimum conſiderari, habito reſpectu ad corpora morboſa, quæ interpretatio eſt vaniſſima; quia optimum eſt nomen ſuperlatiuum.

Reſpondemus, Gal. docere in conualeſcente, & ſene eſſe optimum ſanguinem; quia ſpiritus vitales, & animales nō poſſunt fieri, niſi ab optimo ſanguine: differunt cōualeſcentes, & ſenes à iuuenibus, & optimè ſanguinis; quia in his eſt ſanguis optimus, & multus, in illis uerò optimus, & paucus: in conualeſcente, ut eſt conualeſcens extincta ſunt omnia præteriti morbi ueſtigia: differūt à ſanis; quia de optimo ſanguine, unde ſpiritus & uires oriuntur, pauxillum habēt: ſi enim in conualeſcente non eſſent omninò extincta ueſtigia morbi, & malæ diſpoſitionis, tunc corpus reſpectu illarum diſpoſitionum minantium recidiuas nō diceretur conualeſcens, ſed neutrum decidentiæ, uel corpus ægrotaturum; quare in conualeſcentib. ut tales ſunt, ſuppoſuit cauſas morbi eſſe omninò extinctas; quādo uerò non eſſent extinctæ, corpus non conualeſcens, ſed decidentiæ, ſeu ægrotaturū uocaretur. Idem dicimus de ſenibus quod cauſas morbificas in ſe non contineant, ſi ſani ſint dicuntur tamen ſenes, quia de optimo ſanguine pauxillum habēt; inter ſenes uerò, qui plus optimi ſanguinis habent, magis diſtant ab extrema ſenectute, & magis approximantur iuuentuti.

Hinc Argenterius, dum dicit, ſanguinem ſenum non eſſe optimum, & exiguum, ut nos docet Gal. ſed eſſe ſanguinē totum pituitoſum, & frigidum, oſtendit, ſe non intelligere rationē, qua ſenes ſunt ſenes; quæ eſt, quod tales ſint ob paucitatem optimi ſanguinis, qui, cum non ſufficiat pro humectatione, eorum corpora exſiccantur, ſicuti arbores, dum ſeneſcūt, quia tantum probi alimenti per arborum fibras non penetrat, quantum opus eſt pro humectatione: Præterea oſtendit, ſe non intelligere, quomodo fiant ſpiritus, & nutritio: ſpiritus enim animales, & uitales non poſſunt fieri, niſi ab optimo ſanguine: quare ſi in ſenib. non eſſet pauxillum optimi ſanguinis, ſpiritus non regenerarentur: Similiter ſi non eſſet aliquid optimi ſanguinis non fieret nutritio; imo cauſa, cur corpora ſenum ſicca ſint, eſt nutritio diminuta, quæ ob ſanguinis paucitatem ſit; illi uerò ſenes qui multum optimi ſanguinis habent ualdè uegetes, & fortes, ſeu robuſti conſeruantur.

Hinc errat Argenterius, dum ſuſtinet contra Gal. ſenes habere totum ſanguinē pituitoſum, & frigidum, & nihil optimi cōcedimus autem multum pituitoſi ſanguinis eſſe in ſenibus, negamus tamen quod non habeant pauxillum optimi.

2 Dub. conualeſcentes aliquando obſtructionibus; & alijs malis qualitatibus afficiuntur; ergo conualeſcentes non erunt conualeſcentes ſolum ob ſanguinis optimi paucitatem.

Reſpondetur, quod obſtructiones, & malæ qualitates cōualeſcentium nō pertineant ad neutrū conualeſcentiæ quatenus eſt conualeſcēs, ſed quatenus eſt corpus decidentiæ; conualeſcentes enim ſæpiſſimè deciderent, niſi recta uiuendi ratione, & alterātib. & euacuantib. præſeruare; locutus .n. eſt Argenterius de corpore conualeſcente, quaſi quod eſſet impoſſibile, quod in conualeſcente non relinquerētur aliqua morborū ueſtigia, quę conſtituunt corpus decidentiæ, & iuxta apho. Hip. 2. ſec. aph. 2. qui relinquuntur in morbis recidiuas facere conſueuerūt; colligas igitur, quod de ratione corporis conualeſcentis, ut conualeſcens eſt, nunquam ſequatur recidiua: quia neutrum conualeſcentiæ à nulla alia cauſa fit, quā ab optimi ſanguinis paucitate; colligas ſimiliter omnia morbi ueſtigia, quæ ſunt in conualeſcente, quæque efficiunt recidiuas pertinere ad corpus neutrum decidentiæ, & non conualeſcentiæ, nullūmque eſſe inconueniens, quòd unum corpus reſpectu diuerſorum poſſit eſſe neutrum conualeſcentiæ, & neutrum decidentiæ.

CAPITIS C.

Particula III.

Tex. 85. *Cauſa verò ſalubres, quæ hanc emendant diſpoſitionem, vt vno comprehendam capite, ſunt quæcunque præſentaneum, atq; ſecurum exhibent alimentum. Secundum partem autem in motibus moderatis, & cibis, potibuſque, ac ſomnis conſiſtunt.*

IN hoc tex. Gal. declarat, quæ ſint illa, quæ tollunt malam diſpoſitionẽ conualeſcentium, & ſenum; malæ enim diſpoſitiones cõualeſcentiũ, & ſenum diximus ex eo pendere, quod paucitatẽ optimi ſanguinis habeant: paucitas enim optimi ſãguinis efficit paucos ſpiritus, vnde partes ſolidæ malè, & diminutè nutriuntur: & totum corpus redditur frigidius, & ſiccius.

Remedia verò, quę dicũtur analeptica, ſeu reſumptiua, quæ conualeſcentes reducunt ad ſalubritatem, ſunt illa, quæ tollunt frigiditatem, & ſiccitatem corporis ortam ex diminuta nutritione; hæc verò ſunt, quæ generant ſanguinem multum, & optimum. De his mẽtionem facit Gal. in hoc tex. in quo quinque proponit, quę concurrunt ad productionem optimi ſanguinis.

Primum remedium, quod ſanè omnia remedia comprehendit pro auferẽda cõualeſcentia, & retardanda ſenectute eſt illud nutrimentum, quod exhibet alimẽtum ſecurum, & præſentaneum, quod ſcilicet citò, & optimè nutriat.

Secundum remedium eſt motus moderatus; intelligitur tam de motu corporis, quam animi; nimia enim triſtitia, & nimium gaudium valdè lædunt.

Tertium, cibus moderatus; quia ſi quis vtatur bono cibo, ſed copioſiori, non eſſet ſecurum, & præſentaneum nutrimentũ.

Quartum eſt potus moderatus; ex nimio enim potu facultas concoctrix obtunditur, & debiliter conuertit cibum in nutrimentum.

Quintum remedium ſunt ſomni moderati.

Notandum, quod vt fiat optimus ſanguis oportet, vt omnes tres concoctiones ſint perfectæ; prima videlicet, quæ fit in ventriculo, in qua ſi committatur error, in alijs concoctionib. nõ eſt amplius corrigibilis, vt ſuperius ex Gal. oſtendimus; ſecunda quæ fit in hepate; tertia, quæ fit in omnibus partibus nutriendis.

Notandum, quod coctio conualeſcentium, & ſenum habet duplicem defectũ; alter eſt tarditas coctionis ob eorum frigiditatem, & ſiccitatem; alter eſt coctio incerta, & non ſecura: ſunt .n. nonnulli, qui tardè concoquunt, ſed nõ diminutè; cõualeſcentes verò, & ſenes tardè, & diminutè concoquunt, ideò Gal. videns hos defectus, dixit remedium, quod emendat diſpoſitionem conualeſcentium, & ſenũ eſſe, quod exhibent præſentaneum, & ſecurum alimentum, ſi fuerit preſentaneũ, auferetur tarditas coctionis: ſi fuerit ſecurum, auferetur incertitudo coctionis.

1 Dub. Gal. in tex. laudat pro reficiendis ſenibus, & conualeſcentibus ea, quæ pręſentaneum exhibent alimentum; quod quidem aduerſatur Hipp. 2. aph. 7. vbi habetur hæc ſententia; *Quæ longo ſpatio extenuata ſunt corpora, ea tardè reficere oportet, quæ verò breui breuius*; Ergo, vel male hic Gal. vel malè ibi Hipp.

Argenterius, qui nullam occaſionem contradicendi omiſit, non putat hãc dubitationẽ ſolui poſſe, ſed dicit eſſe Gal. errorem manifeſtiſſimum; neq; miſer videt Galeni intentionẽ eſſe valdè diuerſam ab Hippoc. qui loquebatur de alimentorum quantitate, Gal. verò de qualitate.

Reſpondemus igitur nos, ſententiam Gal. valdè differre ab illa Hipp. Gal. .n. in tex. conſiderat alimenti qualitatẽ, & nõ an illicò debeant ſenes, & conualeſcẽtes refici, hæc autem ſunt adeò diuerſa inter ſe, vt quilibet ſanæ mentis Argẽterij dubitationẽ puerilem iudicaret: aliud enim eſt loqui de alimento optimo, & quod illicò nutrit, & aliud eſt loqui an citò, vel tardè corpora reficienda ſint.

Hinc Gal. non ſolùm in comm. citati aphoriſmi, ſed & 7. meth. c. 7. iubet, tardè eſſe reficiẽdos debiles, pręſentaneo tamen alimento, & parũ pro vice exhibito. Similiter, dũ in hoc tex. admonet cibos, & potus cõualeſcentiũ, & ſenũ eſſe moderatos intelligit parum pro vice; vt ſeruetur tamen inter alimentum, & virtutes con-

co-

coctrices debita proportio: ecce quã vana, ridicula, & minimè penetrantia mentem Auctoris ſunt ea, quæ ab Argenterio proponuntur: dùm aliqui inuehuntur in Gal. vt Veſalius, vel alij Anatomiſtæ, qui proponunt res certiſſimas αὐτοψίᾳ perceptas non poſſunt decipi, illos laudibus extollo ad ſydera: quia veritas eſt amicior Galen. ſed qui inuehuntur in Gal. & intima eius arcana non comprehendunt, qualis eſt Argenterius, potius inter ſtolidos, & temerarios ſunt collocandi.

CAPITIS C.

Particula IV.

Tex. 86. *Sunt verò motus, materia, vehicula, ambulationes, frictiones, & balnea: & vbi non parum ſe ex his proceſſiſſe ſenſerint, paulatim ſe ad conſueta opera transferant. Cibos autem aſſumant, in principio quidem humidos, & concoqui faciles, neque frigidos, ac cum progreſſi fuerint, eos etiam qui plurimum præſtant alimentum. Potus verò opportunus eſt vinum, ætatem quidem habens mediocrem, in ſubſtantia autem purum, atque perlucidum: quòd ſcilicet, vel ſubflauum, vel ſubalbum exiſtat, atque ſuauiter olens, guſtui verò, neque aqueum omninò, neque cum aliqua inſigni qualitate, aut dulcedine, aut acritudine, aut amaritudine ſentiatur.*

IN tex. ſuperiori dixit, conualeſcentes reſtitui per moderatos motus, cibos, potus, & ſomnos. In hoc text. diſtinctiùs declarat materias remediorum propoſitorum: admonet Galen. quòd materiæ motus moderati ſunt quatuor ſpecies: prima, dùm motu vtimur per vehicula, videlicet curru, equitatione, nauiculis, addimus & cymbis, qui vehendi modus eſt omnium ſuauiſſimus: verùm quò ſuauior, eo diuturnior eſſe debet: equitatio facta horæ tractu collocari poterit inter motus moderatos: exercitium verò factum per nauim, vel cymbam, quia eſt ſuauius, idem præſtabit, ſed curſu quatuor horarum circiter.

Secunda ſpecies motus moderati ſunt ambulationes, in quib. conualeſcentes eo vſque perſeuerare debent, quouſque laſſari incipiunt, iuxta præceptum à Galeno traditum ſuperius, vbi egit de exercitio.

Tertia ſpecies materierum motus moderati ſunt frictiones ſuaues, quę non debent adminiſtrari, quando conualeſcentes alijs modis ſe poterunt exercere: quomodò verò frictiones adminiſtrentur, ſuperius dictum eſt.

Quarta ſpecies ſunt balnea ex aqua tepida; niſi quid œdematoſum in tibijs relictum ſit, atque hac ſeruata lege, ne ſudores moueantur; quia conualeſcentes ob ſudorem exſiccarentur, & valdè læderentur; quia eorum diſpoſitio eſt ſicca. Prætera dignum eſt animaduerſione, quod vſus balnei illis non conferat à cibo: conuenit tamen horæ ſpatio poſt egreſſum è balneo cibum ſumere.

Et ubi nõ parum. In hoc loco dat præceptum, quod videlicet conualeſcentes debeant redire ad conſueta exercitia, ſeruatis tamen his duabus cõditionibus; prima vt obſeruent, an profecerint moderati motus; ſecunda, ſi cognouerint profeciſſe, admonet quod paulatim, & per interualla, præſertim ſi illa conſueta exercitatio ſit laborioſa, ſe transferant ad conſueta exercitia. Cæterum à conſueto exercitio excludimus conſuetum coitum, qui tempore ſanitatis erat in vſu; quia eſt conualeſcentibus & ſenibus pernicioſiſſimus: quia ſemper exſiccat.

Cibos autem. Hic agit de cibis conualeſcentium: docetque in primis dieb. eſſe eligendos cibos humidos, & concoctu faciles, & nullo modo frigidos, & qui plurimum præſtent nutrimentum. Ratio, cur humidi, & concoctu faciles ſint eligendi, eſt, quia conualeſcentes, & ſenes diſpoſitionem ſiccam, paucum ſanguinem, & virium imbecillitatem habent; pro ſicca diſpoſitione cibi humidi, & coctu faciles iuuant; quia optimum ſanguinem gignunt, vnde ſpiritus copioſi, vitales .ſ. & animales, & virium robur. Neque cibi debent eſſe frigidi: quia in conualeſcentibus, & ſenibus, cũ ſit optimi ſanguinis, & ſpirituũ caritas, diſpoſitio illorum non ſolum eſt ſicca, ſed etiam frigida: ideò debent eſſe calidi, & ſubſtantificæ humiditatis.

1 Dubit. Galen. dicit, quod illi cibi ſunt optimi conualeſcentibus, & ſenibus, quæ ſunt concoctu faciles, & plurimum præ-

ſtant alimentum; quod quidem ſibimet repugnat 7. metho. vbi dicit, quod plurimum nutrit difficilè coquitur: ergo non poteſt admitti, quod dentur cibi multi nutrimenti, & facilis concoctionis.

Reſpondetur, quod dantur cibi humidi, & optimi nutrimenti, qui facilè coquuntur: ſicuti ſunt iura pullorum, oua ſorbilia, caro phaſianorum, & alij ſimiles: non tamen dicit Gal. in multa quantitate hos cibos concedi: quia multa horum ciborum quantitas eſt difficilis coctionis; nemini dubium, quod citius concoqui poterit drachma porcinæ carnis, quam vncia montanæ auiculæ. Præterea Gal. 4. de ratione vict. in ac. comm. 102. loquens de porcina carne docet carnem porcelli mediæ ætatis generare optimum ſanguinem: ſi igitur de iſta quantitate duarum vnciarum circiter convaleſcens, vel ſenex comederet, fortaſſe maius in reficiēdis viribus beneficium colligeret, quam ſi abundè ouis, vel auiculis montanis, vel phaſianis veſceretur.

Potus verò; Deſcribit in hac parte quodnam ſit illud vinum, quod mirificè poteſt reſtaurare conualeſcētes, & ſenes: affertque conditiones optimi vini. Prima conditio eſt, quod vinū ſit mediæ ætatis: noua enim ſunt craſſiora, & minus penetrantia, & coctiones turbantia, vaporoſa, & pituitam generantia: Similiter vina anno vetuſtiora nimium exſiccant, & per cōſequens reluctantur cōualeſcentibus; & ſenibus, qui tales ſunt ob ſiccam diſpoſitionem: qui enim vult conualeſcentes reducere ad priſtinam ſanitatem, nec nō retardare ſenectutem; vnicam habet intentionem, quæ conſiſtit in auferenda ſiccitate. Secunda conditio optimi vini eſt, quod ſit purum, & non aqua mixtum. Tertia, vt ſit pellucidum, quod ſit ſcilicet ſubflauum, vel ſubalbum. Quarta, quod vinum ſuauiter oleat. Quinta, quod neq; aqueum omninò ſit, neq; in ipſo aliqua inſignis qualitas, aut dulcedo, aut acritudo, aut amaritudo ſentiatur.

Hinc in conualeſcentib. reprehenditur vinum ὀλιγοφόρον, ideſt aquoſum, quia ſua natura eſt frigidum, vt dicit Gal. lib. de cibis boni, & mali ſucci c. 8. in quo loco hæc Gal. ſentētia legitur; Vinum album auſterum ſenſibilem refrigerandi vim habet. Quod intelligitur, vt ibi docet Gal. hoc vinum non reſpectu aliorum vinorum, ſed, abſolutè refrigerare: quod cū ità ſit, non poterimus negare, quod ex Gal. ſententia non inueniatur vinum, quod refrigeret febricitantes: quare cum omnes ferè medici noſtri temporis deteſtentur in febricitantibus omnia vina, ideò valde conuenit, vt locus Gal. propoſitus expendatur; & deinde alia plura Hipp. & Gal. loca: ſicuti 3. de ratione victus 7. & 8. & 6. epid. 4. tex. 15. & alibi Gal. laudat pro febricitantibus vinum aquoſum auſterum: dum vero prohibetur à Gal. in febribus, morbo exiſtente crudo, vinum; dicimus intelligere de vino fuluo: & non albo aquoſo: Ego igitur dum vinum aquoſum, ſeu oligophorum apud ægros inuenio illi pauxillum tutò, & ſummo cum beneficio, quamuis febricitent; concedo. Hinc Gal. in hoc loco non laudat pro cōualeſcentibus vina omninò aquoſa, quia illos refrigerarēt; neque vina inſigni qualitate prædita, veluti, quæ odore roſarum, vel uiolarum, uel ambræ, vel muſci prædita ſunt: ſed debent ſolum ſuum naturalem odorem referre: quia omne extraneum eſt uitioſum, & omne inſigni odore præditum, ut exſiccans, reprehenditur.

Præterea uituperat uinum dulce: quia tardius coquitur, inflat, & in bilem uertitur; quæ bilis exſiccat: eadem de cauſa uina acria, & generoſa à ſenibus, & conualeſcentibus ſunt explodenda; quia eorum corpora iuſto magis exſiccant.

2 Dub. multa ſunt vina mediocris ætatis perlucida, pura, alba, quæ nec dulcia, nec acria ſunt, vel amara, & ſuauiter olēt, tamen ſunt mala: ſicuti ſunt illa, quæ ſunt valdè auſtera, uel acerba: ergo Gal. non rectè deſcripſit vina pro conualeſcentium, & ſenum uſu.

Reſpondetur, dum Gal. appoſuit illam conditionem, uina non habere inſignem aliquam qualitatem, excluſit ualdè acerba, & auſtera: ea enim quæ moderatè auſtera, uel acerba ſunt alijs in locis à Gal. laudantur. Præterea uina ualdè auſtera, & acerba ſunt adſtringentia; & in codice antiquo legitur loco amaritudinis, adſtrictio; hoc modo; *Aut acritudine, aut adſtrictione ſentiatur.*

3 Dub. Gal. uehicula; & ambulationes

uocat

vocat materias motu moderari; quod nõ videtur rectè dictum: quia ambulationes ſunt ſpecies motus,& materiæ.

Reſpondet Pluſquamcomm. re vera eſſe ſpecies motus; eſſe tamẽ materias cauſarum ſalubrium. Sed non ſoluit dubium. Quare dicimus, vehicula, & ambulationes,& balnea dupliciter conſiderari: primo modo, vel vt per vehicula,& ambulationes mouemur aliqua ſpecie motus, & ſic non ſunt materiæ, vel ſecundo, conſiderantur, vt ſunt ſpecies motus: ambulatio enim eſt motus localis: tamen idem motus localis poteſt fieri equitando,& ſe brachijs ſuſpendendo: ſimiliter balnea continent in ſe ſpeciem motus alterationis; quamvis eadem alterationis ſpecies multis modis fieri poſſit.

4 Dub. Gal. in regimine conualeſcentium,& ſenum nil dicit de euacuatione aliqua blãda, quæ fieri debeat per aluum, quęque ſolet mirificè conſeruare corpora conualeſcentium, & ſenum: ergo Gal. diminutus.

Reſpondetur, dùm vtimur blãdis euacuationibus in ſenibus,& conualeſcentibus, tũc curamus, vt pręſeruentur ab imminenti morbo: quare hę blandę euacuationes nõ cõueniunt conualeſcentibus,& ſenibus, vt tales ſunt; ſed vt ſunt corpora ægrotatura, ſeu neutra decidentiæ; quia corpora conualeſcentium,& ſenũ, vt talia, nulla indigent euacuatione; reliquiæ .n. morborũ, obſtructiones,& excrementa pertinent ad corpora ægrotatura, & non ad reſtaurabilia, vel recuperabilia, qualia ſunt conualeſcentium, & ſenum.

5 Dub. Gal. hic proponit humidum alimentum pro reſtaurandis conualeſcentibus,& ſenibus; tamen 5. de tuenda valetudine loquens de reſtauratione ſenum admonet calida alimenta fouere ſenes,& illos iuuare: debebat igitur pro ſenibus reſtaurandis,& conſeruandis in hoc loco non ſolùm proponere humida, verùm etiam calida.

Reſpondetur, quod Gal. agens hìc de conualeſcentibus,& ſenib. eligat ea, quæ vtriſque ſunt cõmunia; hæc verò ſunt humida alimenta,& facilis coctionis, & nõ calida; lib. verò 5. de tuenda valetudine conſiderabat ſolùm alimenta accõmodata ſenibus, & non conualeſcentibus: dictum enim eſt ſuperius, quod diſpoſitio, quæ facit, vt cõualeſcentes,& ſenes tales ſint, eſt ſiccitas, & in hac diſpoſitione cõueniunt,& hanc auferre Gal. profitetur.

6 Dub. Gal. concludit pro reſtauratione ſenum, & conualeſcentium eſſe potum humidum; tamen laudat vinum; at ſic eſt, quod vinum exſiccat, & non humectat, ergo malè Galenus.

Reſpõdetur, quod vinũ à Gal. deſcriptũ eſt mediæ ætatis pellucidum, &c. quod vinũ nõ exſiccat, ſed humectat; ex hoc loco colligimus contra omnes ferè recentiores, qui putãt, omnia vina exſiccare: ſi .n. vinũ à Gal. deſcriptũ exſiccaret, ſine dubio aduerſaretur cõualeſcentib. & ſenib. qui tales ſunt ob diſpoſitionem ſiccam, vt ſuperius ex Galen. probauimus; dicimus itaque vinum pro auferenda ſicca diſpoſitione conualeſcentium,& ſenum à Gal. propoſitum habere vim humectandi ſubſtantificè; in caliditate verò eſſe temperatum,& non exſiccare; nulla enim qualitas temperata exſiccare, vel humectare, calefacere, vel refrigerare poteſt.

CAPITIS C.

Particula V.

Tex. 87. *At autem proximè diximus, de hiſce omnibus in libris de arte curandi conſcriptis, pleniùs diſſeruimus. Nunc enim neque omnia particulatim recenſere eſt noſtri propoſiti inſtitutum: ſed ſolum capitum mentionem facere intendimus eorum, quæ in alijs voluminib. latius explicauimus. Quorum omnium ſi prius, & numerum, & qualitatem expoſuero, finem libro imponam.*

HActenus Galen. perfecit doctrinam definitiuam; egitque per communiſſima quædam capita de tota arte medica; ſed hoc artificio, vt omnia, quę dicta ſunt in toto hoc libello, reducantur ad definitionem medicinæ, quæ erat ſcientia ſalubrium, inſalubrium,& neutrorum corporum ſignorum,& cauſarum; quocirca recitata illa definitione illicò 72. capita corporum, ſignorum, & cauſarum memoriæ commendantur, vnde medicus in cu-

cu-

curandis,& præſeruãdis corporib. ſtatim definitione medicinæ excitatus perpendere debet ad quod membrum illud corpus,illud ſignum,& illa cauſa ex propoſitis reducatur: conſiderabitque quot ſint genera corporum, & ſignorum indicantium temperamẽtum,& cauſarũ,id eſt remediorum, & per cauſas intelligit remedia.

In quolibet enim affectu tam in latitudine ſanitatis, quam in latitudine ægritudinis,vel neutralitatis omnes intentiones communes quibus conſeruare curare,& reſtaurare quilibet poteſt,ante oculos mira breuiter obijciuntur,& tali artificio progreſſus eſt Gal.vt dum docet quęnam ſint communiſſimæ intentiones in paruis, vel magnis vitijs corrigendis,cõſecutiuè doceat,quæ nam ſint cauſæ efficientes malas diſpoſitiones:quoniam cõtrariorum eadem eſt diſciplina: exempli cauſa, ſi in febre adſunt duæ intentiones, refrigerandi ſcilicet & humectandi, eius natura erit calida,& ſicca; quòd diximus de febre,de omnibus vitijs tam in intemperie,quam in mala compoſitione,vel ſoluta vnitate dicimus egiſſe Galenum.

In hoc tex.animaduertit,ſe vberius alibi de his egiſſe,videlicet de conualeſcentibus, & ſenibus, de conualeſcentibus 7. meth.c.6.de ſenibus verò 5.de tuenda valetudine;idem dici poteſt de omnib.alijs, Gal.ſcilicet in tota ſua bibliotheca exactius egiſſe, quatenus vſus ſit methodo reſolutiua,quæ ad particularia vſq;deſcẽdit. Hicque finem facimus gratias agentes Deo omnipotenti: cuius auxilio ad finem peruenimus.

De ordine Librorum Galeni.

Diximus itaque prius, quod alter eſt liber, in quo de conſtitutione artis medicinę diſſeruimus:antecedunt autem eum alij duo de conſtitutione artium,ſed hi quidem vnà cum hoc,cui nunc extremam manum adiecimus,ſeorſum ſunt ab alijs libris in quibus plenior doctrina explicatur. Illi verò talem inter ſe ordinem habent. De elementis quidem ſecundum Hippocratem liber vnus. Poſt hũc autem tres de temperaturis, ex quibus quidem duo ſunt de temperaturis animalium,tertius verò de his, quæ ſimplicium medicaminum ſunt. Quam ob rem, & tractatum illum, in quo de ſimplicium medicaminum poteſtatibus agitur,nemo rectè intelligentia aſſequi poteſt, niſi prius tertij libri de temperaturis integram cognitionẽ fuerit adeptus. Eſt & alius liber paruus, qui ordine ſequitur duos priores alios de temperaturis, inſcribitur autem de inæquali temperatura.

Similiter autem,& hunc alij duo parui, alter quidem de optima corporis conſtitutione, alter de bono habitu. Alius verò tractatus eſt,qui tres complectitur libros de potentijs naturalibus, quem ſi quis legere velit, poſt librum de temperaturis, ſiue poſt librum de elementis vtrunque erit conſentaneum. Poſt hunc in pluribus alijs libris de operationibus animalibus diſſeruimus, ſed quoniam ad earum demonſtrationes non parum conferunt, quæ per ſectiones oſtenduntur, in illis excitari oportet. Eſt autem maximè inter alios vtilis ille tractatus, qui de ſectionũ aggreſſibus inſcribitur.

Alij autem ſunt poſt eum plures, duo quidem de diſcordia ſectionis; vnus verò de ſectione mortuorum; poſt quos ſequuntur hi, in quibus agitur de ſectione viuorum: in alijs verò quibuſdam particulatim ob eos ſcripſimus, qui introducuntur de oſſibus: ſectio quoque muſculorum,& neruorum,& arteriarum,& venarum, & quædam alia huiuſmodi ex eodem numero exiſtunt,& liber etiam in quo quæritur, nunquid in arterijs continetur ſanguis naturaliter. Qui verò earundem partium operationes demonſtrant, duo quidem ſunt de motu muſculorum,tres autem de pectoris, & pulmonis motu:poſt quos ſequitur liber de cauſis reſpirationis, poſt hunc liber de voce.

De principatu autem animæ, & de omnibus alijs, quæ de naturalibus, vel animalibus operationibus in quæſtionem trahuntur, in longo volumine ſcripſimus, qui de dogmatibus Socratis, & Platonis inſcribitur. Ad eiuſdem generis contemplationem pertinet liber, de ſemine ſeorſum conſcriptus, & amplius de ſectione ſecundum Hippo. quos omnes ordine ſequitur tractatio de vtilitate partium. Ad dignoſcendas autem ægri-

ægritudines, vtilis eſt liber, in quo de membrorum paſſionibus agitur: itidem & ille, in quo de pulſibus ſcribitur, in quo & præcognitiones edocemus. Librum verò de pulſibus præcedant alij duo, alter qui de vſu reſpirationis, & qui de vſu pulſuum. Is verò de pulſibus, in quatuor diuiditur partes, primam, quæ eorum differentias; ſecundam, quę dignotiones; tertiam, quæ eorum cauſas; quartam, quę illam, quæ per eoſdem fit, continet præcognitionem. Ex eodem genere eſt ille, qui his, qui introducuntur de pulſibus, ſcriptus eſt.

At verò in animo eſt alium ſcribere librum veluti quoddam omnium iſtorum compendium, quem inſcribam vel artem de pulſibus, uel compendium. Ad hanc quoq; iuuant contemplationem, quæ à me exponuntur, & ſimul iudicantur in lib. Archigenis de pulſib. Ad præcognitionem autem plurimum confert Liber de criſibus, ideſt de decretis naturæ, quem præcedit alter de decretorijs diebus. Sed liber etiam, qui de difficili anhelitu inſcribitur, & ad dignoſcendum præſentem affectum, & ad præſcienda bona, vel mala, quæ ægrotanti ſunt euentura, conducit.

Hi igitur omnes, atque vnà cum ipſis tractatus quidam vno tantùm libro comprehenſi, cognitu vtiles ſunt, ſicut illi, qui de præcipientibus cauſis inſcribitur, & de medicinali experientia, & de extenuante victu, & qui de venarum ſectione ad Eraſiſtratum, & qui de tumoribus præter naturam, & qui de multitudine, atque alij præterea ſimiles.

Præ cęteris autem ad curandi ſcientiam maximè neceſſarius exiſtit, qui de morborum differentijs agit, & de accidentibus; & tertius præter illos, in quo morborum cauſas explicauimus: poſt quos ſunt tres alij, qui accidentium cauſas explanant; ſunt etiam de medicamentorum ſimplicium viribus libri, de quibus ſupra meminimus, & qui de medicamentorum compoſitione; quos ſequuntur libri de arte curandi, his, qui de ſalubribus inſcribuntur, ſeorſum à nobis conſcriptis.

Quòd verò ante hoſce omnes prius exercitari oporteat in libris de demonſtratione. Siquis hanc artem cum ratione ſit tractaturus, monſtratum eſt à nobis in lib. qui de optima inſcribitur hæreſi.

De alijs autem libris, & commentationib. à nobis ſcriptis, tranſigere nunc minimè neceſſarium, cùm de hiſce omnibus alibi ſimus tractaturi in vno fortaſſis, aut duobus libris, qui ita inſcribentur, Galenus de voluminibus ab eo conſcriptis.

FINIS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMAN.

